


Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Collationné Complet

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Geog. 15
62 B 10
232 D 3
KW 40
E 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

PHILIPPI CLVVERI

ITALIAE ANTIQVÆ,

ITEM

SICILIÆ,

SARDINIÆ & CORSICÆ,

Tomus Secundus.



LVGDVNI BATAVORVM,
Ex Officinâ ELZEVIRIANA.

ANNO CIƆ IƆ C XXIV.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

KONINKL.
BIBLIOTHEEK
TE 'SHAGE.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

ARGVMENTA RERVM,

quæ hoc ſecundo tomo continentur,

LIBER TERTIVS.

Quo Latium Priſcum Novumque deſcribuntur: ac tandem de Auſonum gente diſſeritur: qui iidem fuère Opici & Oſci.

CAP. I. *De Latio: quæ regio antè Saturnia dicta eſt, & Oenotria; & priùs Jtalia, ac Sicilia. Jtem de incolis eius Siculis & Aboriginibus: quorum hi poſteà unà cum Pelaſgorum quibusdam dicti ſunt Latini. Jtem de Latii variis finibus.* 787.

CAP. II. *De Priſci Latii finibus, & principe eius urbium Roma, locisque proximè adjacentibus.* 820.

CAP. III. *De opidis Priſci Latii maritimis.* 870.

CAP. IV. *De opidis cæterisque locis Priſci Latii mediterraneis.* 900.

CAP. V. *De Rutulis.* 970.

CAP. VI. *De Hernicis.* 979.

CAP. VII. *De Volſcorum nominè, genere ac finibus: item de opidis eorum, cæterisque locis maritimis & fluminibus. tum de inſulis ante litus eorum ſitis.* 985.

CAP. VIII. *De Volſcorum opidis, aliisque locis mediterraneis.* 1015.

CAP. IX. *De Auſonibus.* 1048.

CAP. X. *De Auſonum ſive Auruncorum inter Tarracinam & Maſſicum montem opidis, cæterisque locis.* 1062.

LIBER QVARTVS.

Quo Campania, Picentini, Samnium, Hirpini, Frentani, Apulia, Calabria, Lucania, & Brutii deſcribuntur.

CAP. I. *De Campanorum origine ac nomine; deque Campaniæ finibus ac fertilitate.* 1087.

CAP. II. *De locis fluminibusque Campaniæ maritimis, inter Sinueſſam opidum & Neapolim urbem.* 1093.

CAP. III. *De cæteris Campaniæ locis maritimis, inter Puteolos & Minervæ promontorium.* 1146.

CAP. IV. *De inſulis Campano litori objacentibus.* 1164.

CAP. V. *De mediterraneis Campaniæ locis.* 1171.

CAP. VI. *De Picentinis.* 1188.

CAP. VII. *De Samnitibus; quorum regio Samnium.* 1191.

CAP. VIII. *De Hirpinis.* 1199.

CAP. IX. *De Frentanis.* 1205.

CAP. X. *De Japygia.* 1208.

CAP. XI. *De Apulia.* 1210.

CAP. XII. *De mediterraneis Apuliæ locis.* 1213.

CAP. XIII. *De Meſſapia peninſula; quæ & Calabria; & item in duas parteis, Calabriam & Salentinos, diviſa.* 1227.

CAP. XIV. *De Lucanis & Lucania.* 1251.

CAP. XV. *De Brutiis.* 1282.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Cap. xvi. *De Magna Græcia; & qui Græci quibus temporibus in Italiam tranſgreſſi. ubi pleniùs de Oenotria etiam agitur.*
Cap. xvii. *De mari quod Italiam circumluit; & de variis, prout varias regiones alluit, eius adpellationibus.*

INDEX

Tabularum Geographicarum tomi ſecundi, quo quæque loco inſerendæ.

LIB. III.

I. Latij utriusque, antiqui ſcilicet; & novi, in quo Aequi, Rutuli, Volſci, Hernici, & Aurunci, deſcriptio. Pag. 787.
II. Romæ antiquæ deſcriptio. pag. 820.

LIB. IV.

III. Samnij & Campaniæ; item Hirpinorum, & Picentinorum agri deſcriptio. pag. 1087.
IV. Apuliæ; Meſſapiæ, in qua Calabri ac Salentini; & Lucaniæ deſcriptio. pag. 1208.
V. Brutij agri deſcriptio. pag. 1282.

Errata quædam poſteriùs in hoc opere deprehenſa.

Pap. 1242. lin. 37. pro *Galeno* leg. *Tabulis*, aut delendum. Et l. 47. pro *Galenus* leg. *A. Galateus.* & ſeq. 48. l. pro *de Liberta*, leg. *de Libera.* P. 1254. l. 23. pro *Timovo*, leg. *Timavo*; ut etiam in marg. pro *Timovus* TIMAVVS. P. 1277. l. 2. pro *La Mendolata*, leg. *La Mendolara.* P. 1279. l. 36. pro *Saponara ſecundum Ptolomæum*, leg. *Saponara Leandro Alberto, & aliis.* Nec majuſculis literis exſcriptum debet eſſe, ſed ut alia moderna non Latina nomina. P. 1281. l. ult. Hæc linea cum duabus primis ſequentis paginæ alieno loco poſita: referenda ad Calabriæ deſcriptionem. In tabulâ æneâ Apuliæ & Meſſapiæ animadvertendum, inter Tarentum & terram continentem oppoſitam anguſtas fauces ſeu iſthmum eſſe, qui ponte utrimque jungitur continenti; & à Chalcographo tantâ latitudine perperam cælatum.

PHI-

E

...;

ri vo-
n re-
erint,
greſ-
arum
ὼ νιῶ
βάρ-
ϖεὶς
ὕςερον
ϑτερον
λιώων
ναςή-
, ὅσlω
λαθέν-
ολέμȣ
λιακὸν
totius
arbari
uerit,
s eam
d poſt-
itimis
ntque
ſedeis SICVLI, *primi*
Abori- *Latii incolæ.*
minati
inco-
quòd è
res di-
cunt,



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

CAP. XVI.
transgre
CAP. XVII.
giones all

I. Latij
ſci,
II. Rom
III. Samn
ſcr
IV. Apuli
pt
V. Brutij

Pap. 1242.
ſeq. 48. l. pro
movus TIMAV
Ptolomaeum, le
moderna non
loco poſita: re
dum, inter T
utrimquejun

PHILIPPI CLVVERII
ITALIAE ANTIQVAE
LIBER TERTIVS:

Quo LATIVM PRISCVM NOVVMque deſcribuntur: ac tandem de AVSONVM gente diſſeritur; qui iidem fuêre OPICI & OSCI.

* *
*

CAPVT PRIMVM.

De LATIO: *quæ regio antè* SATVRNIA *dicta eſt, &* OENOTRIA; *& priùs* ITALIA, *ac* SICILIA. *item de incolis eius* SICVLIS *&* ABORIGINIBVS: *quorum hi poſteà unà cum* PELASGORVM *quibusdam dicti ſunt* LATINI. *item de* LATII *variis finibus*.

ETruſcis, Sabinis, atque Aequiculis, quos omneis ſuperiori volumine expoſuimus, contermini fuêre LATINI: quorum regio LATIVM dicta. Hanc qui mortalium primi incoluerint, inter alios auctores omnium quàm curatiſſimè exſequi adgreſſus Dionyſius Halicarnaſſenſis, Antiquitatum Romanarum lib. I ita tradit: τὴν ἡγεμόνα γῆς καὶ θαλάσσης ἁπάσης πόλιν, ἣν νῦν κατοικοῦσι Ῥωμαῖοι, παλαιότατοι τῶν μνημονευομένων λέγονται κατασχεῖν βάρβαροι Σικελοὶ, ἔθνος αὐθιγενές. τὰ δὲ πρὸ τούτων, οὔθ᾽ ὡς κατείχετο πρὸς ἑτέρων, οὔθ᾽ ὡς ἔρημος ἦν, οὐδεὶς ἔχει βεβαίως εἰπεῖν. χρόνῳ δὲ ὕστερον Ἀβοριγῖνες αὐτὴν παραλαμβάνουσι, πολέμῳ μακρῷ τοὺς ἔχοντας ἀφελόμενοι· οἱ τὸ μὲν πρότερον ἐπὶ τοῖς ὄρεσιν ᾤκουν ἄνευ τειχῶν κωμηδὸν καὶ σποράδες· ἐπεὶ δὲ Πελασγοί τε καὶ τῶν ἄλλων Ἑλλήνων τινὲς ἀναμιχθέντες αὐτοῖς συνήραντο τοῦ πρὸς τοὺς ὁμοτέρμονας πολέμου, τὸ Σικελικὸν ἔθνος ἀπαναστήσαντες ἐξ αὐτῆς, πόλεις περιεβάλοντο συχνὰς, καὶ παρεσκεύασαν ὑπήκοον αὐτοῖς γενέσθαι πᾶσαν, ὅσην ὁρίζουσι ποταμοὶ Λίρις καὶ Τίβερις. καὶ διέμειναν ἐπὶ τῆς αὐτῆς οἰκήσεως, οὐκέτι πρὸς ἑτέρων ἐξελαθέντες, ὀνομάτων ἀλλαγαῖς αὐταῖς οἱ αὐτοὶ ἄνθρωποι προσαγορευόμενοι, μέχρι μὲν τοῦ Τρωϊκοῦ πολέμου τὴν ἀρχαίαν τῶν Ἀβοριγίνων ὀνομασίαν ἔτι σώζοντες· ἐπὶ δὲ Λατίνου βασιλέως, ὃς κατὰ τὸν Ἰλιακὸν πόλεμον ἐδυνάστευσε, Λατῖνοι ἀρξάμενοι καλεῖσθαι. Hoc eſt: *Vrbem, terræ marisque totius principem, quam nunc Romani habitant, primi in omni memoriâ tenuiſſe feruntur barbari Siculi, gens indigena. ſuperiore autem tempore alios ne colonos habuerit, an inculta fuerit, nemo poteſt certò dicere. Poſteà verò, pulſis longo bello priſcis cultoribus, Aborigines eam occuparunt. qui primùm in montibus paſſim ſine mœnibus vicatim habitaverunt. ſed poſtquàm Pelaſgi & cæterorum Græcorum nonnulli, ipſis admiſti, opem in debellandis finitimis attulerunt; exactâ inde Siculorum gente, opida crebra communiverunt; ſubegeruntque ſibi totum id terrarum ſpacium, quod amnes duo Liris atque Tiberis terminant. Eas ſedeis* SICVLI, *primi Latii incolæ.* *deinde perpetuò tenuit idem genus hominem, mutatis tantùm adpellationibus; vetus Aboriginum nomen ſervantes ad Troiani usque belli tempora; quando à Latino rege denominati ſunt Latini*. Ergo primi mortalium, quorum memoria exſtet, hanc regionem incoluêre SICVLI. Hinc Varro etiam de Lingvâ Latinâ lib. IIII, *Lepus*, inquit, *quòd è Siculis Græci quidam dicunt* λέποριν. *à Româ quòd orti Siculi, ut annales noſtri veteres di-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

cunt, fortaſſe hinc illud tulerunt: & heic reliquerunt hoc nomen. Solinus cap. VIII; ubi Italiæ laudes concelebrat: *Coloniæ tam frequentes, tam adſidua novarum urbium gratia, tam clarum decus veterum opidorum; quæ primùm Aborigines, Aurunci, Pelaſgi, Arcades, Siculi, totius poſtmodùm Græciæ advenæ, & in ſummâ, victores Romani condiderunt.* Sed hæc ille habuit à Plinio: qui lib. III cap. V de eodem agens Latio, *Tam tenues,* inquit, *primordio imperii fuêre radices. colonis ſæpè mutatis, tenuêre alii aliis temporibus, Aborigines, Pelaſgi, Arcades, Siculi, Aurunci, Rutuli.* Quum ab Aboriginibus aliisque populis Italiâ pulſi Siculi *Sicaniam* inſulam occupaſſent; quæ tum de eorum nomine dici cœpit *Sicilia*; nonnulli antiquorum ſcriptorum eos à ſede ſuâ adpellaverunt *Sicanos*; quamquàm priſcorum *Sicanorum* gente in occidentali inſulæ parte etiamtum relictâ. id Virgilius poſteà etiam in Italiâ ita uſurpavit; & Virgilium, ut mea fert opinio, imitati deinde alii. Agellius lib. I cap. X: *Favorinus philoſophus adoleſcenti veterum verborum cupidiſſimo, & pleraſque voces nimis priſcas & ignotiſſimas in quotidianis communibusque ſermonibus expromenti; Curius, inquit, & Fabricius & Coruncanius, antiquiſſimi viri noſtri, & his antiquiores Horatii illi trigemini, planè ac dilucidè cum ſuis fabulati ſunt: neque Auruncorum aut Sicanorum aut Pelaſgorum, qui primi incoluiſſe Italiam dicuntur, ſed ætatis ſuæ verbis loquuti ſunt.* Eadem hæc verba apud Macrobium quoque Saturnalior. lib. I cap. V leguntur. Virgilii hæc ſunt Aeneid. lib. VIII:

Primus ab ætherio venit Saturnus Olympo,
Arma Iovis fugiens, & regnis exſul ademptis.
Is genus indocile ac diſperſum montibus altis
Compoſuit, legesque dedit; Latiumque vocari
Maluit, his quoniam latuiſſet tutus in oris.
Aureaque, ut perhibent, illo ſub rege fuêre
Sæcula. ſic placidâ populos in pace regebat.
Deterior donec paullatim ac decolor ætas,
Et belli rabies, & amor ſucceſſit habendi.
Tum manus Auſoniæ & gentes venêre Sicanæ:
Sæpiùs & nomen poſuit Saturnia tellus.

SICILIA *regio; quæ Latium dicta.*

Atque tum ab incolis *Siculis* regio hæc dicta fuit SICILIA. Solinus dicto cap. VIII: *Tibur, ſicut Cato facit teſtimonium, à Catillo Arcade, præfecto claſſis Euandri, conditum; ſicut Sextius, ab Argivâ juventute. Catillus enim, Amphiarai filius, poſt prodigialem patris apud Thebas interitum, Oeclei avi juſſu, cum omni fœtu ver ſacrum miſſus, treis liberos in Italiâ procreavit, Tiburtum, Coram, Catillum: qui, depulſis ex opido Siciliæ veteribus Sicanis, à nomine Tiburti fratris natu maximi urbem vocarunt.* Stephani epitomator: Σικελία, ἡ χώρα καὶ ἡ νῆσος. Id eſt: *Sicilia, regio atque inſula.* Comprehendiſſe hanc *Siciliam* non tantùm omne *Priſcum Latium*; cuius fineis mox infrà aperiemus; ſed & totum *Sabinum agrum*; ſuprà lib. I cap. I patuit: ubi hoc oraculi Dodonæi reſponſum, quod Pelaſgis Italiam petentibus datum eſt, è Dionyſii dicto lib. I, Macrobii Saturnalior. lib. I cap. VII, & Stephani epitomatore, voce Ἀβοριγῖνες, retulimus:

Στείχετε μαιόμενοι Σικελῶν Σατυρνίαν αἶαν,
Ἠδ' Ἀβοριγινέων Κοτύλην, οὗ νᾶσος ὀχεῖται.

Hoc eſt:

Pergite quærentes Siculûm Saturnia rura
Atque Aboriginiden Cotylem, ubi ſe inſula vectat.

Sed hunc Siculi agri tractum circa *Cutiliam* lacum & Reate opidum jam ante Aboriginum immigrationem occupaverant Vmbrorum quidam; quibus pulſis, proximos inde Siculos adgreſſi ſunt Aborigines. Dionyſius dicto lib. I, poſt enarrata Reatini agri opida, quæ ſuprà lib. II cap. VIIII expoſuimus: τὴν μὲν δὴ πρώτην οἴκησιν Ἀβοριγῖνες ἐν τούτοις λέγονται ποιήσασθαι τοῖς τόποις, ἐξελάσαντες ἐξ αὐτῶν Ὀμβρικούς. ἐντεῦθεν δὲ ὁρμώμενοι, τοῖς τε ἄλλοις βαρβάροις καὶ πάντων μάλιστα Σικελοῖς, ὁμοτέρμοσιν οὖσιν, ὑπὲρ τῆς χώρας ἐπολέμουν. * — * . καὶ πόλεις ἔκτισαν ἄλλας τέ τινας καὶ τὰς μέχρι τοῦδε οἰκουμένας, Ἀντεμνάτας τε καὶ Τελληνεῖς καὶ Φικουλέας καὶ Τιβουρτίνους· παρ' οἷς ἔτι καὶ εἰς τόδε χρόνου μέρος τι τῆς πόλεως ὀνομάζεται Σικελιών. Id eſt: *Has primas ſedeis, pulſis inde Vmbris, habuiſſe dicuntur Aborigines. Inde excurrendo, tùm alios barbaros tùm præcipuè confineis Siculos infeſtabant, bellum cum eis de agrorum poſſeſſionibus gerentes.* Aliquanto pòſt: *Et, præter alia opida* condi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

condiderunt hæc, quæ nunc quoque inhabitantur, Antemnates, Tellenenſes, Ficulenſes, atque Tiburtinos: apud quos hodiéque pars urbis vocatur Sicilio. In medio Latio *Gabios* & *Ariciam* opida ab eiſdem Siculis fuiſſe condita & habitata, ex dicto Solini cap. VIII diſco. *Quis ignorat*, inquit, *condita opida, Gabios à Galatio, & Bio, Siculis fratribus; Ariciam ab Archilocho Siculo.* Apud Virgilium Aeneid. lib. XI Latinus, Aboriginum rex, ita in concilio concionatur:

Eſt antiquus ager, Tuſco, mihi, proximus amni,
Longus in occaſum, fineis ſuper usque Sicanos:
Aurunci Rutulique ſerunt, & vomere duros
Exercent colleis, atque horum aſperrima paſcunt:
Hæc omnis regio & celſi plaga pinea montis
Cedat amicitiæ Teucrorum: & fœderis æquas
Dicamus leges; ſociosque in regna vocemus.
Conſidant; ſi tantus amor; & mœnia condant.

Ad hunc locum ita commentatur Servius: *Hoc loco Donatus erravit: dicens, agrum, quem Latinus donare ſe disponit, eſſe in Campaniâ juxta Vfentem fluvium, (quod etiam Clavarius ait) cuius terras vicinas Thuſci aliquando tenuerunt: unde dictum ſit; Tuſco mihi proximus amni. agit enim hoc argumento; quod illic eſt locus, qui hodiéque Pinetum vocatur. Conſtat, loca illa omnia eſſe campeſtria. nec procedit, quòd dicitur, Celſi plaga pinea montis. Vnde ſequenda eſt potiùs Livii, Siſennæ, & Catonis auctoritas. nam penè omnes antiquæ hiſtoriæ ſcriptores in hoc conſentiunt. Cato enim in Originibus dicit, Troianos à Latino accepiſſe agrum, qui eſt inter Laurentum & caſtra Troiana. Hic etiam modum agri commemorat; & dicit, eum habuiſſe jugera* IↃCC. *Longus in occaſum.*] *Eâ parte, qua in occidentem tenditur, longior. Potuit ergo usque ad Laurentum & ad Oſtiam tendi. Fineis ſuper usque Sicanos.*] *Vsque ad fineis Sicanos loquitur; quos Siculi aliquando tenuerunt; id eſt, usque ad ea loca, in quibus nunc Roma eſt. hanc enim Siculi habitaverunt.* Quòd Cato dixit, agrum Troianis datum inter Laurentum & Troiana caſtra, id minimè congruit hiſtoriæ de rebus Aeneæ. quidpe *Lavinium* opidum, quod Aeneas ab ſe conditum de uxoris Laviniæ, Latini filiæ, nomine adpellavit, non inter Laurentum & Tiberim, ſed ab Laurento in orientem verſùs poſitum fuit; ut infrà in expoſitione huius litoris videbimus. Et quis credat, inter Laurentum Tiberimque *Auruncos* ſimul & *Rutulos* incoluiſſe? item, quomodò longitudinem maximam agri dixerit poëta à Laurento ad Tiberim, id eſt, ex ortu in occaſum; quum longius ſpacium fuerit ab auſtro in ſeptemtriones, id eſt, à mari ad urbem Romam? Et quis ille tandem *pinetorum celſus mons?* An non *Circæus*, prope Vfentem, terminus ab hac parte quondam, non Latini regis regni, ſed multis poſt hunc ſæculis, Romanorum imperii, id eſt, ut illi vocabant, *Priſci Latii*; quod infra oſtendemus? Poëtico igitur more, ut haud ſemel aliàs, heic etiam eas res Aeneæ Latinique temporibus accommodavit, quæ longè poſteriùs exſtiterunt. Cæterùm *Sicanos*, id eſt, *Siculos*, qua regione huius Latii, cuius rex fuit Latinus, collocatos voluerit Virgilius, nondum ſatis perſpicio: niſi, quòd & *Sicanos*, quemadmodùm *Latinos*, *Rutulos*, atque *Auruncos*, Latini ditioni ſubjecerit incluſeritque. ait quidpe *agrum* iſtum *antiquum*, id eſt *antiquum Latium, in occaſum ad Tiberim amnem usque ſuper fineis Sicanos* extenſum fuiſſe. Eiusdem Aeneid. lib. VII ita canit:

Ipſe inter primos præſtanti corpore Turnus
Vertitur.
Inſequitur nimbus peditum, clypeataque totis
Agmina denſantur campis; Argivaque pubes,
Auruncæque manus, Rutuli, veteresque Sicani.

Vbi ita Servius: *Benè veteres: nam ubi nunc Roma eſt, ibi fuerunt Sicani: quos poſteà pepulerunt Aborigines.* At Dionyſius verò Siculorum agrum, antequàm à Pelaſgis Aboriginibusque pellerentur, etiam ultra Tiberim in Etruriam usque protendit, dicto lib. I poſteà. Πολλῶν δὲ καὶ ἄλλων ἐκράτησαν οἱ Πελασγοὶ χωρίων, τοῖς τε Ἀβοριγῖσι τὸν πρὸς τοὺς Σικελοὺς πόλεμον ἔτι συνεστῶτα πολλῇ προθυμίᾳ συνδιέφερον, ἕως ἐξήλασαν αὐτοὺς ἐκ τῆς σφετέρας. καὶ πόλεις πολλὰς, τὰς μὲν οἰκουμένας καὶ πρότερον ὑπὸ τῶν Σικελῶν, τὰς δὲ αὐτοὶ κατασκευάσαντες, ᾤκουν οἱ Πελασγοὶ κοινῇ μετὰ τῶν Ἀβοριγίνων· ὧν ἐστιν ἥ τε Καιρητανῶν πόλις, Ἄγυλλα δὲ τότε καλουμένη, καὶ Πίσα, καὶ Σατορνία, καὶ Ἄλσιον, καὶ ἄλλαι τινὲς, ἃς ἀνὰ χρόνον ὑπὸ Τυρρηνῶν

ἀφῃρέθησαν. Φαλέριον δὲ καὶ Φασκέννιον, ἔτι καὶ εἰς ἐμὲ ἦσαν οἰκούμεναι ὑπὸ Ῥωμαίων, μικρὰ ἄττα διασώζουσαι ζώπυρα τοῦ Πελασγικοῦ γένους, Σικελῶν ὑπάρχουσαι πρότερον. Id eſt: *Alia quoque Pelaſgi loca multa in poteſtatem ſuam redegerunt: & Aboriginibus contra Siculos promptam præſtiterunt operam, donec eos ejecerunt ſuis ſedibus. In his multa opida, partim jam antè ab Siculis habitata, partim ab ſe condita, tenuerunt indiviſa ſociæ gentes Pelaſgi atque Aborigines. ex quibus ſunt Cære, tunc Agylla dictum, Piſa, Saturnia, Alſium, & quædam alia; quæ poſtmodùm à Tyrrhenis occupata ſunt. Falerium verò & Feſcennium, etiam meo tempore à Romanis habitata, parvas quasdam ſcintillas ſervant Pelaſgici generis; quum olim Siculorum fuerint.* De *Falerio* & *Feſcennio*, item de *Alſio* & *Cære*, ut opidis haud ita procul à Tiberi ſitis, facilè crediderim, tenuiſſe ea loca quondam Siculos. at de *Saturniâ*, maximè verò de *Piſâ*, longiùs diſſitis, etiam atque etiam dubitaverim.

ITALIA regio.

Sed *Latium* ab initio habitatum fuiſſe ab *Siculorum* antiquiſſimâ gente, à quorum nomine dictum *Sicilia*, ſatis hactenus oſtenſum. Hoc nominis poſteà à quodam rege eorum *Italo* mutatum fuiſſe in ITALIAE vocabulum; quod tandem in omnem Alpeis inter & fretum Siculum transiit terram, ſuprà lib. I cap. I compluribus vetuſtiſſimorum auctorum demonſtratum eſt documentis: quæ ſingula heic repetere, ſupervacaneum duco. unum Thucydidem citaſſe, ſufficiat. Is initio libri VI, ubi de Siciliâ inſulâ agit, Σικελοὶ δὲ, inquit, ἐξ Ἰταλίας (ἐνταῦθα γὰρ ᾤκουν) διέβησαν ἐς Σικελίαν, φεύγοντες Ὀπικούς. εἰσὶ δὲ καὶ νῦν ἔτι ἐν τῇ Ἰταλίᾳ Σικελοί· καὶ ἡ χώρα ἀπὸ Ἰταλοῦ, βασιλέως τινὸς Σικελῶν, οὕτως Ἰταλία ἐπωνομάσθη. Hoc eſt: *Siculi autem ex Italiâ, (ibi namque habitavère) fugientes Opicos, in Siciliam trajecerunt. Sunt verò etiam nunc in Italiâ Siculi: & regio à rege quodam Siculorum Italo ſic Italia dicta eſt.* Non ex Latio ſive antiquiſſimâ illâ Siciliâ expulerunt Siculos Opici; ſed ex inferiore Italiæ apud fretum Siculum parte: quò, ejecti ex Latio ab Aboriginibus, confugerant. Quo autem Italiæ tractu Thucydidis tempeſtate *Siculorum* iſti nonnulli exſtiterint, hactenus apud neminem aliorum auctorum diſpicio. nemo quidpe Siculos in Italiâ memorat, poſtquàm in inſulam trajecerunt: niſi poëta Virgilius: qui, ut antiquiſſima haud ſemel alibi etiam cum recentioribus permiſcet, ſic heic quoque *Sicanos* Aeneæ tempore in Italiâ ſimulque *Siculos* in inſulâ *Sicaniâ*, id eſt, Siciliâ, ponit.

ABORIGINES unde dicti.

De ABORIGINIBVS igitur, qui in Siculorum agros ſucceſſerunt, nunc deinceps dicendum. Nomen eorum unde originem ceperit, oſtendere voluit Feſtus Pompeius his verbis: *Aborigines adpellati ſunt, quòd errantes convenerint in agrum, qui nunc eſt populi Romani. fuit enim gens antiquiſſima Italiæ.* Eamdem ſimulque duas alias adfert huius vocabuli originationes Dionyſius dicto lib. I. τοὺς δ' Ἀβοριγῖνας, inquit, ἀφ' ὧν ἄρχεται Ῥωμαίων τὸ γένος, οἱ μὲν αὐτόχθονας Ἰταλίας, γένος αὐτὸ καθ' ἑαυτὸ γενόμενον ἀποφαίνουσι, καὶ τὴν ὀνομασίαν αὐτοῖς τὴν πρώτην φασὶ τεθῆναι, διὰ τὸ γενέσεως τοῖς μεθ' αὐτοὺς ἄρξαι. ἕτεροι δὲ λέγουσιν ἀνεστίους τινὰς καὶ πλάνητας, ἐκ πολλῶν συνελθόντας χωρίων, κατὰ δαίμονα περιτυχεῖν ἀλλήλοις αὐτόθι, καὶ τὴν οἴκησιν ἐπὶ τοῖς ἐρύμασι καταστήσασθαι, ζῶντας ἀπὸ λῃστείας καὶ νομῆς. παραλλάττουσι δὲ καὶ τὴν ὀνομασίαν αὐτῶν, ἐπὶ τὸ τῆς τύχης οἰκειότερον, Ἀβερριγῖνας λέγοντες, ὥστε δηλοῦσθαι τοὺς πλάνητας. Id eſt: *Aborigines, auctores conditoresque Romani generis, Italiæ indigenas alii ſui corporis gentem adſerunt: nomenque iis inde impoſitum eſſe, quòd poſteris ſuis originis ab ſe fuerint auctores. alii malunt, errones quosdam, incertis vaganteis ſedibus, & è multis regionibus convenas, fortè fortunà in iis locis junxiſſe inter ſe copias: munitisque ſibi firmis ſedibus, latrocinio ac re pecuariâ vitam transegiſſe. hi torquent vocabulum ad condicionem eorum hominum, quaſi ab erroribus vocantes Aberrigines.* Primam iſtam ἐτυμολογίαν Virgilius quoque innuere voluit Aeneid. lib. VII, in his verſibus:

Quin etiam veterum effigies ex ordine avorum,
Antiquâ ex cedro, Italusque paterque Sabinus,
Saturnusque ſenex, Ianique bifrontis imago,
Veſtibulo adſtabant, aliique ab origine reges.

Ad quæ verba ita Servius, *Ab origine reges. pro, Aboriginum reges. ſed eſt metro prohibitus.* Tertiam originationem tradit Dionyſius aliquanto pòſt, his verbis: κληθῆναι δὲ οἴομαι Ἀβοριγῖνας ἀπὸ τῆς ἐν τοῖς ὄρεσιν οἰκήσεως. id eſt: *Adpellatos autem puto Aborigines, quia in montibus ſedeis ſuas habebant.* Scilicet, quia ὄρος Græcis eſt, quod Latinis *mons*. Idem innuit & anteà, verbis ſuprà citatis; quæ fuêre huiusmodi: Ἀβοριγῖνες· οἱ τὸ μὲν πρότερον ἐπὶ τοῖς ὄρεσιν ᾤκουν ἄνευ τειχῶν, κωμηδὸν καὶ σποράδες. Id eſt:

Abori-

Aborigines; qui primùm in montibus paſſim ſine mœnibus vicatim habitaverunt. Hanc ἐτυμολογίαν Virgilius etiam innuit Aeneid. lib. VIII: ubi Euandrum fingit ita Aeneæ narrantem:

Hæc nemora indigenæ Fauni Nymphæque tenebant;
Gens virûm truncis, & duro robore nata:
Queis neque mos neque cultus erat: nec jungere tauros
Aut componere opes nôrant, aut parcere parto:
Sed rami atque aſper victu venatus alebat.
Primus ab ætherio venit Saturnus Olympo;
Arma Iovis fugiens, & regnis exſul ademptis.
Is genus indocile, ac diſperſum montibus altis,
Compoſuit; legesque dedit: Latiumque vocari
Maluit; his quoniam latuiſſet tutus in oris.

Sextus quoque Aurelius Victor in libro de Origine gentis Romanæ eamdem vocabuli originem commemorat; ſed altiùs deductam. *Quidam*, inquit, *tradunt, terris diluvio coopertis, paſſim multos diverſarum regionum in montibus, ad quos confugerant, conſtitiſſe. ex quibus quosdam, ſedem quærenteis, pervectos in Italiam Aborigines adpellatos; Græcâ ſcilicet adpellatione, à cacuminibus montium, qui illi oræ faciunt.* [lege, *quæ illi* ὄρη *faciunt.*] *Alii volunt, eos, quòd errantes illò venerint, primò Aberrigines; pòſt, mutatâ unâ literâ, alterâ demptâ, Aborigines cognominatos.* Primum illud de diluvio per ſe falſum. nam neminem diluvio ſuperfuiſſe, præter Noachum cum uxore ac tribus filiis, harumque uxoribus, ſacrata nos docent monumenta. Sed ipſe mox eam revocat ſententiam Aurelius; dum *pervectos in Italiam Aborigines adpellatos* ait *à cacuminibus montium, quæ Græci* ὄρη dicunt. Ab Italiæ autem montibus quomodò nomen ſibi peculiare imponere gens hæc una potuit, quum complures aliæ in eâdem terrâ, adeóque pleræque, incoluerint monteis? Tum, quænam ἐτυμολογία particulæ ſeu ſyllabæ primæ Ἀβ ex Græcâ lingvâ dari poterit? *Aberrigines* verò ſi primùm adpellatos velis; non jam ab *errando*, quia incertis ſedibus vagi hinc inde erraverint; ſed ab *aberrando*, quaſi ab inſtitutâ viâ aberraverint, vocabulum hoc eis fuerit quæſitum. alioquin certè particula *ab* fuerit perquàm inepta, & nullâ ſanâ ratione addita. Iam verò illa originatio nominis quàm abſurda quámque ridicula eſt, ubi Dionyſius ait, Καὶ τὴν ὀνομασίαν αὐτοῖς τὴν πρώτην φασὶ τεθῆναι, διὰ τὸ γενέσεως τοῖς μετ' αὐτοὺς ἄρξαι. id eſt: *nomenque iis inde impoſitum, quòd poſteris ſuis originis ab ſe fuerint auctores.* O delira vanorum grammaticorum cerebra? Ergo igitur primi illi gentis auctores conditoresque ſine proprio aliquo nomine fuêre, antequàm poſteri eorum ideò *Aboriginum* vocabulum iis dederint, quòd hi originem ab illis duxerint? At quàm certos ſibi deſignarunt maiores; quando eâ adpellatione omnes aliæ, quotquot toto Orbe fuerunt, gentes indicari potuerunt? Verùm vocabuli huius veram originem Romanis planè abſconditam ignotamque fuiſſe, ſatis ex eo adparet, quòd multi in eâ enodandâ variè, prout cuique ingenium ſuppetebat, laborarunt. proinde nos etiam, ut prorſus incertam, transmittamus.

De ipſius gentis origine jam anteà ex Dionyſii intelleximus, fuiſſe quosdam auctores, qui αὐτόχθονας, id eſt, Italiæ *indigenas*, eos exiſtimaverint, quorum origo ex ipſâ terrâ Italiâ exſtiterit. unde etiam Feſtus *gentem* eos *Italiæ antiquiſſimam* adpellavit. Antiquiſſimi equidem mortales eas haud dubiè genteis vocarunt αὐτόχθονας ſive *indigenas*, quæ primam corporis ſui conſtitutionem à ſtructurâ Bobylonicæ urbis & gentium inde diviſione habuerunt. Id verò poſteris ita intellectum, quaſi ex ipſis, quos quæque à Babylone profectæ obſederant, terris primi eorum auctores conditoresque progeniti forent: ſcilicet, quia longinquâ traditione acceperant, primum omnium mortalium è terrâ à Deo fuiſſe conditum; ut Germaniæ lib. I cap. VIIII oſtendi. Eâdem igitur ratione *Aborigines* quoque quibusdam rerum ſcriptoribus, ob ſummam antiquitatem, *indigenæ* Italiæ viſi ſunt. Verùm ab hac ſententiâ quàm longiſſimè abiviſſe video graviſſimos Romanorum ſcriptores Catonem, Sempronium, & alios: de quibus ita narrat Dionyſius dicto lib. I poſteà: Οἱ δὲ λογιώτατοι τῶν Ῥωμαίων συγγραφέων, ἐν οἷς ἐστι Πόρκιός τε Κάτων, ὁ τὰς γενεαλογίας τῶν ἐν Ἰταλίᾳ πόλεων ἐπιμελέστατα συναγαγών, καὶ Γάϊος Σεμπρώνιος, καὶ ἄλ- ABORIGINVM *origo.*

λοι συχνοὶ, Ἕλληνας αὐτοὺς εἶναι λέγουσι, τῶν ἐν Ἀχαΐᾳ ποτὲ οἰκησάντων, πολλαῖς γενεαῖς πρότερον τοῦ πολέμου τοῦ Τρωϊκοῦ μεταναστάντος. οὐκέτι μέντοι διορίζουσιν οὔτε φῦλον Ἑλληνικὸν, οὗ μετεῖχον, οὔτε πόλιν, ἐξ ἧς ἀπανέστησαν, οὔτε χρόνον, οὔθ' ἡγεμόνα τῆς ἀποικίας, οὔθ' ὁποίαις τύχαις χρησάμενοι τὴν μητρόπολιν ἀπέλιπον. Ἑλληνικῷ μύθῳ χρησάμενοι, οὐδένα τῶν τὰ Ἑλληνικὰ γραψάντων βεβαιωτὴν παρέχοντο. Τὸ μὲν οὖν ἀληθὲς ὅπως ποτ' ἔχει, ἄδηλον. εἰ δ' ἐστὶν ὁ τούτων λόγος ὑγιὴς, οὐκ ἂν ἑτέρου τινὸς εἴησαν ἄποικοι γένους, ἢ τοῦ καλουμένου νῦν Ἀρκαδικοῦ. πρῶτοι γὰρ Ἑλλήνων οὗτοι, περαιωθέντες τὸν Ἰόνιον κόλπον, ᾤκησαν Ἰταλίαν, ἄγοντος αὐτοὺς Οἰνώτρου, τοῦ Λυκάονος, ἑπτακαίδεκα γενεαῖς πρότερον τῶν ἐπὶ Τροίαν στρατευσάντων. Hoc eſt: *At ſcriptorum Romanorum doctiſſimi, in quibus eſt Porcius Cato, qui curatiſſimè ſcripſit de originibus Italicarum urbium, Caiusque Sempronius, & complures alii; Græcos eos eſſe adſeverant; profectos ex Achaiâ, multis ante bellum Troianum ætatibus. nec tamen tradunt, ex qua regione Græciæ, quave urbe migraverint: ac ne tempus quidem, aut ducem coloniæ, aut quo caſu patrias ſedeis reliquerint, oſtendunt. antiquumque ſequuti ſermonem Græcanicum; nullius Græci ſcriptoris eum confirmant teſtimonio. Itaque, rei veritas quomodò ſeſe habeat, incertum eſt. At ſi eorum ſana eſt narratio; non poſſunt alterius fuiſſe generis coloni, quàm Arcadici. namque hi primi Græcorum, trajecto ſinu Ionio, domicilium in Italiâ ſtatuerunt; deducti ab Oenotro, Lycaonis filio,* XVII *ætatibus priùs, quàm ad Troiam bellatum eſt.* Id eſt, annis CCCCLVIIII. ætatem quidpe Dionyſius facit annorum XXVII. nam eodem lib. I tradit ætate XVI à Troiano bello conditam fuiſſe Romam: deinde verò, eodem libro infrà, factum id adfirmat anno à Troiano bello CCCCXXXII: idemque repetit poſteà, initio ſtatim libri II. libro autem primo ait, poſt Herculis ex Italiâ diſceſſum δευτέρᾳ γενεᾷ, ἔτει δὲ πέμπτῳ καὶ πεντηκοστῷ, id eſt, *ætate ſecundâ, anno verò quinquageſimo quinto*, Aboriginum regem fuiſſe Latinum. De cætero, poſt ſuprà ſcripta pergit ex variis iiſque antiquiſſimis Græcorum ſcriptoribus migrationem *Oenotri* in Italiam demonſtrare: quam Pauſanias quoque initio Arcadicorum adnotavit his verbis: Ἀρκάδων δὲ τὰ πρὸς τῆς Ἀργείας Τεγεᾶταί τε ἔχουσι καὶ Μαντινεῖς. νέμονται δὲ οὗτοί τε καὶ τὸ ἄλλο Ἀρκαδικὸν τὸ μεσόγαιον τῆς Πελοποννήσου. * — *. Φασὶ δὲ Ἀρκάδες, ὡς Πελασγὸς γένοιτο ἐν τῇ γῇ ταύτῃ πρῶτος. εἰκὸς δὲ ἔχει τοῦ λόγου καὶ ἄλλους ὁμοῦ τῷ Πελασγῷ, μηδὲ αὐτὸν Πελασγὸν γενέσθαι μόνον. τίνων γὰρ καὶ ἦρχεν ὁ Πελασγὸς ἀνθρώπων; Μεγέθει μέντοι καὶ κατὰ ἀλκὴν καὶ κάλλος προεῖχεν ὁ Πελασγὸς, καὶ γνώμην ὑπὲρ τοὺς ἄλλους ἦν. καὶ τούτων ἕνεκα αἱρεθῆναί μοι δοκεῖ βασιλεύειν ὑπ' αὐτῶν. πεποίηται δὲ καὶ Ἀσίῳ τοιάδε ἐς αὐτόν.

Ἀντίθεον δὲ Πελασγὸν ἐν ὑψικόμοισιν ὄρεσι
Γαῖα μέλαιν' ἀνέδωκεν, ἵνα θνητῶν γένος εἴη.

Πελασγὸς δὲ βασιλεύσας, τοῦτο μὲν ποιήσασθαι καλύβας ἐπενόησεν, ὡς μὴ ῥιγοῦν τε καὶ ὕεσθαι τοὺς ἀνθρώπους, μηδὲ ὑπὸ τοῦ καύματος ταλαιπωρεῖν, τοῦτο δὲ τοὺς χιτῶνας τοὺς ἐκ τῶν δερμάτων τῶν ὑῶν, οἷς καὶ νῦν περὶ Εὔβοιαν ἔτι χρῶνται καὶ ἐν τῇ Φωκίδι ὁπόσοι βίου σπανίζουσιν, οὗτός ἐστιν ὁ ἐξευρών. * . * . Πελασγοῦ δὲ βασιλεύοντος γενέσθαι καὶ τῇ χώρᾳ Πελασγίαν φασὶ ὄνομα. Λυκάων δὲ ὁ Πελασγοῦ, τοσάδε εὗρεν ἢ ὁ πατήρ οἱ σοφώτερα. * — *. Νύκτιμος μὲν πρεσβύτατός τε ἦν καὶ εἶχε τὸ πᾶν κράτος· οἱ δὲ ἄλλοι παῖδες τοῦ Λυκάονος πόλεις ἐνταῦθα ἔκτιζον, ἔνθα ἑκάστῳ ἦν μάλιστα κατὰ γνώμην. Πάλλας μὲν Παλλάντιον. * . * . Οἴνωτρος δὲ ὁ τῶν παίδων νεώτατος Λυκάονι τῶν ἀρσένων, Νύκτιμον τὸν ἀδελφὸν χρήματα καὶ ἄνδρας αἰτήσας, ἐπεραιώθη ναυσὶν ἐς Ἰταλίαν· καὶ ἡ Οἰνωτρία χώρα τὸ ὄνομα ἔσχεν ἀπὸ Οἰνώτρου βασιλεύοντος. Οὗτος ἐκ τῆς Ἑλλάδος ἐς ἀποικίαν στόλος πρῶτος ἐστάλη. * . Ἐπὶ δὲ τῷ γένει παντὶ τῷ ἄρσενι θυγάτηρ Λυκάονι ἐγένετο Καλιστώ. ταύτῃ τῇ Καλιστοῖ συνεγένετο ἐρασθεὶς Ζεύς. * . * . Μετὰ δὲ Νύκτιμον ἀποθανόντα Ἀρκὰς ἐξεδέξατο ὁ Καλιστοῦς τὴν ἀρχήν. ἀπὸ τούτου δὲ βασιλεύσαντος Ἀρκαδία τε ἀντὶ Πελασγίας ἡ χώρα, καὶ ἀντὶ Πελασγῶν Ἀρκάδες ἐκλήθησαν οἱ ἄνθρωποι. Id eſt: *Arcadiæ partem eam, quæ fineis Argivorum contingit, Tegeates & Mantinenſes tenent. Incolunt autem cùm hi populi tùm omne Arcadicum nomen mediterranea Peloponneſi. Primum autem in hac terrâ exſtitiſſe Pelaſgum, memorant Arcades. At conſentaneum certè eſt, non ſolum illum, ſed alios etiam unà cum eo fuiſſe. quidpe quibus ille omnino imperaſſet hominibus? Crediderim ego, Pelaſgum magnitudine, robore, ac formâ, animique dotibus cæteros ſuperaſſe: eamque ob rem ei à ſuis regnum decretum: cuiusmodi ei teſtimonium etiam Aſius dedit verſibus ſuis:*

Montibus alticomis peperit nigra terra Pelaſgum,
Dîs ſimilem; & generi tribuit nova regna futuro.

Pelaſgus igitur quum regnare cœpiſſet; primùm quidem rudeis homines docuit tuguria, ad frigoris imbriumque & æſtus incommoda arcenda, ædificare. idemque tunicas facere inſtituit è ſuis pellibus: qualibus etiam nunc in Eubœâ ac Phocide tenuiores homines utuntur. Mox: *Ab hoc rege totam regionem eam Pelaſgiam adpellatam ferunt. Eius filius Lycaon nonnulla etiam ſapientiùs, quàm pater, excogitavit.* Et aliquanto pòſt: *Nam quum Nyctimus, Lycaonis liberorum natu maximus, paternum imperium adiſſet; reliqui ſibi, diverſis, arbitrio quisque ſuo, agri partibus occupatis, opida communière: Pallantium Pallas.* Deinde: *At natu minimus Oenotrus, pecuniâ & viris à fratre Nyctimo acceptis, claſſe in Italiam transmiſit. à quo fuit ea, in qua conſedit, terra de regis nomine Oenotria nuncupata. Atque hæc omnium prima è Græciâ colonia deducta fuit.* Mox: *In omni autem liberorum virilis ſexus numero filia Lycaoni fuit Caliſto: quam Iupiter, amore captus, compreſſit.* Paullo pòſt: *Mortuo Nyctimo, Arcas, Caliſtûs filius, regnum ſuscepit. Ab hoc rege & ipſa, quæ antè Pelaſgia dicebatur, Arcadia terra, & gens, Pelaſgi qui fuerant, Arcades nominati ſunt.* In Iuſtiniani etiam Conſtantionibus ita ſcriptum eſt: Περὶ τοῦ πραίτωρος Λυκαονίας, διάταξις κε΄. Τὸ Λυκαόνων ἔθνος μείζονι τῆς νῦν οὔσης ἀρχῆς κατακοσμῆσαι δίκαιον ᾠήθημεν, ἀποβλέποντες εἰς τὰς πρώτας ἀρχὰς, ὅθεν αὐτὸ συστῆναι παρέδοσαν ἡμῖν οἱ τὰ παλαιὰ συγγράφοντές τε καὶ διηγούμενοι· καὶ ὅτι συγγενέστατόν ἐστι Ῥωμαίοις, καὶ σχεδὸν ἐκ τῶν αὐτῶν συνῳκισμένον προφάσεων. Λυκάονι γὰρ τῷ πρώην Ἀρκαδίας τῆς ἐν Ἑλλάδι βεβασιλευκότι, καὶ τὴν Ῥωμαίων οἴκησιν γέγονε γῆν τε τὴν πρώην Οἰνώτρους προσλαβόντι, τῇ Ῥωμαίων ἀρχῇ δοῦναι προοίμιον (φαμὲν δὲ ταῦτα δὴ τὰ παλαιὰ, τὰ πολλῷ τῶν Αἰνείου τε καὶ Ῥωμύλου χρόνων πρεσβύτερα) καὶ ἀποικίαν ἐπὶ τὰ τῇδε στείλαντι μέρη, μοῖράν τινα τῆς Πισιδίας ἀφελέσθαι, ταύτῃ τε δοῦναι τὴν αὐτοῦ προσηγορίαν, Λυκαονίαν τε ἐξ αὐτοῦ καλέσαι τὴν χώραν. Id eſt: *De prætore Lycaoniæ, conſtitutio* XXV. *Quum ad prima illa principia, ex quibus Lycaonum gentem antiquarum rerum ſcriptores & enarratores conſtitiſſe tradiderunt, reſpicimus; & quòd maximam cum Romanis adfinitatem habeat, quódque ex eâdem fermè occaſione in unum coacta ſit; maiòre, quàm hactenus, magiſtratu eam exornare juſtum putavimus. ſiquidem uſu venit, ut olim Lycaon, qui Arcadiæ in Hellade rex fuit, & Romanum ſolum incoleret, & adſumptis quondam Oenotris, Romano imperio daret veluti principium; (dicimus autem vetera illa, quæ longo antè tempore Æneæ & Romuli ætates præceſſerunt) & deductâ in haſce parteis coloniâ, Piſidiæ bonam partem adimeret; eique deinde ſuum nomen inderet; & regionem ex ſe Lycaoniam aapellaret.* Dionyſius dicto lib. I duos Lycaonis filios in Italiam colonias deduxiſſe tradit, *Oenotrum* atque *Peucetium*: hunc Apuliæ parteis apud ſinum Hadriaticum, illum proxima Siculo freto, (quæ poſteà Lucani atque Brutii tenuêre,) expulſis inde antiquiſſimis Italiæ incolis *Auſonibus*, occupaſſe: unde in ſuperiora Italiæ ſuggreſſi, Siculos tandem ſedibus ſuis ejecerunt: ut ſuprà lib. I cap. I oſtenſum. Pergit itaque Dionyſius dicto lib. I in hæc verba: Τὰ μὲν οὖν ὑπὸ τῶν παλαιῶν εἰρημένα ποιητῶν τε καὶ μυθογράφων περί τε οἰκήσεως καὶ γένους τῶν Οἰνώτρων τοιαῦτά ἐστιν· οἷς ἐγὼ πειθόμενος, εἰ τῷ ὄντι Ἑλληνικὸν φῦλον ἦν τὸ τῶν Ἀβοριγίνων, ὡς Κάτωνι καὶ Σεμπρωνίῳ καὶ πολλοῖς ἄλλοις εἴρηται, τούτων ἔγγονον αὐτὸ τῶν Οἰνώτρων πείθομαι. τὸ γὰρ δὴ Πελασγικὸν καὶ τὸ Κρητικὸν, καὶ ὅσα ἄλλα ἐν Ἰταλίᾳ ᾤκησαν, ὑστέροις εὑρίσκω χρόνοις ἀφικόμενα. παλαιότερον δὲ τούτου στόλον ἀπαναστάντα τῆς Ἑλλάδος εἰς τὰ προσεσπέρια τῆς Εὐρώπης οὐδένα δύναμαι καταμαθεῖν. Τοὺς δὲ Οἰνώτρους τῆς τ᾽ ἄλλης Ἰταλίας πολλὰ χωρία οἴομαι κατασχεῖν, τὰ μὲν ἔρημα, τὰ δὲ φαύλως οἰκούμενα καταλαβόντας, καὶ δὴ καὶ τῆς Ὀμβρικῶν γῆς ἔστιν ἣν ἀποτεμέσθαι. κληθῆναι δὲ Ἀβοριγῖνας ἀπὸ τῆς ἐν ὄρεσιν οἰκήσεως· Ἀρκαδικὸν γὰρ τὸ φιλοχωρεῖν ὄρεσιν· ὡς Ὑπερακρίους τινὰς καὶ Παραλίους Ἀθήνησιν. Τῶν δὲ πόλεων, ἐν αἷς τὸ πρῶτον ᾤκησαν Ἀβοριγῖνες, ὀλίγαι περιῆσαν ἔτ᾽ ἐμοῦ. αἱ δὲ πλεῖσται, ὑπό τε πολέμων καὶ ἄλλων κακῶν οἰκοφθόρων βαρηθεῖσαι, ἔρημοι ἀφεῖνται· ἦσαν δ᾽ ἐν τῇ Ῥεατίνῃ γῇ, τῶν Ἀπεννίνων ὀρῶν οὐ μακρὰν, ὡς Βάῤῥων Τερέντιος ἐν Ἀρχαιολογίαις γράφει, ἀπὸ τῆς Ῥωμαίων πόλεως αἱ τὸ βραχύτατον ἀπέχουσαι ἡμερήσιον διάστημα ὁδοῦ. Hoc eſt: *Atque hæc ſunt ab antiquis poëcis ac priſcorum ſermonum ſcriptoribus de ſede ac genere Oenotrorum prodita. quos ego ſequutus, ſi, ut Cato ac Sempronius multique alii prodiderunt, Aboriginum gens re verâ fuit Græcanica, credo, eam Oenotrorum iſtorum fuiſſe progeniem. namque Pelaſgos atque Cretenſeis, & quotquot alii in Italiam deducti ſunt, poſterioribus eò veniſſe temporibus, reperio. antiquiorem autem hac migrationem è Græciâ in parteis occiduas Europæ invenire nequeo. Cæterùm Oenotros, præter alios Italici agros, quos illi vel deſertos vel malignè cultos occuparunt, reor etiam Vmbris partem aliquam ademiſſe. dictos verò Aborigines à montanis*

tanis ſedibus. quidpe Arcadicum eſt delectari habitatione in montibus. qua ratione etiam Athenienſium quidam Hyperacrii vocati ſunt, & Paralii. Opida autem, quæ primùm incoluerunt Aborigines, pauca ætate meâ ſupererant. plurima bellis aliiſque calamitatibus exitioſis deſolata ſunt. Erant autem in Reatino agro, haud procul Apenninis montibus, ut auctor eſt Varro Terentius in Antiquitatibus. aberantque à Româ, quæ minimum, iter unius diei. Ea hinc omnia recenſet. quorum pleraque nos ſuprà lib. II cap. VIIII in Sabinorum deſcriptione indicavimus. Pergit inde Dionyſius in hæc verba: Τὴν μὲν δὴ πρώτην οἴκησιν Ἀβοριγῖνες ἐν τούτοις λέγονται ποιήσασθαι τοῖς τόποις, ἐξελάσαντες ἐξ αὐτῶν Ὀμβρικούς. Ἐντεῦθεν δὲ ὁρμώμενοι, τοῖς τε ἄλλοις βαρβάροις καὶ πάντων μάλιστα Σικελοῖς, ὁμοτέρμοσιν οὖσιν, ὑπὲρ τῆς χώρας ἐπολέμουν· τὸ μὲν πρῶτον ἱερά τις ἐξελθοῦσα νεότης, ἄνδρες ὀλίγοι, κατὰ βίου ζήτησιν ὑπὸ τῶν γειναμένων ἀποσταλέντες· οἱ δὲ τοῦ Σικελοὺς ἄγοντές τε καὶ φέροντες διετέλουν, ἐπειδὴ τὴν ἑαυτῶν ἐξέλιπον. Ὡς δὲ ἅπαξ οὗτοι χωρίων τινῶν τῆς πολεμίας ἐκράτησαν, ἐκ τοῦ ἀσφαλεστέρου ἤδη καὶ οἱ λοιποὶ Ἀβοριγῖνες, οἱ δεόμενοι γῆς, τῆς κατὰ σφᾶς ἕκαστοι ἐπεχείρουν τοῖς ὁμόροις. καὶ πόλεις ἔκτισαν ἄλλας τέ τινας καὶ τὰς μέχρι τοῦδε οἰκουμένας, Ἀντεμνάτας τε καὶ Τελληνεῖς καὶ Φικολένσιους καὶ Τιβουρτίνους· παρ᾽ οἷς ἔστι καὶ εἰς τόδε χρόνου μέρος τι τῆς πόλεως ὀνομάζεται Σικελιών. καὶ ἦσαν ἁπάντων μάλιστα τῶν προσοικούντων λυπηροὶ τοῖς Σικελοῖς. Ἀνίσταται δὲ ἐκ τούτων τῶν διαφορῶν τοῖς ἔθνεσιν ὅλοις πόλεμος, ὅσος οὐδεὶς τῶν πρότερον γενομένων ἐν Ἰταλίᾳ, καὶ προῆλθεν ἄχρι πόρρω, χρόνῳ μηκυνόμενος. Ἔπειτα Πελασγῶν τινες, τῶν οἰκούντων ἐν τῇ καλουμένῃ Θετταλίᾳ, τὴν ἑαυτῶν ἀναγκασθέντες ἐκλιπεῖν, σύνοικοι γίνονται τοῖς Ἀβοριγῖσι, καὶ κοινῇ μετ᾽ ἐκείνων ἐπολέμουν πρὸς τοὺς Σικελούς. Id eſt: *Has igitur primas ſedeis, pulſis inde Vmbris, habitaſſe dicuntur Aborigines. Inde excurrendo, tùm alios barbaros, tùm maximè confineis Siculos infeſtabant; bellum cum eis gerentes ſuper agrorum poſſeſſione. Primùm finibus egreſſa eſt ſacra quædam juventus, exigua numero, ad quærendum victum à ſuis emiſſa parentibus. Hi Siculorum res agere atque ferre haud deſierunt, ex quo patriam reliquerunt. Vt verò hi ſemel partem aliquam agrorum ex hoſtico adepti ſunt; tutiùs jam & reliqui Aborigines, agrorum inopes, adgrediebantur ſuos quiſque contermines: &, præter alias civitates, condiderunt has, quæ nunc quoque incoluntur, Antemnates, Tellenenſeis; Ficuleos, ac Tiburtinos: apud quos hodiè quoque pars opidi vocatur Sicilio. nec ullam aliam finitimarum gentium magis infeſtabant, quàm Siculos. His tandem controverſiis integræ gentes ad arma conſurgunt. bellumque inde exortum, quale ad eam diem aliud nullum in terrâ Italiâ, longo tempore trahitur. Poſthinc Pelaſgorum quidam, Theſſaliam patriam linquere coacti, recipiuntur ab Aboriginibus: communibuſque opibus bellum geritur contra Siculos.* Incoluerunt igitur primùm *Aborigines* eam Siculorum agri partem, quàm poſteà *Sabini* inter Apenninum montem, Narem, Tiberim, Anienemque amneis tenuêre. Eam mox ab initio dictam fuiſſe Aboriginibus

SATVRNIA *regio.*

SATVRNIAM *terram*, patet ex ſuprà ſcriptis oraculi verſibus: ubi Pelaſgi jubentur *Saturniam terram & Cotylen Aboriginum* urbem ac lacum cum *fluctuante inſulâ*, *quærere*, Verba oraculi hæc ſunt:

> Στείχετε μαιόμενοι Σικελῶν Σατουρνίαν αἶαν,
> Ἠδ᾽ Ἀβοριγινέων Κοτύλην, οὗ νᾶσος ὀχεῖται.
> *Pergite quærentes Siculûm Saturnia rura*
> *Atque Aboriginiden Cotylem, ubi ſe inſula vectat.*

Σικελῶν dixit Σατουρνίαν αἶαν, id eſt, *Siculorum Saturniam terram*; non, quòd ab Siculis jam inde ante Aboriginum adventum ita adpellata fuerit: ſed, quia Siculi eam ante Aborigines tenuerint. quidpe non Siculorum, ſed Aboriginum, qui poſteà Latini dicti ſunt atque Romani, fuiſſe deum *Saturnum*, pluribus documentis auctorumque teſtimoniis claret. Trogi epitomator Iuſtinus lib. XLIII: *Italiæ cultores primi Aborigines fuêre. quorum rex Saturnus tantæ juſtitiæ fuiſſe traditur, ut neque ſervierit ſub illo quiſquam; neque quidquam privatæ rei habuerit; ſed omnia communia & indiviſa omnibus fuerint: veluti unum cunctis patrimonium eſſet. ob cuius exempli memoriam cautum eſt, ut Saturnalibus, exæquato omnium jure, paſſim in conviviis ſervi cum dominis recumbant. itaque Italia à regis nomine Saturnia adpellata eſt; & mons, in quo habitabat, Saturnius: in quo nunc, veluti à Iove pulſo ſedibus ſuis Saturno, Capitolium eſt. poſt hunc tertio loco regnaſſe Faunum ferunt. ex filiâ Fauni & Hercule, qui eodem tempore, exſtincto Geryone, armenta, victoriæ præmia, per Italiam ducebat, ſtupro conceptus Latinus procreatur. quo tenente regnum, Aeneas ab Ilio, Troiâ à Græcis expugnatâ, in Italiam venit.* Euſebius Chronicor. lib. I: Πρῶτόν φασι Πῖκον, υἱὸν Κρόνου, βασιλεῦ-

σαι

σαι χώρας Λαυρέντου λζ΄ ἔτη· εἶναι δὲ τὴν χώραν ἕως τῆς νῦν Ῥώμης πόλεως. μεθ᾽ ὃν Φαῦνον, τὸν υἱὸν τοῦ Πείκου, ἔτη μδ΄. ἔπειτα Λατῖνον. Id eſt: *Primum ferunt Picum, Saturni filium, regnaſſe annis* XXXVII *in Laurenti agro; qui ad urbem usque, quæ nunc Roma dicitur, extendebatur. poſt hunc verò Faunum annis* XLIIII. *poſt eum fuiſſe Latinum.* Virgilius Aeneid. lib. VII

——— Rex arva Latinus & urbeis
Iam ſenior longâ placidas in pace regebat.
Hunc Fauno & nymphâ genitum Laurente Maricâ,
Accipimus. Fauno Picus pater. isque parentem
Te, Saturne, refert: tu ſanguinis ultimus auctor.

Herodianus lib. I: Νέου μὲν ἔτους σέβουσι τὴν ἑορτὴν Ῥωμαῖοι, εἰς θεὸν ἀρχαιότατον τῆς Ἰταλίας ἐπιχώριον ἀναφέροντες. Φασὶ γὰρ, αὐτοῦ καὶ Κρόνον, ὑπὸ Διὸς ἐκβληθέντα τῆς ἀρχῆς, κατελθόντα εἰς γῆν, γενέσθαι ξένον. δεδιότα δὲ τὴν τοῦ παιδὸς δυναστείαν, παρ᾽ αὐτῷ κρυπτόμενον λαθεῖν. ὅθεν καὶ τὸ ὄνομα δοθῆναι τῷ χώρῳ τῆς Ἰταλίας· Λάτιόν τι κληθῆναι, ἀπὸ τῆς Ἑλλάδος φωνῆς εἰς τὴν ἐπιχώριον παραχθέν. Id eſt: *Anno ineunte diem Romani feſtum agunt, ad vetuſtiſſimum Italiæ deum referentes: cuius etiam Saturnum ipſum, quum, ab Iove filio regno pulſus, in terram deſcendiſſet, fuiſſe hoſpitem prædicant: veritumque filii dominatum, absconditum apud eum latuiſſe. unde & nomen illi Italiæ loco impoſitum volunt; & Latium adpellatum fuiſſe, vocabulo è Græco ſermone in patrium translato.* Intelligere Herodianum *Ianum antiquiſſimum deum*, eo clarè indicat, quòd διπρόσωπον cognominat continuò poſt, id eſt, *bifrontem*. Sed eamdem hiſtoriam narrat & Macrobius Saturnalior. lib. I. cap. VII. *Regionem*, inquit, *iſtam, quæ nunc vocatur Italia, regno Ianus obtinuit. Hic quum Saturnum, claſſe pervectum, excepiſſet hoſpitio; &, ab eo edoctus peritiam ruris, ferum illum & rudem ante fruges cognitas victum in melius redegiſſet; regni eum ſocietate muneravit. Hos unà concordesque regnaſſe; vicinaque opida communi operâ condidiſſe, præter Maronem, qui refert,*

Ianiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen,

etiam illud in promptu eſt, quòd poſteri quoque duos eis contuos menſeis dicarunt; ut December ſacrum Saturni, Ianuarius alterius vocabulum poſſideret. Quum inter hæc ſubitò Saturnus non comparuiſſet; excogitavit Ianus honorum eius augmenta. ac primùm terram omnem ditioni ſuæ parentem Saturniam nominavit. aram deinde cum ſacris tamquàm deo condidit, quæ Saturnalia nominavit. Regni eius tempora feliciſſima feruntur; cùm propter rerum copiam, tùm etiam, quòd nondum quisquam ſervitio vel libertate discriminabatur. quæ res intelligi poteſt, quòd Saturnalibus tota ſervis licentia permittitur. Hinc Virgilius etiam poëta Aeneid. lib. VIII Euandrum fingit ita Aeneæ narrantem:

Hæc nemora indigenæ Fauni Nymphæque tenebant;
Gens virûm truncis & duro robore nata:
Queis neque mos neque cultus erat: nec jungere tauros
Aut componere opes nôrant, aut parcere parto:
Sed rami atque aſper victu venatus alebat.
Primus ab ætherio venit Saturnus Olympo;
Arma Iovis fugiens, & regnis exſul ademptis.
Is genus indocile ac diſperſum montibus altis
Compoſuit; legesque dedit: Latiumque vocari
Maluit; his quoniam latuiſſet tutus in oris.
Aureaque, ut perhibent, illo ſub rege fuêre
Sæcula. ſic placidâ populos in pace regebat.
Deterior donec paullatim ac decolor ætas,
Et belli rabies, & amor ſucceſſit habendi:
Tum manus Auſoniæ & gentes venêre Sicanæ:
Sæpius & nomen poſuit Saturnia tellus.

Et aliquanto pòſt:

Hæc duo præterea disjectis opida muris
Reliquias veterumque vides monimenta virorum?
Hanc Ianus pater, hanc Saturnus condidit arcem.
Ianiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.

Et Ovidius Faſtor. lib. I Iano deo hæc adfingit verba:

Hæc

Hac ego Saturnum memini tellure receptum.
Cœlitibus regnis à Iove pulſus erat.
Inde diu genti manſit Saturnia nomen.
Dicta quoque eſt Latium terra, latente deo.

Iſidorus Origin. lib. XIIII cap. IIII: *Italia olim à [Saturni] regis nomine Saturnia adpellata eſt. mox & Latium dicta, eò, quod idem Saturnus, à Iove ſedibus pulſus, ibi latuerit.* Columella in præfatione rerum ruſticarum: *In hoc Latio & Saturniâ terrâ, ubi dii cultus agrorum progeniem ſuam docuerunt.* Virgilius Aeneid. lib. VII; ubi Latinus rex ita adfatur Aeneæ legatos:

——— Neve ignorate Latinos,
Saturni gentem, haud vinclo nec legibus æquam;
Sponte ſuâ veteriſque dei ſe more tenentem.

Eoſdem mores eis tribuit lib. V; ubi Anchiſæ umbra in Siciliâ Aeneam, Italiam petentem, ita monet:

——— Lectos juvenes, fortiſſima corda,
Defer in Italiam. gens dura atque aſpera cultu
Debellanda tibi Latio eſt.

Et Salluſtius in libro de bello Catilinario: *Urbem Romam condidère atque habuère initio Troiani; qui, Aeneâ duce profugi, ſedibus incertis vagabantur: cumque his Aborigines; genus hominum agreſte, ſine legibus, ſine imperio, liberum atque ſolutum.* Idem facit & Ariſtoteles Πολιτικῶν lib. VII cap. X: niſi, quòd antiquiori nomine *Oenotros* vocat, quos Salluſtius *Aborigines*; & regem eorum ille *Italum*, quem alii *Saturnum*. Ἰταλόν τινα φασὶν, inquit, γενέσθαι βασιλέα τῆς Οἰνωτρίας, ἀφ᾽ οὗ τό τε ὄνομα μεταβαλόντας Ἰταλοὺς ἀντ᾽ Οἰνώτρων κληθῆναι, καὶ τὴν ἀκτὴν ταύτην τῆς Εὐρώπης Ἰταλίαν τοὔνομα λαβεῖν, ὅση τετύχηκεν ἐντὸς οὖσα τῶν κόλπων τοῦ τε Σκυλλητικοῦ καὶ τοῦ Λαμητικοῦ. Τοῦτον δὴ λέγουσι τὸν Ἰταλὸν νομάδας τοὺς Οἰνώτρους ὄντας, ποιῆσαι γεωργούς. καὶ νόμους ἄλλους τε αὐτοῖς θέσθαι, καὶ συσσίτια καταστῆσαι πρῶτον. διὸ καὶ νῦν ἔτι τῶν ἀπ᾽ ἐκείνου τινὲς χρῶνται τοῖς συσσιτίοις καὶ τῶν νόμων ἐνίοις. Hoc eſt: *Italum quendam Oenotriæ regem fuiſſe aiunt, à quo, mutato nomine, Itali pro Oenotris fuerint adpellati; & hæc Europæ ora, quæ Scylletico Lametinoque ſinubus includitur, Italia ſit vocata. Atque hunc Italum, ferunt, Oenotros, quum paſtores eſſent, primum agricolas feciſſe; & cùm alias eis leges ſcripſiſſe, tùm ſodalitia & epulationes publicas inſtituiſſe. quapropter etiam nunc nonnulli ex eius poſteris ſodalitiis illis utuntur, & quibusdam aliis legibus.* Falsò ab Ariſtotele &, quem ille ſequutus, Antiocho Syracuſano *Italum* hunc, qui Siculorum in veteri inter Narem Tiberiſque oſtia & inferum mare Siciliâ fuit rex, antiquiſſimæ illi ad fretum Siculum ac primæ *Oenotriæ* eſſe tributum, ſuprà lib. I cap. I pluribus documentis oſtenſum. & heic ex hactenus allatis ſatis jam clarè patet, Aboriginum, non Siculorum, nec aliorum ante hos indigenarum, regem habitum fuiſſe in Latio *Saturnum*: atque ab Aboriginibus demum Latio, ſeu priſcæ illi Siculorum *Italiæ*, inditum eſſe nomen *Saturniæ*: cuius etiam incolas Aborigines dictos fuiſſe SATURNIOS, ſuprà dicto lib. I cap. I docui. Antiochum fortaſſis decepit, quòd hæc quoque regio ab initio adventus OENOTRIA dicta fuit.

OENOTRIA *regio.*

Servius ad Virgilii Aeneid. lib. I: *Oenotria dicta eſt vel à vino optimo, id eſt,* ἀπὸ τοῦ οἴνου, *quod in Italiâ naſcitur: vel, ut Varro dicit, ab Oenotro, rege Sabinorum. Alii, patrem Itali Oenotrum, tradunt, ex Arcadiâ in Italiam veniſſe, & eam ſibi cognominem feciſſe.* Et ad Aeneid. lib. VII: *Oenotria tellus; propriè Sabinorum tractus, ab Oenotro rege.* Lycophron in Alexandra:

Τὸν δ᾽ Αἰσάρου τε ῥεῖθρα καὶ βραχύπτολις
Οἰνωτρίας γῆς κεγχρίνῃ βεβρωμένον,
Κρίμισσα φιτροῦ δέξεται μιαιφόνον.

Hoc eſt:

Alium Aeſari fluenta & opidum parvum
Oenotriæ terræ, ab hydro morſum,
Crimiſſa recipiet, facis occiſorem.

Ad hæc ita Iſacius Tzetza: Ἔνθα νῦν ἡ Ῥώμη ἐστὶν, χωρίον ἦν πρῶτον λεγόμενον Οἰνωτρία· ὅπου ὁ Φιλοκτήτης κατῴκησεν μετὰ τὴν τῆς Ἰλίου πόρθησιν, καθὰ Διονύσιος καὶ Δίων καὶ πάντες οἱ τὰ Ῥωμαϊκὰ ἱστοροῦσιν. Id eſt: *Ubi nunc Roma eſt, locus primùm Oenotria dicebatur: in quo Philoctetes,*

tes, poſt Ilii excidium conſedit; ut Dionyſius atque Dio & omnes alii, qui res Romanas conſcripſerunt, tradunt. Sanè *Oenotriam* heic intellexit Lycophron primam illam & antiquiſſimam in Brutio agro; ubi etiam nunc *Aeſarus* fluvius vulgò dicitur *Eſaro*, apud Crotonem urbem: in qua orâ Philoctetem opidum condidiſſe *Crimiſſam*, infrà in Brutiorum explicatione monſtrabitur. At Tzetza Philoctetem Romano agro induxiſſe videtur, quia hunc etiam aliquando *Oenotriam* dictum alicubi legerat. De cætero quando & unde eamdem regionem adpellare cœperint Aborigines LATIUM, planè incertum eſt. nam fabulis de *Saturni latibulâ* credere piget pudetque. Ne ipſis quidem Romanorum peritiſſimis de origine huius vocabuli quidquam conſtitiſſe, patet ex iis, quæ M. Terentius Varro tradidit. is quidpe de de Lingvâ Latinâ lib. IIII, *Quæ ad humum ſunt*, inquit, *aut à re*, *ut Sabini & Lucani, aut declinata ab hominibus, ut Appulia & Latium: utrumque, ut Etruria & Tuſci. quà regnum fuit Latini, univerſus ager dictus Latium.* At Servius ad Virgilii Aeneid. lib. VIII ita ſcribit: *Virgilius Latium vult dici, quòd illic Saturnus latuit, fugiens Iovem. Fabula nota eſt, quòd Saturnus filios ſuos deo progenitos voraverit: quum audiſſet, à filio ſe regno eſſe pellendum: & quòd ei uxor, nato Iove, lapidem pro infante obtulerit devorandum. Varro autem Latium dici putat, quòd latet Italia inter loca Alpium & Apennini. Quidam ferunt, à Latino dictum Latium. alii, ipſum Latinum à Latio.* Hoc ſanè illo longè probabilius. illud verò de *Italiâ* inter *Alpeis & Apenninum latente* omnium eſt ineptiſſimum & maximè ridiculum: primò, quia Apenninus non cingit Italiam; ſed mediam fermè ſecat in duasque parteis dividit: tum non omnis Italia Alpeis inter & fretum Siculum eo nomine adpellata eſt ab initio; ſed antiqua illa *Sicilia* tantùm, ſeu Siculorum *Italia*, ab rege eorum *Italo* ſic dicta: quam Aborigines etiam *Saturniam* vocitarunt. Quin illa haud dubiè tantùm Siculorum agri pars initio adpellata eſt *Saturnia* ſimul & *Latium*, quæ Narem inter & Anienem amneis porrecta. unde illud Macrobii ſuprà dicto Saturnalior. lib. I cap. VII: *Nec illam cauſam, quæ Saturnalibus adſignatur, ignoro: quòd Pelaſgi, ſicut Varro memorat, quum, ſedibus ſuis pulſi, diverſas terras petiſſent, confluxerunt plerique Dodonam; &, incerti quibus hærerent locis, eiusmodi accepêre reſponſum:*

Στείχετε μαιόμενοι Σικελῶν Σατορνίαν αἶαν,
Ἠδ' Ἀβοριγινέων Κοτύλην, οὗ νᾶσος ὀχεῖται·
Οἷς ἀναμιχθέντες δεκάτην ἐκπέμψατε Φοίβῳ,
Καὶ κεφαλὰς Ἅδῃ, καὶ τῷ πατρὶ πέμπετε φῶτα.

[Hoc eſt:

Pergite quærentes Siculûm Saturnia rura,
Atque Aboriginiden Cotylem, ubi ſe inſula vectat.
Queis miſti, decimas Clario transmittite Phœbo,
Et Diti capita; & transmittite lumina patri.]

Acceptâ ſorte, quum Latium poſt errores adpuliſſent, in lacu Cutilienſi enatam inſulam deprehenderunt. hoc miraculo deprehenſo, has ſibi ſedeis prædictas eſſe, didicerunt. vaſtatisque Sicilienſibus incolis, occupavêre regionem; decimâ prædæ, ſecundùm reſponſum, Apollini conſecratâ; erectisque Diti ſacello & Saturno arâ; cuius feſtum Saturnalia nominarunt. Recepti in hunc Siculorum agrum, ſive in hanc *Saturniam terram*, ſimulque in ſocietatem belli contra Siculos fuêre Pelaſgi ab Aboriginibus; ut Dionyſius dicto lib. I. narrat. Hæc igitur inter Narem atque Anienem terra primùm, neſcio unde, dicta fuit *Latium*; non illa demum inter Anienem & mare inferum à *Latino* rege. Atque hæc haud dubiè cauſa fuit, cur antiquiſſimi Latinorum poëtæ, vel fortaſſis etiam theologi, quos poſteà Virgilius atque Ovidius & alii imitati ſunt, à primo Aboriginum rege *Saturno* id nominis terram accepiſſe finxerint. nam omnia, quæ de *Saturno* hoc quidam narrant auctores, alios *Euandro* & *Pelaſgis* ſive *Arcadibus* tribuiſſe, ſequenti hinc oſtendam capite, in deſcriptione urbis Romæ. A terrâ quin ſtatim incolæ Aborigines dicti fuerint LATINI, nemo ambigat. Hinc diverſa illa ab ſe ipsâ mens Virgilii: qui aliàs à terrâ longè ante Aeneam, aliàs à Latino rege Aeneæ tempore *Latinos* dictos oſtendit. quidpe Aeneid. lib. I ſic de Aeneâ canit:

Multa quoque & bello paſſus, dum conderet urbem
Inferretque deos Latio; genus unde Latinum
Albanique patres atque altæ mœnia Romæ.

At lib xii Iunonem introducit Iovem de Aeneæ adverſus Turnum Rutuloſque & Latinos victoriâ ſic precantem:

Et nunc cedo equidem, pugnaſque exoſa relinquo.
Illud te, nullâ fati quod lege tenetur,
Pro Latio obteſtor, pro maieſtate tuorum:
Quum jam connubiis pacem felicibus (eſto)
Component; quum jam leges & fœdera jungent;
Ne vetus indigenas nomen mutare Latinos,
Neu Troas fieri jubeas, Teucroſve vocari;
Aut vocem mutare viros, aut vertere veſteis.
Sit Latium; ſint Albani per ſæcula reges;
Sit Romana potens Italâ virtute propago.
Occidit, occideritque, ſinas, cum nomine Troia.

De iſto igitur primo inter Narem & Anienem *Latio* quum Ovidius quoque apud antiquiores auctores legiſſet; *Picum*, Latini regis avum, non minus huius, quàm illius inter Anienem & mare fecit regem Μεταμορφώσεων lib. xiiii, his verſibus:

Ille ſuos Dryadas Latiis in montibus ortas
Verterat in vultus: illum fontana petebant
Numina Naïades; quas Albula, quaſque Numici,
Quas Anienis aquæ, curſuque breviſſimus Almo,
Narve tulit præceps, & opacæ Farfarus undæ.

Vulgaris tamen apud Romanos opinio obtinuit, ab *Latino* rege poſt Aeneæ in Italiam adventum dictos fuiſſe Aborigines mutato nomine *Latinos*. atque ita ferè tradiderunt rerum Romanarum ſcriptores. Dionyſius ſuprà citato lib. i: Καὶ διέμειναν ἐπὶ τῆς αὐτῆς οἰκήσεως, ὀνομάτων ἀλλαγαῖς αὐταῖς οἱ αὐτοὶ ἄνθρωποι προσαγορευόμενοι, μέχρι μὲν τοῦ Τρωϊκοῦ πολέμου τὴν ἀρχαίαν τῶν Ἀβοριγίνων ὀνομασίαν ἔτι σώζοντες· ἐπὶ δὲ Λατίνου βασιλέως, ὃς κατὰ τὸν Ἰλιακὸν πόλεμον ἐδυνάστευσε, Λατῖνοι ἀρξάμενοι καλεῖσθαι. Hoc eſt: *Easque ſedeis deinde perpetuò tenuit eadem gens, mutatis tantùm adpellationibus. nam ad belli Troiani uſque tempora vetus Aboriginum nomen ſervarunt. inde à Latino rege Latini dici cœperunt.* Stephani epitomator: Ἀβοριγῖνες, ἔθνος Ἰταλικόν, ὡς Ἰόβας ἐν Ῥωμαϊκῆς ἱστορίας πρώτη. Μέχρις οὖν τοῦ Τρωϊκοῦ πολέμου τὴν ἀρχαίαν Ἀβοριγίνην διέσωζον. [ſcribe, ut apud Dionyſium eſt, unde hæc transſcripta, τὴν ἀρχαίαν Ἀβοριγίνων ὀνομασίαν διέσωζον.] Λατίνου δὲ βασιλεύσαντες οὕτω προσηγορεύθησαν. τὰ αὐτὰ καὶ Χάραξ. Hoc eſt: *Aborigines, gens Italica; auctore Iubâ, Romanæ hiſtoriæ lib.* i. *Ad Troiani equidem belli tempora vetus Aboriginum nomen ſervarunt. at Latino regnante ab hoc denominati ſunt.* Non vivente etiamdum rege *Latino* adpellatos fuiſſe Aborigines *Latinos*, ſed jam mortuo, complures tradiderunt auctores. Livius ſub initium lib. i: *Iam primùm omnium ſatis conſtat, Troiâ captâ in cæteros ſævitum eſſe Troianos: duobus Aeneâ Antenoreque, & vetuſti jure hoſpitii, & quia pacis reddendæque Helenæ ſemper auctores fuerant, omne jus belli Achivos abſtinuiſſe.* Mox: *Aeneam, domo profugum, ſed ad maiora rerum initia ducentibus fatis, primò in Macedoniam veniſſe; inde in Siciliam quærentem ſedeis delatum. ab Siciliâ claſſe Laurentem agrum tenuiſſe. Ibi egreſſi Troiani, ut quibus ab immenſo propè errore nihil, præter arma & naveis, ſupereſſet, quum prædam ex agris agerent, Latinus rex Aboriginesque, qui tum ea tenebant loca, ad arcendam vim advenarum, armati ex urbe atque agris concurrunt.* Et paullo pòſt: *Inde fœdus ictum inter duces, inter exercitus ſalutationem factam. Aeneam apud Latinum fuiſſe in hoſpitio. Ibi Latinum apud penateis deos domeſticum publico adjunxiſſe fœdus; filiâ Aeneæ in matrimonium datâ. Ea res utiquè Troianis ſpem adfirmat, tandem ſtabili certâque ſede finiendi erroris. opidum condunt. Aeneas ab nomine uxoris Lavinium adpellat. Bello deinde Aborigines Troianique ſimul petiti. Turnus, rex Rutulorum, cui pacta Lavinia ante adventum Aeneæ fuerat, prælatum ſibi advenam ægrè patiens, ſimul Aeneæ Latinoque bellum intulerat. Neutra acies læta ex eo certamine abiit. victi Rutuli: victores Aborigines Troianique ducem Latinum amiſère. Inde Turnus Rutulique, diffiſi rebus, ad florenteis Etruſcorum opes Mezentiumque, eorum regem, confugiunt. qui haudgravatim ſocia arma Rutulis junxit. Aeneas, adverſùs tanti belli terrorem ut animos Aboriginum ſibi conciliaret; ne ſub eodem jure ſolùm, ſed etiam nomine omnes eſſent, Latinos utramque gentem adpellavit.* Eamdem de Aeneâ atque Latino hiſtoriam Aurelius quoque Victor, in libro de Origine gentis Romanæ, variè ex variis refert

refert rerum Romanarum ſcriptoribus: eamdemque gentem modò *Aborigines*; modò *Latinos* adpellat: quamvis hoc nominis unde & quando primùm habuerint, non oſtendat. Strabo lib. v, poſt deſcriptum Sabinorum agrum ſic pergit: Ἑξῆς δὲ ἡ Λατίνη κεῖται· ἐν ᾗ καὶ ἡ τῶν Ῥωμαίων πόλις, καὶ πολλὰς συνειληφυῖα τῆς μὴ Λατίνης πρότερον. Αἴκοι γὰρ καὶ Οὐόλσκοι καὶ Ἕρνικοι, Ἀβοριγῖνές τε, οἱ περὶ αὐτὴν τὴν Ῥώμην, καὶ Ῥούτουλοι οἱ τὴν ἀρχαίαν Ἀρδέαν ἔχοντες, καὶ ἄλλα συστήματα μείζω καὶ ἐλάττω τὰ περιοικοῦντα τοὺς τότε Ῥωμαίους ὑπῆρξεν, ἡνίκα πρῶτον ἐκτίσθη ἡ πόλις. Φασὶ δὲ Αἰνείαν καταίραντα εἰς Λαύρεντον, κτίσαι πόλιν. ἐπελθόντα δὲ Λατῖνον, τὸν Ἀβοριγίνων βασιλέα, τῶν οἰκούντων τὸν τόπον τοῦτον, ὅπου νῦν ἡ Ῥώμη ἐστί, συμμάχοις χρήσασθαι τοῖς περὶ τὸν Αἰνείαν ἐπὶ τοὺς γειτονεύοντας Ῥουτούλους, τοὺς Ἀρδέαν κατέχοντας. νικήσαντα δὲ, ἀπὸ τῆς θυγατρὸς Λαουινίας ἐπώνυμον κτίσαι πόλιν. πάλιν δὲ Ῥουτούλων συμβαλόντων εἰς μάχην, τὸν μὲν Λατῖνον πεσεῖν, τὸν δ' Αἰνείαν νικήσαντα βασιλεῦσαι, καὶ Λατίνους καλέσαι τοὺς ὑφ' αὐτῷ. Hoc eſt: *Sequitur Latium. in quo & Romanorum urbs, & complura alia comprehenduntur opida, quæ ab initio non fuerunt in Latio. quidpe & Aequi & Volſci atque Hernici, & circa ipſam Romam Aborigines, & qui vetuſtam habuêre Ardeam Rutuli, aliæque maiores minoresque gentes quondam circùm Romanos ſedeis ſuas habuêre, quum primùm urbs condita foret. quorum nonnulli liberè per vicos habitarunt; nulli communi adnumerati populo. Cæterò Aeneam tradunt Laurentum adpuliſſe, urbemque illic condidiſſe. ſuperveniſſe deinde Latinum, regem Aboriginum, qui tum ea loca incolebant, ubi nunc eſt Roma; auxilioque Aeneæ uſum adversùm finitimos Rutulos, qui Ardeam veterem tenebant. partâque victoriâ, urbem in propinquo condidiſſe, Laviniæ filiæ cognominem. poſt hæc Rutulis rurſum acie congreſſis cecidiſſe Latinum. victorem Aeneam regno potitum; ſubjectiſque ſibi populis nomen Latinorum impoſuiſſe.* Troianis tantùm *Latinorum* nomen ab Aeneâ impoſitum ſi voluit Strabo, prior illa oratio de Aboriginibus circa Romam recens conditam incolentibus ſatis conſtabit. At ipſe Aeneam ait Latino occiſo victorem regno potitum. quod nullum fuit aliud, niſi idem quod Latinus anteà obtinuerat in Aborigines. Hoc igitur etiam, unà cum ſuis Troianis, uti ſub unum imperium, ſic ſub idem *Latinorum* nomen eum ſubdidiſſe, maximè certum eſt. nec ullum circa Romam poſteà Aboriginum duravit nomen. Dionyſius iterum eodem lib. I poſteà ita tradit: Δευτέρᾳ δ' ὕστερον γενεᾷ μετὰ τὴν Ἡρακλέους ἄπαρσιν, ἔτει δὲ πέμπτῳ καὶ πεντηκοστῷ μάλιστα, ὡς αὐτοὶ Ῥωμαῖοι λέγουσι, βασιλεὺς μὲν Ἀβοριγίνων ἦν Λατῖνος, ὁ Φαύνου, πέμπτον καὶ τριακοστὸν ἔτος ἔχων τὴν ἀρχήν. κατὰ δὲ τὸν χρόνον τοῦτον Τρῶες, οἱ σὺν Αἰνείᾳ διαφυγόντες ἐξ Ἰλίου, τῆς πόλεως ἁλούσης, κατῆχον εἰς Λώρεντον, αἰγιαλὸν Ἀβοριγίνων. λαβόντες δὲ παρὰ τῶν Ἀβοριγίνων χωρίον εἰς οἴκησιν, καὶ ὅσα ἠξίουν, πολίζονται μικρὸν ἀποσχόντες ἀπὸ θαλάττης, ἐπὶ λόφῳ τινὶ, Λαουίνιον ὄνομα τῇ πόλει θέμενοι. ὀλίγῳ δ' ὕστερον χρόνῳ τὴν ἀρχαίαν ἀλλάξαντες ὀνομασίαν, ἅμα τοῖς Ἀβοριγῖσιν, ἀπὸ τοῦ βασιλέως τῆς χώρας Λατῖνοι ὠνομάσθησαν. Hoc eſt: *Poſt Herculis diſceſſum, ætate alterâ, ſeu anno* LV, *ut ipſi Romani perhibent, rex Aboriginum fuit Latinus, Fauni filius; annum agens regni ſui* XXXV. *Per id tempus Troiani, cum Aeneâ poſt captum Ilium profugi, adpulerunt Laurentum, Aboriginum litus. acceptoque ab Aboriginibus ad habitandum agro, & quidquid petierant; opidum condunt, non procul à mari, in quodam colle, nomine Lavinium. Nec ita multo pòſt, vetere adpellatione mutatâ, unà cum Aboriginibus à regionis rege nominati ſunt Latini.*

Sed age; videamus tandem, quàm certa huic *Latino* regi ſtirps, quàm certi tributi fuerint parentes. *Fauni* filium feciſſe ipſos Romanos, diſertè heic teſtatur Dionyſius. eiusque rei exemplum ſuprà citavimus ex Virgilii Aeneid. lib. VII; ubi ita canit:

——— Rex arva Latinus & urbeis
Iam ſenior longâ placidas in pace regebat.
Hunc Fauno & nymphâ genitum Laurente Maricâ,
Accipimus. Fauno Picus pater. isque parentem
Te, Saturne, refert: tu ſangvinis ultimus auctor.

A Romanis haud dubiè habuit ſua Euſebins, quæ ſuprà ibidem attulimus. Sed hunc *Faunum* deum à Romanis fuiſſe habitum, vulgò notum eſt. Virgilius initio Γεωργικῶν libri I:

——— Vos ô clariſſima Mundi
Lumina, labentem cœlo quæ ducitis annum,
Liber & alma Ceres;
Et vos agreſtum præſentia numina Fauni,
Ferte ſimul Faunique pedem Dryadesque puellæ.
Munera veſtra cano.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Ad hæc ita Servius: *Præſentia numina Fauni.*] *Præſentia: quoniam dicuntur usque ad ea tempora, quibus fuit Faunus, qui dictus eſt à fando, viſa eſſe numina. Quidam Faunos putant dictos ab eo, quòd frugibus faveant. Cincius & Caſſius aiunt ab Euandro Faunum deum adpellatum: ideóque ædeis ſacras faunas primò adpellatas; poſteà fana dicta. & ex eo, qui futura præcinerent, fanaticos dici. Sed quum unus Faunus ſit, cur pluraliter poſuit?* [Interiit heic reſponſio, qua ratio eius rei reddebatur.] *Sed Varro ad Ciceronem ita ait: Dii Latinorum ita, ut Faunus ſit per * ex verſibus, quos vocant Saturnios, in ſilveſtribus locis ſolitos fari futura: atque inde Faunos dictos.* Apud ipſum Varronem, de Lingvâ Latinâ lib. VI, is locus ita legitur: *Fauni, dei Latinorum: ita, ut Faunus & Fauna ſint in verſibus, quos vocant Saturnios. in ſilveſtribus locis, traditum eſt, ſolitos fari. à quo fando Faunos dictos.* Iſidorus Origin. lib. VIII cap. XI: *Fauni à fando, velut ἀπὸ τῆς φωνῆς, dicti: quòd voce, non ſignis, oſtendere viderentur futura. in lucis enim conſulebantur à paganis: & reſponſa illis non ſignis, ſed vocibus dabant.* Servius ad ſuprà ſcriptum Virgilii locum Aeneid. lib. VII: *Quidam deus eſt Fatuellus: huius uxor eſt Fatua. idem Faunus: & eadem Fauna. Dicti autem ſunt Faunus & Fauna à vaticinando, id eſt, à fando. unde & fatuos dicimus inconſideratè loquenteis. Ergo Faunæ & Fatuæ nomen, quaſi aſperum, fugit poëta; & Maricam dixit uxorem fuiſſe Fauni. Eſt autem Marica dea literis Minturnenſium juxta Lirim fluvium.* Sex. Aurelius Victor in prædicto libro de Origine gentis Romanæ: *Certum eſt, priorem* [ſcilicet *Saturno*] *Ianum in Italiam deveniſſe: ab eoque poſteà venientem exceptum eſſe Saturnum.* Et deinde: *Ferunt, Creuſam, Erithei regis Athenienſium filiam ſpecioſiſſimam, ſtupratam ab Apolline enixam puerum; eumque Delphos olim educandum eſſe miſſum: ipſam verò à patre, iſtarum rerum neſcio, Xipheo cuidam comiti collocatam. ex qua quum ille pater non poſſet exſiſtere; Delphos eum petiiſſe, ad conſulendum oraculum, quomodò pater fieri poſſet. tum illi deum reſpondiſſe; Vt, quem poſtero die obvium habuiſſet, eum ſibi adoptaret. itaque ſuprà dictum puerum, qui ex Apolline genitus erat, obviam illi fuiſſe; eumque adoptatum. Quum adoleviſſet, non contentum patrio regno, cum magnâ claſſe in Italiam deveniſſe: occupatoque monte, urbem ibidem conſtituiſſe; eamque ex ſuo nomine Ianiculum cognominaſſe. Igitur Iano regnante apud indigenas rudeis incultosque, Saturnus, regno profugus, quum in Italiam veniſſet, benignè exceptus hoſpitio eſt; ibique, haud procul à Ianiculo, arcem ſuo nomine Saturniam conſtituit. isque primus agriculturam edocuit; feroſque homines & rapto vivere adſvetos ad compoſitam vitam eduxit.* Aliquanto pòſt: *Aborigines advenienteis Picus excepit; permiſſos vivere, ut vellent. Poſt Picum regnavit in Italiâ Faunus. quem à fando dictum volunt; quòd is ſolet futura præcinere verſibus, quos Saturnios dicimus. Hunc Faunum plerique eumdem Silvanum à ſilvis, & Inuum deum, quidam etiam Pana eſſe dixerunt.* Servius in Aeneid. lib. VI: *Inuus Latinè adpellatur, Græcè* Πάν. *idem* Ἐφιάλτης *Græcè, Latinè Iucubus. idem Faunus, Fatuellus.* Rutilius Itinerarii lib. I:

Iam Cæretanos demonſtrat navita fineis.
Aevo depoſuit nomen Agylla vetus.
Stringimus abſumptum & fluctu & tempore Caſtrum.
Index ſemiruti porta vetuſta loci.
Præſidet exigui formatus imagine ſaxi,
Qui paſtorali nomina fronte gerit.
Multa licèt priſcum nomen deleverit ætas,
Hoc Inui caſtrum fama fuiſſe putat.
Seu Pan Tyrrhenis mutavit Mænala ſilvis;
Sive ſinus patrios incola Faunus init:
Deum renovat longo mortalia ſemina fœtu,
Fingitur in Venerem pronior eſſe deus.

Virgilius Aeneid. lib. VIII, de eodem Etruriæ litore:

Eſt ingens gelidum lucus prope Cæritis amnem,
Relligione patrum latè ſacer. undique colles
Incluſère cavi, & nigrâ nemus abjete cingunt.
Silvano, fama eſt, veteres ſacraſſe Pelaſgos,
Arvorum pecoriſque deo, lucumque diemque:
Qui primi fineis aliquando habuère Latinos.

Livius lib. I: *Iam tum in Palatino monte Lupercal hoc fuiſſe ludicrum ferunt; & à Palantéo,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

lantéo, urbe Arcadicâ, Palantium, deinde Palatinum montem adpellatum. ibi Euandrum, qui ex eo genere Arcadum multis antè tempeſtatibus ea tenuerant loca, ſolenne adlatum ex Arcadiâ inſtituiſſe, ut nudi juvenes, Lycæum Pana venerantes, per luxum atque laſciviam currerent; quem Romani deinde vocarunt Inuum. Ovidius Faſtor. lib. II:

Tertia poſt Idus nudos aurora Lupercos
Adſpicit; & Fauni ſacra bicornis erunt.
Dicite Pierides, ſacrorum quæ ſit origo:
Attigerint Latias unde petita domos.
Pana deum pecoris veteres coluiſſe feruntur
Arcades: Arcadicis plurimus ille jugis.
Pan erat armenti, Pan illic numen equarum:
Munus ob incolumeis ille ferebat oveis.
Transtulit Euander ſilveſtria numina ſecum.
Heic, ubi nunc urbs eſt, tunc locus urbis erat.
Inde deum colimus devectaque ſacra Pelaſgis.
Flamen ad hæc priſco more dialis erat.

Et Faſtor. lib. V:

Exſul ab Arcadiâ Latios Euander in agros
Venerat; impoſitos attuleratque deos:
Sacraque multa quidem, ſed Fauni prima bicornis
Has docuit genteis, alipediſque dei.
Semicaper coleris cinctutis Faune Lupercis,
Quum luſtrant celebreis vellera ſecta vias.

Livius lib. II; ubi pugnam narrat inter Etruſcos atque Romanos pugnatam: *Adjiciunt miracula huius pugnæ. ſilentio proximæ noctis ex ſilvâ Arſiâ ingentem editam vocem. Silvani vocem eam creditam. hæc dicta: Vno plus Etruſcorum cecidiſſe in acie: vincere bello Romanum.* Eadem penè verba citat & Valerius Maximus lib. I cap. VIII. At eâdem de re Dionyſius lib. V, Ἐκ τοῦ δρυμοῦ, inquit, παρ᾽ ὃν ἐστρατοπεδεύσαντο, φωνή τις ἠχήθη ταῖς δυνάμεσιν ἀμφοτέραις γεγωνυῖα, ὥσθ᾽ ἅπαντας αὐτῆς ἀκούειν, εἴτε τοῦ κατέχοντος τὸ τέμενος ἥρωος, εἴτε τοῦ καλουμένου Φαύνου· τούτῳ γὰρ ἀνατιθέασι τῷ δαίμονι Ῥωμαῖοι τὰ Πανικὰ καὶ ὅσα φάσματα. Id eſt: *E ſilvâ, apud quam caſtra habebant, vox quædam ad utriusque exercitus aureis perlata eſt, ut ab omnibus exaudiretur; ſive ea herois fuit, cuius iſtud fanum eſt, ſive eius, quem vocant Faunum. ad hunc enim tamquàm auctorem Romani ſolent referre Panicos terrores omniſque generis ſpectra.* Sed ex hactenus allatis ſatis manifeſtò jam patet, non hominem aliquem, ſed *deum* fuiſſe habitum Latinis *Faunum*; ab Euandro Pelaſgo, quem Cincius quoque & Caſſius apud Servium commemorant, veneratione eius ex Arcadiâ, ubi *Pan* dicebatur, in Italiam deportatâ. Falſum igitur eſt, atque à poëtis fabuloſè confictum, quòd is *Pici filius*, *Latini* verò *pater* traditur, ad quem Euander ex Arcadiâ pervenerit. At alii Herculis filium, ex Fauni filiâ progenitum, dixerunt eſſe Latinum. Trogi breviator Iuſtinus lib. XLIII: *Fauno fuit uxor nomine Fatua: quæ adſiduè divino ſpiritu impleta, velut per furorem futura præmonebat. unde adhuc, qui inſpirari ſolent, fatuari dicuntur. Ex filiâ Fauni & Hercule, qui eòdem tempore, exſtincto Geryone, armenta, victoriæ præmia, per Italiam ducebat, ſtupro conceptus Latinus procreatur. quo tenente regnum, Æneas ab Ilio, Troiâ à Græcis expugnatâ, in Italiam venit.* Neſcio, an plureis numero habere dictus ſit filias Faunus. ſic quidpe eſt apud Servium in Virgilii Aeneid. lib. VIII: *Hic Faunus habuiſſe filiam dicitur omam caſtita & diſciplinis omnibus eruditam.* [loco hoc mendoſo incertum, an nomen proprium eius expreſſerit Servius; an verò ſcripſerit, *unam, caſtitate & diſciplinis omnibus eruditam.*] *quam quidam, quòd nomine dici prohibitum fuerat, Bonam deam adpellatam volunt.* Lactantius de Falsâ religione lib. I. cap. XII: *Faunus in Latio & Saturniâ nefaria ſacra conſtituit, & Picum patrem inter deos honoravit, & ſororem Fatuam Faunam, eamque conjugem, conſecravit. quam C. Baſſus Faunam nominatam tradit, quòd mulieribus fata canere conſveviſſet, ut Faunus viris. eamdem Varro ſcribit tantæ pudicitiæ fuiſſe, ut nemo eam, quoad vixerit, præter virum ſuum, mas viderit, nec nomen eius audierit. idcircò illi mulieres in aperto ſacrificant; & Bonam deam nominant.* De hac ita Cicero in Oratione pro domo ſuâ loquitur adversùs P. Clodium: *Quid tibi neceſſe fuit, anili ſuperſtitione, homo fanaticè, ſacrificium, quod alienæ domi fieret, inviſere? Quæ*

autem te tanta mentis imbecillitas tenuit, ut non putares, deos ſatis poſſe placari, niſi etiam muliebribus religionibus te implicuiſſes? Quem umquàm audiſti maiorum tuorum, (qui & ſacra privata coluerunt, & publicis ſacerdotiis præfuerunt) quum ſacrificium Bonæ deæ fieret, interfuiſſe? Et in oratione de Haruſpicum reſponſis: *Sua concio riſit hominem illum, qui pulvinaribus Bonæ deæ ſtuprum intulerit; eaque ſacra, quæ viri oculis ne imprudentis quidem adſpici fas eſt, non ſolùm adſpectu virili, ſed flagitio ſtuproque violârit; in concione de religionibus neglectis conqueri.* Et eâdem oratione poſteà: *Quod ſacrificium tam vetus eſt, quàm hoc? quod à regibus æquale huic urbi accepimus. quod autem tam occultum, quàm id, quod non ſolùm curioſos oculos excludit; ſed etiam erranteis? quò non modò improbitas, ſed ne imprudentia quidem poſſit intrare. quod quidem ſacrificium nemo ante P. Clodium in omni memoriâ violavit; nemo umquàm adiit; nemo neglexit; nemo vir adſpicere non horruit. quod fit per virgines Veſtaleis; fit pro populo Romano; fit in eâ domo, quæ eſt in imperio: fit incredibili cæremoniâ; fit ei deæ, cuius ne nomen quidem viros ſcire fas eſt.* Si igitur hæc una habita eſt antiquis illis mortalibus Fauni filia; ſanè ne ipſa quidem Latini ex Hercule mater eſſe potuit. Verùm de hoc Herculis per Italiam tranſitu juvat audire graviſſimi rerum Romanarum ſcriptoris teſtimonium T. Livii: qui lib. v, ubi de Gallorum tranſitu in Italiam narrat, *Alpes inde,* inquit, *oppoſitæ erant. quas inexſuperabileis viſas, haud equidem miror; nulla dum viâ, quòd quidem continens memoria ſit, (niſi de Hercule fabulis credere libet) ſuperatas.* Alii nihilo minùs tamen Latinum eiusdem Herculis fecêre nepotem, Telephi filium. Cedrenus in Annalibus: Τῆς δὲ Ἰταλίας ἐβασίλευσεν ὁ υἱὸς τοῦ Ἡρακλέους ἀπὸ τῆς Αὔγης Τήλεφος· καὶ μετ' αὐτὸν υἱὸς αὐτοῦ Λατῖνος ἔτη ιη'· ὃς τοὺς Κητταίους ἐπωνόμασε Λατίνους. Id eſt: *Italiæ tum regnum tenuit Herculis ex Auge filius Telephus: & poſt hunc filius eius Latinus annos* XVIII: *qui Cetæos de ſe adpellavit Latinos.* Svidas: Λατῖνοι, οἱ νῦν Ῥωμαῖοι. Τήλεφος γὰρ υἱὸς Ἡρακλέους ὁ ἐπικληθεὶς Λατῖνος, μετωνόμασε τοὺς πάλαι Κητίους λεγομένους νῦν Λατίνους. Id eſt: *Latini, qui nunc Romani. Telephus enim, Herculis filius, cognomento Latinus, eos, qui olim Cetii vocabantur, mutato nomine vocavit Latinos.* A *Cethi*, Iávanis filio, Iapeti nepote, Noaci pronepote, tamquàm primo auctore, falsò poſterioris ſæculi Chriſtianos ſcriptores adpellaſſe Italos *Cetæos*, ſuprà lib. I cap. VI oſtenſum eſt. Cæterùm eo Svida à Cedreno differt, quòd hic Herculis nepotem, ille filium faciat *Latinum*. Alii rurſus Circes deæ & Vlyſſis natum pronunciarunt. In his antiquiſſimus poëta Heſiodus L circiter annis ante Romam conditam ita ait in fine Θεογονίας·

Κίρκη δ', Ἠελίου θυγάτηρ Ὑπεριονίδαο,
Γείνατ' Ὀδυσσῆος ταλασίφρονος ἐν φιλότητι
Ἄγριον ἠδὲ Λατῖνον ἀμύμονά τε κρατερόν τε·
Οἳ δή τοι μάλα τῆλε μυχῷ νήσων ἱεράων
Πᾶσιν Τυρσηνοῖσιν ἀγακλυτοῖσιν ἄνασσον.

Hoc eſt:

Circe autem, filia Solis Hiperionidæ,
Peperit Vlyſſis ærumnoſi in amore
Agrium atque Latinum, inculpatum fortemque:
Qui ſanè valdè procul in receſſu inſularum ſacrarum
Omnibus Tyrrhenis admodùm inclytis imperarunt.

Tyrrhenorum nomine heic omnem Italiam intelligi, ſuprà lib. I cap. I, & lib. II cap. I docui. Porrò Marcianus Heracleenſis in Περιηγήσει·

Μετὰ τὴν Λιγυστικὴν Πελασγοὶ δ' εἰσιν, οἱ
Πρότερον κατοικίσαντες ἐκ τῆς Ἑλλάδος,
Κοινὴν δὲ Τυῤῥηνοῖσι χώραν νεμόμενοι.
Εἰσὶ δ' ἐπάνω μὲν τῶν Πελασγῶν Ὀμβρικοὶ,
Οὓς ᾤκισεν ὁ 'κ Κίρκης Ὀδυσσεῖ γενόμενος
Λατῖνος· Αὔσονές τε, μεσόγειον τόπον
Ἔχοντες, Αὔσων οὓς συνοικίσαι δοκεῖ,
Ὀδυσσέως παῖς καὶ Καλυψοῦς γενόμενος.
Ἐν τοῖς ἔθνεσι τούτοις ἡ Ῥώμη 'στὶ πόλις·
Ἐν τῇ Λατίνῃ Ῥωμύλον δ' αὐτὴν κτίσαι,

Θέμενον

Θέμβρον ἀφ' αὐτοῦ, φασὶ, τοὔνομα.
Μετὰ δὲ Λατίνους ἐστὶν ἐν Ὀπικοῖς πόλις,
Τῆς λεγομένης λίμνης Ἀόρνου πλησίον,
Κύμη.

Hoc eſt:

Poſt Liguriam ſunt Pelaſgi: qui
Quondam huc transmigrarunt è Græciâ:
Communem autem cum Tyrrhenis regionem incolunt.
Supra Pelaſgos ſunt Vmbri:
Quos condidit è Circe Vlyſſi prognatus
Latinus. tum Auſones, mediam regionem
Tenentes: quos Auſon condidiſſe putatur,
Vlyſſis Calypsûsque filius.
In his gentibus Roma eſt urbs.
In Latino agro Romulum hanc condidiſſe
Ferunt; impoſitâ ei de ſuo nomine adpellatione.
Pòſt Latinos eſt in Opicis urbs,
Prope Avernum lacum,
Cuma.

Interiiſſe heic unum vel plureis verſus, quibus ſignificabatur, poſt Vmbros eſſe *Latinorum* gentem, ſuprà lib. II cap. IIII in Vmbris docui. At *Latinum* atque *Auſonem* fratres germanos fecêre alii rurſus auctores. Euſtathius Præfatione in Vlyſſéam Homeri: Ὁ Λατῖνος καὶ ὁ Αὔσων, οἱ ἐξ Ὀδυσσέως καὶ Κίρκης, κατά τινας. Id eſt: *Latinus atque Auſon, Vlyſſis ac Circes filii; ut quidam tradunt. Alii porrò Latinum Vlyſſis fecêre nepotem, ex eâdem Circe Telemacho, Vlyſſis filio, progenitum.* Hyginus Μυθολογικῶν cap. CXXVII: *Telegonus, Vlyſſis & Circes filius, miſſus à matre, ut genitorem quæreret, tempeſtate in Ithacam eſt delatus: ibique, fame coactus, agros depopulari cœpit. cum quo Vlyſſes & Telemachus ignari arma contulerunt. Vlyſſes à Telegono filio eſt interfectus: quòd ei reſponſum fuerat, ut à filio caveret mortem. quem poſtquàm cognovit qui eſſet; juſſu Minervæ cum Telemacho & Penelope in patriam redierunt in inſulam Aeæam; [&] ad Circen Vlyſſem mortuum deportarunt; ibique ſepulturæ tradiderunt. Eiusdem Minervæ monitu Telegonus Penelopen, Telemachus Circen, duxerunt uxores. Circe & Telemacho natus eſt Latinus: qui ex ſuo nomine Latinæ lingvæ nomen impoſuit. ex Penelope & Telegono natus eſt Italus: qui Italiam ex ſuo nomine denominavit.* Sic ſcilicet immanis illa Græcorum fabuloſitas omnia mirificè confudit. Par huic exemplum exſtat apud Iſidorum Origin. lib. VIIII cap. II. *Romani*, inquit, *à Romuli nomine nuncupati, qui urbem Romam condidit, gentique & civitati nomen dedit. Hi antè à Saturno Saturnii, à Latino Latini vocati ſunt. nam Latinus Italiæ rex fuit: qui ex ſuo nomine Latinos adpellavit; qui poſteà Romani nuncupati ſunt. Italus quoque & Sabinus & Sicanus fratres fuerunt; ex quibus nomina populis impoſita & regionibus ſunt. nam ab Italo Itali, à Sabino Sabini, à Sicano Sicani; qui & Siculi cognominati ſunt; iidem & Sicilienſes. Italum* Siculorum fuiſſe regem, regionemque eorum ab eo fuiſſe dictam *Italiam*, ſuprà hoc capite & lib. I cap. I oſtenſum eſt. *Sabinos* Opicam fuiſſe gentem, lib. II cap. VIII monſtratum. *Sicanos* fuiſſe indigenas Sicaniæ inſulæ populos, quæ poſteà ab novis cultoribus Siculis dicta eſt Sicilia, in huius inſulæ deſcriptione docetur. Treis igitur longè diverſiſſimi inter ſe generis genteis ab unâ eâdemque ſtirpe deduxerunt auctores iſti, à quibus id habuit Iſidorus. Sed æquè fabulóſum eſſe ſuprà memoratum Aboriginum regem *Latinum*, vel ex eo ſatis claret, quòd neque patrem neque matrem certam illi umquàm adſignare potuerint vel antiquiſſimi illi poëtæ ac μυθολόγοι.

Nunc in avum quoque Latini *Picum*, Fauni patrem, Saturni filium, inquiramus; cuius generis is fuerit. De hoc ita Virgilius Aeneid. lib. VII:

Picus equûm domitor: quem capta cupidine conjux
Aureâ percuſſum virgâ, verſumque venenis,
Fecit avem Circe, ſparſitque coloribus alas.

Eamdem fabulam prolixiùs repetit Ovidius Μεταμορφώσεων lib. XIIII; ubi *Veniliam*, eamdemque *Canentem*, ait Pici fuiſſe uxorem. infit autem ita:

Picus in Auſoniis, proles Saturnia, terris
Rex fuit, utilium bello ſtudioſus equorum.

Ad Virgilii locum ita commentatur Servius: *Aurea per ironiam dixit. conjux verò, non quæ erat; ſed, quæ eſſe cupiebat. Fabula talis eſt: Picum amavit Pomona, dea pomorum; & eius volentis eſt ſortita conjugium. poſteà Circe quum eum amaret, & ſperneretur; irata eum in avem picum Martium convertit. Hoc autem ideò fingitur, quia augur fuit; & domi habuit picum, per quem futura noſcebat: quod Pontificales indicant libri. Benè autem huic ſuprà lituum dedit; quod eſt augurum proprium.* Mirâ ſanè ſorte & ipſe rex, Saturni filius, *Picus* dictus eſt, ſimulque *avem picum Martium* domi aluit, *per quem futura noſcebat.* niſi fortè ab ave regem ſibi id nominis adſumpſiſſe ſuſpiceris: quod nemo hactenus tradidit. Pontificalium libros innumeras alias quoque continuiſſe immaneis fabulas, paſſim apud auctores facile diſpectu eſt. At huius fabulæ origo apud Dionyſium exſtat lib. 1; ubi opida recenſet, quæ prima Aborigines in Reatino habuerunt agro. Τιώρα, inquit, ἡ καλουμένη Ματιήνη. ἐν ταύτῃ δὲ λέγεται χρηστήριον Ἄρεος γενέσθαι πάνυ ἀρχαῖον. ὁ δὲ τρόπος αὐτοῦ παραπλήσιός τις ἦν, ὥς φασι, τῷ παρὰ Δωδωναίοις μυθολογουμένῳ ποτὲ γενέσθαι· πλὴν ὅσον ἐκεῖ μὲν ἐπὶ δρυὸς ἱερᾶς καθεζομένη περιστερὰ θεσπιῳδεῖν ἐλέγετο, παρὰ δὲ τοῖς Ἀβοριγῖσι θεόπεμπτος ὄρνις, ὃν αὐτοὶ πῖκον καλοῦσιν, ἐπὶ κίονος ξυλίνου φαινόμενος, τὸ αὐτὸ ἔδρα. Hoc eſt: *Tiora, cognomine Matiena. in hac aiunt fuiſſe oraculum Martis antiquiſſimum, non abſimile illi Dodonæo, in ſermonibus antiquis celebrato: niſi, quòd illic in ſacrâ quercu ſedentem columbam dicunt vaticinari ſolitam: apud Aborigines avis divinitus miſſa, quem illi picum vocant, idem faciebat in columnâ ligneâ.* Ergo, ut illa Iovis Dodonæi columba, ſic & iſte Martis picus non in privatâ aliquâ domo, ſed in publico dei ſive templo ſeu nemore habitus fuit. & de Pico rege, qui eam avem domi ſuæ aluiſſe nonnullis traditus eſt, nihil hoc loco Dionyſius agnoſcit. Quapropter hic etiam Aboriginum rex, non minùs, quàm filius eius *Faunus* nepoſque *Latinus*, fabuloſus erit. De *Aeneâ*, qui ad Latinum perveniſſe dicitur, item de *Saturno*, Pici patre, rem pòſt examinabimus. De cætero, duæ gentes quæ in unum LATINORVM nomen corpuſque coiviſſe dicuntur *Pelaſgi* atque *Aborigines* fuêre, poſtquàm conjunctâ operâ atque viribus Siculos ex agro, qui poſteà Sabinorum fuit, inter Narem & Anienem amneis ejeciſſent, regionemque hanc LATIVM adpellaſſent. qua de re plurimis agetur documentis proximo hinc capite. Dionyſius Halicarnaſſenſis, diligentiſſimus ſagaciſſimuſque antiquitatum Romanarum indagator, ſuprà citato lib. 1; poſtquàm narravit, qua ratione Aborigines loca inter dictos amneis, expulſis inde Siculis, occupaverint, opidaque circa Anienem *Antemnas*, *Tellenas*, *Ficuleam*, atque *Tibur*, communierint; hæc continuò ſubjungit: Ἔπειτα Πελασγῶν τινες, τῶν οἰκούντων ἐν τῇ καλουμένῃ Θετταλίᾳ, τὴν ἑαυτῶν ἀναγκασθέντες ἐκλιπεῖν, σύνοικοι γίνονται τοῖς Ἀβοριγῖσι, καὶ κοινῇ μετ᾽ ἐκείνων ἐπολέμουν πρὸς τοὺς Σικελούς. Ἐδέξαντο δὲ αὐτοὺς οἱ Ἀβοριγῖνες, ἴσως μὲν καὶ κατὰ τὴν τοῦ ὠφεληθήσεσθαι ἐλπίδα, ὡς δ᾽ ἐγὼ πείθομαι, καὶ κατὰ τὸ συγγενὲς μάλιστα· ἦν γὰρ δὴ καὶ τὸ τῶν Πελασγῶν γένος Ἑλληνικὸν, ἐκ Πελοποννήσου τὸ ἀρχαῖον· ἐχρήσατο δὲ τύχαις δυσπότμοις, εἰς πολλὰ μὲν καὶ ἄλλα, μάλιστα δ᾽ εἰς τὴν πολύπλανόν τε καὶ οὐδενὸς τόπου βέβαιον οἴκησιν. πρῶτον μὲν γὰρ περὶ τὸ καλούμενον νῦν Ἀχαϊκὸν Ἄργος ᾤκησαν, αὐτόχθονες ὄντες, ὡς οἱ πολλοὶ περὶ αὐτῶν λέγουσι. τὴν δὲ ἐπωνυμίαν ἔλαβον ἐξ ἀρχῆς ταύτην ἀπὸ τοῦ Πελασγοῦ βασιλέως. ἦν δὲ ὁ Πελασγὸς ἐκ Διὸς, ὡς λέγεται, καὶ τῆς Νιόβης, τοῦ Φορωνέως· ᾗ πρώτῃ γυναικὶ θνητῇ μίσγεται ὁ Ζεὺς, ὡς ὁ μῦθος ἔχει. ἕκτῃ δὲ ὕστερον γενεᾷ Πελοπόννησον ἐκλιπόντες, εἰς τὴν τότε μὲν Αἱμονίαν, νῦν δὲ Θετταλίαν ὀνομαζομένην μετανέστησαν. ἡγοῦντο δὲ τῆς ἀποικίας Ἀχαιὸς καὶ Φθῖος καὶ Πελασγὸς, οἱ Λαρίσσης καὶ Ποσειδῶνος υἱοί. ἀφικόμενοι δ᾽ εἰς τὴν Αἱμονίαν, τούς τε κατοικοῦντας ἐν αὐτῇ βαρβάρους ἐξελαύνουσι, καὶ νέμονται τὴν χώραν τριχῇ, τοῖς ἡγεμόσι ποιήσαντες ὁμωνύμους τὰς χώρας, Φθιῶτιν καὶ Ἀχαΐαν καὶ Πελασγιῶτιν. πέντε δὲ μείναντες αὐτόθι γενεὰς, περὶ τὴν ἕκτην γενεὰν ἐξελαύνονται Θετταλίας ὑπό τε Κουρήτων καὶ Λελέγων, οἱ νῦν Αἰτωλοὶ καὶ Λοκροὶ καλοῦνται, καὶ συχνῶν ἄλλων, τῶν περὶ τὸν Παρνασὸν οἰκούντων, ἡγουμένου τῶν πολεμίων Δευκαλίωνος τοῦ Προμηθέως, μητρὸς δὲ Κλυμένης, τῆς Ὠκεανοῦ. σκεδασθέντες δὲ κατὰ τὴν φυγὴν, οἱ μὲν εἰς Κρήτην ἀπῆλθον, οἱ δὲ τῶν Κυκλάδων νήσων τινὰς κατέσχον, οἱ δὲ περὶ τὴν Ὄλυμπόν τε καὶ τὴν Ὄσσαν τὴν καλουμένην Ἑστιῶτιν ᾤκησαν· ἄλλοι δὲ εἴς τε Βοιωτίαν καὶ Φωκίδα καὶ Εὔβοιαν διεκομίσθησαν· οἱ δ᾽ εἰς τὴν Ἀσίαν περαιωθέντες, τῆς περὶ τὸν Ἑλλήσποντον παραλίου πολλὰ χωρία κατέσχον. τὸ δὲ πλεῖον αὐτοῖς μέρος διὰ τῆς μεσογείου τραπόμενοι, πρὸς τοὺς ἐν Δωδώνῃ κατοικοῦντας σφῶν συγγενεῖς, οἷς οὐδεὶς ἠξίου ἐπιφέρειν πόλεμον, ὡς ἱεροῖς, χρόνον μέν τινα σύμμετρον αὐτόθι διέτριψαν. ἐπεὶ δὲ λυπηροὶ ὄντες αὐτοῖς ᾐσθάνοντο, οὐχ ἱκανῆς οὔσης ἅπαντας τρέφειν τῆς γῆς, ἐκλείπουσι τὴν χώραν, χρησμῷ πειθόμενοι, κελεύοντι πλεῖν εἰς Ἰταλίαν, ἣ τότε Σατορνία ἐλέγετο.

ἐλέγετο. Κατασκευασάμενοι δὲ ναῦς πολλὰς, περαιοῦνται τὸν Ἰόνιον· σπουδὴν μὲν ποιούμενοι τῶν ἔγγιστα τῆς Ἰταλίας ἅψασθαι χωρίων. ὑπὸ δὲ νότου πνεύματος καὶ ἀγνοίας τῶν τόπων μετέωροι ἐνεχθέντες, καὶ πρὸς ἑνὶ τῶν τοῦ Πάδου στομάτων ὁρμισάμενοι, Σπινῆτι καλουμένῳ, ναῦς μὲν αὐτοῦ ταύτῃ καταλείπουσι, καὶ τὸν ἥκιστα δυνάμενον ταλαιπωρεῖν ὄχλον, φυλακὴν ἐπ' αὐτοὺς καταστήσαντες, ὡς ἔχοιεν, εἰ μὴ προχωροίη σφίσι τὰ πράγματα, καταφυγήν. Καὶ οἱ μὲν ὑπομείναντες ἐν τούτῳ τῷ χωρίῳ, τεῖχος τῷ στρατοπέδῳ περιβαλόμενοι, ἐπειδὴ κατὰ γνώμην ἐδόκει αὐτοῖς χωρεῖν τὰ πράγματα, πόλιν ἔκτισαν ὁμώνυμον τῷ στόματι τοῦ ποταμοῦ. Οἱ δὲ διὰ τῆς μεσογείου τραπόμενοι, τὴν ὀρεινὴν τῆς Ἰταλίας ὑπερβαλόντες, εἰς τὴν Ὀμβρικῶν ἀφικνοῦνται χώραν, τῶν ὁμορούντων Ἀβοριγῖσι. Τὸ μὲν οὖν κατ' ἀρχὰς ἐκράτουν οἱ Πελασγοὶ τῶν χωρίων, ἔνθα τὸ πρῶτον ἱδρύσαντο, καὶ πολισμάτια τῶν Ὀμβρικῶν κατελάβοντό τινα. συνελθόντος δὲ ἐπ' αὐτοὺς μεγάλου στρατοῦ, δείσαντες τῶν πολεμίων τὸ πλῆθος, εἰς τὴν Ἀβοριγίνων ἀπιόντες τρέπονται. Καὶ οἱ μὲν Ἀβοριγῖνες ἅτε πολεμίοις ἐδικαίουν αὐτοῖς προσφέρεσθαι· καὶ συνῄεσαν ἐκ τῶν ἔγγιστα χωρίων διὰ τάχους, ὡς ἀναστήσαντες αὐτούς. Οἱ δὲ Πελασγοὶ (τυγχάνουσι γὰρ ἐν τούτῳ τῷ χρόνῳ κατὰ δαίμονα περὶ Κοτύλην πόλιν Ἀβοριγίνων αὐλισάμενοι, πλησίον τῆς ἱερᾶς λίμνης) ὡς τήν τε νησῖδα τὴν ἐν αὐτῇ περιδινουμένην κατέμαθον, καὶ παρὰ τῶν αἰχμαλώτων, οὓς ἐκ τῶν ἀγρῶν ἔλαβον, ἤκουσαν τὸ τῶν ἐπιχωρίων ὄνομα, τέλος ἔχειν σφίσι τὸ θεοπρόπιον ὑπέλαβον. ὁ γὰρ ἐν Δωδώνῃ γενόμενος αὐτοῖς χρησμὸς (ὅν φησι Λεύκιος Μάμιος, ἀνὴρ οὐκ ἄσημος, αὐτὸς ἰδεῖν ἐπί τινος τῶν ἐν τῷ τεμένει τοῦ Διὸς κειμένων τριπόδων, γράμμασιν ἀρχαίοις ἐγκεχαραγμένον) ὧδε εἶχε·

Στείχετε μαιόμενοι Σικελῶν Σατορνίαν αἶαν,
Ἠδ' Ἀβοριγινέων Κοτύλην, οὗ νᾶσος ὀχεῖται·
Οἷς ἀναμιχθέντες δεκάτην ἐκπέμψατε Φοίβῳ,
Καὶ κεφαλὰς Ἅδῃ, καὶ τῷ πατρὶ πέμπετε φῶτα.

Ἐλθοῦσι δὲ τοῖς Ἀβοριγῖσι σὺν πολλῇ στρατιᾷ, ἱκετηρίας οἱ Πελασγοὶ προτείνοντες, ὁμόσε χωροῦσιν ἄνοπλοι· φράζοντές τε τὰς ἑαυτῶν τύχας, καὶ δεόμενοι πρὸς φιλίαν δέξασθαι σφᾶς συνοίκους, οὐ λυπηροὺς ἐσομένους· ἐπεὶ καὶ τὸ δαιμόνιον αὐτοὺς εἰς τήνδε μόνην ἄγει τὴν χώραν· ἐξηγούμενοι τὸ λόγιον. Τοῖς δὲ Ἀβοριγῖσι ταῦτα πυθομένοις ἐδόκει πείθεσθαι τῷ θεοπροπίῳ, καὶ λαβεῖν συμμαχίαν Ἑλληνικὴν κατὰ τῶν διαφόρων σφίσι βαρβάρων, πονούμενοι τῷ πρὸς τοὺς Σικελοὺς πολέμῳ. Σπένδονταί γε δὴ πρὸς τοὺς Πελασγούς· καὶ διδόασιν αὐτοῖς χωρία, τῆς ἑαυτῶν ἀποδασάμενοι, τὰ περὶ τὴν ἱερὰν λίμνην· ἐν οἷς ἦν τὰ πολλὰ ἑλώδη· ἃ νῦν, κατὰ τὸν ἀρχαῖον τῆς διαλέκτου τρόπον, Οὐέλια ὀνομάζεται. Ἔπειτα μοῖρά τις αὐτῶν οὐκ ἐλαχίστη, ὡς ἡ γῆ πᾶσιν οὐκ ἀπέχρη, πείσαντες τοὺς Ἀβοριγῖνας συναράσθαί σφισι τῆς ἐξόδου, στρατεύουσιν ἐπὶ τοὺς Ὀμβρικούς, καὶ πόλιν αὐτῶν εὐδαίμονα καὶ μεγάλην ἄφνω προσπεσόντες αἱροῦσι Κρότωνα· ταύτῃ φρουρίῳ καὶ ἐπιτειχίσματι κατὰ τῶν Ὀμβρικῶν χρώμενοι. πολλῶν δὲ καὶ ἄλλων ἐκράτησαν χωρίων· τοῖς τε Ἀβοριγῖσι τὸν πρὸς τοὺς Σικελοὺς πόλεμον ἔτι συνεστῶτα πολλῇ προθυμίᾳ συνδιέφερον, ἕως ἐξήλασαν αὐτοὺς ἐκ τῆς σφετέρας. καὶ πόλεις πολλὰς, τὰς μὲν οἰκουμένας καὶ πρότερον ὑπὸ τῶν Σικελῶν, τὰς δὲ αὐτοὶ κατασκευάσαντες, ᾤκουν οἱ Πελασγοὶ κοινῇ μετὰ τῶν Ἀβοριγίνων· ὧν ἐστιν ἥ τε Καιρητανῶν πόλις, Ἄγυλλα δὲ τότε καλουμένη, καὶ Πίσαι καὶ Σατορνία καὶ Ἄλσιον, καὶ ἄλλαι τινὲς, ἃς ἀνὰ χρόνον ὑπὸ Τυρρηνῶν ἀφῃρέθησαν· Φαλέριον δὲ καὶ Φασκένιον ἔτι καὶ εἰς ἐμὲ ἦσαν οἰκούμεναι ὑπὸ Ῥωμαίων, μικρὰ ἄττα διασῴζουσαι ζώπυρα τοῦ Πελασγικοῦ γένους, Σικελῶν ὑπάρχουσαι πρότερον. Hoc eſt: *Poſthinc Pelaſgorum quidam, Theſſaliam patriam linquere coacti, ab Aboriginibus in partem agrorum recipiuntur: bellumque communibus opibus contra Siculos cum iis gerunt. Hanc autèm manum Aborigines receperunt, ſpe fortaſſis auxilii: ego tamen propter cognationem potiùs id factum crediderim: quando Pelaſgorum quoque natio Græca fuit, oriunda è Peloponneſo; agitata variis caſibus; ſed erroribus maximè; nuſquàm valens certum domicilium figere. nam primùm habitarunt apud Argos, quod nunc Achaicum cognominatur; loci eius, ut plerique opinantur, indigenæ; à rege Pelaſgo ſortiti antiquum hoc vocabulum. Hunc aiunt Iovis fuiſſe filium è Niobe, Phoronei filiâ; quam primam mortalium feminarum complexus eſt Iupiter; ut priſci ferunt ſermones. Sextâ pòſt ætate relinquentes Peloponneſum, migraverunt in Hæmoniam: quæ nunc Theſſalia dicitur. duces eius coloniæ fuerunt, Achæus & Phthius ac Pelaſgus, Lariſſæ & Neptuni filii. Vt verò in Hæmoniam ventum eſt; pulſis inde cultoribus barbaris, regionem in treis parteis dividunt; adpellantque ex ſuis ducibus Phthiotin, Achaiam, Pelaſgiotin. Ibi ætates* V *quum exegiſſent; circiter ſextam ætatem eos inde Curetes & Leleges ejecerunt; qui nunc Aetoli ac Locri vocantur; cumque his & alii complures Parnaſſi adcolæ; duce Deucalione, filio Promethei & Clymenes, Oceani filiæ. Atque profugorum tunc alii Cretam petierunt; alii Cycladum inſularum nonnullas occuparunt: pars Olympo atque Oſſæ contiguam regionem, nomine Heſtiotin, inſederunt: pars migraverunt in Bœotiam, Phocidem, atque Eubœam. alii, trajicientes in Aſiam, multa circa Helleſpon-*

tum occuparunt loca maritima. at maxima eorum pars per loca mediterranea ſe contulit ad conſangvineos ſuos Dodonæos: quos, ut ſacros, nemo fas putabat bello adgredi. ibique manſerunt ſat longo tempore. Deinde, ubi ſenſerunt, gravari ab ſe cæteros; quòd terra omnibus alendis non ſufficeret; reliquerunt eam regionem, oraculo moniti navigare in Italiam; quæ tunc dicebatur Saturnia. Paratâ itaque claſſe, mare Ionium trajiciunt; cupientes proximam oram Italiæ contingere. ſed flante auſtro, & locorum ignari, provecti longiùs adplicuerunt ad unum è Padi oſtiis, nomine Spinetem: ibique naveis reliquerunt & turbam ferendis laboribus imparem; non ſine præſidio: ut refugium haberent, ſi res non ſuccederent ex ſententiâ. Hi eo loco manentes, caſtra cinxerunt mænibus. &, quum eis ex voto cederent omnia; urbem condiderunt oſtio fluminis cognominem. At illi, qui mediterranea petierunt, ſuperatis Italiæ montibus, pervenerunt in Vmbrorum agrum, Aboriginibus finitimum. Initio igitur Pelaſgi in poteſtatem ſuam redegerunt agros, in quibus primùm conſederant; potiti etiam quibusdam Vmbrorum opidulis. ſed quum adversùs eos convenisset ingens exercitus; territi hoſtium multitudine, contulerunt ſeſe in Aboriginum regionem. Hi decreverunt bello eos, ut hoſteis, perſequi. ac mox è proximis locis confluxerunt celeriter, delendi eos animo. Pelaſgi verò; qui tum fortefortunâ circa Cutiliam, Aboriginum urbem, prope ſacrum lacum, ſtativa habebant; poſtquàm contemplati ſunt fluitantem in eo inſulam; & ex captivis, quos in agris interceperant, audiverunt adpellationem eius regionis hominum: crediderunt, finem jam habere ſuum oraculum. namque apud Dodonam redditum eis reſponſum (quod L. Mamius, vir non obſcurus, ait ſe ipſum vidiſſe in templo Iovis, cuidam ſacrorum tripodum vetuſtis literis inſculptum) ſic habebat:

> Pergite quærentes Siculûm Saturnia rura,
> Atque Aboriginiden Cotylem, ubi ſe inſula vectat.
> Queis miſti, decimas Clario transmittite Phœbo,
> Et Diti capita; & transmittite lumina patri.

Adventantibus igitur cum magno exercitu Aboriginibus occurrunt Pelaſgi cum oleæ ramis inermes ac ſupplices. expoſitisque ſuis caſibus, orant, ut recipiantur in amicitiam & partem ſedium; nequaquàm graves ipſis futuri. & exponentes oraculum, aiunt, ſeſe ad ea loca ſola deûm monitu delatos. His auditis adſenſerunt Aborigines: quòd feſſis bello Siculo placeret Græca ſocietas contra infenſos ſibi barbaros. Itaque cum Pelaſgis fœdus feriunt; partemque agrorum illis adſignant circa ſacrum lacum: quorum pleraque erant paluſtria; dicta nunc priſco lingvæ more Velia. At verò deinde bona eorum pars, quum agri omnibus non ſufficerent, Aboriginibus in expeditionem adſcitis, bello Vmbros adgreditur: urbemque eorum florentem ac magnam Crotonem repentino incurſu capiunt: qua mox pro arce belli contra Vmbros uſi ſunt. poſthinc alia quoque loca multa in poteſtatem ſuam redegerunt: & Aboriginibus contra Siculos promptam præſtiterunt operam; donec eos ejecerunt ſuis ſedibus. In his multa opida, partim antè ab Siculis habitata, partim recèns ab ſe condita, tenuerunt indiviſa ſociæ gentes Pelaſgi & Aborigines. ex quibus ſunt Cære, Agylla tunc dictum, Piſa, Saturnia, Alſium, & quædam alia: quæ poſtmodùm à Tyrrhenis occupata ſunt. Falerium autem & Feſcennium, etiam meâ tempeſtate à Romanis habitata, parvas quasdam ſcintillas Pelaſgici generis ſervant; quum initio Siculorum fuerint.

En, diſertiſſimis verbis teſtatur ex antiquiſſimorum ſcriptorum monimentis Dionyſius, κοινῇ, id eſt, *communiter, conjunctè* atque *individuè* tenuiſſe Aborigines cum Pelaſgis opida Siculis adempta. quis igitur dubitet, quin κοινὴν etiam inter ſe habuerint προσηγορίαν, id eſt, *communem* quaſi unius gentis *adpellationem*? Hæc autem nulla alia fuit, niſi qua de regionis, quam unà incolebant, nomine *Latio* dicebantur *Latini*. Hinc illud videtur eſſe Virgilii dicto Aeneid. lib. VIII:

> *Silvano, fama eſt, veteres ſacraſſe Pelaſgos,*
> *Arvorumque pecorisque deo, lucumque diemque:*
> *Qui primi fineis aliquando habuêre Latinos.*

Notandum autem, non omnem *Pelaſgorum* gentem in Latinorum cum Aboriginibus conceſſiſſe corpus nomenque: ſed eam tantùm partem, quæ in Sabino agro cum Aboriginibus manſit. alteram verò μοῖραν οὐκ ἐλαχίστην, id eſt, *magnam eorum partem* Vmbrorum occupaſſe ſolum, inter Apenninum montem, Arnum amnem, mare inferum ac Tiberim flumen ſitum. quam regionem in XII populos ſeu urbeis principatusque eos diviſiſſe, ac poſtmodùm Etruſcos, quum hi à Gallis Circumpadanâ regione pellerentur, in partem agrorum recepiſſe, ſuprà lib. II cap. I docui.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

docui. Cæterùm Dionyſius eodem libro poſteà ita pergit: Τὸ δ᾽ οὖν Πελασγικὸν φῦλον, ὅσον μὴ διεφθάρη τε καὶ κατὰ τὰς ἀποικίας διεσπάσθη (διέμεινε δ᾽ ὀλίγον ἀπὸ πολλοῦ) μετὰ τῶν Ἀβοριγίνων πολιτευόμενον, ἐν τούτοις ὑπελείφθη χωρίοις, ὅπου σὺν χρόνῳ Ῥώμην οἱ ἔκγονοι αὐτῶν σὺν τοῖς ἄλλοις ἐπολίσαντο. Μετὰ δὲ οὐ πολὺν χρόνον στόλος ἄλλος Ἑλληνικὸς εἰς ταῦτα τὰ χωρία τῆς Ἰταλίας κατάγεται, ἑξηκοστῷ μάλιστα ἔτει πρότερον τῶν Τρωϊκῶν, ὡς αὐτοὶ Ῥωμαῖοι λέγουσιν, ἐκ Παλαντίου, πόλεως Ἀρκαδικῆς, ἀναστάς. ἡγεῖτο δὲ τῆς ἀποικίας Εὔανδρος, Ἑρμοῦ γενόμενος καὶ νύμφης τινὸς Ἀρκάσι ἐπιχωρίας· ἣν οἱ μὲν Ἕλληνες Θέμιν εἶναι λέγουσι, καὶ θεοφόρητον ἀποφαίνουσιν· οἱ δὲ τὰς Ῥωμαϊκὰς συγγράψαντες ἀρχαιολογίας τῇ πατρῴᾳ γλώσσῃ Καρμέντην ὀνομάζουσιν. Ἐτύγχανε δὲ τότε τὴν βασιλείαν τῶν Ἀβοριγίνων παρειληφὼς Φαῦνος, Ἄρεως, ὥς φασιν, ἀπόγονος. οὗτος ὁ ἀνὴρ δεξάμενος κατὰ πολλὴν φιλότητα τοὺς Ἀρκάδας, ὀλίγους ὄντας, δίδωσιν αὐτοῖς τῆς αὐτοῦ χώρας ὁπόσην ἐβούλοντο. οἱ δὲ Ἀρκάδες, ὡς ἡ Θέμις αὐτοῖς ἐπιθειάζουσα ἔφραζεν, αἱροῦνται λόφον, ὀλίγον ἀπέχοντα τοῦ Τιβέριος, ὅς ἐστι νῦν ἐν μέσῳ μάλιστα τῆς Ῥωμαίων πόλεως· καὶ κατασκευάζονται πρὸς αὐτῷ κώμην βραχεῖαν, δυσὶ ναυτικοῖς πληρώμασιν, ἐν οἷς ἀπανέστησαν τῆς Ἑλλάδος, ἀποχρῶσαν. ὄνομα δὲ τῷ πολίσματι τούτῳ τίθενται Παλάντιον, ὡς ἀπὸ τῆς ἐν Ἀρκαδίᾳ σφῶν μητροπόλεως. νῦν μέντοι Παλάτιον ὑπὸ Ῥωμαίων λέγεται, συγχέαντος τοῦ χρόνου τὴν ἀκρίβειαν. * — * Ὀλίγοις δ᾽ ὕστερον ἔτεσι μετὰ τοὺς Ἀρκάδας, ἄλλος εἰς Ἰταλίαν ἀφικνεῖται στόλος Ἑλληνικός, ἄγοντος Ἡρακλέους, ὃς Ἰβηρίαν καὶ τὰ μέχρι δυσμῶν ἡλίου χειρωσάμενος ἦν. ἐξ ὧν τινες Ἡρακλέα παραιτησάμενοι τῆς στρατείας ἀφεθῆναι, περὶ ταῦτα τὰ χωρία ὑπέμειναν· καὶ πολίζονται λόφον ἐπιτήδειον εὑρόντες, τρισταδίῳ δὲ μάλιστα μήκει τοῦ Παλαντίου διειργόμενον· ὃς νῦν μὲν Καπιτωλῖνος ὀνομάζεται, ὑπὸ δὲ τῶν τότε ἀνθρώπων Σατόρνιος ἐλέγετο. Hoc eſt: *Ergo Pelaſgicæ gentis quantum ſuperfuit, neque in colonias distractum erat, (id quod ex magno ad modicum redactum fuit numerum) inter Aborigines degens, in iis reſedit locis, ubi poſteà Romam eorum poſteri cum aliis condiderunt. Haud multo pòſt alia claſſis Græcorum in eam Italiæ partem adpulit,* LX *fermè annis ante bellum Troianum; ut ipſi Romani tradunt; profecta à Palantio, urbe Arcadicâ. Eam coloniam deduxit Euander, Mercurii filius & nymphæ cuiusdam Arcadicæ, quam Græci Themin fuiſſe dicunt; divino adflatu inſtinctam; Romanarum verò antiquitatum ſcriptores Carmentam patriâ linguâ vocant. Fortè tunc apud Aborigines regnum, à maioribus traditum, tenebat Faunus, à Marte, ut ferunt, oriundus. is paucos illos Arcadas, comiter exceptos, donavit agrorum, quantam ipſi vellent, portione. elegerunt autem, ſicut eos Themis poſt rem divinam peractam præmonuerat, tumulum non longè diſtantem à Tiberi; qui nunc fermè in meditullio Romanæ urbis ſitus eſt. apud eum exſtruxerunt parvum vicum; capacem hominum, quot duæ naves advexerant è Græciâ. nomenque huic opidulo de veteris patriæ vocabulo imponunt Palantium: quod nunc Palatium Romanis dicitur; corruptâ voce temporum injuriâ.* Aliquanto pòſt: *Paucis aliquot annis poſt Arcadum adventum elapſis, alia manus Græcorum in Italiam venit, Herculis ductu; qui Hiſpaniam, & quidquid terrarum ad occidentem usque Solem protenditur, domuerat. Horum quidam, miſſione ab Hercule impetratâ, circa hæc loca conſederunt. & nacti opportunum tumulum, tribus fermè ſtadiis diſtantem à Palantio; in opidi formam eum communiverunt. Is nunc Capitolinus adpellatur. illius verò ſæculi hominibus vocabatur Saturnius.* Narrat hinc de Aeneæ cum Troianis in Italiam adventu; ut ſuprà retulimus. tandem hiſtoriam de Romanæ gentis conditoribus in hæc verba concludit: Τὰ μὲν δὴ συνελθόντα ἔθνη καὶ κοινωσάμενα, ἐξ ὧν τὸ Ῥωμαίων γένος ὥρμηται, πρὶν, ἣν νῦν ἔχουσιν, οἰκισθῆναι πόλιν, ταῦτά ἐστιν· Ἀβοριγῖνες μὲν πρῶτον· οἱ Σικελοὺς ἐξανέστησαν ἐκ τούτων τῶν χωρίων, Ἕλληνες ὄντες τὸ ἀρχαῖον ἐκ Πελοποννήσου, τῶν σὺν Οἰνώτρῳ μετενεγκαμένων τὴν οἴκησιν ἐκ τῆς καλουμένης νῦν Ἀρκαδίας, ὡς ἐγὼ πείθομαι. ἔπειθ᾽ οἱ μεταστάντες ἐκ τῆς τότε μὲν Αἱμονίας, νῦν δὲ Θετταλίας καλουμένης, Πελασγοί. τρίτοι δὲ, οἱ σὺν Εὐάνδρῳ παραγενηθέντες ἐς Ἰταλίαν ἐκ Παλαντίου πόλεως. μετὰ δὲ τούτους, τῶν σὺν Ἡρακλεῖ στρατευομένων Πελοποννησίων Ἐπειοί τε καὶ Φενεᾶται· οἷς καὶ Τρωϊκόν τι ἐμέμικτο. τελευταῖοι δὲ, οἱ διασωθέντες σὺν Αἰνείᾳ Τρῶες ἐξ Ἰλίου τε καὶ Δαρδάνου καὶ τῶν ἄλλων Τρωϊκῶν πόλεων. Id eſt: *Atque hæ ſunt gentes, è quibus, in unum convenientibus, Romanum genus concrevit. primùm Aborigines: qui ex his locis ejecerunt Siculos; ipſi Græci generis, oriundi ex Peloponneſo; cum Oenotro ex eâ, quæ nunc Arcadiâ dicitur, profecti; ut mea fert opinio. deinde Pelaſgi; qui migrarunt ex Hæmoniâ, quæ nunc dicitur Theſſalia. tertii, qui ex opido Palantio in Italiam cum Euandro venêre. poſt hos, è Peloponneſiis, Herculi militantibus, Epéi atque Pheneatæ: quibus & Troiani generis nonnihil admixtum erat. poſtremi, qui cum Aeneâ elapſi erant ex Ilio Dardanoque & aliis Troianis opidis.* Eamdem totius hiſtoriæ ἀνακεφαλαίωσιν repetit poſteà ad finem huius libri primi: atque iterum paullo latiùs initio ſtatim libri II: ubi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

ubi ita ſcribit: Οἱ δὲ κατασχόντες τὴν τῶν Ῥωμαίων πόλιν πρῶτοι τῶν μνημονευομένων, βάρβαροί τινες ἦσαν αὐτόχθονες, Σικελοὶ λεγόμενοι, πολλὰ καὶ ἄλλα τῆς Ἰταλίας χωρία κατασχόντες. τούτους ἐκβαλόντες Ἀβοριγῖνες, αὐτοὶ κατέσχον τὸν τόπον, Οἰνώτρων ὄντες ἀπόγονοι, τῶν κατοικούντων τὴν ἀπὸ Τάραντος μέχρι Ποσειδωνίας παράλιον. ἱερά τις αὕτη νεότης, καθοσιωθεῖσα θεοῖς, κατὰ τὸν ἐπιχώριον νόμον ὑπὸ τῶν πατέρων ἀποσταλῆναι λέγεται, χώραν οἰκήσουσα τὴν ἀπὸ τοῦ δαίμονος σφίσι δοθησομένην. Ἀβοριγίνων δὲ κατεχόντων τὰ χωρία, πρῶτοι μὲν αὐτοῖς γίνονται σύνοικοι Πελασγοὶ πλανῆται ἐκ τῆς τότε καλουμένης Αἱμονίας, νῦν δὲ Θετταλίας· ἐν ᾗ χρόνον τινὰ ᾤκησαν. Μετὰ δὲ τοὺς Πελασγοὺς Ἀρκάδες ἐκ Παλαντίου πόλεως ἐξελθόντες, Εὔανδρον ἡγεμόνα ποιησάμενοι τῆς ἀποικίας· οἳ πολίζονται πρὸς ἑνὶ τῶν ἑπτὰ λόφων, ὃς ἐν μέσῳ μάλιστα κεῖται τῆς Ῥώμης, Παλάντιον ὀνομάσαντες τὸ χωρίον, ἐπὶ τῆς ἐν Ἀρκαδίᾳ πατρίδος. Χρόνοις δ' οὐ πολλοῖς ὕστερον, Ἡρακλέους καταχθέντος εἰς Ἰταλίαν, ὅτε τὴν στρατιὰν ἐξ Ἐρυθείας οἴκαδε ἀπήγαγε, μοῖρά τις ὑπολειφθεῖσα ἐν αὐτῇ τῆς δυνάμεως Ἑλληνικῆς, πλησίον ἱδρύεται τοῦ Παλαντίου, πρὸς ἑτέρῳ τῶν ἐμπεπολισμένων τῇ Ῥώμῃ λόφων, ὃς τότε μὲν ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων Σατόρνιος ἐλέγετο, νῦν δὲ Καπιτωλῖνος ὑπὸ Ῥωμαίων. Ἐπειοὶ τούτων πλείους ἦσαν, ἐκ πόλεως Ἤλιδος ἐξαναστάντες, διαπεπορθημένης αὐτοῖς τῆς πατρίδος ὑφ' Ἡρακλέους. Γενεᾷ δ' ἑκκαιδεκάτῃ μετὰ τὸν Τρωϊκὸν πόλεμον, Ἀλβανοὶ συνοικίζουσιν ἄμφω τὰ χωρία ταῦτα, τείχει περιβαλόντες καὶ τάφρῳ. τέως δ' ἦν αὔλια βουφορβῶν τε καὶ ποιμένων, καὶ τῶν ἄλλων καταγωγαὶ βοτήρων. Γένος δὲ τὸ Ἀλβανὸν μικτὸν ἦν ἔκ τε Ἀρκάδων καὶ Πελασγῶν, καὶ τῶν ἐξ Ἤλιδος ἐλθόντων Ἐπειῶν, τελευταίων δὲ τῶν μετὰ Ἰλίου ἅλωσιν ἀφικομένων εἰς Ἰταλίαν Τρώων· ὧν ἦν Αἰνείας, ὁ Ἀγχίσου καὶ Ἀφροδίτης. Εἰκὸς δέ τι καὶ βαρβαρικὸν ἐκ τῶν προσοίκων ἢ παλαιῶν οἰκητόρων ὑπολιπὲς τῷ Ἑλληνικῷ συγκαταμιγῆναι. ὄνομα δὲ κοινὸν οἱ σύμπαντες οὗτοι Λατῖνοι ἐκλήθησαν ἐπ' ἀνδρὸς δυναστεύοντος τῶν τόπων Λατίνου τὰς κατὰ ἔθνος ὀνομασίας ἀφαιρεθέντες. Hoc eſt: *Vrbem Romanam primi poſt hominum memoriam tenuerunt barbari quidam indigenæ, Siculi dicti. His pulſis, Aborigines eum locum occuparunt; progenies Oenotrorum, qui oram à Tarento ad Poſidoniam usque incoluerunt. hi fuerunt quædam diis ſacra juventus, patrio ritu à parentibus miſſa, ad incolendas, quas fortuna datura erat, ſedeis. Poſtquàm Aborigines hæc loca occuparunt, primi cum eis ſedeis conjunxerunt Pelaſgi; gens vaga, ex eâ, quæ tum Hæmonia, nunc Theſſalia dicitur: in qua ſedem aliquamdiu habuerant. Poſt Pelaſgos, Arcades; profecti ab opido Palantio, Euandrum coloniæ ducem ſequuti. qui domicilium fixerunt ad unum è ſeptem collibus, in mediâ ferè nunc Româ ſitum. quem locum ab Arcadicâ patriâ adpellarunt Palantium. Haud multo pòſt, adpulſo in Italiam Hercule, quando exercitum ex Erythéa domum reducebat, relicta copiarum Græcarum pars quædam prope Palantium ſubſtitit; altero ex iis, quos nunc urbs complectitur, colle occupato: qui tunc Saturnius, nunc verò Romanis Capitolinus dicitur. horum bona pars Epêi fuêre; profecti ab Elide, poſt devaſtatam Herculis armis patriam. Decimâ ſextâ verò poſt bellum Troianum ætate, Albani utrumque locum mœnibus ac foſsâ complexi, ibi habitavêre; ubi ad id temporis bubulcorum, opilionum, aliorumque paſtorum ſtabula fuerant. Cæterò Albanorum genus erat mixtum, ex Arcadibus & Pelaſgis Epeisque Elidenſibus, ac poſtremò Troianis, cum Aneâ, Anchiſæ Venerisque filio, in Italiam poſt Ilii excidium profecti. At veri eſt ſimile, barbarici quoque generis reliquias nonnullas è finitimis aut priſcis incolis cum Græcis ſeſe conjunxiſſe. Horum omnium commune nomen fuit Latini; deductum ab Latino, regionis huius principe: obliteratis ſingularum gentium adpellationibus.* Sanè, quantum ego ex auctoribus colligere, quantumque judicio meo disquirere valeo; *Euander* iſte non ſub Troiani demum belli tempeſtatem ex Arcadiâ cum exiguâ manu in Italiam venit, ſedemque apud Tiberis ripam poſuit: ſed jam inde eorum dux fuit Pelaſgorum, qui ex Hæmoniâ ſive Theſſaliâ, quò maiores eorum ex Arcadiâ migraverant, per Dodonen & Padi oſtia in eum agrum, qui poſteà Sabinus dictus eſt, ad Aborigines pervenerunt; communique ſimul cum his nomine *Latini* dicti ſunt. Hinc *Pelaſgus* à quibusdam auctoribus adpellatus eſt ipſe Euander. Dionyſii τοῦ Περιηγητοῦ de Italiæ gentibus verba hæc ſunt:

Τυρρηνοὶ μὲν πρῶτ', ἐπὶ δέ σφισι φῦλα Πελασγῶν.
Οἵ ποτε Κυλλήνηθεν ἐφ' ἑσπερίην ἅλα βάντες,
Αὐτόθι νηήσαντο σὺν ἀνδράσι Τυρρηνοῖσι.
Τοῖς δ' ἔπι μέρμερον ἔθνος ἀγαυῶν ἐστι Λατίνων.

Hoc eſt: *Primi ſunt Tyrrheni. poſt hos gentes Pelaſgorum:*
Qui quondam à Cyllene occiduo mari profecti
Heic habitarunt cum Tyrrhenis.
Poſt eos ſagax gens illuſtrium eſt Latinorum.

Ad hæc ita Dionyſii ſcholiaſtes Euſtathius: Ὅτι ἐπὶ Τυῤῥηνοῖς εἰσι Πελασγοὶ, οἳ διὰ πενίαν σποράδες μετοικοῦντες ἦλθόν ποτε καὶ ἐκεῖ, μακρὰν ἀπὸ τῆς κατ᾽ Ἀρκαδίαν Κυλλήνης, καὶ ᾤκησαν, Εὐάνδρου τινὸς ἡγησαμένου τῆς ἀποικίας αὐτοῖς· ὃς ἐπὶ ἄρχοντος Ἀρκαδίας Ἀγαμήδους τοῦ Στυμφαλίου, θεοφορήτῳ μητρὶ, φασὶ, πεισθεὶς, καὶ λαὸν ἀγείρας, καὶ ἐλθὼν ἐκεῖ, κατῴκησε, τῷ Πανὶ νεὼν ἱδρύσας, καὶ λόφον ὀχυρωσάμενος, ὃν Παλλάντιον ὠνόμασεν ἀπὸ τοῦ υἱοῦ Πάλλαντος, τοῦ καὶ ἐπ᾽ ἄκρου τοῦ λόφου θάψαντος αὐτὸν θανόντα, καὶ τὸν Ἡρακλέα ξενίσαντος ἀπὸ τῶν τοῦ Γηρυόνου ἐπανιόντα βοῶν. Hoc eſt: *Poſt Tyrrhenos ait eſſe Pelaſgos; qui ob egeſtatem palantes coloniamque transducentes huc pervenerunt, longè ab Arcadicâ Cyllene; ſedeſque heic locarunt; Euandro duce coloniæ exſiſtente. qui, principatum in Arcadiâ obtinente Agamede Stymphalio, à matre, divino numine, ut ferunt, adflatâ, monitus, collectâ manu huc profectus eſt; Panique templum conſtituit; & collem communivit, impoſito ei nomine Pallantii, à Pallante filio: qui etiam mortuum ipſum in vertice collis ſepelivit; ac Herculem hoſpitio excepit, ab Geryonis bobus revertentem.* Hæc, puto, à variis diverſiſque auctoribus habuiſſe Euſtathium. nam Dionyſius Halicarnaſſenſis, loco ſuprà perſcripto, diſertè tradit, eos vocatos fuiſſe propriè *Pelaſgos*, qui antiquiſſimis temporibus ex Arcadiâ in Hemoniam ſive Theſſaliam migraverint. atque ita alii etiam auctores, quos ſuprà lib. II cap. I citavi, *Pelaſgos* è Theſſaliâ deducunt. Cæterùm Dionyſius Halicarnaſſenſis dicto lib. I de Arcadibus loquens, quos Euander in Italiam ad Tiberis ripam deduxerit; λέγονται δὲ, inquit, καὶ γραμμάτων Ἑλληνικῶν χρῆσιν εἰς Ἰταλίαν πρῶτοι διακομίσαι, νεωστὶ φανεῖσαν Ἀρκάσι. Id eſt: *Dicuntur etiam Græcarum literarum uſum recens Arcadicæ genti oſtenſum, primi in Italiam detuliſſe.* Tacitus Annal. lib. XI: *In Italiâ literas Etruſci ab Corinthio Damarato, Aborigines Arcade ab Euandro didicerunt.* Sex. Aurelius Victor, in libro de Origine gentis Romanæ: *Primus omnium Euander Italicos homines legere & ſcribere edocuit, literis partim quas ipſe anteà didicerat. idemque fruges, in Græciâ primùm inventas, oſtendit; ſerendique uſum edocuit; terræque excolendæ gratiâ primus boves in Italiâ junxit.* Hoc, ut ſuprà intelleximus, plerique *Saturno* tribuerunt; Ariſtoteles verò *Italo*. Sed de literis ita tradit Plinius lib. VII cap. LVI: *In Latium literas attulerunt Pelaſgi.* Apud Virgilium Aeneid. lib. VIII Euander ita Aeneam adloquitur:

Gnatum exhortarer; ni, mixtus matre Sabellâ,
Hinc partem patriæ traheret.

In Sabino igitur agro duxit uxorem Euander. Servius ad Virgilii Γεωργικῶν lib. I: *Cincius & Caſſius aiunt ab Euandro Faunum deum adpellatum.* Nempe *Panis*, Arcadici dei, ſacra & cultum Euandrum in Italiam detuliſſe, ubi poſteà *Faunus* dictus & *Silvanus* atque *Inuus*, jam anteà demonſtratum eſt. Hunc Faunum in antiquiſſimo illo ac primo Latio inter Narem & Anienem amnem, qui poſteà Sabinus ager dictus, primùm fuiſſe cultum, ex hoc Svetonii patet loco in Vitellii vitâ, cap. I: *Exſtat Q. Eulogii ad Q. Vitellium, divi Auguſti quæſtorem, libellus, quo continetur, Vitellios Fauno, Aboriginum rege, ex Vitelliâ, quæ multis locis pro numine coleretur; ortos, toto Latio imperaſſe. horum reſiduam ſtirpem ex Sabinis tranſiſſe Romam.* Sed præcipuum omniumque validiſſimum documentum, quo probetur, Euandrum in Italiam veniſſe cum iis Pelaſgis, qui apud *Cutiliam* urbem & lacum ab Aboriginibus in partem agrorum fuêre recepti, ex eo ſumi poteſt, quòd heic quoque vetuſtiſſimum exſtitit opidum *Palantium*. Dionyſius dicto lib. I; ubi opida recenſet, quæ Aborigines habuerint in Reatino agro: Παλάτιον μὲν πέντε πρὸς τοῖς εἴκοσι σταδίοις ἀφεστὼς Ῥεάτου· *Palatium*, XXV *ſtadia diſſitum ab Reate.* Varro de Lingvâ Latinâ lib. IIII; de Romano Palatio loquens: *Palatium, quòd palantes cum Euandro venerunt. aut, quòd Palatini, qui & Aborigines, ex agro Reatino, qui adpellatur Palatium, ibi conſiderunt.* Hanc hiſtoriam Solinus cap. VIII per ſummum errorem mirificè invertit. De eodem urbis Romanæ Palatio loquens; *Palatium*, inquit, *nemo dubitaverit, quin Arcades habeat auctores. à quibus primùm Palantéum opidum conditum. quod aliquando Aborigines habitarunt. ſed propter incommodum vicinæ paludis, quam præterfluens Tiberis fecerat, profecti Reate, poſtmodùm reliquerunt.* Imò heic in Reatino primùm habitabant agro, apud paludem, quam Velini lacus amniſque ſtagnantes effecerant aquæ. qui locus, ut ſuprà didicimus, à Pelaſgis Aboriginibuſque acceptum vocabulum ἀπὸ τῶν ἑλῶν, id eſt *à paludibus*, etiam Dionyſii tempore *Velia* vocabatur. Ex hoc igitur agro Reatino *Latini*, id eſt, *Pelaſgi* cum *Aboriginibus* profecti, ejectis ex

vetuſtiſſi-

vetuſtiſſimâ urbe Româ Siculis, parteis eius in recordationem *priſcæ ſedis Palatium* & *Veliam* vocavêre. Varro loco præſcripto paullo pòſt: *Huic* [*Palatio*] *Germalum & Velias conjunxerunt*. Statim: *Veliæ unde eſſent, plureis accepi cauſas: in queis, quòd ibi paſtores Palatini ex ovibus, ante tonſuram inventam, vellere lanam ſint ſoliti*. Adeò ſcilicet omnes urbis ſuæ antiquitates in obſcuro fuêre Romanis. Verùm de his plura dicentur proximo hinc capite, in demonſtratione originis urbis Romæ. in præſens ſufficiat oſtendiſſe, & *Euandrum* cum *Pelaſgis* in hæc primùm veniſſe loca, & *Pelaſgos*, ab *Aboriginibus* in partem ſedium receptos, unà cum his à regionis nomine LATIO dictos fuiſſe LATINOS. Hinc aliis etiam auctoribus in Sabino agro memorantur *Pelaſgi*; iidemque in eo, quod poſteà inter Anienem mareque inferum fuit *Latium*. hinc item inter maiores ſeu conditores populi Romani fuêre connumerati. Varro Ruſticar. rer. lib. III cap. I: *Linguâ priſcâ & in Græciâ Aeoles* [*&*] *Bœotii ſine adflatu vocant collis tebas; & in Sabinis, quò è Græciâ venerunt Pelaſgi, etiam nunc ita dicunt. cuius veſtigium in agro Sabino viâ Salariâ, non longè à Reate, milliarius clivus adpellatur Tebæ*. Plinius lib. III cap. V: *Latium antiquum à Tiberi Circeios usque ſervatum eſt millium paſſuum* L *longitudine. tam tenues primordio imperii fuêre radices. Colonis ſæpe mutatis, tenuêre alii aliis temporibus, Aborigines, Pelaſgi, Arcades, Siculi, Aurunci, Rutuli*. Columella Rer. ruſticar. lib. I cap. III: *Niſi aliter exiſtimamus diverſum Orbem genteis univerſas petiiſſe, relicto patrio ſolo; Achæos dico & Iberos, Albanos quoque, nec minus Siculos; &, ut primordia noſtra contingam, Pelaſgos, Aborigines, Arcadas: quàm quia malos vicinos ferre non potuerant*.

At quamdiu primum illud inter Narem Amnemque Latium primi illi *Latini*, id eſt, conjuncti in unum corpus populi *Aborigines* & *Pelaſgi* tenuerint, incertum eſt. Cæterùm migrandi hinc, &, transgreſſo Aniene, ex reliquo etiam agro Siculos exigendi cauſam habuêre, non, quod *incommoda paludis*, ut innuit prædictus Solinus, in Reatino agro ferre non potuerint; ſed quia ipſi ab Sabinis, Opicâ gente, ut ſuprà lib. II cap. VIII oſtenſum, pellerentur. Dionyſius lib. II: Κάτων δὲ Πόρκιος πρώτην τῶν Σαβίνων οἴκησιν ἀποφαίνει γενέσθαι κώμην τινὰ καλουμένην Τεστρίναν, ἀγχοῦ πόλεως Ἀμιτέρνης κειμένην· ἐξ ἧς ὁρμηθέντες ἅμα τοὺς Σαβίνους, εἰς τὴν Ῥεατίνην ἐμβαλεῖν, Ἀβοριγίνων τότε κατοικούντων, καὶ πόλιν αὐτῶν τὴν ἐπιφανεστάτην Κοτυλίας πολέμῳ χειρωσαμένους κατασχεῖν· ἐκ δὲ τῆς Ῥεατίνης ἀποικίας ἀποστείλαντας ἄλλας τε πολλὰς κτίσαι πόλεις, ἐν αἷς οἰκεῖν ἀτειχίστοις, καὶ δὴ καὶ τὰς προσαγορευομένας Κυρεῖς. Hoc eſt: *Porcius Cato primam Sabinorum ſedem ait fuiſſe vicum quemdam Teſtrinam nomine, haud procul Amiternâ urbe ſitum. unde expeditione factâ, Sabinos Reatinum invaſiſſe agrum, Aboriginibus tunc habitatum: urbemque horum nobiliſſimam Cutilias armis occupaſſe. miſſiſque è Reatino agro coloniis, inter alia opida compluria, ſed immunita, Cureis quoque condidiſſe*. Coacti igitur tunc fuêre *Aborigines* unà cum *Pelaſgis* id eſt, primi iſti *Latini*, novas quærere ſedeis. Proxima erat trans Anienem flumen, ex veteri illi Latio venientibus, *Roma* urbs, Siculorum haud dubiè caput; tum, quantum his agri reliquum erat, ab Aniene ad mare usque protenſum. *Romam* videntur primo loco occupaſſe. ſic quidpe Pompeius Feſtus: SACRANI *adpellati ſunt Reate orti: qui ex Septimontio Ligures Siculosque exegerunt. nam vere ſacro nati erant*. Non *Romam*, ſed *Septimontium* nominavit urbem, quia vulgaris apud Romanos tenebat opinio, *Romam* CCCC demum annis poſt bellum Troianum ab Aeneæ poſteris conditam eſſe: Siculi autem hinc pulſi fuerant ante id bellum. Eorumdem *Sacranorum* meminit quoque Virgilius fine libri VIII, his verſibus:

Ipſe inter primos præſtanti corpore Turnus
Vertitur.
Inſequitur nimbus peditum; clypeataque totis
Agmina denſantur campis; Argivaque pubes,
Auruncæque manus, Rutuli, veteresque Sicani,
Et Sacranæ acies, & picti ſcuta Labici:
Qui ſaltus, Tiberine, tuos, ſacrumque Numici
Litus arant, Rutulos exercent vomere colleis.

Ad hæc ita Servius: *Sacranæ acies. Dicunt, quemdam Corybantum veniſſe ad Italiam; & tenuiſſe loca, quæ Vrbi vicina ſunt. ex eo populos ducentes originem Sacranos adpellatos. nam ſacrati ſunt Matri deûm Corybantes*. Apud *Reate* quondam maximè cultam fuiſſe hanc deam, teſtatur Silius etiam poëta lib. VIII, his verbis:

—— *Magna-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

——— *Magnæque Reate dicatum*
Cælicolûm matri.

Hæc igitur Servii longè probabilior fuerit ſententia, quàm illæ Feſti. ex qua ſequeretur, ſponte ſuâ profectos ab Reate Aborigines ſive Latinos occupaſſe Romam; non vi à Sabinis ejectos. A Româ porrò omnem invaſêre reliquum Siculorum agrum ad mare usque; nomenque ei intulerunt à priſtinâ inter Narem & Anienem ſede LATII: quod perpetuò poſteà, quoad *Romani* ipſi fuêre, hæc regio ſervavit. Siculi inde quò migraverint, inter alios auctores, quos in deſcriptione huius inſulæ citamus, prædictus Dionyſius oſtendit lib. I, his verbis: Οἱ δὲ Σικελοὶ (οὐ γὰρ ἔτι ἀντέχειν οἷοί τε ἦσαν ὑπὸ Πελασγῶν τε καὶ Ἀβοριγίνων πολεμούμενοι) τέκνα καὶ γυναῖκας, καὶ χρημάτων ὅσα χρυσὸς ἢ ἄργυρος ἦν, ἀνασκευασάμενοι, μεθίενται αὐτοῖς ἁπάσης τῆς γῆς. τραπόμενοι δὲ διὰ τῆς ὀρεινῆς ἐπὶ τὰ νότια, καὶ διεξελθόντες ἅπασαν Ἰταλίαν τὴν κάτω, ἐπειδὴ πανταχόθεν ἀπηλαύνοντο, σὺν χρόνῳ κατασκευασάμενοι σχεδίας ἐπὶ τῷ πορθμῷ, καὶ φυλάξαντες κατιόντα τὸν ῥοῦν, ἀπὸ τῆς Ἰταλίας διέβησαν ἐπὶ τὴν ἔγγιστα νῆσον. Id eſt: *At Siculi, Pelaſgis ſimul & Aboriginibus bello impares, liberis atque conjugibus cum auro & argento ſublatis, totâ regione ſuâ eis ceſſerunt. verſique per montana ad meridiem; & peragratâ omni inferiore Italiâ; quum undique pellerentur; tandem, paratis ad fretum ratibus, & obſervato ſecundo æſtu, ex Italiâ trajecerunt in proximam inſulam.* Atque hæc ferè ſunt, quæ antiqui auctores, maximè verò Græcus ſcriptor Dionyſius Halicarnaſſenſis ex vetuſtiſſimorum Romanorum auctorum, Porcii Catonis, C. Sempronii, & complurium, ut ipſe ait, aliorum monumentis de *Latinorum* origine & adpellatione adnotavit. Ac ſanè originem genusque eorum quod attinet, præter alia validiſſima indicia, quæ hactenus allata ſunt, vel una ipſa *lingva Latina* ſatis gravi firmoque fuerit documento, Græcam fuiſſe gentem *Oenotros*, ſive *Aborigines*, qui poſteà *Latini* dicti. quidpe illam diligentiùs ſi excutias; longè plurimam eius partem merè Græcis conſtare verbis vocabuliſque deprehendas: quamquàm maior horum pars in tam novum modum atque formam ſit detorta, uti origo eorum haud facilè, niſi altiùs rimantibus diligentiùsque, ut dixi, excutientibus, adpareat. id quod ipſe Dionyſius obſervavit, ad finem libri primi, hisce verbis: Ῥωμαῖοι δὲ φωνὴν μὲν οὔτ' ἄκραν βάρβαρον, οὔτ' ἀπηρτισμένως Ἑλλάδα φθέγγονται, μικτὴν δέ τινα ἐξ ἀμφοῖν, ἧς ἐστιν ἡ πλείων Αἰολίς· τοῦτο μόνον ἀπολαύσαντες ἐκ τῶν πολλῶν ἐπιμίξεων, τὸ μὴ πᾶσι τοῖς φθόγγοις ὀρθοεπεῖν. τὰ δὲ ἄλλα, ὁπόσα γένους Ἑλληνικοῦ μηνύματά ἐστιν, ὡς οὐχ ἕτεροί τινες τῶν ἀποικησάντων διασώζοντες, οὐ νῦν πρῶτον ἀρξάμενοι πρὸς φιλίαν ζῆν, ἡνίκα τὴν τύχην πολλὴν καὶ ἀγαθὴν ῥέουσαν διδάσκαλον ἔχουσι τῶν καλῶν, οὐδ' ἀφ' οὗ πρῶτον ὠρέχθησαν τῆς διαποντίου, τὴν Καρχηδονίων καὶ Μακεδόνων ἀρχὴν καταλύσαντες· ἀλλ' ἐκ παντὸς οὗ συνῳκίσθησαν χρόνου, βίον Ἕλληνα ζῶντες, καὶ οὐδὲν ἐκπρεπέστερον ἐπιτηδεύοντες πρὸς ἀρετὴν νῦν, ἢ πρότερον. μυρία δ' εἰς τοῦτο λέγειν ἔχων, καὶ πολλοῖς τεκμηρίοις χρῆσθαι δυνάμενος, ἀνδρῶν τε μαρτυρίας φέρειν οὐκ ἀξίων ἀπιστεῖσθαι, πάντα ἀναβάλλομαι ταῦτα εἰς τὸν περὶ τῆς πολιτείας αὐτῶν συγγραφησόμενον λόγον. Hoc eſt: *Sermone autem Romani utuntur nec prorſus barbaro, nec abſolutè Græco; ſed ex utroque mixto; accedente in plerisque ad proprietatem lingvæ Aeolicæ; ex commercio tot admixtorum non omnia rectè efferentes vocabula. De cæterò, quæcumque ſunt Græci generis indicia, ea magis, quàm ulli alii Græcorum coloni, retinent: ut qui non nunc primùm amicabilem & humanam vivendi rationem ſequi cæperunt, ex quo eos proſperi ſucceſſus, quibus adfluunt, honeſtos mores docuerunt; nec, poſtquàm animum adjecerunt ad transmarinum imperium, devictis Carthaginienſibus ac Macedonibus: ſed, ex quo primùm in unam civitatem contracti ſunt, moribus Græcis vixerunt; nihiloque ſtudioſiores virtutis ſunt nunc, quàm jam inde priſcis temporibus fuerint. Id quum prolixâ oratione multisque documentis probare poſſim, virorumque gravium teſtimoniis confirmare; differre malo in librum, quem de eorum republicâ ſcribere inſtitui.* Haud dubiè ipſi Romani auctores, Cato, Sempronius, & complures illi alii, eisdem argumentis inducti, Græcam eſſe Latinos gentem, crediderunt. Dionyſius autem de lingvâ eorum probè abſolutéque judicare potuit; ut qui χρόνον ἐτῶν δύο καὶ εἴκοσι, ut ipſe in præfatione operis teſtatur, id eſt, *annos* XXII, Romæ ſub Auguſto imperatore huius ſolius rei gratiâ egit, uti διάλεκτόν τε τὴν Ῥωμαϊκὴν ἐκμαθὼν, καὶ γραμμάτων ἐπιχωρίων λαβὼν ἐπιστήμην, id eſt, *Romanum ſermonem literasque adſequutus*, eò certiora de rebus Romanis tradere poſſet. Ante Dionyſium verò Tyrannio, Terentiæ, Ciceronis uxoris, libertus, inter alios libros ſcripſit etiam περὶ τῆς Ῥωμαϊκῆς διαλέκτου, ὅτι ἐστιν ἐκ τῆς Ἑλληνικῆς, id eſt, *de Romano ſermone; cum à Græco eſſe ortum*; teſte Svidâ.

LATINA *lingva origine Græca.*

Et aliquot ſæculis poſt Dionyſium Sex. Pompeius Feſtus ita tradit: *Romanos in libro XI Græcos adpellat Ennius, quum ait,*

Contendunt Græcos Graios memorare ſolent ſos;
Quòd Græca lingva longos per temporis tractus
Gentibus Heſperiæ.

Non Romanos ait Græcè loquutos; quum Romulus, Vrbis conditor, verbis lingvæ Latinæ loquutus ſit: ſed, quòd olim lingva Græca gentis fuerit eadem cum Latinâ, parum prolatione mutatâ. Hoc autem verum eſſe, indicat origo eius. quæ videtur quaſi Græcæ uſurpatio. Sed & LXXX haud ampliùs annis poſt Dionyſium Plutarchus in Romulo; ubi varias adfert nominis *Talaſſii* explicationes: Οἱ δὲ πλεῖστοι νομίζουσιν, ὧν καὶ ὁ Ἰόβας ἐστὶ, παράκλησιν εἶναι καὶ παρακέλευσιν εἰς φιλεργίαν καὶ ταλασίαν, οὔπω τότε τοῖς Ἑλληνικοῖς ὀνόμασι τῶν Ἰταλικῶν ἐπικεχυμένων. Id eſt: *Plerique, inter quos Iuba eſt, adhortationem & incitationem ad laboris ſedulitatem & lanificium* [hoc Græci ταλασίαν vocant] *cenſent; nondum id temporis Italicis verbis cum Græcis confuſis.* Servius in Virgilii Aeneid. lib. I: *Romulus autem Quirinus ideò dictus, vel, quòd haſtâ utebatur, quæ Sabinorum lingvâ curis dicitur; vel à κοίρανος, qui Græcè rex dicitur. conſtat autem Græcos fuiſſe Romanos.* Plutarchus in Camillo; de Româ loquens à Gallis captâ: Τοῦ μέν τοι πάθους αὐτοῦ καὶ τῆς ἁλώσεως ἔοικεν ἀμυδρά τις εὐθὺς εἰς τὴν Ἑλλάδα φήμη διελθεῖν· Ἡρακλείδης γὰρ ὁ Ποντικὸς, οὐ πολὺ τῶν χρόνων ἐκείνων ἀπολειπόμενος, ἐν τῷ περὶ ψυχῆς συγγράμματί φησιν, ἀπὸ τῆς ἑσπέρας λόγον κατασχεῖν, ὡς στρατὸς ἐξ Ὑπερβορέων ἐλθὼν ἔξωθεν ἡρήκει πόλιν Ἑλληνίδα Ῥώμην, ἐκεῖ που κατῳκημένην περὶ τὴν μεγάλην θάλασσαν. Hoc eſt: *Hæc tamen captæ urbis calamitas obſcuro rumore ſtatim perlata in Græciam eſt. namque Heraclides Ponticus adfinis his temporibus, in libro de Animâ, adnunciatum ex occidente tradit, exercitum alienigenarum ex Hyberboreis progreſſum, Græcam urbem cepiſſe Romam, illo in tractu circa magnum mare ſitam.* Feſtus iterum: *Latinè loqui à Latio dictum eſt. quæ loquutio adeò eſt verſa, ut vix ulla pars eius maneat in notitiâ.* At alio loco à ſuperiori ſententiâ longè abire videtur, in his verbis: *Alumento pro Laumedonte à veteribus Romanis, nec dum adſvetis Græcæ lingvæ dictum eſt. ſic Melo, pro Nilo; Catamitus, pro Ganymede; Alphius pro Alphêo dicebatur.* Credo equidem, medio Romanæ gentis ævo pleraque illa externa nomina mirificè fuiſſe vulgari in uſu detorta; donec poſteà è Græcorum auctorum lectione ea recognoverint. Nec tamen mirari fas ſit, in tantum dialecto ſuâ ab Græcorum idiomate abiviſſe Latinam lingvam; quando & temporum, quibus in Italiâ fuerunt primi *Oenotri*, & regionum gentiumque, quas alias ſubinde atque alias à freto Siculo ad Tiberim usque peragraverunt, longinquitate plerorumque vocum formationes immutari neceſſum fuit; innumeris etiam gentium, quas transiverunt, maximè verò Oſcorum ſive Sabinorum atque Etruſcorum, inter quos tandem conſederunt, vocabulis adſumptis. Atque hinc factum, uti ipſi in Græciâ Græci non minùs Romanos, quàm alias omneis genteis, qui non Græci eſſent generis, *Barbaros* adpellarent. Plautus in Aſinariâ:

——— Huic nomen Græcè Onagros 'ſt fabulæ
Demophilos ſcripſit: Marcus vortit Barbarè.
Aſinariam vult eſſe; ſi per vos licet.

Et in Captiveis:

HEG. *Abi in malam rem ludis me.* ERG. *Ita me amabit ſancta ſecuritas*
Hegio, itaque ſuo me ſemper condecoret cognomine,
Vt ego vidi. HEG. *Meum gnatum?* ERG. *Tuum gnatum, & genium meum.*
HEG. *Et captivum illum Aulidenſem?* ERG. Μὰ τὸν Ἀπόλλω. HEG. *Et ſervolum.*
Meum Stalagmum, meum qui natum ſurripuit? ERG. Νὴ τὸν Σόραν.
HEG. *Iam diu?* ERG. Νὴ τὸν Φρουσινῶνα. HEG. *Videſis.* ERG. Νὴ τὸν Ἀλάτριον.
HEG. *Quid tu ber Barbaricas urbeis juras?* ERG. *Quia enim item aſperæ*
Sunt, ut tuum victum antumabas eſſe.

Omnes Novi Latii erant urbes; ut infrà videbimus. Apud Livium lib. XXXI unus è Mace-

è Macedonum legatis in Aetolorum concilio ita peroratus contra Romanorum amicitiam atque fœdus: *Furor eſt, ſi alienigenæ homines, plus linguâ & moribus & legibus, quàm maris terrarumque ſpacio, diſcreti, hæc tenuerint, ſperare quidquam eodem ſtatu manſurum.* Mox: *Aetolos, Acarnanas, Macedonas, eiusdem linguæ homines leves ad tempus ortæ cauſæ disjungunt conjunguntque cum alienigenis. cum barbaris æternum omnibus Græcis bellum eſt, eritque. naturâ enim, quæ perpetua eſt, non mutabilibus in diem cauſis, hoſtes ſunt.* Hæc magis hoſtiliter per odium atque iram ab hoſte in hoſteis dicta fuêre, quàm pro rei veritate. De linguâ tot audivimus teſteis: de moribus etiam Dionyſium, graviſſimum auctorem. Sacra verò utriusque gentis ſi curatiùs introſpicias, nihil fermè habuêre Romani, niſi quod ipſis commune fuerit cum Græcis. unum atque alterum exemplum ex uno Macrobio produxiſſe, ſufficiat. is Saturnalior. lib. I cap. VII ita ſcribit: *Sed ex his cauſis, quæ de origine huius feſti relata ſunt, adparet, Saturnalia vetuſtiora eſſe urbe Romanâ: adeò, ut, ante Romam in Græciâ hoc ſolenne cœpiſſe, L. Accius in Annalibus ſuis referat his verſibus:*

Maxima pars Graiûm Saturno, & maximè Athenæ
Conficiunt ſacra; quæ Cronia eſſe iterantur ab illis.
Huncque diem celebrant. per agros urbeisque ferè omnes
Exercent læti: famuloſque procrurant
Quisque ſuos. noſtrique itidem. & mos traditus illinc
Iſte, ut cum dominis famuli epulentur ibidem.

Et eiusdem libri cap. XVI: *Latii verò veteres incolæ morem Græciæ, in numerandis menſium diebus ſequuti ſunt: ut, retroverſùm cedente numero, ab augmento in diminutionem computatio reſoluta deſineret. ita enim nos decimum diem, deinde nonum, & poſteà octavum, dicimus ut Athenienſes* δεκάτην καὶ ἐννάτην φθίνοντος *ſoliti dicere.* Apud Dionyſium lib. III ita in concilio Tullum Hoſtilium, Romanorum regem, adloquitur Fufetius, Albanorum dux: Ἡμεῖς, ὦ Τύλλε, καὶ τῆς ἄλλης ἀρχῆς ἄξιοι ἐσμὲν Ἰταλίας, ὅτι ἔθνος Ἑλληνικὸν καὶ μέγιστον τῶν κατοικούντων τήνδε τὴν γῆν παρεχόμεθα· τοῦ δὲ Λατίνων ἔθνους, εἰ μηδενὸς τῶν ἄλλων ἐθνῶν, ἡγεῖσθαι δικαιοῦμεν οὐκ ἄτερ αἰτίας, ἀλλὰ κατὰ τὸν κοινὸν ἀνθρώπων νόμον, ὃν ἡ φύσις ἔδωκεν ἅπασι, τῶν ἐκγόνων ἄρχειν τοὺς προγόνους. * — * . Ὅτι τὸ μὲν Ἀλβανῶν γένος, οἷον ἐπὶ τῶν κτισάντων τὴν πόλιν, τοσοῦτον ἕως τῶν καθ' ἡμᾶς χρόνων διαμένει· καὶ οὐκ ἂν ἔχοι τις ἐπιδεῖξαι φῦλον ἀνθρώπων οὐδὲν, ἔξω τοῦ Ἑλληνικοῦ τε καὶ τοῦ Λατίνων, ᾧ τῆς πολιτείας μεταδεδώκαμεν. ὑμεῖς δὲ τὴν ἀκρίβειαν τοῦ παρ' ἑαυτοῖς πολιτεύματος διεφθάρκατε, Τυρρηνούς τε ὑποδεξάμενοι καὶ Σαβίνους, καὶ ἄλλους τινὰς ἀνεστίους καὶ πλανήτας βαρβάρους πάνυ πολλούς· ὥστε ὀλίγον τὸ γνήσιον ὑμῶν ἐστιν, ὅσον ἀφ' ἡμῶν ὡρμήθη, μᾶλλον δὲ πολλοστὸν τοῦ ἐπεισάκτου τε καὶ ἀλλοφύλου. Εἰ δὲ ἡμεῖς παραχωρήσαιμεν ὑμῖν τῆς ἀρχῆς, τὸ νόθον ἄρξει τοῦ γνησίου, καὶ τὸ βάρβαρον τοῦ Ἑλληνικοῦ, καὶ τὸ ἐπείσακτον τοῦ αὐθιγενοῦς. Hoc eſt: *Nobis, Tulle, totius Italiæ imperium debetur; qui, à Græcis orti, nulli in hac terrâ genti ſecundi ſumus magnitudine. quòd ſi non cæterarum gentium, certè Latinorum penes nos erit imperium jure optimo: nimirum, quod natura apud omneis ex æquo genteis valere voluit: ut generis auctores præſint ſuæ ſoboli.* Mox: *Albanorum genus quale olim ſub urbis conditoribus fuit, tale ad noſtra usque tempora permanſit. nec ulla oſtendi hominum natio poteſt, præter Græcos atque Latinos, quæ jus civitatis apud nos adepta ſit. at vos exquiſitum purumque reipublicæ genus apud vos corrupiſtis, Etruſcis ac Sabinis in eam receptis, tum aliis per multis barbaris ſine lare vagantibus. ita, uti germani genuique generis noſtri exiguus apud vos ſit numerus; multipliciter ſuperantibus exteris & adſcititiis. Itaque, ſi vobis principatum ceſſerimus; germanis præerunt ſuppoſititii, Græcanicis barbari, indigenis adſcititii.* Quum à *Barbarorum* nomine nulli eximerentur mortales Græcis, niſi unæ Græcæ gentes: heic verò *Barbari* opponuntur Latinis; certum eſt, hos quoque ſub Græcorum genere comprehendi voluiſſe Fufetium: diſtinctionemque heic ab eo factam inter Latinos, Oenotrorum poſteros, antiquitus è Græciâ ortos, & Græcos, qui poſt conditam Albam in jus civitatis recepti fuerint. Patet hoc quàm clariſſimè lib. IIII ex Servii Tullii regis oratione. Ταῦτα δὴ, inquit Dionyſius, καὶ τὰ ὅμοια τούτοις παραδείγματα λαβὼν, προθυμίαν ἔσχε καὶ αὐτὸς τὰς πόλεις τοῦ Λατίνων γένους συστῆσαι καὶ συναγαγεῖν, ἵνα μὴ στασιάζουσαι καὶ πολεμοῦσαι πρὸς ἀλλήλας, ὑπὸ τῶν προσοικούντων βαρβάρων τὴν ἐλευθερίαν ἀφαιρεθῶσι. γνοὺς δὲ ταῦτα, τοὺς κρατίστους ἄνδρας ἐξ ἑκάστης πόλεως συνεκάλει, περὶ μεγάλων καὶ κοινῶν φήσας πραγμάτων συμβούλους αὐτοὺς συγκαλεῖν. * . Ταῦτ' ἐδίδασκεν αὐτοὺς, ὡς χρὴ Λατίνους μὲν τοῦ

προσοίκων ἀρχὴν, καὶ τὰ δίκαια πράττειν Ἕλληνας ὄντας βαρβάροις. * — *. Ταῦτα διεξιών τε καὶ ὅσα ἄλλα ἕξουσιν ἀγαθὰ βουλευτήριον ἐγκαταστησάμενοι, πάντας ἔπεισε τοὺς ἐν τῷ συνεδρίῳ παρόντας. καὶ μετὰ τοῦτο κατεσκεύασεν ἐξ ὧν ἅπασαι συνήνεγκαν αἱ πόλεις χρημάτων τὸν τῆς Ἀρτέμιδος ναὸν, τὸν ἐπὶ τοῦ μεγίστου τῶν ἐν τῇ Ῥώμῃ λόφων ἱδρυμένον, Αὐεντίνου. καὶ τοὺς νόμους συνέγραψε ταῖς πόλεσι πρὸς ἀλλήλας, καὶ τἄλλα περὶ τὴν ἑορτὴν καὶ πανήγυριν, ὃν ἐπιτελεσθήσεται τρόπον, ἔταξεν. ἵνα δὲ μηδεὶς χρόνος αὐτοὺς ἀφανίσῃ, στήλην κατασκευάσας χαλκῆν, ἔγραψεν ἐν ταύτῃ τά τε δόξαντα τοῖς συνεδρίοις καὶ τὰς μετασχούσας τῆς συνόδου πόλεις. αὕτη διέμενεν ἡ στήλη μέχρι τῆς ἐμῆς ἡλικίας, ἐν τῷ τῆς Ἀρτέμιδος ἱερῷ κειμένη, γραμμάτων ἔχουσα χαρακτῆρας Ἑλληνικῶν, οἷς τὸ παλαιὸν ἡ Ἑλλὰς ἐχρῆτο. ὃ καὶ αὐτὸ ποιήσαιτ' ἄν τις οὐ μικρὸν τεκμήριον τοῦ μὴ βαρβάρους εἶναι τοὺς οἰκίσαντας τὴν Ῥώμην. οὐ γὰρ ἂν Ἑλληνικοῖς ἐχρῶντο γράμμασιν ὄντες βάρβαροι. Id eſt: *Horum & his ſimilium exempla ſequutus Tullius, animum & ipſi adjecit ad conſtituendum velut unum corpus ex Latinorum populis; ne, inteſtinis bellis & diſſidiis debilitati, ſubjugarentur à finitimis barbaris. Id poſtquàm apud ſe ſtatuit; optimates convocavit è ſingulis urbibus; denuncians, ſe conſultaturum cum eis de magnis rebus, & ad communem utilitatem pertinentibus.* Mox: *Atque ita docebat eos, oportere Latinos finitimis imperare, juraque reddere; nimirum Græcos barbaris.* Exiguo pòſt: *Hæc & alia multa commoda proponens, quæ conſequerentur, ſi communem curiam Romæ ſtatuerent; omnibus perſuaſit, qui tum in conſeſſu aderant. Collatis deinde opidatim pecuniis, Dianæ templum ædificavit in eminentiſſimo urbis tumulo Aventino: & fœderis leges conſcripſit civitatibus; ritusque celebrandi feſti & fori conſtituit. &, ne ullâ injuriâ temporum abolerentur; in æreâ columnâ incidit decreta concilii civitatesque eius conventus participes. Ea columna usque ad meam ætatem permanſit, in templo Dianæ poſita, literarum characteribus inſcripta Græcanicis, qualibus olim utebatur Græcia. quod & ipſum haud leve argumentum eſt, Romæ conditores non fuiſſe barbaros. numquàm enim uſi fuiſſent Græcis literis, ſi fuiſſent barbari.* Hinc & illud Plinii lib. VII cap. LVI: *In Latium literas attulerunt Pelaſgi.* Et cap. LVIII: *Veteres Græcas fuiſſe eaſdem penè, quæ nunc ſunt Latinæ, indicio erit Delphica tabula antiqui æris, quæ eſt hodiè in Palatio, dono principum Minervæ dicata in bibliothecâ, cum inſcriptione tali:* Ναυσικράτης Τισαμενοῦ Ἀθηναῖος Κόρᾳ καὶ Ἀθηνᾷ ἀνέθηκεν. [Id eſt: *Nauſicrates, Tiſameni filius, Athenienſis, Cereri atque Minervæ dicavit.*] Tacitus prædicto Annal. lib. XI: *In Italiâ Etruſci ab Corinthio Damarato, Aborigines Arcade ab Euandro didicerunt literas. & formæ literis Latinis, quæ veterrimis Græcorum.* Verùm, *Romanorum* omniumque *Latinorum* genus è Græciâ fuiſſe ortum, ſatis hactènus abundéque comprobatum eſt. De cætero tempus migrationis *Oenotrorum* ex Arcadiâ in Italiam oſtendit Dionyſius ſuprà citato lib. I his verbis: Πρῶτοι Ἑλλήνων οἱ Ἀρκάδες, περαιωθέντες τὸν Ἰόνιον κόλπον, ᾤκησαν Ἰταλίαν, ἄγοντος αὐτοὺς Οἰνώτρου, τοῦ Λυκάονος. ἦν δὲ πέμπτος ἀπό τε Αἰζειοῦ καὶ Φορωνέως, τῶν πρώτων ἐν Πελοποννήσῳ δυναστευσάντων. Φορωνέως μὲν γὰρ Νιόβη γίνεται· ταύτης δὲ υἱὸς καὶ Διὸς, ὡς λέγεται, Πελασγός. Αἰζειοῦ δὲ υἱὸς Λυκάων· τούτου δὲ Δηϊάνειρα θυγάτηρ· ἐκ δὲ Δηϊανείρας καὶ Πελασγοῦ Λυκάων ἕτερος· τούτου δὲ Οἴνωτρος, ἑπτακαίδεκα γενεαῖς πρότερον τῶν ἐπὶ Τροίαν στρατευσάντων. Ὁ μὲν δὴ χρόνος, ἐν ᾧ τὴν ἀποικίαν ἔστειλαν Ἕλληνες εἰς Ἰταλίαν, οὗτός ἐστιν. ἀπανέστη δὲ τῆς Ἑλλάδος Οἴνωτρος, οὐκ ἀρκούμενος τῇ μοίρᾳ. δύο γὰρ καὶ εἴκοσι παίδων Λυκάονι γενομένων, εἰς τοσούτους ἔδει κλήρους νεμηθῆναι τὴν Ἀρκάδων χώραν. ταύτης μὲν δὴ τῆς αἰτίας ἕνεκα Πελοπόννησον Οἴνωτρος ἐκλιπὼν, καὶ κατασκευασάμενος ναυτικὸν, διαίρει τὸν Ἰόνιον πόντον, καὶ σὺν αὐτῷ Πευκέτιος, τῶν ἀδελφῶν εἷς. Εἵποντο δὲ αὐτοῖς τοῦ τε οἰκείου λαοῦ συχνοὶ, (πολυάνθρωπον γὰρ δὴ τοῦτο λέγεται τὸ ἔθνος κατ' ἀρχὰς γενέσθαι.) καὶ τῶν ἄλλων Ἑλλήνων ὅσοι χώραν εἶχον ἐλάττω τῆς ἱκανῆς. Πευκέτιος μὲν οὖν, ἔνθα τὸ πρῶτον ὡρμίσαντο τῆς Ἰταλίας, ὑπὲρ ἄκρας Ἰαπυγίας ἐκβιβάσας τὸν λεὼν, αὐτοῦ καθιδρύεται· καὶ ἀπ' αὐτοῦ οἱ περὶ ταῦτα τὰ χωρία οἰκοῦντες Πευκέτιοι ἐκλήθησαν. Οἴνωτρος δὲ τὴν πλείω τοῦ στρατοῦ μοῖραν ἀγόμενος, εἰς τὸν ἕτερον ἀφικνεῖται κόλπον, τὸν ἀπὸ τῶν ἑσπερίων μερῶν παρὰ τὴν Ἰταλίαν ἀναχεόμενον, ὃς τότε Αὐσόνιος ἀπὸ τῶν προσοικούντων Αὐσόνων ἐλέγετο. * . Ἐκαλεῖτο δὲ ἥ τε χώρα πᾶσα, πολλὴ οὖσα, ὅσην κατέσχεν, Οἰνωτρία, καὶ οἱ ἄνθρωποι πάντες, ὅσων ἦρξεν, Οἴνωτροι. Hoc eſt: *Primi Græcorum Arcades, trajecto ſinu Ionio, domicilium in Italiâ ſtatuerunt; deducti ab Oenotro, Lycaonis filio. is quintus fuit ab Aezéo & Phoroneo, primis Peloponneſi principibus. nam è Phoroneo genita eſt Niobe: ex hac & Iove, ut fertur, natus Pelaſgus. Aezéi verò filius fuit Lycaon: & huius filia Deianira. ex Deianirâ & Pelaſgo prognatus eſt alter Lycaon: cuius Oenotrus fuit filius, XVII ætatibus antè, quàm apud Troiam bellatum eſt. Et tempus quidem hoc eſt emiſſæ à Græcis in Italiam coloniæ. migravit*

gravit autem Oenotrus è Græciâ, non contentus portione patrimonii ſui. quum enim forent Lycaoni XXII *filii; opus erat in totidem ſorteis dividi Arcadiam. Hanc ob cauſam Oenotrus, relictâ Peloponneſo, claſſeque paratâ, trajecit mare Ionium; unáque cum ipſo Peucetius, unus è fratrum numero: comitantibus eos bonâ parte popularium. aiunt quidpe hanc gentem olim fuiſſe frequentiſſimam. tum & alii Græci illis ſeſe adjunxerunt: quibus non ſufficiebat ager proprius. Cæterum, Peucetius, quò primùm adpulerunt in Italiam, ad Iapygium promontorium ſuis expoſitis, ſedem ibi fixit: & ab eo horum locorum incolæ adpellati ſunt Peucetii. Oenotrus verò cum maiore parte exercitus in alterum ſinum pervenit; qui adluit occidentale Italiæ latus. is tunc ab adcolentibus Auſonibus dicebatur Auſonius.* Mox poſteà: *Id igitur totum, quantum agri obſedit (fuit autem haud exiguum) Oenotria vocata eſt; Oenotrique regionis eius homines.* Comprehenſam fuiſſe hanc ab initio intra iſthmum Lametini Scylleticique ſinuum, quorum hic nunc vulgò *Golfo di Squillaci*, ille *Golfo di S. Eufemia* dicitur; ſuprà lib. I cap. I oſtenſum eſt. incolebant ante Oenotrorum adventum cùm hanc oram, tùm & aliàs huic cohærenteis terras verſùs interiora Italiæ *Auſones:* quibus pulſis, tandem ad alterum protulerunt Oenotri Oenotriam ſuam iſthmum, qui erat inter Tarentum opidum & Pæſtanum ſinum vulgò nunc *Golfo di Salerno* dictum; ut ibidem docui. In hac igitur Oenotriâ terrâ quàm diu ſubſtiterint, quantoque temporis ſpacio expeditionem hinc in Reatinum usque agrum reliquamque regionem quæ poſteà Sabinorum facta eſt confecerint, perquàm difficile diſpectu eſt: in tantum auctores antiqui in horum temporum chronologiâ inter ſe diſcrepant. Aetates XVII ſecundùm Dionyſii computationem eſſe annos CCCCLVIIII, ſuprà hoc capite oſtendimus. Oenotri igitur circa annum à condito Orbe terrarum CIↃ CIↃ CCC, ante natum Ieſum CIↃ IↃ CL, in Italiam migrarunt. Porrò idem auctor, ut ſuprà relatum, tradit, *Pelaſgos* hoc nominis primùm accepiſſe à rege ſuo *Pelaſgo, Iovis & Niobes, filiæ Phoronei, filio*; ſcilicet prædicti Lycaonis patre, Oenotri avo. Sub idem igitur fermè ſæculum & *Pelaſgorum* gens conſtituta eſt, & *Oenotrorum* colonia in Italiam deducta. At ſextâ demum ætate pòſt, relictâ Peloponneſo, migraſſe Pelaſgos in Theſſaliam, ait Dionyſius. ubi V ætates poſtquàm exegiſſent, circa ſextam rurſus ætatem pulſos inde fuiſſe à Curetibus & Lelegibus, duce Deucalione, Promethei filio. pulſorum maximam partem primùm Dodonam, mox inde in Italiam ad Padi oſtia, atque hinc in Reatinum agrum ad Aborigines perveniſſe: quibus poſteà junctos, unà cum ipſis fuiſſe *Latinos* adpellatos, paullo antè oſtendimus. Deucalionis tempeſtate Pelaſgos in Italiam veniſſe, Diodorus quoque lib. XIIII ex vetuſtiorum monumentis tradit. De campis Italiæ inter Alpeis Apenninumque circa Padum ſitis loqnens; Τινὲς δέ φασιν, inquit, Πελασγοὺς, πρὸ τῶν Τρωϊκῶν ἐκ Θετταλίας φυγόντας τὸν ἐπὶ Δευκαλίωνος γενόμενον κατακλυσμὸν, ἐν τούτῳ τῷ τόπῳ κατοικῆσαι. Id eſt: *Quidam autem aiunt Pelaſgos, ante belli Troiani tempora diluvium Deucalionis è Theſſaliâ fugienteis, in hic locis conſediſſe.* Hunc *Deucalionem* patremque eius *Promethea* plerique Chronologi in Cecropis Cranaique Athenienſium regum ætatem conferunt. apud Clementem verò Alexandrinum Strommate I vetuſti cuiusdam auctoris chronographion per certa quædam intervalla ab inundatione Deucalionis ad primam usque Olympiadem annos colligit IↃ CC XXXVII. unde inundatio illa ſub Cecrope rege, anno à condito terrarum Orbe CIↃ CIↃ CCCC XXXVII fuiſſe deprehenditur. Ab hoc anno ad bellum usque Troianum anni computantur CCCXX. hos à ſuprà dictis annis CCCC LVIIII, quibus Oenotri ante idem bellum in Italiam veniſſe traduntur, ſi demas; CXXXVIII annis poſt Oenotros Pelaſgi in Italiam adpuliſſe inveniuntur. Tot igitur circiter annorum ſpacio Oenotri & in primâ illâ ad fretum Siculum Oenotriâ hæſerunt; & tandem per dimidium totius Italiæ, quà longa eſt, intervallum in Reatinum usque agrum pervenerunt: Porrò, quo temporis progreſſu, quibusque intervallis, è dicto Reatino agro unà cum Pelaſgis profecti, Siculos primùm ad Anienem usque amnem ſedibus ſuis ejecerint; deinde verò, quum ipſi à novâ Sabinorum gente, ex Opicis profectâ, hinc pellerentur, reliquum Siculorum agrum ab Aniene ad mare usque obſederint, nusquàm diſpicio: niſi quòd Dionyſius eodem lib. I ita tradit: Τὸ μὲν οὖν Σικελικὸν γένος οὕτως ἐξέλιπεν Ἰταλίαν ὡς μὲν Ἑλλάνικος ὁ Λέσβιός φησι, τρίτῃ γενεᾷ πρότερον τῶν Τρωϊκῶν· ὡς δὲ Φίλιστος ὁ Συρακούσιος ἔγραψε, χρόνος μὲν τῆς διαβάσεως ἦν ἔτος ὀγδοηκοστὸν πρὸ τοῦ Τρωϊκοῦ πολέμου. Id eſt: *Atque ita Siculorum gens reliquit Italiam:*

liam; ut Hellanicus Leſbius auctor eſt, ante bellum Troianum ætate III. *ut verò Philiſtus Syracuſanus tradidit, trajecerunt anno* LXXX *ante dictum bellum*. Aetates III continent annos LXXXI. A ſuprà dicto diluvii anno ad octageſimum ante bellum Troianum annum numerantur anni CCXL: intra quod temporis ſpacium *Aborigines* cum *Pelaſgis*, id eſt *Latini*, res contra Siculos geſſerunt; donec tandem his omnino pulſis, intra Anienem & mare inferum quieti conſederunt in *Latio* ſuo.

Fines nunc igitur etiam huius *Latii* monſtrentur. De his ita tradit Dionyſius dicto lib. I: Τὴν ἡγεμόνα γῆς καὶ θαλάσσης ἁπάσης πόλιν, ἣν νῦν κατοικοῦσι Ῥωμαῖοι, παλαιότατον τῶν μνημονευομένων λέγονται κατασχεῖν βάρβαροι Σικελοὶ, ἔθνος αὐθιγενές. χρόνῳ δὲ ὕστερον Ἀβοριγῖνες αὐτὴν παραλαμβάνουσι, πολέμῳ μακρῷ τοὺς ἔχοντας ἀφελόμενοι· οἱ τὸ μὲν πρότερον ἐπὶ τοῖς ὄρεσιν ᾤκουν ἄνευ τειχῶν κωμηδὸν καὶ σποράδες· ἐπεὶ δὲ Πελασγοί τε καὶ τῶν ἄλλων Ἑλλήνων τινὲς ἀναμιχθέντες αὐτοῖς συνήραντο τοῦ πρὸς τοὺς ὁμοτέρμονας πολέμου, τὸ Σικελικὸν ἔθνος ἀπαναστήσαντες ἐξ αὐτῆς, πόλεις περιεβάλοντο συχνὰς, καὶ παρεσκεύασαν ὑπήκοον αὐτοῖς γενέσθαι πᾶσαν, ὅσην ὁρίζουσι ποταμοὶ Λίρις καὶ Τίβερις. καὶ διέμειναν ἐπὶ τῆς αὐτῆς οἰκήσεως, οὐκέτι πρὸς ἑτέρων ἐξελαθέντες, ὀνομάτων ἀλλαγαῖς αὐτοῖς οἱ αὐτοὶ ἄνθρωποι προσαγορευόμενοι· μέχρι μὲν τοῦ Τρωϊκοῦ πολέμου τὴν ἀρχαίαν τῶν Ἀβοριγίνων ὀνομασίαν ἔτι σώζοντες· ἐπὶ δὲ Λατίνου βασιλέως, ὃς κατὰ τὸν Ἰλιακὸν πόλεμον ἐδυνάστευσε, Λατῖνοι ἀρξάμενοι καλεῖσθαι. Hoc eſt: *Vrbem terræ mariſque totius principem, quam nunc Romani habitant, primi in omni memoriâ tenuiſſe feruntur barbari Siculi. poſteà temporis, pulſis longo bello priſcis cultoribus, Aborigines eam occuparunt. qui primùm in montibus paſſim ſine mœnibus vicatim habitaverunt. ſed poſtquàm Pelaſgi & cæterorum Græcorum nonnulli, ipſis admiſti, opem in debellandis finitimis attulerunt; exactâ inde Siculorum gente, opida crebra communiverunt: ſubigeruntque ſibi totum id terrarum ſpacium, quod Lirim Tiberimque amneis interjacet. Eas ſedeis deinde perpetuò tenuit idem genus hominum; mutatis tantùm adpellationibus; vetus Aboriginum nomen ſervantes ad Troiani usque belli tempora; quando à Latino rege denominati ſunt Latini.* Ergo jam inde à principio, poſtquàm Siculi totâ hac regione expulſi, Latii fines extenſi fuêre ab Tiberi usque ad Lirim amnem? Idem equidem Virgilius quoque innuit Aeneid. lib. VII, his verbis:

Quis Latio antiquo fuerit ſtatus, advena claſſem
Quum primùm Auſoniis exercitus adpulit oris,
Expediam. ———
——— *Rex arva Latinus & urbeis*
Iam ſenior longâ placidas in pace regebat.
Hunc Fauno & nymphâ genitum Laurente Maricâ,
Accipimus.

Ad hæc ſic Servius: *Maricam dixit uxorem fuiſſe Fauni; quæ eſt dea litoris Minturnenſium, juxta Lirim fluvium. Quòd ſi voluerimus accipere uxorem Fauni Maricam, non procedit. dii enim* τοπικοὶ, *id eſt locales, ad alias regiones numquàm transeunt. Sed poteſt dictum eſſe per poëticam licentiam, Laurente Maricâ; quum ſit Minturnenſis.* Fuiſſe *Maricæ* lucum atque cultum apud Lirim amnem, infrà ſuo loco videbimus. Cæterùm quum regia ſedes Latinorum fuerit *Laurentum*, haud ita procul ab Tiberi flumine; totum inde Latium *Laurentis agri* cognomen quorùmdam hominum uſurpatione habuit. unde illud etiam Euſebii in Chron. lib. I: Πρῶτόν φασι Πῖκον, υἱὸν Κρόνου, βασιλεῦσαι χώρας Λαυρέντου λζʹ ἔτη. εἶναι δὲ τὴν χώραν ἕως τῆς νῦν Ῥώμης πόλεως. Id eſt: *Primum ferunt Picum, Saturni filium, regnaſſe annis* XXXVII *in Laurenti agro; qui ad urbem usque, quæ nunc Roma vocatur, extendebatur.* Hinc igitur Virgilius, quum unà cum Dionyſio *antiquum* illud *Latium* ad *Lirim* usque poëticâ licentiâ extenſum fuiſſe vellet; *Maricam deam*, quæ apud hunc amnem colebatur, *Laurentem* adpellavit. LATIVM inter Anienem & mare fuiſſe duplex; alterum PRISCVM ſive VETVS & ANTIQVVM, à Tiberi ad Circæum usque promontorium, quod nunc vulgò *Monte Circelli* vocatur; alterum, NOVVM, quod præter Latinorum populos alias quoque, quas mox indicabo, genteis complectebatur, ad Lirim usque amnem; ex compluribus diſco auctoribus. Dionyſius eodem lib. I: Κατὰ δὲ τὸν χρόνον τοῦτον Τρῶες, οἱ σὺν Αἰνείᾳ διαφυγόντες ἐξ Ἰλίου τῆς πόλεως ἁλούσης, κατέσχον εἰς Λαύρεντον, αἰγιαλὸν Ἀβοριγίνων. λαβόντες δὲ παρὰ Ἀβοριγίνων χωρίον εἰς οἴκησιν, καὶ ὅσα ἠξίουν, πολίζονται μικρὸν ἀποσχόντες ἀπὸ θαλάττης, ἐπὶ λόφῳ τινὶ, Λαουίνιον ὄνομα τῇ πόλει θέμενοι. ὀλίγῳ δὲ ὕστερον χρόνῳ τὴν ἀρχαίαν ἀλλάξαντες ὀνομασίαν, ἅμα τοῖς Ἀβοριγῖσιν ἀπὸ τοῦ βασιλέως τῆς χώρας Λατῖνοι ὠνομάσθησαν. καὶ μεταναστάντες ἐκ τοῦ

Λαουινίου,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Λαουΐνιου, κοινῇ μετὰ τῶν ἐπιχωρίων μείζονα περιβάλλονται πόλιν, ἣν Ἄλβαν ἐκάλεσαν, ἐξ ἧς ὁρμώμενοι πολλὰς μὲν καὶ ἄλλας πόλεις ἔκτισαν τῶν κληθέντων Πρίσκων Λατίνων. Id eſt: *Per id tempus Troiani, cum Aeneâ poſt captum Ilium profugi, adpulerunt Laurentum, Aboriginum litus. acceptoque ab Aboriginibus ad habitandum agro, & quidquid petierunt; opidum condiderunt haud procul à mari in quodam colle, nomine Lavinium. Haud ita multo pòſt, vetere adpellatione mutatâ, unà cum Aboriginibus à regionis rege nuncupati ſunt Latini. & relicto Lavinio, unà cum indigenis maiorem muniverunt urbem, quam Albam vocarunt. ex qua & alia compluria opida deduxerunt, quæ Priſcorum Latinorum adpellantur.* Livius lib. I: *Revocatis deinde ad concilium Latinis, Tarquinius ita verba fecit: Poſſe quidem ſe vetuſto jure agere: quòd, cum omnes Latini ab Albanâ oriundi ſint, in eodem fœdere teneantur, quo ab Tullo res omnis Albana cum colonis ſuis in Romanum ceſſerit imperium.* Dionyſius lib. VI: Ὅτι τὴν Ἀλβανῶν πόλιν, ἐξ ἧς αὐτοὶ ἀπῳκίσθησαν, καὶ Λατίνων πᾶσαι πόλεις, ἐν ἡμέρᾳ καθελεῖν ἔγνωσαν μιᾷ. Id eſt: *Quod Albanorum urbem, unde ipſi omneisque Latinorum urbes deductæ, unâ die delendum decreverint.* Et lib. III: Ἡ μὲν δὴ τῶν Ἀλβανῶν πόλις, ἡ τὰς τριάκοντα Λατίνων ἀποικίσασα πόλεις, καὶ πάντα τὸν χρόνον ἡγησαμένη τοῦ ἔθνους, ὑπὸ τῆς ἐσχάτης ἀποικίσεως καθαιρεθεῖσα, ἔρημος εἰς τόνδε χρόνον διαμένει. Id eſt: *Sic Alba*, XXX *opidorum Latinorum mater, & gentis eius toto illo tempore princeps, à noviſſimâ ſuâ coloniâ ſolo æquata, hodiéque deſerta permanet.* Et eodem libro poſteà: Αἱ δὲ τῶν Λατίνων πόλεις Ῥωμαίοις ἐγένοντο τότε πρῶτον διάφοροι, οὐκ ἀξιοῦσαι κατεσκαμμένης τῆς Ἀλβανῶν πόλεως τοῖς αἱρηκόσιν αὐτὴν Ῥωμαίοις τὴν ἡγεμονίαν παραδοῦναι. ἐτῶν γὰρ διαγενομένων πεντεκαίδεκα μετὰ τὸν ἀφανισμὸν τῆς Ἄλβας, πρέσβεις ἀποστείλας ὁ τῶν Ῥωμαίων βασιλεὺς εἰς τὰς ἀποίκους τε καὶ ὑπηκόους αὐτῆς τριάκοντα πόλεις ἠξίου πείθεσθαι τοῖς ὑπὸ Ῥωμαίων ἐπιταττομένοις, ὡς παρειληφότων αὐτῶν ἅμα τοῖς ἄλλοις, οἷς εἶχον Ἀλβανοί, καὶ τὴν ἡγεμονίαν τοῦ Λατίνων ἔθνους. Hoc eſt: *Latinæ verò urbes tum primùm à Romanis diſſidere cœperunt: quòd, Albâ dirutâ, everſoribus eius Romanis imperium tradere recuſarent. anno quidpe poſt illius excidium* XV *rex Romanus, dimiſſis per* XXX *eius colonias legatis, poſtulabat, ut imperata facerent: quòd ad victores cum cæteris Albanorum rebus tranſiſſet etiam Latinæ gentis imperium.* Tacitus Annal. lib. IIII, in rebus Tiberii imperatoris: *Quamquàm inſideret urbem proprius miles;* III *urbanæ,* VIIII *prætoriæ cohortes; Etruriâ fermè Vmbriâque delectæ, aut vetere Latio & coloniis antiquitus Romanis.* Hactenus auctores id intellexêre *Priſcum Latium*, quod Tarquinius Superbus, debellatâ proximâ parte Volſcorum gentis, capiteque eorum *Sueſſâ Pometiâ*, ſuper Circæum ſitâ promontorium, occupatâ, coloniáque Circeios deductâ, ad dictum usque promontorium produxit. Hinc Plinius lib. III cap. V: *Latium antiquum à Tiberi Circeios usque ſervatum eſt, millium paſſuum* L *longitudine. tam tennes primordio imperii fuêre radices. Coloniis ſæpè mutatis, tenuêre alii aliis temporibus, Aborigines, Pelaſgi, Arcades, Siculi, Aurunci, Rutuli: & ultra Circeios, Volſci, Oſci, Auſones. unde nomen modò Latii proceſſit ad Lirim amnem.* Satis, meherclè, turbatoriè & confuſè, ne dicam abſurdè. nam hoc voluit: nempe, Latium antiquum fuiſſe à Tiberi usque ad Circeios. inde verò novum Latium adjectum, ad Lirim usque amnem: quam oram olim incoluerint *Volſci, Oſci, Auſones.* Aliquanto pòſt, *Colonia*, inquit, *Minturnæ; Liri amne diviſa, Glani quondam adpellato, opidum Sinueſſa, extremum in adjecto Latio. hinc felix illa Campania eſt.* Strabo lib. V: Νυνὶ μὲν οὖν ἡ παραλία μέχρι πόλεως Σινουέσσης ἀπὸ τῶν Ὠστίων Λατίνη καλεῖται· πρότερον ἐστὶ μέχρι Κιρκαίου ὄρους μόνον ἐσχήκει τὴν ἐπίδοσιν· καὶ τὴν μεσογαίαν δὲ πρότερον μὲν οὐ πολλήν, ὕστερον δὲ καὶ μέχρι Καμπανίας διέτεινε καὶ Σαμνιτῶν καὶ Πελιγνῶν καὶ ἄλλων τῶν τὸν Ἀπεννῖνον κατοικούντων. Hoc eſt: *Nunc quidem, ora omnis ab Oſtiâ ab Sinueſſam usque adpellatur Latium. anteà verò non ultra Circeium montem nomen id protendebatur. in mediterraneis quoque ab initio haud multa occupavit. poſteà verò ad Campaniam usque & Samnitas ac Pelignos aliosque Apennini adcolas prolatum.* Ad *Pelignos* equidem usque falſò id profert Strabo; quum *Marſorum* interceſſerit gens. quorum opidum *Albam* falſò eum adſcribere Latio, ſuprà in eius gentis deſcriptione oſtenſum. Cæterùm de *Antiquo Latio* teſtis etiam eſt antiquus in primis auctor Scylax in Περίπλῳ. Ἀπὸ Ἄρνου ἐστί, inquit, Τυρρηνοὶ ἔθνος μέχρι Ῥώμης πόλεως. Τυρρηνίας ἔχονται Λατῖνοι, μέχρι τοῦ Κιρκαίου· καὶ τὸ τοῦ Ἐλπήνορος μνῆμά ἐστι Λατίνων. Λατίνων δὲ ἔχονται Ὄλσκοι. Id eſt: *Ab Arno Tyrrhenorum eſt gens ad Romam urbem usque. Tyrrheniæ continuantur Latini, usque ad Circæum. nam & Elpenoris monimentum eſt in Latinis. His continuantur Volſci.* Et Scylace antiquior Theophraſtus, Ariſtotelis auditor atque ſucceſſor, Hiſtor. planar. lib. V cap. VIIII:

Ἡ δὲ τῶν Λατίνων ἔφυδρος πᾶσα. καὶ ἡ μὲν πεδινὴ δάφνην ἔχει καὶ μυῤῥίνην καὶ ὀξύην θαυμαστήν. τηλικαῦτα γὰρ μήκη τέμνουσι, ὥστ' εἶναι διὰ νεὼς τῶν Τυῤῥηνίδων ὑπὸ τὴν τρόπιν. ἡ δὲ ὀρεινὴ πεύκην καὶ ἐλάτην. Τὸ δὲ Κιρκαῖον καλούμενον εἶναι μὲν ἄκραν ὑψηλὴν, δασεῖαν δὲ σφόδρα· καὶ ἔχειν δρῦν καὶ δάφνην πολλὴν καὶ μυῤῥίνην· λέγειν δὲ τοὺς ἐγχωρίους, ὡς ἐνταῦθα ἡ Κίρκη κατῴκει· καὶ δεικνύναι τὸν τοῦ Ἐλπήνορος τάφον. Hoc eſt: *Latinus ager aquis totus abundat. & plana quidem laurum habent & myrtum ſciſſimamque mirandam. tantâ quidpe longitudine cæditur, ut pro carinâ Etruſcis navibus ſufficiat. montana verò pinum atque abietem ferunt. Circæum autem heic excelſum quoddam eſſe aiunt promontorium, ſpiſſis nemoribus conſitum; maximè verò robore, myrto, ac lauro. Circen id inhabitaſſe incolæ ferunt: tumulumque Elpenoris in eo oſtentant.* Et lib. VIIII cap. XV: Φαρμακώδεις δὲ δοκοῦσιν εἶναι τόποι μάλιστα μὲν ἔξω τῆς Ἑλλάδος οἱ περὶ Τυῤῥηνίαν καὶ τὴν Λατίνην· ἐν ᾗ καὶ τὴν Κίρκην εἶναι λέγουσιν. Id eſt: *Tractus medicamentorum fertiles maximè traduntur extra Græciam circa Tyrrheniam & Latinum agrum; in quo Circen habitaſſe ferunt.* Ἔφυδρος χώρα, id eſt, *aquis irrigua regio* in hoc Latio maximè erat *Pomptinus ager* apud Circæum montem; ut infrà docebitur. unde illud apud Priſcianum Inſtitution. grammat. lib. IIII: *Cato Cenſorius in ſecundo Originum: Lucum Dianium in nemore Aricino Egerius Lebius Tuſculanus dedicavit, dictator Latinus; & hi populi communiter; Tuſculanus, Aricinus, Lanuvinus, Laurens, Coranus, Tiburtis, Pometinus, Ardeatis, Rutulus.* At verò, quòd Plinius, loco proximè ſcripto, in hoc intra Circæum montem Latio *Auruncos* quoque recenſuit populos, neſcio an ex poëtâ Virgilio ſumpſerit: quando hos trans Tarracinam opidum aliis auctoribus, quos ſuo loco citabimus, referri video. Virgilius Aeneid. lib. XI Latinum regem introducit ita in concilio concionantem:

Eſt antiquus ager, Tuſco, mihi, proximus amni,
Longus in occaſum fineis ſuper usque Sicanos:
Aurunci Rutulique ſerunt, & vomere duros
Exercent colleis, atque horum aſperrima paſcunt.
Hæc omnis regio & celſi plaga pinea montis
Cedat amicitiæ Teucrorum; & fœderis æquas
Dicamus leges; ſociosque in regna vocemus.
Conſidant, ſi tantus amor, & mœnia condant.

Quum plerique, ut ſuprà intellectum, in hoc conſenſerint auctores, Aeneam ab Latino accepiſſe agrum inter Laurentum & Tiberim amnem; quo tractu nullus eſt *celſus mons*; nihil certius, quàm Virgilium poëticâ iterum quadam licentiâ heic innuiſſe antiquum illud populi Romani Latium, quod excelſo eoque pineo monte finiebatur Circæo. unde etiam & Donatus & Clavarius, agrum hunc, quem Latinus offert Troianis, apud *Vfentem fluvium* eſſe dixerunt; teſte Servio in hunc locum Virgilii. qui amnis prope Circæum haud procul Tarracinâ opido in mare effunditur. Sed & *Tarracinam* Polybius in antiquo refert Latio ex fœdere Romano primis urbis Romæ conſulibus cum Carthaginienſibus facto. Verba eius lib. III hæc ſunt: Γίνονται τοιγαροῦν συνθῆκαι Ῥωμαίοις καὶ Καρχηδονίοις πρῶται κατὰ Λεύκιον Ἰούνιον Βροῦτον καὶ Μάρκον Ὡράτιον, τοὺς πρώτους κατασταθέντας ὑπάτους μετὰ τὴν τῶν βασιλέων κατάλυσιν. * — *. Καρχηδόνιοι δὲ μὴ ἀδικείτωσαν δῆμον Ἀρδεατῶν, Ἀντιατῶν, Λαυρεντίνων, Κιρκαιατῶν, Ταῤῥακινιτῶν τῶν μηδ' ἄλλον μηδένα Λατίνων, ὅσοι ἂν ὑπήκοοι. Id eſt: *Primum igitur fœdus inter Romanos & Carthaginienſeis ictum eſt conſulatu L. Iunii Bruti & M. Horatii, primorum poſt reges exactos conſulum.* Et aliquanto poſt: Ὁμοίως δὲ καὶ Ῥωμαῖοι περὶ τῆς Λατίνης οὐκ οἴονται δεῖν τοὺς Καρχηδονίους ἀδικεῖν Ἀρδεάτας, Ἀντιάτας, Κιρκαιΐτας, Ταῤῥακινίτας· αὗται δ' εἰσὶν αἱ πόλεις αἱ περιέχουσαι παρὰ θάλατταν τὴν Λατίνην χώραν, ὑπὲρ ἧς ποιοῦνται τὰς συνθήκας. Hoc eſt: *Similiter de Latio cavent, ne fiat ab Carthaginienſibus injuria Ardeatibus, Antiatibus, Circeienſibus, Tarracinenſibus: quæ ſunt opida maritima Latii, de quo fœdus hoc factum.* Ac *Circeios* quidem jam ante primos hosce conſules rex Tarquinius Superbus coloniam deduxerat; teſtibus, Livio lib. I, Dionyſio lib. IIII. *Tarracinam* verò expugnaſſe Romanos anno urbis ſuæ CCCXLVIIII, annis CIIII poſt prædictos conſules, auctor eſt Livius lib. IIII: coloniam autem eò deductam anno CCCCXXV, tradit lib. VIII. Verùm & *Tarracina* & *Circeii*, & longè citra hæc *Antium* quoque ab initio, extra Latii, quod Siculi ante Latinos obtinuêre, fineis, *Volſcorum* fuerunt opida; & citra Antium *Ardea* etiam fuit *Rutulorum:* quos & ipſos à Latinorum nomine ac genere exemerunt plerique auctores. In his Dionyſius lib. V, ubi, Q.

Cluilio

Cluilio Siculo & T. Lartio Flavo conſulibus, anno urbis Romæ CCLVI, bellum omnes Latini nominis populi Romanis denunciaverant; Ἡ βουλή, inquit, πολλαχῆ διαπέμπουσα πρέσβεις, παρεκάλει τὰς πλησιοχώρους πόλεις ἐπὶ συμμαχίαν, ἀντιπρεσβευομένων εἰς τὰς αὐτὰς πόλεις τῶν Λατίνων, καὶ πολλὰ τῆς Ῥώμης κατηγορούντων. Ἕρνικες μὲν οὖν κοινῇ συνελθόντες, ὕποπτα καὶ οὐδὲν ὑγιὲς ἀμφοτέραις ταῖς πρεσβείαις ἀπεκρίναντο. Ῥότολοι δὲ Λατίνοις μὲν ἐπικουρίαν πέμπειν ἄντικρυς ὑπέσχοντο. Ῥωμαίοις δέ, ἂν βουληθῶσι καταλύσασθαι τὴν ἔχθραν, διὰ σφῶν μετριωτέρους παρέξειν Λατίνους ἔφασαν, καὶ τὰς συμβάσεις αὐτοῖς διαιτήσειν. Οὐολοῦσκοι δὲ καὶ θαυμάζειν ἔλεγον τὴν Ῥωμαίων ἀναισχυντίαν. Id eſt: *Senatus, dimiſſis circùm finitimas urbeis legatis, ſocietatem earum ambiebat: Latinis contrarias ad easdem urbeis legationes mittentibus; ac multa in populum Romanum congerentibus. Igitur Hernici neutris legatis quidquam ſani reſponderunt: ſed utroſque cum ſuſpecto reſponſo dimiſerunt. Rutuli, Latinis auxilium diſertè polliciti, Romanis tamen promittebant; ſi ponere inimicitias vellent, ſe ſuâ interceſſione Latinos ipſis reddituros æquiores; pacemque conciliaturos. Volſci verò, mirari ſe, dicebant, Romanorum impudentiam.* Sic Livius lib. I, ſub rege Tarquinio Superbo: *Pererraturum ſe omne Latium: Volſcosque ſe inde & Aequos & Hernicos petiturum.* Et Cicero in Oratione pro L. Cornelio Balbo: *Itaque & ex Latio multi & Tuſculani & Lanuvini, & ex cæteris generibus gentes univerſæ in civitatem ſunt receptæ; ut Sabinorum, Volſcorum, Hernicorum.* Faliſſimum eſt, quod Strabo tradit dicto lib. V his verbis: Ἕρνικοι οἱ πλησίον ᾤκουν τῷ τε Λαουϊνίῳ καὶ τῇ Ἄλβᾳ καὶ αὐτῇ τῇ Ῥώμῃ· οὐκ ἄπωθεν δ᾽ οὐδ᾽ Ἀρικία καὶ Τελλῆναι καὶ Ἄντιον. Id eſt: *Hernici prope Lavinium & Albam ipſamque Romam incoluerunt. nec procul ab ipſorum finibus fuère Aricia ac Tellenæ & Antium.* In medio ſcilicet eos locat Priſco Latio. quod falſiſſimum eſſe, vel unus ſatis refutaverit diſertis verbis Livius, quæ lib. VI ſunt huiusmodi: *Quum conſules in Hernicos exercitum duxiſſent; non inventis in agro hoſtibus, Ferentinum, urbem eorum, vi ceperunt.* Et lib. VIIII: *Id ægrè paſſi Hernici, concilium populorum habentibus Anagninis in circo, quem Maritimum vocant, præter Alatrinatem, Ferentinatemque & Verulanum, omnes Hernici populi populo Romano bellum indixerunt.* Et aliquanto pòſt: *Hernicorum tribus populis, Alatrinati, Verulano, Ferentinati, ſuæ leges redditæ.* Omnia hæc opida retinent etiam nunc nomina ſua antiqua, *Anagni, Alatro, Veroli, Ferentino*, vulgò dicta; longè interiùs circa Anienis fonteis & Lirim amnem, qui nunc eſt *Garigliano*, ſita. *Rutulos* tamen, exiguam admodùm nationem, Latinorum gentis partem fecerunt poëtæ Virgilius Siliusque, ut infrà videbimus. Verùm omnes iſti populi, *Priſci Latini, Rutili, Volſci, Aequi, Hernici, Auſones*, à Tiberi ad Lirim usque incolentes, in unum *Novi Latii* nomen poſteà corpusque à Romanis contributi ſunt; teſtibus ſuprà citatis Strabone Plinioque. Hinc etiam Silius lib. VIII, ubi totius ferè Italiæ chorographiam perſequitur, omnium prædictorum populorum opidis mixtim enumeratis, tranſit inde ad Sabinos; inde ad Picenteis; mox Vmbros, Etruſcos, Marſos, Pelignos, Sidicinos, Veſtinos, Marrucinos, Frentanos, Campanos, Samnites, Apulos, Lucanos, Calabros, Selentinos. Et Cicero in Bruto: *Apud maiores noſtros video diſertiſſimum habitum ex Latio L. Papirium Fregellanum, Ti. Gracchi, P. F. ferè ætate. eius verò oratio eſt pro Fregellanis colonisque Latinis habita.* Ergo jam tum huius Ti. Gracchi, qui anno urbis Romæ IↃCXX, P. Mucio Scævolâ & L. Calpurnio Piſone, occiſus eſt, temporibus *Latii* nomen atque fines ad Lirim usque prolati fuère. nam opidum *Fregellæ* in dextrâ huius fluminis ripâ erat poſitum; ut infrà videbimus. Ac *Lirim* equidem Plinius, ſuprà dicto lib. III cap. V, terminum *Novo Latio* ſtatuit. unde etiam epitomator eius Solinus cap. VIII, non tam auctore ſuo malè intellecto, quàm illius ævum cum tempeſtate ſuâ confundens; *Italia*, inquit, *in qua Latium antiquum anteà à Tiberis oſtiis adusque Lirim amnem pertinebat, univerſa conſurgit à jugis Alpium, porrecta ad Rheginum verticem.* Suam ſcilicet ætatem reſpexit: quæ *Campaniæ* nomen longè citra Lirim obtinebat. Verùm Plinius licèt *Lirim* conſtituat terminum Latii Novi; tamen paullo pòſt etiam ultra hunc amnem memorat *opidum Sinueſſam, extremum id adjecto Latio.* & in mediterraneis item *Aquinum, Arpinum, Atina*, & *Caſinum*, opida in eodem fuiſſe Novo Latio, infrà patebit. Nec tamen ſolum Plinium hunc ſtatuiſſe terminum; ſed vulgò ſic habitum fuiſſe; patet ex Ptolemæi quoque geographiâ; qui ita habet: Λατίνων ὁμοίως παρὰ τὸ Τυῤῥηνικὸν πέλαγος· Τιβέρεως ποταμοῦ ἐκβολαί, Ὠστία, Ἄντιον, Κλώστρα, Κιρκαῖον ἄκρον, Ταῤῥακίναι, Φορμίαι. Καμπανῶν ὁμοίως παρὰ τὸ Τυῤῥηνικὸν πέλαγος· Λιέρεως.

Λείρεως ποταμοῦ ἐκβολαὶ, Σινόεσσα, Οὐόλτουρνον, Κῦμαι. Id eſt: *Latinorum itidem juxta mare Etruſcum; Tiberis amnis oſtium, Oſtia, Antium, Cloſtra, Circæum promontorium, Tarracinæ, Formiæ. Item Campanorum ad Etruſcum litus; Liris fluvii os, Sinueſſa, Vulturnum, Cumæ.* Et longè ante Ptolemæum Polybius lib. III diſertè Sinueſſam inter Campaniæ urbeis connumerat; ut infrà cap. X in eius urbis deſcriptione videbimus. Certè quum etiam ultra Lirim multa fuerint Novi Latii opida; ut infrà cap. VIII videbimus; commodior eius fuiſſet terminus jugum montis, quod lævam Liris ripam eminus proſequitur; altero verò ſuo latere habet Campaniæ opida *Sueſſam* & *Teanum*. Mela, lib. II cap. IIII, quum ſatis diſertè *Sinueſſam* extra Campaniam tribuiſſet Latio: oratio eius à malè curioſis imperitisque exſcriptoribus miſerè confuſa vitiataque eſt. eam ergo ſic diſtingvo: *Buxentum, Velia, Palinurus, Pæſtanus ſinus, Pæſtum opidum, Silarus amnis, Picentia, Petræ quas Sirenes habitavêre, Minervæ promontorium; opima Lucaniæ loca. ſinus Puteolanus, Surrentum, Herculaneum, Veſuvii montis adſpectus, Pompei, Neapolis, Puteoli, Lacus Lucrinus & Avernus, Baiæ, Miſenum, Cumæ, Liternum, Vulturnus amnis, Vulturnum opidum; amœna Campaniæ litora. Sinueſſa, Liris, Minturnæ, Formiæ, Fundi, Tarracina, Circes domus aliquando Circeii, Antium, Aphrodiſium, Ardea, Laurentum, Oſtia, citra Tiberim in hoc litore ſunt. ultra Pyrgi, Alſium, Caſtrum novum, Graviſcæ, Coſſa, Telamon, Populonia, Cæcina, Piſæ; Etruſca loca & flumina.* Semper opida fluminaque priore loco enumerat: tandem ſubjungit regionis nomen, cuius illa fuerint. Verùm, quo faciliùs clariúsque antiquiſſimæ Romanorum res, hoc ſpacio inter Tiberim & Lirim ſive Sinueſſam geſtæ, intelligantur: nos vetuſtiſſimorum populorum, id eſt, *Priſcum Latinorum, Rutulorum, Hernicorum, Volſcorum*, fineis atque opida ſingulatim explicabimus.

CAP. II.

De PRISCI LATII *finibus, & principe eius urbium* ROMA, *locisque proximè adjacentibus.*

ANTIQVI igitur LATII fines fuêre iſti: Ab Solis occaſu, Anio fluvius, ab opido *Tibure* ad confluentem usque Tiberis. hinc ipſe Tiberis, ad oſtia usque. ab meridie, mare inferum, à Tiberis oſtiis ad medium locum inter duo opida *Patricam* & *Ardeam*; quorum hoc *Rutulorum* fuiſſe, infrà patebit. hinc ab ortu hiberno limes fuit, quo Latinorum includebantur opida *Lavinium, Aricia, Lanuvium, Albanus mons, Labici, Præneſte*; quæ vulgò nunc adpellantur, *S. Petronella, L' Ariccia, Cività Lavinia, Gallicano, Pilaſtrina*. extra quem limitem *Ardea*, ut dictum, *Rutulorum* fuit, *Velitræ*, vulgò nunc *Beletri*, &, *Cora*, Volſcorum. A ſeptemtrionibus, ut ſuprà lib. II cap. XVI oſtenſum, Aequorum gens, veluti cuneo quodam inter *Præneſte* & *Tibur*, in Latinorum agrum ad Tuſculanos usque monteis ſeſe inſinuabat; opido eorum prope Tuſculum ſito *Algido:* quo loco nunc diverſorium publicum in viâ Latinâ eſſe dixi vulgari vocabulo *Oſteria*. Tam arctis igitur fuêre Latinorum agri incluſi finibus, poſtquàm eos Sabini regione inter Narem Anienemque amneis, ut ſuperiori capite oſtenſum, expulerunt. Patuêre in longum, à Tibure ad mare, XXXV millia; in latum, ab Tiberi ac Româ in Albanum montem, XX. De nonnullis trans Anienem opidis, quæ nonnulli auctores Latio, ceu Albanorum colonias, adſcripſerunt, quàm dubia ſit res, ſuprà lib II cap. VIII in Sabinis patuit. Potuerant tamen aliqua eorum Latini ſive Aborigines condidiſſe, antequàm eâ regione à Sabinis ejecti fuerunt. Virgilius equidem Aeneid. lib. VI Anchiſen introducit, apud inferos filio Aeneæ ita de futuris Albanorum regibus vaticinantem:

Hi tibi Nomentum & Gabios urbemque Fidenam,
Hi Collatinas imponent montibus arceis,
Laude pudicitiæ celebres; addentque ſuperbos
Pometios, Caſtrumque Inui, Bolamque Coramque.
Hæc tum nomina erunt: nunc ſunt ſine nomine terræ.

Sanè *Sueſſa Pometia* Volſcorum ſemper fuit caput, donec à Tarquinio Superbo, qui primus Romanorum bellum Volſcis movit, teſte Livio lib. I, capta fuit; ut



Tarqui-
câ igitur

inorum
Aſcanio,
ndidiſſe
tiquiſſi-
ſſe tan-
ique to-
e fas ſit.
id no-
uctores
ec ſunt:
τὸς ῥώμην
auctores
; neque
chus in
ϰ καὶ δ'
omæ no-
s, à quo
adfert.
veritas,
οἱ μὲν,
τας, αὐ-
Quidam
genteis,
Romam
dro pri-
erat ju-
lentiam
um pro-
n, com-
minatos
rectiùs
mi con-
i Ae-
ῥώμην.
ἀρεᾶ μὲν
ςλω δὲ
ἐτλαρας
μαγόρα
Cephalo
nditam
omum,
viſſe fi-
ore de-
s: Ro-
ur con-
nc Pa-
δὲ τὰς
ῖς Ἰτα-
λιάδων
τὰ σκά-
oc eſt:
eſtum,
: no-
horta-
tam,



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Ἀέϱ...
mare Et
Tarraci
turnum
Campa
mus. C
VIII vic
ris ripa
& *Tean*
tribuiſ
fuſa vit
ſinus, *I*
promon
montis
num, *C*
Sinueſſ
Antium
Pyrgi,
Etruſca
ſubjun
quiſſin
intelli
rum, *I*

AN
o
ab me
tricam
limes
nus mo
vità L
fuit, *I*
lib. II
Tibur
eorun
tinâ e
ſi finil
perio
millia
Anier
pſeru
men a
nis ej
infer

Sanè
qui p

infrà ſuo loco oſtendetur. unde etiam Florus lib. I cap. VII, in rebus geſtis Tarquinii: *Sic valida opida in Latio capta ſunt; Ardea, Gabii, Sueſſa Pometia*. Poëticâ igitur licentiâ iſtud quoque à Virgilio confictum eſt.

De cætero urbium in *Priſco Latio* princeps exiſtimata eſt *Laurentum*, Latinorum regum ſedes. inde *Lavinium*, ab Aeneâ Troiano conditum. tum *Alba*, ab Aſcanio, Aeneæ filio, conſtituta. hinc profecti Romulus atque Remus, *Romam* condidiſſe crediti ſunt. Verùm quia de huius origine & conditoribus ſumma apud antiquiſſimos etiam rerum ſcriptores controverſia fuit; unde omnium vetuſtiſſima eſſe tandem diſpicitur: ſimulque, quia non tantùm Latii, & mox Italiæ, ſed denique totius ferè terrarum Orbis caput evaſit: priore loco de hac dicere dignum atque fas ſit.

VRBS igitur ROMA à quo & quibus temporibus condita ſit, item unde id nominis acceperit, numquàm ſatis conſtitiſſe, teſtantur inter alios antiquos auctores maximè Dionyſius Halicarnaſſenſis atque Plutarchus. Illius verba lib. I hæc ſunt: Ἀμφισβητήσεως δὲ πολλῆς οὔσης καὶ περὶ τοῦ χρόνου καὶ κτίσεως καὶ περὶ τῶν οἰκιστῶν τῆς πόλεως, οὐδ' αὐτὸς ᾤμην δεῖν, ὥσπερ ὁμολογουμένα πρὸς ἁπάντων, ἐξ ἐπιδρομῆς ἐπελθεῖν. Id eſt: *Quoniam auctores multum variant tam de tempore, quo urbs ſit condita, quàm de ipſis conditoribus; neque mihi viſum eſt, rem, quaſi confeſſam, obiter tantùm eſſe attingendam*. Plutarchus in Romulo: Τὸ μέγα τῆς Ῥώμης ὄνομα, καὶ δόξῃ διὰ πάντων ἀνθρώπων κεχωρηκὸς, ἀφ' ὅτου καὶ δι' ἣν αἰτίαν τῇ πόλιν γέγονεν, οὐχ ὡμολόγηται παρὰ τοῖς συγγραφεῦσιν. Hoc eſt: *Ingens Romæ nomen, quod gloriâ eſt apud omneis genteis decantatum, haud convenit inter ſcriptores, à quo urbs & qua de cauſâ invenerit*. Varias variorum auctorum ſententias uterque adfert. eas, ut & quæ apud alios exſtant ſcriptores, in medium huc producere, quò veritas, quantum eius fieri poterit, inde eruatur, conſilium eſt. Plutarchus ibidem: οἱ μὲν, Πελασγοὺς, φασιν, ἐπὶ πλεῖστα τῆς οἰκουμένης πλανηθέντας ἀνθρώπων τε πλείστων κρατήσαντας, αὐτόθι κατοικῆσαι, καὶ διὰ τὴν ἐν τοῖς ὅπλοις ῥώμην, οὕτως ὀνομάσαι τὴν πόλιν. Id eſt: *Quidam Pelaſgos aiunt, quum maiorem partem petcurſaſſent Orbis, plurimaſque deviciſſent genteis, eam oram tenuiſſe, atque ex ſuo in armis robore* [hoc ῥώμη eſt Græcis] *urbem Romam adpellaſſe*. Solinus cap. I: *Sunt, qui videri velint, Romæ vocabulum ab Euandro primùm datum, quum opidum ibi offendiſſet, quod exſtructum anteà Valentiam dixerat juventus Latina: ſervatâque ſignificatione impoſiti priùs nominis*, Ῥώμην *Græcè Valentiam nominatam*. Feſtus Pompeius: *Hiſtoriæ Cumanæ compoſitor ait, Athenis quoſdam profectos Sicyonem Theſpiaſque. ex quibus porrò civitatibus, ob inopiam domiciliorum, complures, profectos in exteras regiones, delatos in Italiam: eoſque à multo errore nominatos Aborigines. quorum ſubjecti qui fuerint Cæximparum viri unicarum virium* [fortè rectiùs *Cæxipari, viri unicarum virium*] *imperio, montem Palatium, in quo frequentiſſimi conſederint, adpellaviſſe à viribus regentis Valentiam. quod nomen, adventu Euandri Aeneæque in Italiam cum magnâ Græcè loquentium copiâ, interpretatum, dici cæptum* Ῥώμην. Dionyſius ibidem: Κεφάλων δὲ ὁ Γεργίθιος, συγγραφεὺς παλαιὸς πάνυ, δευτέρᾳ γενεᾷ μετὰ τὸν Ἰλιακὸν πόλεμον ἐκτίσθαι λέγει τὴν πόλιν ὑπὸ τῶν ἐξ Ἰλίου διασωθέντων σὺν Αἰνείᾳ· οἰκιστὴν δὲ αὐτῆς ἀποφαίνει τὸν ἡγησάμενον τῆς ἀποικίας Ῥῶμον· τοῦτον δ' εἶναι τῶν Αἰνείου παίδων ἕνα. τέτταρας δέ φησιν Αἰνείᾳ γενέσθαι παῖδας, Ἀσκάνιον, Εὐρυλέοντα, Ῥωμύλον, Ῥῶμον· εἴρηται δὲ Δημαγόρᾳ καὶ Ἀγαθύλλῳ καὶ ἄλλοις συχνοῖς ὅ τε χρόνος καὶ ὁ τῆς ἀποικίας ἡγεμὼν ὁ αὐτός. Hoc eſt: *Cephalo Gergithius, ſcriptor maximè antiquus, ſecundâ ætate poſt bellum Troianum, ait, conditam ab iis urbem, qui cum Aeneâ ex Ilio elapſi erant. conditorem autem ex iis nominat Romum, coloniæ ducem. fuiſſeque hunc unum ex Aeneæ filiis. quidpe quatuor Aeneam habuiſſe filios, Aſcanium, Euryleontem, Romulum, atque Romum. Atque cum hoc de tempore deque coloniæ duce conſentiunt Demagoras & Agathyllus, compluresque alii*. Feſtus: *Romam adpellatam eſſe, Cephalon Gergithius, qui de adventu Aeneæ in Italiam videtur conſcripſiſſe, ait, ab homine quodam, comite Aeneæ. eum enim, occupato monte, qui nunc Palatinus dicitur, urbem condidiſſe; atque eam Romam nominaſſe*. Dionyſius: ὁ δὲ τὰς ἱερείας τὰς ἐν Ἄργει καὶ τὰ καθ' ἑκάστην πραχθέντα συναγαγὼν, Αἰνείαν φησὶν ἐκ Μολοττῶν εἰς Ἰταλίαν ἐλθόντα μετ' Ὀδυσέως, οἰκιστὴν γενέσθαι τῆς πόλεως· ὀνομάσαι δ' αὐτὴν ἀπὸ μιᾶς τῶν Ἰλιάδων Ῥώμης. ταύτην δὲ λέγει τὰς ἄλλας Τρῳάσι παρακελευσαμένην, κοινῇ μετ' αὐτῶν ἐμπρῆσαι τὰ σκάφη, βαρυνομένην τῇ πλάνῃ. Ὁμολογεῖ δ' αὐτῷ καὶ Δαμαστὸς ὁ Σιγεὺς, καὶ ἄλλοι τινές. Hoc eſt: *Is, qui recenſet mulieres ſacerdotio apud Argos functas, & quid cuiusque tempore ſit geſtum, Aeneam tradit, è Moloſſis in Italiam cum Vlyſſe delatum, urbis conditorem fuiſſe: nomenque ei indidiſſe à quadam Slienſi feminâ Româ. quam, narrat, cæteras Troianas hortatam,*

tam, effeciſſe, ut facto ſecum impetu naveis exurerent, navigationis & errorum tædio. Huic adſtipulatur Damaſtes Sigenſis, & nonnulli alii. Plutarchus: Οἱ δὲ, Τροίας ἁλισκομένης, διαφυγόντας ἐνίους καὶ πλοίων ἐπιτυχόντας, ὑπὸ πνευμάτων τῇ Τυρρηνίᾳ προσπεσεῖν φερομένους, καὶ περὶ τὸν Θύμβριν ποταμὸν ὁρμίσασθαι· τῶν δὲ γυναιξὶν αὐτῶν ἀπορουμέναις ἤδη καὶ δυσανασχετούσαις πρὸς τὴν θάλασσαν, ὑποθέσθαι μίαν, ἣ καὶ γένει προὔχειν καὶ φρονεῖν ἐδόκει μάλιστα, Ῥώμην ὄνομα, καταπρῆσαι τὰ πλοῖα. πραχθέντος δὲ τούτου, πρῶτον μὲν ἀγανακτεῖν τοὺς ἄνδρας· ἔπειτα δι' ἀνάγκην, ἱδρυθέντας περὶ τὸ Παλλάντιον, ὡς ὀλίγῳ χρόνῳ κρεῖττον ἐλπίδος ἔπραττον, ἀγαθῆς πεπειραμένοι χώρας, καὶ δεχομένων αὐτοὺς τῶν περιοίκων, ἄλλην τε τιμὴν ἀπονέμειν τῇ Ῥώμῃ, καὶ τὴν πόλιν ἀπ' αὐτῆς, ὡς αἰτίας, προσαγορεύειν. Id eſt: *Alii tradunt, captâ Troiâ, nonnullos profugos, quum naveis eſſent nacti, ad Tyrrheniam vi ventorum expulſos, circa Tiberim ancoras jeciſſe. ubi, uxoribus eorum fatiſcentibus, pelagique jactationem pertæſis, unam, quæ & genere nobilior reliquis eſſe & præcellere mente videbatur, nomine Romam, ut claſſem incenderent, ſubgeſſiſſe. Id viros primùm ægrè tuliſſe. deinde, quum neceſſariò ſedeis circa Pallantium poſuiſſent; & brevi ſuprà ſpem ſuccederent omnia; quòd agri fertilitatem miram ſentirent; ipſosque adcolæ reciperent: cùm alios habuiſſe honores Romæ, tùm eius, ut auctoris, urbi nomen indidiſſe.* Solinus: *Heraclidi placet, Troiâ captâ, quosdam ex Achivis in ea loca, ubi nunc Roma eſt, deveniſſe per Tiberim. deinde, ſuadente Rome, nobiliſſimâ captivarum, quæ his comes erat, incenſis navibus, poſuiſſe ſedeis; ſtruxiſſe mœnia; & opidum ab eâ Romen vocaviſſe.* Feſtus: *Leſbius qui adpellatur Heraclides, exiſtimat, revertentibus ab Ilio Achivis, quosdam, tempeſtate dejectos in Italiæ regiones, ſequutos Tiberis decurſum, perveniſſe, ubi nunc ſit Roma. ibique propter tædium navigationis impulſas, captivas, auctoritate virginis cuiusdam tempeſtivæ* [lege, *item captivæ*,] *nomine Romes, incendiſſe claſſem. atque ab eâ neceſſitate ibi manendi urbem conditam ab his; & potiſſimùm eius nomine eam adpellatam, cuius conſilio eas ſedeis ſibi firmaſſent.* Dionyſius: Ἀριστοτέλης δὲ ὁ φιλόσοφος Ἀχαιῶν τινας ἱστορεῖ, τῶν ἀπὸ Τροίας ἀνακομιζομένων, περιπλέοντας Μαλέαν, ἔπειτα χειμῶνι βιαίῳ καταληφθέντας, τέως μὲν ὑπὸ τῶν πνευμάτων φερομένους, πολλαχῇ τοῦ πελάγους πλανᾶσθαι. τελευτῶντας δ' ἐλθεῖν εἰς τὸν τόπον τοῦτον τῆς Ὀπικῆς, ὃς καλεῖται Λάτιον, ἐπὶ τῷ Τυρρηνικῷ πελάγει κείμενος. ἀσμένους δὲ τὴν γῆν ἰδόντας, ἀνελκύσαι τε τὰς ναῦς αὐτόθι, καὶ διατρίψαι τὴν χειμερινὴν ὥραν, παρασκευαζομένους ἔαρος ἀρχομένους πλεῖν. ἐμπρησθεισῶν δὲ αὐτοῖς ὑπὸ νύκτα τῶν νεῶν, οὐκ ἔχοντας ὅπως ποιήσονται τὴν ἄπαρσιν, ἀβουλήτῳ ἀνάγκῃ τοὺς βίους ἐν ᾧ κατήχθησαν χωρίῳ ἱδρύσασθαι. συμβῆναι δὲ αὐτοῖς τοῦτο διὰ γυναῖκας αἰχμαλώτους, ἃς ἔτυχον ἔχοντες ἐξ Ἰλίου· ταύτας δὲ κατακαῦσαι τὰ πλοῖα, φοβουμένας τὴν οἴκαδε Ἀχαιῶν ἄπαρσιν, ὡς εἰς δουλείαν ἀφιξομένας: Hoc eſt: *Ariſtoteles philoſophus tradit, Achæorum quosdam, à Troiano bello redeunteis, circùm Maléam curſum flexiſſe; correptosque à ventis, tempeſtatis vi, ultro citroque diu per altum jactatos, tandem adpuliſſe ad eam Opicæ regionis oram, quæ, Tyrrheno pelago perfuſa, Latium vocatur. quumque, optati litoris deſiderio, naveis illò ſubduxiſſent; exegiſſe totam hiemem, ineunte vere abnavigare paratos. ſed quum naveis eis nocturno incendio conflagraſſent; ademptâ profectionis facultate, neceſſitatem in voluntatem vertiſſe; vitæque ſedeis in agris, ad quos adpulerunt, fixiſſe. Eum caſum obveniſſe eis captivarum Ilienſium operâ: quòd, metuentes, ne ſe domum in ſervitutem abducerent, ignem in naveis conjeciſſent.* Solinus: *Agathocles ſcribit, Romen non captivam fuiſſe; ut ſuprà dictum eſt: ſed, Aſcanio natam, Aeneæ neptem, adpellationis iſtius cauſam fuiſſe.* Dionyſius: Καλλίας δὲ, ὁ τὰς Ἀγαθοκλέους πράξεις ἀναγράψας, Ῥώμην τινὰ Τρῳάδα, τῶν ἀφικνουμένων ἅμα τοῖς ἄλλοις Τρωσὶν εἰς Ἰταλίαν, γήμασθαι Λατίνῳ, τῷ βασιλεῖ τῶν Ἀβοριγίνων, καὶ γεννῆσαι δύο παῖδας, Ῥῶμον καὶ Ῥωμύλον. οἰκίσαντας δὲ πόλιν, ἀπὸ τῆς μητρὸς αὐτῇ θέσθαι τοὔνομα. Hoc eſt: *Callias, rerum ab Agathocle geſtarum ſcriptor, Romen quamdam, ait, Troianam mulierem, cum cæteris Troianis delatam in Italiam, nupſiſſe Latino, Aboriginum regi; eique duos peperiſſe filios, Romum & Romulum: à quibus conditæ urbi nomen matris impoſitum.* Feſtus: *Callias, Agathoclis Siculi qui res geſtas conſcripſit, arbitratur, è manu Troianorum, è fugientium Ilio capto, cuidam fuiſſe nomen Latino; eumque habuiſſe conjugem Romam: à quo, ut Italiâ ſit potius, urbemque condiderit, eam Romam adpellaviſſe.* Idem poſteà: *Galitas ſcribit, quum, poſt obitum Aeneæ, imperium Italiæ perveniſſet ad Latinum, Telemachi Circesque filium; isque ex Româ ſuſcepiſſet filios Romum Romulumque; urbis conditæ in Palatio* [ſortè *Palatino*] *cauſam fuiſſe adpellandæ potiſſimum Romæ.* Servius ad Virgilii Aeneid. lib. I: *De origine & conditore Vrbis diverſa à diverſis traduntur. Clinias refert, Telemachi filiam, Romen nomiue, Aeneæ neptem fuiſſe; ex cuius vocabulo Romam adpellatam.......* [interiit nomen auctoris] ...

dicit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

dicit, Latinum, ex Vlyxe & Circe editum, de nomine ſororis ſuæ mortuæ Romen civitatem adpellaſſe. Atteius adſerit, Romam ante adventum Euandri diu Valentiam vocitatam: ſed pòſt Græco nomine Romam vocitatam. Alii à filiâ Euandri ita dictam. alii à fatidicâ, quæ prædixiſſet Euandro, his eum locis oportere conſidere. Eratoſthenes Aſcanii, Aeneæ filii, [filium] Romulum parentem urbis refert. Nævius & Ennius Aeneæ ex filiâ nepotem Romulum conditorem urbis tradunt. Sibylla ita dicit: Ῥωμαῖοι Ῥώμου παῖδες. [Id eſt: *Romani Romi progenies.* Dionyſius: Εἰσὶ δέ τινες, οἳ τὴν Ῥώμην ἐκτίσθαι λέγουσιν ὑπὸ Ῥώμου, τοῦ Ἰταλοῦ, μητρὸς δὲ Ἠλέκτρας, τῆς Λατίνου θυγατρός. Id eſt: *Sunt, qui Romam conditam aiunt, ab Itali filio Romo, nato ex Electrâ, Latini filiâ.* Plutarchus: Ἄλλοι δὲ Ῥώμην, Ἰταλοῦ θυγατέρα καὶ Λευκαρίας, οἱ δὲ Τηλέφου, τοῦ Ἡρακλέους, Αἰνείᾳ γαμηθεῖσαν, οἱ δ᾽ Ἀσκανίου, τοῦ Αἰνείου, λέγουσι τοὔνομα θέσθαι τῇ πόλει· οἱ δὲ Ῥῶμον, Ὀδυσσέως παῖδα καὶ Κίρκης, οἰκίσαι τὴν πόλιν· οἱ δὲ, Ῥῶμον, ἐκ Τροίας ὑπὸ Διομήδους ἀποσταλέντα, τὸν Ἠμαθίωνος· οἱ δὲ Ῥῶμον, Λατίνων τύραννον, ἐκβαλόντα Τυῤῥηνούς. Hoc eſt: *Alii tradunt, Romen Itali & Leucariæ filiam, alii Telephi, Herculis filii, filiam, Aeneæ nuptam, alii Aſcanii, Aeneæ filii, filiam, nomen urbi dediſſe. alii aiunt, Vlyſſis atque Circes filium Romum urbem condidiſſe. alii rurſus ferunt, Romum, Emathionis filium ab Diomede è Troiâ miſſum: alii Romum, Latinorum tyrannum; quum ejeciſſet Tyrrhenos.* Dionyſius: Ξεναγόρας δὲ ὁ συγγραφεὺς, ἱστορεῖ, Ὀδυσσέως καὶ Κίρκης υἱοὺς γενέσθαι τρεῖς, Ῥῶμον, Ἀντίαν, Ἀρδέαν· οἰκίσαντας δὲ τρεῖς πόλεις, ἀφ᾽ ἑαυτῶν θέσθαι τοῖς κτίσμασι τὰς ὀνομασίας. Διονύσιος δὲ ὁ Χαλκιδεὺς οἰκιστὴν μὲν ἀποφαίνει τῆς πόλεως Ῥῶμον· τοῦτον δὲ λέγει, κατὰ μέν τινας, Ἀσκανίου, κατὰ δέ τινας, Ἠμαθίωνος παῖδα εἶναι. Id eſt: *Xenagoras hiſtoricus tradit, Vlyſſis ac Circeis treis fuiſſe filios, Romum, Antiam, & Ardeam. eosque conditis tribus opidis, nomina iis à ſe impoſuiſſe. Dionyſius verò Chalcidenſis conſentit quidem de auctore urbis Romo: at filium eum fuiſſe tradit, quorumdam opinione, Aſcanii; aliorum autem ſententiâ, Emathionis.* Feſtus: *Apollodorus in Exenide ait, Aeneâ & Laviniâ natos, Mayllem, Mulem, Romumque. atque ab Romo urbi tractum nomen. Alcimus ait, ex Tyrrheniâ Aeneæ natum filium Romulum fuiſſe; atque eo ortam Albam, Aeneæ neptem: cuius filius, nomine Romus, condiderit urbem Romàm. Antigonus, Italicæ hiſtoriæ ſcriptor, ait, Romum quemdam nomine, Iove conceptum, urbem condidiſſe in Palatio, eique Romæ dediſſe nomen. Agathocles, Cyzicenarum rerum conſcriptor, ait, vaticinio Heleni impulſum Aeneam Italiam petiviſſe, portantem ſuam ſecum nepotem, Aſcanii filiam, nomine Romam: eamque, ut, Italiâ ſint Phryges potiti, & iis regionibus maximè, quæ nunc ſunt vicinæ urbi, primam omnium conſecraſſe in Palatio Fidei templum. in quo monte poſteà quum conderetur urbs, viſam eſſe juſtam vocabuli urbis Romæ cauſam à nomine eius, quæ prior eum locum dedicaviſſet Fidei. Ait idem Agathocles, complureis eſſe auctores, qui dicant, Aeneam ſepultum in urbe Berecynthiâ, proximè flumen Nolon. atque ex eius progenie quemdam nomine Romum veniſſe in Italiam; & urbem Romam nominatam, condidiſſe.* Plutarchus: Οὐ μὴν οὐδὲ οἱ Ῥωμύλον τῷ δικαιοτάτῳ τῶν λόγων ἀποφαίνοντες ἐπώνυμον τῆς πόλεως, ὁμολογοῦσι περὶ τοῦ γένους αὐτοῦ. οἱ μὲν γὰρ Αἰνείου καὶ Δεξιθέας, τῆς Φόρβαντος, υἱὸν ὄντα νήπιον, εἰς Ἰταλίαν κομισθῆναι, καὶ τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ Ῥῶμον· ἐν δὲ τῷ ποταμῷ πλημμύραντι τῶν ἄλλων σκαφῶν διαφθαρέντων, ἐν ᾧ δὲ ἦσαν οἱ παῖδες, εἰς μαλακὴν ἀποκλιθέντος ὄχθην ἀτρέμα, σωθέντας ἀπροσδοκήτως, ὀνομασθῆναι Ῥώμην· οἱ δὲ Ῥώμην, θυγατέρα τῆς Τρῳάδος ἐκείνης, Λατίνῳ, τῷ Τελεμάχου γαμηθεῖσαν, τεκεῖν τὸν Ῥωμύλον· οἱ δὲ Αἰμιλίαν, τὴν Αἰνείου καὶ Λαβινίας, Ἄρει συγγενομένην. Hoc eſt: *Quin nec inter eos, qui probatiſſima adferunt, qui Romulum contendunt urbi nomen poſuiſſe, de origine eius convenit. alii quidpe eum Aeneæ atque Dexitheæ, Phorbantis filiæ, filium, admodùm infantem cum fratre Romo in Italiam fuiſſe deportatum adfirmant. quum autem reliqua navigia amne effuſo periſſent; illud verò, in quo pueri erant, ad ripam mollem placidè delatum eſſet; præter ſpem ſalvos evaſiſſe. atque ita eum locum adpellatum fuiſſe Romam. Alii Romen, mulieris illius Troianæ filiam, quæ Latino, Telemachi filio, fuit nupta, Romuli fuiſſe matrem adſeverant. Alii rurſum Aemiliam, Aeneæ & Laviniæ filiam, ex Marte concepiſſe aiunt.* Dionyſius: Ἔχων δὲ πολλοὺς καὶ ἄλλους τῶν Ἑλληνικῶν παρέχεσθαι συγγραφέων, οἳ διαφόρους ἀποφαίνουσι τοὺς οἰκιστὰς τῆς πόλεως, ἵνα μὴ δόξαιμι μακηγορεῖν, ἐπὶ τοὺς Ῥωμαίων ἐλεύσομαι συγγραφεῖς. Παλαιὸς μὲν οὖν οὔτε συγγραφεὺς οὔτε λογογράφος ἐστὶ Ῥωμαίων οὐδὲ εἷς. ἐκ παλαιῶν μέντοι λόγων, ἐν ἱεραῖς δέλτοις σωζομένων, ἕκαστός τις παραλαβὼν ἀνέγραψε. Τούτων δέ τινες μὲν Αἰνείου γενέσθαι υἱοὺς λέγουσι Ῥωμύλον καὶ Ῥῶμον, τοὺς οἰκιστὰς τῆς Ῥώμης. ἕτεροι δὲ θυγατρὸς Αἰνείου παῖδας· ὅτου δὲ πατρὸς, οὐκέτι διορίζοντες. δοθῆναι δ᾽ αὐτοὺς ὑπ᾽ Αἰνείου Λατίνῳ, τῷ βασιλεῖ

τῶν Ἀβοριγίνων, ὁμηρεύσοντας, ὅτε αἱ πίστεις τοῖς ἐπιχωρίοις πρὸς τοὺς ἐπήλυδας ἐγίνοντο. ἀσπαζόμενον δὲ αὐτοὺς Λατῖνον τῇ τε ἄλλῃ θεραπείᾳ περιέπειν εὖ, ἐκγόνους τε ἄῤῥενος ἄπαιδα τελευτῶντα, διαδόχους μέρους τινὸς τῆς ἑαυτοῦ ἀρχῆς καταλιπεῖν. Ἄλλοι δὲ λέγουσιν, Αἰνείου τελευτήσαντος, Ἀσκάνιον ἅπασαν τὴν ἀρχὴν παραλαβόντα, νείμασθαι πρὸς τοὺς ἀδελφοὺς, Ῥωμύλον τε καὶ Ῥῶμον, τήν τε χώραν καὶ τὴν δύναμιν τῶν Λατίνων τριχῇ· αὐτὸν μὲν δὴ τήν τε Ἄλβαν κτίσαι καὶ ἄλλα ἄττα πολίσματα. Ῥῶμον δὲ Καπύην μὲν ἀπὸ τοῦ προπάππου Κάπυος, Ἀγχίσην δὲ τὴν ὕστερον κληθεῖσαν Ἰανίκλον, ἀπὸ τοῦ πατρὸς, Ῥώμην δ᾽ ἀφ᾽ ἑαυτοῦ. ταύτην δὲ χρόνους τινὰς ἐρημωθεῖσαν, ἑτέρας αὖθις ἐλθούσης ἀποικίας, ἣν Ἀλβανοὶ ἔστειλαν, ἡγουμένων Ῥωμύλου καὶ Ῥώμου, τὴν ἀρχαίαν κτίσιν ἀπολαβεῖν· ὥστε διττὰς εἶναι τῇ Ῥώμῃ τὰς κτίσεις· τὴν μὲν ὀλίγῳ ὕστερον τῶν Τρωϊκῶν γενομένην· τὴν δὲ πεντικαίδεκα γενεαῖς ὑστεροῦσαν τῆς προτέρας. Hoc eſt: *Poſſem equidem & alios multos Græcorum ſcriptores adducere, qui de urbis conditoribus variant. verùm, ne nimis prolixus videar, præſtat transire ad Romanos. Apud hos verò nemo exſtat, neque hiſtoriæ neque veterum ſermonum ſcriptor. Vnusquisque tamen aliquid ex antiquis deſumpſit tabulis, quæ in templis ſervantur, dicatæ numinibus. Horum quidam volunt, Aeneæ fuiſſe filios Romulum & Romum, conditores urbis. alii, Aeneæ ex filiâ nepotes; patris tamen nomine non indicato. hos Aeneam Latino, Aboriginum regi, dediſſe obſides ex fœdere, inter indigenas atque advenas icto. puerosque benignè apud regem habitos: & non ſolùm educatos liberaliter; verùm etiam, quum is absque virili prole decederet, relictos ex parte quadam hæredes regni. Alii dicunt, Aeneâ defuncto, Aſcanium, ex aſſe regni hæredem relictum, adſumpto principatu, agros & opes Latinorum tripartitò diviſiſſe cum Romulo ac Romo fratribus. ipſum deinde Albam condidiſſe, & alia quædam opidula: Romulum verò Capuam, à Capy proavo denominatum; Anchiſam de Anchiſæ avi ſui nomine; de patris autem nomine Aeneam; quæ pòſt fuit Ianiculum; Romam verò de ſuo. hanc deſolatam aliquamdiu, rurſus, Albanis aliam eò coloniam ſub Romuli atque Romi ducta mittentibus, priſtinam recuperaſſe formam: ita, ut jam eadem urbs intelligatur bis condita: ſemel, haud multo poſt belli Troiani tempora; iterum, ætate poſt priorem* XV. Poſterioris *Romæ* conditores *Romulum* atque *Romum* poſteà eodem libro tradit Numitoris fuiſſe ex filiâ nepotes: quos Romanus auctor T. Livius *Romulum* & *Remum* adpellat. Verùm de his antequàm plura dicamus, alia, adhuc fabula è Plutarcho citanda eſt, ei, quæ de illis fertur, haud abſimilis, ex eodemque haud dubiè fonte hauſta. οἱ δὲ μυθώδη, inquit, παντάπασι περὶ τῆς γενέσεως διεξίασι. Ταρχετίῳ γὰρ, Ἀλβανῶν βασιλεῖ παρανομωτάτῳ καὶ ὠμοτάτῳ, φάσμα δαιμόνιον οἴκοι γενέσθαι. φαλλὸν γὰρ ἐκ τῆς ἑστίας ἀνασχεῖν, καὶ διαμένειν ἐπὶ πολλὰς ἡμέρας. εἶναι δὲ Τηθύος ἐν Τυῤῥηνίᾳ χρηστήριον, ἀφ᾽ οὗ κομισθῆναι τῷ Ταρχετίῳ χρησμὸν, ὥστε συμμῖξαι τῷ φάσματι παρθένον· ἔσεσθαι γὰρ ἐξ αὐτῆς παῖδα κλεινότατον ἀρετῇ καὶ τύχῃ καὶ ῥώμῃ διαφέροντα. φράσαντος οὖν τὸ μάντευμα τοῦ Ταρχετίου μιᾷ τῶν θυγατέρων, καὶ συγγενέσθαι τῷ φαλλῷ προστάξαντος, αὐτὴν μὲν ἀπαξιῶσαι, θεράπαιναν δὲ εἰσπέμψαι. τὸν δὲ Ταρχέτιον, ὡς ἔγνω, χαλεπῶς φέροντα, συλλαβεῖν μὲν ἀμφοτέρας ἐπὶ θανάτῳ, τὴν δ᾽ Ἑστίαν ἰδόντα κατὰ τοὺς ὕπνους, ἀπαγορεύουσαν αὐτῷ τὸν φόνον, ἱστόν τινα παρεγγυῆσαι ταῖς κόραις ὑφαίνειν δεδεμέναις, ὡς ὅταν ἐξυφήνωσι, τότε δοθησομένας πρὸς γάμον. ἐκείνας μὲν οὖν δι᾽ ἡμέρας ὑφαίνειν, ἑτέρας δὲ νύκτωρ, τοῦ Ταρχετίου κελεύοντος, ἀναλύειν τὸν ἱστόν. ἐκ δὲ τοῦ φαλλοῦ τῆς θεραπαινίδος τεκούσης δίδυμα, δοῦναί τινι Τερατίῳ τὸν Ταρχέτιον ἀνελεῖν κελεύσαντα. τὸν δὲ θεῖναι φέροντα τοῦ ποταμοῦ πλησίον. εἶτα λύκαιναν μὲν ἐπιφοιτᾶν, μαστὸν διδοῦσαν. ὄρνιθας δὲ παντοδαποὺς, ψωμίσματα κομίζοντας, ἐντιθέναι τοῖς βρέφεσιν· ἄχρις οὗ βουκόλον, ἰδόντα καὶ θαυμάσαντα, τολμῆσαι προσελθεῖν, καὶ ἀνελέσθαι τὰ παιδία. τοιαύτης δὲ τῆς σωτηρίας αὐτοῖς γενομένης, ἐκτραφέντας ἐπιθέσθαι τῷ Ταρχετίῳ καὶ κρατῆσαι. Ταῦτα μὲν οὖν Προμαθίων τις, ἱστορίαν Ἰταλικὴν συντεταγμένος, εἴρηκε. τοῦ δὲ πίστιν ἔχοντος λόγου μάλιστα καὶ πλείστους μάρτυρας, τὰ μὲν κυριώτατα πρῶτος εἰς τοὺς Ἕλληνας ἐξέδωκε Διοκλῆς Πεπαρήθιος, ᾧ καὶ Φάβιος Πίκτωρ ἐν τοῖς πλείστοις ἐπηκολούθηκε. Γεγόνασι δὲ καὶ περὶ τούτων ἕτεραι διαφοραί. τύπῳ δὲ εἰπεῖν, τοιοῦτός ἐστι. Τῶν ἀπ᾽ Αἰνείου γεγονότων ἐν Ἄλβῃ βασιλέων, εἰς ἀδελφοὺς δύο, Νομήτορα καὶ Ἀμούλιον, ἡ διαδοχὴ καθῆκεν. Ἀμουλίου δὲ νείμαντος τὰ πάντα δίχα, τῇ βασιλείᾳ τὰ χρήματα καὶ τὸν ἐκ Τροίας κομισθέντα χρυσὸν ἀντιθέντος, εἵλετο τὴν βασιλείαν ὁ Νομήτωρ. ἔχων οὖν ὁ Ἀμούλιος τὰ χρήματα, καὶ πλέον ἀπ᾽ αὐτῶν δυνάμενος τοῦ Νομήτορος, τήν τε βασιλείαν ἀφείλετο ῥᾳδίως, καὶ, φοβούμενος ἐκ τῆς θυγατρὸς αὐτοῦ γενέσθαι παῖδας, ἱέρειαν τῆς Ἑστίας ἀπέδειξεν, ἄγαμον καὶ παρθένον ἀεὶ βιωσομένην. ταύτην οἱ μὲν Ἰλίαν, οἱ δὲ Ῥέαν, οἱ δὲ Σιλουΐαν ὀνομάζουσι. φωρᾶται δὲ μετ᾽ οὐ πολὺν χρόνον κύουσα παρὰ τὸν καθεστῶτα ταῖς Ἑστιάσι νόμον. καὶ τὸ μὲν ἀνήκεστα μὴ παθεῖν αὐτὴν, ἡ τοῦ βασιλέως θυγάτηρ Ἀνθὼ παρῃτήσατο, δεηθεῖσα τοῦ πατρός· εἵρχθη δὲ, καὶ δίαιταν εἶχεν ἀνεπίμικτον, ὅπως μὴ λάθῃ τεκοῦσα τὸν Ἀμούλιον. ἔτεκε δὲ δύο παῖδας, ὑπερφυεῖς μεγέθει καὶ κάλλει· δι᾽ ὃ καὶ μᾶλλον ὁ Ἀμούλιος φοβηθεὶς ἐκέλευσεν αὐτοὺς ὑπηρέτην λαβόντα ῥίψαι. τοῦτον ἔνιοι Φαυστύλον ὀνομάζεσθαι λέγουσιν· οἱ δ᾽ οὐ τοῦτον, ἀλλὰ τὸν ἀνελόμενον.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

ἐνθέμενος οὖν εἰς σκάφην τὰ βρέφη, κατέβη μὲν ἐπὶ τὸν ποταμὸν, ὡς ῥίψων· ἰδὼν δὲ κατιόντα
πολλῷ ῥεύματι, καὶ τραχυνόμενον, ἔδεισε προσελθεῖν. ἐγγὺς δὲ τῆς ὄχθης καταθεὶς, ἀπηλλάσσετο.
τοῦ δὲ ποταμοῦ κατακλύζοντος, ἡ πλημμύρα τὴν σκάφην ὑπολαβοῦσα καὶ μετεωρίσασα πράως,
κατήνεγκεν εἰς χωρίον ἐπιεικῶς μαλθακὸν, ὃ νῦν Κερμανὸν καλοῦσι, πάλαι δὲ Γερμανὸν, ὡς ἔοι-
κεν, ὅτι καὶ ἀδελφοὺς γερμανοὺς ὀνομάζουσιν. ἦν δὲ πλησίον ἐρινεὸς, ὃν Ῥωμινάλιον ἐκάλουν, ἢ
διὰ τὸν Ῥωμύλον, ὡς οἱ πολλοὶ νομίζουσιν, ἢ διὰ τὸ τὰ μηρυκώμενα τῶν θρεμμάτων ἐκεῖ διὰ τὴν
σκιὰν ἐνδιάζειν, ἢ μάλιστα διὰ τὸν τῶν βρεφῶν θηλασμὸν, ὅτι τήν τε θηλὴν ῥοῦμαν ὠνόμαζον οἱ πα-
λαιοὶ, καὶ θεόν τινα τῆς ἐκτροφῆς τῶν νηπίων ἐπιμελεῖσθαι δοκοῦσαν, ὀνομάζουσι Ῥωμυλίαν, καὶ θύουσιν
αὐτῇ νηφάλια, καὶ γάλα τοῖς ἱεροῖς ἐπισπένδουσιν. ἐνταῦθα δὲ τοῖς βρέφεσι κειμένοις, τήν τε λύκαιναν
ἱστοροῦσι θηλαζομένην, καὶ δρυοκολάπτην τινὰ παρεῖναι συνεκτρέφοντα καὶ φυλάττοντα. νομίζεται δ' Ἄ-
ρεος ἱερὰ τὰ ζῶα. τὸν δὲ δρυοκολάπτην καὶ διαφερόντως Λατῖνοι σέβονται καὶ τιμῶσιν, ὅθεν οὐχ ἥκιστα πίστιν
ἔσχεν ἡ τεκοῦσα τὰ βρέφη, τεκεῖν ἐξ Ἄρεος φάσκουσα. καίτοι τοῦτο παθεῖν αὐτὴν ἐξαπατηθεῖσαν λέ-
γουσιν, ὑπὸ τοῦ Ἀμουλίου διαπαρθενευθεῖσαν, ἐν ὅπλοις ἐπιφανέντος αὐτῇ, καὶ συναρπάσαντος.
Οἱ δὲ τοὔνομα τῆς τροφοῦ δι' ἀμφιβολίαν ἐπὶ τὸ μυθῶδες ἐκτροπὴν τῇ φήμῃ παρασχεῖν. λούπας
γὰρ ἐκάλουν οἱ Λατῖνοι τῶν τε θηλειῶν τὰς λυκαίνας, καὶ τῶν γυναικῶν τὰς ἑταιρούσας. εἶναι δὲ τοιαύτην
Φαυστύλου γυναῖκα, τοῦ τὰ βρέφη θρέψαντος, Ἄκκαν Λαρεντίαν ὄνομα. ταύτῃ δὲ καὶ θύουσι Ῥωμαῖοι,
καὶ χοὰς ἐπιφέρει τοῦ Ἀπριλλίου μηνὸς αὐτῇ ὁ τοῦ Ἄρεος ἱερεὺς, καὶ Λαρεντίαν καλοῦσι τὴν ἑορτήν. τὰ δὲ
βρέφη Φαυστύλος, Ἀμουλίου συφορβὸς, ἀνείλετο λαθὼν ἅπαντας· ὡς δ' ἔνιοί φασι, τῶν εἰκότων ἐχό-
μενοι μᾶλλον, εἰδότος τοῦ Νομήτορος, καὶ συγχορηγοῦντος τροφὰς κρύφα τοῖς τρέφουσι. καὶ γράμ-
ματα λέγονται καὶ τἆλλα μανθάνειν οἱ παῖδες εἰς Γαβίους κομισθέντες, ὅσα χρὴ τοὺς εὖ γεγονότας. κλη-
θῆναι δὲ καὶ τούτους ἀπὸ τῆς θηλῆς ἱστοροῦσι Ῥωμύλον καὶ Ῥῶμον, ὅτι θηλάζοντες ὤφθησαν τὸ θηρίον. Hoc
eſt : *Alii planè fabuloſa de ortu Romuli referunt. ſpectrum ſcilicet Tarchetio, Albanorum*
regi teterrimo ac ſæviſſimo, divinum domi oblatum tale : Genitale ex foco eius maſculini
ſexus exſtitiſſe; per multoſque dies comparuiſſe : atque oraculo, quod in Etruriâ Thetydis
erat, reſponſum eſſe, uti virgo cum ſpectro coiret : ex qua filium virtute clariſſimum fortunâ-
que & robore oriturum inſignem. Hoc reſponſum Tarchetius quum uni ex filialibus expo-
ſuiſſet; juſſiſſetque, ut cum genitali iſto ſeſe conjungeret; eam, quòd aſpernabatur, ſubmiſiſſe
ancillam. Tarchetium, ut reſcivit, graviter offenſum, ambas in vincula conjeciſſe; morte
vindicaturum. ſed quum Veſta ei in ſomnio oblata, deterruiſſet eum à cæde; telam in vinculis
texere puellas juſſiſſe; eâ lege, ut eâ detextâ elocarentur. atque illas texuiſſe interdiu: noctè,
juſſu Tarchetii, alias retexere telam ſolitas. Quum autem ancilla ex genitali illo geminos
eſſet enixa; Teratio cuidam Tarchetium necandos tradidiſſe. illum ad fluminis ripam eos ex-
poſuiſſe. lupam inde adcurrentem lactaſſe, variique generis volucreis alimenta minuta ori
indidiſſe. bubulcum tandem, re cum admiratione conſpectâ, accedere auſum, infanteis ſuſtu-
liſſe. Ad hunc modum ſervatos educatoſque evaſiſſe Tarchetium, eumque ſuperaſſe. Hæc e-
quidem Promathion quidam, qui hiſtoriam de rebus Italicis conſcripſit, ita retulit. cæterùm
receptiſſimæ hiſtoriæ, & à pluribus adprobatæ, Diocles Peparethius præcipua primus apud
Græcos edidit. quæ ut plurimùm Fabius Pictor ſequitur. &, quamquàm in hac quoque va-
rient; tamen ut brevibus abſolvam, ea huiuſmodi eſt. Ex Aeneæ poſteris, qui Albæ regna-
runt, ad duos fratres regnum devênit, Numitorem & Amulium. Vniverſo patrimonio ab
Amulio in ſorteis diviſo duas, regnoque cum pecuniâ & advecto Troiâ theſauro comparato,
regnum ſumpſit Numitor. Amulii quum eſſent ex argento, quàm Numitoris, ampliores opes;
facilè eum regno exſuit. eiuſque filiam, quò perpetuo cælibatu & virginitate liber ab huius
partu foret, Veſtæ ſacerdotem legat : quam Iliam alii vocant; alii Rheam; nonnulli Silviam.
Haud multo pòſt deprehenditur, contra virginum Veſtalium legem, prægnans eſſe. Ne poſtre-
mo ſupplicio adficeretur; regis filia precibus à patre obtinuit Antho. in cuſtodiam tamen, ne
inſcio pareret Amulio, data eſt, & remota ab hominum conſortio. Illa gemellos edidit: mirâ
corporis proceritate ac ſpecie. Qua re magis commotus Amulius, imperat miniſtro, uti eos ex-
ponat. nomen huic erat Fauſtulo. alii tamen non huic, verùm ei, qui poſteà ſuſtulit, id nomi-
nis fuiſſe tradunt. Miniſter infanteis impoſuit alveo : atque, expoſiturus eos, deſcendit ad flu-
men. quod inflatum quum cerneret atque rapidum; non auſus accedere, ad proxima ripæ ex-
poſitis, receſſit. Flumine evagato, ſuſcipiens alveum alluvies, & leniter ſubvehens, in loco
deſtituit ſatis molli. Cermanum vocant nunc locum. olim verò Germanum adpellabant. ſci-
licet, quia fratres vocant germanos. Erat juxtà ficus, quam Ruminalem dicebant, ut mul-
torum fert opinio, à Romulo; vel, quod maximè probatur, propter puerorum lactationem.
mammam quidpe vocabant rumam priſci : & deam, infantium educationis præſidem, Rumi-
liam dicunt : eique ſacrificium faciunt abſque vino, in quo lac libant. Ad pueros ibi jacenteis

lupam, tradunt, lactantem curſum flexiſſe; & picum Martium nutriendis ac ſervandis praeſtò fuiſſe. Marti utrumque animal ſacrum habetur. picum verò Martium praecipuo honore venerantur Latini. Vnde puerperae maior fides, ex Marte ſe peperiſſe adſeveranti. quamvìs ab Amulio deceptam, qui armatus eam ſtupraverat, in eam veniſſe opinionem, credita eſt. Sunt, qui ferant, nutricis nomen ex vocis ambiguitate fabulae locum dediſſe. quidpe lupas Latini, praeter vulgarem notamque ſignificationem, etiam eas vocabant, quae corpus vulgabant: cuiusmodi Fauſtuli, puerorum nutritii, uxorem fuiſſe, Accam Larentiam nomine. Huic quoque ſacra Romani faciunt: & menſe Aprili flamen Martialis ei libat. Feſtum Larentiae [*fortè Larentalia*] *vocant. Caeterò Fauſtulus, regias ſubulens, infanteis clam omnibus ſuſtulit. Alii veritati magis conſona referunt. conſcio nimirum Numitore, & alimenta ſuppeditante ſecretò nutriciis, pueros literis omnique liberali diſciplinâ Gabiis inſtitutos. quia autem ſugentes viſi eſſent lupam, à papillâ Romulum & Romum vocatos.* Eamdem hiſtoriam ex eodem auctore conciſiùs ſic refert Pompeius Feſtus: *Diocles Peparethius ait, Iliam, Numitoris, Albani regis filiam, gemellos edidiſſe; quos in imâ Tiberis ripâ à Fauſtulo, regio miniſtro, expoſitos juxta ficum, adpellatam poſteà à Romulo Ruminalem. ſic jacenteis lupam lactaſſe; & picum Martium nutriviſſe. pòſt repertos Accam Larentiam, Fauſtuli uxorem, educaſſe. Plerique tamen, conſcio & alimenta praebente Numitore, nutritos aiunt: quòd Ilia ex Marte ſe peperiſſe eos adſeverabat: ac ſecretò literis omnique liberali diſciplinâ Gabiis inſtitutos atque excultos fuiſſe: atque ita in muſicis primam pueritiam traduxiſſe. Quum inter aequaleis omneis praeſtarent corporis proceritate & formâ; nominatos, alterum Romulum, Remum alterum. vel, quòd expoſitos in ripâ Tiberis lupa lactaverit, praebens rumam, monte vicino deſcendens; &, quòd reperti à Fauſtulo ſunt educati; Romulus & Remus à rumâ nominati potiſſimùm. Eos, ubi, ex compreſſu Iliae natos ſe, cognoverint; praetereà, quo patre eſſent procreati, intellexerint; Numitori avo primùm reſtituiſſe regnum. deinde de urbe condendâ per auguria decreviſſe, uter eam conderet nominaretque. ac deorum manifeſtâ adprobatione Romulum urbem condidiſſe; eamque nominaſſe Romam potiùs, quàm Romulam, de ſuo nomine, ut ampliore vocabuli ſignificatione proſperiora patriae ſuae ominaretur.* Eamdem fermè hiſtoriam de *Amulio* atque Numitore, deque huius filiâ & nepotibus *Romulo* ac *Romo* pluribus verbis refert Dionyſius quoque Halicarnaſſenſis dicto lib. 1; & item Livius lib. 1; Iſaciusque Tzetza in commentariis ad Lycophronem; Sex. Aurelius Victor in libro de Origine gentis Romanae; & alii. quae mahercules hiſtoria nihilo certior eſt primis illis compluribus variiſque Graecorum fabulis, auditu abſurdiſſimis ac maximè ridiculis putidiſque. etenim, licèt ex antiquis tabulis, in templis ſuſpenſis, eam priſcos Romanos collegiſſe adfirmet Dionyſius; ut apud quos nulla alia fuerint literarum monimenta, antequàm ea à Graecis mutuati ſint: tamen Plutarchus diſertiſſimis teſtatur verbis, primum eam apud Graecos prodidiſſe Dioclem Peparethium: eumdemque poſtmodùm ex eius libris deſumpſiſſe primum Romanorum ſcriptorum Fabium Pictorem. quod & ipſe ſatis poſteà, ubi eamdem refert hiſtoriam, agnoſcit Dionyſius, his verbis: Περὶ δὲ τῶν ἐκ τῆς Ἰλίας γενομένων Κόϊντος μὲν Φάβιος, ὁ Πίκτωρ λεγόμενος, ὁ Λεύκιός τε Κίγκιος καὶ Κάτων Πόρκιος καὶ Πείσων Καλπούρνιος, καὶ τῶν ἄλλων συγγραφέων οἱ πλείους ἠκολούθησαν, τῇδε γράφει. Id eſt: *De natis ex Iliâ pueris Q. Fabius Pictor, quem poſteà ſequuti L. Cincius, Porcius Cato, Calpurnius Piſo, & plerique alii ſcriptores, ſic tradit.* Fuiſſe *Romanorum ſcriptorum antiquiſſimum Q. Fabium Pictorem*, Livius quoque teſtatur lib. 1. Vulgò autem receptam fuiſſe apud Romanos iſthanc de *Romulo Remoque*, urbis Romanae conditoribus opinionem, non tantùm ex hactenus citatis, & quos alios complureis allegat Aurelius Victor in dicto libro de Origine gentis Romanae auctoribus, ſed etiam ex publicis actis & ſacris patet. Herodianus lib. 1, de *Matre deûm* loquens, quae & *Mater Idaea*, & *Dea Peſſinuntia*, à locis adpellabatur: Ἐν δὲ τῷ προειρημένῳ Πεσσινοῦντι πάλαι μὲν Φρύγες ὠργίαζον ἐπὶ τῷ ποταμῷ Γάλλῳ παραρρέοντι. ἐπεὶ δὲ Ῥωμαίων ηὔξετο τὰ πράγματα, φασὶν αὐτοῖς χρησθῆναι, μένειν τε τὴν ἀρχὴν καὶ ἐς μέγα προχωρήσειν, εἰ τὴν Πεσσινουντίαν θεὸν μεταγάγοιεν ὡς αὐτούς. πέμψαντες δὲ πρέσβεις εἰς Φρύγας, τὸ ἄγαλμα ᾔτουν. ἔτυχεν δὲ ῥᾳδίως, συγγένειαν προβαλλόμενοι, καὶ τὴν ἀπ' Αἰνείου τοῦ Φρυγὸς εἰς αὐτοὺς διαδοχὴν καταλέγοντες. Hoc eſt: *In praedicto Peſſinunte Phryges olim orgia colebant, apud praefluentem amnem Gallum. ſed ubi res Romana crevit; reſponſo accepto, manſurum imperium, & ad ſummum auctum iri, ſi Peſſinuntiam deam ad ſe transferrent: miſſi in Phrygiam legati ſunt, petitum deae ſimulacrum. quod quidem facilè illis conceſſum eſt, conſangvineos*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

ſeſe dictitantibus, atque oriundos ab Aeneâ Phryge. Tacitus Annal. lib. IIII: *Ne Ilienſibus quidem, quum parentem urbis Romæ Troiam referrent, niſi antiquitatis gloriâ pollebant*. Et eodem libro anteà, de funere Druſi: *Funus imaginum pompâ maximè inluſtre fuit: quum origo Iuliæ gentis Aeneas; omneſque Albanorum reges, & conditor urbis Romulus, pòſt Sabina nobilitas, Ap. Clauſus, cæteræque Claudiorum effigies, longo ordine ſpectarentur*. Solinus cap. II: *Vt adfirmat Varro, auctor diligentiſſimus, Romam condidit Romulus, Marte genitus & Rheâ Silviâ; vel, ut nonnulli, Marte & Iliâ. dictaque eſt primùm Roma quadrata; quòd ad æquilibrium foret poſita. ea incipit à ſilvâ, quæ eſt in areâ Apollinis, & ad ſupercilium ſcalarum Caci. habet terminum, ubi tugurium fuit Fauſtuli. ibi Romulus manſitavit: qui auſpicatò fundamenta murorum jecit, duodeviginti natus annos, XI Kalendas Maias, hora poſt ſecundam ante tertiam; ſicut L. Taruntius prodidit, mathematicorum nobiliſſimus: Iove in Piſcibus; Saturno, Venere, Marte, Mercurio, in Scorpione; Sole in Tauro, in Lunâ, in Librâ, conſtitutis. Et obſervatum deinceps, ne qua hoſtia Parilibus cæderetur: ut dies iſte à ſangvine purus eſſet. cuius ſignificationem de partu Iliæ tractam volunt*. Cicero de Divinatione lib. II: *L. quidem Taruntius Firmanus, familiaris noſter, in primis Chaldaicis rationibus eruditus, urbis etiam noſtræ natalem diem repetebat ab iis Parilibus, quibus eam à Romulo conditam accepimus: Romamque, quum eſſet in jugo Luna, natam eſſet dicebat. nec eius fata canere dubitabat*. Ovidius Μεταμορφώσεων lib. XIIII:

> *Proximus Auſonias injuſti miles Amulî*
> *Rexit opes: Numitorque ſenex amiſſa, nepotum*
> *Munere, regna capit. feſtiſque Parilibus urbis*
> *Mœnia conduntur.*

Varro Rer. Ruſticar. lib. II cap. I: *Romanum populum à paſtoribus eſſe ortum, quis non dicit? quis Fauſtulum neſcit paſtorem fuiſſe nutricium, qui Romulum & Remum educavit? non ipſos quoque fuiſſe paſtores obtinebit, quòd Parilibus potiſſimùm condidêre urbem?* Nempe quia *Parilia* eadem dicebantur & *Palilia*: hæc autem à *Pale*, paſtorum deâ, adpellata putabantur. Svetonius in Caligulâ, cap. XVI: *Decretum autem, ut dies, quo cepiſſet imperium, Palilia vocaretur*. Varro de Lingvâ Latinâ lib. V: *Palilia dicta à Pale; quòd feriæ ei deæ fiunt; ut Cerealia à Cerere*. Virgilius Γεωργικῶν lib. III:

> *Te quoque magna Pales, & te memoranda canemus*
> *Paſtor ab Amphryſo.*

Ad quæ ita Servius: *Pales, ut diximus, dea eſt pabuli; quam alii Veſtam, alii Matrem deûm vocant. Huic ſacra ſolvuntur* XI *Kalendas Maius, die, quæ Palilia vocantur*. Ergo *Magna Pales* dicitur poëtæ, quia *Mater* etiam *deûm* vocabatur, & *Magna mater*, & *Magna dea*; ut Germaniæ lib. I cap. XXVII docui. Ovidius Faſtor. lib. IIII; de eodem die XI Kalendas Maias:

> *Nox abiit; oritur aurora: Palilia poſcor.*
> *Non poſcor fruſtrà, ſi favet alma Pales.*
> *Alma Pales faveas paſtoria ſacra canenti;*
> *Proſequor officio ſi tua facta meo.*

Et deinde:

> *Quæ precor eveniant; & nos faciamus ad annum*
> *Paſtorum dominæ grandia liba Pali.*

Paullo pòſt:

> *Pars quoque cum ſaxis paſtores ſaxa feribant:*
> *Scintillam ſubitò proſiluiſſe ferunt.*
> *Prima quidem periit: ſtipulis excepta ſecunda eſt.*
> *Hoc argumentum flamma Palilis habet.*
> *An magis hunc morem pietas Aenëia fecit;*
> *Innocuum victo cui dedit ignis iter?*
> *Hoc tamen eſt vero propius: quum condita Roma eſt;*
> *Transferri juſſos in nova tecta lareis;*
> *Mutanteiſque domum tectis agreſtibus ignem*
> *Et ceſſaturæ ſuppoſuiſſe caſæ.*
> *Per flammas ſaliiſſe pecus, ſaliiſſe colonos.*
> *Quod fit natali nunc quoque, Roma, tuo.*

Propertius lib. IIII eleg. IIII:

Vrbi feſtus erat. dixêre Palilia patres.
Hic primus cœpit mœnibus eſſe dies.
Annua paſtorum convivia, luſus in urbe,
Quum pagana madent fercula divitiis,
Quumque ſuper raros fœni flammantis acervos
Trajicit immundos ebria turba dapes.
Romulus excubias decrevit in ocia ſolvi,
Atque intermiſſâ caſtra ſilere tubâ.

Ergo à Romulo primùm *Palilia* ſive *Parilia* inſtituta? Id equidem ita illi etiam cenſuerunt, qui, teſte ſuprà ſcripto Solino, ab *Iliæ*, Romuli matris, *partu Parilia* dicta tradiderunt. At negarunt hoc alii. unde Feſtus Pompeius: *Pales dicebatur dea paſtorum; cuius feſta Palilia dicebantur. vel, ut alii volunt, dicta Parilia, quoniam pro partu pecoris eidem ſacra fiebant.* Et jam ante conditam Romam ſacra hæc celebrata fuiſſe, teſtis eſt locupletiſſimus Plutarchus in dictâ Romuli vitâ. Ὅτι μὲν οὖν ἡ κτίσις ἡμέρα γένοιτο τῇ πρὸ ἕνδεκα καλανδῶν Μαΐων, ὁμολογεῖται· καὶ τὴν ἡμέραν ταύτην ἑορτάζουσι Ῥωμαῖοι, γενέθλιον τῆς πατρίδος ὀνομάζοντες. οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ πρὸ τῆς κτίσεως βοτηρικὴ τις ἦν αὐτοῖς ἑορτὴ κατὰ ταύτην τὴν ἡμέραν, καὶ Παλίλια προσηγόρευον αὐτήν. Id eſt: *Convenit inter omneis, conditam eſſe urbem XI Calendas Maias. quem diem Romani patriæ natalem adpellant; habentque feſtum. Quamquàm etiam, ante conditam urbem dies hic feſto paſtorali ſacrum habebant; vocabantque Palilia.* Verùm enimverò, non omneis huic de *Romulo* narrationi fidem habuiſſe, diſertè teſtatur idem Plutarchus continuò poſt enarratam eam hiſtoriam, his verbis: Ὧν τὰ πλεῖστα καὶ Φαβίου λέγοντος καὶ τοῦ Πεπαρηθίου Διοκλέους, ὃς δοκεῖ πρῶτος ἐκδοῦναι Ῥώμης κτίσιν, ὕποπτον μὲν ἐνίοις ἐστὶ τὸ δραματικὸν καὶ πλασματῶδες. Οὐ δεῖ δὲ ἀπιστεῖν, τὴν τύχην ὁρῶντας· οἵων ποιημάτων δημιουργός ἐστι, καὶ τὰ Ῥωμαίων πράγματα λογιζομένους, ὡς οὐκ ἂν ἐνταῦθα προὔβη δυνάμεως, μὴ θείαν τινὰ ἀρχὴν λαβόντα καὶ μηδὲν μέγα μηδὲ παράδοξον ἔχουσαν. Hoc eſt: *Horum pleraque quum & Fabius referat & Peparethius Diocles; qui primus putatur de conditione urbis Romæ aliquid prodidiſſe; quidem ſuſpectam habent eam narrationem, ut fabuloſam atque commentitiam. Verùm haud fas eſt fidem ei derogare, quum cernamus, quanta vis ſit fortunæ: utique ſi conſideremus, rem Romanam ſine divino aliquo auſpicio & magno miraculo non fuiſſe eò potentiæ prægreſſuram.* Hoc ſanè ſatis frigidum ac frivolum ſatiſque futile argumentum. Meliùs itaque ac prudentiùs Livius in præfatione operis: *Quæ ante conditam condendamve urbem poëticis magis decora fabulis, quàm incorruptis rerum geſtarum monimentis traduntur, ea nec adfirmare nec refellere in animo eſt.* En, ut apertè fatetur, fabuloſa ſibi videri, quæ de origine conditoribusque urbis Romæ ſcripturus eſt. Pergit ita: *Datur hæc venia antiquitati, ut miſcendo humana divinis, primordia urbium anguſtiora faciat. &, ſi cui populo licere oportet conſecrare origines ſuas, & ad deos referre auctores; ea belli gloria eſt populo Romano, ut ſuum conditoriſque ſui patrem Martem potiſſimùm ferat: tam & hoc gentes humanæ patiantur æquo animo, quàm imperium patiantur.* Et lib. V: *In rebus tam antiquis, ſi, quæ ſimilia veri ſint, pro veris accipiantur, ſatis habeam. hæc ad oſtentationem ſcenæ, gaudentis miraculis, aptiora, quàm ad fidem, neque adfirmare neque refellere operæ pretium eſt.* Sanè in tantum graviſſimus rerum Romanarum ſcriptor Salluſtius ab hac de Romulo fabulâ abhorruit, uti, nulla prorſus eius factâ mentione, primordia urbis Aeneæ cæteriſque Troianis hiſque junctis Aboriginibus tribuerit. Verba eius initio hiſtoriæ de bello Catilinario hæc ſunt: *Vrbem Romam, ſicuti ego accepi, condidêre atque habuêre initio Troiani, qui, Aeneâ duce, profugi, ſedibus incertis vagabantur: cumque his Aborigines; genus hominum agreſte, ſine legibus, ſine imperio, liberum atque ſolutum. Hi poſtquàm in una mœnia convenêre, diſpari genere, diſpari linguâ, alius alio more viventes, incredibile memoratu eſt, quàm facilè coaluerint.* Diocles igitur iſte Peparethius, homo Græcus, haud dubiè ex omnibus illis ſuprà recitatis Græcorum variis diverſiſque fabulis, ſimulque ex quibuſdam Romanorum ſacris, paullo, quantum in tantâ auctorum diſcrepantiâ fieri potuit, probabiliorem hiſtoriam conſtruxit: quam poſteà ipſi Romanorum vetuſtiſſimi optimique ſcriptores, ob id ipſum, quia cæteris probabilior videbatur, ſequuti ſunt. neque enim veri & ſimile, Dioclem ſolum, præ omnibus aliis Græcis, certiora quædam verioraque ſomniaſſe; quum apud Romanos ipſos nihil monumenti eâ de re exſtiterit,

præter

præter dictas tabulas, in deorum templis ſuſpenſas. quas ipſas haud perinde probavit Fabins Pictor, quin potiorem duxerit Græci hominis fidem. nec immeritò quidem: quando ex iisdem tabulis varias opiniones trahi poſſe videbat. *alii* quidpe, teſte ſuprà citato Dionyſio, *Romulum & Romum Aeneæ filios, alii ex filiâ nepotes*, & neſcio quas non prætereà nugas tradiderunt. Livii verba initio ſtatim libri VI ſunt iſta: *Quæ ab conditâ urbe Româ ad captam eamdem urbem Romani ſub regibus primùm, conſulibus deinde ac dictatoribus decemviriſque ac tribunis conſularibus geſſêre foris bella, domi ſeditiones, quinque libris expoſui: res, cùm vetuſtate nimiâ obſcuras, velut quæ magno ex intervallo loci vix cernuntur; tum, quòd perraræ per eadem tempora literæ fuêre; una cuſtodia fidelis memoriæ rerum geſtarum: & quòd etiam, ſi quæ in commentariis pontificum aliiſque publicis privatiſque erant monumentis, incensâ urbe pleræque interiêre. Clariora deinceps certioraque ab ſecundâ origine, velut ab ſtirpibus lætiùs feraciùſque renatæ urbis, geſta domi militiæque exponentur.* Parum igitur vel nihil certi de iis, quæ ante captam incenſamque urbem geſta fuerunt, ſcribere potuerunt Romani auctores. Ipſos Græcos nulla apud ſe eâ de re habuiſſe documenta, luculentus teſtis eſt Plinius, Romanus homo, lib. III cap. V, his verbis: *Theophraſtus primus externorum aliqua de Romanis diligentiùs ſcripſit. nam Theopompus, ante quem nemo mentionem habuit, urbem dumtaxat à Gallis captam dixit: Clitarchus, ab eo proximus, legationem tantùm ad Alexandrum miſſam.* Et prædictus Dionyſius, in præfatione operis: Οὐδεμία ἀκριβὴς ἐξελήλυθε περὶ τῆς Ῥωμαίων Ἑλληνὶς ἱστορία μέχρι τῶν καθ' ἡμᾶς χρόνων, ὅτι μὴ κεφαλαιώδεις ἐπιτομαὶ, πάνυ βραχεῖαι. πρῶτον μὲν, ὅσα κἀμὲ εἰδέναι, τὴν Ῥωμαϊκὴν ἀρχαιολογίαν ἐπιδραμόντος Ἱερωνύμου τοῦ Καρδιανοῦ συγγραφέως, ἐν τῇ περὶ τῶν ἐπιγόνων πραγματείᾳ· ἔπειτα Τιμαίου τοῦ Σικελιώτου, τὰ μὲν ἀρχαῖα τῶν ἱστοριῶν ἐν ταῖς κοιναῖς ἱστορίαις ἀφηγησαμένου, τοὺς δὲ πρὸς Πύῤῥον τὸν Ἠπειρώτην πολέμους εἰς ἰδίαν καταχωρίσαντος πραγματείαν· ἅμα δὲ τούτοις Ἀντιγόνου τε καὶ Πολυβίου καὶ Σιληνοῦ, καὶ μυρίων ἄλλων, τοῖς αὐτοῖς πράγμασιν οὐχ ὁμοίως ἐπιβαλόντων· ὧν ἕκαστος ὀλίγα, καὶ οὐδὲ αὐτὰ διεσπουδασμένως οὐδὲ ἀκριβῶς, ἀλλ' ἐκ τῶν ἐπιτυχόντων ἀκουσμάτων συνθεὶς, ἀνέγραψεν. ὁμοίας δὲ τούτοις καὶ οὐδὲν διαφόρους ἐξέδωκαν ἱστορίας καὶ Ῥωμαίων ὅσοι τὰ παλαιὰ ἔργα τῆς πόλεως Ἑλληνικῇ διαλέκτῳ συνέγραψαν· ὧν εἰσι πρεσβύτατοι, Κόϊντος Φάβιος, Λεύκιος Κίγκιος, ἀμφότεροι κατὰ τοὺς Φοινικοὺς ἀκμάσαντες πολέμους. τούτων δὲ τῶν ἀνδρῶν ἑκάτερος, οἷς μὲν αὐτὸς ἔργοις παρεγένετο, διὰ τὴν ἐμπειρίαν ἀκριβῶς ἀνέγραψε· τὰ δὲ ἀρχαῖα τὰ μετὰ τὴν κτίσιν τῆς πόλεως γενόμενα κεφαλαιωδῶς ἐπέδραμε. Hoc eſt: *Nullum hactenus de rebus Romanis adcuratum ſcriptum apud Græcos exſtat: exceptis ſummariis quibuſdam compendiis, admodùm brevibus. Et primus, quod ego quidem ſciam, ſcriptorum Hieronymus Cardianus antiquitates Romanas curſim attigit in opere de Epigonorum rebus geſtis. deinde Timæus Siculis; res priſcas complexus univerſali hiſtoriâ; Pyrrhi Epirenſis bellis privatim dicato volumine. tum Antigonus, Polybius, Silenus, & innumeri alii, res eaſdem haud eodem modo adgreſſi. quorum unuſquiſque parum aliquid, ac ne id quidem debitâ curâ & diligentiâ, ſed ut ex fortuitis rumoribus collegerat, ſcripto prodidit. Nec abſimileis hiſtorias ediderunt, quotquot Romani homines urbis ſuæ res antiquas Græco ſermone conſcripſerunt. quorum vetuſtiſſimi Q. Fabius & L. Cincius; ambo æquales bellis Punicis. Horum uterque ea, quibus ipſe interfuit, ut probè ſibi cognita, diligenter mandavit literis. quæ verò olim poſt urbem conditam deinceps conſequuta ſunt, contenti fuêre ſummatim percurrere.* Quidquid igitur de *Romulo* ac *Remo*, quem Græci, primi huius vocabuli fictores, omnes pariter adpellant *Romum*, ſive Romani ſeu Græci prodiderunt, mera eſt fabula, per ſe ſatis abſurda & inepta: in qua neque de patre puerorum, neque de matris nomine, neque de expoſitore, nec de ſublatore, nec de nutrice, quidquam certi conſtat. Eccui verò credibile fiat, maluiſſe in longiùs diſſito Tiberi amne perire pueros Amulium, Albanorum regem, quàm in proximo contiguoque immenſæ profunditatis lacu Albano? Quis credat, miniſtrum regium, qui in tam gravi negotio haud dubiè jurejurando ab Amulio adactus fuiſſet, tam temerè in ripâ amnis vivos pueros reliquiſſe? Sed, uti innumera alia leviora mittamus, quis credat, *Romulum, ut ampliore*, quod ait Feſtus, *vocabuli ſignificatione proſperiora patriæ ſuæ ominaretur, Romam* maluiſſe *nominare urbem à ſe conditam, quàm de ſuo nomine Romulam:* quum ſatis intelligere potuiſſet, poſteris viſum iri id vocabulum urbi impoſitum de fratris *Romi* nomine. quem adeò gloriæ ædificatæ novæ urbis participem noluiſſe tradunt iſti ſcriptores, uti etiam ad prima mox eius fundamenta eum interfecerit. Verùm abſurdum hoc quum ipſi jam inde antiquiſſimi Romanorum

rum ſcriptores animadverterent, fratris Romuli nomen, quod omnes, ut dixi, Græci referunt Ῥῶμον, *Romum*; illi mutarunt in *Remum*: uti eâ demum ratione urbis adpellatio propiùs ad *Romuli*, quàm *Remi*, nomen accedere videretur. Eam tamen rationem Varroni poſteà non placuiſſe, ex prædicto Feſto patet. cuius verba ſuprà ſcriptis ſubjunguntur iſta: *Remam anteà Romulam adpellatam, Terentius quidem Varro ait, fuiſſe ab Romulo. deinde detortam vocem detritasque literas fuiſſe, credibile*. At hoc ille nemini perſvaſerit, niſi, cui jam antè perſvaſum fuerit, nullum Romulo fuiſſe fratrem *Romum*. Verùm aliter alii tradiderunt auctores; ex quibus hoc habuit Servius ad Virgilii Aeneid. lib. I: *Remus prior* VI *vultures vidit; Romus poſteà* XII. *quæ res bellum creavit; in quo exſtinctus eſt Remus. & à Romi nomine Romani adpellati. Vt autem pro Remo Romulus diceretur, blandimenti gratiâ factum eſt.* Sed & illi ſatis ridiculos ſeſe prodiderunt homines, qui, geminam urbis ædificationem, ut refert Dionyſius, colligentes, primam Aſcanii, Aeneæ filii, fratribus Romulo ac Romo, alteram itidem Romulo & Romo, Iliæ filiis, Numitoris nepotibus, attribuerunt. Scilicet, in fatis fuiſſe videtur, uti nulli alii homines Romam, vetuſtate ac neſcio qua calamitate deſolatam, inſtaurarent, quàm qui eadem cum primis conditoribus ferrent nomina.

Verùm longiùs hunc *Remulum* ab urbis Romæ ædificatione removere conabimur. Mater eius, ut ſuprà intellectum, habebatur Numitoris, Albanorum regis, filia nomine *Ilia*; ſive, ut alii tradiderunt, *Rhea Silvia*. At deam fuiſſe *Rheam*, Saturni, ut quidam voluerunt, uxorem. Latinis *Opem* dictam, vulgò notum eſt, de hac ita Strabo lib. X: Καὶ οἱ Φρύγες, καὶ τῶν Τρώων οἱ περὶ τὴν Ἴδην κατοικοῦντες, Ῥέαν μὲν καὶ αὐτοὶ τιμῶσι, καὶ ὀργιάζουσι ταύτῃ, Μητέρα καλοῦντες θεῶν, καὶ Ἀγδέστιν, καὶ Φρυγίαν, καὶ Θεὸν μεγάλην· ἀπὸ δὲ τῶν τόπων, Ἰδαίαν, καὶ Δινδυμηνὴν, καὶ Πυλληνὴν, καὶ Πεσσινουντίδα, καὶ Κυβέλην. Id eſt: *Phryges etiam, & ex Troibus qui Idam adcolunt, Rheam venerantur; eique orgia peragunt; Matrem adpellantes deorum & Adgeſtin & Phrygiam & Magnam deam; à locis verò Idæam, Dindymenen, Pylenen, Peſſinuntiam, & Cybelen.* Eamdem & *Palen*, & cognomine *Magnam Palen* Latinis fuiſſe adpellatam, ſuprà ex Virgilio atque Servio intelleximus: ubi Servius, *Pales*, inquit, *quam alii Veſtam, alii Matrem deûm vocant*. Eamdem *Terram matrem* fuiſſe dictam, ſuprà memoratæ Germaniæ lib. I cap. XXVII docui. unde Ovidius Faſtor. lib. VI:

Veſta eadem eſt & terra. ſubeſt vigil ignis utrique:
Significant ſedem aëra focusque ſuam.

Hinc igitur antiquiſſimus ille Latinis mos ignis accendendi in feſto *Paliliorum*; ut ſuprà ex Propertii lib. IIII eleg. IIII & Ovidii Faſtor. lib. didicimus. Atque ne dubites Ovidium hoc loco intellexiſſe *Veſtam*; en, apertè eam nominat eodem loco poſteà, ſic de Romulo canens:

Vox fuit hæc regis: Condenti, Iupiter, urbem,
Et genitor Mavors Veſtaque mater ades.

Rhea igitur iſthæc *Silvia* nulla fuit homo, Numitoris aliusve mortalis filia; ſed dea, toti terrarum Orbi, ut dicto Germaniæ lib. I cap. XXVII docui, ſub pluribus nominibus culta. quæ & ipſa, ut cæteris illis à locis tractis adpellationibus, ab *Ilio* etiam dicta eſt *Ilia*; & Latinis paſtoribus, quibus *pecorum pabulorumque*, ut ſuprà didicimus, dea habebatur, à *ſilvis Silvia*.

Videamus nunc ergo de *Romulo* etiam. Hunc, in deûm numerum relatum, alio nomine *Quirinum* dictum fuiſſe, legimus. Ovidius Transformationum lib. XIIII:

Innixusque haſtæ preſſos temone cruento
Impavidus conſcendit equos Gradivus; & ictu
Verberis increpuit: pronumque per aëra lapſus,
Conſtitit in ſummo nemoroſi colle Palati:
Reddentemque ſuo non regia jura Quiriti
Abſtulit Iliaden. corpus mortale per auras
Dilapſum tenueis: ut latâ plumbea fundâ
Miſſa ſolet medio glans intabeſcere cælo.
Pulcra ſubit facies; & pulvinaribus altis
Dignior eſt, quàm ſit trabeati forma Quirini.

Et Faſtor. lib. II:

Proxi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Proxima lux vacua eſt. at tertia dicta Quirini.
Qui tenet hoc nomen, Romulus antè fuit.
Sive, quòd haſta quiris priſcis eſt dicta Sabinis,
Bellicus à telo venit in aſtra deus:
Sive ſuo regi nomen poſuêre Quirites:
Seu, quia Romanis junxerat ille Cureis.

Apud Virgilium Aeneid. lib. I Iupiter Veneri ita prædicit de futuro Romanorum imperio:

Romulus excipiet gentem, & Mavortia condet
Mœnia; Romanosque ſuo de nomine dicet.
Cana Fides & Veſta, Remo cum fratre Quirinus
Iura dabunt.

Ad hæc Servius: *Romulus ideò Quirinus dictus est, quòd haſtâ utebatur; quæ Sabinorum linguâ curis dicitur. unde & ſecuris, quaſi ſemicuris. vel à* κοίρανος, *qui Græcè rex dicitur. vel propter generis nobilitatem. Mars enim quum ſævit, Gradivus dicitur; quum tranquillus eſt, Quirinus.* Feſtus: *Matronæ Iunonis Curitis in tutelâ ſunt: quæ ita adpellabatur à ferendâ haſtâ; quæ linguâ Sabinorum curis dicitur.* Plutarchus in Romulo: Τὴν δὲ γενομένην ἐπωνυμίαν τῷ Ῥωμύλῳ τὸν Κυρῖνον, οἱ μὲν Ἐνυάλιον προσαγορεύουσιν, οἱ δ' ὅτι καὶ τοὺς πολίτας Κυρίτας ὠνόμαζον· οἱ δὲ, τὴν αἰχμὴν ἢ τὸ δόρυ τοὺς παλαιοὺς Κυρῖνον ὀνομάζειν· καὶ Κυρίτιδος Ἥρας ἄγαλμα καλεῖν ἐπ' αἰχμῆς ἱδρυμένον. ἐν δὲ τῇ ῥηγίᾳ δόρυ καθιδρυμένον, Ἄρεα προσαγορεύειν· καὶ δώρατι τοὺς ἐν πολέμοις ἀριστεύοντας γεραίρειν. ὡς οὖν Ἀρήϊόν τινα Ῥωμύλον, ἢ αἰχμητὴν θεὸν, ὀνομασθῆναι Κυρῖνον. Hoc eſt: *At Quirinum dictum Romulum volunt alii quaſi Martem; alii, quòd cives Romani etiam Quirites dicerentur: alii à quiri; quod haſtam priſcis ſignificabat. & Quiritidis Iunonis adpellari ſimulacrum, quod haſtæ impoſitum. in regiâ item collocatam haſtam, Martem ſignificare. tum eos, qui bello ſtrenuè feciſſent, haſtâ ſolitos donari. Ergo, quaſi Martialem Romulum, aut haſtatum deum, nomen inveniſſe Quirini.* De origine Sabinorum urbis *Curium* ita tradit Dionyſius Halicarnaſſenſis lib. II: Περὶ δὲ τῆς Κυριτῶν πόλεως τοσαῦτα παρελάβομεν· Ἐν τῇ Ῥεατίνων χώρᾳ, καθ' ὃν χρόνον Ἀβοριγῖνες αὐτὴν κατεῖχον, παρθένος τις ἐπιχωρία τοῦ πρώτου γένους εἰς ἱερὸν ἦλθεν Ἐνυαλίου χορεύουσα· τὸν δ' Ἐνυάλιον οἱ Σαβῖνοι, καὶ παρ' ἐκείνων οἱ Ῥωμαῖοι μαθόντες, Κυρῖνον ὀνομάζουσιν. ἐν δὲ τοῦ θεοῦ τῷ τεμένει χορεύουσα ἡ παῖς, ἔνθεος ἄφνω γίνεται· καὶ καταλιποῦσα τὸν χορὸν, εἰς τὸν σηκὸν εἰστρέχει τοῦ θεοῦ. ἔπειτα ἐγκύμων ἐκ τοῦ δαίμονος, ὡς ἅπασιν ἐδόκει, γενομένη, τίκτει παῖδα, Μέδιον ὄνομα, Φίδιον ἐπίκλησιν· ὃς ἀνδρωθεὶς, μορφήν τε οὐ κατ' ἄνθρωπον, ἀλλὰ δαιμόνιον ἴσχει, καὶ τὰ πολέμια πάντων γίνεται λαμπρότατος. καὶ αὐτὸν εἰσέρχεται πόθος οἰκίσαι πόλιν ἀφ' ἑαυτοῦ. συναγαγὼν δὴ χεῖρα πολλὴν τῶν περὶ ἐκεῖνα τὰ χωρία οἰκούντων, ἐν ὀλίγῳ πάνυ χρόνῳ κτίζει τὰς καλουμένας Κύρεις, ὡς μέν τινες ἱστοροῦσιν, ἐπὶ τοῦ δαίμονος, ἐξ οὗ γενέσθαι αὐτὸν λόγος εἶχε, τοὔνομα τῇ πόλει θέμενος· ὡς δ' ἕτεροι γράφουσιν, ἐπὶ τῆς αἰχμῆς· κύρεις γὰρ οἱ Σαβῖνοι τὰς αἰχμὰς καλοῦσιν. ταῦτα μὲν οὖν Τερέντιος Οὐάρρων γράφει. Hoc eſt: *De Curitum urbe ſic accepimus. In Reatino agro, quo tempore Aborigines eum tenebant, virgo quædam indigena, principali genere nata, Martis templum ad choros celebrandos intraverat. hunc Sabini, hosque ſequuti Romani, Quirinum indigetant. In huius igitur dei fano ſaltans puella, repentè divino furore correpta, chorum deſeruit; & in ſacrarium dei curriculo ſeſe proripuit. dein à loci genio compreſſa, ut vulgò creditum est, puerum edidit, nomine Medium, cognomine Fidium. is virilem ætatem ingreſſus, & formâ ſupra hominem fuit, & in re militari longè clariſſimus evaſit. quumque captus eſſet condendæ urbis cupidine; magnâ ex finitimis agris multitudine collectâ, intra perbreve tempus Cureis condidit; quas ſic, ut quidam opinantur, à genio, cuius dicebatur filius, nominavit; vel; ut alii volunt, ab haſtâ. quidpe haſtas Sabini vocant cureis. Atque hæc equidem Terentius Varro tradit.* En tibi nativa & germana cunabula, ex quibus prodiit *Romuli* ſimul & urbis *Romæ* origo. Nempe, quum antiquiſſimi mortales hoc prodidiſſent de *Curium* primordio; ex qua urbe, ut ſuperiori capite dictum, *Aborigines* ſimul cum *Pelaſgis*, quum jam uno nomine vocarentur *Latini*, profecti, *Romam* urbem occuparunt: Romanorum poſteà ſcriptores ſuæ id tribuerunt urbis origini; *Quirinum*, id eſt, *Martem*, qui à *Curibus* ſic videbatur adpellatus, à ſuâ etiam *Româ* adpellantes Ῥωμύλον, *Romulum*. Et conveniebat hoc cognomen cum maximè Marti; quando ipſa *Roma*, ut mox infrà oſtendetur, à *robore* ac *viribus* hoc nominis habuit. unde Feſtus: *Romulum quidam à ficu ruminali, alii, quòd lupæ rumâ nutritus eſt, adpellatum eſſe, ineptiſſimè dixerunt. quem credibile est, à virium magnitudine, item fratrem eius,*

adpella-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

adpellatos. Et ex Feſto breviator eius Paul. Diaconus: *Romulus & Remus à virtute, hoc eſt, à robore adpellati ſunt*. Ἐνυάλιον autem *Martis* eſſe cognomentum, præter alios auctores, diſertis verbis teſtatur Macrobius Saturnalior. lib. I cap. XVIIII. *Quæ de Libero patre, inquit, dicta ſunt, hæc Martem eumdem ac Solem eſſe demonſtrant. ſiquidem plerique Liberum cum Marte conjungunt; unum deum eſſe monſtrantes. Vnde Bacchus* Ἐνυάλιος *cognominatur; quod eſt inter propria Martis nomina*. Feſtus: *Ordo ſacerdotum aſtimatur deorum maieſtate; ut maximus quisque. Maximus videtur Rex: dein Dialis: poſt hunc Martialis: quarto loco Quirinalis*. Mox: *Martialis; quòd Mars conditoris Vrbis parens: Quirinalis, ſocio imperii Romani Curibus adſcito Quirino*. At idem *Quirinus* etiam erat *Ianus*. Macrobius Saturnalior. lib. I cap. VIIII: *In ſacris invocamus Ianum Quirinum, quaſi bellorum potentem; ab haſtâ; quàm Sabini curim vocant*. Svetonius in Auguſto, cap. XXII: *Ianum Quirinum, terrâ marique pace partâ, ter cluſit*. Scilicet, omnium gentilium deorum numina ac nomina ad unum ſolum numen ſpectabant; cui ab variis effectibus varias impoſuère adpellationes; ut Germaniæ lib. I innumeris documentis à nobis oſtenſum. Hactenus igitur falſus urbis Romanæ conditor *Romulus*, ſatis remotus eſt. quo proſtrato, nihil eſt, quod aliquis mihi heic ampliùs proavos eius, certâ ſerie ab Aeneâ ſtirpem ducenteis, obtendat; *Aſcanium, Silvium, Aeneam Silvium, Latinum Silvium*, & cæteros hinc omneis eodem *Silvii* cognomine, *Albam, Atyn, Capyn, Capetum, Tiberinnm, Agrippam, Romulum Silvium, Aventinum, Procam, Numitorem*. de quibus quid certi vel Græci vel Romani ſcriptores ex tam incertis, ut ſuprà demonſtratum, tamque fabuloſis commentitiisque tradere potuerint, monimentis cuivis collectu facillimum eſt. unde factum, uti heic etiam mirum in modum varient poſteriores auctores. nam ab Livii ordine, quem modò perſcripſi, ita poſt Albam variat Dionyſius: *Capetus, Capys, Calpetus, Tiberinus, Agrippa, Alladius, Aventinus, Proca, Numitor*. rurſus ſic Ovidius Faſtor. lib. IIII: *Aeneas, Iulus, Silvius, Latinus, Alba, Epitus, Capys, Calpetus, Tiberinus, Agrippa, Remulus, Aventinus, Proca, Numitor*. at Μεταμορφώσεων lib. XIIII ita: *Aſcanius, Silvius, Latinus, Alba, Epitus, Capys, Capetus, Tiberinus, Acrota, Remulus, Aventinus, Palatinus*. Iſacius Tzetza in Scholiis ad Lycophronem ſic: *Aſcanius, Silvius, Aeneas, Latinus, Capes, Tiberinus, Amulius, Aventinus, Numitor*. At omnium pauciſſimos refert Sex. Aurel. Victor, in libro de Origine gentis Romanæ. *Aſcanium Silvium, Latinum, Tiberium, Aremulum, Aventinum, Procam, Numitorem*.

Omnia igitur hæc ex tam variâ narratione quum falſa & conficta eſſe deprehendantur, ipſum nunc *Aeneam* quoque paullo diligentiori manu excutiamus. Primùm omnium Dio Chryſoſtomus toto libro, quem privatim eâ de re compoſuit, negat Troiam umquàm fuiſſe captam: totamque hanc fabulam poëticè vult eſſe confictam. Strabo verò lib. XIII, in deſcriptione Troadis, ex ipſo oſtendit Homero, Aeneam manſiſſe in Troiâ, inque regnum ſucceſſiſſe poſt Priamum regem. Verba eius hæc ſunt: Ἔστι δ᾽ ἡ μὲν πάλαι Σκῆψις ἐπάνω Κεβρῆνος κατὰ τὸ μετεωρότατον τῆς Ἴδης· ὕστερον δὲ κατωτέρω σταδίοις ἑξήκοντα εἰς τὴν νῦν Σκῆψιν μετῳκίσθησαν ὑπὸ Σκαμανδρίου τε τοῦ Ἕκτορος καὶ Ἀσκανίου τοῦ Αἰνείου παιδός. καὶ δύο γένη ταῦτα βασιλεῦσαι πολὺν χρόνον ἐν τῇ Σκήψει λέγεται. μετὰ ταῦτα δ᾽ εἰς ὀλιγαρχίαν μετέστησαν· εἶτα Μιλήσιοι συνεπολιτεύθησαν αὐτοῖς, καὶ δημοκρατικῶς ᾤκουν· οἱ δ᾽ ἀπὸ γένους οὐδὲν ἧττον ἐκαλοῦντο βασιλεῖς, ἔχοντές τινας τιμάς. Οἴεται δὲ Δημήτριος ὁ Σκήψιος, καὶ βασίλειον τοῦ Αἰνείου γεγονέναι τὴν Σκῆψιν, μέσην οὖσαν τῆς ὑπὸ τῷ Αἰνείᾳ καὶ Λυρνεσσοῦ· εἰς ἣν φυγεῖν εἴρηται διωκόμενος ὑπὸ τοῦ Ἀχιλλέως· φησὶ γοῦν ὁ Ἀχιλλεύς·

Ἦ οὐ μέμνῃ, ὅτε πέρ σε βοῶν ἄπο μοῦνον ἐόντα
Σεῦα κατ᾽ Ἰδαίων ὀρέων ταχέεσσι πόδεσσι·
Κεῖθεν δ᾽ ἐς Λυρνησσὸν ὑπέκφυγες· αὐτὰρ ἐγὼ τὴν
Πέρσα μεθορμηθείς.

Οὐχ ὁμολογεῖ δὲ τῷ περὶ τῶν ἀρχηγετῶν τῆς Σκήψεως λόγῳ τῷ λεχθέντι νῦν τὰ περὶ τοῦ Αἰνείου θρυλλούμενα. περιγενέσθαι γὰρ δὴ τοῦτόν φασιν ἐκ τοῦ πολέμου διὰ τὴν πρὸς Πρίαμον δυσμένειαν·

——— Αἰεὶ γὰρ Πριάμῳ ἐπεμήνιε δίῳ,
Οὕνεκ᾽ ἄρ᾽ ἐσθλὸν ἐόντα μετ᾽ ἀνδράσιν οὔτι τίεσκε

Τούς τε συνάρχοντας Ἀντηνορίδας καὶ αὐτὸν τὸν Ἀντήνορα διὰ τὴν Μενελάου παρ᾽ αὐτῷ ξενίαν. Τὸν μὲν οὖν Ἀντήνορα καὶ τοὺς παῖδας μετὰ τῶν περιγενομένων Ἐνετῶν εἰς τὴν Θρᾴκην περισωθῆναι. κἀκεῖθεν διαπεσεῖν εἰς τὴν λεγομένην κατὰ τὸν Ἀδρίαν Ἐνετικήν. τὸν δὲ Αἰνείαν μετ᾽ Ἀγχίσου τοῦ πατρὸς

καὶ τοῦ παιδὸς Ἀσκανίου λαὸν ἀθροίσαντα πλεῦσαι. καὶ οἱ μὲν οἰκῆσαι περὶ τὸν Μακεδονικὸν Ὄλυμπόν φασιν· οἱ δὲ περὶ Μαντίνειαν τῆς Ἀρκαδίας, κτίσαι Καπύας, ἀπὸ Κάπυος θέμενον τοὔνομα τῷ πολίσματι· οἱ δ' εἰς Αἴγεσταν κατᾶραι τῆς Σικελίας σὺν Ἐλύμῳ Τρωῒ, καὶ Ἔρυκα καὶ Λιλύβαιον κατασχεῖν, καὶ ποταμοὺς περὶ Αἴγεσταν προσαγορεῦσαι Σκάμανδρον καὶ Σιμόεντα· ἔνθεν δ' εἰς τὴν Λατίνην ἐλθόντα μεῖναι κατά τι λόγιον, τὸ κελεῦον μένειν ὅπου ἂν τὴν τράπεζαν καταφάγοι· συμβῆναι δ' ἐν τῇ Λατίνῃ περὶ τὸ Λαουίνιον τοῦτο, ἄρτου μεγάλου τεθέντος ἀντὶ τραπέζης κατ' ἀπορίαν, καὶ ἅμα ἀναλωθέντος τοῖς ἐπ' αὐτῷ κρέασιν· Ὅμηρος μέν τοι συνηγορεῖν οὐδετέροις ἔοικεν, οὐδὲ τοῖς περὶ τῶν ἀρχηγετῶν τῆς Σκήψεως λεχθεῖσιν. ἐμφαίνει γὰρ μεμενηκότα τὸν Αἰνείαν ἐν τῇ Τροίᾳ, καὶ διαδεδεγμένον τὴν ἀρχὴν, καὶ παραδεδωκότα παισὶ παίδων τὴν διαδοχὴν αὐτοῖς, ἠφανισμένου τοῦ τῶν Πριαμιδῶν γένους·

> Ἤδη γὰρ Πριάμου γενεὴν ἤχθηρε Κρονίων.
> Νῦν δὲ δὴ Αἰνείαο βίη Τρώεσσιν ἀνάξει,
> Καὶ παῖδες παίδων τοί κεν μετόπισθε γένωνται.

Οὕτω δ' οὐδ' ἡ τοῦ Σκαμανδρίου διαδοχὴ σώζοιτ' ἄν· πολὺ δὲ μᾶλλον τοῖς ἑτέροις διαφωνεῖ τοῖς μέχρι καὶ Ἰταλίας αὐτοῦ τὴν πλάνην λέγουσι, καὶ αὐτόθι ποιοῦσι τὴν καταστροφὴν τοῦ βίου. Id eſt: *Antiqua Scepſis ſupra Cebrenem fuit ſita, juxta celſiſſimam Idæ partem. poſteà verò urbs* XL *ſtadia deorſum translata eſt in eam, quæ nunc eſt Scepſis, à Scamandrio Hectoris & Aſcanio Aeneæ filio. quæ duæ familiæ diu Scepſi regnaſſe dicuntur; donec urbs in paucorum pervenerit adminiſtrationem. deinde Mileſii ſeſe in civitatem eorum adjunxère: redditaque eſt reipublicæ adminiſtratio popularis. nihilo minùs tamen, qui ex iſtis erant familiis, reges ſunt adpellati: ac ſuos peculiares habuère honores. Demetrius autem Scepſius patriam ſuam arbitratur Aeneæ fuiſſe regiam; medio ſitam loco inter Aeneæ ditionem & Lyrneſſum. in quam dicatur fugiſſe, Achille perſequente. ſic quidpe ait Achilles.* [Iliados lib. xx:]

> *An non meminiſti, quando te à bobus ſolum exſiſtentem*
> *Repuli ab Idæis montibus velocibus pedibus.*
> *Indeque in Lyrneſſum evaſiſti. ſed ego hanc*
> *Everti adgreſſus.*

Verùm huic de Scepſis conditoribus principibusque narrationi non conſonant ea, quæ de Aeneâ vulgò memorantur. nempe bello eum ſuperſtitem fuiſſe, ob inimicitiam, quæ ei cum Priamo erat: [Iliad. lib. XIII:]

> ——— *Semper enim Priamo iratus erat divino:*
> *Quòd ſtrenuum inter viros alios nihil honorabat.*

Tum etiam ſocios eius Antenoridas, & ipſum Antenorem; propterea, quòd Menelaum is hoſpitio excepiſſet. Proinde Antenorem cum filiis & Henetis ſibi adjunctis in Thraciam evaſiſſe; atque inde in Venetiam, quæ ad ſinum Hadriaticum ſita, perveniſſe. Aeneam item cum Anchiſâ patre & Aſcanio filio, collectâ hominum multitudine, abnavigaſſe. at alii eum ſedeis poſuiſſe aiunt in Macedoniâ apud Olympum: alii tradunt, in Arcadiâ apud Mantinéam condidiſſe opidum; Capuas à Capy dictum. alii dicunt, in Siciliam ad Aegeſtam cum Elymo Troë trajeciſſe; & occupaſſe Erycem ac Lilybæum, fluviosque apud Aegeſtam adpellaſſe Scamandrum & Simoëntem. veniſſe inde in Latium: monituque oraculo ibi conſediſſe. quod manere ibi juſſerat, ubi menſam comediſſet. idque ei in Latio apud Lavinium uſuveniſſe: quum ob inopiam magnus panis loco menſæ poſitus, unà cum injectis ei carnibus eſſet abſumptus. Verùm Homerus neque his adſtipulari videtur, neque iis, quæ de Scepſis conditoribus dicta ſunt. innuit namque, Aeneam manſiſſe in Troiâ; inque regnum ſucceſſiſſe; & id per ſucceſſionem ad filiorum filios propagaſſe: quum ſtirps Priami eſſet exſtincta. [Dicto Iliad. lib. xx:]

> *Iam enim Priami ſtirpem odit Iupiter.*
> *Nunc verò Aeneæ virtus Troibus imperabit,*
> *Et filii filiorum, qui ex eo naſcentur.*

Hoc ſanè pacto nec Scamandrio quidem ſucceſſio ſua ſervabitur: multoque magis hæc diſſentiunt ab iis, qui in Italiam usque Aeneam vagatum dicunt; ibique vitam cum morte commutaſſe. Sanè nemini maior hac in re debebat eſſe auctoritas fidesque, quam ipſi *Homero*: ut qui vetuſtiſſimus poſt *Syagrum*; quem primum id feciſſe tradit Aelianus Variar. hiſtor. lib. XIIII cap. XXI, ſive poſt *Corinnum Troianum*, ut vult Suidas, belli Troiani hiſtoriam prodidit; ducentis circiter ac XXX annis eo bello ipſe poſterior. Et ineptum maximéque irriſu dignum fuiſſet, ea prædixiſſe eum in poëmate, quæ ipſa ætas eius falſa eſſe comprobaret. Merum igitur figmentum eſt, quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

quod poſt Homerum ſive poëtæ ſive λογογράφοι ac μυθολόγοι de Aeneæ in Italiam adventu regnoque inibi conſtituto tradiderunt. Ac ſanè totam eam fabulam ad imitationem Homerici Vlyſſis compoſitam eſſe, ſatis ex eo perſpicitur, quòd ad nulla deduxerit loca Homerus Vlyſſem, quin ad eadem poſteà paribus caſibus, paribusque penè rerum eventibus, adpulſus narretur Aeneas: niſi, quòd hic paullo alio itineris ordine. ſcilicet, quia non reducendus erat in Aſiam ad Ilium: quemadmodùm poſt longos errores ille in Ithacam ſuam. Hancque itinerum geſtorumque ſimilitudinem, ſeu potiùs imitationem, obſervavit pridem Macrobius, Saturnal. lib. v cap. II; ut Siciliæ lib. II cap. XVII adnotavimus. Atque hinc factum, uti nonnulli ex antiquis illis ſcriptoribus Aeneam unà cum Vlyſſe in Italiam veniſſe tradiderint: alii verò, hunc poſteà ad illum perveniſſe. Dionyſius lib. I: Ὁ τὰς ἱερείας τὰς ἐν Ἄργει καὶ τὰ καθ' ἑκάστην πραχθέντα συναγαγών, Αἰνείαν φησὶν, ἐκ Μολοττῶν εἰς Ἰταλίαν ἐλθόντα μετ' Ὀδυσσέως, οἰκιστὴν γενέσθαι τῆς Ῥώμης. Id eſt: *Is, qui mulieres recenſet ſacerdotio apud Argos functas, & quidquid geſtum ſit cuiusque tempeſtate, Aeneam ait, è Moloſſis in Italiam cum Vlyſſe delatum, Romam condidiſſe.* Lycophron in Alexandrâ, poſtquàm de Aeneâ dixit:

Σὺν δέ σφι μίξει φίλιον, ἐχθρὸς ὢν, στρατὸν,
Ὅρκοις κρατήσας καὶ λιταῖς γουνασμάτων,
Νάνος, πλάναισι πάντ' ἐρευνήσας μυχὸν
Ἁλός τε καὶ γῆς. Id eſt:
Cum illo deinde junget amicum inimicus exercitum,
Iuramentis adigens & precibus geniculatis,
Nanus, omneis perſcrutans angulos
Maris terræque.

Sex. Aurel. Victor. in libro de Origine gentis Romanæ: *Quum interim immolatâ ſue in litore ſacrificium perageret Aeneas; traditur, fortè advertiſſe Argivam claſſem, in qua Vlyſſes erat. quumque vereretur, ne ab hoſte cognitus periculum ſubiret; itemque, rem divinam interrumpere, ſummum nefas duceret: caput velamento obduxiſſe; atque ita pleno ritu ſacra perfeciſſe. inde poſteris traditum morem ita ſacrificandi; ut ſcribit M. Octavius lib. I.* Idem & Feſtus tradit, in voce *Saturnalia*. Sed ex hactenus allatis ſatis manifeſtò jam patet, *Aeneam* quoque, ut qui in Italiam numquàm venerint, nihil ad conſtructionem urbis *Romæ*, quod Salluſtius aliique tradiderunt nonnulli auctores contuliſſe. & Latinum regem, cuius hoſpitio ille exceptus, cuiusque filiam in matrimonium accepiſſe dicitur, nullum umquàm fuiſſe, ſatis ſuperque ſuprà demonſtratum eſt. De claſſis igitur Troianæ exuſtione nihil attinet pluribus heic diſputare. quam & ipſam Dionyſius lib. I & Virgilius lib. v & x in Siciliâ apud Aegeſtam urbem factam referunt; Ariſtotelis in Mirandis, Lycophron in Alexandrâ, & Strabo lib. VI, in Italiâ apud Sirin, Lucaniæ opidum: alii, teſte Tzetzâ in Lycophronem, apud Neæthum, Crotonienſis agri amnem: atque inde flumini nomen eſſe. alii, teſtibus Cæſare ac Sempronio apud Sex. Aurel. Victorem in libro de Origine gentis Romanæ, & item Servio in Virgilii Aeneid. lib. VII & x, in *Caietæ* portu: cui inde nomen ἀπὸ τοῦ καίειν manſerit. quidam etiam apud Piſas in Arni oſtio, teſte eodem Servio dicto lib. x. ſed plerique in Latio apud Tiberina oſtia; teſtibus apud Dionyſium dicto lib. I Ariſtotele & auctore Argeorum, item Damaſte, & nonnullis aliis: teſtibus item Plutarcho in Romulo atque in libro de Mulierum virtutibus, Solino cap. I. Vnde Strabo, homo minimè ſuperſtitioſus, nec temerè aut vanè fatuéque credulus, haud immeritò hæc atque talia ridet dicto lib. VI, his verbis de Siri urbe loquens: Τῆς δὲ τῶν Τρώων κατοικίας τεκμήριον ποιοῦνται τὸ τῆς Ἀθηνᾶς τῆς Ἰλιάδος ξόανον, ἱδρυμένον αὐτόθι, ὅπερ καταμῦσαι μυθεύουσιν ἀποσπωμένων τῶν ἱκετῶν ὑπὸ Ἰώνων τῶν ἑλόντων τὴν πόλιν. δείκνυσθαι δὲ καὶ νῦν καταμῦον τὸ ξόανον. Ἰταμὸν μὲν οὖν καὶ τὸ οὕτω μυθεύειν ὥστε μὴ μόνον καταμῦσαι φαινόμενον, καθάπερ καὶ τὸ ἐν Ἰλίῳ ἀποστραφῆναι κατὰ τὸν Κασάνδρας βιασμὸν, ἀλλὰ καὶ καταμῦον δείκνυσθαι. πολὺ δὲ ἰταμώτερον τοιαῦτα ποιεῖν ἐξ Ἰλίου κεκομισμένα ξόανα, ὅσα φασὶν οἱ συγγραφεῖς. καὶ γὰρ ἐν Ῥώμῃ, καὶ ἐν Λαουϊνίῳ, καὶ ἐν Λουκερίᾳ, καὶ ἐν Σιρίτιδι, Ἰλιὰς Ἀθηνᾶ καλεῖται, ὡς ἐκεῖθεν κομισθεῖσα. καὶ τὸ τῶν Τρῳάδων δὲ τόλμημα περιφέρεται πολλαχοῦ, καὶ ἄπιστον φαίνεται, καίπερ δυνατὸν ὄν. Id eſt: *Troianorum eſſe coloniam, documentum proferunt Minervæ Iliacæ ſimulacrum, ibidem dedicatum. quod oculos, palpebris clauſis, ſolo defixiſſe fabulantur, quum Iones, urbe captâ, ſupplices ab eo ſimulacro avelle-*

avellerent. & hodiéque monſtrari dicunt ſimulacrum id connivens. Sedenim protervum eſt, fingere, ſimulacrum aliquod non modò viſum eſſe connivere; ſicut imaginem Minervæ Ilii, ferunt, oculos avertiſſe, quum violaretur Caſſandra: ſed fabulæ etiam adjicere, ſimulacrum etiam nunc connivens conſpici. at multo etiam protervius, ea omnia ab Ilio allata fabulari, quæ ſcriptores tradunt. ſiquidem & Romæ, ſimulque Lavinii, & Luceriæ, & Siri, Minerva habetur Iliaca; quaſi ab Ilio allata: & facinus Troianarum mulierum compluribus adſcribitur locis. qua re fides ei derogatur: quum fieri tamen potuerit. Sed poëtæ Latini, Virgilius Aeneid. lib. VIIII, & Ovidius Μεταμορφώσεων lib. XIIII, à Turno claſſem Troianam concrematam tradunt. Adeò ſanè nihil prorſus eſt in totâ hoc de Aeneæ ad Italiam adpulſu, deque poſteris eius urbem Romanæ conditoribus hiſtoriâ, in quo inter ſe concinnant auctores.

Quapropter quum planè fabuloſa, audituque perquàm abſona eſſe deprehendantur omnia ea, quæ ex vulgari opinione tradiderunt Græci pariter ac Latini ſcriptores; alia urbis toto Orbe celeberrimæ inveſtiganda eſt origo. Dionyſii Halicarnaſſenſis verba lib. I, poſtquàm binas ſuprà dictas Romæ ædificationes memoravit, ſequuntur iſta: Εἰ δέ τις ἀποδεῖν βουλήσεται τὰ προσώτερα, καὶ τρίτη τις ἀρχαιοτέρα τούτων εὑρεθήσεται Ῥώμη, γενομένη πρὶν Αἰνείαν καὶ Τρῶας ἐλθεῖν ἐν Ἰταλίᾳ. τοῦτο δὲ οὐ τῶν ἐπιτυχόντων τις οὐδὲ νέων συγγραφεὺς ἱστόρηκεν, ἀλλ' Ἀντίοχος ὁ Συρακούσιος. φησὶ δὲ, Μόργητος ἐν Ἰταλίᾳ βασιλεύοντος, (ἦν δὲ τότε Ἰταλία, ἡ ἀπὸ Τάραντος ἄχρι Ποσειδωνίας παράλιος) ἐλθεῖν πρὸς αὐτὸν ἄνδρα φυγάδα ἐκ Ῥώμης. λέγει δὲ ὧδε· Ἐπεὶ δὲ Ἰταλὸς κατεγήρα, Μόργης ἐβασίλευσεν. ἐπὶ τούτου δὲ ἀνὴρ ἀφίκετο ἐκ Ῥώμης φυγάς, Σικελὸς ὄνομα αὐτῷ. Κατὰ μὲν δὴ τὸν Συρακούσιον συγγραφέα, παλαιά τις εὑρίσκεται προτεροῦσα τῶν Τρωϊκῶν χρόνων ἡ Ῥώμη. πότερον δὲ περὶ τοὺς αὐτοὺς ἦν τόπους, ἐν οἷς ἡ νῦν οἰκουμένη πόλις ἐστὶν, ἢ χωρίον ἕτερον οὕτως ἐτύγχανεν ὀνομαζόμενον, ἀσαφὲς ἐκείνου καταλιπόντος, οὐδ' ἐγὼ δύναμαι συμβαλεῖν. Hoc eſt: *Quòd ſi quis rem altiùs velit repetere; tertiam etiam Romam, his antiquorem, inveniet; ut quæ ante Aeneæ Troianorumque in Italiam adventum exſtiterit. Hoc autem nec vulgaris aliquis nec recens ſcriptor prodidit; ſed Antiochus Syracuſanus. Is ait, Morgete in Italiâ regnante, (Italia autem tum erat ea ora, quæ à Tarento ad Poſidoniam usque protenditur) veniſſe ad eum quemdam à Româ exſulem. Verba eius hæc ſunt: Poſtquàm Italus conſenuit, Morges pro eo regnavit. Huius tempore venit vir quidam Româ profugus, nomine Siculus. Teſte itaque Syracuſano hoc ſcriptore antiqua quædam invenitur Roma, Troianis temporibus prior. Verùm enim verò ea eodem loco ſita fuerit, ubi nunc urbs incolitur; an alius quis locus idem nomen habuerit; ſiquidem ille incertum reliquit, neque ego conjicere valeo.* Satis benè habet quòd Antiocho, pervetuſto ſcriptori, ut quem ducentis propè annis Ariſtotele ſuperiorem fuiſſe, id eſt, circa ducentiſſimum conditæ, ſecundùm vulgarem receptamque opinionem, urbis Romæ, quadringentis annis poſt Homerum, ſuprà lib. I cap. I dixi, fidem de tertiâ iſtâ eâque antiquiſſimâ Româ non derogaverit. hanc igitur non ab Romulo aliquo vel Romo, Aeneæ Troiani poſtero, adpellatam concedit. Hinc etiam Philargyrus in Scholiis ad Virgilii Eclogam I: *Roma & ante Romulum fuit; & ab eâ ſibi Romulum nomen adquiſiviſſe, Marianus, Lupercaliorum poëta, oſtendit.* Cur verò Dionyſius dubitaret, an eadem hæc fuerit urbs, quàm poſteà ipſe ſub Auguſto imperatore per XXII annos incoluit, nullam aliam habuiſſe videtur rationem, niſi quòd Q. Fabio Pictori crediderit, tertiam illam, duabus prioribus deſtructis, à Romulo, Numitoris nepote, CCCCXXXII annis poſt bellum Troianum fuiſſe exſtructam. Hæc traditio quum falſa eſſe deprehenſa ſit, illi adhæreamus, æquum eſt. Dionyſius eodem lib. I ita ſcribit: Ὀλίγῳ δὲ ὕστερον χρόνῳ τὴν ἀρχαίαν ἀλλάξαντες ὀνομασίαν, ἅμα τοῖς Ἀβοριγῖσι ἀπὸ τοῦ βασιλέως τῆς χώρας Λατῖνοι ὠνομάσθησαν. καὶ μεταναστάντες ἐκ τοῦ Λαουϊνίου, κοινῇ μετὰ τῶν ἐπιχωρίων μείζονα περιβάλλονται πόλιν, ἣν Ἄλβαν ἐκάλεσαν· ἐξ ἧς ὁρμώμενοι πολλὰς μὲν καὶ ἄλλας πόλεις ἔκτισαν, τῶν κληθέντων Πρίσκων Λατίνων· ἐξ ὧν αἱ πλεῖσται ἔτι καὶ εἰς ἐμὲ ἦσαν οἰκούμεναι. γενεαῖς δὲ ὕστερον ἑκκαίδεκα μετὰ Ἰλίου ἅλωσιν, ἐκπέμψαντες ἀποικίαν εἰς τὸ Παλάντιόν τε καὶ τὴν Σατορνίαν, (ἔνθα Πελοποννήσιοί τε καὶ Ἀρκάδες τὴν πρώτην οἴκησιν ἐποιήσαντο, καὶ ἦν ἔτι ἐπ' αὐτῶν ζώπυρα ἄττα περιλειπόμενα τοῦ παλαιοῦ γένους) οἰκίζουσι τοὺς τόπους περιβάλλοντες τείχεσι τὸ Παλάντιον, ὥστε λαβεῖν σχῆμα πόλεως τότε πρῶτον. τίθενται δὲ τῷ κτίσματι Ῥώμην ὄνομα ἀπὸ τοῦ στείλαντος τὴν ἀποικίαν Ῥωμύλου, ὃς ἦν ἕβδομος καὶ δέκατος ἀπ' Αἰνείου γεγονώς. Id eſt: *Haud multo pòſt, vetere adpellatione mutatâ, unà cum Aboriginibus à regionis rege nuncupati ſunt*

Latini. & relicto Lavinio, unà cum indigenis maiorem urbem muniverunt, quam Albam nominarunt. unde alia quoque multa opida deduxerunt, quæ Priſcorum Latinorum vocantur; & pleraque noſtrâ etiam ætate incoluntur. deinde, ſextâ decimâ poſt captum Ilium ætate, miſerunt coloniam in Palantium & Saturniam; ubi Peloponneſii & Arcades primas ſedeis fixerant; quæque etiam tum ſcintillas quaſdam priſci generis retinebant: ac Palantium muris cinxerunt; ut urbis formam tum primùm acceperit. conditæ urbi nomen Romæ impoſuerunt; quòd Romuli ductu miſſa eſſet colonia: qui ſeptimus decimus ab Aeneâ deſcenderat. De opidis *Priſcorum Latinorum* ita etiam narrat Livius lib. I: *Silvius deinde Albæ regnat, Aſcanii filius is Aeneam Silvium creat. is deinde Latinum Silvium. ab eo coloniæ aliquot deductæ; Priſci Latini adpellati.* Hinc etiam illud Tarquinii Superbi in concilio omnium Latinorum dictum; *Quòd omnes Latini ab Albâ oriundi ſint*; ut idem refert eodem libro poſteà Livius. Triginta fuiſſe eas colonias, licèt ſatis arcti fuerint Priſci Latii fines; ut quorum ſumma longitudo à Tibure ad mare XXXV millia paſſuum, maxima latitudo ab ipsâ urbe Româ in Albanum montem XX colligebat; ut ſuperiore capite dictum; haud ſemel teſtatur Dionyſius; ut ſuperiori capite relatum. Ergo nullæ Siculorum, qui primi hanc regionem incoluerunt, vel Aboriginum urbes, nulla opida in Latio fuêre ante Aeneæ in Italiam adventum. At quis hoc credat? utique, quum Aborigines jam anteà celeberrimis adſveti fuerint urbibus in eâ regione, ex qua poſteà pulſi fuêre ab Sabinis; ut ſuprà in horum expoſitione lib. II cap. VIII & VIIII oſtenſum: quumque omnes circùm populi jam multis ante bellum Troianum ſæculis munitiſſimas urbeis tenuerint; ut partim ſupra demonſtratum eſt, partim infrà patebit. Vnde etiam poëta Aeneid. lib. VII:

——— Rex arva Latinus & urbeis
Iam ſenior longâ placidas in pace regebat.

Quin ipſius Dionyſii hæc ſunt verba, eodem lib. I, de Aboriginibus, qui Siculos recèns ſedibus ſuis ejecerant: Καὶ πόλεις ἔκτισαν ἄλλας τέ τινας καὶ τὰς μέχρι τοῦδε οἰκουμένας, Ἀντεμνάτας τε καὶ Τελληνεῖς καὶ Φικουλνέας καὶ Τιβουρτίνους, παρ' οἷς ἔτι καὶ ἐς τόδε χρόνου μέρος τι τῆς πόλεως ὀνομάζεται Σικελιών. Hoc eſt: *Et, præter alias urbeis, condiderunt etiam eas, quæ in hoc usque tempus incoluntur; Antemnas, Tellenas, Ficulneam, & Tibur; ubi hodiéque pars opidi dicitur Sicilio.* Et poſteà: Πολλῶν δὲ καὶ ἄλλων ἐκράτησαν χωρίων οἱ Πελασγοί, τοῖς τε Ἀβοριγῖσι τὸν πρὸς τοὺς Σικελοὺς πόλεμον ἔτι συνεστῶτα πολλῇ προθυμίᾳ συνδιέφερον, ὡς ἐξήλασαν αὐτοὺς ἐκ τῆς σφετέρας. καὶ πόλεις πολλάς, τὰς μὲν οἰκουμένας καὶ πρότερον ὑπὸ τῶν Σικελῶν, τὰς δὲ αὐτοὶ κατασκευάσαντες, ᾤκουν οἱ Πελασγοὶ κοινῇ μετὰ τῶν Ἀβοριγίνων· ὧν ἥ τε Καιρητανῶν πόλις, Ἄγυλλα δὲ τότε καλουμένη, καὶ Πίσα καὶ Σατορνία καὶ Ἄλσιον, καὶ ἄλλαι τινές, αἳ ἀνὰ χρόνον ὑπὸ Τυρρηνῶν ἀφῃρέθησαν· Φαλέριον δὲ καὶ Φασκένιον ἔτι καὶ εἰς ἐμὲ ἦσαν οἰκούμεναι ὑπὸ Ῥωμαίων, μικρὰ ἄττα διασῴζουσαι ζώπυρα τοῦ Πελασγικοῦ γένους, Σικελῶν ὑπάρχουσαι πρότερον. Hoc eſt: *Alia quoque loca multa Pelaſgi in poteſtatem ſuam redegerunt: Aboriginibusque contra Siculos promptam præſtiterunt operam; donec eos ſedibus ſuis ejecerunt. In his multa opida, partim antè ab Siculis habitata, partim ab ſe condita, tenuerunt indiviſa ſociæ gentes Pelaſgi atque Aborigines. ex quibus ſunt, Cære, dictum tunc Agylla; Piſa, Saturnia, Alſium; & quædam alia, quæ poſteà ab Etruſcis occupata ſunt. Falerium verò & Fuſcennium, etiam meo tempore à Romanis habitata, parvas quaſdam ſervant ſcintillas Pelaſgici generis; quum olim Siculorum fuerint.* Quòd ſi igitur trans Tiberim in Etruriâ Siculi, Aborigines verò, illis expulſis, in Latio circa Anienem, jam tum ante Troianum bellum incoluerunt opida; quis credat, omnia opida, quæ poſteà *Priſcorum Latinorum* cognominata ſunt, à *Latino* tandem *Silvio* iſto fuiſſe condita; ut volunt Livius atque Dionyſis? Nihil igitur certius, quàm quòd Antiochus Syracuſanus tradidit; quamquàm & ipſe erroribus haud modicis obnoxius. non enim unus quidam homo exſul ad Morgetem, Italorum tunc apud fretum Siculum regem, venit Româ nomine *Siculus*: ſed omnis Siculorum gens (cui fortaſſis tum demùm fuit rex *Italus*) ab Aboriginibus ſimul & Pelaſgis, ut ſuperiori capite demonſtratum, ſedibus ſuis inter Anienem & mare inferum pulſa, in eam, quæ anteà *Auſonia* & *Oenotria*, *poſtremùm verò Bruttius ager* adpellata eſt, terram ſeſe contulerunt: unde ætate tertiâ, id eſt anno LXXX ante bellum Troianum, teſtibus apud Dionyſium eodem lib. I Hellanico Leſbio & Philiſto Syracuſano, in proximam inſulam Sicaniam trajecerunt: cui inde *Siciliæ* factum no-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

vum nomen. Hinc igitur rectè Dionyſius, initio ſtatim dicti libri primi: τὴν ἡγεμόνα γῆς καὶ θαλάσσης ἁπάσης πόλιν, ἣν νῦν κατοικοῦσι Ῥωμαῖοι, παλαιότατοι τῶν μνημονευομένων λέγονται κατασχεῖν βάρβαροι Σικελοὶ, ἔθνος αὐθιγενές. χρόνῳ δὲ ὕστερον Ἀβοριγῖνες αὐτὴν παραλαμβάνουσι, πολέμῳ μακρῷ τοὺς ἔχοντας ἀφελόμενοι. Hoc eſt: *Vrbem terræ mariſque totius principem, quàm nunc Romani habitant, primi in omni memoriâ tenuiſſe dicuntur barbari Siculi, gens indigena. poſtmodùm, pulſis longo bello priſcis dominis, Aborigines eam occuparunt.* Idem repetit initio libri II: Οἱ δὲ κατασχόντες τὴν τῶν Ῥωμαίων πόλιν πρῶτοι τῶν μνημονευομένων βάρβαροί τινες ἦσαν αὐτόχθονες, Σικελοὶ λεγόμενοι. τούτους ἐκβαλόντες Ἀβοριγῖνες αὐτοὶ κατέσχον τὸν τόπον. Id eſt: *Vrbem Romanorum primi poſt hominum memoriam tenuêre barbari quidam indigenæ, Siculi dicti. his pulſis Aborigines eam occuparunt.* Aliud ei ab ipſis conditoribus impoſitum fuiſſe nomen, ex Plinii, Solini, Macrobii, Feſti, & Servi, patet monumentis. Plinius lib. III cap. V: *Supérque Roma ipſa. cuius nomen alterum dicere, arcanis ceremoniarum nefas habetur. optimâque & ſalutari fide abolitum, enunciavit Valerius Soranus: luitque mox pœnas. Non alienum videtur, inſerere hoc loco exemplum religionis antiquæ, ob hoc maximè ſilentium inſtitutæ. namque diva Angerona, cui ſacrificatur ad diem XII Calend. Ianuarii; ore obligato obſignatoque ſimulacrum habet.* Solinus cap. I: *Traditur etiam proprium Romæ nomen: verùm tamen vetitum publicari. quandoquidem, quò minùs enunciaretur, ceremoniarum arcana ſanxerunt: ut hoc pacto notitiam eius aboleret fides placitæ taciturnitatis. Valerium denique Soranum, quòd contra edictum eloqui id auſus foret, ob meritum profanæ vocis neci datum. Inter antiquiſſimas ſanè religiones ſacellum colitur Angeronæ: cui ſacrificatur ante diem XII Kalendarum Ianuariarum. quæ diva præſul ſilentii iſtius, prænexo obſignatoque ore ſimulacrum habet.* Servius ad Virgilii Aeneid. lib. I: *Peritè. non ait Romam; ſed Romanos. urbis enim illius verum nomen nemo vel in ſacris enunciat. denique tribunus plebis quidam, ut ait Varro, hoc nomen auſus enunciare, in crucem ſublatus eſt. quod nec Higynus quidem, quum de ſitu Vrbis loqueretur, expreſſit.* Macrobius Saturnal. lib. III cap. VIIII: *Conſtat, omneis urbeis in alicuius dei eſſe tutelâ: moremque Romanum arcanum & multis ignotum fuiſſe, ut, quum obſiderent urbem hoſtium, eamque jam capi poſſe confiderent; certo carmine evocarent tutelareis deos. quòd aut aliter urbem capi poſſe non crederent; aut, ſi poſſet, nefas æſtimarunt deos habere captivos. nam propterea ipſi Romani & deum, in cuius tutelâ urbs Roma eſt, ut ipſius urbis Latinum nomen, ignotum eſſe voluerunt. Sed dei nomem nonnullis antiquorum, licèt inter ſe diſſidentium, libris inſitum: & ideò vetuſta perſequentibus, quidquid de hoc putatur, innotuit. alii enim Iovem crediderunt; alii Lunam. ſunt, qui Angeronam, quæ digito ad os admoto ſilentium denunciat. alii autem, quorum fides mihi videtur firmior, Opem Conſiviam eſſe, dixerunt. Ipſum verò urbis nomen etiam doctiſſimis ignotum eſt; caventibus Romanis, ne, quod ſæpè adversùs urbeis hoſtium feciſſe ſe noverant, idem ipſi quoque hoſtili evocatione paterentur, ſi tutelæ ſuæ nomen divulgaretur.* Feſtus: *Romam anteà Romulam adpellatam Terentius quidem Varro fuiſſe ait ab Romulo. deinde detortum vocabulum detritasque literas fuiſſe, credibile. Cæterùm cauſam eius adpellationis, inveniſſe ſe ait Verrius, vetitam eſſe publicari.* En, Verrius dixit, prohibitum fuiſſe publicare cauſam, cur urbs adpellaretur *Roma*. Plinius ait, *alterum eius nomen*. Solinus verò & Servius, *verum nomen* enunciare, nefas fuiſſe. id nomen *Latinum* fuiſſe, tradit Macrobius. Ergo vocabulum *Roma* non fuit Latinum. Servius dicto loco paullo anteà: *Atteius adſerit, Romam ante adventum Euandri diu Valentiam vocitatam: ſed pòſt Græco nomine* Ῥώμην *vocitatam.* Solinus, initio mox capitis primi, *Sunt*, inquit, *qui videri velint, Romæ vocabulum ab Euandro primùm datum, quum opidum ibi offendiſſet, quod exſtructum anteà Valentiam dixerat juventus Latina: ſervatâque ſignificatione impoſiti priùs nominus,* Ῥώμην *Græcè Valentiam nominatam.* Feſtus: *Hiſtoriæ Cumanæ compoſitor ait, Athenis quoſdam profectos Sicyonem Theſpiasque. ex quibus porrò civitatibus, ob inopiam domiciliorum, complures, profectos in exteras regiones, delatos in Italiam: eoſque à multo errore nominatos Aborigines. quorum ſubjecti qui fuerint Cæximparum* [corruptum haud dubiè eſt vocabulum: quo quid faciam, planè non reperio.] *viri unicarum virium imperio, montem Palatinum, in quo frequentiſſimi conſederint, adpellaviſſe à viribus regentis Valentiam. quod nomen adventu Euandri Aeneæque in Italiam cum magnâ Græcè loquentium copiâ, interpretatum, dici cæptum* Ῥώμην. Videtur hoc voluiſſe Cumanæ hiſtoriæ ſcriptorem, ſeu eos auctores, à quibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

ille id habuerit: nempe, ducem novæ coloniæ, cui à roboris viriumque magnarum præſtantiâ nomen erat *Valens*, urbem condidiſſe, cui de ſuo nomine impoſuerit vocabulum VALENTIA. id poſteà Græcos advenas, in ſuam lingvam converſum, dixiſſe Ῥώμην, ROMAM. Ducis igitur etiàm nomen Ῥῶμον alii vertere, alii Ῥωμύλον· quod aliàs in communi Græcorum lingvâ dicitur Ῥωμαλέος, id eſt, *fortis*, *robuſtus*, *validus*, ſive *valens*. Hinc poſteriorioribus Græcis varias fingendi fabulas nata occaſio; uti urbis conditoribus *Romo* & *Romulo* alii alios, ut ſuprà perſpectum, adfinxerint parenteis. Aqud Cedrenum mira ac varia legitur ex variis auctoribus collecta de Aeneâ eiusque poſteris & urbibus in Latio ab his conſtructis hiſtoria. ibi inter alia hæc etiam ſunt: Εὔανδρος δὲ καὶ Πάλας, οἱ τοῦ Αἰνείου υἱοὶ, κατὰ καλουμένην Βαλέντα ἐπαρχίαν ἰθύνοντες, οἶκον οἰκοδομοῦσι πάνυ μέγαν καὶ θαυμαστὸν, καὶ τοιοῦτον, ὡς ἐξ ἐκείνου πάντα βασίλειον οἶκον Παλάτιον ὀνομάζεσθαι. Id eſt: *Euander & Pallas, Aeneæ filii, quum provinciam Valentem regerent, domum ædificarunt mole & ſtructurâ admirandam. unde poſteà obtinuit, uti omnes regiæ adpellarentur Palatia.* Neſcio ſanè, utrùm ex aliquo ſcriptorum habuerit Cedrenus ipſius ducis nomen Βάλης, Βάλεντος, an verò urbis modò vocabulum Βαλεντία, *Valentia*: quod poſteà vel ipſe vel exſcriptores eius corruperint in ducis nomen Βάλεντα. quamquàm ipſius Cedreni haud dubiè eſt error, quòd ἐπαρχίαν, id eſt, *provinciam*, non verò πόλιν, *urbem*, vel χωρίον, *locum*, adpellaverit. Verùm utut hæc multiplicibus erroribus involuta; illud tamen benè habet, quòd & *Valentiæ* & *Euandri* & *Palatii* fiat mentio. nam *Latinorum* lingvam atque gentem Græci fuiſſe generis, ex duabus Græcis nationibus, *Oenotris* ſive *Aboriginibus* & *Pelaſgis* compoſitam; Pelaſgorum autem, quum ſe primùm in Italiâ cum Aboriginibus conjungerent, ducem fuiſſe *Euandrum*; ſuperiori capite ſatis ſuperque demonſtratum eſt. Quum igitur primi iſti *Latini* urbis *Valentiæ* nomen mutaverint ſuâ lingvâ in Ῥώμην, *Romam*; illud à primis incolis conditoribusque *Siculis* ei inditum fuiſſe, ſatis jam certum eſt. Nec refert, quòd vox ea ſit merè Latina; quando innumera etiam alia vocabula, ut ſuperiori capite dictum, adeóque omnia, quæ ad Græcam radicem redigi nequeunt, ex circumjectarum gentium, maximè verò Siculorum, Opicorum, ſive Sabinorum, atque Etruſcorum lingvis in ſuum ſermonem tranſtuliſſe Latinos conſtat. cuius rei complura exempla ſuprà lib. I cap. VI ex auctoribus à nobis citata ſunt. A Siculis igitur accepêre verbum *valere*; & item urbis, unde eos expulerant, nomen *Valentiam*; quod ſuâ lingvâ mutarunt in *Romam*. Error poſteà evaluit apud rerum ſcriptores, *Latinam* ab initio incoluiſſe urbem *juventutem*; *Latino*que *nomine* eam adpellaſſe *Valentiam*: quod tandem immutaverit advena Græcus Euander, Pelaſgorum, qui Aboriginibus ſeſe conjunxerunt, dux atque princeps. unde illud Plutarchi in Romulo: οἱ μὲν Πελασγοὺς φασὶν ἐπὶ τῆς οἰκουμένης πλανηθέντας, ἀνθρώπων τε πλείστων κρατήσαντας, αὐτόθι κατοικῆσαι, καὶ διὰ τὴν ἐν τοῖς ὅπλοις ῥώμην, οὕτως ὀνομάσαι τὴν πόλιν. Id eſt: *Quidam Pelaſgos aiunt, quum maiorem partem percurſaſſent Orbis, plurimasque deviciſſent genteis, hanc tenuiſſe oram; atque ex ſuo in armis robore* [hoc ῥώμη eſt Græcis] *urbem adpellaſſe*. Huc jam adde proximè perſcripta Solini verba de *Euandro*. Idem Plutarchus ibidem poſteà: οἱ δὲ Ῥῶμον, Λατίνων τύραννον, λέγουσι τοὔνομα θέσθαι τῇ πόλει, ἐκβαλόντα Τυῤῥηνοὺς, τοὺς εἰς Λυδίαν μὲν ἐκ Θετταλίας, ἐκ δὲ Λυδίας εἰς Ἰταλίαν παραγενομένους. Hoc eſt: *Alii aiunt Romum, Latinorum regem, nomen urbi impoſuiſſe, quum ejeciſſet Tyrrhenos; qui in Lydiam è Theſſaliâ, è Lydiâ commigraverant in Italiam.* Hos *Tyrrhenos*, qui è Theſſaliâ in Lydiam, è Lydiâ in Italiam commigrarunt, eosdem eſſe *Pelaſgos*, qui, Euandro duce in Italiam ad Aborigines, conſangvineos ſuos, poſtquàm pervenêre, in unum cum his corpus nomenque *Latinorum* coiverunt, jam dudum à nobis ſuperiori capite, maximè verò lib. II cap. I, demonſtratum eſt. Euandrum mox omnium Latinorum factum regem, quum Aboriginum rex, à quo ille receptus erat, mortuus eſſet, infrà intelligemus. Hunc igitur *Euandrum* poſteà dictum fuiſſe Ῥῶμον, *Romum*, ut antè dixi; & ab eo *Valentiam* urbem Ῥώμην, *Romam*, ex proximè citatis Plutarchi patet verbis. in quibus tamen falſum, quòd is cum Latinis ſuis Tyrrhenos Româ ejeciſſe dicitur: quum ipſi Tyrrheni, id eſt Pelaſgi, altera pars Latinorum fuerint, qui duce Euandro Siculos Româ ejecerunt. Sic ſcilicet in omnibus ferè remotioribus antiquitatibus falſa veris admiſta ſunt. Idem Plutarchus ibidem hæc quoque tradit: οὐ μὴν οὐδὲ οἱ Ῥωμύλον τῷ δικαιοτάτῳ τῶν λόγων ἀποφαίνοντες ἐπώνυμον τῆς πόλεως, ὁμολογοῦσι περὶ τοῦ γένους αὐτοῦ.

οἱ μὲν

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

οἱ μὲν γὰρ Αἰνείου καὶ Δεξιθέας, τῆς Φόρβαντος, υἱόν, ὄντα νήπιον, εἰς Ἰταλίαν κομισθῆναι, καὶ τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ Ῥῶμον. ἐν δὲ τῷ ποταμῷ πλημμύραντι τῶν ἄλλων σκαφῶν διαφθαρέντων, ἐν ᾧ ἦσαν οἱ παῖδες, εἰς μαλακὴν ἀποκλιθέντος ὄχθην ἀτρέμα, σωθέντας ἀπροσδοκήτως, ὀνομασθῆναι Ῥώμην. Hoc eſt: *Quin nec inter eos, qui probatiſſima adferunt, qui urbi Romulum contendunt nomen poſuiſſe, de origine eius convenit. quidam enim eum Aeneæ atque Dexitheæ, Phorbantis filiæ, filium, admodùm infantem, cum fratre Romo in Italiam fuiſſe deportatum adfirmant. quum autem reliqua navigia amne effuſo periiſſent; illud, in quo erant pueri, ad ripam mollem placidè delatum fuiſſe; præterque ſpem ſalvos evaſiſſe puetros. unde is locus Roma adpellatus fuerit.* Filius huius *Phorbantis*, Argivorum regis, fuit *Triopas*: in cuius imperio, circa annum ab Orbe condito CIↃIↃCCCCXXXVII, ante natum Ieſum CIↃIↃXIII, Pelaſgi in Italiam adpulerunt; ut ſuperiori capite oſtenſum. Ergo etiam CCCXXX ampliùs annis ante Troiæ excidium *Aeneas* iſte fuiſſe fingebatur, à cuius poſteris Romana urbs originèm nomenque acceperit.

Certè, ſi hiſtoriam de Aeneæ in Italiam adventu penitùs introſpicias; penè iiſdem verbis compoſitam eam eſſe deprehendes, quibus Pelaſgorum ad Italiam adpulſus ſcriptoribus narratur. Livium de Aeneâ audiamus. is initio libri primi, *Iam primùm omnium*, inquit, *ſatis conſtat, Troiâ captâ in cæteros ſævitum eſſe Troianos: duobus Aeneâ Antenoreque, & vetuſti jure hoſpitii & quia pacis reddendæque Helenæ ſemper auctores fuerant, omne jus belli Achivos abſtinuiſſe.* Mox: *Aeneam ab ſimili clade domo profugum, primò in Macedoniam veniſſe; inde in Siciliam quærentem ſedeis delatum: ab Siciliâ claſſe Laurentem agrum tenuiſſe. Ibi egreſſi Troiani, ut quibus ab immenſo propè errore nihil præter arma & naveis ſupereſſent, quum prædam ex agris agerent; Latinus rex Aboriginesque, qui tum ea tenebant loca, ad arcendam vim advenarum armati ex urbe atque agris concurrunt. Duplex exinde fama eſt. alii prœlio victum Latinum pacem cum Aeneâ, deinde adſinitatem junxiſſe tradunt. alii, quum inſtructæ acies conſtitiſſent; priùs, quàm ſigna canerent, proceſſiſſe Latinum inter primores, ducemque advenarum evocaſſe ad colloquium. percunctatum deinde, qui mortales eſſent: unde aut quo caſu profecti domo, quidve quærentes, in agrum Latinum exiſſent. poſtquàm audierit, multitudinem Troianos eſſe; ducem Aeneam, filium Anchiſæ & Veneris: crematâ patriâ & domo profugos ſedem condendæque urbi locum quærere: & nobilitatem admiratum gentis virique & animum vel bello vel paci paratum; dextrâ datâ fidem futuræ amicitiæ ſanxiſſe. inde fœdus ictum inter duces; inter exercitus ſalutationem factam. Aeneam apud Latinum fuiſſe in hoſpitio. ibi Latinum apud penateis deos domeſticum publico adjunxiſſe fœdus, filiâ Aeneæ in matrimonium datâ. ea res utique Troianis ſpem adfirmat tandem ſtabili certâque ſede finiendi erroris. opidum condunt. Aeneas ab nomine uxoris Lavinium adpellat. brevi ſtirps quoque virilis ex novo matrimonio fuit; cui Aſcanium parentes dixère nomen. Bello deinde Aborigines Troianique ſimul petiti. Turnus, rex Rutulorum, cui pacta Lavinia ante adventum Aeneæ fuerat, prælatum ſibi advenam ægrè patiens, ſimul Aeneæ Latinoque bellum intulerat. Neutra acies læta ex eo certamine abiit. victi Rutuli. victores Aborigines Troianique ducem Latinum amiſère. Inde Turnus Rutulique diffiſi rebus, ad florenteis Etruſcorum opes Mezentiumque eorum regem confugiunt. Aeneas adversùs tanti belli terrorem ut animos Aboriginum ſibi conciliaret; ne ſub eodem jure ſolùm, ſed etiam nomine omnes eſſent; Latinos utramque gentem adpellavit. Nec deinde Aborigines Troianis ſtudio ac fide erga regem Aeneam ceſſère.* Eamdem hiſtoriam, præter alios, refert Dionyſius quoque Halicarnaſſenſis lib. I. Ἐπεὶ, inquit, ὅρμῳ χρησάμενοι τῷ Λωρέντῳ, σκηνὰς ἐπήξαντο περὶ τὸν αἰγιαλόν, ἄρτον αἱρουμένοις αὐτοῖς ἐπὶ τοῦ δαπέδου, σέλινα μὲν πολλοῖς ὑπέστρωτο· καὶ ἦν ταῦτα ὥσπερ τράπεζα τῶν ἐδεσμάτων· ὡς δέ φασί τινες, ἰτρία καρποῦ πεποιημένα πυρίνου, καθαρότητος ταῖς τροφαῖς ἕνεκα. ἐπεὶ δὲ αἱ παρατεθεῖσαι τροφαὶ κατανάλωντο, καὶ τῶν ὑπεστρωμένων αὐτοῖς σελίνων εἴτε πρίων ἔφαγέ τις, καὶ αὖθις ἕτερος, τοῦτο τυγχάνει τις εἰπὼν εἴτε τοῦ Αἰνείου παίδων, ὡς λόγος ἔχει, εἴτε τῶν ὁμοσκηνῶν, Ἀλλ' ἡμῖν γε ἤδη καὶ ἡ τράπεζα κατεδήδοται· Ὡς δὲ τοῦτο ἤκουσαν, ἅπαντες ἀνεθορύβησαν, ὡς τὰ τοῦ μαντεύματος ἤδη σφίσι τέλος ἔχοι. ἦν γάρ τι θέσφατον αὐτοῖς, ὡς μὲν τινες λέγουσιν, ἐν Δωδώνῃ γενόμενον, ὡς δ' ἕτεροι γράφουσιν, ἐν Ἐρυθραῖς, χεδίῳ τῆς Ἴδης, ἔνθα ᾤκει Σίβυλλα, ἐπιχωρία νύμφη, χρησμῳδόν· ἣ αὐτοῖς ἔφρασε πλεῖν ἐπὶ δυσμῶν ἡλίου, ἕως ἂν εἰς τοῦτο τὸ χωρίον ἔλθωσιν, ἐν ᾧ κατέδονται τὰς τραπέζας. * — * · Λατῖνος δὲ, ὃς ἦν τότε βασιλεὺς, πολεμῶν τι πρὸς ἔθνος ὅμορον, τοὺς καλουμένους Ῥολόλους, καὶ δυσημερῶν τι κατὰ τὰς μάχας, ἀγγέλλεται τὰ γινόμενα ἐπὶ τὸ φοβερώτατον, ὡς ἀνάστατος αὐτοῦ γίνεται πᾶσα ἡ παράλιος.

λιος ὑπερορίῳ στρατιᾷ· καὶ εἰ μὴ σὺν τάχει κωλύσει τὰ δρώμενα, ἰσχυρὸς αὐτῷ φανήσεται ὁ πρὸς τοὺς ἀστυγείτονας ἀγών. Ἀκούσαντι δὲ τῷ ἀνδρὶ δέος εἰσέρχεται· καὶ αὐτίκα τοῦ παρόντος πολέμου μεθέμενος, ἐπὶ τοὺς Τρῶας ἐλαύνει πολλῇ στρατιᾷ. ὁρῶν δὲ αὐτοὺς ὡπλισμένους τε ὡς Ἕλληνας, καὶ ἐν τάξει εὐκόσμῳ ἀκαταπλήκτως τὸ δεινὸν ὑπομένοντας, τῆς μὲν αὐτίκα παρακινδυνεύσεως, ὡς οὐκ ἂν ἐξ ἐφόδου αὐτοὺς ἔτι χειρωσόμενος, καθ' ἣν ἔχε λίαν οἴκοθεν ὁρμώμενος, ἀποτρέπεται. * · Αἰνείᾳ δὲ οἱ πατρῷοι θεοὶ τῆς αὐτῆς νυκτὸς φανέντες παρακελεύονται πείθειν Λατῖνον ἑκόντα παρασχεῖν σφισι τὴν οἴκησιν ἐν ᾧ βούλονται χωρίῳ, καὶ χρήσασθαι δυνάμει Ἑλληνικῇ συμμάχῳ μᾶλλον, ἢ διαφόρῳ. ἀμφοτέρους δὲ τὸ ὄναρ ἐκώλυε ἄρχειν μάχης. Ὡς δὲ ἡμέρα τε ἐγένετο, καὶ διεκοσμήθησαν εἰς μάχην αἱ δυνάμεις, κήρυκες ἧκον ὡς τοὺς ἡγεμόνας ἑκατέρωθεν, τὸ αὐτὸ ἀξιοῦντες, συνελθεῖν ἀλλήλους εἰς λόγους· καὶ ἐγένετο τοῦτο. Πρῶτος δὲ ὁ Λατῖνος ἔγκλημα ποιούμενος τοῦ ἀφνίδιόν τε καὶ ἀκατάγγελτον πόλεμον, ἠξίου τὸν Αἰνείαν λέγειν, ὅστις ὢν καὶ τί βουλόμενος ἄγει καὶ φέρει τὰ χωρία, πεπονθώς γε οὐδὲν δεινὸν πρότερον. * · Τοιαῦτα δὲ αὐτοῦ διαλεχθέντος, ἀπεκρίνατο Αἰνείας· Ἡμεῖς γένος μὲν Τρῶες ἐσμὲν, πόλεως δὲ οὐ τῆς ἀφανεστάτης ἐν Ἕλλησιν ἐγενόμεθα, ἣν ἀφαιρεθέντες ὑπὸ Ἀχαιῶν δεκαετεῖ πολέμῳ χειρωθεῖσαν, ἀλῆται περιερχόμενοι, πόλεώς τε καὶ χώρας ἐν ᾗ τὸ λοιπὸν οἰκήσομεν ἀπορίᾳ, θεοῖς δὲ κελεύουσι πειθόμενοι, δεῦρο ἀφίγμεθα· καὶ ἡμῖν, ὡς τὰ θέσφατα λέγει, λιμὴν τῆς πλάνης ἥδε ἡ γῆ μόνη λείπεται· ποριζόμεθα δὲ ἐκ τῆς χώρας ὧν ἡμῖν δεῖ, δυστυχέστερον μᾶλλον ἢ εὐπρεπέστερον. ἀμείψομεθα δὲ αὐτὰ πολλαῖς καὶ ἀγαθαῖς ἔργων ἀμοιβαῖς. παρέχοντες ὑμῖν καὶ σώματα καὶ ψυχὰς εὖ πρὸς τὰ δεινὰ πεπαιδευμένας, χρῆσθαι ὅποι βούλεσθε, τὴν ὑμετέραν γῆν φυλάττοντες ἀδήωτον, τὴν δὲ τῶν πολεμίων προθύμως συγκατακτώμενοι. * · * · Ὡς δὲ ταῦτα ὁ Λατῖνος ἤκουσεν, ἀπεκρίνατο πρὸς αὐτόν. Ἀλλ' ἔγωγε εὔνοιάν τε πρὸς ἅπαν τὸ Ἑλληνικὸν γένος ἔχω, καὶ συμφοραῖς ἀνθρώπων ἀναγκαίαις πάνυ ἄχθομαι. * · Εἰ δ' ἐπαληθεύεται ἡμῖν ὅδ' ὁ λόγος, πίστεις τούτων ἀξιῶ δοῦναι καὶ λαβεῖν, αἳ φυλάξουσιν ἀδόλους τὰς ὁμολογίας. Αἰνείου δὲ ἐπαινέσαντος τὰ λεγόμενα, γίνονται συνθῆκαι τοῖς ἔθνεσιν ὑφ' ὁρκίων τοιαίδε· Ἀβοριγῖνας μὲν Τρωσὶ δοῦναι χώραν ὅσην ἠξίουν· Τρῶας δὲ Ἀβοριγῖσι τοῦ τ' ἐν χερσὶ πολέμου συλλαβέσθαι, καὶ ὅπου ἂν ἄλλη παρακαλῶνται, συστρατεύειν· κοινῇ δὲ ἀμφοτέρους τὰ κράτιστα ὑπὲρ ἀλλήλων πράττειν καὶ χειρὶ καὶ γνώμῃ. Συνθέμενοι δὲ ταῦτα κοινῇ στρατεύουσιν ἐπὶ τὰς πόλεις τῶν Ῥουτόλων. δι' ὀλίγου δὲ τἀκεῖ πάντα ἐχείρωσαν.

Hoc eſt: *Poſtquàm, Laurento adpulſi tentoria fixerunt per litorà, prandium eis humi ſumentibus multi, menſæ vice, cibis ſubſtraverunt apium; vel, ſicut alii dicunt, cruſta triticea; quò veſcerentur mundiùs. Abſumptis autem cibis adpoſitis, quum unus atque mox alter non temperarent ab apiis ſive cruſtulis ſuppoſitis; quidam ex Aeneæ filiis, ut fertur; (ſive is fuit alius quispiam è contubernalium numero) exclamat; At nos jam & menſam comedimus. Quo audito, omnes tumultuati ſunt: ut qui jam oraculi eventum cernerent. acceperant enim quoddam reſponſum apud Dodonam, ut nonnulli tradunt; ut verò alii ſcribunt, in Erythris, Idæ viculo; ubi habitabat Sibylla, eius loci nympha fatidica. hæc juſſerat eos navigare in occidentem versùs; donec eò locorum pervenirent, ubi menſas comederent.* Haud multo pòſt: *Intereà Latinus, penes quem tum erat regnum, adversùs Rutulos finitimos bellum gerens, aliquoties parum feliciter pugnaverat. ei mox terribilis nuncius adfertur, vaſtari totam oram maritimam ab extero exercitu. cui niſi occurratur celeriter, fore bellum cum vicinis difficilius. His auditis, metus virum ſubit. confeſtimque, intermiſſo præſenti bello, in Troianos magnum educit exercitum. At quum videret eos Græco more armatos; & ſervatis ordinibus impavidè inſtantem Martis aleam exſpectanteis; mittit dimicationem ſubitam.* Mox: *Aeneæ dii penates eâdem nocte per viſionem oblati, hortantur, perſvadeat Latino, ut ſponte ſedeis concedat, ubi voluerint: malitque Græcis ſociis uti, quàm hoſtibus. Ambos utique ſomnium vetabat prælium incipere. Vt verò exortâ luce in provinctu ſtabant acies; utrimque ad duces miſſi caduceatores poſtulant colloquium. id quod impetratum eſt. Ac prior Latinus queſtus, repentino ſe nec denunciato bello peti rogabat Aeneam, quisnam eſſet, quamve ob cauſam ageret ferretque res ſuas, nullâ umquàm laceſſitus injuriâ.* Mox: *Ad hæc Aeneas reſpondit: Nos Troiani ſumus genere; profecti ab urbe apud Græcos non incelebri. qua poſt decennale bellum ab Achivis captâ & nobis ademptâ, errabundi urbem aliam & agrum, ubi habitemus in poſterum, quærimus. hucque pervénimus diis ita juventibus. quorum oracula pollicentur, hanc ſolam terram noſtris erroribus portum fore. Ex agris autem res uſibus noſtris neceſſarias quærimus; miſeriæ magis noſtræ, quàm honeſti, memores. Sed injuriam hanc penſabimus multis beneficiis officiisque; offerentes vobis & corpora & animos duris jam rebus probè exercitos. quibus ſi uti libet, à veſtris agris injuriam omnem prohibebimus; hoſtileis verò unà vobiscum impigrè occupabimus.* Exiguo pòſt: *Ad hæc Latinus; Equidem & Græcorum, inquit, omnes genus diligo, & fatalibus hominum*

num

num caſibus condoleo. Quòd ſi vera ſunt, quæ dicitis; fidem date & accipite, quæ noſtra ſine dolo malo confirmet fœdera. Aeneâ verò probante eius ſententiam, fœdus inter utroſque ictum eſt hiſce condicionibus: Vt Aborigines darent Troianis agri quantum peterent: Troiani Aboriginibus eſſent in præſenti bello ſocii: eorumque auſpiciis, ubicumque uſus poſtulaverit, militarent. utrique alteros pro viribus juvarent mutuò, tàm manu quàm conſilio. Hæc pacti, communem expeditionem in Rutulos faciunt: brevique omnia illorum opida agroſque capiunt. Hactenus igitur hiſtoriam de Aeneæ in Italiam adventu Dionyſius recitavit. quam omnem in *Pelaſgorum* genteis adventum quadrare, mutatis tantùm nominibus; ſi pro Aeneâ *Euander*, pro Troianis *Pelaſgi*, pro Rutulis *Siculis* ubique intelligantur; ex ipſius Dionyſii relatione apertè ac dilucidè adparebit. ſic quidpe ille eodem lib. 1 antè: Ἔπειτα Πελασγῶν τινες, τῶν οἰκούντων ἐν τῇ καλουμένῃ Θετταλίᾳ, τὴν ἑαυτῶν ἀναγκασθέντες ἐκλιπεῖν, σύνοικοι γίνονται τοῖς Ἀβοριγῖσι, καὶ κοινῇ μετ' ἐκείνων ἐπολέμουν πρὸς τοὺς Σικελούς. Id eſt: *Poſthæc Pelaſgorum quidam, Theſſaliam patriam linquere coacti, ab Aboriginibus in partem agrorum recipiuntur: bellumque communibus opibus contra Siculos cum iis gerunt.* Narrat hinc, quo pacto è Peloponneſo primùm in Theſſaliam, deinde è Theſſaliâ ad Dodonam, Epiri urbem pervenerint; unde in Italiam trajecerunt. Κατασκευασάμενοι δὲ, inquit, ναῦς πολλὰς, περαιοῦνται τὸν Ἰόνιον. καὶ πρὸς ἑνὶ τῶν τοῦ Πάδου στομάτων ὁρμισάμενοι, Σπινῆτι καλουμένῳ, ναῦς μὲν αὐτοῦ ταύτῃ καταλείπουσι, καὶ τὸν ἥκιστα δυνάμενον ταλαιπωρεῖν ὄχλον, φυλακὴν ἐπ' αὐτοὺς καταστήσαντες, ὡς ἔχοιεν, εἰ μὴ προχωροίη σφίσι τὰ πράγματα, καταφυγήν. Καὶ οἱ μὲν ὑπομείναντες ἐν τούτῳ τῷ χωρίῳ, τεῖχος τῷ στρατοπέδῳ περιβαλόμενοι, ἐπειδὴ κατὰ γνώμην ἐδόκει αὐτοῖς χωρεῖν τὰ πράγματα, πόλιν ἔκτισαν ὁμώνυμον τῷ στόματι τοῦ ποταμοῦ. Οἱ δὲ διὰ τῆς μεσογείου τραπόμενοι, τὴν ὀρεινὴν τῆς Ἰταλίας ὑπερβαλόντες, εἰς τὴν Ὀμβρικῶν ἀφικνοῦνται χώραν, τῶν ὁμορούντων Ἀβοριγῖσι. τὸ μὲν οὖν κατ' ἀρχὰς ἐκράτουν οἱ Πελασγοὶ τῶν χωρίων, ἔνθα τὸ πρῶτον ἱδρύσαντο, καὶ πολισμάτια τῶν Ὀμβρικῶν κατελάβοντό τινα. συνελθόντος δὲ ἐπ' αὐτοὺς μεγάλου στρατοῦ, δείσαντες τῶν πολεμίων τὸ πλῆθος, εἰς τὴν Ἀβοριγίνων ἀπιόντες τρέπονται. Καὶ οἱ μὲν Ἀβοριγῖνες ἅτε πολεμίοις ἐδικαίουν αὐτοῖς προσφέρεσθαι· καὶ συνῄεσαν ἐκ τῶν ἔγγιστα χωρίων διὰ ταχέος, ὡς ἀναστήσοντες αὐτούς. οἱ δὲ Πελασγοὶ (τυγχάνουσι γὰρ ἐν τούτῳ τῷ χρόνῳ κατὰ δαίμονα περὶ Κοτύλην πόλιν Ἀβοριγίνων αὐλισάμενοι πλησίον τῆς ἱερᾶς λίμνης) ὡς τήν τε νησίδα τὴν ἐν αὐτῇ περιδινουμένην κατέμαθον, καὶ παρὰ τῶν αἰχμαλώτων, οὓς ἐκ τῶν ἀγρῶν ἔλαβον, ἤκουσαν τὸ τῶν ἐπιχωρίων ὄνομα, τέλος ἔχειν σφίσι τὸ θεοπρόπιον ὑπέλαβον. ὃ γὰρ ἐν Δωδώνῃ γενόμενος αὐτοῖς χρησμὸς ὧδε εἶχε·

Στείχετε μαιόμενοι Σικελῶν Σατορνίαν αἶαν
Ἠδ' Ἀβοριγινέων Κοτύλην, οὗ νᾶσος ὀχεῖται·
Οἷς ἀναμιχθέντες, δεκάτην ἐκπέμψατε Φοίβῳ,
Καὶ κεφαλὰς Ἅδῃ, καὶ τῷ πατρὶ πέμπετε φῶτα.

Ἐλθοῦσι δὲ τοῖς Ἀβοριγῖσι σὺν πολλῇ στρατιᾷ, ἱκετηρίας οἱ Πελασγοὶ προτείνοντες, ὁμόσε χωροῦσιν ἄνοπλοι· φράζοντές τε τὰς ἑαυτῶν τύχας, καὶ δεόμενοι πρὸς φιλίαν δέξασθαι σφᾶς συνοίκους, οὐ λυπηροὺς ἐσομένους· ἐπεὶ καὶ τὸ δαιμόνιον αὐτοὺς εἰς τήνδε μόνην ἄγει τὴν χώραν· ἐξηγούμενοι τὸ λόγιον. Τοῖς δὲ Ἀβοριγῖσι ταῦτα πυθομένοις ἐδόκει πείθεσθαι τῷ θεοπρωπίῳ, καὶ λαβεῖν συμμαχίαν Ἑλληνικὴν κατὰ τῶν διαφόρων σφίσι βαρβάρων, πονούμενοι τῷ πρὸς τοὺς Σικελοὺς πολέμῳ. Σπένδονταί γε δὴ πρὸς τοὺς Πελασγούς· καὶ διδόασιν αὐτοῖς χωρία, τῶν ἑαυτῶν ἀποδασάμενοι, τὰ περὶ τὴν ἱερὰν λίμνην· ἐν οἷς ἦν τὰ πολλὰ ἑλώδη· ἃ νῦν, κατὰ τὸν ἀρχαῖον τῆς διαλέκτου τρόπον, Οὐέλια ὀνομάζεται. Ἔπειτα μοῖρά τις αὐτῶν οὐκ ἐλαχίστη, ὡς ἡ γῆ πᾶσιν οὐκ ἀπέχρη, πείσαντες τοὺς Ἀβοριγῖνας συνάρασθαί σφισι τῆς ἐξόδου, στρατεύουσιν ἐπὶ τοὺς Ὀμβρικοὺς, καὶ πόλιν αὐτῶν εὐδαίμονα καὶ μεγάλην ἄφνω προσπεσόντες αἱροῦσι Κρότωνα. ταύτῃ φρουρίῳ καὶ ἐπιτειχίσματι κατὰ τῶν Ὀμβρικῶν χρώμενοι. πολλῶν δὲ καὶ ἄλλων ἐκράτησαν χωρίων· τοῖς τε Ἀβοριγῖσι τὸν πρὸς τοὺς Σικελοὺς πόλεμον ἔτι συνεστῶτα πολλῇ προθυμίᾳ συνδιέφερον, ἕως ἐξήλασαν αὐτοὺς ἐκ τῆς σφετέρας. Hoc eſt: *Paratâ itaque claſſe mare Ionium trajicientes, ad unum à Padi oſtiis, nomine Spinetem, adplicuerunt: ibique naveis reliquerunt & turbam ferendis laboribus imparem. non ſine præſidio; ut refugium haberent, ſi res non ſuccederent ex ſententiâ. Hi eo loco manentes, caſtra cinxerunt mœnibus. &, quum eis ex voto cederent omnia; urbem condiderunt oſtio fluminis cognominem. At illi, qui mediterranea petierunt, ſuperatis Italiæ montibus, pervenerunt in Vmbrorum agrum, Aboriginibus finitimum. Initio igitur in poteſtatem ſuam redegerunt agros, in quibus primùm conſederunt; potiti etiam quibusdam Vmbrorum opidulis. ſed quum adversùs eos conveniſſet ingens exercitus, territi hoſtium multitudine, contulerunt ſeſe in Aboriginum regionem. Hi decreverunt bello eos, ut hoſteis, perſequi. ac mox è proximis locis confluxerunt celeriter, delendi eos animo. Pelaſgi verò, qui tum fortefortunâ circa Cutiliam,*

Aboriginum urbem, prope ſacrum lacum, ſtativa habebant; poſtquàm contemplati ſunt fluitantem in eo inſulam; & ex captivis, quos in agris interceperant, audiverunt adpellationem eius regionis hominum: crediderunt, finem jam habere ſuum oraculum. namque apud Dodonam redditum eis reſponſum ſic habebat:

Pergite quærentes Siculûm Saturnia rura
Atque Aboriginidem Cotylem; ubi ſe inſula vectat.
Queis miſti, decimas Clario transmittite Phœbo,
Et Diti capita; & transmittite lumina patri.

Adventantibus igitur magno cum exercitu Aboriginibus occurrunt Pelaſgi cum oleæ ramis inermes ac ſupplices. expoſitisque ſuis caſibus, orant, ut ſeſe recipiant in amicitiam & partem ſedium; nequaquàm graves futuros. & exponentes oraculum, aiunt, ſeſe ad ea loca ſola deûm monitu delatos. His auditis adſenſerunt Aborigines: quòd feſſis bello Siculo placeret Græca ſocietas contra infenſos ſibi barbaros. itaque cum Pelaſgis fœdus feriunt; partemque agrorum illis adſignant circa ſacrum lacum: quorum pleraque erant paluſtria; dicta nunc priſco linguæ more Velia. Poſteà verò bona eorum pars, quum agri omnibus non ſufficerent, Aboriginibus in expeditionem adſcitis, bello Vmbros adgrediuntur: urbemque eorum florentem ac magnam Crotonem repentino incurſu capiunt: qua mox pro arce belli contra Vmbros uſi ſunt. poſthinc alia quoque loca multa in poteſtatem ſuam redegerunt: & Aboriginibus adversùm Siculos promptam præſtiterunt operam; donec eos ejecerunt ſedibus ſuis. En, Pelaſgos ait *ad Padi oſtia adpulſos urbem* illic *condidiſſe*. idem Aeneam *ad Tiberis oſtia* feciſſe, alii tradunt auctores, quos infrà producam, in deſcriptione huius litoris. Pelaſgos, ait Dionyſius, infeſto agmine Aboriginum petiiſſe regionem; ibique *captivos in agris intercepiſſe*. idem feciſſe Aeneam in Laurenti agro apud oram maritimam, cùm ipſe tùm alii tradunt ſcriptores. *Cutiliam* nobiliſſimam fuiſſe Aboriginum urbem, teſtatur Dionyſius lib. II. in præſcriptis autem verbis Pelaſgos ait *circa hanc conſediſſe*. Aeneam circa *Laurentum* opidum, Aboriginum regum ſedem regiam conſediſſe, omnes teſtantur cum ipſo alii auctores. *Apud Dodonam reſponſum redditum* eſſe Pelaſgis, tradit Dionyſius, *de inſulâ fluctuante in Cutilienſi lacu*. Aeneæ prædixiſſe idem *oraculum Dodonæum de menſarum conſumptione*, ipſe juxtà cum aliis refert. Sed & de *lacu* nonnihil quidam Aeneïæ fabulæ adfinxerunt. Sex. Aurel. Victor, in libro de Origine gentis Romanæ: *Domitius lib. I docet, ſorte Apollinis Delphici monitum Aeneam, ut Italiam peteret; [&] ubi duo maria inveniſſet, prandiumque cum menſis comeſſet, ibi urbem uti conderet. Itaque egreſſum in agrum Laurentem, quum paullum à litore proceſſiſſet, perveniſſe ad duo ſtagna aquæ ſalſæ, vicina inter ſe: ibique quum ſe laviſſet; ac refectum cibo, quum apium quoque, quod tunc vice menſæ ſubſtratum fuerat, conſumpſiſſet; exiſtimantem, procul dubio illa eſſe duo maria; quòd in illis ſtagnis aquæ marinæ ſpecies eſſet; menſasque, quæ erant ex ſtramine apii, comeſtas; urbem in eo loco condidiſſe; eamque, quòd in ſtagno laverit, Lavinium cognominaſſe.* Circa *Cutilienſem lacum* alios quoque eſſe lacus, maximum verò omnium *Velinum*, ſuprà lib. II cap. VIIII in Sabinis intellectum. Porrò *hanc ſolam terram* Pelaſgis oſtendiſſe Dodonæum oraculum, ſcribit Dionyſius. Aeneæ idem, tradit, factum de Laurenti agro. *Magnum exercitum*, ait, Aborigines contra Pelaſgos eduxiſſe. idem & ipſe & Livius aliique auctores ſcribunt Aborigines feciſſe adversùm Troianos. Dionyſius dicit, Pelaſgos tunc *Aboriginibus occurriſſe inermeis ac ſupplices cum oleæ ramis*. de Aeneâ idem tradit Virgilius Aeneid. lib. VII, his verſibus:

Tum ſatus Anchiſâ, delectos ordine ab omni,
Centum oratores auguſta ad mœnia regis
Ire jubet, ramis velatos Palladis omneis.

Et in his princeps legationis Ilioneus ita adfatur Latinum regem.

Diis ſedem exiguam patriis litusque rogamus
Innocuum, & cunctis undamque auramque patentem.
Non erimus regno indecores.
Nec Troiam Auſonios gremio excepiſſe pigebit.
Multi nos populi, multæ
Et petiêre ſibi, & voluêre adjungere gentes.
Sed nos fata deûm veſtras exquirere terras
Imprimis egêre ſuis.

Partem

Partem tunc *agrorum* Troianis *adſignaſſe* Latinum, Aboriginum regem, *quòd Græca* adverſùs Rutulos *placeret ſocietas*, tradit Dionyſins. idem verò etiam de Pelaſgis narrat, contra finitimos Siculos in ſocietatem & partem ſedium receptis. Et, πονουμένους, ait, τῷ πρὸς τοὺς Σικελοὺς πολέμῳ λαβεῖν Ἀβοριγῖνας τὴν συμμαχίαν. id eſt, *feſſos bello Siculo adſumpſiſſe hanc ſocietatem Aborigines*. de Latino autem rege in eamdem ſententiam tradit: nempe, πολεμοῦντα πρὸς ἔθνος ὅμορον τοὺς Ῥουτόλους, καὶ δυσημεροῦντα κατὰ τὰς μάχας, id eſt, *quòd, bellum cum finitimâ gente Rutulorum gerens, infauſtis ſæpè prœliis congreſſus eſſet*, Troianorum ſocietatem adſciverit. Denique factum eſſe ait æquum fœdus inter Aborigines atque Pelaſgos: horumque ope atque auxilio illos omnibus agris ſuis ejeciſſe Siculos. ſimulque tradit, inter Latinum atque Aeneam ſimilibus condicionibus fœdus ictum, uti Rutulos ſedibus ſuis pellerent. Quando igitur jam antè ſatis & abundè oſtenſum, nullum umquàm in Italiam à Troiâ captâ veniſſe *Aeneam*, nullum item fuiſſe *Romulum* aut *Romum* ſeu *Remum*, Numitoris nepotes, nullam horum matrem *Iliam* ſeu *Rheam Silviam*; quis jam non credat, ex antiquiſſimis iſtis ac veris Pelaſgorum Aborigiuumque rebus geſtis confictam eſſe, ſive per errorem, ſeu per poëticum luſum, omnem hanc de Aeneâ fabulam? Sed, uti colophonem huic diſſertationi imponam: non tantùm agros Troianis in ſedem dediſſe Latinum regem, verùm etiam duci eorum Aeneæ filiam Laviniam in connubium, tradunt iſti auctores. Hoc quoque ad Pelaſgus ſpectare, facilè evicerim. quippe *Euandrum* in Sabino agro, quem quondam incoluiſſe Aborigines, ſuprà perſpectum, accepiſſe neſcio cuius filiam (fortè Aboriginum ducis) in uxorem, haud obſcurè patet ex Virgilii Aeneid. lib. VIII; ubi poëta introducit Euandrum ita Aeneam de filio ſuo *Pallante* adloquentem:

Gnatum exhortarer; ni, mixtus matre Sabellâ,
Hinc partem patriæ traheret.

Pro *Euandro* igitur fabulatores illi *Aeneam*, pro *Pallante* verò *Aſcanium* ſive *Iulum* ſuppoſuêre. At alii non tantùm Pallantem Aeneæ fecêre filium, ſed & ipſum Euandrum. unde illud Cedreni in Annalibus: Εὔανδρος δὲ καὶ Πάλας, οἱ τοῦ Αἰνείου υἱοὶ, κατὰ καλουμένην Βάλεντα ἐπαρχίαν ἰθύνοντες, οἶκον οἰκοδομοῦσι πάνυ μέγαν καὶ θαυμαστὸν, καὶ τοιοῦτον, ὡς ἐξ ἐκείνου πάντα βασίλειον οἶκον Παλάτιον ὀνομάζεσθαι. Id eſt: *Euander & Palas, Aeneæ filii, quum provinciam Valentem regerent; domum ædificarunt mole & ſtructurâ admirandam. unde obtinuit, ut omnes regiæ palatia nominentur*. Porrò Aeneas traditur, poſt acceptos à Latino agros in ſedem, & filiam *Laviniam* in conjugem, opidum condidiſſe haud procul Laurento, cui nomen ab uxore impoſuerit *Lavinium*. hoc etiam ex Euandri hiſtoriâ ſumptum. quippe Euander in acceptis ab Aboriginibus circa Cutiliam & Reate agris, qui ἀπὸ τῶν ἑλῶν, ut inquit Dionyſius, id eſt, *à paludibus*, dicebantur *Velia*, condidit opidum, cui, ſive ab filio *Pallante*, ſive à priſcæ avitæque in Peloponneſo patriæ memoriâ, vocabulum indidit *Pallantium*; quod alii *Pallantéum*, alii item *Palantéum* & *Palantium*, & *Palatium* dixêre; ut ſuperiori capite, & item lib. II cap. VIIII in Sabinis oſtenſum. Servius ad Aeneid. lib. VIII: *Hic mons Palatinus ſecundùm Virgilium à Pallante, avo Euandri, eſt dictus: ſecundùm Varronem & alios, à filiâ Euandri Pallantiâ, ab Hercule vitiatâ; & poſteà illic ſepultâ. alii à Pallante, qui de filiâ Euandri natus, & ibi ſepultus eſt immaturæ ætatis. alii à filio Euandri: qui poſt mortem patris ſeditione occiſus eſt. alii à balatu Balantéum volunt dictum; & exinde per antiſtichon Palantéum*. Solinus cap. II: *Sunt, qui velint, à balatibus ovium, mutatâ literâ, vel à Pale, paſtorali deâ, aut, ut Silenus probat, à Palanthô, Hyperborei filiâ; quàm Hercules ibi compreſſiſſe viſus eſt, nomen monti adoptatum*. Feſtus: *Palatium mons Romæ adpellatus eſt, quod ibi paſcens pecus balare conſueverit; vel palare, id eſt errare; ibi pecudes ſolerent. alii, quòd ibi Hyperborei filia Palanto habitaverit; quæ ex Hercule Latinum peperit. Alii eumdem, quòd Pallas ibi ſepultus ſit, exiſtimant, adpellari*. Dionyſius lib. I: Ὄνομα δὲ τῷ πολίσματι τούτῳ τίθενται Παλάντιον, ὥς τινες ἱστοροῦσιν, ὧν ἐστι καὶ Πολύβιος ὁ Μεγαλοπολίτης, ἀπό τινος μειρακίου Πάλαντος, αὐτόθι τελευτήσαντος. τοῦτον δὲ Ἡρακλέους εἶναι παῖδα καὶ Λαουίνας, τῆς Εὐάνδρου θυγατρός. Id eſt: *Huic opidulo nomen imponunt Palantium, ut quidam tradunt, in quibus etiam eſt Polybius Megapolitanus, ab adoleſcentulo quodam Palante, ibi defuncto. quem Herculis & Lavinæ, Euandri filiæ, fuiſſe filium ferunt*. Sed de Sabini agri *Palantio* ita tradit idem Dionyſius eodem lib. I; ubi opida ex M. Terentii Varronis Antiquitatibus recenſet, quæ Aborigines habuerint in Reatino agro:

agro: Παλάτιον μὲν πέντε πρὸς τοῖς εἴκοσι σταδίοις ἀφεστὼς Ῥεάτου. *Palatium*, XXV *ſtadia diſſitum ab Reate*. Phlegon Trallianus in libro de Admirandis & Longævis: Φαῦστος, Καίσαρος δοῦλος, ἐκ Σαβίνων, ἀπὸ Πραιτωρίου Παλλαντιανοῦ. Id eſt: *Fauſtus, Cæſaris ſervus è Sabinis, à Prætorio Pallantiano*. Varro de Lingvâ Latinâ lib. IIII; de Romanæ urbis Palatio loquens: *Palatium* [*dictum*,] *quòd palantes cum Euandro venerunt. aut, quòd Palatini, qui & Aborigines, ex agro Reatino, qui adpellatus Palatium, ibi conſederunt*. Hanc hiſtoriam quum Solinus quoque alicubi legiſſet; per ſummum poſteâ errorem mirificè invertit. Cap. II de eodem Romanæ urbis Palatio loquens; *Palatium*, inquit, *nemo dubitaverit, quin Arcades habeat auctores. à quibus primùm Palanteum opidum conditum. quod aliquando Aborigines habitarunt. ſed propter incommodum vicinæ paludis, quam præterfluens Tiberis fecerat, profecti Reate, poſtmodùm reliquerunt*. Imò heic in Reatino agro primùm habitarunt, apud paludes, quas Velini lacus fluviique ſtagnantes aquæ efficiebant. unde locus ipſe *Velia*, & hinc lacus amniſque *Velinus* nomen accepit. Et quomodò *palus, quam præterfluens Tiberis fecerat*, pellere eos potuit, ſi *Palantium* hoc opidum in edito colle fuit ſitum, qui poſteà dictus eſt. *mons Palatinus?* Varro loco præſcripto paullo pòſt: *Huic* [*Palatio*] *Germalum & Velias conjunxerunt*. Mox: *Veliæ unde eſſent, plureis accepi cauſas. in queis, quòd ibi paſtores Palatini ex ovibus, ante tonſuram inventam, vellere lanam ſint ſoliti*. Adeò ſcilicet omnes urbis ſuæ antiquitates temporum longinquitate obſcuratæ fuêre Romanis. Livius ſuprà dicto lib. I ita ſcribit de Aboriginibus atque Troianis, deque eorum ducibus ſive regibus Latino & Aneâ: *Inde fœdus ictum inter duces; inter exercitus ſalutationem factam. Aeneam apud Latinum fuiſſe in hoſpitio. Ibi Latinum apud penateis deos domeſticum publico adjunxiſſe fœdus; filiâ Aeneæ in matrimonium datâ. ea res utique Troianis ſpem adfirmat tandem ſtabili certâque ſede finiendi erroris. opidum condunt. Aeneas ab nomine uxoris Lavinium adpellat. Bello deinde Aborigines Troianique ſimul petiti. Neutra acies læta ex eo certamine abiit. victi Rutuli: victores Aborigines Troianique ducem Latinum amisêre. Inde Turnus Rutulique, diffiſi rebus, ad florenteis Etruſcorum opus confugiunt. Aeneas adverſùs tanti belli terrorem ut animos Aboriginum ſibi conciliaret; ne ſub eodem jure ſolùm, ſed etiam nomine omnes eſſent; Latinos utramque gentem adpellavit. Nec deinde Aborigines Troianis ſtudio an fide erga regem Aeneam ceſſêre*. Dionyſius lib. I: Ἀπέστησαν αὖθις ἀπὸ τοῦ Λατίνου Ῥουτοῦλοι, λαβόντες ἡγεμόνα Τύρνον. πολέμου δὲ γενομένου καὶ μάχης ἰσχυρᾶς, Λατῖνος μὲν ἀποθνήσκει καὶ Τύρνος, καὶ τῶν ἄλλων συχνοί. κρατοῦσι δ' ὅμως οἱ σὺν Αἰνείᾳ. ἐκ δὲ τούτου τὴν ὑπὸ τῷ κηδεστῇ γενομένην ἀρχὴν Αἰνείας παραλαμβάνει. Id eſt: *Rutuli denuo ab Latino defecerunt, duce ſibi conſtituto Turno. Bello itaque redintegrato, & prælio acri commiſſo, Latinus atque Turnus cecidêre, aliique complures. Aeneas tamen & victoriam conſequutus eſt, & regnum ſoceri*. Commune *Latinorum* nomen adſumpſiſſe Aborigines ſimul atque Troianos ſtatim poſt fœdus initum matrimoniumque inter Aeneam Laviniamque contractum, auctor eſt idem Dionyſius paullo antè. hoc igitur etiam in hiſtoriam Euandri Pelaſgorumque quadrat. quos ſimul ac in partem agrorum circa Cutiliam & Reate ab Aboriginibus recepti fuêre, in commune cum ipſis *Latinorum* nomen corpuſque tranſiſſe, ſuperiori capite oſtendi. Quis tunc & quo nomine dux Aboriginum fuerit, incertum eſt; quando à regionis nomine *Latio Latinos* dictos veri ſimile eſt. Cecidiſſe eum ducem in aliquo contra Siculos prœlio, Euandrumque ei in imperio ſucceſſiſſe, ex Aeneæ hiſtoriâ, quam omnibus planè partibus ac numeris cum rebus Pelaſgorum convenire ſuprà intellectum, haud vano jam documento colligere datur. Apud Macrobium Saturnalior. lib. I cap. VII ita ſcriptum eſt: *Regionem iſtam, quæ nunc vocatur Italia, regno Ianus obtinuit. hic quum Saturnum, claſſe pervectum, excepiſſet hoſpitio, &, ab eo edoctus peritiam ruris, ferum illum & rudem ante fruges cognitas victum in melius redegiſſet; regni eum ſocietate muneravit. quum primus quoque æra ſignaret; ſervavit & in hoc Saturni reverentiam, ut, quoniam ille navi fuerat advectus, ex unâ quidem parte ſui capitis effigies, ex alterâ verò navis exprimeretur: quo Saturni memoriam in poſteros propagaret. Hos unà concordeiſque regnaſſe, vicinaque opida communi operâ condidiſſe, præter Maronem, qui refert,*

Ianiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen;

etiam illud in promptu eſt, quòd poſteri quoque duos eis continuos menſeis dicarunt: ut December ſacrum Saturni, Ianuarius alterius vocabulum poſſideret. Quum inter hæc ſubitò

Saturnus

Saturnus non comparuiſſet; excogitavit Ianus honorum eius àugmenta. ac primùm terram omnem ditioni ſuæ parentem Saturniam nominavit. aram deinde cum ſacris tamquàm deo condidit, quæ Saturnalia nominavit. tot ſæculis Saturnalia præcedunt Romanæ urbis ætatem. Eamdem rem tradit & Sex. Aurelius Victor, in libro de Origine gentis Romanæ, his verbis: *Primus in Italiam creditur veniſſe Saturnus: ut etiam Maronis Muſa teſtatur illis verſibus:*

Primus ab ætherio venit Saturnus Olympo;
Arma Iovis fugiens, & regnis exſul ademptis.

Tanta autem usque id tempus antiquorum hominum traditur fuiſſe ſimplicitas, ut venienteis ad ſe advenas, qui modò, conſilio ac ſapientiâ prædití, ad inſtruendam vitam formandosque mores aliquid conferrent; quòd eorum parenteis atque originem ignorabant; cœlo & terrâ editos, non ſolùm ipſi crederent, verùm etiam poſteris adfirmarent: veluti hunc ipſum Saturnum; quem Cœli & Terræ filium eſſe dixerunt. Quòd quum ita exiſtimetur; certum tamen eſt, priorem Ianum in Italiam deveniſſe; ab eoque poſteà venientem exceptum eſſe Saturnum. Aliquanto pòſt: *Igitur Iano regnante apud indigenas rudeis incultosque, Saturnus, regno profugus, quum in Italiam veniſſet, benignè exceptus hoſpitio eſt: ibique haud procul à Ianiculo arcem ſuo nomine Saturniam conſtituit. isque primus agriculturam edocuit; ferosque homines & rapto vivere adſvetos ad compoſitam vitam eduxit.* Virgilius Aeneid. lib. VIII Euandrum introducit ita Aeneæ narrantem:

Hæc nemora indigenæ Fauni Nymphæque tenebant,
Gensque virûm truncis & duro robore nata:
Queis neque mos neque cultus erat: nec jungere tauros
Aut componere opes norant, aut parcere parto:
Sed rami atque aſper victu venatus alebat.
Primus ab æthèrio venit Saturnus Olympo;
Arma Iovis fugiens, & regnis exſul ademptis.
Is genus indocile, ac diſperſum montibus altis,
Compoſuit; legesque dedit: Latiumque vocari
Maluit; his quoniam latuiſſet tutus in oris.

Paullo pòſt:

Hæc duo præterea disjectis opida muris,
Reliquias veterumque vides monimenta virorum.
Hanc Ianus pater, hanc Saturnius condidit arcem.
Ianiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.

Iuſtinus lib: XLIII: *Italiæ cultores primi Aborigines fuère. quorum rex Saturnus tantæ juſtitiæ fuiſſe traditur, ut neque ſervierit ſub illo quisquam, neque quidquam privatæ rei habuerit; ſed omnia communia & indiviſa omnibus fuerint; veluti unum cunctis patrimonium eſſet. ob cuius exempli memoriam cautum eſt, ut Saturnalibus, exæquato omnium jure, paſſim in conviviis ſervi cum dominis recumbant. itaque Italia regis nomine Saturnia adpellata eſt; & mons, in quo habitabat, Saturnius.* Hæc ſanè *poëticis magis*, ut ait lib. I Livius, *decora fabulis, quàm incorruptis rerum geſtarum monumentis, traduntur.* At alii iſta non *Saturno deo*, ſed *Euandro Arcadi* tribuerunt. Idem ille Sex. Aurel. Victor paullo pòſt: *Primus itaque omnium Euander Italicos homines legere & ſcribere edocuit, literis partim, quos ipſe anteà didicerat. idemque fruges, in Græciâ primùm inventas, oſtendit; ſerendique uſum edocuit: terræque excolendæ gratiâ primus boves in Italiâ junxit.* Dionyſius lib. I, poſtquàm oſtendit, quæ templa Euander cum Arcadibus in Palatino monte exſtruxerit, quæque ſacra inibi inſtituerit: Λεγόνται δὲ καὶ γραμμάτων Ἑλληνικῶν χρῆσιν εἰς Ἰταλίαν πρῶτοι διακομίσαι νεωστὶ φανεῖσαν Ἀρκάσι· νόμους τε θέσθαι, καὶ τὴν δίαιταν ἐκ τοῦ θηριώδους ἐπὶ πλεῖστον εἰς ἡμερότητα μεταγαγεῖν· τέχνας τε καὶ ἐπιτηδεύματα καὶ ἄλλα τινὰ πολλὰ ὠφελήματα εἰς τὸ κοινὸν καταθεῖναι· καὶ διὰ ταῦτα πολλῆς ἐπιμελείας τυγχάνειν πρὸς τῶν ὑποδεξαμένων. Τοῦτο δεύτερον ἔθνος Ἑλληνικὸν, μετὰ Πελασγοὺς, ἀφικόμενον εἰς Ἰταλίαν κοινὴν ἔσχε μετὰ τῶν Ἀβοριγίνων οἴκησιν, ἐν τῷ κρατίστῳ τῆς Ῥώμης ἱδρυσάμενον χωρίῳ. Hoc eſt: *Dicuntur etiam Græcarum literarum uſum, recèns Arcadico genti oſtenſum, primi in Italiam transvexiſſe. leges item dediſſe: & vitam, anteà ferinam, maiori ex parte mitem ac manſvetam reddidiſſe. ſed & arteis ac ſtudia multaque alia utilia contuliſſe: atque his eorum, à quibus recepti fuerunt, benevolentiam ac propenſitatem ſibi conciliaſſe. Hæc igitur ſecunda, poſt Pelaſgos, eſt gens Græca, quæ, in Italiam delata, communeis cum*

Abori-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Aboriginibus ſedes habuit; easque in præcipuo Romanæ urbis loco conſtitutas. Sanè non poſt Pelaſgos, ſed poſt Oenotros ſive Aborigines ſecundi Græcorum Italiam intraverant *Arcades*, ipſi Pelaſgi, ut ſuperiori capite demonſtratum. Hinc Tacitus Annal. lib. XI: *In Italiâ literas Aborigines Arcade ab Euandro didicerunt.* Plinius verò lib. VII cap. LVI: *In Latium literas attulerunt Pelaſgi.* Et Ovidius Faſtor. lib. II, de Panis numine ac ſacris loquens:

Tranſtulit Euander ſilveſtria numina ſecum.
Heic, ubi nunc urbs eſt, tunc locus urbis erat.
In de deum colimus devectaque ſacra Pelaſgis.
Flamen ad hæc priſco more dialis erat.

Et apud Macrobium præſcripto loco Varro & Accius poëta diſertè teſtantur, *Saturnaliorum* feſtum & ante conditam Romam in Græciâ fuiſſe, & inde in Italiam invexiſſe eosdem illos Pelaſgos, quos ex Theſſaliâ Dionyſius tradit ad Padi oſtia, atque inde in Reatinum agrum ad Aborigines urbemque eorum *Cutiliam* perveniſſe. Verba Macrobii hæc ſunt: *Nec illam cauſam, quæ Saturnalibus adſignatur ignoro: Quòd Pelaſgi, ſicnt Varro memorat, quum, ſedibus ſuis pulſi, diverſas terras petiſſent, confluxerunt plerique Dodonam; &, incerti quibus hærerent locis, eiusmodi accepêre reſponſum:*

Σείχετε μαιόμενοι Σικελῶν Σατορνίαν αἶαν
Ἠδ' Ἀβοριγινέων Κοτύλην, οὗ νᾶσος ὀχεῖται·
Οἷς ἀναμιχθέντες, δεκάτην ἐκπέμψατε Φοίβῳ,
Καὶ κεφαλὰς Ἅδῃ, καὶ τῷ πατρὶ πέμπετε φῶτα.

[Hoc eſt:

Pergite quærentes Siculûm Saturnia rura
Atque Aboriginidem Cotylem; ubi ſe inſula vectat.
Queis miſti, decimas Clario tranſmittite Phœbo,
Et Diti capita; & tranſmittite lumina patri.

Acceptâque ſorte, quum Latium poſt errores plurimos adpuliſſent; in lacu Cutilienſi enatam inſulam deprehenderunt. Mox: *Hoc igitur miraculo deprehenſo, has ſibi ſedeis prædictas eſſe didicerunt. vaſtatisque Sicilienſibus incolis, occupavêre regionem; decimâ prædæ, ſecundùm reſponſum, Apollini conſecratâ; erectisque Diti ſacello & Saturno ora: cuius feſtum Saturnalia nominarunt.* Et aliquanto pòſt: *Sed ex his cauſis, quæ de origine huius feſti relatæ ſunt, adparet, Saturnalia vetuſtiora eſſe urbe Romanâ. adeò, ut ante Romam in Græciâ hoc ſolenne cœpiſſe L. Accius in Annalibus ſuis referat his verſibus:*

Maxima pars Graiûm Saturno, & maximè Athenæ
Conficiunt ſacra, quæ Cronia eſſe iterantur ab illis.
Hancque diem celebrant per agros urbeisque ferè omneis.
Exercent epulis læti; famulosque procurant
Quisque ſuos. noſtrique itidem. & mos traditus illinc
Iſte, ut cum dominis famuli epulentur ibidem.

Certum igitur eſt, omnia iſta primùm ex Arcadiâ deportata à *Pelaſgis* fuiſſe in Theſſaliam: inde per varios ertores, duce *Euandro*, genere *Argivo*, in Italiam ad Aborigines: maximè verò literarum uſum, recèns inventarum. Excepti autem non ſolùm Pelaſgi fuêre benignè ab Aboriginibus in partem agrorum, ut ſuprà dictum, & commune *Latinorum* nomen; ſed & dux eorum Euander in regni ſocietatem ab rege Aboriginum; cui quod nomen fuerit, incertum eſt. poſterorum alii *Faunum* tradidêre. ſed minùs rectè: quum *Faunus* ipſe fuerit *Pan deus*; ut ſuperiori capite oſtenſum: cuius venerationem & ſacra primus in Italiam devexiſſe dicitur ipſe Euander. alii igitur *Ianum* adpellarunt: quem pro antiquiſſimo deorum ſuorum à Romanis cultum fuiſſe, ſuperiori capite ex Herodiano intelleximus. At quia primus hic advenarum in Italiam veniſſe dicitur Ianus; nomen id finxiſſe poſteà Latinos, credibile eſt, in Aboriginum rege, ad quem Euander pervenit, ab antiquiſſimo primoque gentis ſuæ conditore *Iavane*, Iapheti filio, Noaci nepote; à quo vetuſtiſſimum primumque poſt deſtructionem urbis Babylonicæ & gentium diſperſionem nomen fuiſſe invenitur Græcorum genti IONES. Conſimili modo eidem Pelaſgorum Aboriginumque poſteri *Latini* Euandro *Saturni* tribuerunt nomen: ab eoque primùm partem urbis Romanæ adpellarunt *Saturniam*, collemque, in quo ea ſita, *Saturnium*; mox omnem etiam regionem, quam incolebant, id eſt, totum *Latium*, *Saturniam*:

niam: quæ anteà à primis cultoribus *Siculis* dicebatur *Sicilia*; & ab rege eorum *Italo Italia*; ut ſuperiori capite, & item lib. I cap. I demonſtratum. Hinc poſteà alii dictarum rerum inventionem ſive traditionem ipſi adſcripſerunt Italo. Ariſtoteles Πολιτικῶν lib. VII cap. X: Τοῦτον δὲ λέγουσι τὸν Ἰταλὸν νομάδας τοὺς Οἰνώτρους ὄντας ποιῆσαι γεωργούς. καὶ νόμους ἄλλους τε αὐτοῖς θέσθαι, καὶ τὰ συσσίτια καταστῆσαι πρῶτον. διὸ καὶ νῦν ἔτι τῶν ἀπ' ἐκείνου τινὲς χρῶνται τοῖς συσσιτίοις καὶ τῶν νόμων ἐνίοις. Hoc eſt: *Hunc igitur Italum ferunt Oenotros, quum paſtores eſſent, agricolas feciſſe; & primum cùm alias eis leges ſcripſiſſe, tùm ſodalitia ac convictus publicos inſtituiſſe. quapropter etiamnunc nonnulli ex iis, qui ab illo oriundi ſunt, ſodalitiis utuntur, & nonnullis aliis legibus.* Neque tamen arbitror, tam *Saturni* nomen tribuere voluiſſe Euandro poſteriores Latinos; quàm exiſtimaſſe, ipſum Saturnum deum iſtarum rerum primum inventorem fuiſſe, mortalibusque tradidiſſe. Sed in hac etiam hiſtoriâ multa cum fabulâ de Aeneâ congruunt. quidpe, quòd *Saturnus, profugus, claſſeque advectus, benignè ab Iano*, Aboriginum rege, *hoſpitio exceptus inque ſocietatem regni admiſſus* dicitur; id fabulatores illi de Latino, Aboriginum rege, & Aeneâ tradiderunt. In eo differunt, quòd hi Latinum ante Aeneam ex humanis rebus eduxerint; illi Saturnum ante Ianum exceſſiſſe tradiderint. At in hoc rurſus utriſque convenit, quod illi dicant *Saturno, quum ſubito non comparuiſſet, divinos tributos fuiſſe honores:* de Aeneâ autem ſic tradit Dionyſius dicto lib. I: Μάχης δὲ γενομένης καρτερᾶς, καὶ πολλῶν ἑκατέρωθεν ἀπολομένων, τὰ μὲν στρατεύματα νυκτὸς ἐπελθούσης διελύθη, τὸ δὲ Αἰνείου σῶμα φανερὸν οὐδαμῇ γενόμενον, οἱ μὲν εἰς θεοὺς μεταστῆναι εἴκαζον, οἱ δ' ἐν τῷ ποταμῷ, παρ' ὃν ἡ μάχη ἐγένετο, διαφθαρῆναι. καὶ αὐτῷ κατασκευάζουσιν οἱ Λατῖνοι ἡρῷον ἐπιγραφῇ τοιᾷδε κοσμούμενον· Πατρὸς θεοῦ χθονίου, ὃς ποταμοῦ Νομικίου ῥεῦμα διέπει. Hoc eſt: *Quumque pugna exorta eſſet acris, multis utrimque deſideratis, nox tandem prœlium diremit. Corpus Aeneæ quum nusquàm compareret; alii conjectabant, ad deos ipſum diſceſiſſe; alii, necatum in flumine, apud quod pugnatum erat. Latini ſacellum heroi dicaverunt, cum inſcriptione huiusmodi. Patri deo Indigeti; qui Numicii amnis undas temperat.* Sex. Aurel. Victor, dicto libro de Origine gentis Romanæ: *Tunc Aeneam copias in aciem produxiſſe, circa Numici fluminis ſtagnum. ubi quum acerrimè pugnaretur, ſubitis turbinibus infuſcato aëre, repentè cœlo tantum imbrium effuſum, tonitribus etiam conſequutis flammarumque fulgoribus, ut omnium non oculi modò præſtingverentur; verùm etiam mentes quoque confuſæ eſſent. quumque univerſos utriusque partis dirimendi prœlia cupiditas inceſſiſſet; nihilo minùs in illâ tempeſtatis ſubitæ confuſione interceptum Aeneam, nusquàm deinde comparuiſſe. traditur autem, non proviſo, quòd propinquus flumini eſſet, ripâ depulſus, fortè in fluvium decidiſſe; atque ita prœlium diremptum. dein, apertis fugatisque nubibus, quum ſerena facies effulſiſſet; creditum eſt, vivum eum cœlo abſumptum. Itaque illi eo loco templum conſecratum: adpellarique placuit Patrem Indigetem.* Livius lib. I: *Secundum inde prœlium Latinis, Aeneæ etiam ultimum operum mortalium fuit. Situs eſt, quemcumque eum dici fas eſt, ſuper Numicum flumen. Iovem Indigetem adpellant.* Verùm tale quid ſi Euandro accidit; in poſteriori id tandem Latio, inter Aniem mareque inferum poſito, factum eſt. *Saturni* tunc nomen numenque an ei Latini tribuerint, incertum habeo. Cæterùm ex antiquo illo Latio inter Narem Anienemque amnes, id eſt, è Sabino agro cum Latinis ſuis, ſive ab Sabinis, ut ſuperiori capite & item lib. II cap. VIII ex Dionyſio relatum, ſeu ſponte ex Reatino agro, qui *Velia* dicebatur, *propter incommodum*, ut vult Sabinus *paluſtris* habitationis excedens; ejectis porrò è reliquo inter Anienem & mare agro Siculis, urbem eorum maximam nobiliſſimamque occupavit *Valentiam:* quam equidem univerſam eodem vocabulo, ſed in Græcam lingvam redacto, *Romam* dixit; partibus autem eius ſive ipſe, ſive mox poſt exceſſum eius Latini novas indiderunt adpellationes, PALANTII, SATVRNIAE, VELIAE, IANICVLI, & alias. Solinus cap. II: *De temporibus urbis conditæ ambiguitatum quæſtiones excitavit, quòd quædam ibi multo ante Romulum condita ſint. quidpe aram Hercules, quam voverat, ſi amiſſas boves reperiſſet, punito Caco, patri inventori dicavit.* Et mox: *Suo quoque nomini idem Hercules inſtituit aram, quæ maxima apud pontifices habetur, quum ſe ex Nicoſtratâ, Euandri matre, quæ à vaticino Carmentis dicta eſt, immortalem comperiſſet fore. conſeptum etiam; intra quod ritus ſacrorum, factis bovicidiis, docuit Potitios. Hoc ſacellum Herculis in foro boario eſt. in quo argumenta & convivii & lætæ maieſtatis ipſius remanent. nam divinitus illo neque canibus neque muſcis ingreſſus eſt. etenim quum viſce-*

PALANTIVM, SATVRNIA, VELIA, IANICVLVM, *partes urbis antiquiſſimæ Romæ.*

rationem ſacrificulis daret, Myagrum deum dicitur imprecatus: clavam verò in aditu reliquiſſe, cuius ab factu refugerunt canes. id usque nunc durat. Aedem etiam, quæ Saturni ærarium fertur, comites eius condiderunt in honorem Saturni; quem cultorem regionis illius cognoverant ex ſtitiſſe. iidem & montem Capitolium Saturnium nominarunt. caſtelli quoque, quod excitaverat, portam Saturniam adpellaverunt; quæ poſteà Pandana vocata eſt. Pars autem infima Capitolini montis habitaculum Carmentis fuit. ubi Carmentis nunc fanum eſt: à quo Carmentali portæ nomen datum. Palatium verò nemo dubitaverit, quin Arcades habeat auctores. à quibus primùm Palantèum opidum conditum. Hæc quamvìs anilibus fabulis gentilibusque ſuperſtitionibus obvelata; tamen clarè oſtendunt, jam ante ea tempora, quibus Aeneæ in Italiam adventus adfingitur, habitatam fuiſſe Romam, in plureis parteis diviſam. Varro de Linguâ Latinâ lib. IIII, de eodem Capitolino monte loquens: *Hi mons antè Tarpeius mons dictus.* Mox: *Hunc anteà montem Saturnium adpellatum prodiderunt; & ab eo latè Saturniam terram; ut etiam Ennius adpellat. Antiquum opidum in hoc fuiſſe Saturniam, ſcribitur. eius veſtigia etiamnunc manent tria: quòd Saturni fanum in faucibus: quòd Saturnia porta; quam Iunius ſcribit: quam nunc vocant Pandanam. quòd poſt ædem Saturni in ædificiorum legibus parietes poſtici muri ſunt ſcripti.* Et poſteà: *Argeorum ſacraria in* VII *&* XX *parteis urbis ſunt diſpoſita. Argeos dictos putant à principibus, qui cum Hercule Argivo venerunt Romam, & in Saturniâ ſubſederunt.* Plinius lib. III cap. V; in recenſione opidorum Latii: *Saturnia; ubi nunc Roma eſt.* Apud Ovidium Faſtor. lib. VI ita Iuno:

A patre dicta meo quondam Saturnia Roma eſt.

Dionyſius lib. I: Γενεαῖς δ᾽ ὕστερον ἑκκαίδεκα μετὰ Ἰλίου ἅλωσιν ἐκπέμψαντες οἱ Λατῖνοι ἐκ τῆς Ἄλβας ἀποικίαν εἰς τὸ Παλάντιόν τε καὶ τὴν Σατορνίαν, ἔνθα Πελοπονοήσιοί τε καὶ Ἀρκάδες τὴν πρώτην οἴκησιν ἐποιήσαντο, καὶ ἦν ἔτι ἐπ᾽ αὐτῶν ζώπυρα ἄττα περιλειπόμενα τοῦ παλαιοῦ γένους, οἰκίζουσι τοὺς τόπους, περιβάλλοντες τείχεσι τὸ Παλάντιον, ὥστε λαβεῖν σχῆμα πόλεως τότε πρῶτον. τίθενται δὲ τῷ κτίσματι Ῥώμην ὄνομα ἀπὸ τοῦ στείλαντος τὴν ἀποικίαν Ῥωμύλου. Id eſt: *Sextâ decimâ poſt Ilium captum ætate miſerunt Latini ex Albâ coloniam in Palantium atque Saturniam; ubi Peloponneſii & Arcades primas ſedeis fixerant; quæque etiamtum ſcintillas quasdam priſci generis ſervabant: ac Palantium muris cinxerunt: ut urbis formam tum primùm acceperit. conditæ autem urbi nomen Romæ impoſuerunt, à ductore coloniæ Romulo.* In eamdem ferè mentem Propdrtius lib. IIII eleg. I:

Hoc, quodcumque vides hoſpes, quà maxima Roma eſt,
Ante Phrygem Aeneam collis & herba fuit.
Atque ubi navali ſtant ſacra Palatia Phœbo,
Euandri profugi procubuêre boves.

At quis vel huic poëtæ vel Dionyſio temerè credat, per tot ſæcula, ad Romulum usque, Arcadum, quos Euander adduxerat, poſteros *Palantium Saturniam*que heic ſine mœnibus vici in ritum inhabitaſſe? utique, quum, teſte ipſo Dionyſio, circumjectæ gentes, Latini, Etruſci, Sabini, mutitiſſimas jam tum incoluerint urbeis. Atqui *caſtellum* Solinus, Varro autem *opidum* ait fuiſſe *Saturniam*. quibus conſentiens Feſtus, *Mons*, inquit, *qui nunc eſt Capitolinus, Saturnius adpellabatur, quòd in tutelâ Saturni eſſe exiſtimatur. Saturnii quoque dicebantur, qui caſtrum in imo clivo Capitolino incolebant: ubi ara dicata ei deo ante bellum Troianum.* Verùm abſurdo huic occurrere voluiſſe videtur Virgilius Aeneid. lib. VIII; ubi Euandrum introducit ita Aeneam adloquentem:

Hæc duo prætereà disjectis opida muris
Reliquias veterumque vides monimenta virorum.
Hanc Ianus pater, hanc Saturnus condidit arcem.
Ianiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.

Sed hoc minimè concedit Dionyſius: qui ait τότε πρῶτον, *tunc primùm* muris hæc cincta fuiſſe quum Romulus ab Albâ coloniam eò deduxiſſet. De *Palantio* teſtatur ipſe poëta ibidem paullo antè:

Tum rex Euandrus Romanæ conditor arcis.

Et aliquanto antè ita Tiberinus deus Aeneam in ſomnis adfatur

Arcades his oris, genus à Pallante profectum,
Qui regem Euandrum comites, qui ſigna ſequuti.

Dele-

Delegêre locum, & poſuêre in montibus urbem,
Pallantis proavi de nomine Pallantéum.

Et poſteà; ubi Aeneas à Tiberis oſtiis ad Euandrum proficiſcitur:

Sed medium cœli conſcenderat igneus orbem
Quum muros arcemque procul & rara domorum
Tecta vident; quæ nunc Romana potentia cœlo
Aequavit. tum res inopes Euandrus habebat.

Et eodem libro infrà:

Fama volat, parvam ſubitò vulgata per urbem,
Ocyus ire equites Tyrrheni ad litora regis.

Sic & Pauſanias in Arcadicis: Ἀπαιτεῖ δὲ ἡμᾶς τὸ μετὰ τοῦτο λόγος τό τε Παλλάντιον, εἰ δή τι αὐτόθι ἐστὶν ἐς μνήμην, καὶ καθ᾽ ἥντινα βασιλεὺς αἰτίαν Ἀντωνῖνος ὁ πρότερος πόλιν τε ἀντὶ κώμης ἐποίησε Παλλάντιον, καὶ σφίσιν ἐλευθερίαν καὶ ἀτέλειαν ἔδωκεν εἶναι φόρων. Φασὶ δὴ, καὶ γνώμην γενέσθαι καὶ τὰ ἐς πόλεμον ἄριστον τῶν Ἀρκάδων ὄνομα Εὔανδρον· παῖδα δὲ αὐτὸν νύμφης τε εἶναι, θυγατρὸς τοῦ Λάδωνος, καὶ Ἑρμοῦ. σταλέντα δὲ ἐς ἀποικίαν, καὶ ἄγοντα Ἀρκάδων τῶν ἐκ Παλλαντίου στρατιὰν, παρὰ τῷ ποταμῷ πόλιν τῷ Θύμβριδι οἰκίσαι· καὶ Ῥωμαίων μέρος τῆς καθ᾽ ἡμᾶς πόλεως· ὅπερ ᾠκεῖτο ὑπὸ τοῦ Εὐάνδρου καὶ Ἀρκάδων τῶν συνακολουθησάντων, ὄνομα ἔσχε Παλλάντιον κατὰ μνήμην τῆς ἐν Ἀρκαδίᾳ. χρόνῳ δὲ ὕστερον μετέπεσε τὸ ὄνομα ἐν ἀφαιρέσει γραμμάτων τοῦ τε λ καὶ τοῦ ν. Τούτων μὲν τῶν λεγομένων ἕνεκα Παλλαντιεῦσιν ἐκ βασιλέως ἐγένοντο δωρεαί. Hoc eſt: *Poſtulat locus heic, uti ad Pallantium tranſeam; quæque memoratu illic digna, uti oratione perſequar. nec omittam, quare imperator Antoninus maior urbem ex vico fecerit; & incolis libertatem & à tributis immunitatem dederit. Euandrum ferunt, nymphâ, Ladonis filiâ, & Mercurio genitum, conſilio & bellicâ virtute Arcadas cæteros antecelluiſſe. hunc in coloniam miſſum, deductâ è Pallantis Arcadum manu, opidum apud Tiberim amnem condidiſſe, quod urbis Romanæ pars poſtmodùm fuerit: adpellatum verò ab Euandro & Arcadibus, qui eam in coloniam ſequuti ſunt, ab Arcadici opidi nomine Pallantium. quod nomen poſteà temporis, duabus literis l & n extritis, immutatum eſt. Hæc ipſa res Antoninum imperatorem adduxit, ut Pallantienſeis beneficiis adſiceret.* Hinc etiam Seneca in Conſolatione ad Helviam: *Quid intereſt enumerare Antenorem Patavii conditorem, & Euandrum in ripâ Tiberis regna Arcadum collocantem.* Ad hanc Euandrum advenam Herculem divertiſſe, plerique tradunt auctores Romani. at Diodorus non ab nuperrimis advenis, ſed ab indigenis opidum heic tunc habitatum teſtatur lib. IIII his verbis: Ἡρακλῆς δὲ διελθὼν τήν τε τῶν Λιγύων καὶ τὴν Τυρρηνῶν χώραν, καταντήσας πρὸς τὸν Τίβεριν ποταμὸν, κατεστρατοπέδευσεν οὗ νῦν ἡ Ῥώμη ἐστίν· ἀλλ᾽ αὕτη μὲν πολλαῖς γενεαῖς ὕστερον ὑπὸ Ῥωμύλου τοῦ Ἄρεος ἐκτίσθη· τότε δέ τινες τῶν ἐγχωρίων κατῴκουν ἐν τῷ νῦν καλουμένῳ Παλατίῳ, μικρὰν παντελῶς πόλιν οἰκοῦντες. Id eſt: *Hercules, per Liguriam Tyrrheniamque profectus, quum ad Tiberim amnem deveniſſet, caſtra poſuit ubi nunc Roma eſt. ſed hæc multis ætatibus poſt à Romulo, Martis filio, condita eſt. tunc verò indigenarum quidam exiguum admodùm opidum in eo loco, qui nunc Palatium vocatur, incolebant.* Et in *Saturnio* ſive *Tarpeio* monte, qui poſteà *Capitolinus* dictus, prædictum opidum *Saturniam* quondam adpellatum fuiſſe TARPEN, apud aliquem veterum auctorum legit Stephanus; cuius epitomator ita habet: Τάρπη, πόλις Ἰταλίας, καὶ Ταρπαῖον ὄρος· καὶ ἐθνικὸν Ταρπαῖος. Id eſt: *Tarpe, opidum Italiæ; & item Tarpæus mons: & gentilitium Tarpæus.* Verùm enimverò ſi etiamtum, quum Romulus coloniam huc ab Albâ deduxiſſe fertur, ζώπυρα ἄττα τοῦ παλαιοῦ γένους, id eſt, *ſcintillæ quædam priſci* Peloponneſiorum, quos cum Hercule veniſſe vult eodem lib. I Dionyſius, *Arcadumque*, qui cum Euandro heic conſederunt, *generis reliquæ* fuêre; háud *vaſtæ tum*, ut inquit Livius lib. I, *in iis locis ſolitudines erant, ubi Romulus & Remus expoſiti: ubique in ſtabulis Fauſtuli, magiſtri pecoris regii, ab Laurentiâ, eius uxore, educati fuêre*; id eſt, *in Palatino monte; quem primum Romulus, quia in eo ipſe erat educatus, munierit.* Sed ipſius Livii ibidem iſta leguntur verba: *Iam tum in Palatino monte Lupercal hoc fuiſſe ludicrum ferunt, & à Palantéo, urbe Arcadicâ, Palantium deinde Palatinum montem adpellatum. Ibi Euandrum, qui ex eo genere Arcadum multis antè tempeſtatibus ea tenuerat loca, ſolenne, allatum ex Arcadiâ, inſtituiſſe, ut nudi juvenes, Lycæum Pana venerantes, per luxum atque laſciviam currerent: quem Romani deinde vocarunt Inuum. huic deditus ludicro, quum ſolenne vocatum eſſet, inſidiatos ob iram prædæ amiſſæ, latrones, quum Romulus vi ſe defendiſſet, Remum cepiſſe.* Quis credat, *ſolenne ludicrum*

TARPE, *quæ aliàs* Saturnia.

in vaſtis ſolitudinibus celebratam fuiſſe? quis ignorat, ubicumque ſacra diis inſtituta fuerint, celeberrima fuiſſe loca; ac pleraque opida inſignia? Hoc quum ne ipſe quidem Valerius Maximus negare potuiſſet; Romulum auctorem fecit *Lupercilium* lib. II cap. II, his verbis: *Equeſtris ordinis juventus omnibus annis bis Vrbem ſpectaculo ſui ſub magnis auctoribus celebrabat, die Lupercalium & Equitum probatione. Lupercalium mos à Romulo & Remo inchoatus eſt, tunc, quum lætitiâ exſultantes, quòd his avus Numitor, rex Albanorum, eo loco, ubi educati erant, urbem condere promiſerat ſub monte Palatino hortatu Fauſtuli, educatoris ſui, quem Euander Argivus conſecraverat.* At verò ſi montem *Euander* conſecravit alicui deorum; ſolenne etiam huic ſacrum inſtituit. id verò fuit iſtud *Lupercal*; teſte Livio. cui conſentiens Dionyſius, dicto lib. I, multo etiam plura, quæ in rem noſtram faciunt, narrat. De *Palatino* loquens *monte*, in quo Euandrum cum Arcadibus opidum *Palantium* condidiſſe tradit; Οἱ δ᾽ οὖν, inquit, Ἀρκάδες ὑπὸ τῷ λόφῳ συνοικισθέντες, τά τε ἄλλα διεκόσμουν τὸ κτίσμα, τοῖς οἴκοθεν νομίμοις χρώμενοι, καὶ ἱερὰ ἱδρύονται· πρῶτον μὲν τῷ Λυκαίῳ Πανὶ, τῆς Θέμιδος ἐξηγουμένης, (Ἀρκάσι γὰρ θεῶν ἀρχαιότατός τε καὶ τιμιώτατος ὁ Πάν) χωρίον ἐξευρόντες ἐπιτήδειον, ὃ καλοῦσι Ῥωμαῖοι Λουπερκάλιον, ἡμεῖς δ᾽ ἂν εἴποιμεν Λύκαιον. Νῦν μὲν οὖν συμπεπολισμένων τῷ τεμένει τῶν πέριξ χωρίων, δυσείκαστος γέγονεν ἡ παλαιὰ τοῦ τόπου χύσις. Ἦν δὲ τὸ ἀρχαῖον, ὡς λέγεται, σπήλαιον ὑπὸ τῷ μέγαλι, δρυμῷ λασίῳ κατηρεφὲς, καὶ κρουνίδες ὑπὸ ταῖς πέτραις ἐμβύθιοι, ἥ τε προσεχὴς τῷ κρημνῷ νάπη, πυκνοῖς καὶ μεγάλοις δένδρεσιν ἐπίσκιος. ἔνθα βωμὸν ἱδρυσάμενοι τῷ θεῷ, τὴν πάτριον θυσίαν ἐπετέλεσαν, ἣν μέχρι τοῦ καθ᾽ ἡμᾶς χρόνου, Ῥωμαῖοι θύουσιν ἐν μηνὶ Φεβρουαρίῳ, μετὰ χειμερίους τροπὰς, οὐδὲν τῶν τότε γινομένων μετακινοῦντες· Ἐπὶ δὲ τῇ κορυφῇ τοῦ λόφου τὸ τῆς Νίκης τέμενος ἐξελόντες, θυσίας καὶ ταύτῃ κατεστήσαντο διετησίους· ἃς καὶ ἐπ᾽ ἐμοῦ Ῥωμαῖοι ἔθυον. ταύτην δὲ Ἀρκάδες μυθολογοῦσι Πάλαντος εἶναι θυγατέρα, τοῦ Λυκάονος. Ἱδρύσαντο δὲ καὶ Δήμητρος ἱερὸν, καὶ τὰς θυσίας αὐτῇ διὰ γυναικῶν τε καὶ νηφαλίους ἔθυσαν, ὡς Ἕλλησι νόμος, ὧν οὐδὲν καθ᾽ ἡμᾶς ἤλλαξε χρόνος. Ἀπέδειξαν δὲ καὶ Ποσειδῶνι τέμενος Ἱππίῳ, καὶ τὴν ἑορτὴν Ἱπποκράτεια μὲν παρ᾽ Ἀρκάδων, Κωνσουάλια δὲ ὑπὸ Ῥωμαίων λεγόμενα κατεστήσαντο· ἐν ᾗ παρὰ Ῥωμαίοις ἐξ ἔθους ἐλινύουσιν ἔργων ἵπποι καὶ ὀρεῖς, καὶ στέφονται τὰς κεφαλὰς ἄνθεσι. Πολλὰ δὲ καὶ ἄλλα τεμένη καὶ βωμοὺς, καὶ βρέτη θεῶν καθωσίωσαν, ἁγιασμούς τε καὶ θυσίας κατεστήσαντο πατρίους, αἳ μέχρι τῶν κατ᾽ ἐμὲ χρόνων τὸν αὐτὸν ἐγίνοντο τρόπον. Οὐ θαυμάσαιμι δ᾽ ἂν, εἰ καὶ παρεῖνταί τινες διαφυγοῦσαι τὴν τῶν ἐπιγινομένων μνήμην, ἀπὸ τοῦ πάνυ ἀρχαίου· ἀλλ᾽ ἀποχρῶσί γε καὶ νῦν ἔτι γινόμενα τεκμήρια εἶναι τῶν Ἀρκαδικῶν ποτε νομίμων. Hoc eſt: *Arcades igitur, conjunctis ſub colle ſedibus, exædificatisque pro more patrio domicilis; templa quoque conſtruunt: primum Lycæo Pani; jubente Themide, (Arcadibus enim deorum antiquiſſimus honoratiſſimusque eſt Pan) idoneo ad id invento loco: quod Romani Lupercal nominant. nos Lycæum dixerimus. Et nunc equidem, ædificiis fanum undiquaque ſepientibus, difficilis conjectura eſt, qualis olim loci natura fuerit. cæterùm, ut fertur, erat tum ſpelunca ſub tumulo magna, denſo querceto contecta; & ſub petris profundi fonticuli; ſolumque rupibus contiguum nemoroſum, & frequentibus proceriſque opacum arboribus. Ibi arâ deo exſtructâ, more patrio ſacra fecerunt; quæ noſtrâ quoque tempeſtate faciunt Romani menſe Februario, poſt brumam; nihil mutantes ex ritu priſtino. In vertice verò collis Victoriæ fano exſtructo, rem divinam ei alternis annis fieri inſtituerunt. quod & noſtrâ ætate Romani faciunt. Hanc Arcades fabulantur filiam fuiſſe Palantis, Lycaonis filii. Ceteri quoque templum erexerunt: & per feminas ſacerdotes ſacra ei fecerunt abstemia. quorum nihil immutatum eſt noſtro tempore. Tum Neptuno etiam Hippio delubrum adſignarunt; feſtumque inſtituerunt, Hippocratia dictum Arcadibus; Romanis verò Conſualia: per quod apud Romanos ex more immuneis ab opere equi & muli; coronanturque floribus. Alia quoque multa fana & aras & ſimulacra deorum dedicaverunt; expiationesque & ſacrificia patria inſtituerunt, quæ ad meam usque ætatem fiunt eodem modo.* Sanè, ſi hæc cuncta ad Dionyſii usque & imperatoris Auguſti tempeſtatem perdurarunt; non potuêre Romuli, ut vult Dionyſius, ætate *tenues* tantùm *quædam ſcintillæ* Arcadici generis ſuperfuiſſe. Celebris fuit omni ævo Roma, poſtquàm, pulſis inde Siculis eam cum Aborigiuibus atque Pelaſgis, id eſt, cum Latinis occupavit *Euander*. nec huc alia *Peloponneſiorum*, ſive *Argivorum*, ſeu *Arcadum* manus ſub belli Troiani tempora invecta eſt: ſed ipſe hic Euander fuit *Arcas* atque *Argivus*: ut & utraque gens, Aborigines ſimul & Pelaſgi: illi cum Oenotro duce è Peloponneſo in Italiam profecti; hi à Pelaſgo primùm, (unde & nomen habuêre; ut ſuprà è Dionyſio oſtenſum,) in Theſſaliam deducti; inde verò poſteri eorum per varias Europæ Aſiæque parteis errantes, tandem ab Euandro in Italiam devecti. Livius, licèt dicto lib. I hiſtoriam illam vul-

garem

garem de *Hercule* & *Caco*, deque *Potitiis* ac *Pinariis* ſacerdotibus recitet; tamen & ipſe lib. v poſteà, ubi de Gallorum tranſitu in Italiam agit; *Alpes inde*, inquit, *oppoſitæ erant: quas inexſuperabileis viſas, haud equidem miror; nullâ dum viâ, quòd quidem continens memoria ſit, (niſi de Hercule fabulis credere libet) ſuperatas*. Nihil igitur eſt, quòd ſuprà citati ſcriptores narrant, comites Herculis, quos heic reliquerit, conſtituiſſe *Saturniam caſtellum in Saturnio monte*. Aliud opidum *Saturniam* condidiſſe, vel ſaltem, pulſis inde Siculis, nominaſſe Pelaſgos cum Aboriginibus è Sabino agro profectos, qnod etiam nunc in Etruriâ nomen antiquum retinet, ſuprà è Dionyſio didicimus. Idem Dionyſius eodem lib. I, ut ſuprà citatum, ex veterum quorundam Romanorum monumentis tradit, *Romulum Aeneæ filium*, *Aſcanii ac Romi fratrem*, *condidiſſe*. Αἰνείαν πόλιν, ἀπὸ τοῦ πατρὸς, τὴν ὕστερον κληθεῖσαν Ἰανίκλον· id eſt, *opidum Aeneam*, *à patre denominatum*; *quod poſteà Ianiculum dictum*. Vnde & illud Plinii lib. III cap. V: *Saturnia*; *ubi nunc Roma eſt*: *Aeneipolis*; *quod nunc Ianiculum in parte Romæ*. Stephani epitumator: Αἴνεια, πόλις Τυῤῥηνίας, *Aenea*, *opidum Etruriæ*. Hoc quoque de primo *Ianiculi* conditore, Aeneæ filio, alii haud admiſêre auctores. in quibus Virgilius dicto Aeneid. lib. VIII Euandrum introducit Aeneæ ita narranti:

Hanc Ianus pater, hanc Saturnus condidit arcem?
Ianiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.

Et Ovidius Faſtor. lib. I ipſum Ianum deum ita fingit loquentem:

Heic, ubi nunc Roma eſt, tunc ardua ſilva virebat:
Tantaque res paucis paſcua bobus erat.
Arx mea collis erat: quam vulgus nomine noſtro
Nuncupat, hæc ætas Ianiculumque vocat.

Sed ex hoc argumento manifeſtè patet, jam inde antiquiſſimis temporibus, & multis ante bellum Troianum ſæculis, *Romam*, ſive *Valentiam*, ad utramque Tiberis ripam celeberrimâ frequentatione inhabitatam fuiſſe. quidpe *Ianiculum* in Etruſcâ amnis eſt ripâ. Præcipuam quoque ac principem totius urbis partem fuiſſe eamdem, quæ poſteà fuit; id eſt, *Saturniam*, in monte *Saturnia*; qui *Tarpeius* etiam, ac tandem *Capitolinus* dictus; inde patet, quòd hinc, veluti à capite, omne *Latium* nomen *Saturniæ* accepiſſe, quidam tradiderint. Varro ſuprà dicto lib. IIII de lingvâ Latinâ: *Hunc anteà montem Saturnium adpellatum, prodiderunt; & ab eo latè Saturniam terram; ut etiam Ennius adpellat. Antiquum opidum in hoc fuiſſe Saturniam ſcribitur.* Doctiſſimus equidem Ioſephus Scaliger ad hæc ita commentatus eſt: *Adparet manifeſtè, eſſe verſiculum Ennii,*

—— Saturnius illi
Nomen erat; de quo latè Saturnia terra.

Verùm ego potiùs crediderim, mendum eſſe apud Varronem: ipſumque ſcripſiſſe: *& ab eo Latium Saturniam terram*. nam innumera in Varronis exemplaribus eſſe menda, vulgò notum eſt. Caput igitur antiqui illius Latii, quod & *Saturnia* & anteà *Italia* ac priùs *Sicilia* dicebatur, jam inde vetuſtiſſimis ante bellum Troianum temporibus fuit urbs VALENTIA; poſtmodùm Aboriginibus atque Pelaſgis, utrâque Græcâ gente, Ῥώμη, ROMA dicta. Hinc eſt, quòd quidam auctores antiqui, qui urbem conditam voluerunt ab Aeneâ; *toti* eum *Italiæ* imperaſſe tradiderunt. unde illud Dionis Chryſoſtomi in libro de Troiâ numquàm captâ: Αἰνείας, ὑπὸ Ἕκτορος πεμφθεὶς μετὰ στόλου καὶ δυνάμεως πολλῆς, Ἰταλίαν κατέσχεν. Id eſt: *Aeneas, ab Hectore emiſſus cum claſſe ac numeroſâ manu, Italiam occupavit*. Et clariùs paullo pòſt: Αἰνείας δὲ πάσης Ἰταλίας ἐβασίλευσε, καὶ πόλιν ᾤκισε τὴν μεγίστην πασῶν. Hoc eſt: *Aeneas autem toti Italiæ regiâ poteſtate impetravit; urbemque condidit omnium maximam*. Nemini itaque jam fas ſit mirari, *rem Romanam, à parvis*, ut inquit Livius initio libri primi, *profectam initiis, eò creviſſe*, ut tandem eius ævo *magnitudine laboraverit ſuâ*. quandoquidem origo huius ultra CIↃ IↃ annos, antequàm iſta à Livio ſcripta ſunt, extendi poteſt. tot quidpe circiter annis ante Livii hiſtoriam, anteque natum cœli terrarumque Dominum, Siculi Latio ab Aboriginibus atque Pelaſgis, communi nomine *Latinis* dictis, expulſi fuêre; ut ſuprà demonſtratum. Regiâ dignitate, quamvis poteſtate minùs abſolutâ, cùm ipſi urbi tùm univerſo Latio alios etiam poſt Euandrum præfuiſſe duces, haud dubitaverim: licèt incertum ſit, quàm diu & quibus ſinguli nominibus fuerint reges. etenim quum *Romu-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

lum, Aeneæ poſterum, quem, ab Albâ profectum, urbem condidiſſe tradunt Dionyſius lib. I ac Solinus cap. II, aliique item auctores, Olympiadis VII anno primo, id eſt, anno CCCCCXXXII poſt Troiam captam, nullum omnino fuiſſe, ſatis ſuperque ſuprà demonſtratum ſit; de huius rebus geſtis, quas Dionyſius, Livius, Plutarchus, & alii complures referunt auctores, item de ſucceſſoribus eius, ſex reliquis Romanorum regibus, quid credam? Primum bellum Romulo exortum eſſe cum Sabinorum gente, ob raptas in publico Romanorum ſpectaculo virgines Sabinas, prædicti tradunt ſcriptores. ex his Dionyſius lib. II de fine eius belli ita ſcribit: Καὶ γίνονται τοῖς ἔθνεσιν ἐκεχειρίαι μὲν πρῶτον, ἔπειτα συνελθόντων τῶν βασιλέων, συνθῆκαι περὶ φιλίας. ἦν δὲ τὰ συνομολογηθέντα τοῖς ἀνδράσι, περὶ ὧν τοὺς ὅρκους ἐποιήσαντο, τοιάδε· βασιλέας μὲν εἶναι Ῥωμαίων Ῥωμύλον καὶ Τάτιον, ἰσοψήφους ὄντας, καὶ τιμὰς καρπουμένους τὰς ἴσας· καλεῖσθαι δὲ τὴν μὲν πόλιν ἐπὶ τοῦ κτίσαντος τὸ αὐτὸ φυλάττουσαν ὄνομα, Ῥώμην· καὶ ἕνα ἕκαστον τῶν ἐν αὐτῇ πολιτῶν Ῥωμαῖον, ὡς πρότερον· τοὺς δὲ σύμπαντας ἐπὶ τῆς Τατίου πατρίδος κοινὴν περιλαμβανομένους κλῆσιν, Κυρίτας· πολιτεύεσθαι δὲ τοὺς βουλομένους Σαβίνων ἐν Ῥώμῃ, ἱερά τε συνενεγκαμένους, καὶ εἰς φυλὰς καὶ φράτρας ἀποδοθέντας. Id eſt: *Interpoſitis primùm induciis, deinde congreſſis inter ſe regibus, fœdus ictum eſt, & jurejurando firmatum in has condiciones: Vt Romæ pari poteſtate parique honore regnarent Romulus & Tatius. ut urbs deductum à conditore ſervaret vocabulum. ut cives ſinguli quidem, ut antè, adpellarentur Romani; univerſi autem à Tatii patriâ communi adpellationis complexu nominarentur Quirites. ut Sabinis jus civitatis Romanæ daretur, quicumque id cuperent: atque hi cum ſuis ſacris reciperentur in tribus & curias.* Livius lib. I: *Inde ad fœdus faciendum duces prodeunt. nec pacem modò, ſed civitatem unam ex duabus faciunt. regnum conſociant. imperium omne conferunt Romam: ita geminatâ urbe, ut Sabinis tamen aliquid daretur. Quirites à Curibus adpellati.* Hunc *Tatium* Dionyſius paullo antè *Curium*, Livius verò *Sabinorum regem* fuiſſe tradit. Plutarchus in Romulo: Καὶ συνετέθησαν οἰκεῖν κοινῇ τὴν πόλιν Ῥωμαίους καὶ Σαβίνους· καὶ καλεῖσθαι μὲν Ῥώμην ἐπὶ Ῥωμύλῳ τὴν πόλιν, Κυρίτας δὲ Ῥωμαίους ἅπαντας ἐπὶ τῇ Τατίου πατρίδι. Id eſt: *Ita fœdus fit, ut communem habitarent Romani ac Sabini urbem: Roma urbs à Romulo, Romani omnes Quirites à Tatii patriâ vocarentur.* Et in Numâ: Ἦν δὲ πόλεως μὲν ὁ Νουμᾶς ἐπιφανοῦς ἐν Σαβίνοις τῶν Κυριτῶν, ἀφ᾽ ἧς Κυρίτας Ῥωμαῖοι σφᾶς αὐτοὺς ἅμα τοῖς ἀνακηρυχθεῖσι Σαβίνοις προσηγόρευσαν. Hoc eſt: *Erat Numa è celebri Sabinorum urbe Curibus; à qua Quirites ſeſe Romani unà cum receptis Sabinis nominavère.* Feſtus: *Quirina tribus à Curenſibus Sabinis adpellationem videtur traxiſſe.* Et item: *Nunc & Sabini & Romani populi ſingulare uſurpatur nomen; ut indicio eſt preco; qui in funeribus indictivis ita pronunciare ſolet: Ollus Quiris leto datus. Quirites autem dicti poſt fœdus à Romulo & Tatio percuſſum, communionem & ſocietatem populi factam indicant.* Varro de Linguâ Latinâ lib. IIII: *Collis Quirinalis, ubi Quirini fanum: qui à Curitibus, qui cum T. Tatio Curibus venerunt Romam; quòd ibi habuerunt caſtra.* Servius ad Virgilii Aeneid. lib. VII: *Priſci Quirites ideò Sabini dicti, quia poſt fœdus Tatii & Romuli placuit, ut quaſi unus de duobus fieret populus. unde & Romani Quirites dicti ſunt: quod nomen Sabinorum fuerat, à civitate Curibus: & Sabini à Romulo Romani dicti ſunt.* Livius lib. I: *Romani Sabinique redintegrant prœlium. ſed res Romana erat ſuperior.* Fit hinc pax atque fœdus. Sanè res magna eſt, nec facilè aliàs credibilis; tantum devictis Sabinis ſive *Quiritibus* à victoribus Romanis delatum fuiſſe honorem, uti rex illorum T. Tatius in regni æquam ſocietatem receptus, ipſi verò Romani in communem *Quiritium* adpellationem transgreſſi fuerint. qua certè re non tantùm *aliquid*, ut ait Livius, *Sabinis datum*; ſed tanto plus illis conceſſum, quàm ipſi Romani retinuerint, quanto præſtantiores erant incolæ ipſâ urbe. Livius exiguo pòſt ita ſcribit: *Eodem tempore & centuriæ tres equitum conſcriptæ ſunt. Ramnenſes à Romulo, ab T. Tatio Tatienſes adpellati. Lucerum nominis & originis cauſa incerta. Inde non modò commune, ſed concors etiam regnum duobus regibus fuit.* M. Varro dicto de Linguâ Latinâ lib. IIII: *Ager Romanus primùm diviſus in parteis treis; à quo tribus adpellatæ; Tatienſium, Ramnium, Lucerum. nominata, ut ait Ennius, Tatienſes à Tatio, Ramnenſes à Romulo: Lucerus, ut ait Iunius, à Lucumone. Sed omnia hæc vocabula Tuſca; ut Volumnius, qui tragœdias Tuſcas ſcripſit, dicebat.* Mirâ certè analogiâ à *Romulo Ramnenſes* ſeu *Ramnes*, à *Lucumone Luceres* dicti fuerint. Attamen ex his colligere datur, magnam civium Romanorum partem conſtitiſſe ex *Sabinis* atque *Tuſcis*. Dionyſius dicto lib. II antè de Romulo ac bello Sabino loquens: Ἧκε δὲ αὐτῷ Τυρρηνῶν ἐπικουρίαν ἱκανὴν ἄγων ἐκ Οὐετυλωνίου πόλεως ἀνὴρ δραστήριος καὶ τὰ πολέμια ἔργα διαφανής, Λοκόμων ὄνομα,

μα, φίλος οὐ πρὸ πολλοῦ γεγονώς. Id eſt: *Auxilium validum adduxit ei à Vetulonio, Etruſcâ urbe vir ſtrenuus & bello clarus, nomine Lucumo; nuper receptus in amicitiam.* Propertius lib. IIII eleg. I:

Prima galeritus poſuit prætoria Lucmo;
Magnaque pars Tatio rerum erat inter oveis.
Hinc Titiens Ramnesque viri Luceresque coloni.

Minimè credibile eſt, ab remotiſſimâ potiùs omnium XII principum Etruriæ urbium auxilia Romulo veniſſe, quàm à proximis *Veiis, Faleriis, Volſiniis, Tarquiniis, Cære*. ac proinde rectiùs alii, totam auxilia miſiſſe Etruriam, tradiderunt. Servius ad Virgilii Aeneid. lib. V: *Conſtat, primò treis parteis fuiſſe populi Romani: unam Tatienſium, à Tito Tatio, duce Sabinorum, jam amico pòſt fœdera; alteram Ramnetum à Romulo; tertiam Lucerum: quorum, ſecundùm Livium, & nomen & cauſa in occulto ſunt. Varro tamen dicit, Romulum, dimicantem contra Titum Tatium, à Lucemonibus, id eſt, à Tuſcis, auxilia poſtulaſſe. Ergò à Lucumone Luceres dicti ſunt.* Credo, antiquiſſimos illos primosque Romanos regem ſuum *Euandrum*, qui *Valentiam* urbem, pulſis inde priſcis cultoribus Siculis, adpellavit Græcâ linguâ Ῥώμην, *Romam*, inde denominaſſe Ῥωμύλον, *Romulum*. & quia is non tantùm novum hoc urbi nomen indiderat; ſed & novis eam frequentaverat colonis; poſteriores conditam ab eo eſſe tradiderunt. Omnem autem de Aeneâ fabulam è ſimilitudine rerum Euandri Pelaſgorumque & Aboriginum confictam eſſe, ſuprà membratim expoſui. ubi oſtenſum, quemadmodùm Euander in accepto ab Aboriginibus agro, qui *Velia* dicebatur, *Pallantium* condidit opidum; ſic Aeneam quoque in accepto à Latino, Aboriginum rege, ſolo *Lavinium* ædificaſſe narrari. Hoc relicto, filius eius Aſcanius ſive Iulus novam conſtituiſſe dicitur urbem *Albam longam*; quæ inde Latinorum ſive Albanorum regum fuerit regia, apud lacum & montem, quibus inde cognomen *Albanis*. Dionyſius lib. II de Sabinorum gente ita tradit: Πρώτην αὐτῶν οἴκησιν ἀποφαίνει ὁ Κάτων γενέσθαι κώμην τινὰ καλουμένην Τεστρίναν, ἀγχοῦ πόλεως Ἀμιτέρνης κειμένην· ἐξ ἧς ὁρμηθέντας ἅμα, εἰς τὴν Ῥεατίνην ἐμβαλεῖν, Ἀβοριγίνων τότε κατοικούντων, καὶ πόλιν αὐτῶν τὴν ἐπιφανεστάτην Κοτυλίας πολέμῳ χειρωσαμένους κατασχεῖν. ἐκ δὲ τῆς Ῥεατίνης ἀποικίας ἀποστείλαντας, ἄλλας τε πόλεις κτίσαι πολλὰς, ἐν αἷς οἰκεῖν ἀτειχίστοις, καὶ δὴ καὶ τὰς προσαγορευομένας Κυρεῖς. Hoc eſt: *Primam eorum ſedem tradit Cato fuiſſe vicum quemdam Teſtrinam nomine, haud procul Amiternâ urbe ſitum. unde expeditione factâ, Reatinum agrum invaſiſſe, Aboriginibus tunc habitatum: urbemque eorum nobiliſſimam Cutilias armis occupaſſe. miſſisque è Reatino agro colonis, inter alia opida multa, ſed immunita, etiam Cureis condidiſſe.* Vt alia pleraque apud Romanos antiqua, ſic hoc quoque erroribus involutum cenſuerim. probabilius quidpe eſt, Euandrum, poſtquàm Latinorum rex poſt obitum ultimi Aboriginum regis factus eſt, ſedem regiam à *Pallantio* opido in urbem, *Cureis* recèns abs ſeſe conditam, transportaſſe. poſteà verò, ingruentibus Sabinis, Opicâ gente, quum vel omnem hunc inter Narem Anienemque agrum, vel maximam eius partem, relinquere cogeretur; expulſis porrò ex reliquo inter Anienem mareque inferum agro Siculis, urbeque eorum maximâ *Valentiâ* occupatâ; huc dictam ſedem omneisque Curium incolas transtuliſſe. unde urbs quidem priſcum nomen retinuit; ſed in Græcam lingvam converſum ROMAM: incolæ verò ſervatâ & ipſi antiquâ adpellatione, quam *Curibus* habebant, QVIRITES dicti ſunt. Pelaſgos autem urbem *Cureis* condidiſſe, ex ipſo nomine colligo. quidpe tametſi poſteà vox *curis* ab Sabinis uſurpata fuerit pro haſtâ; unde etiam apud Latinos vocabulum *ſecuris*; tamen, quia Pelaſgis *Iupiter* dictus eſt *Curis pater*, & *Iuno* item *Curis*; longè credibilius eſt, ab hoc deorum nomine urbem adpellationem accepiſſe. Tertullianus in Apologetico, cap. XXIIII: *Faliſcorum in honore eſt Pater Curis: unde accepit cognomen Iuno.* Antiqua lapidis inſcriptio: PONTIFEX. SACRARIVS. IVNONIS. QVIRITIS. Feſtus: *Matronæ Iunonis Curitis in tutelâ ſunt.* Et: *Quirites dicti & Sabini à Curi deâ; cui aquâ & vino ſacra facere ſoliti erant. Ab eiusdem deæ nomine videntur item cures Sabinæ haſtæ adpellatæ, quibus ea gens armis erat potens.* Omnibus Græcis id urbis nomen dictum fuiſſe Κύρεις, *Curis*, ſuprà lib. II cap. VIIII in Sabinis patuit. Atque hinc etiam ipſe *Euander*, qui alio, ut dixi, nomine *Romulus*, non tam à *Quiritium populo*, quem regebat, quàm à loco adpellatus fuit *Quirinus*. cui tamen vocabulo poſteà numen

attribuerunt; interpretatique ſunt plerique *Martem*; alii *Ianum*; ut ſuprà oſtenſum. At poſteriores mortales, quorum ævo jam dudum tenebant Sabini non tantùm Cureis urbem, ſed omnem circà agrum, ad Anienem usque amnem; quum accepiſſent famâ quadam, à Curibus veniſſe, cum quibus omnes Romanæ urbis incolæ dicti fuerint *Quirites*; ipſos *Sabinos*, bello victos à Romulo, inde transductos fuiſſe, arbitrati ſunt. Sed hic error ſatis jam à nobis apertus eſt. Oſtendendum nunc deinceps, qua ratione & quibus temporibus *Tuſcorum* quidam in urbem recepti fuêre: unde *Lucerum* tribum in urbe quaſi à *Lucumonibus* nomen habuiſſe putarunt. Dionyſius lib. I de Pelaſgis narrans, qui ab Aboriginibus in partem agrorum circa Cutilias & Reate opida recepti fuêre; Ἔπειτα, inquit, μοῖρά τις αὐτῶν οὐκ ἐλαχίστη, ὡς ἡ γῆ πᾶσιν οὐκ ἀπέχρη, πείσαντες τοὺς Ἀβοριγῖνας συναίρεσθαί σφισι τῆς ἐξόδου, στρατεύουσιν ἐπὶ τοὺς Ὀμβρικούς, καὶ πόλιν αὐτῶν εὐδαίμονα καὶ μεγάλην ἄφνω προσπεσόντες αἱροῦσι Κρότωνα· ταύτῃ φρουρίῳ καὶ ἐπιτειχίσματι κατὰ τῶν Ὀμβρικῶν χρώμενοι. πολλῶν δὲ καὶ ἄλλων ἐκράτησαν χωρίων· τοῖς τε Ἀβοριγῖσι τὸν πρὸς τοὺς Σικελοὺς πόλεμον ἔτι συνεστῶτα πολλῇ προθυμίᾳ συνδιέφερον, ἕως ἐξήλασαν αὐτοὺς ἐκ τῆς σφετέρας. καὶ πόλεις πολλάς, τὰς μὲν οἰκουμένας καὶ πρότερον ὑπὸ τῶν Σικελῶν, τὰς δὲ αὐτοὶ κατασκευάσαντες, ᾤκουν οἱ Πελασγοὶ κοινῇ μετὰ τῶν Ἀβοριγίνων· ὧν ἐστιν ἥ τε Καιρητανῶν πόλις, Ἄγυλλα δὲ τότε καλουμένη, καὶ Πίσα καὶ Σατορνία καὶ Ἄλσιον, καὶ ἄλλαι τινές, αἳ ἀνὰ χρόνον ὑπὸ Τυρρηνῶν ἀφῃρέθησαν· Φαλέριον δὲ καὶ Φασκένιον ἔτι καὶ εἰς ἐμὲ ἦσαν οἰκούμεναι ὑπὸ Ῥωμαίων, μικρὰ ἄττα διασώζουσαι ζώπυρα τοῦ Πελασγικοῦ γένους, Σικελῶν ὑπάρχουσαι πρότερον. Hoc eſt: *Pars deinde eorum haud minima, quum agri omnibus non ſufficerent, Aboriginibus in expeditionem adſcitis, bello Vmbros adgrediuntur: urbemque eorum florentem ac magnam Crotonem repentino incurſu capiunt: qua mox pro arce belli contra Vmbros uſi ſunt. poſthinc alia quoque loca multa in poteſtatem ſuam redegerunt: & Aboriginibus contra Siculos promptam præſtiterunt operam; donec eos ejecerunt ſuis ſedibus. In his multa opida, partim jam antè ab Siculis habitata, partim recèns ab ſe condita, tenuerunt indiviſa ſociæ gentes Pelaſgi & Aborigines. ex quibus ſunt Cære, Agylla tunc dictum, Piſa, Saturnia, Alſium, & quædam alia: quæ poſtmodùm à Tyrrhenis occupata ſunt. Falerium autem & Feſcennium, etiam meâ tempeſtate à Romanis habitata, exiguas quasdam ſcintillas Pelaſgici generis ſervant; quum initio Siculorum fuerint.* Partem iſthanc Pelaſgorum, quæ Crotonem urbem aliaque Vmbrorum opida bello occupavit, eam conſtituiſſe regionem, quæ, inter Apenniuum montem, Arnum amnem, mare inferum, ac Tiberim flumen, ab cognomine eorum Græcis dicta fuit Τυῤῥηνία, *Tyrrhenia*; hancque in XII principatus totidemque principeis urbeis diviſiſſe; in quarum numero fuerunt *Cortona*, *Cære*, & *Falerium*; ſuperiori volumine in deſcriptione Etruriæ ſatis abundéque demonſtratum eſt. Paullo igitur indiligentiùs hæc ſive indiſtinctiùs ab Dionyſio tradita ſunt. quidpe illa pars Pelaſgorum, quæ cum Aboriginibus in Reatino agro circa Cutilias manſerat, mox in unum, ut ſuprà oſtendi, *Latinorum* nomen corpusque cum Aboriginibus conjunct fuêre. pars autem altera gentem Pelaſgorum *Tyrrhenorum* in *Tyrrheniâ*, quæ poſteà dicta eſt *Etruria*, conſtituit. Hi igitur ſuam ſibi ſoli habitarunt Tyrrheniam; donec *Etruſci*, ex Circumpadanâ regione à Gallis pulſi, in occidentalem eius partem recepti fuêre; ut ſuprà lib. II cap. I oſtenſum. illi ab lævâ Tiberis ripâ, primùm inter Narem & Anienem, mox inter hunc & mare, πόλεις πολλάς, τὰς μὲν οἰκουμένας καὶ πρότερον ὑπὸ τῶν Σικελῶν, τὰς δὲ αὐτοὶ κατασκευάσαντες, ᾤκουν κοινῇ μετὰ τῶν Ἀβοριγίνων, id eſt, *multas urbeis partim jam antè ab Siculis habitatas, partim recèns ab ſe conditas, tenuerunt communiter & conjunctè*, ſub uno *Latinorum* nomine. Trans Tiberim Siculos non habitaſſe; ſed Vmbros, ad Arnum usque; ſuprà dicto lib. II cap. I, & item cap. IIII, oſtenſum eſt. At Tyrrheni tamen Pelaſgi arctam ſemper jam inde ab initio cum Latinis amicitiam fœdusque æquum coluêre, καὶ αὐτοῖς τὸν πρὸς τοὺς Σικελοὺς πόλεμον ἔτι συνεστῶτα πολλῇ προθυμίᾳ συνδιέφερον, ἕως ἐξήλασαν αὐτοὺς ἐκ τῆς σφετέρας, id eſt, *promptamque ipſis contra Siculos, bello etiam tum durante, ac fidam operam præſtiterunt; donec eos ejecerunt ſedibus ſuis*. Atque hinc jam eſt, quòd quidam antiqui Romanorum ſcriptores rradiderunt, ut loco ſuprà ſcripto è Varrone recitat Servius, *Romulum dimicaturum à Lucumonibus*, id eſt, *à Tuſcis*, *auxilia poſtulaſſe*. Nempe Euander, ſive contra Siculos, ſeu contra Volſcos, quod innuit Virgilius, exercitum eductutus, auxilia à Tyrrhenis Pelaſgis ex fœdere poſtulavit. Virgilius Aeneid. iib. XI Euandrum introducit ſuper Pallantis filii cadavere ſic lamentantem:

— *Quòd*

——— *Quòd ſi immatura manebat*
Mors natum; cæſis Volſcorum millibus antè,
Ducentem in Latium Teucros, cecidiſſe juvabit.

Sed cum Volſcis bellum geſſeritne Euander, incertum eſt. de Siculis ſatis ex hactenus allatis conſtat. Tanta igitur quum Latinis ſive Romanis fuerit cum Pelaſgis Tyrrhenis conſangvinitas, tamque arctum fœdus; quid jam mirum, ſi ſtatim ab initio quidam eorum in communem à Romanis civitatem recepti ſint? quid mirum, ſi jam inde primi Romanorum reges à XII Etruriæ populis XII *lictores* totidemque *ſecureis*, tum *ſellam curulem togamque prætextam*, & cætera imperii inſignia habuiſſe traduntur Dionyſio & Livio; ut ſuprà lib. II cap. I oſtenſum? Hinc igitur etiam eſt, quòd Romani poſt Euandrum modò ex Sabino agro, modò ex Etruriâ reges ſibi adſciviſſe traduntur; licèt fabuloſè. nam quum *Tarquinii* una fuerit è XII principibus Tyrrhenorum Pelaſgorum urbibus, & quam poſterioribus etiam temporibus, Etruſcis jam occidentalem, ut dixi, Tyrrheniæ partem tenentibus, incoluerunt; quid opus erat Græcum hominem à Corintho fingere *Damaratum*; qui, mercaturam poſtquàm aliquamdiu per Etruriam exercuiſſet, tandem Tarquiniis conſederit: ductâque inibi uxore, filios duos ex eâ procreaverit, quibus Etruſca nomina impoſita *Lucumo* atque *Aruns*. quorum ille poſteà, quum Romam ſe contuliſſet, mutato nomine *L. Tarquinius Priſcus* dictus, regnum ibi neſcio quibus artibus conſequutus ſit: ut inter alios Dionyſius maximè lib. III & Livius lib. I referunt. Verùm enimverò Latinorum ſive Romanorum regibus, qui ab Euandro ad conſules usque fuêre, falſas adſcriptas eſſe origines, falſa item nomina, falſasque interdum res geſtas, nihil ſit mirum; quando, ut ſuprà oſtenſum, monimenta antiquiſſimorum illorum temporum poſteriores Romani habuerunt nulla: Græci autem, à quibus poſteà ſuas mutuati ſunt hiſtorias Romani, pro libitu ſuo, quæcumque vel per quietem ſomniaſſent, falſa pro veris non minùs audacter quàm impudenter prodiderint. unde haud injuriâ iſta ſexto demum libro perſcaipſit Livius: *Quæ ab conditâ urbe Româ ad captam eamdem urbem, Romani ſub regibus primùm, conſulibus deinde ac dictatoribus decemvirisque ac tribunis conſularibus geſſêre foris bella, domi ſeditiones, V libris expoſui: res cùm vetuſtate nimiâ obſcuras; velut quæ magno ex intervallo loci vix cernuntur; tùm, quòd perraræ per eadem tempora literæ fuêre; una cuſtodia fidelis memoriæ rerum geſtarum: & quòd, etiamſi quæ in commentariis pontificum aliisque publicis privatisque erant monumentis, incensâ urbe pleraque interiêre. Clariora deinceps certioraque ab ſecundâ origine, velut ab ſtirpibus lætiùs feraciusque renatæ urbis, geſta domi militiæque exponentur.* Atque hactenus de origine urbis *Romæ* deque variis eius incolis ſatis & abundè à nobis diſſertum eſt. Hoc autem lectorem heic monitum volo; me ubique vulgari Romanorum uti chronologiâ in citandis eorum rebus geſtis.

Iam verò ſitum eius, figuram, ambitum, & magnitudinem, tum ſingulas univerſæ parteis ſi enarrare adgrederer, alterum foret opus, haud exiguum. latè quidpe hæc apud auctores diſperſa ſunt: & à nemine hactenus ſatis diligenter conquiſita. De ambitu tamen & magnitudine pauca quædam adferam. De his ita legitur apud Plinium lib. III cap. V: *Vrbem tris portas habentum Romulus reliquit; aut, ut plurimis tradentibus credamus, quatuor. Mœnia eius collegêre ambitu, imperatoribus cenſoribusque Veſpaſianis, anno conditæ* IↃCCCXXVIII, *paſſuum* XIII *millia* CC. *Complexa monteis* VII, *ipſa dividitur in regiones* XIIII. *compita earum* CCLXV. *Eiusdem ſpacii menſurâ currente à milliario, in capite Romani fori ſtatuto, ad ſingulas portas (quæ ſunt hodiè numero* XXXVII; *ita, ut duodecim portæ ſemel numerentur; prætereanturque ex veteribus* VII, *quæ eſſe deſierunt) efficit paſſuum per directum* XXX *millia* IↃCCLXV. *ad extrema verò tectorum cum caſtris prætoriis, ab eodem milliario, per vicos omnium viarum menſura colligit paullo ampliùs* LXX *millia paſſuum. Quòd ſi quis altitudinem tectorum addat, dignam profectò æſtimationem concipiat: fateaturque, nullius urbis magnitudinem in toto Orbe potuiſſe ei comparari. Clauditur ab oriente adgere Tarquinii Superbi, inter prima opera mirabili. namque eum muris æquavit: quà maximè patebat, aditu plano. Caterò munita erat præcelſis muris aut abruptis montibus; niſi quòd exſpatiantia tecta multas addidêre urbeis.* In hac oratione nonnulla verba ac plerique numeri variis in exemplaribus mirum in modum variant. Examinantur maximè numeri & univerſa urbis dimenſio à doctiſſimo Lipſio de Magnitudine Romanâ lib. III cap. II: ac tandem in hunc

modum

modum quàm ſcitiſſimè corrigitur: *Mœnia eius collegère paſſuum* XXIII *millia*, CC. Et: *Eiusdem ſpacii menſurâ currente* [ego malim, *menſura currens*] *à milliario in capite Romani fori ſtatuto ad ſingulas portas, efficit paſſuum per directum* III *millia*, IↃCCLXV. *ad extrema verò tectorum cum caſtris prætoriis, ab eodem milliario, per vicos omnium viarum menſura colligit paullo ampliùs* VII *millia paſſuum*. Hanc omnium veriſſimum eſſe urbis ambitum atque magnitudinem, mox ex aliis videbimus auctoribus. Primùm igitur, quod *Romuli urbem* attinet; ut *plurimi tradentes*, teſte Plinio, *quatuor portarum* eam fecêre, ſic Dionyſius & Plutarchus ac Solinus Feſtusque *quadratam* fuiſſe teſtantur. Livius lib. I: *Ita ſolus potitus imperio Romulus. condita urbs conditoris nomine adpellata. Palatinum primùm montem, in quo ipſe erat educatus, muniit.* Dionyſius lib. I: Ῥωμύλου μὲν γνώμη ἦν τὸ Παλάντιον οἰκίζειν, τῶν τε ἄλλων ἕνεκα καὶ τῆς τύχης τοῦ τόπου, ἣ τὸ σωθῆναί τε αὐτοῖς καὶ τραφῆναι παρέσχε. * · * Ἦν δὲ Ῥωμύλῳ μὲν οἰωνιστήριον, ἔνθα ἠξίου τὴν ἀποικίαν ἱδρῦσαι, τὸ Παλάντιον· Ῥώμῳ δὲ προσεχὴς ἐκείνῳ λόφος. * — * · Ἐπεὶ δὲ πᾶν ὅσον ἦν ἐκ λογισμοῦ θεοῖς φίλον, ᾤετο πεπρᾶχθαι ὁ Ῥωμύλος, καλέσας ἅπαντας εἰς τὸν ἀποδειχθέντα τόπον, περιγράφει τετράγωνον σχῆμα τῷ λόφῳ. Id eſt: *Romulo viſum eſt munire Palantium; præter alias cauſas, ob loci fortunam, cuius beneficio illic & ſervati eſſent & educati.* Mox: *Romulus templum obſervandis alitibus optavit Palantium; Romus verò contiguum ei collem Aventinum.* Aliquanto poſt: *Satis deinde placata ratus numina Romulus; convocatis in deſtinatum locum omnibus, circumſcripſit collem figurâ quadratâ.* Plutarchus in Romulo: Ῥωμύλος μὲν οὖν τὴν καλουμένην Ῥώμην Κουαδράτην ἔκτισε, καὶ ἐκεῖνον ἐβούλετο πολίζειν τὸν τόπον. Ῥῶμος δὲ χωρίον τι τοῦ Ἀβεντίνου καρτερόν, ὃ δι' ἐκεῖνον μὲν ὠνομάσθη Ῥεμώνιον, νῦν δὲ Ῥιγνάριον καλεῖται. Id eſt: *Romulus itaque Romam Quadratam, ut vocant, condidit; atque eo in loco ſtatuere urbem voluit. at Romus Aventini munitiorem deſignavit partem: quæ ab eo dicta eſt Remonia; nunc verò Rignaria adpellatur.* Solinus cap. II: *Romam condidit Romulus. dictaque eſt primùm Roma Quadrata; quòd ad æquilibrium foret poſita.* Feſtus: *Quadrata Roma in Palatio ante templum Apollinis dicitur; ubi poſita ſunt, quæ ſolent boni ominis gratiâ in urbe condendâ adhiberi: quia ſaxo munitus eſt initio* [fortè, *is locus*] *in ſpeciem quadratam. Eius loci Ennius meminit, quum ait,*

Et quis exſtiterat Romæ regnare Quadratæ.

Ennius certè non de uno loco, ſed de univerſâ hæc intellexit urbe à Romulo conditâ. Hinc Agellius lib. XIII cap. XIIII: *Antiquiſſimum urbis pomœrium, quòd à Romulo inſtitutum eſt, Palatini montis radicibus terminabatur.* Verùm nullum heic fuiſſe *Romulum*, niſi qui IↃCCLX annis ante fictitium hunc Romanorum Romulum dux fuit Pelaſgorum nomine *Euander*; Romanæque urbis, quum hic *Latinos* ſuos ſive *Quirites*, pulſis inde Siculis, à *Curibus* eò transduceret, parteis jam tum habitatas fuiſſe, *Veliam*, *Saturnium* ſive *Tarpeium*, *Palatinum*, *Ianiculumque* monteis, poſtquàm ſuprà ſatis abundéque demonſtratum; hæc quoque falſi Romuli *Roma Quadrata* concidat oportet. Quia verò Euander eam urbis partem, in qua domicilium ſeu ſedem ſuam regiam poſuit, à priori in Reatino agro circa Velinum lacum ſede adpellavit *Palantium*; fabuloſi iſti ſcriptores commentitium ſuum Romulum hunc primum collem communiviſſe, inque opidi quadrati (credo, quia ædes regiæ Euandri eâ erant figurâ) formam redigiſſe, tradiderunt. Cæterùm Livius dicto lib. I, reges enumerans Latinorum, qui ab Aſcanio, Aeneæ filio, ad Romulum uſque Albæ ſedem habuerint; *Poſt Agrippam*, inquit, *Romulus Silvius, à patre accepto imperio, regnat. Aventino, fulmine ipſe ictus, regnum per manus tradidit. is ſepultus in eo colle, qui nunc eſt pars Romanæ urbis, cognomen colli fecit.* Fabuloſos videri omneis iſtos Albanos reges, ſuprà dictum. hinc igitur Servius ad Virgilianæ Aeneid. lib. VII: *Varro dicit de gente populi Romani; Sabinos, à Romulo ſuſceptos, accepiſſe montem, quem ab Avente fluvio provinciæ ſuæ adpellaverunt Aventinum.* Ergo jam tum, quum Euander Latinos ſive *Quiriteis* à *Curibus* Romam transferret, pars eorum *Aventinum* montem incolere cœpit; ut alia item pars *Quirinalem* collem; quod ſuprà intelleximus. Itaque de tam variis urbis amplificationibus quod tradunt auctores Romani, nihil eſt, quod tutò credere liceat. Cæternm Dionyſius dicto lib. I ita tradit de Fauno & Euandro Arcadibusque, qui cum Euandro in Italiam veniſſe feruntur: Οὗτος ὁ ἀνὴρ δεξάμενος κατὰ πολλὴν φιλότητα τοὺς Ἀρκάδας, ὀλίγους ὄντας, δίδωσιν αὐτοῖς τῆς αὐτοῦ χώρας ὁπόσην ἐβούλοντο. Οἱ δὲ Ἀρκάδες αἱροῦνται λόφον, ὀλίγον ἀπέχοντα τοῦ Τιβέριος, ὅς ἐστι νῦν ἐν μέσῳ μάλιστα τῆς Ῥωμαίων πόλεως· καὶ κατασκευάζονται

πρὸς

πρὸς αὐτῷ κώμην βραχεῖαν, δυσὶ ναυτικοῖς πληρώμασιν, ἐν οἷς ἀπανέστησαν τῆς Ἑλλάδος, ἀποχρῶσαν· ἣν ἔμελλε τὸ πεπρωμένον σὺν χρόνῳ θήσειν ὅσην οὔθ᾽ Ἑλλάδα πόλιν, οὔτε βάρβαρον, κατά γε οἰκήσεως μέγεθος καὶ κατὰ δυναστείας ἀξίωσιν, καὶ τὴν ἄλλην ἅπασαν εὐτυχίαν, χρόνου τε ὁπόσον ἂν ὁ θνητὸς ἀντέχῃ, πόλεων μάλιστα πασῶν μνημονευθησομένην. ὄνομα δὲ τῷ πολίσματι τούτῳ τίθενται Παλάντιον. Hoc eſt: *Is igitur vir paucos illos Arcades, comiter exceptos, donavit agrorum quantâ ipſi vellent portione. Elegerunt autem tumulum, non longè diſtantem à Tiberi: qui nunc fermè in meditullio Romanæ urbis ſitus eſt. apud eum conſtruxerunt parvum vicum, capacem hominum, quot duæ naves advexerant è Græciâ. cui erat in fatis, uti in tantam evaderet urbem, quanta alia nulla, vel Græca vel barbara; ſive amplitudo ſedium, ſive maieſtas imperii ſpectetur, ſive alia quævis fielicitas. cuius nomen, quo usque mortales duraverint, præ cunctis urbibus memorabitur. Huic opidulo nomen illi impoſuêre Palantium.* Et lib. III de templo loquens Iovis & Iunonis ac Minervæ, cuius fundamenta in Capitolino monte jecerat Tarquinius Superbus rex, à conſulibus verò abſolutum eſt: Ἄξιον δὲ καὶ τὰ περὶ τῆς κατασκευῆς αὐτοῦ γενόμενα διελθεῖν, ἃ παραδεδώκασιν ἅπαντες οἱ τὰς ἐπιχωρίους συναγαγόντες ἱστορίας. ἐπειδὴ γὰρ ἔμελλε κατασκευάζειν ὁ Ταρκύνιος τὸν νεὼν, συγκαλέσας τοὺς οἰωνομάντεις, ἐκέλευσε τοῖς ἀνδράσι περὶ αὐτοῦ πρῶτον διαμαντεύσασθαι τοῦ τόπου, τίς ἐπιτηδειότατός ἐστι τῆς πόλεως χῶρος ἱερὸς ἀνεῖσθαι. ἀποδειξάντων δ᾽ αὐτῶν τὸν ὑπερκείμενον τῆς ἀγορᾶς λόφον, ὃς τότε μὲν ἐκαλεῖτο Ταρπήϊος, νῦν δὲ Καπιτωλῖνος, αὖθις ἐκέλευσεν αὐτοὺς διαμαντευσαμένους εἰπεῖν, ἐν ὁποίῳ τοῦ λόφου χωρίῳ θέσθαι δεήσει τοὺς θεμελίους. τοῦτο δ᾽ οὐ πάνυ ῥᾴδιον ἦν· πολλοὶ γὰρ ἦσαν ἐν αὐτῷ βωμοὶ θεῶν τε καὶ δαιμόνων, ὀλίγον ἀπέχοντες ἀλλήλων, οὓς ἔδει μεταγαγεῖν ἑτέρωσέ ποι, καὶ πᾶν ἀποδοῦναι τῷ μέλλοντι τοῖς θεοῖς τεμένει γενήσεσθαι τὸ δάπεδον. ἔδοξε δὲ τοῖς οἰωνοπόλοις ὑπὲρ ἑκάστου βωμοῦ τῶν καθιδρυμένων διαμαντευσαμένοις, ἐὰν παραχωρῶσιν οἱ θεοὶ, τότε κινεῖν αὐτούς. Οἱ μὲν οὖν ἄλλοι θεοί τε καὶ δαίμονες ἐπέτρεψαν αὐτοῖς εἰς ἕτερα χωρία τοὺς βωμοὺς μεταφέρειν· οἱ δὲ τοῦ Τέρμονος καὶ τῆς Νεότητος πολλὰ παραιτουμένοις τοῖς μάντεσι καὶ λιπαροῦσιν οὐκ ἐπείσθησαν, οὐδ᾽ ἠνέσχοντο παραχωρῆσαι τῶν τόπων. Ἐκ δὲ τούτου συνέβαλον οἱ μάντεις ὅτι τῆς Ῥωμαίων πόλεως οὔτε τοὺς ὅρους μετακινήσει καιρὸς οὐθεὶς, οὔτε τὴν ἀκμὴν μεταβαλεῖ. Καὶ μέχρι τῶν κατ᾽ ἐμὲ χρόνων ἀληθές ἐστιν αὐτῶν ἑκάτερον, εἰκοστὴν ἤδη καὶ τετάρτην γενεάν. Hoc eſt: *Memoratu dignum eſt & illud, quod ante ædificationem accidit; quodque conſtanter ab omnibus Romanis ſcriptoribus proditur. Aedificaturus Tarquinius, convocatis auguribus, juſſit primùm deos conſuli de loco, quisnam fano ſtruendo eſſet aptiſſimus. quumque oſtendiſſent imminentem foro tumulum; qui tum Tarpeius, nunc Capitolinus vocatur; juſſit iterum conſultis auſpiciis reſpondere, qua tumuli parte deberet fundamenta jacere. id quidpe erat non admodùm facile: quòd multæ in eo eſſent deorum geniorumque aræ modico à ſe invicem disjunctæ intervallo: quas oportebat alio transmoveri; totamque aream ædificando diis fano tribui. Placuit anguribus de ſingulis aris ibi ſitis conſulere, &, ſi dii concederent tunc eas loco movere. Ibi cæteri dii & genii permiſerunt eis aras in alia loca transferre: at Terminus & Iuventus nullis, quamvis crebrò repetitis, augurum precibus & ſupplicationibus flecti potuerunt, uti ſuſtinerent locis ſuis cedere. Hinc conjiciebant vates, nec movendos umquàm urbis terminos, nec juvenilem vigorem ei defore. quorum neutrum usque ad hæc noſtra tempora, per ætates jam XXIIII, vanum fuit.* Libro verò IIII de rege Servio Tullio loquens: Τῇ τε πόλει προσέθηκε δύο λόφους, τόν τε Οὐϊμινάλιον καλούμενον καὶ τὸν Ἐσκυλῖνον, ὧν ἑκάτερος ἀξιολόγου πόλεως ἔχει μέγεθος· καὶ διένειμεν αὐτοὺς τοῖς ἀνεστίοις Ῥωμαίων οἰκίας κατασκευάσασθαι, ἔνθα καὶ αὐτὸς ἐποιήσατο τὴν οἴκησιν ἐν τῷ κρατίστῳ τοῦ Ἐσκυλίας τόπῳ. Οὗτος ὁ βασιλεὺς τελευταῖος ηὔξησε τὸν περίβολον τῆς πόλεως, τοὺς δύο τοῖς πέντε προσθεὶς λόφους. προσωτέρω δ᾽ οὐκ ἔτι προῆλθεν ἡ κατασκευὴ τῆς πόλεως, οὐκ ἐῶντος, ὥς φασι, τοῦ δαιμονίου· ἀλλ᾽ ἐστὶν ἅπαντα τὰ περὶ τὴν πόλιν οἰκούμενα χωρία, πολλὰ ὄντα καὶ μεγάλα, γυμνὰ καὶ ἀτείχιστα, καὶ ῥᾷστα πολεμίοις ἐλθοῦσιν ὑποχείρια γενέσθαι. Καὶ εἰ μὲν εἰς ταῦτά τις ὁρῶν, τὸ μέγεθος ἐξετάζειν βουλήσεται τῆς Ῥώμης, πλανᾶσθαί τε ἀναγκασθήσεται, καὶ οὐχ ἕξει βέβαιον σημεῖον οὐδὲν, ᾧ διαγνώσεται μέχρι ποῦ προβαίνουσα ἡ πόλις ἐστὶ, καὶ πόθεν ἄρχεται μηκέτι εἶναι πόλις· οὕτω συνύφανται τῷ ἄστει ἡ χώρα, καὶ εἰς ἄπειρον ἐκμηκυνομένης πόλεως ὑπόληψιν τοῖς θεωμένοις παρέχεται. εἰ δὲ τῷ τείχει τῷ δυσευρέτῳ μὲν ὄντι διὰ τὰς περιλαμβανούσας αὐτὸ πολλαχόθεν οἰκήσεις, ἴχνη δέ τινα φυλάττοντι κατὰ πολλοὺς τόπους τῆς ἀρχαίας κατασκευῆς, βουληθείη μετρεῖν αὐτὴν κατὰ τὸν Ἀθηναίων κύκλον τὸν περιέχοντα τὸ ἄστυ, οὐ πολλῷ τινι μείζων ὁ τῆς Ῥώμης φανείη κύκλος. Id eſt: *Vrbi duos colleis, Viminalem & Eſquilinum, adjecit; ſingulos juſtâ opidi magnitudine. atque ibi loca civibus lare carentibus ad ædificandum distribuit. ipſe quoque in Eſquiliis domicilium ſtatuit, loco regionis eius commodiſſimo. Hic regum poſtremus urbis pomœria protulit: duobus ad quinque colleis additis. ulteriùs poſteà non proceſſit urbis exædificatio; religionibus, ut aiunt,*

ut aiunt, prohibentibus. quæ circùm urbem habitantur loca, multa illa & magna, immunita ſunt, & hoſtium incurſibus valde obnoxia. in hæc oculis converſis, ſi quis magnitudinem Romæ exquirere velit; longè fallatur neceſſe eſt: nec certò dignoſcere poterit, quò usque urbs ſeſe extendat; & ubi urbs eſſe deſinat. ita regio omnis urbi perpetuò nexu cohæret, in infinitam longitudinem porrectæ urbis exiſtimationem ſpectantibus præbens. Quòd ſi quis mœnibus, inventu quidem difficilibus, propter undique conjunctas ædeis, veſtigia tamen veteris ſtructuræ multis in locis ſervantibus, metiri ambitum eius voluerit, & conferre cum eo, quo Athenienſis urbs continetur; non multum capacior adparebit Romæ ambitus. Et lib. VIIII, anno, ſecundùm vulgatam Romanorum opinionem, ab urbe conditâ CCXCI, P. Servilio Priſco & L. Aebutio Helvâ conſulibus: Ἦν δὲ ὁ περίβολος τῆς πόλεως ἐν τῷ τότε χρόνῳ, ὅσος Ἀθηναίων τοῦ ἄστεος ὁ κύκλος. καὶ τὰ μὲν ἐπὶ λόφοις κείμενα καὶ πέτραις ἀποτόμοις ὑπ' αὐτῆς ὠχυρωμένα τῆς φύσεως καὶ ὀλίγης δεόμενα φυλακῆς, τὰ δὲ ὑπὸ Τιβέρεως τετειχισμένα ποταμοῦ. ἓν δὲ χωρίον, ὃ τῆς πόλεως ἐπιμαχώτατόν ἐστιν ἀπὸ τῶν Ἐσκυλίνων καλουμένων πυλῶν μέχρι τῶν Κολλίνων, χειροποιήτως ἐστὶν ὀχυρόν. τάφρος τε γὰρ ὀρώρυκται πρὸ αὐτοῦ, πλάτος ἡ βραχυτάτη μείζων ἑκατὸν ποδῶν, καὶ βάθος ἐστὶν αὐτῆς τριακοντάπουν. τεῖχος δὲ ὑπερανέστηκε τῆς τάφρου χώματι συνεχόμενον ἔνδοθεν ὑψηλῷ καὶ πλατεῖ· οἷον μήτε κριοῖς κατασεισθῆναι, μήτε ὑπορυττομένων τῶν θεμελίων ἀνατραπῆναι. τοῦτο τὸ χωρίον ἑπτὰ μέν ἐστι μάλιστα ἐπὶ μῆκος σταδίων, πεντήκοντα δὲ ποδῶν ἐπὶ πλάτος. Hoc eſt: *Erat tunc urbis ambitus non maior, quàm Athenarum. & pars eius, in collibus abruptisque ſita rupibus, ab ipsâ naturâ ſic munita erat, uti exiguo egeret præſidio: pars à Tiberi flumine non ſecus ac muro defendebatur. quà verò maximè hoſtium incurſionibus urbs eſt obnoxia, ab Eſquilinâ portâ Collinam usque, opere manu facto munita eſt. nam foſsâ præcingitur, cuius latitudo minima centum & amplius pedum eſt: altitudo* XXX. *& ſupra foſſam exſurgit murus alto & lato intus ſuffultus adgere; nec arietibus concuti nec cuniculis ſuffodi facilis. ea munitio* VII *fermè ſtadia longa eſt; lata* L *pedes.* De Athenarum magnitudine ita tradit Ariſtides in Oratione Panathenaicâ: Τὰ δ' αὖ τοῦ μεγέθους καὶ τῆς ἄλλης κατασκευῆς τίς οὐκ ἂν ἄξια τῆς ὅλης τύχης εἴποι καὶ τοῦ μεγάλου τῶν Ἀθηναίων ὀνόματος; τοῦτο μὲν αὐτὸν τὸν κύκλον τοῦ ἄστεος, μέγιστον μὲν τῶν Ἑλληνικῶν, κάλλιστον δὲ τῶν πανταχοῦ. καὶ σιωπῶ τείχη, καθήκοντα ποτε ἐπὶ θάλατταν ἡμερησίας ὁδοῦ μῆκος τὰ σύμπαντα. Id eſt: *Iam verò magnitudo urbis & reliquus adparatus fortunæ Athenienſium reſpondet: ſive ipſum urbis ambitum, qui omnium Græcarum maximus eſt atque pulcherrimus, conſideres; ſive mœnia, ad mare quondam usque pertinentia, & itineris diurni longitudinem complexa.* At diei iter haud uno modo auctoribus accipitur. Plutarchus igitur in Niciâ ita ſcribit: Ὀλίγῳ χρόνῳ περιετείχισε Συρακούσας, πόλιν Ἀθηνῶν οὐκ ἐλάττονα. Id eſt: *Exiguo tempore Syracuſas circumvallavit, urbem, Athenis haud minorem.* De Syracuſis ſic Strabo lib. VI: Πεντάπολις γὰρ ἦν τὸ παλαιόν, ἑκατὸν καὶ ὀγδοήκοντα σταδίων ἔχουσα τὸ τεῖχος. Hoc eſt: *Olim quinque conſtabat urbibus, muro contenta* CLXXX *ſtadia longo.* Tot ſtadia millia conficiunt XXII & paſſus IↃ. Sic ergo Thucydides quoque lib. II ambitum Athenarum facit ſtadiorum ampliùs CLXXVIII, hoc modo: τοῦ Φαληρικοῦ τείχους στάδιοι ἦσαν πέντε καὶ τριάκοντα, πρὸς τὸν κύκλον τοῦ ἄστεος· καὶ αὐτοῦ τοῦ κύκλου τὸ φυλασσόμενον τρεῖς καὶ τεσσαράκοντα· ἔστι δὲ αὐτοῦ ὃ καὶ ἀφύλακτον ἦν, τὸ μεταξὺ τοῦ τε Μακροῦ καὶ Φαληρικοῦ. τὰ δὲ Μακρὰ τείχη πρὸς τὸν Πειραιᾶ, τεσσαράκοντα σταδίων· ὧν τὸ ἔξωθεν ἐτηρεῖτο. καὶ τοῦ Πειραιέως ξὺν Μουνυχίᾳ, ἑξήκοντα μὲν σταδίων ὁ ἅπας περίβολος. Hoc eſt: *Phalericus murus erat ſtadiorum* XXXV, *ad ambitum usque urbis. ipſius ambitus pars, quæ cuſtodiebatur,* XLIII. *nam pars eius media longum murum inter & Phalericum, ſine cuſtodiâ erat. Longi verò muri ad Piræa usque ſtadia continebant* XL: *quorum exteriora cuſtodiebantur. Piræëi cum Munychiâ univerſus ambitus erat* LX *ſtadiorum.* Stadia hæc omni numero ſunt, ut dixi, CLXXVIII; id eſt, millia XXII & paſſus CCL. Quot autem fuerit ſtadiorum pars illa media inter Longum murum & Phalericum, ignoratur. Dio Chryſoſtomus univerſæ Athenarum urbis ambitum facit CC ſtadiorum; id eſt, millium paſſuum XXV. Verba eius in Oratione de Tyrannide hæc ſunt: Καί τοι διακοσίων σταδίων εἶναι τὴν περίμετρον τῶν Ἀθηνῶν τοῦ Πειραιέως συντιθεμένου, καὶ τῶν διὰ μέσου τειχῶν πρὸς τὸν περίβολον τοῦ ἄστεος. Id eſt: *Quamquàm ducentûm ſit ſtadiorum ambitus Athenarum; ſi Piræa unà complectaris & quod muri medium eſt inter eum & urbis ambitum.* Olympiodorus apud Photium: Τὸ τεῖχος Ῥώμης μετρηθὲν παρὰ Ἄμωνος τοῦ γεωμέτρου, καθ' ὃν καιρὸν Γότθοι τὴν προτέραν κατ' αὐτῆς καταδρομὴν ἐποιήσαντο, εἴκοσι καὶ ἑνὸς μιλίου διάστημα ἔχον ἀπεδείχθη. Id eſt: *Romanæ urbis mœnia, menſurata ab Amone geometrâ, quo tempore Gothi primam invaſionem fecêre, comprehendebant* XXI *milliaria.* Ex his igitur ſatis clarè patet, non

ſcripſiſſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

ſcripſiſſe Plinium loco prædicto, *paſſuum* XIII *millia ducentos*; ſed, *paſſuum* XXIII *millia ducentos*; ſcilicet *paſſus*. Huius igitur ambitus diameter dimidiata, id eſt, *ſpacium à milliario in capite fori Romani ſtatuto ad ſingulas portas, efficiebat paſſuum per directum tria millia & paſſus* ↃↃCCLXV. *Ad extrema verò tectorum*, id eſt, ædificiorum, *ab eodem milliario per vicos omnium viarum*, id eſt, per ſingula ſuburbia, quæ viis publicis, *Oſtienſi*, *Appiæ*, *Latinæ*, *Labicanæ*, *Prænestinæ*, *Tiburtinæ*, *Nomentanæ*, *Salariæ*, *Flaminiæ*, *Claudiæ*, *Triumphali*, *Aureliæ*, *Portuenſi*, circumjecta erant, *menſura colligebat paullo ampliùs ſeptem millia paßuum*. Huius menſuræ ambitus efficiet ad paſſuum millia XLV. Sed jam antiquitus *Ianiculum* extra urbem Romam habitum fuiſſe, ex Dionyſio maximè diſco. Lib. III, de L. Tarquinio Priſco; qui à Tarquiniis Romam migraſſe, regnumque ibi conſequutus dicitur: Ὡς δὲ εἰς τὸ καλούμενον Ἰανίκλον ἦσαν, ὅθεν ἡ Ῥώμη τοῖς ἀπὸ Τυῤῥηνίας ἐρχομένοις πρῶτον ἀφορᾶται. Id eſt: *Vt ad Ianiculum pervenerunt, unde Roma ex Etruriâ adventantibus primùm conſpicitur*. Lib. V, ubi Porſenâ Cluſinorum rex, ad Romam obſidendam exercitum ducit: Ἔπειτα τὸ καλούμενον Ἰανίκλον ὄχθον (ἔστι δὲ τοῦτο τὸ ὄρος ὑψηλὸν ἀγχοῦ τῆς Ῥώμης, πέραν τοῦ Τιβέριος ποταμοῦ κείμενον) ὀχυρωτέραις ἐκρατύναντο κατασκευαῖς τε καὶ φυλακαῖς, περὶ παντὸς ποιούμενοι, μὴ γενέσθαι τοῖς πολεμίοις ἐπίκαιρον χωρίον ἐπιτείχισμα κατὰ τῆς πόλεως. Hoc eſt: *Deinde Ianiculum, qui excelſus mons eſt, non procul ab urbe trans Tiberim ſitus, firmioribus munitionibus & præſidiis emunierunt; modis omnibus dantes operam, ne tam opportunus ad urbis oppugnationem locus in hoſtium poteſtatem veniret*. Lib. VIIII, de Veientibus loquens: Χώραν δὲ ἐπῆλθον ἄχρι Τιβέρεώς τε ποταμοῦ καὶ ὄρους Ἰανίκλου, στάδια τῆς Ῥώμης οὐδ᾽ εἴκοσιν ἀφεστηκότος. Id eſt: *Depopulando agrum excurrerunt usque Tiberim & montem Ianiculum, ſtadia ab urbe Româ minùs* XX *diſtantem*. Et eodem libro poſteà, de Etruſcis: Τῇ δὲ ἑξῆς ἡμέρᾳ τὰς δυνάμεις ἄγοντες ἐπὶ τὴν Ῥώμην, καὶ σταδίους ἀμφὶ τοὺς ἑκκαίδεκα ἀποσχόντες, ὄρος, ἐξ οὗ συνοπτός ἐστιν ἡ Ῥώμη, τὸ καλούμενον Ἰανίκλον, καταλαμβάνονται. Hoc eſt: *Sequenti die versùs Romam ducentes exercitum, ad* XVI *ab urbe ſtadia, montem Ianiculum, è quo conſpici Roma poteſt, occupant*. Hinc etiam eodem libro, ut ſuprà citatum, Romam ait ab unâ parte Tiberi amne muniri ac defendi. & dicto lib. III anteà, Ὁ δὲ Τίβερις ποταμὸς, inquit, καταβαίνει μὲν ἐκ τῶν Ἀπεννίνων ὀρῶν, παρ᾽ αὐτὴν δὲ τὴν Ῥώμην ῥεῖ. Id eſt: *Tiberis amnis ex Apennino delatus monte præter ipſam Romam defluit*. In eamdem ſententiam & M. Varro de Lingvâ Latinâ lib. IIII, *Tiberis*, inquit, *amnis, qui ambit Martium campum & urbem*. Sed & *Septicollis* quum eſſet urbs, *Ianiculus* in horum collium non fuit numero: ſed omnes illi cis Tiberim fuêre in Latio. unde iſtud Martialis lib. IIII epigr. LXIIII:

Iulî jugera pauca Martialis
Hortis Heſperidum beatiora
Longo Ianiculi jugo recumbunt.
Hinc ſeptem dominos videre monteis,
Et totam licet æſtimare Romam.

Et Virgilius Aeneid. lib. VI Anchiſen introducit, ita Aeneæ apud inferos de poſteris eius prædicentem:

Quin & avo comitem ſeſe Mavortius addet
Romulus.
En, huius, nate, auſpiciis illa inclyta Roma
Imperium terris, animos æquabit Olympo;
Septemque una ſibi muro circumdabit arceis.

Attamen Dionyſius Περιηγητής, quem ſub Auguſto vixiſſe, teſtatur commentator eius Euſtathius & item, ni fallit me opinio, Plinius lib. VI cap. XXVII; diſertè alteram urbis partem ab dextrâ cenſet Tiberis ripâ, in his verbis:

Θύμβρις, ὅς ἱμερτὴν ἀποτέμνεται ἄνδιχα Ῥώμην.
Thymbris; qui amabilem ſecat duas in parteis Romam.

Et ipſe Dionyſius ſuprà ſcripto lib. I, ubi de Euandro & Arcadibus narrat, ita ſcribit de Palatino monte: Αἱροῦνται λόφον, ὀλίγον ἀπέχοντα τοῦ Τιβέριος, ὅς ἐστι νῦν ἐν μέσῳ μάλιστα τῆς Ῥωμαίων πόλεως. Id eſt: *Deligunt collem haud procul ab Tiberi diſſitum, qui nunc in meditullio fermè eſt Romanæ urbis*. Certè, niſi Transtiberinam quoque regionem urbi includat; nullo pacto Palatinus mons in eius erit medio; ſed potiùs in extremitate. in qua potiùs, quàm in mediâ urbe, *milliarium aureum*, ſeu, ut mox oſtendam, *columnam auream*, quæ fuit in *foro Romano* inter Palatinum & Capito-

linum monteis Tiberimque amnem, voluiſſe ſtatuere Auguſtum, ad quam omnes viæ Italiæ militares terminarentur, minimè credibile eſt. Sed fuiſſe Tranſtiberinam regionem unam ex XIIII, in quas univerſa Roma diviſa fuit, auctore ſuprà ſcripto Plinio, & item Inſcriptione antiquâ. teſtis eſt inter alios diſertiſſimus P. Victor, in libello, quem de *Regionibus urbis* Romæ conſcripſit. Videtur autem Auguſtus Cæſar hanc urbis diviſionem primus inſtituiſſe. Fl. Vopiſcus in Aureliano: *Muros urbis Romæ dilatavit. nec tamen pomœrio addidit eo tempore; ſed poſteà. Pomœrium autem nemini principum licet addere, niſi ei, qui agri Barbarici aliquâ parte Romanam rempublicam locupletaverit. Addidit autem Auguſtus; addidit Troianus; addidit Nero.* Addidêre & alii. Agellius lib. XIII cap. XIIII: *Pomœrium quid eſſet augures populi Romani, qui libros de auſpiciis ſcripſerunt, iſtiusmodi ſententiâ definierunt: Pomœrium eſt locus intra agrum effatum, per totius urbis circuitum, ponè muros regionibus certis determinatus, qui facit finem urbani auſpicii. Antiquiſſimum autem pomœrium, quod à Romulo inſtitutum eſt, Palatini montis radicibus terminabatur. Sed id pomœrium pro incrementis reipublicæ aliquotiens prolatum eſt, & multos editosque colleis circumplexum eſt. Habebat autem jus proferendi pomœrii, qui populum Romanum agro de hoſtibus capto auxerat. Propterea quæſitum eſt, ac nunc etiam in quæſtione eſt, quam ob cauſam ex VII Vrbis montibus, quum cæteri VI inter pomœrium ſint, Aventinus ſolus, quæ pars non longinqua nec infrequens eſt, extra pomœrium ſit: neque id Ser. Tullius rex, neque Sulla, qui proferendi pomœrii titulum quæſivit, neque poſteà divus Iulius, quum pomœrium proferret, intra effatos Vrbis fineis incluſerint.* Mox: *Sed de Aventino monte prætermittendum non putavi, quod non pridem ego in Elidis, grammatici veteris, commentario offendi. in quo ſcriptum erat: Aventinum anteà, ſicuti diximus, extra pomœrium excluſum, pòſt auctore divo Claudio receptum, & intra pomœrii fineis obſervatum.* De Claudio idem teſtatur Tacitus: at de *C. Iulio Cæſare* abnuit. Verba eius ſunt de Claudio Annal. lib. XII iſta: *Et pomœrium Vrbis auxit Cæſar, more priſco; quo iis, qui protulêre imperium, etiam terminos Vrbis propagare datur. Nec tamen duces Romani, quamquàm magnis nationibus ſubactis, uſurpaverant; niſi L. Sylla & divus Auguſtus. regum in eo ambitio vel gloria variè vulgata. Sed initium condendi, & quod pomœrium Romulus poſuerit, noſcere, haud abſurdum reor. Igitur à foro boario (ubi æreum tauri ſimulacrum adſpicimus; quia id genus animalium aratro ſubditur) ſulcus deſignandi opidi cœptus; ut magnam Herculis aram amplecterectur. inde certis ſpaciis interjecti lapides, per ima montis Palatini, ad aram Corſi, mox ad Curias veteres, tum ad ſacellum Larium. forumque Romanum & Capitolium non à Romulo, ſed à T. Tatio additum urbi credidêre. Mox pro fortunâ pomœrium auctum. Et, quos tum Claudius terminos poſuerit, facile cognitu, & publicis actis perſcriptum.* De C. Iulio Cæſare ita Dio lib. XLIII: τό τε πωμήριον ἐπὶ πλεῖον ἐπεξήγαγε ὁ Καῖσαρ. καὶ ἐν τούτῳ ὅμοια τῷ Σύλλᾳ πρᾶξαι ἔδοξεν. Id eſt: *Pomœrium quoque ampliavit Cæſar. Atque in hoc Syllam imitari videbatur.* Et de Auguſto lib. LV: τά τε τοῦ πωμηρίου ὅρια ἐπηύξησε ὁ Αὔγουστος. Id eſt: *Pomerii etiam fineis Auguſtus protulit.* Verùm quousque id regum & imperatorum quisque protulerit, incertum eſt. Cæterùm de ſuprà dicto Aureliano imperatore ita Eutropius lib. VIIII: *Vrbem Romam muris firmioribus cinxit.* Et Paul. Diaconus Hiſtoriæ miſcellæ lib. X, item compilator eius in Epitomâ de Cæſaribus, quæ vulgò Sex. Aurelio Victori adſcribitur, ſic tradunt: de eodem Aureliano: *Hic muris validioribus & laxioribus urbem ſepſit.* Præfatus Vopiſcus: *Muros urbis Romæ ſic ampliavit; ut L propè millia murorum eius ambitus teneant.* Ergo igitur *extremis* illis Plinii *tectis* ſive *omnium viarum vicis*, id eſt, *à milliario in capite fori Romani ſtatuto, ad ſeptem paullò ampliùs millio paſſuum*, muros novos circumduxit. Quamquàm ego etiamnum dubito, an iſta Plinianorum exemplarium *paullo ampliùs ſeptuaginta millia paſſuum* ſatis feliciter ac rectè à Lipſio correcta ſint in *paullo ampliùs ſeptem millia*. ait quidpe poſteà Plinius; *Cæterò munita erat præcelſis muris aut abruptis montibus: niſi, quòd exſpectancia tecta multos addidêre urbeis.* Heic ſanè *exſpaciantia tecta* eadem vocat extra muros, quæ anteà extra urbis ambitum, quem XXIII fecit millia, ponit. Ac ſanè ad ſeptimum lapidem nullæ fuêre Plinii ævo urbes. & ipſe Lipſius inter *multas* iſtas *urbeis* vult fuiſſe *Tibur*, *Ocriculum*, *Ariciam*, *Oſtiam*. Quapropter neſcio, an Plinius ſcripſerit, *paullo ampliùs ſeptemdecim millia paſſuum*. nam intra XVII lapidem erat, viâ Oſtienſi, ipſa *Oſtia*; viâ Appiâ, *Bovillæ*, *Aricia*; viâ Latinâ, in diverticulo ſiniſtrorſum, *Tuſculum*; viâ Præneſtinâ,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

neſtinâ, *Gabii*, viâ Nomentanâ, *Nomentum*; viâ Salariâ, *Fidenæ*, *Cruſtumeria*, *Eretum*; propter viam Flaminiam ſiniſtrorſum, *Veii*. Atque hoc ipſum fuerit, quod Dionyſius ſuprà citato lib. IIII ait de ædificiis extra prædictum XXIII millium ambitum ſitis; Καὶ εἰ μὲν εἰς ταῦτά τις ὁρῶν, τὸ μέγεθος ἐξετάζειν βουλήσεται τῆς Ῥώμης, πλανᾶσθαί τε ἀναγκασθήσεται, καὶ οὐχ ἕξει βέβαιον σημεῖον οὐδὲν, ᾧ διαγνώσεται, μέχρι ποῦ προβαίνουσα ἡ πόλις ἐστὶ, καὶ πόθεν ἄρχεται μηκέτι εἶναι πόλις. Id eſt: *Si quis, ea intuens, magnitudinem Romæ exquirere velit; longè fallatur neceſſe eſt: nec certò dignoſcere poterit, quò uſque urbs ſeſe extendat; & ubi urbs eſſe deſinat.* Certè in Ianiculo monte conſtitutus; unde commodiſſimus optimusque circa omnem urbem proſpectus; non tantùm præſcripta opida, ſed & ulterius ſita, *Præneſte*, *Tibur*, & his etiam longiùs diſſita in Sabino agro proſpexeris. Hinc Ariſtides quoque in Oratione, qua laudes Romæ celebrat, ita tradit: Τίς γὰρ ἂν τοσάσδε ὀρῶν κορυφὰς κατειλημμένας, ἢ πεδίων νομοὺς ἐκτετειχισμένους, ἢ γῆν τοσήνδε εἰς μιᾶς πόλεως ὄνομα συνηγμένην, εἶτα ἀκριβῶς καταθεάσαιτο ἀπὸ ποίας τοιαύτης σκοπιᾶς; * · Τοῦτο ἄρα καὶ ἤδη ἡ πόλις καλύπτει μὲν ἄκρους τεώνας, καλύπτει δὲ τὴν ἐν μέσῳ γῆν, καταβαίνει καὶ μέχρι θαλάττης· οὗ τὸ κοινὸν ἀνθρώπων ἐμπόριον, καὶ ἡ κοινὴ τῶν ἐν γῇ φυομένων διοίκησις. * · Καὶ μὲν δὴ οὐδ᾽ ἐπιπολῆς γε κέχυται· ἀλλ᾽ ἀτεχνῶς πολὺ ὑπὲρ τὸ παράδειγμα ἐπὶ πλεῖστον ἄνω ἥκει τοῦ ἀέρος. * · Καὶ ὥσπερ τις ἀνὴρ πολὺ νικῶν τοὺς ἄλλους μεγέθει τε καὶ ῥώμῃ, οὐκ ἀγαπᾷ μὴ καὶ ἄλλους ὑπὲρ αὐτὸν ἐξηρτημένος φέρειν· ὡς δὲ καὶ ἥδε ἐπὶ τοσαύτης γῆς ᾠκισμένη, οὐκ ἀγαπᾷ, ἀλλ᾽ ἑτέρας πόλεις ἰσομετρήτους ὑπὲρ αὐτὴν ἐξηρτημένη φέρειν ἄλλας ἐπ᾽ ἄλλαις· ὥσπερ ἄρα ἐπώνυμον αὐτῇ τοὔνομα, καὶ οὐδὲν ἄλλο ἢ ῥώμη τὰ τῆδε. Hoc eſt: *Quis enim vel tot juga montium occupata camposque coædificatos, vel tantum terræ in unius urbis nomen coactum, ex ullâ ſpeculâ contemplari poſſit?* Mox: *Similiter & urbs hæc tum ſumma juga tum mediam tegit terram, & ad mare uſque deſcendit. ubi publicum eſt emporium, & communis rerum è terrâ naſcentium miniſtratio.* Statim: *Nec verò ſuperficiem tantum occupat: ſed longè, ſupra exemplum, quàm altiſſimè in aërem adſcendit. &, ſicuti vir aliquis, qui cæteris magnitudine ac robore multum ſuperat, alios quoque, in ſe ſublatos, ferre gaudet: ſic & hæc, quum tantum terræ ſpacium occupet; non tamen quieſcit, antequàm alias etiam æqualeis urbeis, ſibi impoſitas alteram ſuper alteram, ferat. quod eius nominis fert ratio: quum totum, quod heic videmus;* ῥώμη, id eſt, *robur ſit.* Hinc Svetonius in Nerone, cap. XVI: *Deſtinàrat etiam Oſtiâ tenus mœnia Vrbis promovere: atque inde foſſâ mare veteri urbi inducere.* Verùm licèt cuncta iſta opida & loca circa Romam ipſis urbis extremis tectis conjuncta atque innexa eſſent; tamen certa ad unumquodque numerabantur ab urbe millia paſſuum; eaque ab dicto *milliario in capite Romani fori ſtatuto*; quod quia ex eo eſſet metallo, *Aureum* adpellabatur *milliarium*. Svetonius in Othone cap. VI: *Deſtinatâ die, præmonitis conſciis, ut ſe in Foro ſub ædo Saturni ad Milliarium aureum opperirentur, manè Galbam ſalutavit.* Tacitus Hiſtoriar. lib. I: *Otho per Tiberianam domum in Velabrum, inde ad Milliarium aureum ſub ædem Saturni pergit.* P. Victor, in deſcriptione regionis VIII quæ Forum Romanum dicebatur: *Aedes Opis & Saturni, in vico Iugario. Milliarium aureum.* Plutarchus in Galbâ: Καὶ διὰ τῆς Τιβερίου καλουμένης οἰκίας καταβὰς ἐβάδιζεν εἰς ἀγορὰν, οὗ χρυσοῦς εἱστήκει κίων, εἰς ὃν αἱ τετμημέναι τῆς Ἰταλίας ὁδοὶ πᾶσαι τελευτῶσιν. Id eſt: *Per Tiberianam domum deſcendit in Forum, ubi aurea columna eſt poſita, in quam viæ militares Italiæ omnes deſinunt.* Auctorem eius columnæ milliariæ Dio lib. LIIII narrat Auguſtum Cæſarem. Τότε δὲ, inquit, ὁ Αὔγουστος προστάτης τῶν περὶ τὴν Ῥώμην ὁδῶν αἱρεθεὶς, καὶ τὸ Χρυσοῦν μίλιον κεκλημένον ἔστησε, καὶ ὁδοποιοὺς αὐταῖς ἐκ τῶν ἐστρατηγηκότων, ῥαβδούχοις δύο χρωμένους, προσέταξε. Id eſt: *Tunc Auguſtus viarum, quæ ſunt circa Romam, curator conſtitutus, Milliarium aureum, quod vocant, ſtatuit; quique viis muniendis præeſſent, prætorios viros, qui binis lictoribus uterentur, deſignavit.* Sic igitur Plinius dicto lib. III cap. V, *Latium*, inquit, *ubi Tiberina oſtia, & Roma, terrarum caput*, XVI *millium paſſuum intervallo à mari.* Et ſub ipſo Auguſto ſcribens Dionyſius, initio ſtatim libri: Ἡ τῶν Ῥωμαίων πόλις ἀπέχει τῆς Τυῤῥηνικῆς θαλάσσης ἑκατὸν εἴκοσι σταδίους. Id eſt: *Vrbs Roma abeſt à Tuſco mari ſtadia* CXX. Hoc eſt, millia paſſuum XV. Hodiéque ſanè XV haud ampliùs deprehenduntur eſſe millia ab urbis Romæ medio ad Tiberina oſtia. Sed plerique auctores, quos ſequenti capite citabo, XVI computarunt millia cum Plinio. De cætero ad *Ariciam* quoque, viâ Appiâ itineraria Romana, ut infrà videbimus, XVI habent millia paſſuum; quæ hodiè non niſi in medium urbis Romæ conveniunt. Sic eodem reſpondent C ſtadia Dionyſii, quæ lib. X ab Vrbe ad *Tuſculum* numerat; id eſt, millia XII, paſſus IO.

ſic idem Dionyſius lib. IIII *Gabios* Præneſtinâ viâ totidem ſtadia ab Vrbe diſtare dixit: Appianus verò Civil. bellor. lib. V, medio itinere id opidum ait eſſe Romam inter & *Præneſte*: Strabo etiam lib. V æquis utrimque intervallis C circiter ſtadia adſcribit: pro quibus Tabula itineraria ab Vrbe ad *Gabios* XII millia, hinc verò unà cum Antonino XI ad Præneſte usque habet. at hodiè vix XXII millia effeceris inter Præneſte & medium urbis Romæ. Sic item, quum nunc ex medio Vrbis ad *Tibur* usque XVIII haud ampliùs dignoſci poſſint juſta millia, Antoninus eo intervallo poſuit XX millia; & Tabula itineraria ab Vrbe ad *Albulas aquas*, quæ IIII fermè millia à Tibure abſunt, XVI refert millia. Sic eiusdem Tabulæ auctor ex Vrbis medio viâ Nomentanâ ad *Nomentum*, & item viâ Salariâ ad *Eretum*, XIIII numeravit millia. Et ut hodiè, ſic jam olim ab Vrbe ad Fidenas viâ Salariâ numerabantur V millia; ad Anienem verò fluvium millia III; quod ſuprà lib. II cap. VIIII in Sabinis oſtenſum. Sic item viâ Flaminiâ ad *Rubra Saxa* jam olim VIIII tantùm numerata ſunt millia; & ad vicinum opidum Veios, quod nunc eſt *Scrofano*, XII millia; ut ſuprà lib. II cap. II docui. denique Tabula itineraria II habet millia ab Vrbe ad *Milvium pontem*; qui hodiè vulgò dicitur *Ponte Molle*, duobus exiguis admodùm ab Vrbe diſtans. Verùm tamen haud diſſimulaverim hoc loco, iſta milliaria, quæ viâ Flaminiâ & Salariâ traduntur magis ad hodiernos urbis muros usque reſpondere, quàm in mediam urbem. proinde etiam, ubi antiquiores auctores, qui res à regibus Romanorum contra Fidenates, tùm Gallorum & Hannibalis contra Romanos geſtas narrant, III tantùm millia ab Vrbe ad Anienem referunt, poſteriores ævi ſcriptores IIII milliaria eo ſpacio pronunciarunt; ut dicto lib. II cap. VIIII oſtenſum eſt. Vnde ſanè ſupicio haud levis naſcitur, non in Forum usque Romanum, ſed ad muros tantùm Vrbis terminata fuiſſe Italiæ itinera antequàm milliarium aureum Auguſtus ſtatuerit. Muros autem intelligo, non ampliſſimos illos, quorum ambitum Dionyſius vult jam ſub rege Ser. Tullio Athenarum magnitudinem, id eſt, millia paſſuum circiter XXIII impleviſſe: ſed antiquiſſimi cuiusdam pomerii; cuius circuitus haud maior fuiſſe videtur, quàm quo nunc cingitur Romana urbs: quo & ipſo VII colles, qui in antiquâ urbe auctoribus narrantur, includuntur. quidpe & *Milvius pons* extra urbem cenſetur auctoribus, & *Almo fluvius*; qui ipſa propemodùm mœnia nunc abluit. Ovidius Faſtor. lib. IIII:

Eſt locus, in Tiberim quà lubricus influit Almo
Et nomen magno perdit in amne minor.
Illic purpureâ canus cum veſte ſacerdos
Almonis Dominam ſacraque lavit aquis.

Paullo pòſt:

Ipſa ſedens plauſtro portâ eſt invecta Capenâ.

Martialis lib. III epigram. XLII:

Capena grandi porta quà pluit guttâ;
Phrygiæque Matris Almo quà lavat ferrum.

Statius Silvar. lib. V, carm. I:

Eſt locus ante Vrbem, quà primùm naſcitur ingens
Appia; quáque Italo gemitus Almone Cybele
Ponit.

Tacitus Annal. lib. XIII: *Pons Milvius in eo tempore celebris nocturnis illecebris erat, ventitabatque illuc Nero; quò ſolutiùs Vrbem extra laſciviret.* Hiſtoriar. lib. II: *Ipſe Vitellius, à ponte Milvio, inſigni equo, paludatus adcinctusque, ſenatum ante ſe agens, quò minùs ut captam Vrbem ingrederetur, amicorum conſilio deterritus.* Hiſtoriar. lib. III: *Tentavit tamen Antonius vocatas ad concionem legiones mitigare; ut, caſtris juxta pontem Milvium poſitis, poſterâ die urbem ingrederentur.* Huc adde, quòd non niſi in hodiernum urbis ambitum convenit illud VII ſtadiorum, id eſt, mille fermè paſſuum ſpacium, quod Dionyſius dicto lib. VIIII ponit inter *Collinam Eſquilinamque portas*; quæ hodiè ſunt vulgò *Salaria & Divi Laurentii*. Et, ne mendum Dionyſii exemplaribus ineſſe ſuſpiceris; en ita ſcriptum eſt de eâdem re apud Strabonem lib. V: Ἤλεγξε δὲ Σερούϊος τὴν ἔκλειψιν. ἀνεπλήρωσε γὰρ προσθεὶς τόν τε Ἐσκυλῖνον λόφον καὶ Οὐιμινάλιον. καὶ ταῦτα δ' εὐέφοδα τοῖς ἔξωθέν ἐστι. διόπερ τάφρον βαθεῖαν ὀρύξαντες, εἰς τὸ ἐντὸς ἐδέξαντο

ἐδέξαντο τὴν γῆν, καὶ ἐξέτειναν ὅσον ἑξαστάδιον χῶμα ἐπὶ τῇ ἐντὸς ὀφρύι τῆς τάφρου, καὶ ἐπέβαλον τεῖχος καὶ πύργους ἀπὸ τῆς Κολλίνας πύλης μέχρι τῆς Ἐσκυλίνας. Hoc eſt: *Defectum hunc Servius animadvertit, atque implevit; adjectis Eſquilino & Viminali collibus. quæ loca quum facilè extrinſecus capi poſſent; foſsâ altâ egeſtâ, terram intro receperunt; adgereque* VI *circiter ſtadiorum interiore foſſæ margine facto, muros & turreis in eo ſtatuerunt à Collinâ portâ usque ad Eſquilinam.* Neſcio igitur, an hic quoque ambitus & hi muri intelligendi ſint in Lege II tituli de Verborum ſignificatione; ubi ſic ſcriptum: *Vrbis adpellatio muris, Romæ autem continentibus ædificiis finitur: quod latiùs patet.* Id eſt; omnia illa quidem *continentia ædificia*, ſeu *latè exſpaciantia tecta*, ſub *Romæ* adpellatione comprehendebantur; ita, ut ſi quis in his eſſet, Romæ eſſe diceretur. at *Vrbis* adpellatione id tantùm intelligebatur, quod *muris* clauſum erat. Sed de magnitudine urbis Romæ, de ambitu, & variis amplificationibus, ſatis hactenus diſſertum. Ipſa quia in VII ſita erat collibus; horum adpellatione frequenter poëtis indicatur. Plutarchus in Quæſtionibus Romanis: Τὸ δὲ Σεπτιμούντιον ἄγουσιν ἐπὶ τῷ τὸν ἕβδομον λόφον τῇ πόλει προσκατανεμηθῆναι, καὶ τὴν Ῥώμην ἑπτάλοφον γενέσθαι. Id eſt: *Septimontium feriæ inſtitutæ ſunt propter adjectum ſeptimum Romæ collem: quod facta eſt Septicollis.* Virgilium & Martialem ſuprà audiximus. Statius Silvar. lib. I carm. II:

Quis ſeptemgeminæ poſuiſſet mœnia Romæ.

Eodem libro carm. V:

Vos mihi, quæ Latium ſeptenaque culmina nymphæ
Incolitis.

Silvar. lib. II carm. IIII:

——— *Dum per juga ſeptem*
Errat, Aventinæque legit veſtigia terræ.

Eodem libro carm. VIII:

Non tu flumina nec greges ferarum
Nec plectro Geticas movebis ornos:
Sed ſeptem juga Martiumque Tybrim
Et doctos equites, & eloquente
Cantu purpureum trahes ſenatum.

Silvar. lib. IIII carm. III:

Gaudens Euboicæ domum Sibyllæ
Gauranosque ſinus & æſtuanteis
Septem montibus admovere Baias.

Eodem libro carm. V:

Quis non in omni vertice Romuli
Reptaſſe dulcem Septimium patet?

Huc ſanè quadrabit expoſitio Servii, quam adſcripſit Virgilii verbis, quæ hic Aeneid. lib. VI: Anchiſen fingit Aeneæ filio apud inferos dixiſſe de poſteris eius hoc modo:

Quin & avo comitem ſeſe Mavortius addet
Romulus.
En, huius, nate, auſpiciis illa inclyta Roma
Imperium terris, animos æquabit Olympo;
Septemque una ſibi muro circumdabit arceis.

Ad quæ ita Servius: *Benè urbem Romam dicit* VII *incluſiſſe monteis: & medium tenuit. nam grandis eſt inde dubitatio. & alii dicunt, breveis* VII *colliculos à Romulo incluſos: qui tamen aliis nominibus adpellabantur. alii volunt, hos ipſos, qui nunc ſunt, à Romulo incluſos: id eſt, Palatinum, Quirinalem, Aventinum, Cœlium, Viminalem, Eſquilinum, & Ianicularem. alii verò volunt, hos quidem fuiſſe; aliis tamen nominibus adpellatos. Capitolinum* heic à ſeptenario montium numero excluſum, miror. Verùm ita ſanè eſt, ut ſæpiùs jam antè dixi: numquàm convenit inter ipſos Romanos ſuper aliquâ antiquitatum ſuarum vel minimâ parte. An verò iſthæc ſententia non directò ſpectat ad verum noſtrum *Romulum*. id eſt, *Euandrum?* quem jam inde ab initio cum Latinis ſive Quiritibus ſuis omneis iſtos VII colleis, ejectis inde Siculis, occupaſſe, ſuprà oſtendi. Apud Pompeium Feſtum ita ſcriptum eſt: *Septimontio, ut ait Antiſtius Labeo, hisce montibus feriæ: Palatio; cui ſacrificium quod fit, Palatuar dicitur: Veliæ; cui item ſacrificium: Fagutali, Suburæ Cermalo, Oppio, Cœlio monti, Ciſpio monti. Oppius autem*

autem adpellatus eſt, ut ait Varro Rer. humanar. lib. VIII *ab Opitâ Oppio Tuſculano; qui, cum præſidio Tuſculanorum miſſus ad Romam tuendam, dum Tullus Hoſtilius Veios oppugnaret, conſederat in Carinis, & ibi caſtra habuerat. ſimiliter Ciſpius, à Lævo Ciſpio Anagnino; qui eiusdem rei causâ eam partem Eſquiliarum, quæ jacet ad vicum Patricium, tuitus eſt.* Montes, qui in ſeptenario illo numero cenſebantur, ut ex ſuprà relatis variorum auctorum verbis patuit, fuêre iſti: *Palatinus, Capitolinus, Quirinalis, Viminalis, Eſquilinus, Cælius, & Aventinus.* Verba igitur Feſti uti rectâ intelligantur, Varronis audiantur verba, quæ Lingvæ Latinæ lib. IIII perſcripſit huiusmodi: *Sunt & nomina ab tot montibus, quot poſteà urbs muris comprehendit. è queis Capitolium & Aventinus. Reliqua urbis olim discreta. è queis prima eſt ſcripta regio Suburana; ſecunda, Eſquilina; tertia, Collina; quarta, Palatina. In Suburanæ regionis parte princeps eſt Cælius mons, à Cælio Vibennio Tuſco, qui cum ſuâ manu dicitur Romulo veniſſe auxilio contra Sabinum regem. cum Cælio conjunctæ Carinæ. Secunda regio Eſquilinæ ab Eſquiliis. Eſquiliæ duo montes habiti: quòd pars Ciſpius mons ſuo antiquo nomine etiam nunc in ſacris adpellatur. In ſacris Argeorum ſcriptum eſt ſic: Oppius mons princeps lucum Eſquilinum, lucum Fagutalem ſiniſtrâ, quæ ſub mærum eſt. Oppius mons biceps ſimplex. Oppius mons tricepſos lucum Eſquilinum, dexterior via in tabernolâ eſt. Oppius mons quadricepſos lucum Eſquilinum, via dexterior in figlinis. Septimius mons quinticepſos lucum Pœtilium. Eſquilinus ſexticepſos. Ciſpius mons ſepticepſos. Tertiæ regionis colles ab* V *deorum fanis adpellati. è queis nobiles duo colles; Viminalis, Quirinalis. quòd vocabulum conjunctarum regionum nomina obliteravit. dictos enim colleis plureis, adparet ex Argeorum ſacrificiis; in quibus ſic ſcriptum eſt: Collis Salutaris quarticepſos, ædem Quirino. collis Salutaris quarticepſos; adversùm eſt Pila Naris; ædem Salutis. collis Mutialis quinticepſos, apud ædem Dii Fidii. collis Latiaris ſexticepſos, in vico Muſtellario. Quartæ regionis Palatium. huic Germalum & Velias conjunxerunt.* Igitur *Oppius* & *Ciſpius* colles partes tantùm fuêre Eſquilini montis; ut Quirinalis montis parres fuêre, *Salutaris* & *Mutialis* ac *Latiares, colles.* Atque hactenus de urbe *Româ* hoc in opere diſſeruiſſe ſufficiebat; niſi præcipuæ eius quoque indicandæ forent *portæ*, ex quibus *viæ militares* ſive *conſulares* in varias Italiæ parteis ferebant. his quidpe cognitis, commodiùs poſthinc faciliúsque reliquorum Latii opidorum ſitus inveſtigare poterimus. Verùm nomine heic tantùm ac ſitus portarum nudè indicabimus. auctorum teſtimoniis ea pòſt ad calcem huius operis adſeremus; ubi peculiaris nobis de viis Italiæ erit diſſertatio. Ad *Oſtiam* igitur opidum, apud Tiberina oſtia, lævo amne, ſita, ferebat *via Oſtienſis*, ex *portâ Trigeminâ*; quæ nunc *divi Pauli* cognominatur. *Appia via* initium ducebat *à portâ Capenâ*; quæ nunc eſt *Divi Sebaſtiani.* In hanc viam uti apud Caſilinum, Companiæ opidum, incidebat *via Latina*, ita ab eâdem initium ſumebat apud ipſam mox portam Capenam. Inde *Labicanam* emittebat *porta Eſquilina*; quæ nunc cognominatur *Divi Laurentii.* eâdem & *Præneſtina via* exibat. Hinc *Tiburtina via* initium ferebat à *portâ Viminali*; quæ nunc eſt *Divæ Agnetis.* Proxima inde *Collina porta*, vulgò nunc *Salaria* dicta emittebat *viam Salariam.* Vltima inde ab lævâ Tiberis ripâ erat porta *Flumentana*; à qua *via Flaminia* ducebat ad *pontem Milvium*: versùs quem nunc exitur *portâ Populi.* Ab alterâ amnis ripâ viæ maximè celebres erant duæ; *Aurelia & Portuenſis.* illa ab eâ portâ initium ducebat, quæ nunc *Divi Pancratii* cognominatur: hæc ab eâ, quæ etiamnunc vulgò dicitur *Porta Portueſe.* Medio ſæculo portæ utræque communia nomina cum ipſis viis habuêre. antiquiore ævo quæ eis fuerint adpellationes, parum conſtat.

PORTÆ præcipuæ urbis Romæ.

Abſolutâ hactenus ipſius urbis Romæ deſcriptione, antequàm ad reliqua Priſci Latii opida pergam, pauca quædam dicenda erunt loca, ſub ipſis fermè urbis mœnibus quondam ſita.

CAMPVS MARTIVS.

Ac primùm quidem MARTIVS CAMPVS ſemper extra urbem habitus eſt. Livius lib. II: *Ager Tarquiniorum, qui inter urbem & Tiberim fuit, conſecratus Marti, Martius deinde campus fuit.* Et lib. XXI Hannibal ita ad milites ſuos: *Itineris finem ſperent campum interjacentem Tiberi ac mœnibus Romanis.* Dionyſius lib. V: Καὶ τὴν αὐτῶν γῆν, ὅσην ἐκέκτηντο, τοῖς μηδένα κλῆρον ἔχουσι διένειμαν, ἓν μόνον ἐξελόμενοι πεδίον, ὃ κεῖται μεταξὺ τῆς τε πόλεως καὶ τοῦ ποταμοῦ. τοῦτο δὲ Ἄρεως ἐξ ἀρχῆς ἱερὸν ἐψηφίσαντο, ἵπποις τε λειμῶνα, καὶ νέοις ἀσκοῦσι τὰς ἐνοπλίους μελέτας γυμνάσιον ἐπιτηδειότατον. Id eſt: *Atque agrum, quem illi poſſede-*

poſſederant, diviſerunt civibus agro carentibus; excepto uno tantùm campo, qui ſitus eſt inter urbem & amnem. hunc Marti ſacrum eſſe voluerunt; aptiſſimum & equis pratum & juventuti in armis exercendæ gymnaſium. Et lib. VII: Συνῄει δὲ τὸ πλῆθος εἰς τὸ πρὸ τῆς πόλεως Ἄρειον πεδίον. Id eſt: *Conveniebat multitudo ante urbem in campum Martium.* De eodem loquitur lib. VIII: Οἱ δ' ὕπατοι προελθόντες ἔξω τῆς πόλεως ἐν τῷ παρακειμένῳ πεδίῳ, τοὺς στρατηγικοὺς δίφρους ἔθηκαν ἐνταῦθα, καὶ τὸν στρατιωτικὸν ἐποίουν κατάλογον. Hoc eſt: *Conſules ex urbe in adjacentem campum egreſſi, poſitis ibi ſellis imperatoriis, delectum militum habebant.* Et lib. XI: Κατεστρατοπέδευσαν ἔξω τῆς πόλεως κατὰ τὸ καλούμενον Ἄρειον πεδίον. Id eſt: *Caſtra poſuerunt extra urbem in campo Martio.* De ſuâ tempeſtate loquens M. Varro, lib. IIII de Lingvâ Latinâ, *Tiberis amnis*, inquit, *qui ambit Martium campum & urbem.* Cicero ad Atticum lib. XIII epiſt. XX: *De urbe augendâ quid ſit promulgatum, non intellexi. id ſanè ſcire velim.* Et epiſt. XXXIII: *Sed caſu ſermo à Capitone de urbe augendâ. à ponte Milvio Tiberim duci ſecundùm monteis Vaticanos. campum Martium coædificari. illum autem campum Vaticanum fieri quaſi Martium campum.* Quidquid tunc inædificatum fuerit, nomen tamen antiquum campus retinuit, & poſt hæc etiam extra urbem cenſitus eſt. Strabo lib. V; ubi de variis urbis ornamentis diſſerit: τούτων δὲ τὰ πλεῖστα ὁ Μάρτιος ἔχει κάμπος, πρὸς τῇ φύσει προσλαβὼν καὶ τὸν ἐκ τῆς προνοίας κόσμον. καὶ γὰρ τὸ μέγεθος τοῦ πεδίου θαυμαστὸν ἅμα, καὶ τὰς ἁρματοδρομίας, καὶ τὴν ἄλλην ἱππασίαν, ἀκώλυτον παρέχον τῷ τοσούτῳ πλήθει, τῇ σφαίρᾳ καὶ κρίκῳ καὶ παλαίστρᾳ γυμναζομένων· καὶ τὰ περικείμενα ἔργα, καὶ τὸ ἔδαφος ποάζον δι' ἔτους, καὶ τῶν λόφων στεφάναι, αἱ ὑπὲρ τοῦ ποταμοῦ, μέχρι τοῦ ῥείθρου, σκηνογραφικὴν ὄψιν ἐπιδεικνύμεναι, δυσαπάλλακτον παρέχουσι τὴν θέαν· πλησίον δ' ἐστὶ τοῦ πεδίου τούτου καὶ ἄλλο πεδίον, καὶ στοαὶ κύκλῳ παμπληθεῖς, καὶ ἄλση, καὶ θέατρα τρία, καὶ ἀμφιθέατρον, καὶ ναοὶ πολυτελεῖς καὶ συνεχεῖς ἀλλήλοις· ὡς πάρεργον ἂν δόξαιεν ἀποφαίνειν τὴν ἄλλην πόλιν· Διόπερ ἱεροπρεπέστατον νομίσαντες τὸν τόπον τοῦτον, καὶ τὰ τῶν ἐπιφανεστάτων μνήματα ἐνταῦθα κατεσκεύασαν ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν· ἀξιολογώτατον δὲ τὸ Μαυσώλειον καλούμενον, ἐπὶ κρηπῖδος ὑψηλῆς λευκολίθου πρὸς τῷ ποταμῷ χῶμα, ἄχρι κορυφῆς τοῖς ἀειθαλέσι τῶν δένδρων συνηρεφές. ἐπ' ἄκρῳ μὲν οὖν εἰκών ἐστι χαλκῆ τοῦ Σεβαστοῦ Καίσαρος· ὑπὸ δὲ τῷ χώματι θῆκαί εἰσιν αὐτοῦ, καὶ τῶν συγγενῶν καὶ οἰκείων. ὄπισθεν δὲ μέγα ἄλσος, περιπάτους θαυμαστοὺς ἔχον· ἐν μέσῳ δὲ τῷ πεδίῳ ὁ τῆς καύστρας αὐτοῦ περίβολος, καὶ οὗτος λίθου λευκοῦ, κύκλῳ μὲν περικείμενον ἔχων σιδηροῦν περίφραγμα, ἐντὸς δ' αἰγείροις κατάφυτον. Πάλιν δ' εἴ τις εἰς τὴν ἀγορὰν παρελθὼν τὴν ἀρχαίαν, ἄλλην ἐξ ἄλλης ἴδοι παραβεβλημένην ταύτῃ, καὶ βασιλικὰς στοὰς καὶ ναούς, ἴδοι δὲ καὶ τὸ Καπιτώλιον, καὶ τὰ ἐνταῦθα ἔργα, καὶ τὰ ἐν τῷ Παλατίῳ καὶ τῷ τῆς Λιβίης περιπάτῳ, ῥᾳδίως ἐκλάθοιτ' ἂν τῶν ἔξωθεν. Hoc eſt: *Horum pleraque habet Martius campus; cùm naturâ tùm hominum prudentiâ ornatus. nam & magnitudo eius miranda eſt; & curruum equorumque decurſionibus liberè patet; tantæque multitudini pilâ & circo ac palæſtrâ ſeſe exercentium. tum opera circumjecta, ſolumque toto anno herbâ virens, tumulorumque coronæ ſupra amnem, usque ad alveum eius, ſcenæ quamdam oſtentant ſpeciem: à cuius ſpectaculo difficulter quis avellatur. prope hunc campum alius eſt campus, porticusque circumcircà permultæ; tum luci, tria theatra, amphitheatrum, templa magnifica, alterum alteri ſubinde contiguum. quarum rerum reſpectu reliquà urbs quaſi additamentum quoddam videri poſſit. Itaque Romani hunc locum maximè ſacrum ac venerabilem rati, illuſtriſſimorum virorum monimenta ibi collocarunt ac matronarum. quorum omnium præclariſſimum eſt Mauſoléum; agger ad amnem ſupra ſublimem albi lapidis fornicem congeſtus, & ad verticem usque ſemper virentibus arboribus coopertus. in faſtigio ſtatua eſt Auguſti Cæſaris. ſub aggere loculi eius & cognatorum familiariumque. à tergo locus magnus, ambulationes habens admirabileis. in medio antem campo eſt buſti eius ambitus ex albo lapide, in orbem einctus ferreâ ſæpe; intus populis conſitus. At rurſus ſi quis, in forum progreſſus antiquum, baſilicas, porticus templaque contueatur, una alteris idemtidem conjuncta; tum Capitolium videat, & opera, quæ ſunt ibi & in Palatio inque Liviæ ambulacro; is facilè eorum, quæ ſunt extra urbem, obliviſcatur.* Ergo ea pars hodiernæ urbis, quæ eſt inter Pincium montem ac Tiberim, ubi hodiéque Mauſoléum Auguſti viſitur, item ipſe mons Pincius, extra urbem olim fuerunt. Non autem hoc tantùm ſpacio, quod nunc intra muros inter dictum montem Pincium & Tiberim protenditur, *Martius campus* finiebatur; ſed etiam totus reliquus campus, qui Tiberis lævâ ripâ & adjacentibus collibus ad pontem usque Milvium & ſacellum S. Iuliani, apud ripam amnis in crepidine ſitum, includitur, ſub eâdem comprehendebatur adpellatione. hinc enim eſt, quòd Strabo ait *magnitudinem* eius fuiſſe *mirandam*. hinc item *geminum*

eum facit. quia medio ſpacio in anguſtas quaſi fauceis arctatur Tiberi & collibus objacentibus. hinc item eſt, quòd Cicero ait, à *ponte Milvio Tiberim duci ſecundùm monteis Vaticanos, campumque Martium illic coædificari*. Eumdem & TIBERINVM CAMPVM, dictum fuiſſe, teſtis eſt Agellius lib. VI cap. VII: ubi de C. Tarratiâ, quæ aliis dicebatur Fufetia, ita ſcribit: *Quòd campum Tiberinum ſive Martium populo Romano condonaſſet.*

CAMPVS VATICANVS.

At CAMPVS VATICANVS ex ſuprà ſcriptâ Ciceronis deſcriptione is eſt, qui, Campo Martio oppoſitus, inter pontem Milvium & Ianiculum montem, dextrâ Tiberis ripâ & objacentibus collibus includitur.

VATICANVS mons; *& item* ager.

Ipſi verò colles VATICANI appellabantur, teſte eodem Cicerone, MONTES. Singulari quoque numero dictus eſt VATICANVS MONS, ſive COLLIS. Feſtus: *Vaticanus collis adpellatus eſt, quòd eo potitus ſit populus Romanus, vatum reſponſo expulſis Etruſcis.* Quum ipſe quoque circa hos colles *ager* dictus ſit VATICANVS, paullo aliam adpellationis rationem adfert Agellius lib. XVI cap. XVII. *Et agrum*, inquit, *Vaticanum, & eiusdem agri deum præſidem, adpellatum acceperamus, à vaticiniis, quæ vi atque inſtinctu eius dei in eo agro fieri ſolita eſſent. Sed, præter hanc cauſam, M. Varro in libris Divinarum aliam eſſe tradit iſtius nominis rationem. nam ſicut Aius*, inquit, *deus adpellatus, araque ei ſtatuta eſt, quæ eſt infimâ novâ viâ: ita Vaticanus deus nominatus, penes quem eſſent vocis humanæ initia. quoniam pueri, ſimul atque parti ſunt, eam primam vocem edunt, quæ prima in Vaticano ſyllaba eſt. idcircóque vagire dicitur, exprimente verbo ſonum vocis recentis.* Meminêre *Vaticani agri* Livius quoque ac Plinius. Livius lib. X: *Alii duo exercitus haud procul Vrbe Etruriæ oppoſiti; unus in Faliſco, alter in Vaticano agro.* Plinius lib. III cap. V; ita de Tiberi loquens: *Non procul Tiferno Peruſiâque & Ocriculo Etruriam ab Vmbris ac Sabinis, mox citra XIII millia paſſuum Vrbis Veientem agrum à Cruſtumino, dein Fidenatem Latinumque à Vaticano dirimit.* Ergo ad V millia paſſuum ab Româ & Ianiculo monte in ſeptemtriones verſùs juxta dextram amnis ripam porrigebatur *Vaticanus ager*. namque Fidenæ, ut ſuprà lib. II cap. VIIII oſtenſum, V millia, Cruſtumium verò VI millia ab Vrbe abſuêre. Idem Plinius lib. XVIII cap. III: *Aranti quatuor ſuo jugera in Vaticano, quæ* PRATA QVINTIA *adpellantur, Cincinnato viator attulit dictaturam: & quidem, ut traditur, nudo pleno que pulveris etiamnum ore.* Feſtus: *Quintia prata dicta ſunt à Quintio Cincinnato, quòd ſibi, damnato filio, venditis omnibus, quatuor jugerum agrum trans Tiberim paraverat.* Livius lib. III, in conſulatu L. Minucii Augurini & C. Nautii Rutili II, anno Vrbis CCXCVI, ante natum Ieſum CCCCLVII: *Spes unica imperii populi Romani L. Quintius trans Tiberim contra eum ipſum locum, ubi nunc Navalia ſunt, quatuor jugerum colebat agrum, quæ Prata Quintia vocantur.* Quoſdam video hæc *Prata Quintia* interpretari eum campum, qui ultra pontem Milvium ſitus eſt ex adverſo confluentis Anienis in Tiberim. verùm, quænam heic circa Anienis confluentem eſſe potuerint *Navalia* illa, nondum ego diſpicio: ſuſpicorque, propiùs Vrbem fuiſſe eum locum. Livius hoc pôſt paullo addit: *Navis Quintio publicè parata fuit. transvectumque tres obviam egreſſi filii excipiunt.* En, *transvexit* tantum *navis*, non devexit flumine Quintium. ergo apud ipſam Vrbem fuêre hæc *Prata Quintia*; haud dubiè, ut quorumdam doctorum virorum eſt ſententia, in ipſo *campo Vaticano*, inter vineam Medicéam, quæ vulgò dicitur *La Vigna di Madama*, & molem Hadriani ſive caſtellum S. Angeli; ad flexum Tiberis, qui eſt inter portam Populi & ipſum caſtellum: qui campus hodiéque vulgò vocatur *I Prati*. & in adverſâ ripâ NAVALIA illa Livii, apud campum Martium, ſub Mauſoléo Auguſti, hodiéque frequentantur navibus, quæ ſupernè flumen deſcendunt ad Vrbem, vulgari vocabulo *La Ripetta*; quemadmodùm inferiori urbis parte in dextrâ amnis ripâ navale navium ex mari ſubeuntium dicitur *La Ripa*.

PRATA QVINTIA.

NAVALIA *in campo Martio.*

PRATA MVCIA.

Cæterùm fuêre etiam PRATA MVCIA trans Tiberim, contra Vrbem itidem ſita; quæ memorantur Dionyſio, Livio, auctori de Viris illuſtribus, & Feſto. quorum hic ita: *Mucia prata, trans Tiberim; dicta à Mucio; cui à populo data fuerant, pro eo, quod Porſenam, Etruſcorum regem, ſuâ conſtantiâ ab Vrbe dimovit.* Auctor libri de Illuſtribus viris, in C. Mucio Scævulâ: *Mucio prata trans Tiberim data, ab eo Mucia adpellata.* Dionyſius lib. V: Βασιλεὺς δὲ τῶν Κλουσίνων ὁ Παρσίνας, ἄγων τὴν στρατιὰν, τὸ μὲν Ἰάνικλον ἐξ ἐφόδου καταλαμβάνεται, καταπληξάμενος τοὺς φυλάττοντας αὐτὸν, καὶ φρουρὰν

Τυρ-

Τυῤῥηνῶν ἐν αὐτῷ καθίστησιν. Id eſt: *Porſena Cluſinorum rex cum exercitu adveniens, Ianiculum primo impetu capit, exterritis loci præſidiariis; ſuumque ibi præſidium collocat.* Et deinde, ubi pugnam narravit, apud Tiberim ſub Ianiculo pugnatam. Μετὰ τὴν μάχην ἐκείνην, ὁ μὲν Τυῤῥηνῶν βασιλεὺς ἐν τῷ πλησίον ὄρει καταστρατοπεδευσάμενος, ὅθεν τὴν Ῥωμαίων φρουρὰν ἐξέβαλεν, τῆς ἐπέκεινα τοῦ Τιβέριος ποταμοῦ χώρας ἁπάσης ἐκράτει. Id eſt: *Poſt id prœlium rex Etruſcorum in proximo monte, unde præſidium Romanum ejecerat, caſtris poſitis, in poteſtate habebat, quidquid agri erat ultra Tiberim.* Tandem finito bello: Μουκίῳ δὲ τῷ προελομένῳ περὶ τῆς πατρίδος ἀποθανεῖν, αἰτιωτάτῳ δόξαντι γεγονέναι τῆς καταλύσεως τοῦ πολέμου, ἐψηφίσατο ἡ τῶν Ῥωμαίων βουλὴ, χαρίσασθαι χώραν ἐκ τῆς δημοσίας πέραν τοῦ Τιβέριος ποταμοῦ, ὅσην ἂν ἀρότρῳ περιλαβεῖν ἐν ἡμέρᾳ μιᾷ δυνηθῇ. οὗτος ὁ χῶρος ἕως τῶν καθ' ἡμᾶς χρόνων Μούκιοι λειμῶνες καλοῦνται. Hoc eſt: *Mucio autem, qui paratus fuerat pro patriâ mortem oppetere, quòd viſus eſſet fuiſſe finiendi belli cauſa præcipua, donarunt ex publico agrum trans Tiberim, quantum poſſet circumarare uno die. is meâ quoque ætate vocatur Prata Mucia.* Livius lib. II: *Porſena primo conatu repulſus, conſiliis ab oppugnandâ Vrbe ad obſidendam verſus, præſidio in Ianiculo locato, ipſe in plano ripisque Tiberis caſtra poſuit; navibus undique adcitis; & ad cuſtodiam, ne quid Romam frumenti ſubvehi ſineret; &, ut prædatum milites trans flumen per occaſiones aliis atque aliis locis trajicerent. brevique adeò infeſtum omnem Romanum agrum reddidit, ut non cætera ſolùm ex agris, ſed pecus quoque omne in urbem compelleretur.* Ergo caſtra habuit Porſena inter Ianiculum montem & Tiberim; in ego campo, qui poſteà, unà cum proximâ Ianiculi parte, univerſæ urbis regio XIIII, cognomine *Tranſtiberina*, factus: milites infra urbem trajecerunt flumen. unde illud Dionyſii eodem loco: Ἐκ δὲ τοῦ Πωμεντίνου πεδίου Λάρκιός τε καὶ Ἑρμίνιος, οἱ διαπεμφθέντες ἐπὶ τὴν κομιδὴν τοῦ σίτου πρέσβεις, πολλὰς γεμίσαντες σκάφας παντοίας τροφῆς, ἀπὸ θαλάττης ἀνὰ τὸν ποταμὸν, ἐν νυκτὶ ἀσελήνῳ λαθόντες τοὺς πολεμίους, διεκόμισαν. Id eſt: *Ex Pometino campo Largius & Herminius, frumentatum miſſi, multas ſcaphas, vario commeatu oneratas, è mari per fluvium noctu, ſilente Lunâ, clam hoſtibus ſubvexerunt.* Pergit deinceps Livius: *Obſidio erat nihilo minùs. & frumenti cum ſummâ caritate inopia; ſedendoque expugnaturum ſe urbem, ſpem Porſena habebat; quum C. Mucius, adoleſcens nobilis, cui indignum videbatur, populum Romanum ſervientem. quum ſub regibus eſſet nullo bello, nec ab hoſtibus ullis obſeſſum eſſe, liberum eumdem populum ab iiſdem Etruſcis obſideri, quorum ſæpe exercitus fuderit; itaque magno audacique aliquo facinore eam indignitatem vindicandam ratus; primò ſuâ ſponte penetrare in hoſtium caſtra conſtituit; dein metuens, ne, ſi conſulum injuſſu & ignaris omnibus iret, fortè deprehenſus à cuſtodibus Romanis retraheretur ut transfuga; fortunâ tum urbis crimen adfirmante; ſenatum adiit. Tranſire Tiberim, inquit, patres, & intrare, ſi poſſim, caſtra hoſtium volo; non prædo, nec populationum invicem ultor. maius, ſi dii juvant, in animo eſt facinus. Adprobant patres. Abdito intra veſtem ferro proficiſcitur. Vbi eò venit; in confertiſſimâ turbâ prope regium tribunal conſtitit. ibi quum ſtipendium fortè militibus daretur; & ſcriba, cum rege ſedens, pari ferè ornatu, multa ageret, eumque milites vulgò adirent; timens ſciſcitari, uter Porſena eſſet; ne, ignorando regem, ſemet ipſe aperiret, quis eſſet; quo temerè traxit fortuna facinus, ſcribam pro rege obtruncat. Vadentem inde, quà per trepidam turbam cruento mucrone ſibi ipſe fecerat viam, quum, concurſu ad clamorem facto, comprehenſum regii ſatellites retraxiſſent ante tribunal regis; non deſtitutus tum quoque inter tantas fortunæ minas, metuendus magis quàm metuens; Romanus ſum, inquit: cives C. Mucium vocant. hoſtis hoſtem occidere volui. nec ad mortem minus animi eſt, quàm ad cædem fuit. & facere & pati fortia Romanum eſt. nec unus in te ego hos animos geſſi. longus poſt me ordo eſt idem petentium decus. proinde in hoc diſcrimen, ſi juvat, adcingere, ut in ſingulas horas capite dimices tuo; ferrum hoſtemque in veſtibulo habeas regiæ. Hoc tibi juventus Romana indicimus bellum. nullam aciem, nullum prœlium timueris. uni tibi, & cum ſingulis res erit. Quum rex, ſimul irâ infenſus periculoque conterritus, circumdari igneis minitabundus juberet, niſi expromeret properè, quas inſidiarum ſibi minas per ambages jaceret; En tibi, inquit, ut ſentias, quàm vile corpus ſit iis, qui magnam gloriam petunt: dextramque accenſo ad ſacrificium foculo injicit. quam quum velut alienato ab ſenſu torreret animo; propè attonitus miraculo rex, quum, ab ſede ſuâ proſiluiſſet, amoverique ab altaribus juvenem juſſiſſet; Tu verò abi, inquit; in te magis, quàm in me hoſtilia auſus. juberem macte virtute eſſe, ſi pro meâ patriâ iſta virtus ſtaret. nunc jure belli liberum te intactum inviolatumque hinc dimitto. Tum Mucius;*

quaſi

quaſi remunerans meritum; Quandoquidem, inquit, eſt apud te virtuti honos; ut beneficio tuleris à me, quod minis nequiviſti; trecenti conjuravimus principes juventutis Romanæ, ut in te hac graſſaremur. mea prima ſors fuit. cæteri, ut cuique ceciderit, primo, quoad te opportunum fortuna dederit, ſuo quisque tempore aderunt. Mucium dimiſſum (cui poſteà Scævola à clade dextræ manus cognomen inditum) legati à Porſenâ Romam ſequuti ſunt. Mox: *His condicionibus compoſitâ pace, exercitum ab Ianiculo deduxit Porſena, & agro Romano exceſſiſſet. Patres C. Mucio, virtutis causâ, trans Tiberim agrum dono dedêre, quæ poſteà ſunt Mucia prata adpellata.* Haud dubiè is ipſe locus, in quo caſtra & tribunal ſuum habuerat Porſena rex, Mucio dono datus eſt. unde minimè errare videntur, qui hæc *Mucia prata* in Transtiberinâ regione apud inferiora urbis navalia, quem locum nunc vulgò *La Ripa* vocari dixi, collocant, circa divi Franciſci templum. Apud Plinium lib. II cap. XCVI ita legitur in vulgatis exemplaribus: *In agro Arpano frumentum ſatum non naſcitur. Ad aras Martias in Veiente, & apud Tuſculanum, & in ſilvâ Ciminiâ, loca ſunt, in quibus in terram depacta non extrahantur.* At heic pleraque exemplaria habent, *Ad aras Mutias.* quod falſò quidam trahunt ad *prata Mucia*, & in iis *aram* ſive *altaria*, in quibus Mucium dextram aduſſiſſe tradunt Livius & auctor de Viris illuſtribus, præſcriptis locis; & item Valerius Maximus lib. III cap. III. Quid ipſe ſcripſerit Plinius, planè incertum eſt.

ARSIA SILVA.

Porrò haud procul Ianiculo memoratur apud Livium ac Valerium Maximum ARSIA SILVA. ſed cuius nomen controverſum redditum à Dionyſii Plutarchique exemplaribus, mirè & ipſis inter ſe diſſentienbus. Apud Valer. Maximum lib. I cap. VIII ita ſcriptum: *Valerio Poplicolâ conſule, qui poſt exactos reges bellum cum Veientibus & Etruſcis geſſit; illis Tarquinio priſtinum imperium reſtituere, Romanis nuper partam libertatam retinere cupientibus; Etruſcis & Tarquinio, in cornu dextro prœlio ſuperioribus, tantus terror ſubitò inceſſit, ut non ſolùm victores ipſi profugerent; ſed etiam pavoris ſui conſorteis ſecum Veienteis traherent. cui rei pro argumento miraculum adjicitur, ingens repentè vox è proximâ ſilvâ Arſiâ; quæ ore Silvani in hunc penè modum miſſa traditur: Vno plùs Etruſci cadent: Romanus exercitus victor abibit. Miram dicti fidem digeſta numero cadavera exhibuêre.* Geſta hæc anno antè, quàm Porſena urbem obſedit. Cæterùm, quos heic Valerius, præter *Veienteis*, adpellat *Etruſcos*, Livius atque Dionyſius *Tarquinienſeis* fuiſſe teſtantur. Livius lib. II: *His incenſus Tarquinius, non dolore ſolùm tantæ ad irritum cadentis ſpei, ſed etiam odio iraque, poſtquàm dolo viam obſeptam vidit, bellum apertè moliendum ratus, circumire ſupplex Etruriæ urbeis: orare maximè Veienteis Tarquinienſeisque, ne ſe, ortum eiusdem ſangvinis, exterrem, egentem, ex tanto modò regno cum liberis adoleſcentibus ante oculos ſuos perire ſinerent.* Pôſt aliquanto: *Poſtquàm in agrum Romanum ventum eſt, obviam hoſti conſules eunt. Valerius quadrato agmine peditem ducit: Brutus ad explorandum cum equitatu anteceſſit. Eodem modo primus eques hoſtium agminus fuit.* Paullo pôſt: *Neque ita multo pôſt & pedites ſuperveniunt. ibi varia victoria: & velut æquo Marte pugnatum eſt. dextra utrimque cornua vicêre, læva ſuperata. Veientes, vinci ab Romano milite adſveti, fuſi fugatique ſunt. Tarquinienſis, novus hoſtis, non ſtetit ſolùm, ſed etiam ab ſuâ parte Romanum propulit. Ita quum pugnatum eſſet; tantus terror Tarquinium atque Etruſcos inceſſit, ut, omiſſâ irritâ re, nocte ambo exercitus, Veiens Tarquinienſisque, ſuas quisque abirent domos. Adjiciunt miracula huius pugnæ. ſilentio proximæ noctis ex ſilvâ Arſiâ ingentem editam vocem. Silvani vocem eam creditam. hæc dicta: Vno plus Etruſcorum cecidiſſe in acie: vincere bello Romanum. Ita certè inde abiêre Romani, ut victores; Etruſci pro victis. nam poſtquàm illuxit, nec quisquam hoſtium in conſpectu erat; P. Valerius conſul ſpolia legit: triumphansque inde Romam rediit.* Dionyſius prædicto lib. V: Πυθόμενοι δ' οἱ Ῥωμαῖοι τοὺς φυγάδας ἐξ ἁπασῶν τῶν πόλεων τῶν ἐν Τυῤῥηνίᾳ ἀγείρειν ἐπὶ σφᾶς στρατὸν, καὶ δύο μὲν πόλεις ἐκ τοῦ φανεροῦ συλλαμβάνειν αὐτοῖς τῆς καθόδου, Ταρκυνίτας τε καὶ Οὐηϊεντανοὺς, ἐπειδὴ ἔμαθον ἐξεληλυθότας ἤδη τοὺς πολεμίους, ἀπαντᾶν αὐτοῖς ἔγνωσαν, καὶ πρὶν ἐκείνους διαβῆναι τοῦ ποταμοῦ, αὐτοὶ τὰς δυνάμεις διαβιβάσαντες, ἐχώρουν πρόσω, καὶ καταστρατοπεδεύσαντες πλησίον Τυῤῥηνῶν, ἐν λειμῶνι καλουμένῳ Οὐινίῳ παρὰ δρυμὸν ἱερὸν ἥρωος Ὁράτου. Id eſt: *Romani, audito, exſules ex omnibus Etruriæ urbibus exercitum contra ſe colligere; duosque populo, Veienteis & Tarquinienſeis, ex profeſſo illos in obtinendo reditu & adjutare; ubi jam hoſteis adventare cognoverunt occurrendum rati, priores fluvium trajicere occupant: atque inde progreſſi, non procul ab Etruſcis caſtra ponunt in prato Vinio, ad ſilvam heroi Orato ſacram.*

Orato ſacram. Plutarchus in Valerio Poplicola: Ἀντεξῆγον δὲ τοὺς Ῥωμαίους οἱ ὕπατοι, καὶ παρέταξαν ἐν χωρίοις ἱεροῖς, ὧς τὸ μὲν Οὔρσον ἄλσος, τὸ δὲ Αἰσούειον λειμῶνα προσαγορεύουσιν. Hoc eſt: *Adverſùm eos conſules Romanas legiones eduxerunt: aciemque inſtruxerunt in locis ſacris, quorum alterum Vrſum nemus, alterum Aeſuvium pratum vocant*. Mirum ſanè dictu, quàm hæc inter ſe varient. nec dubium eſſe poteſt, quin ab exſcriptoribus vitiata ſint. quo autem pacto in genuinam auctorum ſcriptionem reſtitui queant, nondum ſatis diſpicio. etenim pro vocabulo *Arſia* facit conſenſus inter Livii Valeriique exemplaria. & hinc ſuſpicio erat, Plutarchum quoque ſcripſiſſe, ὧν τὸ μὲν Ἄρσιον ἄλσος, id eſt, *quorum alterum Arſium nemus*: niſi iſtud Οὔρσον ad Dionyſii Ὄρατον accedere videretur. Illi qui heic τὸ Ἰούνιον λειμῶνα, *Iunium pratum*, reſtituere conantur, nil niſi claritudinem Iuniæ gentis ſectantur. Nec tamen fortaſſe mea conjectatio certior fuerit, ſi legere, ὧν τὸ μὲν Ἄρσιον ἄλσος, τὸ δὲ Οὐρσίνιον λειμῶνα προσαγορεύουσιν. id eſt: *quorum alterum Arſium nemus, alterum Vrſinium pratum vocant*. De cætero res nimis prope Vrbem nec procul inde abfuiſſe hæc loca, ex Livii Dionyſiique narratione patet. Circa Ianiculum fuiſſe, haud dubium eſt; quando hac rectè conveniebant, ab alterâ parte *Veientes*, ab alterâ *Tarquinienſes*. Fuerit igitur is campus, qui, proximè trans Ianiculum inter Aureliam Claudiamque vias poſitus, medius ferè inter Ianiculum & vicum viæ Claudiæ *Borghetto*, planitie & fontibus conſpicuus eſt. Atque hæc ferè ſunt loca trans Tiberim circa Vrbem auctoribus memorata. nunc ea quoque indicanda ſunt, quæ ab lævâ amnis fuêre ripâ.

Apud Pompeium feſtum ſic ſcriptum eſt: *Lucaria feſta in luco colebant Romani, qui permagnus inter viam Salariam & Tiberim fuit, pro eo, quòd, victi à Gallis, fugientes è prœlio ibi ſe occultaverunt*. Grammaticum eſſe puto nugamentum, quod de re antiquâ, non quæ ſuo exſtiterit tempore, tradidit. Livius de eâ pugnâ ad Alliam flumen ita ſcribit lib. V: *In Romanorum acie nihil ſimile Romanis, non apud duces non apud milites erat. pavor fugaque occupaverat animos, & tanta hominum oblivio, ut multo maior pars Veios in hoſtium urbem, quum Tiberis arceret, quàm recto itinere Romam ad conjuges ac liberos fugrent*. Mox: *Circa ripam Tiberis, quò, armis abjectis, totum ſiniſtrum cornu defûgit, magna ſtrages, facta eſt: multosque imperitos nandi, aut invalidos, graveis loricis aliisque tegminibus, hausêre gurgites. maxima tamen pars incolumis Veios perfûgit. Ab dextro cornu, quod procul à flumine & magis ſub monte ſteterat, Romam omnes petiêre: &, ne clauſis quidem portis urbis, in arcem confugerunt*. En, ut heic Livius de tertiis illis, qui in *permagno* iſto *luco ſe occultarerint*, nihil meminit. Cæterùm Martialis lib. IIII epigram LXIIII ita canit:

Tulli jugera pauca Martialis
Longo Ianiculi jugo recumbunt.

Mox:

Hinc ſeptem dominos videre monteis
Et totam licet æſtimare Romam:
Albanos quoque Tuſculosque colleis,
Et quodcumque jacet ſub Vrbe frigus:
Fidenas veteres, breveisque Rubras;
Et, quod virgineo cruore gaudet,
Annæ pomiferum nemus Perannæ.
Illic Flaminiæ Salariæque
Vectator pavet, eſſedo tacente,
Ne blando rota ſit moleſta ſomno;
Quem nec rumpere nauticum celeuma
Nec clamor valet helciariorum:
Quum ſit tam propè Mulvius; ſacrumque
Lapſæ per Tiberim volent carinæ.

Haud obſcurè innuit NEMVS hoc ANNAE PERANNAE, ſive, ut alii ſcribunt, PERENNAE, medio fuiſſe ſitu inter Anienis confluentem & Milvium pontem. hac quidpe regione *Salaria Flamaniæ*que *viæ* quàm proximè ad ſe invicem accedunt. De feſto huius deæ ita ſcribit Ovidius Faſtor. lib. III:

Idibus eſt Annæ feſtum geniale Perennæ,
Haud procul à ripis, advena Tybri, tuis.

Plebs

Plebs venit; ac, virideis paſſim disjecta per herbas,
Potat; & adcumbit cum pare quisque ſuâ.
Sub Iove pars durat; pauci tentoria ponunt.
Sunt, quibus è ramis frondea facta caſa eſt.
Pars ſibi pro rigidis calomos ſtatuêre columnis:
Deſuper extenſas impoſuêre togas.
Sole tamen vinoque calent: annosque precantur,
Quot ſumunt cyathos; ad numerumque bibunt.
Invenies illic, qui Neſtoris ebibat annos:
Quæ ſit per calices facta Sibylla ſuos.
Illic & cantant, quidquid didicêre theatris;
Et jactant faciles ad ſua verba manus:
Et ducunt poſito duras cratere choreas:
Cultaque diffuſis ſaltat amica comis.
Quum redeunt, titubant; & ſunt ſpectacula vulgi:
Et fortunatos obvia turba vocat.
Occurrit: nuper viſa eſt mihi, digna relata,
Pompa. ſenem potum pota trahebat anus.

Adparet ex hac etiam narratione, prope Vrbem fuiſſe celebratum hoc feſtum: unde ſacris deæ primùm, mox compotationibus multis longisque ac ſaltationibus peractis, eâdem die ſub veſperam poti in Vrbem redire potuêre. haud dubiè igitur celebratum fuit haud procul Milvio ponte, apud *fanum* ac *pomiferum nemus* deæ, Martiali memoratum; quod è Ianiculo conſpici poterat: unde *rami* ad *frondeas caſas faciendas*. Quia autem nullius Ovidius meminit pontis; neque Tiberim nec Anienem iſta plebs tranſiit. fuitque is locus inter *S. Iuliani* ſacellum, quod ultra Martium campum Tiberis ripæ è crepidine imminere ſuprà dixi, & Anienem; hinc Tiberis lævâ ripâ, illinc monte ſeu colle clauſus, qui vulgò dicitur *Monte Pariolo*. Atque hæc etiam præcipua ſunt loca circa urbem Romam antiquis celebrata monumentis. Nunc reliqua Veteris Latii exſequar.

CAP. III.

De opidis PRISCI LATII *maritimis.*

Litus *antiqui Latii* fuiſſe à Tiberis oſtiis ad Ardeam usque, quod opidum nomen hodiéque retinet, ſuperiori capite dictum eſt. Loca in eo deſcribuntur Melæ lib. II cap. IIII iſta: *Oſtia, Laurentum, Ardea.* Sed hæc jam extra Priſci Latii fineis in Rutulorum fuit agro; ut pòſt oſtendetur. Ptolemæo hoc in litore una memoratur urbs Ὠστία, *Oſtia*. Strabo lib. V hæc habet: πόλεις δ' ἐπὶ θαλάττῃ μέν εἰσι τῶν Λατίνων, ἥ τε Ὤστια καὶ Ἄντιον, ἀνὰ μέσον δὲ τούτων Λαουίνιον, εἶτα Λαύρεντον. Id eſt: *Latinorum opida maritima ſunt Oſtia & Antium; & in medio horum Lavinium; tum Laurentum.* Plurima omnium loca refert Plinius lib. I cap. V. *In principio*, inquit, *eſt Oſtia colonia, à Romanorum rege deducta. opidum Laurentum: lucus Iovis Indigetis; amnis Numicius: Ardea.* Itineraria antiqua ſic habent:

Tabulæ;		Antonini;	
Roma		*Roma*	
Hoſtîs	XVI.	*Hoſtîs*	XVI.
Laurento	XVI.	*Laurento*	XVI.
Lavinium	V.	*Lavinio*	XVI.
Antium	XVII.		

OSTIA *colonia.* Prima igitur à Tiberi in litore fuit OSTIA *urbs*. Huius ſitum & originem conditioremque complures adnotarunt auctores. Livius lib. I: *Nec Vrbs tantùm Anno rege crevit; ſed etiam ager finesque. ſilva Mæſia Veientibus adempta: usque ad mare imperium prolatum: & in ore Tiberis Oſtia urbs condita; ſalinæ circa factæ.* Sex. Aurelius

relius Victor, in libro de Viris illuſtribus: *Ancus Marcius rex Oſtiam coloniam, maritimis commeatibus opportunam, in oſtia Tiberis deduxit.* Is, qui ſub falſo Meſſalæ Corvini nomine de Auguſti origine libellum aliquot abhinc ſæculis conſcripſit; in vitâ eiusdem regis: *Vsque ad mare dilati fines. ubi Tiberis in æquora prorumpit, Oſtia urbs condita; & ſalinæ circumdatæ.* Pompeius Feſtus: *Vt eſt apud Ennium:*

Oſtia munita eſt. idem loca navibus pulcris
Munda facit, nautisque mari quæſentibus vitam.

Florus lib. I cap. IIII: Ancus Marcius Oſtiam in ipſo maris fluminisque *confinio* coloniam poſuit. Eutropius lib. I: *Ancus Marcius Oſtiam civitatem ſupra mare ſextodecimo milliario ab urbe Româ condidit.* Caſſiodorus in Chronico: *Ancus Marcius ſextodecimo milliario ab urbe Româ Oſtiam condidit.* Euſebius Chron. lib. II; & ex ipſo haud dubiè auctor Olympiadum ἀνώνυμος, & item Cedrenus in Annalibus: Ἄγκιος Μάρκιος τὸν ποταμὸν Τίβεριν πρὸς ταῖς ἐκβολαῖς τειχίσας, ἐπ' αὐτῆς τῆς ῥαχίας ἀνίστησι πόλιν, ἣν Ὠστίαν ἀπὸ τῆς θέσεως προσηγόρευσεν, ὃ σημαίνει θύραν, ἑκκαίδεκα που σημείοις ἀπέχουσαν Ῥώμης. Id eſt: *Ancus Marcius Tiberim amnem apud oſtia communiens, in ipſo ripæ ſupercilio conſtituit urbem, ad* XVI *ab urbe Româ lapidem, quam à ſitu Oſtiam vocavit; quod Græcè* θύραν, [id eſt, *oſtium* ſeu *januam*] *ſignificat.* At Hieronymus eadem verba ita Latinè reddidit: *Ancus Marcius ſupra mare ſextodecimo ab Vrbe milliario Oſtiam condidit civitatem.* Sed eâ de re omnium copioſiſſimè ſcripſit Dionyſius Halicarnaſſenſis lib. III, in vitâ Anci regis, hisce verbis: Ἕτερον δέ τι τοῦ προειρημένου πολιτεύματος κρεῖττον, ὃ καὶ τοῖς κατὰ τὸν βίον ἅπασιν εὐδαιμονεστέραν τὴν Ῥώμην ἐποίησε, καὶ πραγμάτων ἐπῆρεν ἅψασθαι γενναιοτέρων. τοῦ γὰρ Τιβέριος ποταμοῦ καταβαίνοντος μὲν ἐκ τῶν Ἀπεννίνων ὀρῶν, παρ' αὐτὴν δὲ τὴν Ῥώμην ῥέοντος, ἐμβάλλοντος δ' εἰς αἰγιαλοὺς ἀλιμένους καὶ προσεχεῖς, οὓς τὸ Τυρρηνικὸν ποιεῖ πέλαγος, μικρὰ δὲ καὶ οὐκ ἄξια λόγου τὴν Ῥώμην ὠφελοῦντος, διὰ τὸ μηδὲν ἐπὶ ταῖς ἐκβολαῖς ἔχειν φρούριον, ὃ καὶ τὰς εἰσκομιζομένας διὰ θαλάττης καὶ καταγομένας ἄνωθεν ναῦς ὑποδέξεταί τε καὶ ἀμείψεται τοῖς ἐμπορευομένοις, ἱκανοῦ δὲ ὄντος ἄχρι μὲν τῶν πηγῶν ποταμηγοῖς σκάφεσιν εὐμεγέθεσιν ἀναπλεῖσθαι, πρὸς αὐτὴν δὲ τὴν Ῥώμην καὶ θαλαττίαις ὁλκάσι μεγάλαις, ἐπίνειον ἔγνω κατασκευάζειν ἐπὶ ταῖς ἐκβολαῖς αὐτοῦ, λιμένι χρησάμενος αὐτῷ τοῦ ποταμοῦ τῷ στόματι. εὐρύνεται γὰρ ἐπὶ πολὺ τῇ θαλάττῃ συνάπτων, καὶ κόλπους λαμβάνει μεγάλους, οὓς οἱ κράτιστοι τῶν θαλαττίων λιμένων. ὃ δὲ μάλιστα θαυμάσειεν ἄν τις, οὐκ ἀποκλείεται τοῦ στόματος ὑπὸ τῆς θαλαττίας θινὸς ἐμφραττόμενος, ὃ πάσχουσι πολλοὶ καὶ τῶν μεγάλων ποταμῶν, οὐδ', εἰς ἕλη καὶ τέλματα πλανώμενος, ἄλλοτε ἄλλῃ προκαταναλίσκεται, πρὶν ἢ τῇ θαλάττῃ συνάψαι τὸ ῥεῖθρον, ἀλλὰ ναυσιπέρατός ἐστιν ἀεί, καὶ δι' ἑνὸς ἐκδίδωσι τοῦ γνησίου στόματος, ἀνακόπτων τὰς πελαγίους ῥαχίας τῆς θαλάττης, καίτοι πολὺς αὐτόθι γίνεται καὶ χαλεπὸς ὁ πνέων ἐπὶ τῆς ἑσπέρας ἄνεμος. Αἱ μὲν οὖν ἐπίκωποι νῆες, ὁπηλίκαι ποτ' ἂν οὖσαι τύχωσι, καὶ τῶν ὁλκάδων αἱ μέχρι τρισχιλιοφόρου, εἰσάγουσί τε διὰ στόματος αὐτοῦ, καὶ μέχρι τῆς Ῥώμης εἰρεσίᾳ καὶ ῥύμασι παρελκόμεναι κομίζονται· αἱ δὲ μείζους, πρὸ τοῦ στόματος ἐπ' ἀγκυρῶν σαλεύουσαι ταῖς ποταμηγοῖς ἀπογεμίζονταί τε καὶ ἀποφορτίζονται σκάφαις. Ἐν δὲ τῷ μεταξὺ τοῦ ποταμοῦ καὶ τῆς θαλάττης ἀγκῶνι πόλιν ὁ βασιλεὺς ἐντειχίσας, ἣν ἀπὸ τοῦ συμβεβηκότος Ὠστίαν ὠνόμασεν, ὡς δ' ἂν ἡμεῖς εἴποιμεν, Θύραν, οὐ μόνον ἠπειρωτῶν, ἀλλὰ καὶ θαλαττίων παρεσκεύασε τὴν Ῥώμην γενέσθαι, καὶ τῶν διαποντίων ἀγαθῶν ἐγεύσεν. Hoc eſt: *Eſt & alterum eius civile factum, priore illo præſtantius: quod Vrbem non modò cunctis vitæ commodis locupletavit; ſed etiam ad res maiores capeſſendas incendit. quidpe quum Tiberis amnis, ex Apenninis montibus præter ipſam urbem defluens, & in importuoſa ac continua litora, quæ Tyrrhenum efficit pelagus, ſeſe exonerans, non magnoperè urbi prodeſſet, (quòd nullum haberet circa oſtium caſtrum, quod naveis, tùm è mari adpellenteis, tùm per fluvium deſcendenteis, acciperet redderetque negotiantibus) alioqui usque ad fonteis fluvialibus ſcafis mediocribus pervius; usque ad urbem verò etiam magnis marinis onerariis navigabilis; decrevit, navale ad eius oſtium condere; pro portu uſus ore ipſius amnis. panditur enim in latum, qua ſe in mare effundit; ſinusque comprehendit amplos; haud ſecus ac maritimorum portuum optimi. &, quod maximè mireris; oſtium eius non præcluditur nec obturatur adgeſtâ è mari arenâ, quod multis etiam magnis fluviis accidit: neque, per paludes ac voragines oberrans, abſumitur, priusquàm ad mare perveniat: ſed perpetuò navibus eſt meabilis; per unum nativum oſtium mari ſeſe ingurgitans, & dorſa ſub alto adſurgentia diverberans; quamvìs vehemens ibi ventus crebro ab occidente ſpirare ſoleat. Itaque remigio inſtructæ naves, quantumvìs magnæ, & ex onerariis vel termillenariæ, per oſtium eius intrant, & Vrbem usque remigio ac funibus pertrahuntur: maiores autem ante oſtium in ſalo firmantur ancoris; exonerantùrque inde navigiis fluvialibus. Cæterùm quà inter flumen & mare locus in cubiti ſpeciem curvatur, oppidum Ancus muniit, quod à re ipſâ Oſtiam adpellavit;* Θύραν *nos Græci diceremus. effecitque,*

citque, ut Roma non mediterraneis tantùm, ſed etiam marinis patens, transmarina quoque bona deguſtaret. De eodem portu Strabo, Dionyſio paullo inferior auctor, paullo aliter ita ſcribit lib. V: Ἐπὶ δὲ θαλάττῃ τῶν Λατίνων ἐστὶ τὰ Ὤστια, πόλις ἀλίμενος, διὰ τὴν πρόσχωσιν, ἣν ὁ Τίβερις παρασκευάζει, πληρούμενος ἐκ πολλῶν ποταμῶν. παρακινδύνως μὲν οὖν ὁρμίζονται μετέωρα ἐν τῷ σάλῳ τὰ ναυκλήρια. τὸ μέντοι λυσιτελὲς νικᾷ· καὶ γὰρ ἡ τῶν ὑπηρετικῶν σκαφῶν εὐπορία, τῶν ἐκδεχομένων τὰ φορτία, καὶ ἀντιφορτιζόντων, ταχὺν ποιεῖ τὸν ἀπόπλουν, πρὶν ἢ τοῦ ποταμοῦ ἅψασθαι· καὶ, μέρος ἀποκουφισθὲν, εἰσπλεῖ, καὶ ἀνάγεται μέχρι τῆς Ῥώμης, σταδίους ρϟ'. Κτίσμα δ' ἐστὶ τὰ Ὤστια Ἄγκου Μαρκίου. Id eſt: *In orâ maritimâ Latinorum urbs eſt Oſtia, importuoſa ob adgeſtionem limi, quæ fit à Tiberi, multis amnibus aucto. itaque non ſine periculo naves ſublimes undis fluctuant. vincit tamen utilitas. nam actuariæ naves ad excipiendas è magnis navibus merceis & alias deportandas magno numero præſtò ſunt. quibus efficitur, ut naves, priusquàm ad Tiberim perveniant, celeriter ſubvehantur: ac parte oneris levatæ, per amnem adverſum Romam usque deſcendant, ad ſtadia* CXC. Tot equidem ſtadia omnia habent Strabonis exemplaria, vulgata ſimul & manuſcripta, quæ ſciamus: quæ millia paſſuum conficiunt XXIII & paſſus IↃCCL. at mendum illis ineſſe, cùm ſuprà ſcripti tot auctores, qui XVI haud ampliùs millia referunt, tum ipſa hodierna teſtatur experientia. quibus adde Plinii quoque teſtimonium; qui ſub initium dicti lib. I cap. V, *Latium,* inquit; *ubi Tiberina oſtia, & Roma, terrarum caput,* XVI *millium paſſuum intervallo à mari.* Et Plinii epitomator in geographicis Martianus lib. VI, in Italiæ deſcriptione: *Vmbri mox, Latiumque, atque oſtia Tiberina. dehinc ipſa caput gentium Roma. hæc à mari* XVI *paſſuum millibus disparatur.* Scripſiſſe igitur opinor Strabonem σταδίους ρλ', id eſt, ſtadia CXXX: quæ ſunt millia XVI cum duobus ſtadiis. Quamquàm ad ipſum maris, in quod effunditur Tiberis, litus, tot ſint millia paſſuum; non verò ad opidum *Oſtiam*; quod eodem etiam nunc nomine, cum ingentibus veterum murorum veſtigiis, tria fermè millia à litore abeſt, apud flexum amnis, quem ἀγκῶνα, id eſt cubitum, vocat Dionyſius. unde etiam Hieronymus, in Euſebiani Chronici lib. I, *Ancus,* inquit, *Marcius ſupra mare tertiodecimo ab Vrbe milliario Oſtiam condidit civitatem.* Et Freculfus Chron. tomo primo lib. III cap. XV: *Ancus Marcius, Romanorum rex, ſupra mare tertiodecimo ab Vrbe milliario, in ipſo fluminis mariſque confinio Oſtiam civitatem condidit.* Item Monachus Altiſſiodorenſis in Chronico: *Ancus Marcius ſupra mare tertiodecimo ab Vrbe milliario Oſtiam condidit civitatem.* Hinc Lucanus etiam lib. VI:

At tantum ſæpti vallo ſibi vindicat agri,
Parva Mycenææ quantum ſacrata Dianæ
Diſtat ab excelsâ Nemoralis Aricia Româ;
Quoque modo Romæ prælapſus mœnia Tybris
In mare deſcendit, ſi nusquàm torqueat amnis.

Hodiéque ad Ariciam XIII ſunt millia paſſuum; ut Tabula etiam itineraria habet; quod pôſt videbimus. Ado in Martyrologio ſuo ita ſcriptum reliquit: *Sexto Idus Auguſti, Romæ, viâ Oſtienſi, miliario* VII, *natale S. Cyriaci martyris.* Locus hic, vulgò nunc *S. Civiaco* dictus, medio eſt itinere inter Vrbem & Oſtiam, utrimque VI milliarium intervallis intercedentibus quæ ſi in VI millia & IↃ paſſus redigas, totum inter Romam & mare, quà Tiberis effunditur, intervallum erit millium XVI. At antiqui illi mortales tot millia ad Oſtiam computarunt; quia hoc opidum ab *oſtiis Tiberis* id nominis habere ſcirent. è diverſo Lucanus, quia Oſtia dicebatur eſſe ad Tiberis exitus, XIII tantùm ad mare usque poſuit millia. Cæterò nomen id quidem Romani ſingulari numero femininoque genere uſurparunt; teſtibus ſuprà citatis ſcriptoribus, Græcis pariter ac Latinis: quibus adde Taciti locum Annal. lib. XI; *Dum ſacrificii gratiâ Claudius Oſtiam proficiſceretur.* & Plinii lib. XXXVI cap. VIIII; *Navem Claudius, perductam Oſtiam, portus gratiâ merſit.* item Svetonii, in Claudio, cap. XII: *Quum, profectum eum Oſtiam, periiſſe ex inſidiis, nunciatum eſſet.* & cap. XX: *Portum Oſtiæ exſtruxit.* cap. XXV: *Oſtiæ cohortem ad arcendos incendiorum caſus collocavit.* item Agelli lib. XVIII cap. I: *Quum eſſemus unà omnes Oſtiæ.* Verùm ab initio opidum communi amnis oſtiorum adpellatione dictum eſt plurali numero τὰ Ὤστια Τιβερῖνα, OSTIA TIBERINA; ſcilicet ἀπὸ τῆς θέσεως, ut ait Euſebius, id eſt, *à ſitu*; quia poſitum erat ad amnis bicornis ἐκβολὰς, ſive *exitus,* quæ Latino verbo dicuntur *oſtia*; ut domorum conclaviumque ingreſſus ſive exitus. Hinc Ovidius Faſtor. lib. IIII:

Oſtia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Oſtia contigerat, quà ſe Tiberinus in altum
Dividit, & campo liberiore natat.

Et aliquanto pòſt:

Fluminis ad flexum veniunt: Tiberina priores
Atria dixerunt; unde ſiniſter abit.

En; diſertè opidum ad flexum ſiniſtri alvei poſitum plurali numero *Atria Tiberina* ab initio dictum ait, quod poſteà eodem numero *Oſtia Tiberina*. Hinc Dio quoque lib. LX: Ἐς τὰ Ὤστια κατέβη. id eſt: *Ad Oſtia profectus eſt*. Et Strabo lib. III: Ὁλκάδες γὰρ μέγισται πλέουσιν εἰς τὴν Δικαιαρχίαν καὶ τὰ Ὤστια, τὸ Ῥώμης ἐπίνειον. Hoc eſt: *Maximæ onerariæ naves Puteolos & Oſtia, Romanorum navale, adpellunt*. Et lib. V: Ἡ μὲν οὖν τῶν Λατίνων χώρα, μεταξὺ κεῖται τῆς τε ἀπὸ τῶν Ὠστίων παραλίας, μέχρι πόλεως Σινυέσσης καὶ τῆς Σαβίνης. τὰ δ' Ὤστιά ἐστιν ἐπίνειον τῆς Ῥώμης, εἰς ὃ ἐκδίδωσιν ὁ Τίβερις, παρ' αὐτὴν ῥυείς. Id eſt: *Latinorum regio, ſita eſt inter oram maritimam, qua ab Oſtiis ad Sinueſſam uſque protenditur, & inter Sabinum agrum. Sunt autem Oſtia urbis Romæ navale, in quod Tiberis effunditur, juxta urbem delapſus*. Et aliquanto pòſt: Τῆς δὲ Τυρρηνίας μῆκος τὸ μέγιστον εἶναί φασι τὴν παραλίαν ἀπὸ Λούνης μέχρι Ὠστίων. Hoc eſt: *Etruriæ longitudo maxima traditur eſſe à Lunâ ad Oſtia uſque*. Et deinde, in Latii deſcriptione: Νυνὶ μὲν οὖν ἡ παραλία μέχρι πόλεως Σινυέσσης ἀπὸ τῶν Ὠστίων Λατίνη καλεῖται. Id eſt: *Nunc quidem omnis ora ab Oſtiis ad Sinueſſam Latinus ager vocatur*. Sequitur mox inde locus, ubi ipſum opidum deſcribitur: quem ſuprà recitavi. Continuò igitur poſt: Ἑξῆς δ' ἐστὶν Ἄντιον, διέχον τῶν Ὠστίων περὶ σξ' σταδίων. Id eſt: *Sequitur inde Antium, ab Oſtiis* CCLX *ſtadiis diſſitum*. Et tandem: Ἐν δὲ τῇ μεσογαίᾳ πρώτη ὑπὲρ τῶν Ὠστίων ἐστὶν ἡ Ῥώμη. Hoc eſt: *In mediterraneo prima eſt ſuper Oſtia Roma*. Ex tam conſtanti igitur tot locorum ſcripturâ quis jam dubitet, quin eodem libro V in Etruriæ deſcriptione etiam legendum ſit, Ἀπὸ τῶν Κοσσῶν εἰς Ὤστια, *à Coſſis ad Oſtia*; & ἀπὸ τῶν Πύργων εἰς Ὤστια, *à Pyrgis ad Oſtia*. pro quo vocabulo nunc utrobique legitur εἰς Ὠστίαν. Idem pluralis numeri vocabulum poſteriori ſæculo rurſus in quotidianum uſum à Latinis etiam auctoribus revocatum fuiſſe, patet ex præſcriptis Itinerariis; tum item ex antiquis Martyrologiis; in quibus frequenter memorantur Oſtia Tiberina, pro opidi adpellatione. & Am. Marcellinus lib. XVIIII, *Dum Tertullus*, inquit, *apud Oſtia in æde ſacrificat Caſtorum, tranquillitas mare mollivit*. Apud Procopium tamen in Gothicis, ubi frequens eius mentio, ſemper ſingulari numero legitur ἡ Ὀστία. ubi prima etiam ſyllaba ſeu litera O μικρὸν vitio eius ævi corrupta eſt ex genuinâ germanâque Ω, quam ideò heic poſuêre antiquiores illi Græci, quia in voce *os oris*, unde *oſtium* deductum, ea litera Latinis erat longa. Chariſius Grammat. Inſtit. lib. II: *Oſtia exitus fluminum in mare neutro genere ſemper pluraliter dicuntur. ſed ſi urbem ſignificare velis, ſingularem potiùs numerum obſervabis; uti Salluſtius. quamvis etiam frequenter plurali numero urbem ſignificat*. Hoc veriùs, quàm quod Pompeius Feſtus: *Oſtiam urbem ad exitum Tiberis, in mare fluentis, Ancus Marcius rex condidiſſe, & feminino adpellaſſe vocabulo fertur. quod ſive ad urbem, ſive ad coloniam, quæ poſteà condita eſt, refertur, neutrum certè plurali numero efferri debet*. Apud Stephani breviatorem ita ſcriptum eſt: Ὠστία, πόλις Ἰταλίας. Ἰόβας ἐν πρώτῳ Ῥωμαϊκῆς ἱστορίας· Ἀπὸ μὲν τῶν βορείων μερῶν ὁ Τίβερις, καὶ Ὠστία πόλις πλησίον· καὶ Πολύβιος ἕκτῳ· Ἔκτισε δὲ καὶ πόλιν Ὠστίαν ἐπὶ τοῦ Τιβέριδος. Τὸ ἐθνικὸν δύναται καὶ Ὠστιανὸς καὶ Ὠστιάτης. Φλέγων δὲ Ὠστίους αὐτοὺς καλεῖ, λέγων· Παρέλαβε δὲ τὴν Ὠστίων πόλιν. Στράβων δὲ ἐν τρίτῃ οὕτω φησὶν οὐδετέρως· Τὰ Ὤστια τῆς Ῥώμης ἐπίνειον. Id eſt: *Oſtia, opidum Italiæ. Iuba in primo Hiſtoriæ Romanæ: A ſeptemtrionalibus partibus eſt Tiburis; & prope hunc Oſtia opidum. Et Polybius lib.* VI: *Condidit etiam urbem Oſtiam apud Tiberim. Gentilitium inde dici poteſt Oſtianus & Oſtiates. Phlegon autem Oſtios eos vocat. Occupavit, inquit, Oſtiorum urbem. At Strabo lib.* III *neutro genere ſic dixit: Oſtia Romæ navale*. Romanis omnibus opidani dicuntur OSTIENSES: ut Ciceroni ad Atticum lib. XII epiſt. XXIII & XXVIII; Varroni Ruſticar. rer. lib. III cap. II; Livio lib. XXXII; Senecæ Natural. quæſt. lib. I cap. XV; Tacito Hiſtoriar. lib. I; Svetonio in Claudio; & aliis compluribus auctoribus. Iſidorus Originum lib. XV cap. I: *Ancus Marcius urbem in exitu Tiberis condidit, quæ & peregrinas merceis exciperet & hoſtem moraretur; quam ab ipſo ſitu Oſtiam adpellavit*. Et cap. VII: *Generaliter quidem oſtium eſt, per quod ab aliquo arcemur ingreſſu, ab obſtando dictum: ſive oſtium, quia oſtendit aliquid intus. Alii aiunt oſtium adpellari, quia hoſtem moratur. ibi enim adverſariis nos objicimus. hinc eſt Oſtia Tiberina; quia hoſtibus ſunt oppoſita*.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Non ſemper abſurdi ſunt iſti grammatici; ſed interdum etiam faceti. Quàm compendioſè priore loco dixit Oſtiam urbem eſſe dictam, ſimul quòd ad *oſtia* Tiberis ſita, ſimulque quòd *hoſtibus* oppoſita. At quis tam ineptus reperiatur, qui non credat, *oſtium* ab *ore* dictum eſſe? unde ipſi etiam fluminum exitus quàm frequentiſſimè optimis auctoribus dicuntur *ora*. Ex ſimilibus tamen grammaticorum nugis ortum, quòd in graviſſimorum etiam auctorum exemplaribus hodiéque legantur cum adſpiratione urbis *Hoſtiæ*; & opidanorum *Hoſtienſium* vocabula; quæ in cunctis lapidibus nummiſque antiquis ſine adſpiratione inveniuntur. Cæterùm quum ex iſthac pluralis numeri adpellatione quàm certiſſimo documento pateat, jam inde Anci Marcii tempore bicornem fuiſſe Tiberim, id eſt, duobus effluxiſſe in mare oſtiis; neſcio, an ſatis feliciter quidam noſtri ſæculi homines ex præſcriptis Ovidii juxtà & Dionyſii verbis conjecerint. unum ſolum tunc amni fuiſſe oſtium; maximè quia Dionyſius ait amnem δι' ἑνὸς ἐκδοῦναι τοῦ γνησίου στόματος, id eſt, *uno genuino ac germano oſtio effundi*. quibus verbis id ego arbitror Dionyſium innuere voluiſſe; nempe, licèt duo flumini fuerint alvei duoque oſtia; tamen ſiniſtrum verum nativumque fuiſſe, & magnum: alterum autem alveum fuiſſe longè minorem, & tamquàm magni illius elicem tantùm. unde hodiéque diminutivo vocabulo adpellatur *Fiumicino*. Huc fortè Cicero quoque reſpexit in oratione pro lege Maniliâ, ubi ita de Cn. Pompeio loquitur: *Nam quid ego Oſtienſe incommodum atque illam labem atque ignominiam reipublicæ querar; quum, propè inſpectantibus vobis, claſſis ea, cui conſul populi Romani præpoſitus eſſet, à prædonibus capta atque oppreſſa eſt? Pro dii immortales? tantamne unius hominis incredibilis ac divina virtus tam brevi tempore lucem adferre reipublicæ potuit, ut vos, qui modò ante oſtium Tiberinum claſſem hoſtium videbatis, ii nunc nullam intra Oceani oſtium prædonum navem eſſe audiatis*. Scilicet *claſſis Romana*, ad tutelam huius litoris Tiberinorumque oſtiorum heic antiquitus ſtabat. Livius lib. XXII: *M. Claudium, qui claſſi ad Oſtiam ſtanti præeſſet, Canuſium ad exercitum mittendum*. Et mox: *M. Claudius Marcellus ab Oſtiâ* CIↃ IↃ *milites, quos in claſſem ſcriptos habebat, Romam, ut urbi præſidio eſſent, mittit*. Et lib. XXVI: *Ita cum* XXX *navium claſſe (omnes autem quadriremes erant) Oſtiis Tiberinis profectus*. De cætero *coloniam* Romanorum fuiſſe *Oſtiam*, ſuprà ex Plinio, Floro, ac Sex. Aur. Victore intellectum. Seneca Natural. quæſt. lib. I cap. XV: *Sub Tiberio Cæſare cohortes in auxilium Oſtienſis coloniæ cucurrerunt*. Tacitus Hiſtoriar. lib. I: *Septimamdecimam cohortem coloniâ Oſtienſi in Vrbem aciri Otho juſſerat*. Porrò in Rutilii itinerario, quod de itinere ſuo ab urbe Româ in Galliam conſcripſit, ita legitur:

Tum demum ad naveis gradior, quà fronte bicorni
Dividuus Tiberis dexteriora ſecat.
Lævus inacceſſis fluvius vitatur arenis.
Hoſpitis Aeneæ gloria ſola manet.

Ergo, ſecundùm hanc Rutilii ſententiam, lævum oſtium & alveum, apud quem opidum *Oſtia*, nemo umquàm navi ingreſſus eſt poſt Aeneam. At hoc opidò quàm falſum eſſe, diſertiſſimis teſtatur verbis Ovidius, ſuprà citatis; ubi de advectione *Matris deorum* ex Phrygiâ in Italiam narrat. quod factum Livius tradit lib. XXVIIII in conſulatu P. Cornelii Scipionis Africani & P. Licinii Craſſi: id eſt, anno Vrbis IↃXLVIII; ante natum Ieſum anno CCV. Et ob id ipſum exſtructum erat opidum *Oſtia*; uti ἐπίνειον, id eſt, navale eſſet Romanæ urbis; teſte ſuprà citatis ſcriptoribus. unde etiam Herodianus lib. I, de eodem Matris deûm ſimulacra loquens: Κομισθὲν δ' ἐπὶ νεὼς τὸ ἄγαλμα, καὶ γενόμενον ἐν ταῖς τοῦ Θύμβρεως ἐκβολαῖς (ταύταις γὰρ ἀντὶ λιμένων ἐχρῶντο Ῥωμαῖοι) ἔστη θείᾳ δυνάμει τὸ σκάφος. Id eſt: *Quum navigio devectum ſimulacrum in Tiberis oſtium adpuliſſet, (hoc enim tum Romani vice portuum utebantur) divinâ quadam vi ſubſtitit navigium*. Ait, *tunc Romanos hoc Tiberis oſtio vice portuum uſos eſſe*: quia ſuo tempore ad dextrum alveum novus erat portus χειροποίητος· quem Iul. Cæſarem primum *mente agitaſſe*, teſtis eſt Plutarchus in vitâ eius his verbis: Τῇ δ' ἔγγιστα τῆς Ῥώμης θαλάσσῃ κλεῖθρα διὰ χωμάτων ἐπαγαγών, καὶ τὰ τυφλὰ καὶ δύσορμα τῆς Ὠστιανῆς ἠϊόνος ἀνακαθηράμενος, λιμένας ἐμποιήσασθαι ἐπεχείρει, καὶ ναύλοχα πρὸς τοσαύτην ἀξιόπιστα ναυτιλίαν. Id eſt: *Proximo Romæ mari clauſtra adgeribus imponere inſtituit, cæcumque & importuoſum Oſtiæ litus repurgare, ac portus ibi moliri navaliaque, quæ tantæ ſufficerent navigationi*. Claudius deinde imperator perfecit. Svetonius

tonius in vitâ eius, cap. xx: *Opera magna potiùs quàm neceſſaria, quàm multa, perfecit. ſed vel præcipua; aquæductum, à Caio inchoatum; item emiſſarium Fucini lacus, portumque Oſtienſem. quamquàm ſciret, ex his alterum ab Auguſto precantibus adſiduè Marſis negatum; alterum à divo Iulio ſæpius deſtinatum, ac propter difficultatem omiſſum.* Et mox: *Portum Oſtiæ exſtruxit; circumducto dextrâ ſiniſtrâque brachio: ad introitum profundo jam ſolo* [rectiùs, *ſalo*] *mole objectâ. quam quò ſtabiliùs fundaret, navem antè demerſit, quâ magnus obeliſcus ex Aegypto fuerat advectus. congeſtiſque pilis ſuperpoſuit altiſſimam turrim, in exemplum Alexandrinæ phari; ut ad nocturnos igneis curſum navigia dirigerent.* Plinius lib. xxxvi cap. xv, ubi eiuſdem Claudii *aquæductum* & *Fucini lacus emiſſarium*, & alia ſummæ admirationis maximique ſtuporis opera memoravit: *Nam portus*, inquit, *Oſtienſis opus prætereo.* At lib. xvi cap. xl ſic ſcribit: *Abies admirationis præcipuæ viſa eſt in navi, quæ ex Aegypto Caii principis juſſu obeliſcum, in Vaticano circo ſtatutum, quatuorque truncos lapidis eiuſdem ad ſuſtinendum eum advexit. qua nave nil admirabilius viſum in mari, certum eſt.* cxx *millia modiûm lentis pro ſaburrâ ei fuêre. longitudo ſpacium obtinuit magnâ ex parte Oſtienſis portus, latere lævo. ibi namque demerſa eſt à Claudio principe, cum tribus molibus turrium altitudine in eâ exædificatis obiter Puteolano pulvere advecto. Arboris eius craſſitudô* iiii *hominum ulnas complectentium implebat.* Et dicto lib. xxxvi cap. viiii: *Divus Claudius navem, aliquot per annos adſervatam, quâ Caius Cæſar importaverat obeliſcum, omnibus, quæ umquàm in mari viſa ſunt, mirabiliorem, turribus Puteolano ex pulvere ædificatis, perductum Oſtiam, portus gratiâ merſit.* Et lib. viiii cap. vi. *Orca in portus Oſtienſi viſa eſt; oppugnata à Claudio principe. venerat, tunc exædificante eo portum, invitata naufragiis tergorum advectorum è Galliâ: ſatienſque ſe per complureis dies, alveum in vado ſulcaverat; adcumulata fluctibus in tantum, ut circumagi nullo modo poſſet, &, dum ſaginam perſequitur, in litus fluctibus propulſa, emineret dorſo ſupra aquas, carinæ vice inverſæ. Prætendi juſſit Cæſar plagas multiplices intra oras portus: profectuſque ipſe cum prætorianis cohortibus, populo Romano ſpectaculum præbuit; lanceas congerente milite è navigiis adſultantibus: quorum unum mergi vidimus, reflatu belluæ oppletum undâ.* De eodem portu ita tradit Dio lib. lx, in rebus eiuſdem Claudii: Λιμοῦ δ' ἰσχυροῦ γενομένου, οὐ μόνον τῆς ἐν τῷ τότε παρόντι ἀφθονίας τῶν τροφῶν, ἀλλὰ καὶ τῆς ἐς πάντα τὸν μετὰ ταῦτα αἰῶνα πρόνοιαν ἐποιήσατο. ἐπακτοῦ γὰρ παντὸς, ὡς εἰπεῖν, τοῦ σίτου τοῖς Ῥωμαίοις ὄντος, ἡ χώρα ἡ πρὸς ταῖς τοῦ Τιβέριδος ἐκβολαῖς, οὔτε κατάρσεις ἀσφαλεῖς οὔτε λιμένας ἐπιτηδείους ἔχουσα, ἀνωφελές σφισι τὸ κράτος τῆς θαλάττης ἐποίει. ἔξω τε γὰρ τῶν τῇ τε ὥρᾳ ἐσκομισθέντων καὶ ἐς τὰς ἀποθήκας ἀναχθέντων, οὐδὲν τὴν χειμερινὴν ἐσεφοίτα, ἀλλ' εἴ τις παρεκινδύνευσε, κακῶς ἀπήλλασσε. Ταῦτ' οὖν συνιδὼν, λιμένα τε κατασκευάσαι ἐπεχείρησεν· οὐδ' ἀπετράπη, (καίπερ τῶν ἀρχιτεκτόνων εἰπόντων αὐτῷ, πυθομένῳ πόσον τὸ ἀνάλωμα ἔσοιτο, ὅτι, οὐ θέλεις αὐτὸ ποιῆσαι· οὕτως ὑπὸ τοῦ πλήθους τοῦ δαπανήματος ἀναχαιτισθῆναι αὐτὸν, εἰ προπύθοιτο αὐτὸ, ἤλπισαν) ἀλλὰ καὶ ἐνεθυμήθη πρᾶγμα καὶ τοῦ φρονήματος καὶ τοῦ μεγέθους τοῦ τῆς Ῥώμης ἄξιον, καὶ ἐπετέλεσε. τοῦτο μὲν γὰρ, ἐξορύξας τῆς ἠπείρου χωρίον οὐ σμικρὸν, τὸ πέριξ πᾶν ἐκρηπίδωσε, καὶ τὴν θάλασσαν ἐς αὐτὸ ἐσεδέξατο· τοῦτο δὲ, ἐν αὐτῷ τῷ πελάγει χώματα ἑκατέρωθεν αὐτοῦ μεγάλα χώσας, θάλασσαν ἐνταῦθα πολλὴν περιέβαλε· καὶ νῆσον ἐν αὐτῇ, πύργον τε ἐπ' ἐκείνῃ φρυκτωρίαν ἔχοντα, κατεστήσατο. Ὁ μὲν οὖν λιμὴν, ὁ καὶ νῦν οὕτω κατά γε τὸ ἐπιχώριον ὀνομαζόμενος, ὑπ' ἐκείνου τε ἐποιήθη. Hoc eſt: *Fame ingenti exortâ, non modò ad præſens tempus copiæ alimentorum, verùm in perpetuum etiam proſpexit. frumentum quidpe, quo Roma utitur, omne propemodùm aliunde advehitur. at, quum loca circa oſtia Tiberis neque tuta adpellendis navibus eſſent, neque portus opportunos haberent; efficiebatur, ut maris dominium parum Romanis prodeſſet: quum, præter ea, quæ æſtate ſubveherentur, conderenturque in granariis, hieme nihil ſupportaretur; ac, ſi quis hoc tentaret, magno ei ſtaret periculo. Id intelligens Claudius, inſtituit portum ibi exſtruere. quumque architecti, interrogati, quanti ſumptus eius operis eſſent futuri, tantos reſpondiſſent, quantos ipſe facere nollet; ſperantes, impendii magnitudine auditâ ipſum à propoſito deſtiturum: nihil deterritus, rem in animum induxit, perfecitque, magnanimitate ac potentiâ Romanâ dignam. Ecfodit humum haud exiguo ſpacio; ambitumque omnem crepidine lapidum firmavit: ac in eum locum mare accepit. deinde ex utrâque huius loci parte adgeres in ipſo mari magnos jaciens, multum maris iis complexus eſt; inſulamque ibi effecit; impoſitâ turri, unde noctu igneis emicantes ſignum navigantibus darent. Idque opus ita ab eo exſtructum, incolarum linguâ Portus hodiéque vocatur.* In Tabulâ itinerariâ *Tiberis* flumen uno equidem oſtio depictum eſt. at ab lævâ eius ripâ figura & nomen eſt *Oſtiæ* urbis; ab dextrâ ripâ imago ingentis portus in theatri ſpeciem; ad cuius extrema,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

trema, in mare procurrentia, duæ ſunt turres, dextrâ ſiniſtrâque poſitæ. brachia equidem, ſeu adgeres non ab utrâque parte, quod de ſuis temporibus Svetonius Dioque teſtantur, circumducti ſunt: ſed ab ſiniſtrâ tantùm geminus adger protenditur; in interiorisque extremo alia turris eſt. inter exterioris autem adgeris extremum & ipſius portus ſeu theatri dextram turrim inſula conſpicitur cum præaltâ turri ſeu pharo. Ea totius portus facies an poſteà fuerit, quum Traianus, ut mox oſtendetur, inſtauraſſet; an verò in proximam ſimilitudinem Tabulæ delineator, quum veram genuinamque figuram ignoraret, efformare voluerit, incertum eſt. De cætero nomen huic portui in Tabulâ nullum adpoſitum. quod haud dubiè, unà cum proximi Etruriæ opidi *Fregenarum* vocabulo interiit; ut ſuprà lib. II cap. II in Etruſci litoris expoſitione dictum. In Antonini itinerario ita legitur: *A Româ per Portum Centumcellus* M. P: LXIX, *ſic: In Portum* XIX. *Fregenas* IX. Sic & Procopio Gothicar. rer. lib. I & II ſimpliciter ſine cognomine vocatur PORTVS, Latino vocabulo. & in eodem lib. I etiam dicitur ὁ Ῥώμης λιμὴν, hoc eſt, PORTVS ROMAE; & lib. II ὁ Ῥωμαίων λιμὴν, id eſt, PORTVS ROMANORVM: qui Aethico in Coſmographiâ adpellatur PORTVS VRBIS; apud Caſſiodorum Variar. lib. VII epiſt. VIIII, PORTVS VRBIS ROMAE; & item, ut & aliis eius ſæculi auctoribus, maximè verò Martyrologis PORTVS ROMANVS. At aliis cognominatur AVGVSTI PORTVS Ioan. Xiphilinus in Severi imperatoris rebus, quarum hiſtoriam ille ex Dionis lib. LXXV excerpſit: Πρὸ δὲ τούτου κῆτος ὑπερμέγεθες εἰς τὸν τοῦ Αὐγούστου ἐπίκλησιν λιμένα ἐξώκειλε, καὶ ἑάλω. id eſt; *Antequàm id fieret, cetus ingens adpulit in portum, qui Auguſti cognomen habet; ibique captus eſt.* Apuleius Μεταμορφώσεων lib. I: *Romam verſus profectionem dirigo. tutusque proſperitate ventorum ferentium Auguſti portum celerrimè, ac dehinc carpento pervolavi: veſperâque ſacroſanctam iſtam civitatem adcedo.* Itinerarium antiqunm maritimum: *Ad Vrbe Arelatum usque. Ad Portum Auguſti* M. P. XVIII. Iuvenalis Sat. XII de navigatione Catulli præter Latium litus ita narrat:

——— *Iam deficientibus auſtris,*
Spes vitæ cum Sole redit. tum gratus Iulo
Atque novercali ſedes prælata Lavino,
Conſpicitur ſublimis apex: cui candida nomen
Scrofa dedit, lætis Phrygibus mirabile ſumen,
Et numquàm viſis triginta clara mamillis.
Tandem intrat poſitas incluſa per æquora moleis,
Tyrrhenamque Pharon, porrectaque brachia rurſum,
Quæ pelago occurrunt medio; longéque relinquunt
Italiam. Non ſic igitur mirabere portus,
Quos natura dedit.

Ad hæc ita vetus Scholiaſta: *Portum Auguſti dicit; ſive Traiani. Porrectaque brachia rurſum.*] *Quia Traianus portum Auguſti reſtauravit in melius; & interiùs tutiorem ſui nominis fecit.* Horatii verſus in carmine de Arte poëticâ ſunt iſti:

Debemur morti nos, noſtraque: ſive, receptus
Terrâ, Neptunus claſſeis Aquilonibus arcet;
Regis opus: ſterilisve diu palus aptaque remis
Vicinas urbeis alit, & grave ſentit aratrum:
Seu curſum mutavit iniquum frugibus amnis;
Doctus ire melius. mortalia facta peribunt.

Ad hæc verba ita antiqua Scholia habent: *Modò autem ſubdit, quòd non tantùm verba hominum intereant; ſed & homines, & omnia eorum facta. quod tribus continuis adprobat exemplis. primum de portu Oſtienſi. nam apud Oſtiam civitatem Auguſtus mare inrumpens intercluſit; & adgere terræ & lapidibus obſtruxit; portumque ibi fecit. ſecundum de Pomtinis paludibus: quas Auguſtus exſiccavit, & habitabileis reddidit; injecto ſimiliter adgere lapidum & terræ. tertium de Tiberi fluvio: quem Agrippa de proprio derivavit alveo ad eum, per quem modò fluit.* Et exiguo pòſt: *Significat portum Lucrinum, & alios, ab Auguſto manu factos.* Mox: *Divus Auguſtus duas res divinas fecit: ut Pomtinam paludem exſiccaret, & ad mare meatum habere egeret; ut pòſt & arari poſſet. deinde portum Lucrinum munivit: de quo Maro;* [Γεωργικῶν lib. II:]

An

An memorem portus, Lucrinoque addita clauſtra,
Atque indignatum magnis ſtridoribus æquor?
Iulia quà ponto longè ſonat unda refuſo,
Tyrrhenusque fretis immittitur æſtus Avernis.

Portum exſtruxiſſe Auguſtum Cæſarem in Lucrino Avernoque lacubus, infrà in Campaniæ deſcriptione oſtendemus. de Pomtinis etiam paludibus in Volſci agri poſitione videbimus. at de *Oſtienſi portu* vehementer hic Scholiaſta erràvit, ſi potior ſuprà memoratorum ſcriptorum, Plinii, Svetonii, ac Dionis, ducenda ſit fides. Nomen *Auguſti* quum poſteà communis imperatorum facta ſit adpellatio; quod ſingulorum nummi teſtantur; quid mirum, ſi à Claudio quoque exſtructus apud Tiberina oſtia portus cognomen acceperit *Auguſti?* Quamquàm ego neſcio, qua ratione proximus eius ſucceſſor Nero eius gloriam ſibi arrogaverit: ita, ut nummos edi curaverit, in quorum unâ parte facies eius & nomina, in alterâ ipſe portus cum hac inſcripſione AVGVSTI PORTVS OSTIENSIS exhibetur. Sed ipſum nummum huc adponere conſilium eſt. is ab utrâque parte talis eſt:



Poſteà autem Traianum imperatorem portum hunc *inſtauraſſe in melius*, *interiùsque* alium *tutiorem ſui nominis feciſſe*; ita, uti jam geminus eſſet portus; alter *exterior* AVGVSTI PORTVS dictus; *interior* alter, TRAIANI PORTVS adpellatus; præter præſcriptum poëtam Iuvenalem, qui ſub Traiano vixit, & Scholiaſtam eius, teſtatur inſcriptio antiqua, quæ Romæ in cuiusdam viri nobilis domo, in vico, qui vulgò vocatur *Il Corſo*, prope arcum, quem vulgò dicunt *Arco di Portogallo*, exſtat huiusmodi:

D

SALONICARPIM F	M·CVTIVS·RVSTICVS
SALONIAE·EVTERPE	TIBICO·M·D·M·PORTVS
SACERDOTI·M·D·M·PORT·AVG	AVG·ET·TRAIANI·FELICIS
ET·TRAIANI·FELICIS·PATRONAE	FECIT·SIBI·ET·CVTIAE·THE
SVAE·OPTIMAE·BENE MEREN	ODOTE ET LIBERTIS LIBER
TI·FECIT·ET·SIBI·ET·SALONIO	TABVSQ·POSTERISQ·EORVM
HERMETI·SALONIO·DORAE·SA	PARS·DIMID·AD·DEXTRAM
LONIAE·TERTIAE·ET·EOR·FILIS	
PARS·DIMIDIA·INTRANTIB	
LAEVA	

M

Sed & nummus antiquus idem teſtatur; de quo ſic Ortelius in Theſauro geographico: *Idem teſtatur nummus meus æreus antiquus, qui Traiani imperatoris effigiem, & in poſticâ parte hunc portum depictum exhibet; eâque formâ, qua eum, etſi ruinis deformatum, aliquando cantemplati ſumus.* Exterior portus, qui *Auguſti* erat, totus hodiè arenis oppletus obrutusque eſt. at interioris forma plurimâ ex parte etiamnunc manet, cum ruderibus templorum aliorumque publicorum ædificiorum, maximè verò cellarum, quibus naves ſudducebantur. vocaturque hic locus hodiéque vulgo *Il Porto*; antiquâ epiſcopatus ſede maximè clarus: quamquàm pauciſſimis nunc inhabitetur tectis. *Pharum* in portu fuiſſe poſitam, id eſt, *altiſſimam turrim*, ex qua *nocturni ignes* oſtendebantur, ad quos *curſum navigia dirigerent*, ſuprà ex Svetonio atque Iuvenali intellectum. de eâdem Valerius Flaccus lib. V Ἀργοναυτικῶν·

Non ita Tyrrhenus ſtupet Ioniusque magiſter,
Qui portus Tiberine tuos claramque ſerenâ
Arce Pharon princeps [*linquens,*] *nusquàm Oſtia, nusquàm,*
Auſoniam videt.

Poſteriori ſæculo ipſum portum hinc dictum fuiſſe PHARI PORTVM, ex Eutropio Paulino diſco. is quidpe lib. V ep. II ſic ait: *Primò ad Vrbem acta tempeſtatibus navis, Romani portus pharum vidit. deinde Campaniam longis tractibus legit.* Et in Carmine de Martiani periculis & liberatione:

Longinquiorem portum ab Vrbe adlabitur,
Cui Centum cellis nomen eſt:
Ac inde navi promovendus longiùs
Intraret ut Portum Phari.
Vix iſte credens ſe potitum litore
Telluris optatæ ſibi;
Navi relictâ, lætus inſultat ſolum,
Romamque feſtinat pedes.

Deſcribitur opidum antiquum, cum adjacentibus locis, Procopio Gothicar. rer. lib. I his verbis: Οὐίττιγις δὲ, πολλὴν ἄδειαν ὁρῶν τοῖς πολεμίοις οὖσαν ἐκφορεῖν τε εἴ τι ἐκ τῆς πόλεως βούλοιντο, καὶ τὰ ἐπιτήδεια κατά τε γῆν καὶ θάλασσαν ἐσκομίζεσθαι, τὸν λιμένα, ὃν δὴ Πόρτον Ῥωμαῖοι καλοῦσι, καταλαβεῖν ἔγνω, ὃς δὴ ἀπέχει μὲν τῆς πόλεως ἓξ καὶ εἴκοσι καὶ ἑκατὸν σταδίους· μέτρῳ γὰρ τοσούτῳ, τὸ μὴ ἐπιθαλασσία εἶναι, διείργεται Ῥώμη. ἔστι δὲ, ᾗ ὁ ποταμὸς Τίβερις τὰς ἐκβολὰς ἔχει· ὃς δὴ ἐκ Ῥώμης φερόμενος, ἐπειδὰν τῆς θαλάσσης ἐγγυτέρω γένηται, ὅσον ἀπὸ σταδίων πεντεκαίδεκα δίχα σχιζόμενος, τὴν Ἱερὰν καλουμένην νῆσον ἐνταῦθα ποιεῖ. προϊόντος δὲ τοῦ ποταμοῦ, εὐρυτέρα ἡ νῆσος γίνεται· ὡς τῷ μήκει τὸ τοῦ εὔρους μέτρον κατὰ λόγον εἶναι σταδίους πεντεκαίδεκα, καὶ ῥεῦμα ἑκάτερον ἐν μέσῳ ἔχειν. ναυσίπορος τε ὁ Τίβερις ἀμφοτέρωθι μένει. καὶ τὸ μὲν ἐν δεξιᾷ τοῦ ποταμοῦ μέρος ἐς τὸν λιμένα τὰς ἐκβολὰς ποιεῖται· οὗ ἐκτὸς πόλιν ἐκ παλαιοῦ Ῥωμαῖοι πρὸς τῇ ὄχθῃ ἐδείμαντο, τεῖχος περιβεβλημένην ἐχυρὸν μάλιστα· Πόρτον τε αὐτὴν τῷ λιμένι ὁμωνύμως καλοῦσιν. ἐν ἀριστερᾷ δὲ, πρὸς τῆς ἑτέρας τοῦ Τιβέριδος ἐς τὴν θάλασσαν ἐκβολῆς, πόλις Ὀστία κεῖται, τῆς τοῦ ποταμοῦ ἠϊόνος ἐκτός· λόγου μὲν πολλοῦ παλαιὸν ἀξία, νῦν δὲ ἀτείχιστος παντάπασιν οὖσα. ὁδὸν τοίνυν, ἣ ἐς Ῥώμην ἐκ τοῦ Πόρτου φέρει, ὁμαλήν τε καὶ ἐμπόδιον οὐδὲν ἔχουσαν, τὸ ἐξ ἀρχῆς Ῥωμαῖοι πεποίηνται. βάρεις τε ἀεὶ πολλαὶ ἐξεπίτηδες ἐν τῷ λιμένι ὁρμίζονται· καὶ βόες οὐκ ὀλίγοι ἐν παρασκευῇ ἀγχοτάτω ἑστᾶσιν. ἐπειδὰν οὖν οἱ ἔμποροι ταῖς ναυσὶν ἐς τὸν λιμένα ἀφίκωνται, ἄραντες τὰ φορτία ἐνθένδε, καὶ ταῦτα ἐνθέμενοι ἐν ταῖς βάρεσι, πλέουσι διὰ τοῦ Τιβέριδος ἐπὶ τὴν Ῥώμην, ἱστίοις μὲν ἢ κώπαις ἥκιστα χρώμενοι, ἐπεὶ οὔτε ἀνέμῳ τινὶ ἐνταῦθα οἷά τε ἐστὶ τὰ πλοῖα ὠθεῖσθαι, συχνά τε τοῦ ποταμοῦ ἑλισσομένου, καὶ οὐκ ἐκ τοῦ εὐθέος ἰόντος, οὐδέ τι ἐνεργεῖν δύνανται, τῆς τοῦ ὕδατος ῥύμης ἀπεναντίας αὐταῖς ἀεὶ φερομένης. βρόχους δὲ ἀπὸ τῶν βάρεων ἐς τῶν βοῶν τοὺς αὐχένας ἀρτήσαντες, ἕλκουσιν αὐτὰς, ὥσπερ ἁμάξας, ἄχρι ἐς Ῥώμην. Ἑτέρωθι δὲ τοῦ ποταμοῦ ἐκ πόλεως Ὀστίας ἐς Ῥώμην ἰόντι, ὑλώδης τε ἡ ὁδός ἐστι καὶ ἄλλως ἀτημελημένη, καὶ οὐδὲ τῆς Τιβέριδος ἠϊόνος ἐγγὺς, ἅτε τῆς τῶν βάρεων ὁλκῆς ἐνταῦθα οὐκ οὔσης. Hoc eſt: *Vitigis, quum cerneret, hoſteis liberè ac tutò, quæcumque vellent, exportare ex Vrbe atque commeatus terrâ marique inferre; Portum, quem ſic Romani vocant, occupare decrevit. Is abeſt ab Vrbe ſtadia* CXXVI. *tanto ſcilicet intervallo, quo minùs maritima ſit, Roma ſubmovetur. Situs autem eſt Portus ad oſtia Tiberis amnis. qui, Romam egreſſus, ubi mare ad* XV *ſtadia adpropinquat, in duos ſciſſus alveos, inſulam efficit, quam vocant Sacram. hæc cum progrediente fluvio fit latior: ita, uti tandem latitudinis menſura longitudinem ferè exæquet ſtadiûm* XV; *& utrumque alveum in medio habeat. Navigiorum autem quum utrumque ſit capax amnis; dextri alvei os in portum effunditur. ſupra quod opidum olim Romani in ripâ amnis condiderunt, validiſſimo muro cinctum. quod Portum à re ipsâ vocitant. Ad ſiniſtrum alveum ante alterum Tiberis os Oſtia ſita eſt in ulteriore ripâ; urbs quomdam magni nominis: at nunc ſine mœnibus jacet. Viam igitur, quæ ex Portu Romam fert, planam atque expeditam veteres ſtruxêre Romani. Actuariæ autem naves magno numero datâ operâ conſtitutæ ſunt in portu; bovesque haud pauci proximè habentur parati. negotiatores igitur quando navibus in portum pervenerunt; exemptas inde merceis in actuarias imponunt, perque Tiberis flumen Romam devehunt: velis equidem aut remis minimè utentes; quando neque vento aliquo navigia impelli poſſunt; nec remi, quum amnis copioſus fluat atque rapidus, prodeſſe quidquam valent; quum ſemper adversùs flumen adſcendendum ſit. ſed funibus ex actuariis ad colla boum deligatis, ceu plauſtra Romam usque pertrahunt. Ab alterâ verò amnis*

ripâ, quà ab Oſtiâ Romam itur, ſilveſtris eſt via ac parum culta, nec propinqua Tiberis ripæ: ut juxta quam actuariæ naves nullæ ſurſum trahuntur. Stadia CXXVI millia paſſuum conficiunt ferè XVII; more eius ſæculi VII ſtadiis cum dimidio in ſingula millia computatis. Atque hic millium numerus magis huic intervallo convenit, quàm ſuprà ſcripta Antonini millia XVIIII: pro quibus Itinerarium maritimum habet XVIII. cui conſentiens Rufus Feſtus in Breviario rerum Romanarum, *Sub regibus* VII, inquit, *per annos* CCXLIII *non ampliùs quàm usque Portum atque Oſtiam intra* XVIII *milliarium à portis urbis Romæ, utpote adhuc parvæ & à paſtoribus conditæ, Romanum proceſſit imperium*. Quòd autem Procopius utrumque Tiberis alveum & oſtium ναυσίπορον, id eſt, *navigiorum patientem* tradit, id de diſparibus magnitudineque diſſimilibus navigiis intelligendum cenſeo; niſi Rutilium, qui haud ita multo antiquior Procopio, falſa prodidiſſe credere velimus. qui tamen certiora eâ de re, quàm Procopius, noſſe potuit; ut qui diu Romam incoluit; flumenque ipſe navigavit. Falluntur hodiè immenſum illi, qui, figuram *Auguſti Traianique portuum* exhibituri, dextrum amnis alveum non ipſos portus, quòd diſertè tradit Procopius, ſed propter horum muros in apertum mare deducunt: utique, quum ſuprà adpoſitus nummus quoque pervium à tergo ac fronte exhibeat portum Auguſti. Sed hos homines inſuper redarguit & latitudo inſulæ, quam Procopius longitudine facit ferè æqualem, XV ſtadiorum; id eſt, duûm millium paſſuum. quæ ſanè latitudo minimè inter duos nunc fluminis alveos, ſed maximè inter maiorem alveum & canaliculum, qui ex Traiani portu exit, convenit. INSVLA, quæ Procopio cognominatur SACRA, Aethico in Coſmographiâ dicitur LIBANVS ALMAE VENERIS. *Tiberis*, inquit, *inter Oſtienſem portum & viam Portuenſem* [Scribendum cenſeo, *Tiberis inter Oſtienſem & Portuenſem viam*] *urbem egreditur; quà naves de Portu Vrbis ad dominam totius mundi Romam adſcendunt. hinc circa ſextum Philippi*, [ſcribo, *circa ſextumdecimum lapidem*,] *quod Prædium miſſale adpellatur, geminatur; &, in duos ex uno effectus, inſulam facit inter Portum Vrbis & Oſtiam civitatem. ubi populus Romanus cum Vrbis præfecto vel conſule ſacrorum celebrandorum causâ egreditur ſolennitate jucundâ. Inſula verò, quam facit inter Vrbis portum & Oſtiam civitatem* [*Tiberis*,] *tantæ viriditatis amœnitatisque eſt, ut neque æſtivis menſibus neque hiemalibus paſturæ admirabileis herbas debeat. ita autem vernali tempore roſâ & cæteris floribus adimpletur, ut præ nimietate ſui odoris & floris inſula ipſa Libanus almæ Veneris nuncupetur*. Ovidius Faſtor. lib. II; ubi menſis Februarii feſtos dies enarrat:

Principio menſis, ———
Tunc quoque vicini lucus celebratur Averni,
Quà petit æquoreas advena Tybris aquas.

Tacitus Annal. lib. XI: *Dum ſacrificii gratiâ Claudius Oſtiam proficiſceretur*. Idem haud dubiè ſacrum, quod Ovidius indicat: nam illud Tacitus circa idem anni tempus refert. Neſcio tamen, an iiſdem diebus celebrata, quæ Auſonius in Eclogario notat his verbis:

Nunc & Apollineos Tiberina oſtia per ludos
Et Megaleſiacæ matris operata loquar.

Sed abſolutâ Claudii Traianique portus & inſulæ adjacentis expoſitione, in Latinam rurſus Tiberis ripam transgrediamur. *Oſtiam* urbem ab Anco Marcio, IIII rege Romanorum, conditam fuiſſe, ex complurimis equidem ſuprà intelleximus auctoribus. verùm quia primus ille ſecundùm ipſorum Romanorum computationem rex Romulus falſus nobis deprehenſus eſt; neque de proximè eum ſubſequentibus, *Numâ Pompilio*, *Tullo Hoſtilio*, & prædicto *Anco Marcio* quidquam certi credi poteſt. Ipſum *Euandrum*, qui primus Latinorum gentis, ex Aboriginibus & Pelaſgis compoſita, rex fuit, dictum fuiſſe *Romulum*, poſtquàm *Valentiam* urbem & regionem inter Anienem ac mare, ejectis inde Siculis, occupaſſet, ſuperioribus capitibus oſtenſum eſt. Vel jam tum Siculos habuiſſe ad Tiberis, magni fluminis, oſtium portum, vel mox, illis pulſis, Euandrum eum exſtruxiſſe, maximè credibile. Omnem de Aeneæ ad Italiam adpulſu fabulam ex verâ de Euandri in eamdem hanc regionem adventu hiſtoriâ concinnatum eſſe, ſuprà itidem membratim expoſuimus. Hinc igitur Aeneas fingitur eodem loco urbem condidiſſe, nomine TROIAM NOVAM, ubi Oſtia ſita eſt. Livius lib. I: *Iam primùm omnium ſatis conſtat*,

TROIA NOVA.

ſtat, Troiâ captâ in cæteros ſævitum eſſe Troianos: duobus Aeneâ Antenoreque, & vetuſti jure hoſpitii, & quia pacis reddendæque Helenæ ſemper auctores fuerant, omne jus belli Achivos abſtinuiſſe. caſibus deinde variis Antenorem cum multitudine Henetûm veniſſe in intimum maris Hadriatici ſinum: Euganeisque pulſis, Henetos Troianosque eas tenuiſſe terras. &, in quem primum egreſſi ſunt locum, Troia vocatur, Aeneam, ab ſimili clade domo profugum, primò in Macedoniam veniſſe: inde Siciliam quærentem ſedeis delatum: ab Siciliâ claſſe Laurentem agrum tenuiſſe. Troia & huic loco nomen eſt. Dionyſius Halicarnaſſenſis lib. I: Τελευτῶντες δ' ἀφικνοῦνται τῆς Ἰταλίας εἰς Λώρεντον· ἔνθα τῆς πλάνης παυσάμενοι, χάρακα ἔθεντο· καὶ τὸ χωρίον, ἐν ᾧ κατεστρατοπεδεύσαντο, ἐξ ἐκείνου Τροία καλεῖται· ἀπέχει δὲ τῆς θαλάττης ἀμφὶ τοὺς τέτταρας σταδίους. Id eſt: *Tandem ad Italiæ Laurentum perveniunt. ubi errorum fine invento, vallum excitarunt. & locus, in quo caſtra ſunt metati, exinde Troia vocatur; diſtans à mari circa* IIII *ſtadia.* Strabo lib. V: Φασὶ δὲ, Αἰνείαν, καταραντα εἰς Λαύρεντον, ἠϊόνος μικρὸν ὑπὲρ τῆς θαλάσσης ὅσον ἐν τέτταρσι καὶ εἴκοσι σταδίοις κτίσαι πόλιν· ἐπελθόντα δὲ Λατῖνον, τὸν τῶν Ἀβοριγίνων βασιλέα, συμμάχοις χρήσασθαι τοῖς περὶ τὸν Αἰνείαν ἐπὶ τοὺς γειτονεύοντας Ῥουτούλους. νικήσαντα δὲ, ἀπὸ τῆς θυγατρὸς Λαουινίας ἐπώνυμον πόλιν κτίσαι. Hoc eſt: *Ferunt, Aeneam Laurentum adpuliſſe: urbemque condidiſſe paullo ſupra litus, ad* XXIIII *ſtadia. ſuperveniſſe deinde Latinum, Aboriginum regem, auxilioque Aeneæ uſum contra finitimos Rutulos: partâque victoriâ, urbem condidiſſe, filiæ Laviniæ cognominem.* En, quod Dionyſius Liviusque prætereunt; aliud opidum condidiſſe Aeneam, tradidêre illi auctores, quos citat Strabo, antequàm *Lavinium* conderetur, cui nomen ab uxore Aeneæ, Latini filiâ, inditum. Ovidius Μεταμορφώσεων lib. XIIII, de Aeneæ adpulſu:

> ——— *Lucosque petunt, ubi nubilus umbrâ*
> *In mare cum fulvâ prorumpit Tybris arenâ.*

Et Virgilius Aeneid. lib. VII:

> *Atque heic Aeneas ingentem ex æquore lucum*
> *Proſpicit. hunc inter fluvio Tiberinus amœno*
> *Vorticibus rapidis & multâ flavus arenâ*
> *In mare prorumpit.*
> *Flectere iter ſociis terræque advertere proras*
> *Imperat. & lætus fluvio ſuccedit opaco.*

Aliquanto pòſt:

> ——— *Laomedontia pubes*
> *Gramineo ripæ religavit ab adgere claſſem.*

En, *ſucceſſiſſe* ait *fluvio* Aeneam. ergo non in ore ad quingenteſimum, ut vult Dionyſius, paſſum manſit. Pergit paullo pòſt Virgilius:

> ——— *Ipſe humili deſignat mœnia foſſâ,*
> *Moliturque locum: primasque in litore ſedeis*
> *Caſtrorum in morem pinnis atque adgere cingit.*

Ad hæc Servius: *Sciendum, civitatem quam primò fecit, Troiam dictam; ſecundùm Catonem & Livium. quod & ipſe docet; Nec te Troia capit.* Hoc ſcilicet infrà lib. VIIII ad Aſcanium Apollo; quem locum mox producemus: ubi ita Servius: *Vel Maior es, quàm patria; vel, Maior es meritis, quam civitas, in qua nunc es.* Libro igitur VII deinde Latinus rex ita adloquitur legatos Aeneæ:

> *Dicite Dardanidæ,*
> *Quid petitis? quæ cauſa rateis, aut cuius egenteis,*
> *Litus ad Auſonium tot per vada cærula vexit?*
> *Sive errore viæ, ſeu tempeſtatibus acti,*
> *Fluminis intraſtis ripas, portuque ſedetis,*
> *Ne fugite hoſpitium.*

Latino ita reſpondet Ilioneus legatus:

> *Diis ſedem exiguam patriis litusque rogamus*
> *Innocuum, & cunctis undamque auramque patentem.*

Poſteà verò de Iunone loquens poëta:

> *Moliri jam tecta videt; jam fidere terræ;*
> *Deſeruiſſe rateis.*

Mox

Mox Iuno: ——— *Optato conduntur Tybridis alveo,*
Securi pelagi atque mei.

Si *conditi* fuêre fluminis *alveo*; certè non in ore ſedêrunt apud *litus*. Locus autem Oſtiæ tam prope litus eſt, uti & ipſa urbs ſemper maritima habita: &, quum ad ipſum usque mare ab Româ forent millia paſſuum XVI; *Oſtiam* tanto intervallo ab Vrbe abeſſe dicebant: ut ſuprà intellectum. Eodem libro infrà Alecto, à Iunone immiſſa, ſic Turnum per quietem adfatur:

——— *Phrygios, qui flumine pulcro*
Conſedêre, duces pictasque exure carinas.

Libro autem VIIII ita Iris adloquitur Turnum:

Aeneas, urbe & ſociis & claſſe relictâ,
Sceptra Palatini ſedemque petivit Euandri.
Nec ſatis: extremas Coriti penetravit ad urbeis:
Lydorumque manum collectos armat agreſteis.

Ad hæc Servius: *Vrbs iſta quæ eſt tutam*; [lego, *Vrbs iſta eſt, de qua ſuprà*;] *Ipſe humili deſignat mœnia foſſâ. Hanc Caſtrum Laurens dici ait Varro: opidum tacet. ſed, ubi primùm Aeneas egreſſus ſit, eum locum Troiam nuncupari traditur.* Tibullus etiam lib. II eleg. V *Caſtrum Laurens* memorat. ſed id ipſum opidum *Laurentum* intellexiſſe videtur; ut mox infrà oſtendetur. Porrò Virgilius paullo pôſt; ubi Turnus caſtra hæc ſeu novum opidum Aeneæ oppugnat:

——— *Ingenti clamore per omneis*
Condunt ſe Teucri portas, & mœnia complent:
Turnus, ut ante volans tardum præceſſerat agmen,
Viginti lectis equitum comitatus, & urbi
Improviſus adeſt.
Claſſem, quæ lateri caſtrorum adjuncta latebat,
Adgeribus ſeptam circùm & fluvialibus undis,
Invadit.

Et poſteà:

Aeneadæ duri, murorum in parte ſiniſtram
Oppoſuêre aciem; (nam dextra cingitur amni)
Ingenteisque tenent foſſas; & turribus altis
Stant mœſti.

Ergo nulla urbis pars litus marinum tangebat. Dehinc, dum adhuc obſidentur Troiani;

Aetheriâ tum fortè plagâ crinitus Apollo
Deſuper Auſonias acies urbemque videbat,
Nube ſedens: atque his victorem adfatur Iulum:
Macte novâ virtute puer: ſic itur ad aſtra.
Diis genite, & geniture deos; jure omnia bella
Gente ſub Aſſaraci fato ventura reſident.
Nec te Troia capit.

Libro X ita Venus ad Iovem:

——— *Muris iterum imminet hoſtis*
Naſcentis Troiæ.

Et mox Iuno Veneri reſpondet;

Indignum eſt, Italos Troiam circumdare flammis
Naſcentem?

Eodem libro infrà ita Pallas, Euandri filius, ſuos, cedenteis è pugnâ, adloquitur:

Ecce maris magnâ claudit nos obice pontus.
Deeſt jam terra fugæ. pelago Troiam ne petemus?

Ad quæ ſic Servius: *Troiam, id eſt, caſtra Troianorum.* Ex hactenus igitur citatis clarè patet, tradidiſſe vetuſtiſſimos illos Romanos Aeneam ad Tiberim amnem, haud procul à mari, condidiſſe urbem, quam de priſtinæ patriæ vocabulo vocaverit *Troiam*. Hinc etiam illud apud Stephani epitomatorem in vocabulo Τροία· Ἔστι καὶ Τροία πρὸς τῷ Ἀδριάτῃ τῆς Βενετίας· καὶ ἄλλη Λατίνων. Id eſt: *Eſt etiam Troia apud Hadrianum agrum in Venetiâ: & item alia Latinorum.* Et quum hæc Aeneæ *Troia* paullum à mari recederet; alii per ſummum errorem eamdem fuiſſe putarunt & *Ardeam*;

quæ

quæ Rutulorum fuiſſe traditur caput, Turnique ſedes : ſcilicet, quia hæc quoque à mari remota eſt. Idem Stephani epitomator : Ἄρδεα, κατοικία τῆς Ἰταλίας. Στράβων πέμπτῃ. αὕτη Τροία ἐλέγετο· ὡς Χάραξ. Id eſt : *Ardea, opidum Italiæ ; auctore Strabone lib.* v. *hæc & Troia dicebatur ; teſte Charace.* Sex. Aurel. Victor in libro de Origine gentis Romanæ ita tradit : *Domitius lib.* I *docet, ſorte Apollinis Delphici monitum Aeneam, ut Italiam peteret ; ubi duo maria inveniſſet, prandiumque cum menſis comeſſet, ibi urbem ut conderet. itaque egreſſum in agrum Laurentem, quum paululum à litore proceſſiſſet, perveniſſe ad duo ſtagna aquæ ſalſæ, vicina inter ſe : ibique quum ſe laviſſet ; ac, refectum cibo, quum apium quoque, quod tunc vice menſæ ſubſtratum fuerat, conſumpſiſſet : exiſtimantem, procul dubio illa eſſe duo maria ; quòd in illis ſtagnis aquæ marinæ ſpecies eſſet ; menſasque, quæ erant ex ſtramine apii, comeſtas : urbem in eo loco condidiſſe ; eamque, quòd in ſtagno laverit, Lavinium cognominaſſe.* Atqui omnes alii auctores, ab uxore *Laviniâ* opido *Lavinio*, de quo infrà dicetur, nomen indidiſſe Aeneam, tradunt : alioque hoc opidum fuiſſe ſitu, quàm ubi prima caſtra in Tiberis ripâ poſita vult Virgilius, quibus *Troiæ* nomen impoſitum. quo loco *comeſtas* iſtas *menſas* refert lib. VII. Atque heic erant, non ad Lavinium, *duo illa maria*, ſeu binæ *aquæ ſalſæ*, apud Tiberim & Oſtiam. quorum alterum ipſe erat pelagus Etruſcus ; alterum erat ſtagnum marinum, præ longis faucibus terræ gremio ſupra Oſtiam usque infuſum : qui

LACVS OSTIENSIS.

poſteà LACVS OSTIENSIS dictus videtur. ſic quidpe Livius lib. XXVI : *In Albano monte tacta de cœlo erant ſignum Iovis arborque templo propinqua ; & Oſtiæ lacus ; & Capuæ murus, Fortunæque ædes ; & Sinueſſæ murus portaque.* Inter hunc igitur locum & Tiberis ripam Aeneas conſtituerit *novam* iſtam *Troiam*. Atque hinc eſt, quòd Strabo, qui diverſos auctores legiſſe videtur, primam illam ab Aeneâ conditam urbem XXIIII circiter ſtadia, id eſt, millia paſſuum III, à mari abfuiſſe tradit. Verùm quamvis hæc de Aeneæ in Italiam adventu rebusque inibi geſtis fabula tantùm ſit ; ad ſimilitudinem rerum Euandri conficta ; antiqua tamen urbis *Oſtiæ* origo hinc perſpicitur : ut quæ, multis ſæculis ante Romanorum illum regem *Ancum Marcium*, haud dubiè ab Euandro primo Romanorum rege condita ; poſtquàm is Romam urbem, pulſis inde bello Siculis, occupavit : cui tunc portum huc ſtruere voluit.

SALINAE OSTIENSES.

SALINAS ad Oſtiam quis primus paraverit ; idem Euander, an alius poſteà Romanorum rex, incertum habeo. Eidem id factum tribui Anco Marcio à Livio, ſuprà intelleximus. cum quo conſentiens auctor libri de Viris illuſtribus : *Ancus Marcius*, inquit, *Salinas ad uſum navium publicavit : ſalinarum vectigal inſtituit. Oſtiam coloniam, maritimis commeatibus opportunam, in oſtia Tiberis deduxit.* Eædem ſalinæ hodiéque magnâ cum celebritate exercentur ; ſuper Oſtiam, inter viam, quæ Romam fert, & Tiberim, ſitæ.

FORVM AVRELIANI ; *quòd poſteà* PRAETORIVM.

De cætero in eodem illo, ut opinor, loco, quo Dionyſius vult prima Aeneam locaſſe caſtra, quique etiam poſteà incolis dictus eſt *Troia*, *Forum nominis ſui Aurelianus imperator*, ut inquit Fl. Vopiſcus in vitâ eius, *in Oſtienſi ad mare fundare cœpit. in quo poſteà Prætorium publicum conſtitutum eſt.*

LAVRENTVM *opidum ; quòd poſteà* LAVROLAVINIVM.

Oſtiam proximè ſequebatur apud litus LAVRENTVM *opidum*, Latinorum regum, ut eſt in fabulis, Pici Faunique & Latini regia : unde LAVRENS *ager*, latè ſumptus ; ita, uti etiam omne eâ adpellatione intelligeretur Latium. Mela lib. II cap. IIII : *Oſtia, Laurentum, Ardea.* Plinius lib. III cap. V : *In principio eſt Oſtia colonia, à Romano rege deducta. opidum Laurentum : Lucus Iovis Indigetis : amnis Numicius : Ardea.* Strabo lib. V : Πόλεις δ' ἐπὶ θαλάττῃ μέν εἰσι τῶν Λατίνων, ἥ τε Ὤστια καὶ Ἄντιον, ἀνὰ μέσον δὲ τούτων Λαουίνιον, εἶτα Λαύρεντον. Id eſt : *Latinorum opida maritima ſunt Oſtia & Antium ; & in horum medio Lavinium ; tum Laurentum.* Ab Antio ad Oſtiam regrediundo, in medio eorum erat primò *Lavinium*, dein *Laurentum*. Itineraria antiqua :

Tabulæ ;		Antonini ;	
Roma		*Roma*	
Hoſtîs	XVI.	*Hoſtîs*	XVI.
Laurento	XVI.	*Laurento*	XVI.
Lavinium	VI.	*Lavinio*	XVI.
Antium	XVII.		

In Tabulâ itinerariâ toto hoc litore inter Oſtiam & Tarracinam millia paſſuum colliguntur LXXXV: unde adparet, nonnullos ſingulorum intervallorum numeros eſſe corruptos; quando Romam usque, quæ longiùs diſſita, non ultra LXV millia ego pede meo deprehenderim à Tarracinâ. quæ licet in paullo minutiora, more veteris ævi redigere velis; tamen plus LXX juſtis millibus non effeceris. Longè rectiùs Plinius lib. III cap. inter *Oſtiam* & *Circeios*, quod opidum X millia citra *Tarracinam* fuit in monte *Circæo*, L numeravit millia paſſuum. *Latium*, inquit, *antiquum à Tiberi Circeios usque obſervatum eſt, millium paſſuum quinquaginta longitudine*. Sed præcipua vitia in Tabulâ juxta & Antonino eſſe exiſtimo inter *Oſtiam* & *Antium*. & apertè inter ſe diſſentiunt ſuper intervallo inter *Laurentum* & *Lavinium*. *Ardea* hodiè nomen retinet. inter hanc & Tiberim ſive Oſtiam nullus alius eſt amnis, quàm qui ab opidulo *Patrica* in exiguum maris ſinum defluit. hic igitur oportet uti ſit *Numicius* fluvius: de quo plura pòſt dicemus. citra hunc autem ponitur à Plinio *Laurentum*. Errant itaque illi, qui hoc opidum nunc interpretantur locum, qui ab lævâ amnis ripâ vulgò dicitur *San Lorenzo*. Anaſtaſius in vita Silveſtri, qui XXXIIII fertur fuiſſe Romanorum papa; de donationibus loquens Conſtantini imperatoris; *Item ſub civitate Laurentium*, inquit, *poſſeſſio Patras*. Haud dubiè hic locus eſt, qui, ab dextrâ Numicii ripâ paullo remotior, vulgò nunc vocatur *Paterno*. Idem auctor in Gelaſio, L papâ: *Dedicavit baſilicam S. Mariæ viâ Laurentinâ, in fundo Criſpini, milliario ab urbe Româ vigeſimo*. Credo, ſcriptum fuiſſe ab ipſo Anaſtaſio *milliario* X: quod poſteà ab exſcriptoribus corruptum in XX; ac tandem in ipſum vocabulum perſcriptum *vigeſimo*. nam ad ipſum Numicium amnem & opidulum *Patrica* XVII haud ampliùs ſunt millia paſſuum. In Tabulâ itinerariâ, præter ſuprà ſcriptum iter, alia ab urbe ad *Laurentum* deducitur via, media inter Oſtienſem & Appiam vias, cum intervallo XII millium; mendo ſcilicet apertiſſimo. ex quo documento, ſimulque ex eo, quòd titulus viæ Laurentinæ omiſſus, dilucidè adparet, negligentiſſimum fuiſſe Tabulæ exſcriptorem; vel ſaltem, multas literas heic adeò vetuſtate atque ſitu exoletas fuiſſe, uti legi ampliùs nequirent Ego cenſeo, numerum XVI millium, qui perperam poſitus eſt inter Oſtiam & Laurentum, pertinere ad viam inter Laurentum & Romam. inter Oſtiam verò & Laurentum ſcripta fuiſſe aut VI aut VII millia. Haud procul à Tiberi abfuiſſe *Laurentum*, teſtantur, inter alios, maximè Strabo atque Dionyſius. quorum ille lib. V, Φασὶ γὰρ, inquit, Αἰνείαν καταχθῆναι εἰς Λαύρεντον, πλησίον τῆς Ὠστίων καὶ τοῦ Τιβέρεως. Id eſt: *Aiunt Aeneam Laurentum adpuliſſe, prope Oſtiam & Tiberim*. Dionyſius lib. I: Κατὰ δὲ τὸν χρόνον τοῦτον Τρῶες, οἱ σὺν Αἰνείᾳ διαφυγόντες ἐξ Ἰλίου τῆς πόλεως ἁλούσης κατέσχον εἰς Λώρεντον, αἰγιαλὸν Ἀβοριγίνων, ἐπὶ τῷ Τυρρηνικῷ πελάγει κείμενον, οὐ πρόσω τῶν ἐκβολῶν τοῦ Τιβέριος. Hoc eſt: *Per id tempus Troiani, cum Aeneâ poſt captum Ilium profugi, adpulerunt Laurentum ad Aboriginum litus, quod Tyrrheno mari adluitur, haud procul Tiberis oſtiis*. Et eodem libro poſteà: Τελευτῶντες δὲ ἀφικνοῦνται τῆς Ἰταλίας εἰς Λώρεντον. ἔνθα τῆς πλάνης παυσάμενοι, χάρακα ἔθεντο· καὶ τὸ χωρίον, ἐν ᾧ κατεστρατοπεδεύσαντο, ἐξ ἐκείνου Τροία καλεῖται. Id eſt: *Tandem ad Italiæ Laurentum perveniunt. ubi errorum fine invento, vallum excitavêre. & locus, in quo caſtra ſunt metati, exinde Troia vocatur*. Et paullo pòſt: Ὅρμῳ χρησάμενοι τῷ Λωρέντῳ, σκηνὰς ἐπήξαντο περὶ τὸν αἰγιαλόν. Hoc eſt: *Laurentum adpulſi, territoria fixerunt per litora*. Duas ſimul res indicare voluiſſe videntur iſti Græcis. nempe *Laurentum* opidum haud procul Tiberi eſſe; *Laurentinum* verò *agrum*, ad quem adpuliſſe fertur Aeneas, ad Tiberim usque pertinuiſſe. nam in Tiberis lævum oſtium adpuliſſe Aeneam, ibique excitaſſe urbem nomine Novam Troiam, ſuprà oſtenſum eſt. Hinc Livius diſertiùs lib. V, *Ab Siciliâ*, inquit, *claſſe Laurentem agrum tenuiſſe. Troia huic loco nomen eſt. Ibi egreſſi Troiani; ut quibus ab immenſo propè errore nihil, præter arma & naveis, ſupereſſet, quum prædam ex agris agerent, Latinus rex Aboriginesque, qui tum ea tenebant loca, ad arcendam vim advenarum armati ex urbe atque agris concurrunt*. Ergo etiam ſecundùm Livium *Laurentum* urbs haud procul à Tiberi abfuit. Dionyſius eodem lib. I poſteà ita ſcribit: Ἄραντες δὲ ἀπὸ τῆς Σικελίας, περῶσι τὸ Τυρρηνικὸν πέλαγος, καὶ τελευτῶντες εἰς Λώρεντον ἀφικνοῦνται, τὸν Ἀβοριγίνων αἰγιαλὸν, μεσούσης θερείας. λαβόντες δὲ τὸ χωρίον, οἰκίζουσιν ἐν αὐτῷ Λαουΐνιον. Hoc eſt: *Solventes ab Siciliâ, trajiciunt mare Tyrrhenicum: tandemque Laurentum, Aboriginum ad litus perveniunt. acceptoque illo agro, condiderunt in eo Lavinium*. Ex hac ſimul & ex præſcriptâ Dionyſii

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

nyſii loqutione facilè quis ſuſpicetur ipſum *litus* tunc adpellatum fuiſſe *Laurentum*; nullo inibi opido eius nominis exſiſtente. verùm *urbem* diſertè heic adpellat Livius loco modò citato. cui conſentiens Virgilius ita refert Aeneid. lib. VII de Aeneæ legatis, ad Latinum regem miſſis:

Iamque iter emenſi, turreis ac tecta Latini
Ardua cernebant juvenes; muroque ſubibant;
Quum provectus equo longævi regis ad aureis
Nuncius, ingenteis ignotâ in veſte, reportat,
Adveniſſe viros. Ille intra tecta vocari
Imperat: & ſolio medius conſedit avito.
Tectum auguſtum, ingens, centum ſublime columnis,
Vrbe fuit ſummâ, Laurentis regia Pici;
Horrendum ſilvis & religione parentum.
Hinc ſceptra accipere, & primos attollere faſceis,
Regibus omen erat: hoc illis curia templum;
Hæc ſacris ſedes epulis; heic ariete cæſo,
Perpetuis ſoli patres conſidere menſis.
Quin etiam veterum effigies ex ordine avorum,
Antiquâ ex cedro; Italuſque paterque Sabinus,
Vitiſator; curvam ſervans ſub imagine falcem,
Saturnuſque ſenex, Ianique bifrontis imago,
Veſtibulo adſtabant; aliique ab origine reges;
Martiaqui ob patriam pugnando vulnera paſſi.
Multaque præterea ſacris in poſtibus arma,
Captivi pendent currus, curvæque ſecures,
Et criſtæ capitum, & portarum ingentia clauſtra;
Spiculaque clypeique, ereptaque roſtra carinis.
Ipſe Quirinali lituo parvâque ſedebat
Succinctus trabeâ; lævâque ancile gerebat
Picus, equûm domitor: quem capta cupidine conjux
Aureâ percuſſum virgâ, verſumque venenis,
Fecit avem Circe, ſparſitque coloribus alas.
Tali intus templo divûm patriâque Latinus
Sede ſedens, Teucros ad ſeſe in tecta vocavit.

Diſertè heic in *urbe Laurento Pici regis*, qui Latini fuiſſe avus traditur, *regiam* ponit. at eodem libro, haud ita multo antè, eamdem arcem & condidiſſe Latinum ait & nomen ei ab *lauro* impoſuiſſe. Verba eius hæc ſunt:

Laurus erat tecti medio in penetralibus altis,
Sacra comam, multoſque metu ſervata per annos.
Quam pater inventam, primas quum conderet arceis,
Ipſe ferebatur Phœbo ſacraſſe Latinus:
Laurentiſque ab eâ nomen poſuiſſe colonis.

Sed hæc poëta. Veriora de eodem nomine tradidêre alii auctores. Sex. Aurelius Victor, in libro de Origine gentis Romanæ: *Inde ad eam Italiæ oram, quæ ab arbuſto eiusdem generis Laurens adpellata eſt, Latino regnante, pervectus Aeneas.* Herodianus lib. I: ubi peſtilentia ingens univerſam Italiam occupaverat: Τότε ὁ Κόμμοδος, συμβουλευσάντων αὐτῷ τινῶν ἰατρῶν, εἰς τὴν Λαύρεντον ἀνεχώρησεν· ψυχρότερον γὰρ τὸ χωρίον, καὶ μεγίστοις κατάσκιον δαφνηφόροις ἄλσεσιν (ὅθεν καὶ τὸ ὄνομα τῷ χωρίῳ) σωτήριον εἶναι ἐδόκει, καὶ πρὸς τὴν τοῦ ἀέρος φθορὰν ἀντέχειν ἐλέγετο, εὐωδίᾳ τε τῆς τῶν δένδρων ἡδείας σκιᾶς. Hoc eſt: *Tum Commodus, ſvadentibus quibuſdam medicis, Laurentum ſeceſſit. frigidior enim is locus, ſilviſque è lauro ſpacioſiſſimis opacus (à quo etiam inditum loco nomen) conſervandæ valitudini idonea exiſtimabatur; atque adeò äeris corruptioni reſiſtere, tùm ſvavitate odoris, qui è lauris efflaretur, tum jucundâ ipſarum arborum umbrâ.* Poſterioribus etiam temporibus LAVRENTINA hæc adpellata eſt SILVA. Iul. Obſequens in libro de Prodigiis; in conſulatu M. Aemilii & Hoſtilii Mancini: *Quum Lanuvii auſpicarentur, pulli è caveâ in ſilvam Laurentinam evolarunt, neque inventi ſunt.* Scribe *Lavinii.* nam

LAVRENTINA *ſilva.*

nam *Lanuvium* paullo longiùs aberat. tum diſertè ſcriptum eſt apud Valer. Maximum lib. I cap. VI: *C. Hoſtilius Mancinus, quum Lavinii ſacrificium facere vellet, pulli, caveâ emiſſi, in proximam ſilvam fugerunt; ſummâque diligentiâ quæſiti, reperiri nequiverunt.* Sed quum Herodianus quoque non de opido aliquo *Laurento*, verùm de agro loqui videatur, ex aliis etiam, præter præſcripta itineraria & geographos, demonſtrandum erit auctoribus, fuiſſe id opidum, & clari nominis. Plutarchus in Romulo: Ἔτει δὲ πέμπτῳ τῆς Τατίου βασιλείας οἰκεῖοί τινες αὐτοῦ καὶ συγγενεῖς πρέσβεσιν ἀπὸ Λαυρέντου βαδίζουσιν εἰς Ῥώμην, ἐντυχόντες, καθ' ὁδὸν ἐπεχείρουν ἀφαιρεῖσθαι τὰ χρήματα βίᾳ, καὶ μὴ προϊεμένους, ἀλλὰ ἀμυνομένους ἀνεῖλον. ἔργου δὲ δεινοῦ τολμηθέντος, ὁ μὲν Ῥωμύλος εὐθὺς δεῖν ᾤετο κολάζεσθαι τοὺς ἀδικήσαντας· ὁ δὲ Τάτιος ἐξέκρουε καὶ παρῆγε. οἱ δὲ τῶν ἀνῃρημένων οἰκεῖοι, πάσης εἰργόμενοι δίκης νομίμου διὰ τὸν Τάτιον, ἀποκτιννύουσιν αὐτὸν ἐν Λαβινίῳ, θύοντα μετὰ Ῥωμύλου, προσπεσόντες. * Ἔνιοι δὲ συγγραφέων ἱστοροῦσι, τὴν μὲν πόλιν τῶν Λαυρεντίων φοβηθεῖσαν ἐκδιδόναι τοὺς αὐτόχειρας Τατίου, τὸν δὲ Ῥωμύλον ἀφεῖναι, φήσαντα φόνον φόνῳ λελύσθαι. Id eſt: *Anno quinto regni Tatii, familiares quidam atque propinqui eius, in legatos, à Laurento Romam proficiſcenteis, quum incidiſſent in itinere, ſpoliare eos adgreſſi ſunt: quos repugnantes ac ſeſe defendentes obtruncarunt. Romulus, facinore perpetrato tam atroci, confeſtim ſupplicio adficiendos cenſebat auctores. Tatius rem rejiciebat, ac diſſimulabat. Cæſorum propinqui quum pœnas jure gentium per Tatium non conſequerentur, ſacrificantem cum Romulo Lavinii adorti interfecerunt.* Mox: *Alii tradunt, metu perculſos Laurenteis, Tatii percuſſores dedidiſſe. at Romulum, cæde penſatam cædem præfatum, eos noxâ ſolviſſe.* Paullo pòſt: Καὶ τοῖς τῶν Λαυρεντῶν οἰκοῦσιν ὅμοια συνέβαινεν. id eſt: *Laurenti quoque incolis eadem acciderunt.* Et ipſe Dionyſius lib. V memorat δύο ἀδελφοὺς Ταρκυνίους, Πόπλιον καὶ Μάρκον, ἐκ Λαυρέντου πόλεως· id eſt, *duos fratres Tarquinios, Publium & Marcum, ex urbe Laurento.* Servius ad Virgilii Aeneid. lib. XI: *Cato in Originibus dicit, Troianos à Latino accepiſſe agrum, qui eſt inter Laurentum & caſtra Troiana.* Mox: *Potuit ergo usque ad Laurentum & ad Oſtiam tendi.* Valerius Maximus lib. VIII cap. VIII: *Conſtat, Scipionem & Lælium Caietæ & Laurenti vagas litoribus conchulas & umbilicos lectitaſſe.* Cicero, de Oratore lib. II: ubi Craſſum introducit ita loquentem: *Sæpè ex ſocero meo audivi, quum is diceret, ſocerum ſuum Lælium ſemper ferè cum Scipione ſolitum ruſticari: eosque incredibiliter repueraſcere eſſe ſolitos, quum rus ex Vrbe, tamquàm è vinculis, evolaviſſent. Non audeo dicere de talibus viris. ſed tamen ita ſolet narrare Scævola, conchas eos & umbilicos ad Caietam & ad Laurentum legere conſveſſe.* Tibullus lib. II eleg. V, *Laurens* vocat *caſtrum*, in his verſibus:

> *Impiger Aenea, volitantis frater Amoris,*
> *Troica qui profugis ſacra vehis ratibus;*
> *Iam tibi Laurenteis adſignat Iupiter agros;*
> *Iam vocat erranteis hoſpita terra deos.*

Et mox:

> *Ante oculos Laurens caſtrum murusque Lavini eſt,*
> *Albaque ab Aſcanio condita longa duce.*

Stephani epitomator in voce Ἄντεια· Ἔστι καὶ Ἄντιον πόλις, μετὰ Λωρεντόν. Id eſt: *Eſt & Antium opidum, poſt Laurentum.* Et poſteà: Λωμεντὸς, πόλις Ἰταλίας, ὀξυτόνως, καὶ ὅσαι εἰς τος τῇ εν συλλαβῇ παραλήγει· ὡς καὶ Λωρεντόν φασι, μετὰ τοῦ ρ. Id eſt: *Lomentus, opidum Italiæ, cum adcentu acuto in ultimâ; quemadmodùm omnes voces ſolent efferri, quæ cum penultimâ ſyllabâ* εν *finiunt in* τος. *Nomentum* opidum in Sabinis poſteriori ſæculo dictum fuiſſe *Lomentum*; unde hodiéque vulgò vocatur *Lomentano*, & *Lamentano*; atque hinc per ſummum errorem, ſive ipſum Stephanum, ſeu breviatorem eius, exiſtiſſimaſſe, *Lomentum* & *Lorentum* eſſe unum idemque opidum; ſuprà lib. II cap. VIIII docui. Cæterùm, ut *Claudios* Romani etiam *Clodios* dixêre, & ab *plaudo* factum compoſitum *explodo*; & Romæ locus in Aventino, teſte Plinio lib. XV cap. XXX, à ſilvâ *lauri* vocabatur *Loretum*; ſic *Laurentum* quoque plerique Græci ſcripſêre *Lorentum*. Opidani ab *Laurento* dicebantur LAVRENTES, & LAVRENTINI. Ovidius Faſt. lib. II:

> *Eſt via, quæ populum Laurenteis ducit in agros;*
> *Quondam Dardanio regna petita duci.*

Faſtor. lib. III; ubi de Martio menſe agit:

> *Quintum Laurentes, bis quintum Aequiculus acer,*
> *A tribus hunc primum turba Forenſis habet.*

Et lib. VI: *Inſpice, quos habeat Nemoralis Aricia faſtos,*
Et populus Laurens Laviniumque meum.

Virgilius Aeneid. lib. V:
——— *Liceat Laurentem attingere Tybrim.*

Et lib. VII:
Principio Latium, & Laurentis tecta tyranni
Celſa petit.

Ac poſteà, de Mezentii filio:
Filius huic juxtà Lauſus; quo pulcrior alter
Non fuit, excepto Laurentis corpore Turni.

P. Catullus Vrbicarius in Pervigilio Veneris; quod Petronio nonnulli adſcribunt:
Ipſa Troianos nepotes in Latinos tranſtulit,
Ipſa Laurentem puellam conjugem nato dedit.

Statius Silvar. lib. I carm. II:
O mihi Laurenteis inter dilecta puellas.

Et carm. III: ——— *Cedant Laurentia Turni*
Iugera.

Silvar. lib. IIII carm. II:
Qui magnum Aeneam Laurentibus intulit arvis.

Silvar. lib. V carm. II:
Ipſe ego te nuper Tiberino in litore vidi,
Quà Tyrrhena vadis Laurentibus æſtuat unda.

Livius dicto lib. I: *Ab Siciliâ claſſe Laurentem agrum tenuiſſe.* Lib. VII: *Ora litoris Antiatis Laurensque tractus & Tiberis oſtia.* Lib. VIII: *Extra pœnam fuêre, Latinorum Laurentes.* Lib. XXXVII: *Latinæ [feriæ] inſtauratæ: quòd Laurentibus carnes, quæ dari deberent, datæ non fuerant.* Apud Plinium lib. XIIII cap. III ita ſcriptum eſt: *Vinaciolam vitem ſoli nominaverunt Sabini ac Laurenti.* Omnino ego perſvaſum habeo, ſcripſiſſe ipſum Plinium, *Sabini ac Laurentini.* nam populum cum populo nominare voluit nominandi caſu. & ſic *Laurentinam ſilvam* dixêre ſuprà ſcripti Iul. Obſequens & Valer. Maximus: ſic *Laurentinas paludes* Velleius; quem mox videbimus. & Polybius lib. III, in fœdere, quod Romani, poſt exactos reges, icerunt cum Carthaginienſibus, inter alios huius litoris populos, nominat etiam τῶν Λαυρεντίνων δῆμον, *Laurentinorum populum.* At Plutarchus, ſuprà ſcripto loco in Romulo, nominat τὴν πόλιν τῶν Λαυρεντίων, *urbem Laurentiorum.* quod ne librariorum exiſtimes mendum; en ita Virgilius quoque Aeneid. lib. X:

Ac velut ille canum morſu de montibus altis
Actus aper, multos Veſulus quem pinifer annos
Defendit, multosque palus Laurentia, ſilvâ
Paſtus arundineâ.

LAVRENTINA *palus.*

Ad quem locum ſic Servius: *Laurentia, pro Laurens, nam hæc eſt vera & recta derivatio.* Ergo illa minùs uſitata. Cæterùm PALVS hæc LAVRENTINA, ſive, plurali numero PALVDES LAVRENTINAE, Velleio etiam Paterculo memorantur lib. II. *Sulpicium*, inquit, *adſequuti equites, in Laurentinis paludibus jugulavêre.* In has ſeſe abſconderat Sulpicius, quia arundineto, ſeu, ut Virgilius loquitur, ſilvâ arundineâ erant conſitæ. Eamdem paludem memorat poëta pòſt etiam, lib. XII; ubi Aeneas cum Rutulo pugnam init:

Campum ad certamen magnæ ſub mœnibus urbis
Demenſi Rutulique viri Teucrique parabant.

Et poſteà, quum diſſiluiſſet in ſingulari certamine Turni gladius:

Ergo amens diverſa fugâ petit æquora Turnus:
Et nunc huc, inde huc, incertos implicat orbeis.
Vndique enim denſâ Teucri incluſêre coronâ:
Atque hinc vaſta palus, hinc ardua mœnia cingunt.

Ad hæc Servius: *Vaſta palus. quæ nunc non adparet.* Atqui totus hic Laurens tractus ſilvis paludibus hodiè quoque invius eſt. nec deſunt apri, quos, præter Virgilium, alii etiam poëtæ celebrant. Horatius Satyrâ IIII libri II:

Vmber

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Vmber, & ilignâ nutritus glande, rotundas
Curvat aper lanceis carnem vitantis inertem.
Nam Laurens malus eſt; ulvis & arundine pingvis.

Martialis lib. VIIII epigram. XLVIIII:

Inter quæ rari Laurentem ponderis aprum
Miſimus: Aetolâ de Calydone putes.

Hic poëta etiam *ranas* in iisdem paludibus notavit lib. X epigram. XXXVII:

An Laurentino turpeis in litore ranas,
Et ſatiùs tenueis ducere, credis, acos?

Sed notandum hoc loco, quod ſuprà innui: nempe, quia Laurentum opidum ſedes fuit habita regum Aboriginum, omne inde Latium adpellatum fuiſſe nonnullis Laurentem agrum. Euſebius Chron. lib. I: Πρῶτόν φασι Πεῖκον, υἱὸν Κρόνου, βασιλεῦσαι χώρας Λαυρέντου λζ´ ἔτη· εἶναι δὲ τὴν χώραν ἕως τῆς νῦν Ῥώμης πόλεως. Id eſt: *Primum ferunt Picum, Saturni filium, regnaſſe annis* XXXVII *in Laurenti agro*. Virgilius etiam Rutulorum quoque agrum Laurenti nomini adſcribit dicto lib. VII his verbis — *Excepto Laurentis corpore Turni*. Quanquàm hunc *Turnum* Latinum natione, ad Rutulos profugiſſe tradit Dionyſius lib. I. At Virgilius, eodem libro, per anticipationem hiſtoriæ, quæ illi admodùm eſt familiaris, ad Novi usque Latii finem Lirim amnem, apud quem Marica dea colebatur, ut infrà ſuo loco oſtendam, Laurens profert nomen, his verſibus;

— *Rex arva Latinus & urbeis*
Iam ſenior longâ placidas in pace regebat.
Hunc Fauno & nymphâ genitum Laurente Maricâ
Accipimus. Fauno Picus pater.

Hinc igitur eſt, quòd Pompeius Feſtus de Aſturâ flumine, quod antiquis illis temporibus in Volſcorum fluebat agro, ita tradit: *Stura* flumen in agro Laurenti eſt; quod quidam Aſturam vocant. De cætero ipſum opidum *Laurentum* poſteà dictum fuiſſe LAVROLAVINIVM, cùm ex Servio in Symmacho, tùm maximè ex antiquis lapidum inſcriptionibus diſco. Servius, in initium Virgilii Aeneid. lib. I commentans; *Italia*, inquit, *pars Europæ eſt. Italus enim, rex Siculorum, profectus à Siciliâ, venit ad loca, quæ ſunt juxta Tiberim; & ex nomine ſuo adpellavit Italiam. Ibi autem habitaſſe Siculos, ubi eſt nunc Laurolavinium, manifeſtum eſt*. Exiguo pòſt: *Hæc civitas tria habuit nomina. nam primùm Lavinium dicta eſt, à Lavino, Latini fratre: poſteà Laurentum, à lauro, inventâ à Latino, dum, adepto imperio poſt mortem fratris, civitatem augeret. pòſt Lavinium, à Laviniâ, uxore Aeneæ. Ergo aut Lavinum debuit dicere [Virgilius,] ſicut dixit; aut Laurentum. Litora. Lavinium conſtat* VIII *milliaribus à mari remotum. nec nos debet fallere, quia dixit, Lavina litora. litus enim dicitur terra quæque mari vicina*. Et ad Aeneid. lib. VII: *Laurentum à Pico factum: ut; Laurentis regia Pici. item, à Lavino, Latini fratre, eſt Lavinum dictum. item, à Latino Laurentum. item, à Laviniâ Laurolavinium*. Et ad lib. VI: *Aeneas, ut Cato dicit, ſimul ac venit ad Italiam, Laviniam accepit uxorem. propter quod Turnus iratus, tam in Latinum quàm in Aeneam bella ſuscepit, à Mezentio impetratis auxiliis. Sed, ut ſuprà diximus, primo bello periit Latinus: ſecundo pariter Turnus & Aeneas. poſteà Mezentium interemit Aſcanius; & Laurolavinium tenuit. cuius Lavinia timens inſidias, gravida confugit ad ſilvas; & illic enixa eſt Silvium. Sed quum Aſcanius flagraret invidiâ; evocavit novercam; & ei conceſſit Laurolavinium: ſibi verò Albam conſtituit*. Item ad lib. IIII: *Cato dicit, juxta Laurolavinium quum Aeneæ ſocii prædas agerent, prælium commiſſum; in quo Latinus occiſus eſt; fugit Turnus; &, Mezentii auxilio comparato, renovavit prælium. qui quidem victus eſt ab Aeneâ; Aeneas autem pòſt prælium non comparuit. Aſcanius verò poſteà Mezentium interemit*. Satis apertè ac manifeſtè *Laurentum* cum *Lavinio* confudit: quæ duo diverſa voluêre eſſe omnes reliqui auctores opida; ut partim hactenus patuit, ampliùs verò infrà in *Lavinii* expoſitione patebit. *Laurentum*, *maritimum* ſeu litorale opidum, Latini fuiſſe regiam, quum ad hoc litus adpelleret Aeneas, præſcripti teſtantur. *Lavinium* III millia paſſuum à litore ad fontem Numicii amnis Aeneam condidiſſe & inhabitaſſe, atque hinc Aſcanium, filium eius, profectum, conſtituiſſe in Albano monte novam urbem Albam, innumeri penè adfirmant ſcriptores, quos infrà citabimus. Servius, qui ſcivit, *Lau-*

ventem eſſe idem, quod ſuâ ætate *Laurolavinium* diceretur; ad hoc verò perſvaſum habuit, *Lavinium* & *Laurolavinium* unum idemque eſſe opidum; hoc vocabulum narrationibus Catonis inſeruit. Apud Virgilium Aeneid. lib. III ita in Epiro Helenus Aeneæ vaticinatur:

Quum tibi ſolicito ſecreti ad fluminis undam,
Litoreis ingens inventa ſub ilicibus ſus,
Triginta capitum fœtus enixa jacebit,
Alba, ſolo recubans, albi circùm ubera nati;
Is locus urbis erit; requies ea certa laborum.

Ad hunc locum ita Servius: *Is locus urbis erit. id eſt, in ipsâ regione. nam & Lavinium & Alba longè à litore ſunt.* Nempe, *Lavinium*, ut ſuprà dixit, VIII *milliaribus*. Sed ex hoc intervallo quàm clariſſimè adparet, & *Lavinium*, & *Laurolavinium* ſeu *Laurentum*, & *Lanuvium* pro uno eodemque eum accepiſſe opido. nam *Lanuvium*, quod nunc vulgò dici *Cività Lavina* & *Cività Indovina*, pôſt docebo, VIII circiter à mari abeſt paſſuum millia. Id jam illius ætate falſo hoc nomine adpellatum fuiſſe, ſuſpicari hinc licet. nec equidem dubitem, quin *Albam* heic intellexerit id opidum, quod, ut hodiè, ita jam ſuo ævo dicebatur *Albanum*; ut infrà indicabitur. Sed de *Laurolavinio* alii etiam producendi ſunt auctores. In Frontini libro de Coloniis ita ſcriptum eſt: *Laurolavinium lege & conſecratione veteri manet. Ager eius ab imperatoribus Veſpaſiano, Traiano, & Hadriano, in laciniis eſt adſignatus.* Opidani inde dicti fuêre LAVRENTES LAVINATES. Symmachus lib. I epiſt. LXV: *Cæcilianum, virum honeſtum, Laurentium Lavinatium defenſorem, ſuſceptum commendat officium.* Lapidum inſcriptiones complures reperiuntur eamdem adpellationem referentes. ex uno atque altero teſtimonia heic citabimus.

Laude Pompeiâ:

Q · MANILIVS · PHILVMENVS
SACERD · LAVR · LAVIN

Fulginii:

FLAMINI
LVCVLARI · LAVREN · LAVINA
PATRONO · ET · DECVRIONI · CO
LONIAE

Romæ:

LAVRENS · LAVINAS

Aretii:

AVGG · NN · ✳ LAVR · LAVIN
ORDO ARRETINORVM

Verùm hæc omnia ad *Laurentum* opidum ſpectare, hæc maximè adfirmat inſcriptio, quæ Romæ in regione Transtiberinâ reperta:

DIVO · ANTONINO · AVGVSTO
SENATVS · POPVLVS · QVE · LAVRENS
QVOD · PRIVILEGIA EORVM NON MODO
CVSTODIERIT · SED · ETIAM · AMPLIAVERIT
CVRATORE · MANIO · SABINO · LIBONE · C · V
CVRANTIBVS · TI · IVLIO · NEPOTIANO
ET · P · AEMILIO · EGNATIANO · PRAEF
Q · Q · LAVRENTIVM · LAVINATIVM

Nihilo minùs tamen ſimpliciter etiam tunc *Laurentum* adpellatum fuiſſe opidum & opidanos *Laurenteis*, ex his patet lapidibus; Romæ itidem exſtantibus:

PROCVRATOR · FORMIS · FVNDIS
CAIETAE · PROCVRATOR
LAVRENTI

DECVRIONI · LAVRENTIVM

Rationem autem, quare poſtmodùm *Laurento* compoſitum hoc inditum fuerit vocabulum, planè nullam diſpicere queo, niſi quòd ab exhauſto plurimâ parte *Lavinio* reliquum incolarum huc traductum fuiſſe videtur; quum & ipſum Laurentum magnâ parte eſſet vacuum. Lucanus lib. VII:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

——— *Gabios Veioſque Coramque*
Pulvere vix tectæ poterunt monſtrare ruinæ,
Albanoſque lareis Laurentinoſque penateis.
Rus vacuum: quod non habitet, niſi nocte coactâ
Invitus, queſtuſque Numam juſſiſſe, ſenator.
Non ætas hæc carpſit edax, monumentaque rerum
Putria. deſtituit crimen civile. videmus
Tot vacuas urbeis.

Narrant porrò fabulæ de Aeneâ; poſtquàm pacem atque fœdus cum Aboriginum rege Latino ad Laurentum icerit; acceptâ in uxorem filiâ eius, profectum inde haud procul, novam condidiſſe *urbem*, cui vocabulum ex uxoris *Laviniæ* nomine impoſuerit LAVINIVM. Id equidem opidum multis ſæculis pòſt exſtitit. memoraturque compluribus auctoribus: quorum verba citabimus, quò ſitum eius inde eruere queamus. ſed priori loco fabulæ erunt excutiendæ. Virgilius igitur Aeneid. lib. III vaticinium fingit de urbe condendâ Aeneæ redditum ab Heleno in Epiro in hæc verba: LAVINIVM opidum.

Quum tibi ſolicito ſecreti ad fluminis undam
Litoreis ingens inventa ſub ilicibus ſus,
Triginta capitum fœtus enixa jacebit
Alba, ſolo recubans; albi circùm ubera nati;
Is locus urbis erit; requies ea certa laborum.

Sub initium autem libri VII adpulſum eius in Tiberis oſtium narrat his verbis:

Atque heic Aeneas ingentem ex æquore lucum
Proſpicit. hunc inter fluvio Tiberinus amœno
Vorticibus rapidis & multâ flavus arenâ
In mare prorumpit.
Flectere iter ſociis terræque advertere proras
Imperat: & lætus fluvio ſuccedit opaco.
* ——— *Laomedontia pubes*
Gramineo ripæ religavit ab adgere claſſem
Aeneas, primique duces, & pulcher Iulus,
Corpora ſub ramis deponunt arboris altæ:
Inſtituuntque dapes; & adorea liba per herbas
Subjiciunt epulis; (ſic Iupiter ipſe monebat)
Et cereale ſolum pomis agreſtibus augent.
Conſumptis heic fortè aliis, ut vertere morſus
Exiguam in Cererem penuria adegit edendi,
Et violare manu maliſque audacibus orbem
Fatalis cruſti, patulis nec parcere quadris;
Heus, etiam menſas conſuminus, inquit Iulus.
Nec plura adludens. ea vox audita, laborum
Prima tulit finem: primamque loquentis ab ore
Eripuit pater; ac, ſtupefactus numine, preſſit.
Continuò, Salve fatis mihi debita tellus;
Voſque, ait, ô fidi Troiæ ſalvete penates.
Heic domus, hæc patria eſt. genitor mihi talia namque
(Nunc repeto) Anchiſes fatorum arcana reliquit:
Quum te, nate, fames ignota ad litora vectum
Adciſis coget dapibus conſumere menſas,
Tum ſperare domos defeſſus; ibique memento
Prima locare manu molirique adgere tecta.
.. *Ipſe humili deſignat mœnia foſſâ;*
Moliturque locum; primaſque in litore ſedeis,
Caſtrorum in morem, pinnis atque adgere cingit.

Mox legati Aeneæ ita apud Latinum regem loquuntur:

Sed nos fata deûm veſtras exquirere terras
Imperiis egêre ſuis. hinc Dardanus ortus;

Huc repetit: juſſisque ingentibus urget Apollo
Tyrrhenum ad Tybrim & fontis vada ſacra Numici.

Deinde ſub initium libri VIII ita pergit poëta de Aeneâ:

Nox erat, & terras animalia feſſa per omneis
Alituum pecudumque genus ſopor altus habebat,
Quum pater in ripâ gelidique ſub ætheris axe
Aeneas, triſti turbatus pectora bello,
Procubuit; ſeramque dedit per membra quietem.
Huic deus ipſe loci fluvio Tiberinus amœno,
Populeas inter ſenior ſe attollere frondeis
Viſus.
Tum ſic adfari, & curas his demere dictis:
O ſate gente deûm, Troianam ex hoſtibus urbem
Qui revehis nobis, æternaque Pergama ſervas;
Exſpectate ſolo Laurenti arviſque Latinis:
Heic tibi certa domus, certi, me abſiſte, penates,
Non belli terrêre minis. tumor omnis & iræ
Conceſſêre deûm.
Iamque tibi, ne vana putes hæc fingere ſomnum,
Litoreis ingens inventa ſub ilicibus ſus,
Triginta capitum fœtus enixa, jacebit
Alba, ſolo recubans; albi circùm ubera nati.
Hic locus urbis erit, requies ea certa laborum.
Ex quo ter denis urbem redeuntibus annis
Aſcanius clari condet cognominis Albam.

Svadet hinc Tiberinus pater Aeneæ, uti ad Euandrum, Palantium incolentem, proficiſcatur, eumque in ſocietatem belli contra Aborigines trahat. Itaque Aeneas,

——— *Geminaſque legit de claſſe biremeis,*
Remigioque aptat; ſocios ſimul inſtruit armis.
Ecce autem ſubitum atque oculis mirabile monſtrum;
Candida per ſilvam cum fœtu concolor albo
Procubuit, viridique in litore conſpicitur ſus.
Quam pius Aeneas, tibi enim, tibi, maxima Iuno,
Mactat, ſacra ferens, & cum grege ſiſtit ad aram.

Continuo hinc navigantem fingit adverſo flumine ad Euandrum. Servius ad præſcriptum libri III locum ita commentatur: *De hac ſue alii dicunt, ſecundum Virgilium, quòd in Italiâ inventa ſit: alii, quòd ſecum eam, more navigantium, Troiani portaverint: & ex oraculo cognoverint, ibi eſſe condendam civitatem, ubi ſus illa poſt fugam fuiſſet inventa. Dicitur igitur in Campaniam fugiſſe; & inventam in Laurolavinio. à qua Aſcanius pòſt Albæ nomen impoſuit. Is locus urbis erit. id eſt, in ipsâ regione. nam & Lavinium & Alba longè à litore ſunt.* Intelligit *Campaniam* ſui ſæculi; quæ plurimam partem Latii etiam comprehendebat. *Laurolavinium* autem idemque *Lavinium*, per ſummum errorem *Lanuvium* eſſe putavit; ut mox infrà videbimus. Cæterùm de eiſdem Aeneæ rebus ita narrat Dionyſius Halicarnaſſenſis lib. I: Κατὰ δὲ τὸν χρόνον τοῦτον Τρῶες οἱ σὺν Αἰνείᾳ, διαφυγόντες ἐξ Ἰλίου τῆς πόλεως ἁλούσης, κατέσχον εἰς Λώρεντον, αἰγιαλὸν Ἀβοριγίνων, ἐπὶ τῷ Τυρρηνικῷ πελάγει κείμενον. οὐ πρόσω τῶν ἐκβολῶν τοῦ Τιβέριος. λαβόντες δὲ παρὰ τῶν Ἀβοριγίνων χωρίον εἰς οἴκησιν, καὶ ὅσα ἠξίουν, πολίζονται μικρὸν ἀποσχόντες ἀπὸ θαλάττης, ἐπὶ λόφῳ τινὶ, Λαουΐνιον ὄνομα τῇ πόλει θέμενοι. ὀλίγῳ δ᾽ ὕστερον χρόνῳ τὴν ἀρχαίαν ἀλλάξαντες ὀνομασίαν, ἅμα τοῖς Ἀβοριγῖσι ἀπὸ τοῦ βασιλέως τῆς χώρας Λατῖνοι ὠνομάσθησαν. καὶ μεταναστάντες ἐκ τοῦ Λαουϊνίου, κοινῇ μετὰ τῶν ἐπιχωρίων μείζονα περιβάλλονται πόλιν, ἣν Ἄλβαν ἐκάλεσαν. Id eſt: *Per id tempus Troiani, cum Aeneâ poſt captum Ilium profugi, adpulerunt Laurentum, Aboriginum litus, quod mari Tyrrheno adluitur, haud longè ab oſtio Tiberis. acceptoque ab Aboriginibus ad habitandum agro & quidquid petierant; opidum condunt non longè à mari, in quodam colle, nomine Lavinium. nec ita multo pòſt, vetere adpellatione mutata, unà cum Aboriginibus à regionis rege Latini nuncupati ſunt. & relicto Lavinio, ſimul cum indigenis maiorem urbem muniverunt, quam Albam nominarunt.* At eodem libro infrà, poſtquàm de erroribus Aeneæ narravit, in idem tandem Laurens

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

rens litus eum deducit. Τελευτῶντες δὲ, inquit, ἀφικνοῦνται τῆς Ἰταλίας εἰς Λώρεντον· ἔνθα τῆς πλάνης παυσάμενοι, χάρακα ἔθεντο· καὶ τὸ χωρίον, ἐν ᾧ κατεστρατοπεδεύσαντο, ἐξ ἐκείνου Τροία καλεῖται. ἀπέχει δὲ τῆς θαλάττης ἀμφὶ τοὺς τέτταρας σταδίους. Id eſt: *Tandem ad Italiæ Laurentum perveniunt. ubi, errorum fine invento, vallum excitarunt. & locus, in quo caſtra metati ſunt, exinde Troia vocatur, diſtans à mari circiter ſtadia* IIII. Hinc de dapibus & menſis comeſtis, quæ Virgilius refert, iisdemque penè tradit verbis: quibus hæc ſubnectit; Ἦν γάρ τι θέσφατον αὐτοῖς, ὃ ἔφρασε πλεῖν ἐπὶ δυσμῶν ἡλίου, ἕως ἂν εἰς τοῦτο τὸ χωρίον ἔλθωσιν, ἐν ᾧ κατεδοῦνται τὰς τραπέζας· ὅταν δὲ τοῦτο μάθωσι γινόμενον, ἡγεμόνα τετράποδα ποιησαμένους, ὅπου ἂν κάμῃ τὸ ζῶον, ἐνταῦθα δείμασθαι πόλιν. Τούτου δὴ τοῦ θεοπροπίου ἀναμνησθέντες, οἱ μὲν τὰ ἕδη τῶν θεῶν, Αἰνείου κελεύσαντος, εἰς τὸ ἀποδειχθὲν χωρίον ἐκ τῆς νεὼς ἐξέφερον, οἱ δὲ βάθρα καὶ βωμοὺς κατεσκεύαζον αὐτοῖς, αἱ δὲ γυναῖκες ὀλολυγῇ καὶ χορείαις χρώμεναι, παρεκόμιζον τὰ ἱερά· οἱ δὲ ἀμφὶ τὸν Αἰνείαν, παρασκευασθείσης θυσίας, ἔχοντες τοὺς στεφάνους, περὶ τὸν βωμὸν ἔστησαν. ἐν ᾧ δὲ οὗτοι τὰς εὐχὰς ἐποιήσαντο ἡ μέλλουσα καθιερεύεσθαι ὗς, ἐγκύμων οὖσα, καὶ οὐ πρόσω τόκου, καταρχομένων αὐτῆς τῶν ἱερέων, διασεισαμένη καὶ ἀποφυγοῦσα τοὺς κατέχοντας, ἄνω θαλάττης ἔθει. Αἰνείας δὲ μαθὼν, ὅτι ταύτην ἄρα τὴν τετράποδα ἡγεμόνα τὸ θέσφατον αὐτοῖς ἐδήλου, παρηκολούθει σὺν ὀλίγοις μικρὸν ὑπολειπόμενος δεδοικὼς μὴ ὑπὸ θορύβου τῶν διωκόντων ἀποτραπείη τῆς κατὰ δαίμονα ὁδοῦ· καὶ ἡ μὲν ἀμφὶ τοὺς εἴκοσι καὶ τέτταρας σταδίους ἀπὸ θαλάττης διελθοῦσα λόφον τινὰ προσαναστρέχει, ἔνθα ὑπὸ καμάτου μοχθήσασα καθέζεται. * — * · Τῇ δ᾽ ἑξῆς ἡμέρᾳ τριάκοντα λέγεται χοίρους ἡ ὗς τεκεῖν· καὶ τοσούτοις ἐνιαυτοῖς ὕστερον ὑπὸ Τρώων ἑτέραν κτισθῆναι πόλιν, κατὰ τὸ θέσφατον, ὑπὲρ ἧς ἐν οἰκείῳ τόπῳ διαλέξομαι. Αἰνείας δὲ τὴν μὲν ὗν τὸν τόκον ἅμα τῇ γειναμένῃ τοῖς πατρῴοις ἁγίζει θεοῖς ἐν τῷ χωρίῳ τῷδε, οὗ νῦν ἐστιν ἡ καλιάς· καὶ αὐτὴν οἱ Λαουινιᾶται τοῖς ἄλλοις ἄβατον φυλάττοντες, ἱερὰν νομίζουσι. τοῖς δὲ Τρωσὶ μεταστρατοπεδεῦσαι κελεύσας ἐπὶ τὸν λόφον, ἱδρύεται τὰ ἕδη τῶν θεῶν ἐν τῷ κρατίστῳ, καὶ αὐτίκα περὶ τὴν κατασκευὴν τοῦ πολίσματος ἁπάσῃ προθυμίᾳ ὥρμητο, ἐλάμβανέ τε καταθέων ἐκ τῶν πέριξ χωρίων ὁπόσα εἰς τὸν πολισμὸν αὐτῷ ἦν χρήσιμα, καὶ μάλιστα ἔμελλε λυπηρὰ τοῖς ἀφαιρεθεῖσι φανήσεσθαι, σίδηρον καὶ ξύλα καὶ τὰς γεωργικὰς παρασκευάς. * · Heic exercitum contra eos educit Latinus rex. ſed ſine prœlio pax & fœdus inter eos conſtituitur. Συνθέμενοι δὲ ταῦτα, καὶ τέκνων ὁμηρείαις τὰς πίστεις βεβαιώσαντες, κοινῇ στρατεύουσιν ἐπὶ τὰς πόλεις τῶν Ῥουτόλων. δι᾽ ὀλίγου δὲ τἀκεῖ πάντα χειρωσάμενοι, παρῆσαν ἐπὶ τὸ πόλισμα τὸ Τρωϊκὸν ἡμιτέλεσον· καὶ μιᾷ προθυμίᾳ πάντες χρώμενοι, τειχίζουσιν αὐτό. ὄνομα δὲ τῷ κτίσματι Αἰνείας τίθεται Λαουίνιον· ὡς μὲν αὐτοὶ Ῥωμαῖοι λέγουσιν, ἀπὸ τῆς Λατίνου θυγατρὸς, ᾗ Λαουίναν εἶναί φασι τοὔνομα· ὡς δ᾽ ἄλλοι τινὲς τῶν Ἑλλήνων μυθογράφων ἔλεξαν, ἀπὸ τῆς Ἀνίου, τοῦ Δηλίου βασιλέως θυγατρὸς Λαουίνας καὶ τῆσδε ὀνομαζομένης· ἧς ἀποθανούσης νόσῳ περὶ τὸν οἰκισμὸν τῆς πόλεως πρώτης, καὶ ἐν ᾧ ἔκαμε χωρίῳ ταφείσης, μνῆμα γενέσθαι τὴν πόλιν. συμπλεῦσαι δ᾽ αὐτὴν τοῖς Τρωσὶ λέγεται, δοθεῖσαν ὑπὸ τοῦ πατρὸς Αἰνείᾳ δεηθέντι, μαντικὴν οὖσαν καὶ σοφήν. Hoc eſt: *Acceperant enim quoddam oraculi reſponſum, quo jubebantur navigare in occidentem versùs, donec eò locorum pervenirent, ubi menſas comederent: quod ſimul atque factum animadvertiſſent, quadrupedis ductu, ubicumque feſſa procubuiſſet animans, ibi condere opidum. Huius oraculi tunc recordantes; alii penateis è navi in præmonſtratum locum Aeneæ juſſu efferunt; alii ſcabella eis & aras adornant: mulieres ſacra cum jubilatu & choreis adferunt. at Aeneas & comites, paratis omnibus ad ſacrificium, ſertis redimiti conſiſtunt circùm altaria. Intereà dum hi vota faciunt, porca deſtinata ad victimam, gravida tunc & partui propinqua, occipientibus eius immolationem ſacrificis, proripit ſe excuſſis vinculis, & mediterranea curſu petit. Senſit Aeneas, hanc utique quadrupedem ducem deſignaſſe oraculum: eamque cum paucis modico intervallo ſubſequitur; veritus, ne inſectationis ſtrepitu territam à viâ fatali averteret. Illa fermè* XXIIII *ſtadia à mari digreſſa, in collem quemdam procurrit; ibique feſſa quievit.* Aliquanto pòſt: *Poſterâ die ſuem* XXX *porcellos eſſe enixam, dicitur: & poſt totidem annos Troianos aliam urbem condidiſſe, juxta oraculum: de qua ſuo loco dicemus. Aeneas fœtum ſuis, unà cum matre, diis penatibus immolat eo loco, ubi nunc eſt caſa lignea, quam Lavinienſes ſacram habentes, cæteris inacceſſam ſervant. juſſiſque Troianis in collem movere caſtra, deorum ſimulacra in opportuniſſimo colles loco ſtatuit: continuòque opidum ædificare maximâ celeritate adgreditur; excurrens in circumvicina, & conquirens quidquid ad urbis ædificationem uſus poſtularet; non ſine agreſtium indignatione ferrum & ligna inſtrumentaque ruſtica auferens.* Heic exercitum contra eum educit Latinus. ſed citra pugnam pax atque fœdus inter eos convenit. *Hæc itaque pacti, datis ultro citroque obſidibus, communibus opibus expeditionem in Rutulos faciunt; brevique captis omnibus eorum opidis, revertuntur ad ſemiperfectum Troianorum opidum; & pari id omnes alacritate muniunt. nomen ei Aeneas indidit Lavinium; ut ipſi*

Romani

Romani perhibent, à Lavinâ, Latini filiâ: ut Græci quidam fabularum ſcriptores tradunt, ab Annii, Deliorum regis, filiâ, & ipsâ Lavinâ dictâ. in cuius memoriam, morbo per id tempus exſtinctæ, ibique ſepultæ, opido vocabulum aiunt impoſitum. hanc Aeneæ precibus impetratam à patre, navigationis comitem Troianis fuiſſe tradunt; quòd ſapiens eſſet ac fatidica. De eisdem fabulis ita narrat Sex. Aurelius Victor in libro de Origine gentis Romanæ: *Inde ad eam Italiæ oram, quæ ab arbuſto eiusdem generis, Laurens adpellata eſt, Latino regnante, pervectum Aeneam cum patre Anchiſa filioque & cæteris ſuorum, navibus egreſſum in litore adcubuiſſe; conſumptoque quod fuerat cibi, cruſtam etiam de farreis menſis, quas ſacratas ſecum habebat, comediſſe. tum Anchisâ conjiciente, illam eſſe miſeriarum erroris que finem; (quidpe meminerat, Venerem ſibi aliquando prædixiſſe, quum in externo litore, eſurie compulſi, ſacratas quoque menſas invaſiſſent, illum condendæ ſedis fatalem locum fore) ſcrofa etiam inciens quam è navi produxiſſent, ut eam immolarent, ſe miniſtrorum manibus eripuiſſet; recordatum Aeneam, quòd aliquando ei reſponſum eſſet, urbi condendæ quadrupedem futuram ducem, cum ſimulacris deorum penatium proſequutum; atque illum, ubi illa procubuit, enixaque eſt porculos* XXX, *ibidem auſpicatum;* ..... [deſunt quædam] *poſtquàm* .... [heic etiam nonnihil deeſt] *Lavinium dixit: ut ſcribit Cæſar lib.* I, *& Lutatius lib.* II. *At verò Domitius lib.* I *docet, ſorte Apollinis Delphici monitum Aeneam, ut Italiam peteret; ubi duo maria inveniſſet, prandiumque cum menſis comeſſet, ibi urbem uti conderet. Itaque egreſſum in agrum Laurentem, quum paululum à litore proceſſiſſet, perveniſſe ad duo ſtagna aquæ ſalſæ, vicina inter ſe; ibique quum ſe laviſſet, ac, refectus cibo, quum apium quoque, quod tunc vice menſæ ſubſtratum fuerat, conſumpſiſſet; exiſtimantem, procul dubio illa eſſe duo maria; quòd in illis ſtagnis aquæ marinæ ſpecies eſſet; menſasque, quæ erant ex ſtramine apii, comeſtas; urbem in eo loco condidiſſe; eamque, quòd in ſtagno laverit, Lavinium cognominaſſe. tum deinde à Latino, rege Aboriginum, data ei, quæ incoleret, jugera quingenta. At Cato in origine generis Romani ita docet: Suem* XXX *porculos peperiſſe in eo loco, ubi nunc eſt Lavinium. quumque Aeneas ibi urbem condere conſtituiſſet; propterque agri ſterilitatem metueret; per quietem ei viſa deorum penatium ſimulacra, adhortantium, ut perſeveraret in condendâ urbe, quam cœperat. nam poſt annos totidem, quot fœtus illius ſuis eſſent, Troianos in loca fertilia atque uberiorem agrum transmigraturos, & urbem clariſſimi nominis in Italiâ conditūros.* At paullo antè, ubi ex Lutatio, Romano ſcriptore, errores recitat: *Pervectumque ad inſulam Delum: atque illinc ab eo Laviniam, Annii, ſacerdotis Apollinis, filiam, in matrimonium adſcitam; ex cuius nomine Lavinia litora adpellata.* En, ut inexplicabilium de Aeneæ in Italiam adpulſu fabularum nullus eſt finis. Atque omnia κατὰ δαίμονα, ut inquit Dionyſius, id eſt, *deorum inſtinctu atque actu* facta eſſe oportet. quis enim aliàs temerè crederet, ſcrofam XXX porcellis gravidam uno continuo curriculo ad XXIIII ſtadia, id eſt, millia paſſuum III cucurriſſe in collem usque Lavinienſis opidi; ubi tandem feſſa quieverit. Virgilius autem longè immanius adſtruere cœpit mendacium; à Tiberis usque ripâ in Lavinii opidi locum ſuem acturus. qui tamen, ut Romanæ urbis *inquilinus*, ignoraſſe minimè debuit, ubi is eſſet in hoc litore locus, qui ab Aeneæ eſcenſu *Troia* ſuâ etiam tunc ætate dicebatur; teſte & ipſo ſimul & Livio ac Dionyſio. Plerique igitur auctorum propius *Laurentum* opidum & ad *Numicium* amnem Aeneam deduxiſſe videntur: à quo litore ad *Lavinium* III erant millia paſſuum. Zonaras Annal. lib. II: Καὶ προσέσχε ὁ Αἰνείας Λαυρέντῳ κατὰ τὸν Νομίκιον ποταμὸν, ἔνθα κατά τι δὴ θεοπρόπιον λέγεται παρασκευάζεσθαι ποιήσασθαι τὴν κατοίκησιν· ὁ δὲ τῆς χώρας ἄρχων Λατῖνος ἀπεῖργε τῷ Αἰνείᾳ τὴν ἐν τῇ χώρᾳ καθίδρυσιν· καὶ συμβαλὼν ἡττᾶται. εἶτα δι᾽ ὀνειράτων, φανέντων ἀμφοῖν, καταλλάττονται· καὶ τῆς κατοικήσεως αὐτῷ παραχωρεῖ· καὶ τὴν θυγατέρα Λαβινίαν εἰς γάμον ἐκδίδωσιν· ἔνθα πόλιν ὁ Αἰνείας οἰκοδομήσας, ὠνόμασε Λαβίνιον. Hoc eſt: *Ad Laurentum Aeneas juxta Numicium fluvium adpulit: ubi ex oraculi quodam reſponſo conſidere voluit. quod eius loci rex Latinus prohibiturus, commiſſo prælio vincitur. deinde per ſomnia, quæ utrique viderant, reconciliati ſunt. ac Latinus, conceſſo habitandi loco, filiam etiam Laviniam Aeneæ in matrimonium collocat: de cuius nomine Aeneas urbem à ſe conditam Lavinium adpellavit.* Hæc ſomnia Dionyſius quoque ſuprà dicto lib. I enarrat. Certè, quòd Aeneas, qui jam antè ad *Avernum* lacum, & *Miſenum* promontorium, & proximè ad *Caietam* adpulſus fertur, cum tantillâ manu, cui IↃ jugera, ut ex Domitio refert præſcriptus Sex. Aurelius Victor, & ex Heminâ Solinus cap. VIII, vel, ut plurimum ex Catonis Originibus tradit ad Virgilii Aeneid. lib. XI Servius, IↃCC, jugera auſus

ſit

ſit non tantùm in Aboriginum, validæ gentis, litus eſcendere, ſed & caſtra ac novum opidum proximè Latini regis regiam, Laurentum urbem, moliri, id etiam niſi κατὰ δαίμονα factum concedas, planè incredibile cuivis ſanæ mentis homini fiet. Varro Terentius de Linguâ Latinâ lib. IIII ita tradit: *Opidum, quod primum conditum in Latio ſtirpis Romanæ, Lavinium: nam ibi dii penates noſtri. hoc à Latini filiâ; quæ, conjuncta Aeneæ, Lavinia adpellata. Hinc poſt* XXX *annos opidum alterum conditur Alba. id ab ſue Albâ cognominatum. hæc è navi Aeneæ quum fugiſſet Lavinium,* XXX *parit porcos. ex hoc prodigio poſt Lavinium conditum annis* XXX *hæc urbs facta.* Et Ruſticar. rer. lib. II cap. IIII: *Parere tot oportet porcos, quot mammas habeat. ſi minùs pariat; fructuariam idoneam non eſſe. ſi plureis pariat; eſſe portentum. in quo illud antiquiſſimum fuiſſe ſcribitur, quòd ſus, Aeneæ Lavinii* XXX *porcos peperit albos. itaque, quod portenderit, factum* XXX *annis, ut Lavinienſes condiderint opidum Albam. Huius ſuis ac porcorum etiam nunc veſtigia adparent Lavinii: quòd eſt ſimulacra eorum ahenea etiamnunc in publico poſita, & corpus matris ab ſacerdotibus, quòd in ſalſurâ fuerit, demonſtratur.* Credo ſanè tam certam horum opidorum habuiſſe Romanos originem, quàm corpus ſuis Aeneæ in ſalſurâ. At de Aeneæ ad Numicium amnem adpulſu, Virgilius quoque apud alios auctores legerat. unde illi hæc prolata verba lib. VII:

——— Iuſſisque ingentibus urget Apollo
Tyrrhenum ad Tybrim & fontes vada ſacra Numici.

Et item anteà:

Poſtera quum primò luſtrabat lampade terras
Orta dies, urbem & fineis & litora gentis
Diverſi explorant. hæc fontis ſtagna Numici;
Hunc Tybrim fluvium: heic forteis habitare Latinos.

Mirum ſanè, de incolis huius litoris neque apud *Miſenum* neque apud *Caietam* exploraſſe Aeneam; qui tam prudens tamque ſolers perhibetur dux fuiſſe. Cæterùm Strabo lib. V ita tradit: Φασὶ δὲ, Αἰνείαν καταίραντα εἰς Λαύρεντον, ἠϊόνος μικρὸν ὑπὲρ τῆς θαλάττης, ὅσον ἐν τέτταρσι καὶ εἴκοσι σταδίοις, κτίσαι πόλιν· ἐπελθόντα δὲ Λατῖνον, τὸν τῶν Ἀβοριγίνων βασιλέα, συμμάχοις χρήσασθαι τοῖς περὶ τὸν Αἰνείαν ἐπὶ τοὺς γειτονεύοντας Ῥουτούλους, Ἀρδέαν κατέχοντας. νικήσαντα δὲ, ἀπὸ τῆς θυγατρὸς Λαουϊνίας ἐπώνυμον κτίσαι πλησίον πόλιν. Hoc eſt: *Ferunt, Aeneam Laurentum adpuliſſe; atque in orâ maritimâ, ad* XXIIII *circiter ſtadia ab mari, opidum condidiſſe. inde Latinum, Aboriginum regem, ſuperveniſſe, Aeneæque auxilio uſum adversùm finitimos Rutulos, Ardeam incolentes. partâque victoriâ urbem propè condidiſſe, Laviniæ filiæ cognominem.* Ex his equidem Strabonis verbis, duo opida, alterum ab Aeneâ, ab Latino alterum, condita fuiſſe, diſertè intelligitur. verùm Dionyſii præſcriptum locum legiſſe eum haud dubitem. quum autem de altero illo apud Tiberis oſtia opido, quod & ipſum, ut ſuprà oſtenſum, ſtadia circiter XXIIII, id eſt, millia paſſuum III, à mari diſtabat, apud alios legiſſet auctores; duo iſta, *Troiam novam* & *Laviniam*, in unum confudit. Intereà tamen cum Dionyſio probè concinit ſuper intervallo tot ſtadiûm inter mare & Lavinium opidum.

NVMICIVS, ſeu, (utrumque enim uſurpatur) NVMICIVS *amnis*, ab omnibus pariter ponitur auctoribus apud *Lavinium*. Plinius lib. III cap. V; *Oſtia colonia; opidum Laurentum, Lucus Iovis indigetis, amnis Numicius, Ardea.* Livius lib. I: *Secundum inde prælium Latinis, Aeneæ etiam ultimum operum mortalium fuit. Situs eſt, quemcumque eum dici jus faſque eſt, ſuper Numicum flumen. Iovem Indigetem adpellant.* Dionyſius dicto lib. I: Μάχης δὲ γενομένης καρτερᾶς, οὐ πρόσω τοῦ Λαουϊνίου, καὶ πολλῶν ἑκατέρωθεν ἀπολομένων, τὰ μὲν στρατεύματα νυκτὸς ἐπελθούσης διελύθη, τὸ δὲ Αἰνείου σῶμα φανερὸν οὐδαμῆ γενόμενον, οἱ μὲν εἰς θεοὺς μεταστῆναι εἴκαζον, οἱ δ' ἐν τῷ ποταμῷ, παρ' ὃν ἡ μάχη ἐγένετο, διαφθαρῆναι. καὶ αὐτῷ κατασκευάζουσιν οἱ Λατῖνοι ἡρῷον, ἐπιγραφῇ τοιᾷδε κοσμούμενον· Πατρὸς θεοῦ χθονίου, ὃς ποταμοῦ Νομικίου ῥεῦμα διέπει. Hoc eſt: *Pugnatum igitur eſt acriter, haud procul Lavinio. multisque utrimque deſideratis, nox tandem prælium diremit. Corpus Aeneæ quæſitum quum nuſquàm compareret; alii conjectabant, ipſum migraſſe ad deos; alii, necatum in amne, apud quem pugnatum erat. Latini ſacellum tamquàm heroi dicaverunt, cum inſcriptione huiusmodi:* PATRIS · DEI · INDIGETIS · QVI · NVMICII · AMNIS · VNDAS · TEMPERAT · Victor Aurelius, in dicto libro de Origine gentis Romanæ, hæc è Calpurni Piſonis monimentis citat: *Tunc Aeneam, quòd copiis inferior erat, multis rebus, quæ neceſſariò tuendæ erant, in urbem comportatis, caſtra ſub Lavinio collocaſſe. præpoſitoque*

NVMICIVS amnis.

LVCVS IOVIS INDIGETIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

poſitoque h is filio Euryleone; ipſum, electo ad dimicandum tempore, copias in aciem produxiſſe, circa Numici fluminis ſtagnum. ubi quum acerrimè dimicaretur, ſubitis turbinibus infuſcato aëre, repentè cœlo tantum imbrium effuſum, tonitrubus etiam conſequutis, flammarumque fulgoribus, ut omnium non oculi modò præſtingverentur, verùm etiam mentes quoque confuſæ eſſent. quumque univerſos utriusque partis dirimendi prœlia cupiditas inceſſiſſet; nihilo minùs in illâ tempeſtatis ſubitæ confuſione interceptum Aeneam nusquàm deinde comparuiſſe. Traditur autem, non præviſo, quòd propinquus flumini eſſet, ripâ depulſum fortè in fluvium decidiſſe; atque ita prœlium diremptum. dein pòſt, apertis fugatisque nubibus, quum ſerena facies effulſiſſet; creditum eſt, vivum eum cœlo adſumptum. Idemque tamen pòſt ab Aſcanio & quibusdam aliis viſus adfirmatur ſuper Numici ripam, eo habitu armisque, quibus in prœlium proceſſerat. quæ res immortalitatis eius famam confirmavit. Itaque illi eo loco templum conſecratum: adpellarique placuit Patrem Indigetem. Solinus cap. VIII: *Nec omiſſum ſit, Aeneam, æſtate ab Ilio capto ſecundâ Italicis litoribus adpulſum, ut Hemina tradit, ſociis non ampliùs ſexcentis, in agro Laurenti poſuiſſe caſtra: ubi tribus mox annis cum Latino regnat ſociâ poteſtate, quingentis jugeribus ab eo acceptis. quo defuncto, ſummam biennio adeptus apud Numicum adparere deſiit: annoque* VII *Patris Indigetis ei nomen datum.* Hinc illud etiam Virgilii, per anticipationem hiſtoriæ, lib. VII; ubi Aeneæ legati Latinum regem ſic adloquuntur:

——— Iuſſisque ingentibus urget Apollo
Tyrrhenum ad Tybrim & fontis vada ſacra Numici.

Et lib. XII Iupiter Iunonem ſic adfatur:

Indigetem Aeneam, ſcis ipſa, & ſcire fateris,
Deberi cœlo.

Ad quem locum ita Servius: *De Aeneâ fabula talis eſt. Quum, Turno occiſo, & acceptâ Laviniâ, & conditâ civitate, in Numicum fluvium (ut alii volunt, ſacrificans; ut alii, Mezentium, ut alii, Meſſapum fugiens) cecidiſſet; nec eius eſſet cadaver inventum; Aſcanius, filius eius, victo Mezentio, cum cæteris Troianis credens & jactitans, inter numina receptum, ſive patrem volens conſecrare; templum conſtituit, quod Dei Indigetis adpellare juſſit.* Tibullus lib. II eleg. V:

Impiger Aenea, volitantis frater Amoris;
Troïca qui profugis ſacris vehis ratibus:
Iam tibi Laurenteis adſignat Iupiter agros;
Iam vocat erranteis hoſpita terra deos.
Illic ſanctus eris, quum te veneranda Numici
Vnda deum cœlo miſerit Indigetem.

Sed è Dionyſio & Aurelio Victore maximè patet, fuiſſe *Lavinium* ad *Numicum* amnem. In colle fuiſſe ſitum, idem teſtatur Dionyſius. hinc rectè Victor; *Aeneam caſtra ſub Lavinio collocaſſe*. Idem hic ait, *copias* eum *in aciem produxiſſe circa Numici fluminis ſtagnum:* ubi etiam interiit. hoc *ſtagnum* ad ipſum amnis fontem intellexit Virgilius dicto Aeneid. lib. VII, in his verbis:

——— Hæc fontis ſtagna Numici.

Ergo ipſum *Lavinium* ad fontem Numici poſitum fuit, in eo colle, in quo nunc conſpicitur fanum *Sanctæ Petronellæ.* à quo III ſunt millia paſſuum ad oſtium amnis & mare. Ad proximè citata Virgilii verba ita commentatur Servius: *Quòd ait fontis ſtagna, verum eſt. nam Numicus ingens antè fluvius fuit; in quo repertum eſt cadaver Aeneæ; & conſecratum: pòſt paullatim decreſcens, in fontem redactus. qui & ipſe ſiccatus eſt, ſacris interceptus. Veſtæ enim libare non niſi de hoc fluvio licebat.* Quàm ingens fuerit hic amnis ab initio, equidem ignoro. id verò ſcio, exhauriendo ad Veſtæ libamina aquam non potuiſſe fontem ſiccari; ſi is vivus perennisque ſuis ſcaturiginibus fluxit. Sed idem Servius ad Aeneid. lib. XII, ubi *Iuturnæ fontem*, Numici fonti proximum, deſcribit; *De hoc*, inquit, *fonte Romam ad omnia ſacrificia aqua adferri conſveverat.* Et Plutarchus in Numa tradit aquâ ex *Egeriæ fonte*, qui apud Capenam erat portam, hauſtâ penetralia Veſtæ quotidiè fuiſſe adſperſa & luſtrata. Quapropter ſuſpicor, poëtica loquutione iſthic uſum Virgilium: nec ſatis certum, Victor ex ipſo ne Piſone ſumpſerit vocabulum *ſtagni*: an, ut plerique eius ævi ſcriptores innumera alia, à poëtâ Virgilio id mutuatus ſit. ſic quidpe Silius quoque, ut mox videbimus, perpetuus ille Virgilii imitator, modò *ſtagna* vocat *Numici*,

modò

modò *parvum fontem* ac *lenem amnem*. ſic lib. x, *Aufidum* amnem nominaturus, ita dicit:

Atque ea dum juxta Tyrius ſtagna Aufida ductor
Molitur.

Et Ovidius item tenuitatem *Numici* indicaturus, ſerpere eum tradit Μεταμορφώσεων lib. XIIII, his verſibus de Venere, Aeneæ matre, loquens:

Litus adit Laurens, ubi tectus arundine ſerpit
In freta flumineis vicina Numicius undis.
Hunc jubet Aeneæ quæcumque obnoxia morti
Abluere.
Luſtratum genitrix divino corpus odore
Vnxit, & ambroſiâ cum dulci nectare miſtâ
Contigit os; fecitque deum, quem turba Quirini
Nuncupat Indigetem, temploque arisque recepit.

LVCVS igitur iſte etiam IOVIS INDIGETIS, ſive DEI INDIGETIS, ſeu PATRIS INDIGETIS, ſeu tandem PATRIS DEI INDIGETIS, in Numicii amnis ripis fuit; ſub Lavinio opido; ubi dimicatum. & ex Plinii equidem recenſione huius litoris ab dextrâ fuit fluminis ripâ. *Opidum*, inquit, *Laurentum, lucus Iovis Indigetis, amnis Numicius, Ardea.*

De cætero ipſe *fons Numicii* & *antrum*, unde is exit, ſacrum erat *deæ* ANNAE PERENNAE: de qua Ovidius Faſtor. lib. III, poſtquàm feſtum eius deſcripſit, quod apud Romam inter campum Martium & Anienis Tiberisque confluenteis, ut ſuperiori capite oſtenſum, celebrabatur, ita canit:

Quæ tamen hæc dea ſit, quoniam rumoribus errat,
Fabula propoſito nulla tegenda meo.
Arſerat Aeneæ Dido miſerabilis igne:
Arſerat exſtructis in ſua fata rogis:
Protinus invadunt Numidæ ſine vindice regnum.
Et potitur captâ Maurus Iarba domo.
Diffugiunt Tyrii, quò quemque agit error; ut olim
Amiſſo dubiæ rege vagantur apes.
Pellitur Anna domo: lacrumansque ſororia linquit
Mœnia. germanæ juſta dat antè ſuæ.
Nacta ratem comitesque fugæ; pede labitur æquo,
Mœnia reſpiciens, dulce ſororis opus.
Fertilis eſt Melite, ſterili vicina Coſyræ,
Inſula; quam Libyci verberat unda freti.
Hanc petit, hoſpitio regis confiſa vetuſto.
Hoſpes opum dives rex ibi Battus erat.
Qui, poſtquàm didicit caſus utriusque ſororis;
Hæc, inquit, tellus quantulacumque tua eſt.
Et tamen hoſpitii ſervaſſet ad ultima munus:
Sed timuit magnas Pygmalionis opes.
Signa recenſebat bis Sol ſua: tertius ibat
Annus: & exſilio terra paranda nova eſt
Frater adeſt: belloque petit. rex, arma peroſus,
Nos ſumus imbelles; tu fuge ſoſpes; ait.
Iuſſa fugit: ventoque ratem committit & undis.
Aſperior quovis æquore frater erat.
Ducitur ad Laurens ingenti flamine litus
Puppis: &, expoſitis omnibus, hauſta perit.
Iam pius Aeneas regno natâque Latini
Auctus erat; populos miſcueratque duos.
Litore dotali, ſolo comitatus Achate,
Secretum nudo dum pede carpit iter;
Adſpicit errantem. nec credere ſuſtinet, Annam
Eſſe. Quid in Latios illa veniret agros?

Dum ſecum Aeneas; Anna eſt, exclamat Achates.
Ad nomen vultus ſuſtulit illa ſuos.
Heu! fugiat? quid agat? quos terræ quærat hiatus?
Ante oculos miſeræ fata ſororis erant.
Senſit; & adloquitur trepidam Cythereius heros.
Flet tamen admonitu mortis, Eliſa, tuæ.
Anna, per hanc juro, quam quondam audire ſolebas
Tellurem fato proſperiore dari;
Perque deos comites, hac nuper ſede locatos:
Sæpè meas illos increpuiſſe moras.
At tu, ſeu ratio te noſtris adpulit oris;
Sive deus; regni commoda carpe mei.
Talia dicenti (neque enim ſpes altera reſtat)
Credidit: errores expoſuitque ſuos.
Vtque domum intravit Tyrios induta paratus;
Incipit Aeneas; cætera turba ſilet:
Hanc tibi cur tradam, pia cauſa, Lavinia conjux,
Eſt mihi. conſumpſi naufragus huius opes.
Orta Tyro eſt. regnum Libycâ poſſedit in orâ.
Quam, precor, ut caræ more ſororis ames.
Omnia promittit; falſumque Lavinia vulnus
Mente premit tacitâ: diſſimulatque metus.
Donaque quum videat præter ſua lumina mitti
Multa palàm; mitti clam quoque multa putat.
Non habet exactum, quid agat. furialiter odit:
Et parat inſidias: & cupit ulta mori.
Nox erat; ante torum viſa eſt adſtare ſororis
Squalenti Dido ſangvinolenta comâ.
Effuge (ne dubita) mæſtum, ſoror, effuge tectum.
Sub verbum querulis impulit aura fores.
Exſilit; & velox humili ſuper arva feneſtrâ
Se jacit. audacem fecerat ipſe timor.
Quumque metu rapitur; tunicâ velata recinctâ
Currit; ut auditis territa dama lupis.
Corniger hanc tumidis rapuiſſe Numicius undis
Creditur, & ſtagnis occuluiſſe ſuis.
Sidonis intereà magno clamore per agros
Quæritur. adparent ſigna notæque pedum.
Ventum erat ad ripas. inerant veſtigia ripis.
Suſtinuit tacitas conſcius amnis aquas.
Ipſa loqui viſa eſt; Placidi ſum nympha Numici.
Amne perenne latens, Anna Perenna vocor.
Protinus erratis læti veſcuntur in agris:
Et celebrant largo ſeque diemque mero.
Sunt, quibus hæc Luna eſt: quia menſibus impleat annum.
Pars Themin; Inachiam pars putat eſſe bovem.
Invenies, qui te nymphen Atlantida dicant:
Teque Iovi primos, Anna, dediſſe cibos.

Eamdem de Annâ Didonis ſorore fabulam celebrat eleganti, ſi quid aliud, poëmate Silius lib. VIII: unde ea tantùm, quæ ad chorographiam pertinent, carpemus. Iuno adfatur Annam:

Namque hac, accitam ſtagnis Laurentibus, Annam
Adfatur voce: ———

Huic reſpondet Anna:

Tum diva Indigetis caſtis contermina lucis,
Haud, inquit, tua jus nobis præcepta morari.

Poſteà ita Annam per quietem adloquitur Dido ſorori:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Surge age: jam tacitas ſuſpecta Lavinia fraudes
Molitur; dirumque nefas ſub corde volutat.
Prætereà (ne falſa putes hæc fingere ſomnum)
Haud procul hinc parvo deſcendens fonte Numicus
Labitur, & leni per valleis volvitur amne.
Huc rapies germana viam tutosque receptus.
Te ſacra excipient hilares in flumina nymphæ:
Aeternumque Italis numen celebrabere in oris
Sic fata, in tenuem Phœniſſa evanuit auram.
Anna novis ſomno excutitur perterrita viſis:
Itque timor totos gelido ſudore per artus.
Tunc, ut erat tenui corpus velamine tecta,
Proſiluit ſtratis: humilique egreſſa feneſtrâ,
Per patulos currit plantis pernicibus agros:
Donec arenoſo (ſic fama) Numicius illam
Suscepit gremio, vitreisque abscondidit antris.
Orta dies totum radiis impleverat Orbem;
Quum nullam Aeneadæ thalamis Sidonida nacti:
Et Rutulum magno errantes clamore per agrum;
Vicini ad ripas fluvii manifeſta ſequuntur
Signa pedum. dumque inter ſe mirantur; ab alto
Amnis aquas curſumque rapit. tum ſedibus imis
Inter cæruleas viſa eſt reſidere ſorores
Sidonis, & placido Teucros adfarier ore.
Ex illo primis anni celebrata diebus
Per totam Auſoniam venerando numine culta eſt.

Sanè haud minùs *Anna* hæc ad *Laurens* litus adpulit, ac ipſe Aeneas: quem numquàm in Italiam perveniſſe, abundè à nobis ſuprà demonſtratum eſt. Vt innumera alia Romani à variis rebus ſeu rerum effectibus ſibi conſtituerunt numina; ita hæc etiam *Anna dea*, cui feſtum ſacraque fiebant principio anni, ab ipſo hoc vocabulo nomen accepit. Cæterùm ex hac quoque Silii deſcriptione patet, *Lavinium* fuiſſe in eo colle, in quo nunc ſacellum divæ *Petronellæ* conſpicitur: ſub quo amnis ex antro quodam in ſubjectos agros pronus decurrit. cuius fontibus etiam *lucum Iovis Indigetis* fuiſſe conterminum teſtatur.

Sed de Indigetis dei luco & Numicio flumine poſtquàm ſatis dictum, ad reliquam opidi *Lavinii* expoſitionem revertamur. Apud Appianum Civil. bellor. lib. II hæc leguntur: βαρυθυμῶν δὲ ὁ Μίλων, εἰς τὴν πατρίδα Λαβίνιον ἐξῄει· ἣν Διομήδη φασὶν, ἀλόμενον ἐξ Ἰλίου πρώτην ἐν τῇ Ἰταλίᾳ πόλιν οἰκῆσαι· καὶ εἰσιν ἀπὸ Ῥώμης ἐς αὐτὴν στάδιοι πεντήκοντα καὶ ἑκατόν. Id eſt: *Aegrè id ferens Milo, disceſſit in patriam ſuam Lavinium. quam primam fertur Diomedes, poſt captum Ilium, in Italiâ condidiſſe urbem, diſſitam ab Româ ſtadia* CL. Id eſt, millia paſſuum XX. nempe, ſi, more eius ſæculi, quo vixit Appianus, ſeptena ſtadia cum dimidio in ſingula milliaria computes. At Milonem fuiſſe ex *Lanuvio* opido, in radicibus Albani montis ſito, infrà certis auctorum demonſtrabitur teſtimoniis. Ingens igitur hic eſt & ſatis fœdus error Appiani, paſſim in aliis etiam parum peritum exactumque geographum ſeſe prodentis; ut nos haud ſemel jam antè monuimus. Nec eſt, quòd hoc loco mendum in vocabulo Λαβίνιον ſuſpicari velis; pro quo ipſe ſcripſerit Appianus Λανούβιον. nam intervallum CL ſtadiorum, ſeu millium paſſuum XX, propiùs in *Lanuvium*, quàm *Lavinium*, convenit. tum quosdam auctores Diomedem ad hoc litus & Numicium amnem deduxiſſe, conditoremque eum feciſſe *Lavinii* opidi, adparet ex his Solini verbis cap. VIII: *Inter omnes perſpicuè convenit, à nutrice Aeneæ Caietâ Caietam, ab uxore Laviniâ Lavinium eſſe nuncupatum. Nec omiſſum ſit, Aeneam, æſtate ab Ilio capto ſecundâ, Italicis litoribus adpulſum, ut Hemina tradit, ſociis non ampliùs* IↃC, *in agro Laurenti poſuiſſe caſtra. ubi, dum ſimulacrum, quod ſecum ex Siciliâ advexerat, dedicat Veneri matri, quæ Frutis dicitur, à Diomede Palladium ſuscepit*. Huc, neſcio, an illud etiam ſpectet Statii Silvar. lib. III carm. III:

——— *Quamque horrida ſupra*
Aequora curarum ſocius procul Itala rura

Linqueret; hic molleis Campani litoris oras
Et Diomedéas concedere juſſus in arceis.

Sed ex eodem fonte conſimilem errorem hauſiſſe videtur & Aelianus, Appiani æqualis: qui Hiſtor. animal. lib. XI cap. XVI ita ſcribit: Ἴδιον δὲ ἦν ἄρα τῶν δρακόντων καὶ ἡ μαντική. ἐν γοῦν Λαουϊνείῳ τῷ πολίσματι, ὅπερ τῆς Λατίνων χώρας ἐστὶ, κέκληται δὲ ἀπὸ τῆς Λατίνου θυγατρὸς Λαουϊνείας, ἡνίκα Λατῖνος Αἰνείᾳ συνεμάχησε, κατὰ τῶν καλουμένων Ῥουτούλων, εἶτα ἐνίκησεν αὐτούς· ἐνίκησε δὲ [emenda, ᾤκισε δὲ] Αἰνείας ὁ Ἀγχίσου, ὁ Τρὼς, τὴν πόλιν τὴν προειρημένην. εἴη δ᾽ ἂν τῆς Ῥώμης μητρομήτωρ, ὡς ἂν εἴποι τις. ἐντεῦθεν γὰρ ὁρμηθεὶς Ἀσκάνιος, ὁ Αἰνείου καὶ Κρεούσης τῆς Τρωάδος, ᾤκισε τὴν Ἄλβαν· Ἀλβανῶν δὲ ἡ Ῥώμη ἄποικος. Οὐκοῦν ἐν τῷ Λαουινείῳ ἄλσος τιμᾶται μέγα καὶ δασὺ, καὶ ἔχει πλησίον νεὼν Ἥρας Ἀργολίδος· ἐν δὲ τῷ ἄλσει φωλεός ἐστι μέγας καὶ βαθὺς, καὶ ἔστι κοίτη δράκοντος. Id eſt: *Draconum quoque peculiaris eſt divinatio. nam & apud Lavinium, Latii opidum, (quod nomen accepit ab Laviniâ, Latini filiâ, quo tempore Latinus unà cum Aeneâ bellum geſſit contra Rutulos, eosque vicit; & condidit Aeneas Troianus, Anchiſæ filius, prædictum opidum: quòd Romæ quaſi avia dici poſſit. ex hac quidpe profectus Aſcanius, Aeneæ & Creüſæ Troianæ filius, Albam condidit: cuius colonia eſt Roma.) apud Lavinium iſtud, inquam, ſacer eſt lucus, magnus & opacus; juxtaque eum ædes Iunonis Argolicæ: in luco verò antrum eſt amplum ac profundum, draconis cubile.* Heic Aelianum *Lavinium* nominaſſe, dubium eſſe nequit; quando à Latini filiâ Laviniâ denominatum, indeque *Albam* coloniam deductam fuiſſe, diſertè adfirmat. At lucum & templum fuiſſe apud *Lanuvium Iunonis Argolicæ*, cognomento *Soſpitæ*, item *draconis* hoc *antrum*; infrà in eius opidi expoſitione ex pluribus oſtendetur auctoribus. Apud Stephani epitomatorem ita ſcriptum eſt: Λαούντιον, μητρόπολις τῶν Λατίνων· Διονύσιος ε΄ Ῥωμαϊκῆς ἱστορίας. τὸ ἐθνικὸν Λαουντῖνος. Id eſt: *Launtium, metropolis Latinorum; auctore Dionyſio Hiſtoriæ Romanæ lib. V. gentilitium inde Launtinus.* Id miror unde habuerit ſive Stephanus ſeu breviator eius; quando haud multo antè verum opidi nomen Λαβίνιον citavit. & Dionyſii diſerta verba lib. V ſunt iſta: Ταρκύνιος εἰς Λαουΐνιον ᾤχετο, τὴν μητρόπολιν τοῦ Λατίνων γένους. *Tarquinius Lavinium profectus eſt, Latinæ gentis metropolim.* Sed quum tanta ſit *Lavinii Lanuviique* nominum confinitas, facilè ea apud alios etiam auctores ab exſcriptoribus confuſa ſunt: quod infrà in Lanuvii deſcriptione videbimus. Apud Livium epitomatorem lib. LXXX ita ſcriptum: *Marius Antium & Ariciam & Lavinium colonias devaſtavit.* Rectiùs in hac hiſtoriâ Appianus Civil. bellor. lib. I habet Λανούβιον, *Lanuvium*. nam Lavinium haud perinde magni tum erat nominis opidum. Strabo lib. V: Πόλεις δ᾽ ἐπὶ θαλάττῃ μέν εἰσι τῶν Λατίνων, τά τε Ὤστια καὶ Ἄντιον· ἀνὰ μέσον δὲ τούτων τὸ Λαουΐνιον, εἶτα Λαύρεντον. Σαμνῖται δ᾽ ἐπόρθησαν τοὺς τόπους· καὶ λείπεται μὲν ἴχνη πόλεων, ἔνδοξα δὲ διὰ τὴν Αἰνείου γέγονεν ἐπιδημίαν, καὶ τὰς ἱεροποιΐας ἐξ ἐκείνων τῶν χρόνων παραδεδόσθαι φασίν. Id eſt: *Latinorum opida maritima ſunt Oſtia & Antium, & in medio horum Lavinium: dein Laurentum. Sed loca hæc ab Samnitibus ſunt vaſtata. & nunc rudera tantùm urbium reſtant. nobilitata autem ſunt peregrinatione Aeneæ. & ſacrificiorum ritus ab illis usque temporibus traditos ſervari aiunt.* Nempe *dii Penates* heic colebantur. Varro de Lingvâ Latinâ lib. IIII: *Opidum, quod primum conditum in Latio ſtirpis Romanæ, Lavinium. ibi dii Penates noſtri.* Aſconius Pedianus in Orationem Ciceronis pro M. Scauro commentans: *Crimini dabat, ſacra publica populi Romani deûm Penatium, quæ Lavinii fierent, operâ eius minùs rectè caſtè fieri.* Sex. Aurel. Victor in libro de Origine gentis Romanæ: *Poſt hæc Aſcanius in monte, qui Albanus nuncupatur, civitatem communiit; eamque ex formâ, quòd ita in longum porrecta eſt, Longam, ex colore ſuis Albam cognominavit. quumque illuc ſimulacra deorum Penatium tranſtuliſſet; poſtridiè apud Lavinium adparuerunt. rurſusque relata Albam, ſe Lavinium in priſtinam ſedem identidem receperunt. itaque tertiò nemo auſus eſt amovere ea: ut ſcriptum eſt in Annali Pontificum, Cincii lib. IIII, & Cæſaris II, Tuberonis I.* Servius ad Virgilii Aeneid. lib. I: *Albam quum de Lavinio dii Penates tranſlati, nocte proximâ Lavinium rediſſent; atque eos denuo Albam Aſcanius tranſtuliſſet; & illi iterum rediſſent; Lavinii eos manere paſſus eſt; datis, qui ſacris præeſſent; agroque eis adſignato, quo ſe alerent.* Dionyſius lib. I; de eâdem loquens Albâ: Ἐν δὲ τῇ κτίσει τῆς πόλεως θαῦμα μέγα λέγεται γενέσθαι. κατασκευασθέντος γὰρ τοῖς ἕδεσι τῶν θεῶν, οὓς Αἰνείας ἐκ τῆς Τρωάδος ἐνήνεγκατο, καὶ καθίδρυσεν ἐν τῷ Λαουϊνίῳ, ναοῦ, χωρίον ἔχοντος ἄβατον, καὶ τῶν ἱδρυμάτων ἐκ τοῦ Λαουϊνίου κομισθέντων ἐκ τοῦ νεὼ εἰς τοῦτον τὸν μυχὸν, εἰς τὴν ἐπιοῦσαν νύκτα, κεκλεισμένων τέως μάλιστα τῶν θυρῶν, καὶ οὐδὲν παθόντων οὐδὲ περιβόλων οὔτε ὀροφῶν, διαμείψαντα τὰ βρέτη τὴν στάσιν, ἐπὶ τῶν ἀρχαίων εὑρεθῆναι κείμενα βάθρων· μετακομισθέντα δὲ αὖθις ἐκ τοῦ Λαουϊνίου σὺν ἱκετείαις

καὶ θυσίαις ἀρεστηρίοις, εἰς τὸ αὐτὸ χωρίον ὁμοίως ἀνελθεῖν. τοὺς δὲ ἀνθρώπους πῶς μὲν ἀπορεῖν, ὅ τι χρήσονται τοῖς πράγμασιν, οὔτε δίχα τῶν πατρῴων θεῶν κατοικεῖν ἀξιοῦντας, οὔτε ἐπὶ τὴν ἐκλειφθεῖσαν οἴκησιν αὖθις ἀναστρέφειν· πλαδιῶντας δὲ γνώμην εὑρέσθαι, ἣ ἔμελλεν ἀποχρώντως πρὸς ἀμφότερα ἕξειν. τὰ μὲν ἕδη κατὰ χώραν ἐᾶσαι μένειν· ἄνδρας δὲ τοὺς ἐπιμελησομένους αὐτῶν ἐκ τῆς Ἄλβας εἰς τὸ Λαουίνιον αὖθις ἐποίκους μεταγαγεῖν. καὶ ἐγένοντο οἱ πεμφθέντες ἑξακόσιοι, μελεδωνοὶ τῶν ἱερῶν, αὐτοῖς μεταναστάντες ἐφεστίοις. τοὺς δὲ θεοὺς τούτους Ῥωμαῖοι Πενάτας καλοῦσιν. Hoc eſt: *Dum autem conderetur urbs, accidiſſe ferunt mirum prodigium. nam quum ſimulacris deorum, quos Aeneas à Troiâ devectos Lavinii collocaverat, templum exſtructum eſſet cum adyto, & ſtatuæ à Lavinio in hæc penetralia translata; clauſis ut cùm maximè foribus, & inviolatis tecto ſimul ac parietibus, ſimulacra, mutatâ ſtatione, in priſtinas baſeis transiiſſe reperta ſunt. denuoque Lavinio cum ſupplicationibus & ſacrificiis transportata, in eumdem locum, ut antè, reverterunt. Dubitatum eſt diu, quidnam facto opus eſſet: quum neque ſine diis patriis habitandum cenſerent; neque in ſemel relictas ſedeis remigrandum. tandem placuit ſententia, quæ & religioni deorum & utilitati hominum ſatisfaceret. viſum enim eſt, ſimulacra ſuo loco ſinere; & viros, qui ſacrorum curam gererent, ex Albâ ad Lavinium incolendum reducere. fuerunt hi ſexcenti numero: commigraruntque illò cum totis familiis. Cæterùm deos hos Romani Penates vocant.* Hinc Ovidius Μεταμορφώσεων lib. xv:

——— *Donec Caſtrumque ſacraſque*
Lavini ſedeis, Tiberinaque ad oſtia venit.

Lavini vocat *ſedem*, ſeu poëticè *ſedeis*; quia, præter ſuprà memoratas fabulas, alia inſuper erat in priſcis ſermonibus; quæ Lavinum tradebat regem, Latini fratrem, Lavinii opidi conditorem. Virgilius Aeneid. lib. vi:

——— *In regna Lavini*
Dardanidæ venient.

Ad quæ ita Servius: *Alii Latini legunt: cuius tunc erant. licèt poſſit ad Lavinum, Latini fratrem, referri; qui illic antè regnavit.* Et ad Aeneid. lib. vii commentans, *Latinus*, inquit, *poſt mortem Lavini fratris quum Lavinium amplificaret, ab inventâ lauro Laurolavinium adpellavit.* Sed hoc nugamentum eſſe grammaticum de *Laurolavinio*, ſuprà in *Laurenti* expoſitione patuit. Tradit prætereà Strabo prædicto lib. v: Τὸ δὲ Λαουίνιον ἔχει κοινὸν τῶν Λατίνων ἱερὸν Ἀφροδίτης· ἐπιμελοῦνται δ' αὐτοῦ διὰ προγόνων Ἀρδεᾶται. Id eſt: *Lavinium habet commune omnibus Latinis fanum Veneris: cuius procuratio jam inde à maioribus ad Ardeateis ſpectat.* Huc pertinere volunt viri docti illud Statii in Silvar. lib. v carm. iii; ubi ita patrem adloquitur:

Quid mirum, patriâ ſi te petiêre relictâ,
Quos Lucanus ager, rigidi quos jugera Dauni,
Quos Veneri plorata domus, neglectaque tellus
Alcidæ, vel quos è vertice Surrentino
Mittit Tyrrheni ſpeculatrix virgo profundi?
Quos propiore ſinu lituo remoque notatus
Collis & Auſonii pridem laris hoſpita Cyme,
Quoſque Dicarchæi portus Baianaque mittant
Littora.

Verùm quum & Hercules heic memoretur *Alcides*; qui viam in mari apud Lucrinum lacum ſtruxiſſe fertur; & *Venus* apud eumdem lacum, ut infrà oſtendetur in Campaniæ deſcriptione, culta fuerit; quumque omnia reliqua iſta, quæ ſequuntur, loca in eodem litore fuerint Campano: haud temerè iſthanc *Veneris domum* ſive ædem in Latio ad Lavinium traxerim. Reſtat ergo uti opidanorum ab *Lavinio* adpellationem oſtendamus. De hac ita Stephani breviator: Λαβίνιον, πόλις Ἰταλίας, Αἰνείου κτίσμα· Ἰόβας ἐν πρώτῳ· ἀπὸ τῆς τοῦ βασιλέως θυγατρὸς Λαβινίας· τὸ ἐθνικὸν Λαβινιάτης· [lego Λαβινάτης] λέγονται καὶ Λαβινιᾶται. Id eſt: *Lavinium, opidum Italiæ, ab Aeneâ conditum; auctore Iubâ lib. i: ab regis filiâ Laviniâ denominatum. gentilitium inde eſt Laviniates. ſed & Laviniatæ dicuntur.* Hoc vocabulum Dionyſius quoque uſurpavit lib. i, ii, & iii. Varroni ſuprà dicto Ruſticar. rer. lib. ii cap. iiii dicuntur Lavinienses. A Plinio videntur vocari Ilionenses *Lavinii*; id eſt, qui *Lavinium* incolebant: ſcilicet, quia ab *Ilio primi eius habitatores cum Aeneâ venerant.* Verba eius lib. iii cap. v, in enumeratione populorum Latii, hæc ſunt: *Forentani, Gabini, Interamnates Succuſani; qui & Lirinates vocantur: Ilionenſes Lavinii,*

nii, Norbani, Nomentani. Et poſteà: *In primâ regione præterea fuère in Latio* clara *opida, Antemnæ, Camerium, Collatia, Norba, Sulmo; & cum his carnem in monte Albano ſoliti accipere populi, Albenſes, Albani, Aeſulani, Acienſes, Abolani, Bubetani, Bolani, Cuſuentani, Coriolani, Fidenates, Foretii, Hortenſes, Latinienſes, Longulani.* Tandem poſt alios complureis ſubjicit; *Ita ex antiquo Latio* LIII *populi interière ſine veſtigiis.* Idem Plinius lib. XIIII cap. VI: *Ab infero mari vina Latinienſia, Graviſcana, Statonienſia.* Heic ſanè ſuſpicari licebat, utrobique corrupta eſſe vocabula pro genuinis *Lavinienſes* & *Lavinienſia*; niſi iſti *Latinienſes* à Plinio inter eos ponerentur Latii populos, qui eius ætate jam *interierant ſine veſtigiis.* Verùm multa Plinius, ut jam dudum in hoc opere nobis adnotatum, opidò quàm turbatoriè ac negligenter etiam in ipsâ Italiâ perſcripſit. Quin & *Antemnæ* & *Collatia* & *Norba* atque *Sulmo* etiamtunc fuêre; licèt non *clara opida:* & duo hæc poſteriora hodiéque exſtant; ut infrà videbimus. Apud Ciceronem equidem in oratione de Haruſpicum reſponſis idem vocabulum in vulgatis exemplaribus legitur, in his verbis: *Quare ne plura de re minimè loquar dubiâ; adhibete animos; & menteis veſtras, non ſolùm aureis, ad haruſpicum voces admovete: Quòd in agro Latinienſi auditus eſt ſtrepitus cum fremitu. Mitto haruſpices; mitto illam veterem ab iis diis immortalibus, ut hominum fama eſt, Etruriæ datam diſciplinam. nos nonne haruſpices eſſe poſſumus? Exauditus in agro propinquo & ſuburbano eſt ſtrepitus quidam reconditus & horribilis fremitus armorum.* Et poſteà, fine orationis: *Cogitate genus ſonitus eius, quem Latinienſes nunciarunt.* En, diſertè adfirmat, *propinquum* urbi Romæ & *ſuburbanum* fuiſſe hunc *agrum.* ergo fruſtra ſunt, qui nobis heic neſcio quod *Latinium* ſive *Latiniam* opidum ultra Præneſte & Labicos, quæ opida vulgò nunc vocantur *Pilaſtrina* & *Gallicano*, in Hernicis oſtendere hodiè conantur. Prope Romam autem & in ſuburbanis eius agris quia nullum umquàm eo nomine in tantâ rerum geſtarum celebritate auctoribus memoratum fuit opidum; omnino ego cenſeo, *Lavinienſes* intellexiſſe ſcripſiſſeque Ciceronem; & poſt hunc item Plinium. neque enim facilè crediderim, ab opido, quod jam dudum funditus ſine veſtigio interierit, nobile illud vinum eius etiamdum ætate cognomentum habuiſſe. Quòd autem eosdem opidanos bis in eodem catalogo memoraverit; ſemel ſub *Ilionenſium* à *Lavinio* nomine; iterum ſub *Lavinienſium* vocabulo: id mirari minimè fas ſit; quando is frequens illi eſt mos; maximè in Apuliâ, & Lucaniâ; ut infrà ſuis locis videbimus: & hoc ipſo quoque loco primùm *Norbanos* citat, mox iterum ipſum opidum *Norbam.* At quomodò adhuc *Norbani* opidani in Latio exſtitêre tunc, quum ipſum opidum *Norba* jam *ſine veſtigio interierat?* Vides ergo heic ſupinæ eius negligentiæ inſigne ac manifeſtum experimentum.

Cap. IIII.

De opidis cæteriſque locis Priſci Latii *mediterraneis.*

LAvinio ortam eſſe ALBAM, cognomine LONGAM, omnes adfirmant auctores, quotquot huius originem prodiderunt. Conditor eius fertur Aſcanius, Aeneæ filius, cognomento Iülus. quem alii Creüsâ in Troade, alii Laviniâ, Latini filiâ, Lavinii genitum tradunt. Apud Virgilium Aeneid. lib. I ita Iupiter Veneri de Aſcanio dicit: ——— *Regnum à ſede Lavinî*

Transferet, & Longam multâ vi muniet Albam.

Et ipſe poëta lib. V:

Hunc morem, hos curſus, atque hæc certamina primus
Aſcanius, Longam muris quum cingeret Albam,
Retulit, & priſcos docuit celebrare Latinos.

Lib. VI Anchiſes Aeneæ apud inferos:

Vnde genus Longâ noſtrum dominabitur Albâ.

Lib. VIII Tiberinus deus Aeneæ:

Litoreis ingens inventa ſub ilicibus ſus,
Triginta capitum fœtus enixa, jacebit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Alba, ſolo recubans; albi circùm ubera nati.
Hic locus urbis erit; requies ea certa laborum.
Ex quo ter denis urbem, redeuntibus annis,
Aſcanius clari condet cognominis Albam.

Ovidius Faſtor. lib. II:

Sed procul è Longâ veniebat Iulius Albâ.

Tibullus lib. II eleg. V:

Ante oculos Laurens caſtrum murusque Lavini eſt,
Albaque ab Aſcanio condita Longa duce.

Propertius lib. IIII eleg. I:

Et ſtetit Alba potens, albæ ſuis omine nata.

Varro Rer. ruſt. lib. II cap. IIII: *Sus Aeneæ Lavinii* XXX *porcos peperit albos. itaque, quod portenderit, factum* XXX *annis, ut Lavinienſes condiderint opidum Albam.* Et de Lingvâ Latinâ lib. IIII: *Opidum Lavinium à Latini filiâ Laviniâ adpellatum. hinc poſt* XXX *annos opidum alterum conditur: id ab ſue Alba cognominatum. Hæc è navi Aeneæ quum fugiſſet Lavinium,* XXX *parit porcos. ex hoc prodigio poſt Lavinium conditum annis* XXX *hæc urbs facta: propter colorem ſuis & loci naturam Alba Longa dicta.* Solinus cap. VIII: *Conſtituta ab Aſcanio Longa Alba.* Stephani epitomator: Ἄλβα, πόλις Ἰταλίας, ἣν ἔκτισαν οἱ ἀπὸ τῆς Λαβινίας Λατῖνοι, Τρῶες ὄντες. Id eſt: *Alba, urbs Italiæ; quam ab Lavinio profecti Latini, origine Troiani, condiderunt.* Livius lib. I: *Aſcanius, abundante Lavinii multitudine, florentem jam, ut tum res erant, atque opulentam urbem matri, ſeu novercæ reliquit. novam ipſe aliam ſub Albano monte condidit: quæ ab ſitu porrectæ in dorſo urbis Longa Alba adpellata. Inter Lavinium & Albam Longam, coloniam deductam,* XXX *fermè interfuère anni.* Aurelius Victor, in libro de Origine gentis Romanæ: *Aſcanius, completis in Lavinio* XXX *annis, recordatus novæ urbis condendæ tempus adveniſſe ex numero porcorum, quos peperat ſus alba, circumſpectis diligenter finitimis regionibus, ſpeculatus montem editum, qui nunc ab eâ urbe, quæ in eo condita eſt, Albanus nuncupatur, civitatem communiit: eamque ex formâ, quòd ita in longum porrecta eſt, Longam; ex colore ſuis Albam cognominavit.* Sic Statius quoque & Iuvenalis in monte eam ponunt. Statius Silvar. lib. III carm. III; quod eſt epicedion in patrem:

——— *Vix hæc in munera ſolvo*
Primum animum, tacitisque ſitum depellere curis,
Nunc etiam labente manu, nunc lumine ſicco,
Ordior adclivis tumulo, quo molle quieſcis,
Iugera noſtra tenens. ubi, poſt Aeneïa fata
Solatus, Latiis ingeſſit montibus Albam
Aſcanius; Phrygio dum pingveis ſangvine campos
Odit, aut infauſtum regnum dotale novercæ.

Iuvenalis Satyrâ XII; de Catulli navigatione:

——— *Tum gratus Iülo,*
Atque novercali ſedes prælata Lavino,
Conſpicitur ſublimis apex; cui candida nomen
Scrofa dedit; lætis Phrygibus mirabile ſumen;
Et nunquam viſis triginta clara mamillis.
Tandem intra poſitas incluſa per æquora moleis,
Tyrrhenamque Pharon.

Id opidum eſſe, quod XII millia paſſuum à Româ in ipſâ viâ Appiâ vulgò dicitur *Albano*, non noſtri modò ævi homines, ſed jam inde CCCC circiter annis poſt natum Ieſum Eutropius, tum Servius, & alii exiſtimarunt. Hinc Eutropius lib. I, de Tullo Hoſtilio, tertio Romanorum rege loquens: *Albanos vicit: qui ab urbe Româ* XII *milliario ſunt.* De Servio nobis dictum ſuperiori capite, in expoſitione opidi *Laurenti*. Hodiè ipſi *Albani* opidi incolæ adeò certò perſvaſum habent, opidum ſuum eſſe veterrimam illam *Albam Longam*, uti etiam ſuper portam, quæ Romam versùs emittit, lapidem imponi curaverint, cui ſus illa cum XXX porcellis inciſa. Verùm & priſci illi mortales & noſtri huius ſæculi homines præcipuum opinionis ſuæ argumentum ex his Livii ſumpſiſſe videntur verbis; *urbem ſub Albano monte condidit.* At unus hoc tradit Livius. reliqui omnes *in monte* conditam adfirmant.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Suprà ſcriptis adde inſuper & Strabonem; qui lib. v, Αἰνείου δὲ, inquit, τελευτήσαντος, τὸν Ἀσκάνιόν φασιν Ἄλβαν κτίσαι ἐν τῷ Ἀλβανῷ ὄρει, διέχοντι τῆς Ῥώμης τοσοῦτον, ὅσον καὶ ἡ Ἀρδέα. Id eſt: *Aeneâ defuncto, Aſcanium aiunt Albam condidiſſe in Albano monte; qui tanto à Româ, quanto Ardea, diſtat intervallo.* Hoc ſatis rectè convenit. nam *Albani montis* ſummus apex ſeu vertex ad xx ferè millia diſtat. totidemque ſunt millia ad *Ardeam.* Nec tamen in ipſo vertice fuiſſe *Albam Longam*, luculentiſſimus teſtis eſt Dionyſius Halicarnaſſenſis lib. I his verbis: Τριακοστῷ δὲ ὕστερον ἔτει μετὰ τὴν κτίσιν τοῦ Λαουϊνίου, πόλιν ἑτέραν οἰκίζει, κατὰ τὸ γενόμενον Αἰνείᾳ θέσφατον, Ἀσκάνιος ὁ Αἰνείου· καὶ μετάγει σὺν τοῖς ἐκ Λαουϊνίου καὶ τῶν ἄλλων Λατίνων, ὅσοις ἦν βουλομένοις ἄμεινον οἰκεῖν, εἰς τὴν νεόκτιστον, ὄνομα τῇ πόλει θέμενος Ἄλβαν. συμφωνισμοῦ δὲ ἕνεκα διορίζεται παρ' ἑτέραν πόλιν ὁμώνυμον ἐπικλήσει, τοῦ σχήματος ἐπικατηγορήσει. ἔστι δὲ ὥσπερ σύνθετον ἤδη τοὔνομα ἐξ ἀμφοῖν Ἄλβα λόγγα. Νῦν μὲν οὖν ἔρημός ἐστιν. ἐπὶ γὰρ Ὁστιλίου Τύλλου, Ῥωμαίων βασιλέως, στασιάζειν δόξασα πρὸς τὴν ἀποικίαν περὶ τῆς ἀρχῆς, ἀνῃρέθη. τὸ δὲ ἐν αὐτῇ πολιτευόμενον πλῆθος, καθελοῦσα τὴν μητρόπολιν πόλις ὑπεδέξατο Ῥώμη. Ἀλλὰ ταῦτα μὲν ἐν τοῖς ἱκνουμένοις χρόνοις ἐγένετο. ἡνίκα δὲ ᾠκίζετο, πρὸς ὄρει καὶ λίμνῃ κατεσκευάσθη, τὸ μέσον ἀπέχουσα ἀμφοῖν. καὶ ἦν ὥσπερ τείχη τῆς πόλεως ταῦτα, δυσάλωτον αὐτὴν ποιοῦντα. τό τε γὰρ ὄρος ἐν τοῖς πάνυ ὀχυρόν τι καὶ ὑψηλόν ἐστιν, ἥ τε λίμνη βαθεῖα καὶ μεγάλη· καὶ αὐτὴν διὰ κλεισιάδων ἀνοιγομένων ὑποδέχεται τὸ πεδίον, ταμιευομένων, ὁπόσα βούλονται, τῶν ἀνθρώπων τὸ ὕδωρ. Hoc eſt: *Trigeſimo anno poſt conditum Lavinium, aliam urbem, ex oraculo Aeneæ reddito, Aſcanius, filius eius, condidit. translatiſque Lavinienſibus & aliis Latinis, quibus commodiùs habitare placebat, in recèns conditam urbem, Albæ ei nomen impoſuit. additumque eſt cognomen ex ſitus formâ; ut discerneretur ab alterâ eiusdem nominis: ac veluti compoſito vocabulo* ALBA LONGA *nominatur. Nunc ea deſerta jacet. quippe regnante Romæ Tullo Hoſtilio, quoniam videbatur cum ſuâ coloniâ de principatu contendere, ſolo æquata eſt à Romanis. civeiſque eius urbs Roma, deſtructâ matrice, intra ſua mœnia recepit. Verùm hæc evenerunt poſteà. olim, quum ædificaretur, apud montem & lacum exſtructa eſt; ita, uti medium inter utrumque obtineret ſpacium. ac veluti muri uterque urbem tuebantur, ne facilè caperetur. nam & mons admodùm altus ac naturâ munitus eſt; & lacus profundus ac magnus: ex quo, reductis clauſtris, in ſubjectos campos aqua diſpenſatur, quantum eius volunt incolæ.* Ergo huius urbis ſitus jam minimè ignorari poteſt; quando & mons hodiéque exſtat, & item lacus; vulgò ille *Monte Albano*, hic *Lago d'Albano* dicti. Mediam ait fuiſſe urbem inter montem & lacum: idque tam arcto ſpacio, uti hinc lacus inde mons vice murorum eſſent. hoc ſanè nullo pacto de hodierno opido *Albano*, in viâ Appiâ mille paſſus ab Ariciâ diſſito, intelligi poteſt; ut quod duo millia paſſuum ab lacu & locis inter hunc & montem ſitis abeſt. Fuit igitur *Alba Longa* ad orientalem lacus ripam, ſupra prædictum opidum *Albanum*, in iis tumulis, qui medii inter montem & lacum intercedunt; ut clariùs etiam infrà ex Ciceronis oratione pro Annio Milone patebit. Ab his tumulis, ſive ab hoc dorſo, quum longè altiùs adſcendat Albani montis jugum; haud perinde malè dixit Livius, *urbem ſub Albano monte* fuiſſe *conditam*. nec minus rectè tamen alii auctores, *in monte*; quia dictum dorſum unà cum lacu infima pars eſt montis; cuius imæ radices infra lacum usque & opida Marinum, Caſtellum Gandolfi, & Albanum deſcendunt. Atque in hunc Albæ ſitum jam rectè quadrat, quod Dionyſius eodem lib. I tradit his verbis: Ὑπόκειται δὲ τῇ πόλει πεδία θαυμαστὰ μὲν ἰδεῖν, πλούσια δὲ καὶ καρποὺς ἐξενεγκεῖν παντοδαποὺς καὶ οὐδὲν ἐνδεέστερον τῆς ἄλλης Ἰταλίας, μάλιστα δὲ τὸν καλούμενον Ἀλβανὸν οἶνον, ἡδὺν καὶ καλὸν, ἔξω τοῦ Φαλέρνου λεγομένου, τῶν γοῦν ἄλλων ἁπάντων διαφορώτατον. Id eſt: *Subjecti autem urbi ſunt campi amœnitate admirandi, omnis generis frugum fertiliſſimi, nec cedentes ulli agro Italiæ; præcipuè bonitate vini ſuaviſſimi, quod Albanum vocant; præcellens omnibus reliquis, ſi Falernum excipias.* De excidio urbis ita iterum tradit Dionyſius lib. III, in rebus Tulli Hoſtilii: Ὁ δὲ Τύλλος καλέσας Μάρκον Ὁράτιον, τὸν περιλειφθέντα ἐκ τῶν τριδύμων, καὶ δοὺς αὐτῷ τῶν ἱππέων καὶ τῶν πεζῶν τοὺς ἀκμαιοτάτους, ἐκέλευσεν ἐπὶ τὴν Ἀλβανῶν πόλιν ἄγειν· παρελθόντα δ' ἐντὸς τείχους ὡς φίλον ὄντα, ὅταν ὑποχειρίους λάβῃ τοὺς ἔνδον, καθελεῖν τὴν πόλιν ἄχρι θεμελίων, μηδενὸς μήτε ἰδίου μήτε κοινοῦ κατασκευάσματος φειδόμενον, ἔξω τῶν ἱερῶν. Id eſt: *Tullus igitur adcitum M. Horatium, qui unus è trigeminis ſupererat, cum equitatu, peditumque lectiſſimis, mittit Albam; juſſum, quum primùm ut amicus receptus eſſet intra mœnia, civibus in poteſtatem redactis, urbem funditus evertere; nec ulli vel privato vel publico ædificio parcere; fanis exceptis.* Et paullo pòſt. Ἡ μὲν δὴ τῶν Ἀλβανῶν πόλις, ἣν ἔκτισεν Ἀσκάνιος, ὁ ἐξ Αἰνείου τοῦ Ἀγχίσου, καὶ

Κρεύσης,

Κρεούσης, τῆς Πριάμου θυγατρὸς, ἔτη διαμείνασα μετὰ τὸν οἰκισμὸν πεντακόσια τριῶν ἐπὶ τοῖς δέκα δέοντα, ἐν οἷς πολλὴν ἔσχεν ἐπίδοσιν εἰς εὐανδρίαν τε καὶ πλοῦτον καὶ τὴν ἄλλην ἅπασαν εὐδαιμονίαν, ἡ τὰς τριάκοντα Λατίνων ἀποικίσασα πόλεις, καὶ πάντα τὸν χρόνον ἡγησαμένη τοῦ ἔθνους, ὑπὸ τῆς ἐσχάτης ἀποικίσεως καθαιρεθεῖσα, ἔρημος εἰς τόνδε χρόνον διαμένει. Id eſt: *Sic Alba, quam olim Aſcanius, ex Aeneâ, Anchiſæ filio, & Creüsâ, Priami filiâ, prognatus, condiderat, quum per* ꟾↄ *poſt ædificationem annos*, XIII *demptis, ſtetiſſet, eoque temporis ſpacio populi frequentiâ opibusque & cæterâ felicitate multum aucta eſſet, triginta opidorum Latinorum mater, & gentis toto eo tempore princeps, à noviſſimâ ſuâ coloniâ ſolo æquata, hodiè quoque deſerta manet.* Et Livius dicto lib. I: *Egreſſis urbem Albanis, Romanus paſſim publica privataque tecta adæquat ſolo. unâque horâ quadringentorum annorum opus, quibus Alba ſteterat, excidio ac ruinis dedit. templis tamen deûm (ita enim edictum ab rege fuerat) temperatum eſt.* Et lib. XXVI Vibius Virius, ſenator Campanus, ita in ſenatu ſuo loquitur de Romanis: *Albam, unde ipſi oriundi erant, à fundamentis proruerunt, ne ſtirpis, ne memoria originum ſuarum exſtaret.* Strabo lib. V: Ἀλβανοὶ δὲ κατ᾽ ἀρχὰς μὲν ὡμονόουν τοῖς Ῥωμαίοις, ὁμόγλωσσοί τε ὄντες καὶ Λατῖνοι· βασιλευόμενοι δ᾽ ἑκάτεροι χωρὶς ἐτύγχανον· οὐδὲν δ᾽ ἧττον ἐπιγαμιαί τε ἦσαν πρὸς ἀλλήλους, καὶ ἱερὰ κοινὰ τὰ ἐν Ἄλβᾳ, καὶ ἄλλα δίκαια πολιτικά. ὕστερον δὲ πολέμου συστάντος, ἡ μὲν Ἄλβα κατεσκάφη, πλὴν τοῦ ἱεροῦ· οἱ δὲ Ἀλβανοὶ πολῖται Ῥωμαίων ἐκρίθησαν. Id eſt: *Albanis equidem ab initio cum Romanis conveniebat; ut qui eâdem uterentur linguâ, eſſentque Latini. itaque etſi ſuum utraque civitas ſeorſim haberet regem; tamen & mutua jungebant connubia, & Albæ communibus utebantur ſacris; aliaque jura civilia habebant communia. Poſteà verò bello coorto, Alba diruta eſt, excepto templo; & Albani civibus Romanis adſcripti ſunt.* Atque ita omnis Albanæ urbis memoria tandem interiit; ita, ùti etiam Plinius lib. III cap. V inter ea *Latii* opida eam connumeret, quæ eius ætate interierant *ſine veſtigiis*. VESTAE *templum* fuiſſe relictum, infrà è Iuvenali intelligemus. Originem eius atque conditores quod attinet; quemadmodùm omnem de Aeneâ eiusque poſteris hiſtoriam fabuloſam ac fictitiam eſſe jam dudum ſuperioribus capitibus à nobis demonſtratum eſt; ſic longè antiquiorem hanc urbem fecit Pompeius Trogus: cuius breviator Iuſtinus lib. XLII ita narrat de *Iaſone*; qui paullo ante bellum Troianum omnem Europam oberraſſe fertur: *Primus humanorum poſt Herculem & Liberum, qui reges Orientis fuiſſe traduntur, eam cœli plagam domuiſſe dicitur. Populis quibusdam Frudium & Amphiſtratum, aurigas Caſtoris & Pollucis, duces adſignavit. cum Albanis fœdus percuſſit. qui Herculem ex Italiâ ab Albano monte, quum, Geryone exſtincto, armenta eius per Italiam duceret, ſequuti dicuntur: quique, memores Italicæ originis, exercitum Cn. Pompeii bello Mithridatico fratres ſalutavêre.* Grammaticum certè hoc magis ſapit nugamentum, quàm incorruptam rei geſtæ memoriam. Quis umquàm alius barbaram apud Caſpium mare gentem *Albanorum* à Latinâ ſtirpe deduxit? quis, non dicam omnia, ſed quædam in ſermone eius vocabula Latina obſervavit? Verùm nugis his putidis miſſum factis, veriores certioresque Albæ Longæ conditores è Dionyſii hiſtoriis diſpicere mihi videor. Is initio libri II ita ſcribit: Οἱ κατασχόντες τὴν τῶν Ῥωμαίων πόλιν πρῶτοι τῶν μνημονευομένων βάρβαροί τινες ἦσαν αὐτόχθονες, Σικελοὶ λεγόμενοι. τούτους ἐκβαλόντες οἱ Ἀβοριγῖνες, αὐτοὶ κατέσχον τὸν τόπον, Οἰνώτρων ὄντες ἀπόγονοι. Ἀβοριγίνων δὲ κατεχόντων τὰ χωρία, πρῶτοι μὲν αὐτοῖς γίνονται σύνοικοι Πελασγοὶ, πλανῆται ἐκ τῆς τότε καλουμένης Αἱμονίας, νῦν δὲ Θετταλίας, ἐν ᾗ χρόνον τινὰ ᾤκησαν. μετὰ δὲ τοὺς Πελασγοὺς Ἀρκάδες, ἐκ Παλαντίου πόλεως ἐξελθόντες, Εὔανδρον ἡγεμόνα ποιησάμενοι τῆς ἀποικίας, πολίζονται πρὸς ἑνὶ τῶν ἑπτὰ λόφων, Παλάντιον ὀνομάσαντες τὸ χωρίον, ἐπὶ τῆς ἐν Ἀρκαδίᾳ πατρίδος. χρόνοις δ᾽ οὐ πολλοῖς ὕστερον, Ἡρακλέους καταχθέντος εἰς Ἰταλίαν, ὅτε τὴν στρατιὰν ἐξ Ἐρυθείας οἴκαδε ἀπήγαγε, μοῖρά τις ὑπολειφθεῖσα τῆς ἐν αὐτῷ δυνάμεως Ἑλληνική, πλησίον ἱδρύεται τοῦ Παλαντίου. Ἐπειοὶ τούτων πλείους ἦσαν, ἐκ πόλεως Ἤλιδος ἐξαναστάντες, διαπεπορθημένης αὐτοῖς τῆς πατρίδος ὑφ᾽ Ἡρακλέους. Γενεᾷ δ᾽ ἑκκαιδεκάτῃ μετὰ τὸν Τρωϊκὸν πόλεμον Ἀλβανοὶ συνοικίζουσιν ἄμφω τὰ χωρία ταῦτα, τείχει περιβαλόντες καὶ τάφρῳ, τέως δὲ ἦν αὔλια βουφορβῶν τε καὶ ποιμένων, καὶ τῶν ἄλλων καταγωγαὶ βοτήρων. Γένος δὲ τὸ Ἀλβανὸν μικτὸν ἦν ἔκ τε Ἀρκάδων καὶ Πελασγῶν, καὶ τῶν ἐξ Ἤλιδος ἐλθόντων Ἐπειῶν, τελευταίων δὲ τῶν μετὰ Ἰλίου ἅλωσιν ἀφικομένων εἰς Ἰταλίαν Τρώων, οὓς ἦγεν Αἰνείας ὁ Ἀγχίσου καὶ Ἀφροδίτης. Ὄνομα δὲ κοινὸν οἱ σύμπαντες οὗτοι Λατῖνοι ἐκλήθησαν, ἐπ᾽ ἀνδρὸς δυναστεύοντος τῶν τόπων Λατίνου, τὰς κατὰ ἔθνος ὀνομασίας ἀφαιρεθέντες. Ἐτειχίσθη μὲν οὖν ἡ πόλις ὑπὸ τούτων τῶν ἐθνῶν. Id eſt: *Vrbem Romam primi poſt hominum memoriam barbari quidam indigenæ tenuerunt, Siculi dicti. his pulſis, Aborigines eum locum occupavêre, Oenotrorum poſteri. Aboriginibus*

cum

eum tenentibus, primi cum eis ſedeis conjunxerunt Pelaſgi, gens vaga, ex eâ, quæ tunc Hæmonia, nunc verò Theſſaliâ dicitur, profecta; in qua aliquamdiu ſubſederant. poſt Pelaſgos Arcades, profecti ab opido Palantio, domicilium fixerunt ad unum è ſeptem collibus; quem ab Arcadiâ patriâ Palantium vocavêre. haud multo pòſt, adpulſo in Italiam Hercule, quando exercitum ex Erythéa domum reducebat; relicta copiarum Græcarum pars quædam prope Palantium ſubſtitit. horum bona pars Epéi fuerunt; profecti ab Elide poſt devaſtatam ab Hercule patriam. Decima ſextâ verò ætate poſt bellum Troianum Albani utrumque locum mœnibus & foſſâ complexi, habitare cœperunt. ubi ad id temporis bubulcorum, opilionum, cæterorumque paſtorum ſtabula fuerant. Cæterò Albanorum genus erat mixtum ex Arcadibus & Pelaſgis Epeisque Elidenſibus, ac poſtremò Troianis, cum Aeneâ, Anchiſæ & Veneris filio, in Italiam profectis. horum omnium commune nomen fuit Latini; deductum à Latino, eius regionis principe; obliteratis ſingularum gentium priſcis adpellationibus. Ab his igitur gentibus urbs munita eſt. En, quid hoc eſt? *Romæ, ait,* conſedit, expulſis inde Siculis, *Aborigines, Pelaſgos, Arcades, Epéos.* mox verò dicit, *Albanorum genus mixtum fuiſſe ex iisdem Pelaſgis, Arcadibus,* atque *Epéis.* Quòd ſi voluit, Albanos, ex Aboriginibus & Troianis compoſitos, unà cum hiſce gentibus Romam urbem condidiſſe; cur non dixit, Γένος δὲ τὸ Ἀλβανὸν μικτὸν ἦν ἐκ τῶν προειρημένων Ἑλληνικῶν ἐθνῶν· id eſt; *Genus Albanorum mixtum erat ex prædictis gentibus Græcis?* Quin, poſtquàm Romæ cum his commixti fuerunt iſti Albani, Troianorum poſteri, jam non ampliùs *Albani*, ſed *Romani* dicebantur. Sanè ego ſuſpicor, legiſſe Dionyſium apud aliquem antiquiſſimorum ſcriptorum, & ipſos Albanos in Albâ ſuâ Longâ oriundos eſſe à Græcis Pelaſgis, ſeu Arcadibus: qui in Italiâ cum Aboriginibus conjuncti, uno nomine *Latini* dicebantur; pulſisque Siculis, omne hoc Latium occupaverant, duce Euandro: ut ſuprà cap. I ac II huius libri III demonſtratum eſt. Quòd ſi igitur non primis huius regionis cultoribus Siculis, ſaltem ab novis iſtis Latinis condita fuit *Alba*. Opidanos inde dictos fuiſſe ALBANOS, quum ad diſcrimen horum incolæ alterius *Albæ* in Marſis dicerentur *Albenſes*, ſuprà lib. II cap. XV monui.

LACVS ALBANVS.

Cæterùm Albâ dirutâ, nihil ferè hoc Latii tractu celebrius fuit MONTE atque LACV ALBANO. De lacu mirum prodigium traditur. Valer. Maximus lib. I cap. VI: *Quum bello acri & diutino Veientes à Romanis intra mœnia compulſi, capi non poſſent; eaque mora non minùs obſidentibus, quàm obſeſſis, intolerabilis videretur; exoptatæ victoriæ iter miro prodigio dii immortales patefecerunt. ſubitò enim Albanus lacus, neque cæleſtibus imbribus auctus, neque inundatione ullius amnis adjutus, ſolitum ſtagni modum exceſſit. cuius rei explorandæ gratiâ legati ad Delphicum oraculum miſſi, retulerunt, præcipi ſortibus, ut aquam lacus eius emiſſam per agros diffunderent. ſic enim Veios in poteſtatem populi Romani venturos. quod priusquàm legati renunciarent; haruſpex Veientium à milite noſtro (quia domeſtici interpretes deerant) raptus, & in caſtra perlatus, futurum dixerat.* Plutarchus in Camillo: Ἐκ τούτου τὸ περὶ τὴν Ἀλβανίδα λίμνην πάθος ἀκμάζοντι τῷ πολέμῳ συνενεχθὲν, οὐδενὸς ἧττον τῶν ἀπίστων πυθέσθαι θαυμάτων, αἰτίας κοινῆς ἀπορίαν, καὶ λόγου φυσικὴν ἔχοντος ἀρχὴν, ἐφόβησεν. ἦν μὲν γὰρ ὥρα μετοπωρινὴ, καὶ τὸ θέρος ἔληγεν, οὔτε ἔπομβρον, οὔτε πνεύμασι νοτίοις χαλεπὸν ἐπιδήλως γενόμενον. πολλὰς δὲ λίμνας καὶ ποταμοὺς καὶ νάματα παντοδαπὰ τῆς Ἰταλίας ἐχούσης, τὰ μὲν ἐξέλιπε κομιδῆ, τὰ δ' ἀντεῖχε γλίσχρως καὶ μόλις. οἱ δὲ πάντες ὥσπερ αἰεὶ κοῖλοι καὶ ταπεινοὶ διὰ θέρους ἐρρύησαν. τὸ δὲ τῆς Ἀλβανίδος λίμνης, ἀρχὴν ἔχον ἐν ἑαυτῷ καὶ τελευτὴν, ὄρεσιν ἀγείοις περιεχόμενον, ἀπ' οὐδενὸς αἰτίου πλὴν ἔτι θεῶν, αὐξόμενον ἐπιδήλως διωγκοῦτο, καὶ προσίστατο ταῖς ὑπωρείαις, καὶ τῶν ἀνωτάτω λόφων ὁμαλῶς ἐπέψαυεν, ἄνευ σάλου καὶ κλύδωνος ἐξανιστάμενον· ἐπεὶ δὲ τοῦ διείργοντος ἀπὸ τῆς κάτω χώρας οἷον ἰσθμοῦ τὴν λίμνην ὑπερεκραγέντος ὑπὸ τοῦ πλήθους καὶ βάρους, μέγα ῥεῦμα κατέβαινε διὰ τῶν ἀρουμένων καὶ φυτευομένων ἐπὶ τὴν θάλατταν, οὐ μόνον αὐτοῖς παρεῖχε Ῥωμαίοις ἔκπληξιν, ἀλλὰ καὶ πᾶσιν ἐδόκει τοῖς τὴν Ἰταλίαν κατοικοῦσι μηδενὸς μικροῦ σημεῖον εἶναι. * — * · Λόγια προὔφαινεν ἀπόρρητα τῆς ἑαυτοῦ πατρίδος, ὡς οὐκ οὔσης ἁλωσίμου πρότερον ἢ τὴν Ἀλβανίδα λίμνην ἐκχυθεῖσαν, καὶ φερομένην εἰς ὁδοὺς ἑτέρας, ὥσαυτες ὀπίσω καὶ περισπάσαντες οἱ πολέμιοι, κωλύσουσι μίγνυσθαι τῇ θαλάττῃ. * · Καὶ τὸ τῆς Ἀλβανίδος ὕδωρ ἐκέλευον, εἴργοντας ὡς ἀνυστόν ἐστι τῆς θαλάσσης ἄνωθεν εἰς τὸν ἀρχαῖον πόρον, ἢ τοῦτο μὲν δυναμένους, ὀρύγμασι καὶ τάφροις περιάγειν εἰς τὸ πεδίον καταναλίσκειν. Id eſt: *Inde res lacui Albano accidit, medio belli ardore, cum quovis rariſſimo miraculo conferenda. quæ, quia vulgari causâ, & ratione ex rerum naturâ ductâ carebat, pavorem incuſſit. Aeſtas erat extrema & præceps; nec cæleſtibus aucta aquis, nec ventis admodùm turbulenta*

auſtrinis.

auſtrinis. lacus autem & amnes rivique ac fontes, quos habet Italia frequenteis, partim jam planè exaruerant, partim exiguam & tenuem trahebant undam: fluviique per æſtatem, ut ſemper fit, humili ac depreſſo alveo ferebantur; quum lacus Albanus, qui neque aliunde ducit originem, neque aliò ſeſe effundit, fertilibus cinctus collibus, nullâ ex causâ, niſi ſi qua divina, inflatus, manifeſtò intumuit; ita, uti pertingeret ad dorſa montium, & ſummos undiquaque æquaret tumulos; ſine æſtu tamen ac commotiori aliquo fluctu. Id paſtoribus primùm erat ac bubulcis miraculo. ubi verò dorſi repagulo, quo veluti iſthmo ſeu aggere à ſubjectis campis arcetur, refracto, per ſata atque plantas, magno cum impetu in mare defluxit; tum non Romanis tantum terrorem incuſſit; verùm etiam omnibus Italiam incolentibus viſus eſt magni quid portendere. Narrat hinc de Etruſco vate. *Ille ſorteis patriæ ſuæ occultas aperit: Non antè expugnari eam poſſe, quàm lacum Albanum effuſum hoſtes retro ab curſu ſuo derivarent, atque ab mari diverterent.* Mox: *Iuſſerunt, uti Albani lacus aquam, quoad eius fieri poſſet, à mari in priſtinum alveum reducerent. quòd ſi id minùs poſſent; rivis foſſisque per agros diductam exſtingverent.* Livius lib. v: *In unum prodigium omnium curæ verſæ ſunt: quòd lacus in Albano nemore, ſine ullis cæleſtibus aquis, causâve qua aliâ, quæ rem miraculo eximeret, in altitudinem inſolitum crevit. Quidnam eo dii portenderent prodigio, miſſi ſciſcitatum oratores ad Delphicum oraculum. ſed propior interpres fatis oblatus; ſenior quidam Veiens: qui inter cavillanteis in ſtationibus ac cuſtodiis milites Romanos Etruſcosque vaticinantis in modum cecinit; Priusquàm ex lacu Albano aqua emiſſa foret, numquàm potiturum Veiis Romanum.* Paullo pòſt: *Sic libris fatalibus, ſic diſciplinâ Etruſcâ traditum eſſe; ut, quando aqua Albana abundaſſet, tum ſi eum Romanus ritè emiſiſſet; victoriam de Veientibus dari. antequàm id fiat; deos mœnia Veientium deſerturos non eſſe.* Poſteà: *Iamque Romani, deſperatâ ope humanâ, fata & deos ſpectabant; quum legati ab Delphis venerunt, ſortem oraculi adferentes, congruentem reſponſo captivi vatis: Romane, aquam Albanam cave lacu contineri; cave, in mare manare ſuo flumine, ſinas. emiſſam per agros rigabis, diſſipatamque rivis exſtingves.* Mox: *Iam ludi Latinæque inſtaurata erant: jam ex lacu Albano aqua emiſſa in agros: Veiosque fata adpetebant.* Intelligit heic *flumen* Livius, quod aqua è lacu *perrupto dorſo*, quo ab occidente ceu *adgere* quodam *includitur*, *effuſa fecerat*. aliàs enim τὸ τῆς λίμνης ὕδωρ, ut inquit Plutarchus, ἀρχὴν ἔχει ἐν ἑαυτῷ καὶ τελευτὴν, ὄρεσι περιεχόμενον, id eſt, *aqua lacus nec originem aliunde, niſi ex ſe, ducit, nec aliò effunditur; montibus undiquaque incluſa.* Cicero eamdem rem ſic narrat Divinationum lib. I: *Quid, quod in Annalibus habemus? Veienti bello quum lacus Albanus præter modum creviſſet, Veientem quemdam ad nos hominem nobilem profugiſſe; eumque dixiſſe; ex fatis, quæ Veientes ſcripta haberent, Veios capi non poſſe, dum lacus is redundaret: &, ſi lacus emiſſus, lapſu & curſu ſuo ad mare profluxiſſet, pernicioſam populo Romano; ſin autem ita eſſet eductus, ut ad mare pervenire non poſſet, tum ſalutare noſtris fore. ex quo illa admirabilis à maioribus Albanæ aquæ facta deductio eſt.* Eam intelligit *deductionem*, de qua Dionyſius ſuprà ſcripto lib. I ita tradit: Ἡ δὲ λίμνη βαθεῖά ἐστι καὶ μεγάλη, καὶ αὐτὴν διὰ κλεισιάδων ἀνοιγομένων ὑποδέχεται τὸ πεδίον, ταμιευομένων, ὁπόσον βούλονται τῶν ἀνθρώπων τὸ ὕδωρ. Hoc eſt: *Lacus profundus eſt atque magnus: ex quo, reductis clauſtris, in ſubjectos campos aqua promitur, quantum eius volunt incolæ.* Vnde Cicero de eâdem re iterum Divination. lib. II: *Nam illa prædicta Veientum, ſi lacus Albanus redundaſſet, isque in mare fluxiſſet, Romam perituram; ſi repreſſus eſſet, Veios: .....* [deſunt nonnulla] *..... ita aqua Albana deducta ad utilitatem agri ſuburbani; non ad arcem urbemque retinendam.* Huius derivationis ſive clauſtri ſeu montis inciſuræ tenue quoddam veſtigium in margine lacus, quà occaſum Solis proſpicit, obſervaſſe mihi videor.

Ab altero igitur latere ſublimis ille lacui imminet MONS ALBANVS, è mediis campis in altum cacumen evectus. quem poëtæ (credo, metri causâ) modò *tumulum*, modò *collem* vocant; licèt *mons* ſit ſatis magnus atque excelſus Virg. Aeneid. lib. XII: Mons Albanus.

At Iuno ex ſummo, qui nunc Albanus habetur,
(Tunc neque nomen erat, neque honos, aut gloria monti)
Proſpiciens tumulo, campum ſpectabat.

Martialis lib. IIII epigram. LXIIII:

Tullî jugera pauca Martialis
Longo Ianiculi jugo recumbunt.
Hinc ſeptem dominos vidêre monteis,

Et

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Et totam licet æſtimare Romam,
Albanos quoque Tullioſque colleis.

Lib. v epigr. I:

Hoc tibi, Palladiæ ſeu collibus vteris Albæ,
Cæſar, & hinc Triviam proſpicis, inde Thetin,
Mittimus.

Statius Silvar. lib. III carm. I:

——— Dardaniæ quamvìs ſub collibus Albæ
Rus proprium, magnique ducis mihi munere currens
Vnda, domi curas mulcere æſtuſque levare
Sufficerent.

Lib. v, carm. II:

Sed quis ab excelſis Troianæ collibus Albæ
Vnde ſuæ juxtà proſpectat mœnia Romæ
Proximus ille deus, fama velocior intrat
Nuncius?

Sed & Columellæ lib. III cap. II *Albanus* vocatur *mons*. Livio lib. VII dicitur *Iugum Albæ Longæ*; ut infrà videbimus. Martiali lib. XIII epigram. CVIIII ab Iulo Aſcanio, Albæ Longæ conditore, *Iuléus* vocatur *mons*, in hoc diſticho, quo vinum Albanum innuit:

Hoc de Cæſareis mitis vindemia cellis
Miſit, Iuléo quæ ſibi monte placet.

FERIAE LATINAE *in Albano monte.* Sed montem hunc, poſt Albam dirutam, nobilitarunt maximè FERIAE LATINAE, quæ ab *totius Latii populis* in eo celebrari ſolebant. Stephani epitomator: Ἄλβα, πόλις Ἰταλίας. * · Λέγεται καὶ Ἀλβανὸς ἐν Ἰταλίᾳ τόπος, ἐν ᾧ ἱεροποιΐαι ἐγίνετο, Id eſt: *Alba, opidum Italiæ*. Mox: *Dicitur & Albanus in Italiâ locus, in quo ſacrificia fiebant*. Omnino ſcriptum fuiſſe cenſeo, Λέγεται καὶ Ἀλβανὸν ἐν Ἰταλίᾳ ὄρος. id eſt; *Dicitur & Albanus in Italiâ mons*. Varro de Linguâ Latinâ lib. v: *Latinæ feriæ dies conceptivus dictus à Latinis populis; quibus ex Albano monte ex ſacris carnem petere fuit jus cum Romanis: à quibus Latinis Latinæ dictæ*. Plinius lib. III cap. v; ubi populos Latii recenſet: *Et cum his carnem in monte Albano ſoliti accipere populi*. Servius ad Virgilii Aeneid. lib. I: *Viſcera non tantùm inteſtina dicimus; ſed quidquid ſub corio eſt. ut in Albano Latinis viſceratio dabatur; id eſt, caro*. Livius lib. XXXII: *Feriæ Latinæ pontificum decreto inſtauratæ ſunt; quòd legati ab Ardeâ queſti in ſenatu erant, ſibi in monte Albano Latinis carnem, ut adſolet, datam non eſſe*. Martialis lib. XII epigram, XLVIII:

Non Albana mihi ſit commeſſatio tanti;
Nec Capitolinæ pontificumque dapes.

Strabo lib. v: τὸν Ἀσκάνιόν φασι Ἄλβαν κτίσαι ἐν τῷ Ἀλβανῷ ὄρει, ἐνταῦθα Ῥωμαῖοι σὺν τοῖς Λατίνοις Διῒ θύουσιν, ἅπασα ἡ συναρχία ἀθροισθεῖσα. Id eſt: *Aſcanium ferunt Albam condidiſſe in Albano monte: ubi totius imperii concilio coacto Romani cum Latinis Iovi ſacrificant*. Cicero ad Atticum lib. I epiſt. II: *Aviam tuam ſcito deſiderio tui mortuam eſſe: & ſimul, quòd verita ſit, ne Latinæ in officio non manerent, & in montem Albanum hoſtias non adducerent*. Florus lib. III cap. XVIII; quod eſt de bello ſociali: *Primum fuit belli in Albano monte conſilium; ut feſto die Latinorum I. Cæſar & Marcius Philippus conſules inter ſacra & aras immolarentur*. Dionyſius lib. IIII, de Tarquinio Superbo, ultimo Romanorum rege, narrans: Τυχὼν δὲ τῆς Λατίνων ἡγεμονίας ὁ Ταρκύνιος, ἐπρεσβεύσατο πρὸς τὰς Ἑρνίκων πόλεις καὶ πρὸς τὰς Οὐολούσκων, προκαλούμενος κἀκείνας εἰς φιλίαν τε καὶ συμμαχίαν. ἐκ δὲ τοῦ Οὐολούσκων ἔθνους δύο πόλεις ἐδέξαντο μόναι τὰς προκλήσεις, Ἐχετρανοί τε καὶ Ἀντιάται. Ἕρνικες δὲ ἅπαντες ἐψηφίσαντο ποιεῖν τὴν συμμαχίαν. Τοῦ δὲ μένειν εἰς ἅπαντα τὸν χρόνον τὰ συγκείμενα ταῖς πόλεσι πρόνοιαν ὁ Ταρκύνιος λαμβάνων, ἱερὸν ἔγνω κοινὸν ἀποδεῖξαι Ῥωμαίων τε καὶ Λατίνων καὶ Ἑρνίκων καὶ Οὐολούσκων, τῶν ἐγγεγραμμένων εἰς τὴν συμμαχίαν· ἵνα συνερχόμενοι καθ᾽ ἕκαστον ἐνιαυτὸν εἰς τὸν ἀποδειχθέντα τόπον, πανηγυρίζωσι καὶ συνεστιῶνται, καὶ κοινῶν ἱερῶν μεταλαμβάνωσιν. Ἀγαπητῶς δὲ πάντων τὸ πρᾶγμα δεξαμένων, τόπον μὲν ἀπέδειξεν, ἔνθα ποιήσονται τὴν σύνοδον, ἐν μέσῳ μάλιστα τῶν ἐθνῶν κείμενον, ὄρος ὑψηλόν, ὃ τῆς Ἀλβανῶν ὑπέρκειται πόλεως, ἐν ᾧ πανηγύρεις τε ἀνὰ πᾶν ἔτος ἄγεσθαι, καὶ ἐκεχειρίας εἶναι πᾶσι πρὸς πάντας ἐνομοθέτησε, θυσίας τε συντελεῖσθαι κοινὰς τῷ καλουμένῳ Λατιαρίῳ Διῒ καὶ συνεστιάσεις, τάξας ἃ δεῖ παρέχειν ἑκάστην πόλιν εἰς τὰ ἱερά, καὶ μοῖραν ἣν ἑκάστην δεήσει λαμβάνειν. Αἱ δὲ μεταχοῦσαι τῆς ἑορτῆς τε καὶ τῆς θυσίας πόλεις, τριῶν δέουσαι, πεντήκοντα ἐγένοντο. Ταύτας τὰς ἑορτάς τε καὶ τὰς θυσίας μέχρι τῶν καθ᾽ ἡμᾶς χρόνων τελοῦσι Ῥωμαῖοι, Λατίνας καλοῦντες· καὶ φέρουσιν εἰς

σιν εἰς ταύτας αἱ μετέχουσαι τῶν ἱερῶν πόλεις, αἱ μὲν ἄρνας, αἱ δὲ τυροὺς, αἱ δὲ γάλακτός τι μέτρον, αἱ δὲ ὅμοιόν τι τούτοις πελανοῦ γένος· ἑνὸς δὲ ταύρου κοινῶς ὑπὸ πασῶν θυομένου, μέρος ἑκάστη τὸ τεταγμένον λαμβάνει. θύουσι δὲ ὑπὲρ πάντων· καὶ τὴν ἡγεμονίαν τῶν ἱερῶν ἔχουσι Ῥωμαῖοι. Hoc eſt : *Tarquinius Latinæ gentis imperio potitus, legatos miſit ad Volſcos & Hernicos; eorum quoque amicitiam & ſocietatem expetens. Volſcorum duo tantùm populi adſenſerunt; Echetrani & Antiates. Hernici univerſi ſocietatem decreverunt. Vt autem ſempiternum maneret id fœdus; Tarquinius propoſuit deſignare commune templum Romanorum Latinorumque & Hernicorum ac Volſcorum, qui ſociorum numero adſcripti eſſent : ut quotannis ibi, ſolennem cœtum agitantes, epularentur unà, & communia ſacra participarent. Quod quum æquis animis acceptarent omnes; locus conventui præſtitutus eſt in meditullio fermè harum gentium, mons excelſus, Albæ imminens : ubi ſingulis annis feriæ celebrarentur; & tunc ab omni vi temperarent omnes : ſacraque communiter Iovi Latiari facerent; & vacarent epulis : conſtituto, quid quisque populus in ea ſacra præbere, quamque portionem recipere deberet. Earum feriarum, eiusque ſacrificii, participes fuerunt* XLVII *civitates. easque etiam nunc Romani agitant; Latinas vocantes. conferunt in eas populi, ſacrorum participes, alii agnos, alii caſeos, quidam lactis certum modum, quidam conſimile liborum genus. Communis omnium victima eſt taurus unus. de quo cuique populo ſua portio tribuitur. Sacrificant autem pro univerſis. eique ſacrificio præſunt Romani.* Huc ſcilicet reſpexit Virgilius, iſtum verſum Aeneid. lib. XII ſcribens:

Tunc neque nomen erat, neque honos, aut gloria monti.

Ad quæ verba ita commentatur Servius : *Hoc ideò ait, quia in Albano res divina à jure triumphantibus fieri ſolebat : ſcilicet, quòd Alba patria populi Romani habetur; unde omnis origo Romana. propter quod Albanique patres. & Iupiter Latiaris antiquiſſimus eſt. Ergo montis huiusce gloria, quòd patria populi Romani eſſe dicatur : honos verò è re divinâ, quæ ibi à Romanis fieri conſueverat. nomen quis ignorat à Longâ Albâ tractum eſſe.* Certè ſummam, ut antè dixi, nobilitatem à feriis Latinis habuit. Macrobius Saturnalior. lib. I cap. XVI : *Quum Latiar, hoc eſt, Latinarum ſolenne concipitur, nefas eſt prælium ſumere : quia Latinarum tempore, quo publicè quondam induciæ inter populum Romanum Latinosque firmatæ ſunt, inchoari bellum non decebat.* Sic Dio quoque lib. XLVII feſtum hoc plurali numero adpellavit τὰ Λατιάρια, *Latiaria.* Livius ſub finem libri XXI : *Ne Latinas indiceret, Iovique Latiali ſolenne ſacrum in monte Albano faceret.* TEMPLVM etiam huius IOVIS LATIALIS memorat Livius lib. XXVII. *In Albano*, inquit, *monte tacta de cœlo erant, ſignum Iovis arborque templo propinqua.* In ſummo id fuiſſe montis jugo, ex ſuprà ſcriptâ Dionyſii narratione colligere datur. ſed & Cicero haud obſcurè idem teſtatur in oratione pro T. Annio Milone; ubi de P. Clodii cæde loquitur : *Non eſt humano conſilio, ne mediocri quidem, judices, deorum immortalium curâ, res illa perfecta. religiones mehercule ipſæ aræque, quum illam belluam cadere viderunt, commoviſſe ſe videntur, & jus in illo ſuum retinuiſſe. Vos enim Albani tumuli atque luci, vos, inquam, imploro atque obteſtor; vosque Albanorum obrutæ aræ, ſacrorum populi Romani ſociæ & æquales; quas ille præceps amentiâ, cæſis proſtratisque ſanctiſſimis lucis, ſubſtructionum inſanis molibus oppreſſerat : veſtræ tum aræ, veſtræ religiones viguerunt, veſtra vis valuit; quam ille omni ſcelere polluerat. tuque ex tuo edito monte, Latialis ſancte Iupiter; cuius ille lacus, nemora, fineisque, ſæpè omni nefario ſtupro & ſcelere maculârat; aliquando ad eum puniendum oculos aperuiſti. vobis illæ, vobis, veſtro in conſpectu, ſeræ, ſed juſtæ tamen & debitæ, pœnæ ſolutæ ſunt.* En, ut diſertè Cicero diſtingvit inter *Albanos tumulos atque lucos Albanorumque obrutas aras, ſacrorum populi Romani ſocias atque æqualeis, quas Clodius, cæſis ſanctiſſimis lucis, ſubſtructionibus ſuis oppreſſerat*, & inter *editum Latialis Iovis montem*, in quo templum eius erat. itaque *aræ iſtæ Albanorum in tumulis & ſacris lucis* haud dubiè in ipſo fuêre *veſtigio Albæ Longæ*; cuius tantùm *templa* intacta reliquiſſe Tullum Hoſtilium, quum urbem deſtrueret, teſtantur Livius Dionyſiusque ac Strabo. *Subſtructiones* autem illas Clodii fuiſſe ab hac parte lacus, ſupra *Albanum* opidum, mox infrà clariùs videbimus. An igitur ad hunc *editum Iovis montem* pertinet & illud Livii, quod poſt dirutam Albam tradit eodem lib. I his verbis : *Devictis Sabinis, quum in magnâ gloriâ magnisque opibus regnum Tulli ac tota res Romana eſſet, nunciatum regi patribusque eſt, in monte Albano lapidibus pluiſſe. quod quum credi vix poſſet, miſſis ad id viſendum prodigium; in conſpectu haud aliter, quàm quum grandinem venti glomeratam in terras agunt,*

crebri cecidere cœlo lapides. viſi etiam audire vocem ingentem ex ſummi cacuminis luco, ut patrio ritu ſacra Albani facerent. Eumdem locum Livius poſteà, lib. VII, *arcem Albanam* vocat. *Inde Galli diſſipati fuſique per campos, & præter caſtra etiam ſua fugâ prælati, quod editiſſimum inter æqualeis tumulos occurrebat oculis, arcem Albanam petunt.* Paullo pòſt: *Galli ex Albanis montibus, quia hiemis vim pati nequiverant, per campos maritimaque loca vagi populabantur.* Cæterùm idem Livius lib. XLII, in conſulatu L. Poſthumii Albini & M. Popilii Lænatis, anno Vrbis IↃLXXVIII, ita ſcribit: *Eo anno C. Cicereius prætor in Corſicâ ſignis collatis pugnavit: VII millia Corſorum cæſa: capti ampliùs CIↃ & IↃCC. Voverat in eâ pugnâ prætor ædem Iunonis Monetæ.* Et lib. XLV, in conſulatu Q. Aelii Pæti & M. Iunii Pennii: *Eodem anno C. Cicereius ædem in monte Albano dedicavit, quinquennio pòſt, quàm vovit.* Hæc IVNONIS MONETAE ædes haud dubiè & ipſa fuit in ſummo montis jugo, prope Iovis templum. De eâdem puto loqui Dionem lib. XXXVIIII his verbis: Ἐν τῷ Ἀλβανῷ νεὼς Ἥρας βραχὺς ἐπὶ τραπέζης τινὸς πρὸς ἀνατολῶν ἱδρυμένος, πρὸς τὴν ἄρκτον μετεστράφη. Id eſt: *In Albano Iunonis exigua ædes, ſupra menſam quandam dedicata, quum orientem Solem ſpectaret, ad ſeptemtriones converſa eſt.* Plinius dicto lib. III cap. V; ubi populos ſeu civitates Latii enumerat; *In monte*, inquit, *Albano* FOROPOPVLIENSES. Sic ſcilicet eodem libro cap. IIII in Galliâ Narbonenſi *Foroneronienſeis* adpellat ab opido *Foro Neronis*; cap. XIIII in Vmbriâ *Foroflaminienſeis*, à *Foro Flaminii*: *Forojulienſeis*, à *Foro Iulii*; *Foroſempronienſeis*, à *Foro Sempronii*: cap. XVI in Liguribus *Forovibienſeis*, à *Foro Vibii*; *Forocornelienſeis*, à *Foro Cornelii*. Itaque in Albano etiam monte haud dubiè *opidulum* ſeu *vicus* fuit nomine FORVM POPVLI, circa templum Iovis; ubi *ſacra illa Latinarum feriarum* ab univerſo Latii populo fiebant. Ovidius metro coactus videtur Foropopulienſes dixiſſe FORENSEIS, Faſtor. lib. III, his verſibus:

FORVM Populi.

Mars Latio venerandus erat; quia præſidet armis.
Arma feræ genti remque decuſque dabant.
Quòd ſi fortè vacas; peregrinos inſpice faſtos.
Menſis in his etiam nomine Martis erit.
Tertius Albanis, quintus fuit ille Faliſcis:
Sextus apud populos, Hernica terra, tuos.
Inter Aricinos Albanaque tempora conſtat;
Factaque Telegoni mœnia celſa manu.
Quintum Laurentes, bis quintum Aequiculus acer,
A tribus hunc primum turba Forenſis habet.
Et tibi cum proavis, miles Peligne, Sabinis
Convenit. huic genti quartus utrique deus.

En *turbam* tantùm vocat *Forenſem*; ut à tenuiori opidulo: non autem *plebem* aut *populum*; quod maioribus magis conveniebat opidis. Haud equidem neſcius ſum, doctiſſimos quosdam viros hosce *Forenſeis* traxiſſe ad *Forulos*, opidum Sabinorum. verùm cur minùs rectè id factum, ſuprà lib. II cap. VIIII in Sabinis oſtendi. In hoc igitur *Foro Populi* domus etiam fuit publica, in quam conſules ſacrificaturi divertebant. Dio lib. LIIII, in rebus Auguſti: Καὶ κεραυνὸς ἐς τὴν ἐν τῷ Ἀλβανῷ οἰκίαν, ἐς ἣν οἱ ὕπατοι ἐν ταῖς ἱερουργίαις καταλύουσιν, ἐνέσκηψε. Id eſt: *Fulmine domus ea in Albano, in quam conſules, quum ſacra heic fiant, divertere ſolent, icta fuit.*

Domus conſulum *in Albano monte.*

De cætero pluribus ac variis Albanum montem conſitum fuiſſe NEMORIBVS ſeu LVCIS, in ipſo cacumine, circa Albam & lacum, ſuprà ex Cicerone ac Livio intelleximus. quorum hic lib. I: *Viſi etiam audire vocem ingentem ex ſummi cacuminis luco, ut patrio ritu ſacra Albani facerent.* Cicero in oratione pro Milone: *Vos Albani tumuli atque luci.* &; *cæſis proſtratisque ſanctiſſimis lucis.* item; *tuque ex tuo edito monte, Latialis ſancte Iupiter; cuius ille lacus, nemora, fineisque, ſæpè omni nefario ſtupro & ſcelere macularat.* Sed omnia hæc unum NEMVS ALBANVM intellexiſſe videtur Livius lib. V; ubi ait; *Lacus in Albano nemore in altitudinem inſolitam crevit.* Hodiéque idem mons admodùm eſt nemoroſus; maximè verò ab eâ parte, qua lacus eſt.

ALBANVM NEMVS.

At poſterioribus etiam temporibus omne hoc latus Albani montis inter Albæ Longæ veſtigia & lacum viamque Appiam *villis* ac *prætoriis* ducum principumque Romanorum percelebre fuit. Ac primùm ad ipſam viam fuit CN. POMPEII VILLA, ALBANVM (intellige *ſuburbanum rus* ſeu *prædium*) POMPEII dicta: quà poſteà *opidum*

ALBANVM Cn. Pompeii Magni.

dum evaſit, nomine ALBANVM; quod hodiéque vulgò vocatur *Albano*. Supra hanc Pompeii villam, versùs lacum & Albæ Longæ veſtigia ſive templa, fuit P. CLODII VILLA; & ipſa ALBANVM CLODII adpellata. Plutarchus in Cicerone: Πομπηΐου διατρίβοντος ἐν ἀγροῖς περὶ τὸ Ἀλβανόν. id eſt: *Pompeio ruri agente circa Albanum.* Ipſe Cicero ad Atticum lib. VII epiſt. V: *Ego de Formiano Tarracinam: inde Pomptinum ſummam; inde Albanum Pompeii. ita ad Vrbem.* Nempe via Appia hac ducebat à *Tarracinâ*, per *Forum Appii, Treis Tabernas, Sub Lanuvio*; quod in colle ſitum propter viam: dein *Ariciam* & *Bovillas*: ut infrà videbimus. Idem Cicero in oratione pro C. Rabirio Poſthumo; qui Ptolemæo regi pecuniam roganti crediderat: *Quamquàm ad ſumptum itineris, ad illam magnificentiam adparatus comitatumque regium ſuppeditata pecunia à Poſthumo eſt: factæque ſyngraphæ ſunt in Albano Cn. Pompeii, quum ille* [rex] *Româ profectus eſſet.* Nempe, *viâ Appiâ*, verſùs Capuam & Brundiſium; ut in regnum rediret. Idem porrò Cicero in oratione pro T. Annio Milone: *Tulit de cæde, quæ in Appiâ viâ facta eſſet; in qua P. Clodius occiſus eſt.* Aliquanto pòſt: *Quum ſciret Clodius, iter ſolenne, legitimum, neceſſarium, ante diem* XIII *Kalend. Febr. Miloni eſſe Lanuvium, ad flaminem prodendum; quòd erat dictator Lanuvii Milo; Româ ſubitò ipſe profectus pridiè eſt; ut ante ſuum fundum Miloni inſidias collocaret.* Mox: *Fit obviam Clodio Milo ante fundum eius horâ ferè* XI. [*aliàs* IX.] *ſtatim complures cum telis in hunc faciunt de loco ſuperiore impetum.* Deinde: *Atque illo die certè Ariciâ rediens, divertit Clodius in Albanum. Quòd niſi ſciret Milo, illum Ariciæ fuiſſe; ſuſpicari tamen debuit, eum, etiamſi Romam illo die reverti vellet, ad villam ſuam, quæ viam tangeret, diverſurum. cur neque antè occurrit, ne in villâ reſideret; nec eo in loco ſubſedit, quò ille noctu venturus eſſet?* Exiguo pòſt: *Videamus nunc id, quod caput eſt. locus ad inſidias ille ipſe, ubi congreſſi ſunt, utri tandem fuerit aptior? Ante fundum Clodii. quo in fundo, propter inſanas illas ſubſtructiones facilè mille hominum verſabatur valentium. Atqui excelſo loco ſuperiorem ſe fore putabat Milo: & ob eam cauſam eum locum ad pugnam potiſſimùm delegerat. An in eo loco potiùs exſpectandum ab eo, qui ipſius loci ſpe facere impetum cogitârat?* Mox: *Videte nunc illum* [Clodium] *primum egredientem è villâ ſubitò. Cur veſperi? quid neceſſe eſt? quî convenit? præſertim id temporis. Divertit in villam Pompeii. Pompeium ut videret? ſciebat in Alſienſi eſſe. Villam ut perſpiceret? millies in eâ fuerat.* Poſteà: *Cur igitur ſervos Milo manumiſit? metuebat ſcilicet, ne tormentis cogerentur, occiſum eſſe à ſervis Milonis in Appiâ viâ P. Clodium, confiteri.* Tandem: *Non eſt humano conſilio, ne mediocri quidem, Iudices, deorum immortalium curâ, res illa perfecta. religiones mehercule ipſæ aræque, quum illam belluam cadere viderunt, commoviſſe ſe videntur, & jus in illo ſuum retinuiſſe. Vos enim, Albani tumuli atque luci, vos, inquam, imploro atque obteſtor; vosque Albanorum obrutæ aræ, ſacrorum populi Romani ſociæ & æquales; quas ille præceps amentiâ, cæſis proſtratisque ſanctiſſimis lucis, ſubſtructionum inſanis molibus oppreſſerat: veſtræ tum aræ, veſtræ religiones viguerunt; veſtra vis valuit: quam ille omni ſcelere polluerat. tuque ex tuo edito monte Latialis ſancte Iupiter: cuius ille lacus, nemora fineisque ſæpè omni nefario ſtupro & ſcelere macularat; aliquando ad eum puniendum oculos aperuiſti. vobis illæ, vobis, veſtro in conſpectu ſeræ, ſed juſtæ tamen & debitæ, pœnæ ſolutæ ſunt. niſi fortè hoc etiam caſu factum eſſe dicemus, ut antè ipſum ſacrarium Bonæ deæ, quod eſt in fundo T. Sextii Galli, ante ipſam, inquam, Bonam deam, quum prœlium commiſiſſet, primum illud vulnus acceperit, quo teterrimam mortem obiret.* Ad hæc ita commentatur Aſconius Pedianus: *Milo Lanuvium, ex quo erat municipio, & ibi tum dictator, profectus eſt, ad flaminem prodendum poſterâ die. occurrit ei circa horam nonam Clodius, paullo ultra Bovillas, rediens ab Ariciâ, prope eum locum, in quo Bonæ deæ ſacellum eſt. erat autem adloquutus decuriones Aricinorum.* Paullo pòſt: *Clodius vulneratas in tabernam proximam Bovillano delatus eſt.* Et poſteà: *P. Clodium Aricinos decuriones adloquendi gratiâ abiiſſe; profectum cum* VI *ac* XX *ſervis. Milonem ſubitò poſt horam quartam* [omnino ſcriptum erat, horam IX, ut ſuprà, & in quibusdam Ciceronis exemplaribus: quod poſteà corruptum in IV] *cum ſervis ampliùs* CCC *armatis obviam ei contendiſſe, & ſupra Bovillas inopinantem in itinere adgreſſum. ibi P. Clodium, tribus vulneribus acceptis, Bovillas perlatum: tabernam, in quam profugerat, expugnatam à Milone. ſemianimem Clodium extractum in viâ Appiâ occiſum eſſe. deinde Milonem, quum ſciret, in Albano parvulum filium Clodii veniſſe ad villam; & quum puer antè ſubtractus eſſet, de ſervo Alicore quæſtionem ita habuiſſe, ut eum articulatim conſecaret.* Itineraria antiqua ita habent:

Tabulæ;		Antonini;		Hieroſolymitanum:	
Româ, viâ Appiâ		*Appiâ ab Vrbe*		*In urbe Româ*	
Bobellas	x.			*Mu. Ad Nonum*	ix.
Aricia	iii.	*Aricia*	xvi.	*C. Aricia & Albano*	vii.
Sub Lanubio	....				
				Mu. Ad Sponſas	xiv.
Tres Tabernas	.....	*Tribus Tabernis*	xvii.		
....	x.	*Appî Forum*	xviii.	*Mu. Appî Foro*	vii.
				Mu. Ad Medias	ix.
Terracina	....	*Terracina*	xviii.	*C. Terracina*	x.

Hodiêque xii exigua numerantur millia paſſuum ad opidum Albanum; atque inde mille paſſus Ariciam usque. quæ ſunt xiii iſta millia Tabulæ inter *Romam* & *Ariciam*. In Hieroſolymitano itinerario haud dubiè ſcripta fuêre ſecundo loco iv; quæ mox in vi, ac tandem in vii corrupta ſunt. Ex hisce igitur itinerariis pariterque ex præſcriptis Ciceronis ac Pediani verbis clarè patet, *Albanum* opidum, ad tertium ferè lapidem ultra *Bovillas*, quæ interierunt, fuiſſe illud *Albanum prædium Cnæi Pompeii*: ſupra quod circa lacum & lucos Albanos ſuum habuit eodem cognomine prædium P. Clodius. quod non ipſam tetigiſſe Appiam viam, vel eo ſatis ipſe fatetur Cicero, quòd inde deſcendiſſe ait Clodium in villam Pompeii, uti Miloni hinc iter Appiâ viâ à Româ & Bovillis versùs dictam villam & Lanuvium facienti occurreret. Obviam igitur factus eſt Bovillas egreſſo, ad mille fortaſſis paſſus ab opido: quo loco erat Sacellvm bonae deae. qui equidem locus propinquior erat lacui & villæ Clodii, quàm Albanum Pompeii. unde rectè Cicero dixit, *obviam factum Milonem Clodio ante fundum eius*. ſed in Pompeianam villam antè deflexiſſe Clodium, diſertè idem teſtatur Cicero. Circa eadem hæc loca caſtra poſuit Romanus exercitus bello civili contra Marium Cinnamque. qua de re ita Appianus Civil. bellor. lib. i: Μάριος δὲ εἷλεν Ἄντιον καὶ Ἀρικίαν καὶ Λανούβιον, καὶ ἄλλας πόλεις. ὡς δὲ αὐτῷ καὶ τὴν γῆν ἐκεκράτησεν ἀγορᾶς, εὐθαρσῶς ἐβάδιζεν ἐπὶ τὴν Ῥώμην αὐτίκα διὰ τῆς ὁδοῦ τῆς καλουμένης Ἀππίας. οὔπω δὲ ἄστεος ἑκατὸν σταδίους αὐτός τε καὶ Κίννας ἀποσχόντες, ἐστρατοπέδευσαν, Ὀκταουΐου καὶ Κράσσου καὶ Μετέλλου περὶ τὸ ὄρος τὸ Ἀλβανὸν αὐτοῖς ἀντικαθημένων. Id eſt: *Marius Antium, Ariciam, Lanuvium, & alia opida occupavit. ita terrâ quoque commeatibus interſeptis, audacter versùs Vrbem per viam Appiam progrediens, ad* c *ſtadia unà cum Cinnâ caſtra poſuit. Octavius verò & Craſſus & Metellus ad montem Albanum ſe eis oppoſuêre.* Centum ſtadia millia paſſuum eo ſæculo conficiebant xii ac paſſus iↄ. medio igitur itinere inter *Albanum Pompeii* & *Ariciam* Marius Cinnaque poſuêre caſtra: quibus oppoſita caſtra habuêre circa Albanum Pompeii Octavius Craſſusque & Metellus. Apud Livium lib. vii ita ſcriptum: *Cohors una quum haud procul Anxure eſſet, ad Lantulas, ſaltu anguſto inter mare ac monteis, conſedit, ad excipiendos, quos conſul aliis atque aliis cauſis mittebat. Iam valido admodùm numero manus erat: nec quidquam ad juſti exercitus formam, præter ducem, deerat. Incompoſiti itaque prædantes in agrum Albanum perveniunt; & ſub jugo Albæ Longæ caſtra vallo cingunt.* Paullo pòſt: *Suo magis inde impetu, quàm conſilio ducis, convulſis ſignis, infeſto agmine ad lapidem octavum viæ, quæ nunc Appiâ eſt, perveniunt.* Ex his igitur hiſtoriis ſatis clarè patet, nullam tum heic fuiſſe *Albam* urbem, quam quosdam velle eſſe nunc *Albanum* opidum ſuprà dixi. Apud Oroſium lib. v cap. xxii, & ex Oroſio apud Freculfum tomo i lib. vi cap. xiii, ac Paullum Diaconum Hiſtoriæ miſcellæ lib. v, ita ſcriptum eſt: *Syllâ mortuo, Lepidus, Marianæ partis adſertor, adversùs Catulum, Syllanum ducem, ſurgens, redivivos bellorum civilium cineres ſuscitavit. Bis tunc acie certatum eſt. plurimi Romanorum cæſi ſunt. Albanorum civitas obſidione oppugnata: atque excruciata fame, ultimâ miſerabilium reliquiarum deditione ſervata eſt. ubi tunc Scipio, Lepidi filius, captus atque occiſus eſt. Brutus in Ciſalpinam Galliam fugiens, perſequente Pompeio, apud Regium interfectus eſt. Ita hoc bellum civile, non magis clementiâ Catuli, quàm tædio Syllanæ crudelitatis, ut ignis in ſtipulâ, eâdem celeritate, qua exarſit, evanuit.* Niſi vitiatum iſtud ſit urbis vocabulum, miror ego, quàm heic intellexerit *Albam* Oroſius. nam illam in Albano monte jam dudum diruerant Romani: nec umquàm ad ea tempora mœnia eius rurſùm erecta fuêre; ut ex ſuprà

citatis auctoribus, maximè verò è Dionyſio, diſertè patuit. Marſorum Albam eum voluiſſe, conjicerem; niſi id bellum trans Tiberim intra Etruriam oppreſſum fuiſſet. Epitomator Livii lib. xc: *Sylla deceſſit. M. Lepidus, quum acta Syllæ tentaret reſcindere, bellum excitavit; & à Q. Catulo collegâ Italiâ pulſus eſt: & in Sardiniâ fruſtra bellum molitus, periit. M. Brutus, qui Ciſalpinam Galliam tenebat, à Cnæo Pompeio occiſus eſt.* Florus lib. III cap. XXIII: *M. Lepido, Q. Catulo, conſulibus, civile bellum penè citiùs oppreſſum eſt, quàm inciperet. ſed quantum latéque fax illius motus ab ipſo Syllæ rogo exarſit! Cupidus namque rerum novarum per inſolentiam Lepidus, acta tanti viri reſcindere parabat.* Mox: *Ergo quum turbidis concionibus velut claſſico civitatem terruiſſet; profectus in Etruriam, arma inde & exercitum Vrbi admoverat. ſed jam Milvium pontem collemque Ianiculum Lutatius Catulus Cnæusque Pompeius alio exercitu inſederant. à quibus primo ſtatim impetu retro pulſus, hoſtisque à ſenatu judicatus, incruentâ fugâ Etruriam, inde Sardiniam receſſit. ibi morbo & pœnitentiâ interiit.* Appianus eodem Civil. bellor. lib. I poſteà, de eodem Lepido: Οὐ λανθάνων δ᾽ ἐφ᾽ οἷς ἐβούλευεν, ἐκαλεῖτο ὑπὸ τῆς βουλῆς· καὶ οὐδὲ αὐτὸς ἀγνοῶν ἐφ᾽ οἷς ἐκαλεῖτο, ἤει μετὰ τοῦ στρατοῦ παντὸς, ὡς ἐς τὴν πόλιν εἰσελευσόμενος σὺν αὐτῷ. κωλυόμενος δ᾽ ἐκήρυξεν ἐς τὰ ὅπλα χωρεῖν· καὶ ἀντικήρυξε Κάτλος. μικρόν τι πρὸ τοῦ Ἀρείου πεδίου μάχης αὐτοῖς γενομένης, ἡττώμενος ὁ Λέπιδος, καὶ οὐκ ἐς πολὺ ἔτι ἀντισχὼν, ἐς Σαρδὼ διέπλευσεν· ἔνθα νόσῳ τηκεδόνι χρώμενος ἀπέθανε καὶ ὁ στρατὸς αὐτοῦ μικρὰ κατὰ μέρος ἐνοχλήσας διελύθη. Id eſt: *Sed quum non laterent eius conſilia, revocatus à ſenatu, nec ignarus cur revocaretur, adventabat cum omnibus copiis; volens in Vrbem eas introducere. Verùm prohibitus, ſuos per præconem jubet arma capere. idem ex adverſo facit Catulus. confligiturque haud procul campo Martio. Lepidus victus, & cedere coactus, trajecit in Sardiniam: ubi tabe interiit. exercitus eius paullisper aliis atque aliis locis infeſtus, tandem diſperſus eſt.* Idem teſtatur & Plutarchus in Cn. Pompeio. Miror ergo etiam atque etiam, unde eam hiſtoriam de Albanorum civitate habuerit Oroſius. Apud Plutarchum equidem in Iulio Cæſare ita legitur: Καταβαίνοντος ἐξ Ἄλβης Καίσαρος εἰς τὴν πόλιν, ἐτόλμασαν αὐτὸν ἀσπάσασθαι βασιλέα. Id eſt: *Deſcendentem ab Albâ ad Vrbem Cæſarem auſi ſunt ſalutare regem.* At non ab *Albâ*, ſed ex *Albano monte* deſcendiſſe tunc Cæſarem, teſtis eſt Svetonius in vitâ eius cap. LXXVIIII. *Quum à ſacrificio Latinarum reverteretur, plebs regem eum ſalutavit.* Itaque aut mendum apud Plutarchum eſt ἐξ Ἄλβης, pro ἐξ Ἀλβανοῦ, aut urbis nomine montem intellexit; ut Lucanus lib. I:

Et reſidens celsâ Latialis Iupiter Albâ.

Et lib. III; de Cæſaris itinere è Campaniâ Romam verſùs:

Iamque & præcipites ſuperaverat Anxuris arceis;
Et quà Pomptinas via dividit uda paludes;
Quà ſublime Nemus, Scythicæ quà regna Dianæ;
Quáque iter eſt Latiis ad ſummam faſcibus Albam,
Excelsâ de rupe procul jam conſpicit Vrbem.

Nempe à *Tarracinâ*, quæ priùs *Anxur* dicebatur, ad urbem Romam contendens, deflexit dextrorſum à viâ Appiâ in colleis *Dianæ Nemorenſis*, ad opidum *Nemus*, quod hodiéque vulgò vocatur *Nemo*; lacum eiusdem Dianæ, quem in viâ Appiâ à dextrâ erat habiturus, in ſiniſtrâ relinquens: atque inde in ſummum Albani montis cacumen, quod heic *ſummam Albam* Lucanus vocat, pervenit; haud dubiè Iovi Latiali ibi ſacrificaturus. Sic Valerius quoque Flaccus Ἀργοναυτικῶν lib. II:

Iam nemus Egeriæ, jam te ciet altus ab Albâ
Iupiter, & ſoli non mitis Aricia regi.

Item Tibullus lib. I eleg. VII; quam in honorem atque laudes Meſſallæ ſcripſit:

Nec taceant monumenta viæ, quæ Tuſcula tellus
Candidaque antiquo detinet Alba lare.
Namque opibus congeſta tuis heic glarea dura
Sternitur; heic aptâ jungitur arte ſilex.
Te canit agricola è magnâ quum venerit Vrbe
Serus; inoffenſum retuleritque pedem.

Viam intelligit *Latinam*; de qua ita Strabo lib. V: Ἄρχεται ἡ Λατίνη ὁδὸς ἀπὸ τῆς Ἀππίας ἐν ἀριστερᾷ ἀπ᾽ αὐτῆς ἐκτετραμμένη πλησίον Ῥώμης, εἶτα διὰ Τουσκλανοῦ ὄρους ὑπερβᾶσα, μεταξὺ Τούσκλου πόλεως καὶ τοῦ Ἀλβανοῦ ὄρους, κάτεισιν ἐπὶ Ἄλγιδον πολίχνιον καὶ Πικτὰς πανδοχεῖα. εἶτα συμπίπτει καὶ ἡ Λαβικανή. Id eſt: *Incipit Latina via ab Appiâ ſiniſtrorſum ab eâ prope Romam*

deflectens: tranſiensque ſuper montem Tuſculanum, inter Tuſculum opidum & Albanum montem, deſcendit ad opidulum Algidum & Pictas tabernas. incidit hinc in eam Labicana. Vallis hæc inter Tuſculum & Albanum montem, per quam Latina via ad Algidum ducit, ALBANA vocatur VALLIS Livio lib. III; ubi de Aequorum expeditione loquitur in hæc verba: *Per Labicanos agros in Tuſculanos colleis tranſierunt.* Mox: *Sequuti famam & veſtigia Hernici Latinique, obvii ſiunt deſcendentibus à Tuſculano in Albanam vallem.* Sed ad viam Appiam revertamur. Poſt interitum P. Clodii quis *prædium* eius *Albam* tenuerit; ex eâdem familiâ homines, an alii; incertum eſt. cæterùm celebrata poſteà ſunt hæc loca imperatorum maximè ſeceſſu. Dio lib. LVIII, de Tiberio: Εἰκοστῷ δ' ἔτει τῆς ἀρχῆς ἐπιστάντος, αὐτὸς μὲν, καίτοι περί τε τὸ Ἀλβανὸν καὶ περὶ τὸ Τούσκουλον διατρίβων, οὐκ ἐσῆλθεν ἐς τὴν πόλιν. Id eſt: *Vigeſimo anno imperii, quum frequens in Albano & Tuſculi eſſet, in Vrbem non venit.* Iuvenalis Satyrâ IIII:

Quum jam ſemianimum laceraret Flavius Orbem
Vltimus, & calvo ſerviret Roma Neroni;
Incidit Hadriaci ſpacium admirabile rhombi
Ante domum Veneris, quam Dorica ſuſtinet Ancon,
Implevitque ſinus.
Deſtinat hoc monſtrum cymbæ linique magiſter
Pontifici ſummo. quis enim proponere talem,
Aut emere auderet? quum plena & litora multo
Delatore forent: diſperſi protinus algæ
Inquiſitores agerent cum remige nudo:
Non dubitaturi fugitivum dicere piſcem;
Depaſtumque diu vivaria Cæſaris. inde
Elapſum, veterem ad dominum debere reverti.
——— *Donabitur ergo;*
Ne pereat. Iam lethifero cedente pruinis
Autumno, jam quartanam ſperantibus ægris,
Stridebat deformis hiems, prædamque recentem
Servabat: tamen hic properat, velut urgeat Auſter.
Vtque lacus ſuberant, ubi, quamquàm diruta, ſervat
Ignem Troianum & Veſtam colit Alba minorem;
Obſtitit intranti miratrix turba parumper;
Et ceſſit: facili patuerunt cardine valvæ.
Excluſi ſpectant admiſſa opſonia patres.
Itur ad Atreidem. tunc Picens, Accipe, dixit
Privatis maiora focis.
Sed deerat piſci patinæ menſura. vocantur
Ergo in conſilium proceres.
Tandem:
Surgitur; &, miſſo, proceres exire jubentur,
Conſilio; quos Albanam dux magnus in arcem
Traxerat attonitos, & feſtinare coactos;
Tamquàm de Geticis aliquid torviſque Sicambris
Dicturus.

Ergo *templum* illud, quod unicum Strabo ſuprà citato loco memorat à Tullo Hoſtilio relictum, quum diſtrueretur *Alba*, fuit *Veſtæ* deæ. Porrò de eodem Nerone ſic Svetonius in vitâ eius cap. XXV: *Reverſus è Græciâ, Neapolim albis equis introiit, disjectâ parte muri; ut mos hieronicarum eſt. ſimili modo Antium. inde Albanum: inde Romam.* Nec *Romam* neque *Albanum, disjectâ parte muri, introiit.* neque dum enim opidum heic aliquod fuit, nomine *Albanum*; & *Alba Longa*, teſte Iuvenale, tum diruta erat. Igitur illud de *Neapoli* tantùm atque *Antio* intelligendum. Poſt Neronem mox Domitianus hoc maximè uſus eſt ſeceſſu. Dio lib. LXVI: Ὁ δὲ Δομιτιανὸς, φοβηθεὶς τὸν πατέρα, πρὸς τῷ Ἀλβανῷ τῷ ὄρει τὰ πολλὰ διέτριβεν. Hoc eſt: *Domitianus, patrem metuens, apud Albanum montem plurimùm agebat.* Et lib. LXVII; ubi imperium adeptus: Θεὸν μὲν γὰρ τὴν Ἀθηνᾶν ἐς τὰ μάλιστα ἤγαλλε, καὶ διὰ τοῦτο καὶ τὰ Παναθήναια μεγάλως ἑώρταζε. καὶ ἐν αὐτοῖς ἀγῶνας καὶ ποιητῶν καὶ λογογράφων μονομάχων τε κατ' ἔτος, ὡς εἰπεῖν, ἐν τῷ Ἀλβανῷ ἐποίει.

ἐποίει· τοῦτο γὰρ τὸ χωρίον ὑπὸ τὸ ὄρος τὸ Ἀλβανὸν, ἀφ' οὗπερ οὕτως ὠνομάσθη, ὥσπερ τινὰ ἀκρόπολιν ἐξείλετο. Hoc eſt: *Minervam præcipuè ex omnibus diis coluit. atque ob eam cauſam Quinquatria magnificè celebravit. in quibus certamina poëtarum oratorumque & gladiatorum quotannis ferè exhibebat in Albano. nam eum locum ſub Albano monte, unde is locus nomen habet, tamquàm arcem aliquam elegerat.* Svetonius in vitâ eius, cap. IIII: *Celebrabat in Albano quotannis Quinquatria Minervæ: cui collegium inſtituerat; ex quo, ſorte ducti, magiſterio fungerentur; redderentque eximias venationes & ſcenicos ludos; ſuperque oratorum ac poëtarum certamina.* Et cap. XVIIII: *Centenas varii generis feras ſæpè in Albano ſeceſſu conficientem ſpectavêre plerique.* En tibi originem auctoremque amphitheatri, quod hodiéque prope lacum & opidum ei adpoſitum, cui vulgare vocabulum *Caſtel Gandolpho*, verſùs *Albanum* opidum euntibus viſitur, vulgò *Il Coliséo* dictum. Huc jam ſpectat & illud Martialis lib. V epigram. I ad Domitianum:

Hoc tibi, Palladiæ ſeu collibus uteris Albæ,
Cæſar, & hinc Triviam proſpicis, inde Thetin;
Seu tua veridicæ diſcunt reſponſa ſorores,
Plana ſuburbani quà cubat unda freti;
Mittimus.

Scilicèt ab hoc *Albano* ſuo Domitianus & Ariciam Dianamque Nemorenſem proſpicere poterat, & ſimul etiam mare. Idem Martialis lib. XI epigram. VIII:

Iam certè ſtupido non dices, Paulla, marito,
Ad mœchum quoties longiùs ire voles,
Cæſar in Albanum juſſit me manè venire,
Cæſar Circeios. jam ſtropha talis abit.
Penelopæ licet eſſe tibi ſub principe Nervâ.
Sed prohibet ſcabies ingeniumque vetus.

Statius Silvar. lib. V carm. II ita canit:

Sed quis ab excelſis Troianæ collibus Albæ,
Vnde ſuæ juxtà proſpectat mœnia Romæ
Proximus ille deus, fama velociter intrat
Nuncius; atque tuos implet Criſpine penateis?
Dicebam certè. vatum non irrita currunt
Auguria. en ingens reſerat tibi limen honorum
Cæſar; & Auſonii committit munia ferri.

At Silvar. lib. III carm. I, prædium heic ſe ab Domitiano accepiſſe, fatetur his verbis: —— *Dardaniæ quamvìs ſub collibus Albæ*
Rus proprium, magnique ducis mihi munere currens
Vnda, domi curas mulcere æſtusque levare
Sufficerent.

Ibidemque & patrem ſuum ſe tumulaſſe, teſtatur dicto Silvar. lib. V carm. III; quod eſt epicedion in patrem:

—— *Vix hæc in munera ſolvo*
Primum animum, tacitisque ſitum depellere curis,
Nunc etiam labente manu, nunc lumine ſicco,
Ordior adclivis tumulò, quo molle quieſcis,
Iugera noſtra tenens: ubi, poſt Aeneia fata
Solatus, Latiis ingeſſit montibus Albam
Aſcanius, Phrygio dum pingveis ſangvine campos
Odit, & infauſtum regnum dotale novercæ.
Heic ego te, (nam Sicanii non mitius halat
Aura croci; dites nec ſic tibi rura Sabæi
Cinnama, odoratas nec Arabs decerpſit ariſtas)
Inſerui cum laude loci.

Cæterò poſt Domitianum alii etiam Cæſares idem frequentarunt *Albanum*. Vulcatius Gallicanus, in Avidio Caſſio, ex epiſtolâ M. Antonini ad Fauſtinam citat iſta: *Veni igitur in Albanum; ut tractemus omnia diis volentibus.* Et ex epiſtolâ Fauſtinæ ad Antoninum: *Ipſa in Albanum cras, ut jubes, mox veniam.*

Sed & CASTRA PRAETORIA prope hoc imperatorum ALBANVM PRAETO-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

ALBANA CASTRA, & ALBANVM imperatorium PRAETORIVM.

RIVM poſita fuêre. Iul. Capitolinus in Maximino; qui circa annum Ieſu Chriſti CCXXXV Aquileiam obſidens interiit: *Quare timentes milites, quorum adfectus in Albano monte erant, Maximinum & filium eius quieſcenteis in tentorio occiderunt*. Herodianus lib. VIII: Παντοδαπῆς οὖν ἀπορίας καὶ δυσθυμίας τὸν στρατὸν κατεχούσης, αἰφνιδίως, ἀναπαυομένου τοῦ Μαξιμίνου ἐν τῇ σκηνῇ, καὶ τῆς ἡμέρας ἐκείνης ἐν ἀνέσει τοῦ πολέμου οὔσης, τῶν τε πλείστων τὰς σκηνὰς καὶ τὰ ἐγκεχειρισμένα τῶν φρουρᾶς χωρία ἀνακεχωρηκότων, ἔδοξε τοῖς στρατιώταις, οἳ περὶ τῇ Ῥωμαίων πόλει στρατόπεδον εἶχον ὑπὸ τὸ καλούμενον ὄρος Ἀλβανὸν, ἔνθα παῖδας καὶ γυναῖκας καταλελοίπεσαν, φονεῦσαι τὸν Μαξιμῖνον. Id eſt: *Quum igitur ad hunc modum mæſtus & omnis conſilii inops exercitus eſſet; repentè, dum ſub tentorio quieſcit Maximinus, vacuo die à pugnâ; quum plerique aut in tabernacula aut in ſuas quisque ſtationes conceſſiſſent; viſum eſt militibus iis, quorum ad urbem Romam ſub monte Albano caſtra erant, atque in his liberi eorum conjugesque relictæ, neci dedere Maximinum*. En, habes tandem originem atque primordia ALBANI *opidi* in ipsâ viâ Appiâ, quod hodiéque vulgò dicitur *Albano*; antiquitus autem erat *Albanum rus* ſeu *prædium Pompeii*. nam ad eiusmodi caſtra negotiatores ſtatim confluxiſſe, ſedemque poſuiſſe, qui commeatum militibus & alia quotidiano victui neceſſaria ſuppeditabant, vulgò ex hiſtoriis notum eſt. & omneis ad Rhenum amnem urbeis, quæ nunc omnium maximæ ſunt & celeberrimæ, ab huiusmodi præſidiariis Romanorum caſtris ſeu caſtellis cepiſſe originem, in Germaniæ opere docui. Hinc igitur illud Eutropii, qui CC propemodùm annis poſt Maximinum ſcripſit, lib. I, de Tullo Hoſtilio: *Albanos vicit: qui ab urbe Româ* XII *milliario ſunt*. Ab Eutropio partim, partim ab Oroſio hæc mutuatum cenſeo Paullum Diaconum Hiſtoriæ miſcellæ lib. I, de eodem Tullo: *Hic bella reparavit, fiduciâ benè exercitatæ juventutis; & Anis bellum, qui nunc Albani dicuntur, & qui ab Vrbe* XII *milliaria ſunt, intulit; eosque vicit ſextâ congreſſione, peſſimâ clade*. Haud dubium, quin ſomniculoſus exſcriptor menda his verbis inſperſerit. Oroſius lib. I cap. IIII ſic habet: *Tullum Hoſtilium, militaris rei inſtitutorem* [malim è Diacono, *inſtauratorem*] *fiduciâ benè exercitatæ juventutis Albanis intuliſſe bellum; & diu altrinſecus ſpe incertâ certâque clade, tandem peſſimos exitus & dubios eventus compendioſâ tergeminorum congreſſione finiiſſe*. Scripſit igitur Diaconus: *Hic bella reparavit; &, fiduciâ benè exercitatæ juventutis, Albanis, qui ab Vrbe* XII *milliaria abſunt, bellum intulit*. Porrò hinc etiam Eutropii æqualibus, Socrati Hiſt. eccleſiaſt. lib. II cap. XXVIIII, & Sozomeno eiusdem hiſtoriæ lib. III cap. VIII, in Mediolanenſi conſilio, ſub Conſtantino Magno, Athanaſii condemnationi qui ſeſe oppoſuerint, epiſcopi nominantur, Παυλῖνος τῆς ἐν Γαλλίᾳ Τριβέρεως, Διονύσιος ὁ Ἄλβας τῆς Ἰταλῶν μητροπόλεως, καὶ Εὐσέβιος ὁ Βερκέλλων τῆς Λιγυρίας· id eſt; *Paulinus, Triveris in Galliâ; Dionyſius, Albæ, metropolis Italorum; & Euſebius, Vercellorum in Liguriâ*. Non *Alba*, ſed ALBANVM vocabatur; & opidani eius ALBANENSES. Anaſtaſius in vitâ Silveſtri, qui ſub eodem Conſtantino imperatore epiſcopus Romanus fuit: *In civitate Albanenſi fecit baſilicam ſancti Ioannis Baptiſtæ*. Mox: *Poſſeſſio Albanenſis, cum lacu Albanenſi*. In vitâ Innocentii; qui factus papa Romanus circa annum Chriſti CCCC: *Innocentius, natione Albanenſis*. In vitâ Leonis II; quia fuit anno Chriſti IↃCLXXXIII: Eccleſia Albanenſis. In vitâ Leonis III, circa annum Chriſti IↃCCC: *In baſilicâ beati Petri, ſitâ in Albano*. In vitâ Benedicti III, anno Chriſti IↃCCCLV: *Oſtiæ & Albani Antiſtites*. Igitur ab illis usque temporibus ad hanc noſtram ætatem clarum fuit epiſcopali dignitate hoc opidum *Albanum*. Memoratur præctereà ſub Iuſtiniano imperatore Procopio. Is Gothicar. rer. lib. II ita habet: Μάγνον τε καὶ Σινθούην, πεντακοσίους μάλιστα ἐπαγομένους, ἐς Τίβουριν τὸ φρούριον ἔπεμψε, σταδίους τεσσαράκοντα καὶ ἑκατὸν Ῥώμης διέχον. Ἐς μέν τοι τὸ Ἀλβανὸν πόλισμα, σταδίους μὲν τοσούτους ἀπέχον, ἐν δὲ τῇ Ἀππίᾳ ὁδῷ κείμενον, πρότερον ἤδη Γόνθαριν ξὺν Ἐρούλοις ἰσὶ πέμψας ἔτυχεν. Id eſt: *Magnum atque Sinthuſem, quingentorum militum duces, miſit in caſtellum Tiburim; quod ſtadia ab Româ abeſt* CXL. *In Albanum verò opidulum, quod totidem ſtadia ab Vrbe diſtat, in viâ Appiâ ſitum, jam anteà Gontharin cum Herculis miſerat*. Et eodem libro poſteà: Ῥωμαῖοι τὸ Ἀλβανὸν πόλισμα εἶχον, Ῥώμης πρὸς ἀνίσχοντα ἥλιον κείμενον. Id eſt: *Romani etiam Albanum opidulum tenebant, ſitum ab Româ versùs orientem Solem*. Vtrobique equidem in vulgatis exemplaribus eſt, τὸ Ἀλβανῶν πόλισμα, hoc eſt, *Albanorum opidulum*. at ſcribendum eſt recto caſu τὸ Ἀλβανὸν πόλισμα, *Albanum opidulum*, ſequens mox poſteriori ſcriptio adfirmat, quæ ſic habet: Ταὐτὸ δὴ τοῦτο ἀμφί τε Ἀλβανῷ καὶ Κεν-

κελλαις

τουκέλλαις δῆθεν τῷ λόγῳ ᾐτιῶντο. id eſt: *Hoc ipſum de Albano etiam & Centumcellis querebantur*. Cæterùm mirari ſatis nequeo, Procopium, qui ipſe cum Veliſario, Iuſtiniani imperatoris duce, Italiæ plurimam partem obivit, tam fœdè plerumque in locorum intervallis erraſſe. *Tibur* usque priſci Romani xx numerabant millia paſſuum. hodiè ſunt milliaria xviii. ſtadia Procopii cxl ſunt millia paſſuum xviiii, duobus ſtadiis minùs: nempe, ubi ſeptena ſtadia & dimidium, more poſterioris ævi, in ſingula milliaria computes. At *Albanum* usque & olim, ut ſuprà oſtenſum, xii haud ampliùs millia paſſuum computata fuêre, & hodiéque totidem computantur. Porrò Martyrologium Romanum ita habet: *Sexto Calend. Octob. Albani S. Senatoris*. Et Vſuardus in Martyrologio: *Sexto Cal. Octob. Civitate Albano S. Senatoris*. Verùm hactenus ſatis & abundè perſpectum, opidum hoc *Albanum* non eſſe antiquiſſimam illam *Albam Longam*; ſed in huius agro *Albanum rus Cn. Pompeii*. Vulgarem tamen hunc atque communem jam olim fuiſſe errorem, ex Eutropio ac Socrate Sozomenoque intelleximus. Eiusdem igitur etiam poſterioris ſæculi exſcriptorum, non ipſius Aſconii Pedanii errorem eſſe judico, quòd apud hunc in ſuprà dictis commentariis ad Ciceronis orationem pro Milone nunc ſcriptum eſt, *P. Clodium illo die Albæ manſurum fuiſſe*. quo loco apud Ciceronem eſt, *in Albano manſurum fuiſſe*.

De cætero *fertilitatem agri Albani* deprædicat Dionyſius ſuprà dicto lib. i, poſtquàm Albam Longam memoravit: Ὑπόκειται δὲ τῇ πόλει πεδία θαυμαστὰ μὲν ἰδεῖν, πλούσια δὲ καὶ καρποὺς ἐξενεγκεῖν παντοδαποὺς καὶ οὐδὲν ἐνδεέστερον τῆς ἄλλης Ἰταλίας, μάλιστα δὲ τὸν καλούμενον Ἀλβανὸν οἶνον, ἡδὺν καὶ καλὸν, ἔξω τοῦ Φαλέρνου λεγομένου, τῶν γοῦν ἄλλων ἁπάντων διαφορώτατον. Id eſt: *Subjecti autem ſunt urbi campi amœnitate admirandi; omnis generis frugum fertiliſſimi; nec cedentes ulli agro Italiæ; præcipuè bonitate vini ſuaviſſimi, quod Albanum vocant; præcellens omnibus reliquis, ſi Falernum excipias*. Hinc illud ſuprà memoratum Statii Silvar. lib. v carm. iii:

——— *Nam Sicanii non mitius halat*
Aura croci; dites nec ſic tibi rura Sabæi
Cinnama, odoratas nec Arabs decerpſit ariſtas.

Plinius lib. xiiii cap. vi; de *vinis* loquens: *Divus Auguſtus Satinum prætulit cunctis; & ferè ſequuti principes*. Mox: *Secunda nobilitas Falerno agro erat*. Paullo pôſt: *Ad tertiam palmam variè venêre Albana, Vrbi vicina, prædulcia, ac rara in auſtero*. Strabo lib. v, totius Latii vina & ex proximâ Campaniâ *Falernum* memorans, Πάντες δ' εἰσὶν, inquit, οἱ τόποι οὗτοι σφόδρα εὔοινοι· ὁ δὲ Καίκουβος καὶ ὁ Φουνδανὸς καὶ ὁ Σητῖνος τῶν διωνομασμένων εἰσὶ, καθάπερ καὶ ὁ Φάλερνος καὶ ὁ Ἀλβανὸς καὶ ὁ Στατανός. Id eſt: *Omnia hæc loca præſtantiſſima producunt vina: in quibus maximè celebrantur, Cæcubum, Fundanum, Setinum; item Falernum, Albanum, Statanum*. Dioſcorides lib. v cap. x: Ὁ μὲν οὖν δοκῶν πρωτεύειν τῶν ἐν Ἰταλίᾳ οἴνων Φάλερνος καλεῖται· ὁ δὲ Ἀλβανὸς, ἁδρομέστερος τοῦ Φαλέρνου, ἔγγλυκος. ὁ δὲ Κέκουβος, γλυκὺς ὤν, ἁδρομέστερός ἐστι τοῦ Ἀλβανοῦ. Id eſt: *Inter Italica vina quod principem locum obtinet, Falernum vocatur. Albanum, quod craſſius Falerno, dulce eſt. Cæcubum, quum ſit dulce, Albano craſſius eſt*. Columella Rer. ruſt. lib. iii cap. viii: *Neque enim dubium eſt, Maſſici Surrentinique & Albani atque Cæcubi agri viteis omnium, quas terra ſuſtinet, in nobilitate vini principes eſſe*. Horatius Carm. lib. iii odâ xi; qua Phyllidem invitat ad epulas die natali Mæcenatis:

Eſt mihi nonum ſuperantis annum
Plenus Albani cadus.

Hodiè, quum omnium reliquorum nobilitas exſtincta ſit, unum *Albanum* magno adhuc in pretio eſt: quamvis & ipſum haud dubiè non eiusdem, cuius olim, bonitatis fuerit.

Porrò de Ferentinae *aquæ capite*, ſeu de Ferentinae *amnis fonte*, item de Ferentinae *luco* ac *templo*, cui *vicus* ſeu *opidulum* adpoſitum fuit, quod nunc in radicibus Albani montis vulgò vocatur *Marino*; in quod, poſt dirutam Albam, populi Latini ad commune concilium convenire ſolebant; ſuperiore libro cap. x dictum eſt. Aqvae Ferentinae, *opidum*.

At ultra *Albanum* opidum, quà Ariciam itur, Appiæ viæ dextro lateri adpoſitum eſt antiquum monumentum: cui quia tres cippi modici impoſiti, tergeminorum Horatiorum Romanorum juvenum, qui Albano bello, contra tergeminos Curiatios Albanos

Albanos pugnarunt, monimentum eſſe vulgò hodiè per ſummum errorem creditur. quidpe hoc duobus tantùm fratribus Horatiis, qui eo in certamine occubuêre poſitum fuit eodem loco, quo pugna geſta. qua de re ita Livius lib. I: *Fortè evenit, ut agreſtes Romani ex Albano agro, Albani ex Romano, prædas invicem agerent. Imperitabat tum C. Cluilius Albæ. Vtrimque legati ferè ſub idem tempus ad res repetendas miſſi. Tullus præceperat ſuis, ne quid priùs, quàm mandata, agerent. ſatis ſciebat, negaturum Albanum. ita piè bellum indici poſſe.* Haud multo poſt: *Caſtra ab Vrbe haud plùs V millia paſſuum locant: foſſâ circumdant. foſſa Cluilia ab nomine ducis per aliquot ſæcula adpellata eſt; donec cum re nomen quoque vetuſtate abolevit. in his caſtris Cluilius, Albanus rex, moritur. Dictatorem Albani Metium Fuffetium creant. Interim Tullus, ferox præcipuè morte regis, nocte præteritis caſtris, infeſto exercitu in agrum Albanum pergit. Ea res ab ſtativis excivit Metium. is ducit, quàm proximè ad hoſtem poteſt. Convenit hinc inter utrumque ducem de tergeminorum utrimque fratrum, ab Romanorum parte Horatiorum, Albanorum verò Curatiorum, pugnâ; quæ inter bina caſtra conſerta. ubi omnes Curatii, Horatiorum verò duo fratres ceciderunt.* Ad *ſepulturam inde ſuorum*, inquit Livius, *nequaquàm paribus animis vertuntur. quidpe imperio alteri aucti; alteri ditionis alienæ facti. Sepulcra exſtant, quo quisque loco cecidit. duo Romana uno loco, propiùs Albam; tria Albana, Romam versùs; ſed diſtantia locis; ut & pugnatum eſt.* Ergo monumentum iſtud ultra Albanum opidum neque Curatiorum neque Horatiorum eſſe poteſt. primò, quia duobus Horatiis, quamvìs uno loco, tamen duo diverſa atque inter ſe diſcreta poſita fuêre: tribus verò Curatiis ſingula ſingulis erecta, diſtantia locis, ut pugnatum. tum utraque inter Romam & Albam fuêre; quum illud apud Albanum opidum ultra regionem ſeu locum Albæ ſitum ſit. Cæterùm Dionyſius lib. III, ubi idem bellum refert, nihil de illa præteritione Tulli præter Albanorum caſtra narrat. Μετὰ τὰς προφάσεις ταύτας παρεσκευάζοντο ἀμφότεροι πρὸς πόλεμον· καὶ συνῄεσαν ὁμόσε, καὶ κατεστρατοπεδεύοντο τετταράκοντα σταδίους τῆς Ῥώμης ἀποσχόντες· οἱ μὲν Ἀλβανοὶ περὶ τὰς καλουμένας Κλοιλίας τάφρους (φυλάττουσι γὰρ ἔτι τοῦ κατασκευάσαντος αὐτὰς ἐπίκλησιν) Ῥωμαῖοι δὲ ὀλίγον ἐνδοτέρω. Hoc eſt: *His de cauſis poſt factos utrimque adparatus, caſtra collata ſunt ad quadrageſimum ab Vrbe ſtadium. ea metati ſunt Albani ad foſſam Cluiliam; quæ nunc quoque nomen auctoris retinet: Romani paullo citeriùs.* Narrat hinc de Cluilii morte, deque Metii Fuffeii ſubfectione; tum, ut inter utrosque de tergeminorum pugnâ conventum. at de motione caſtrorum nihil addit. nihilo minùs tamen tandem ita pergit: Ἐπειδὴ δὲ ὁ χρόνος ἧκεν, ἐν ᾧ τέλος ἔδει λαβεῖν τὰς ὁμολογίας, ἐξῄεσαν μὲν αἱ τῶν Ῥωμαίων δυνάμεις πανστρατιᾷ, ἐξῄεσαν δὲ μετὰ ταῦθ' οἱ νεανίσκοι τοῖς πατρῴοις θεοῖς εὐξάμενοι, καὶ προῆγον ἅμα τῷ βασιλεῖ, καλευφημούμενοί τε ὑπὸ παντὸς τοῦ κατὰ τὴν πόλιν ὄχλου· ἤδη δὲ καὶ τῶν Ἀλβανῶν ἐξεληλύθει στρατιά. καὶ κατεστρατοπέδευσαν πλησίον ἀλλήλων, μεταίχμιον ποιησάμενοι τὸν διείργοντα τὴν Ῥωμαίων ἀπὸ τῶν Ἀλβανῶν ὅρον, ἔνθα καὶ πρότερον εἶχον ἑκάτεροι τοὺς χάρακας. Hoc eſt: *Vbi tempus advênit, quo finem erant habitura pacta, univerſus Romanorum exercitus prodiit, prodierunt & juvenes poſteà; comprecati priùs deos patrios; deducente rege, & toto per urbem populo fauſtis omnibus proſequente. jamque & Albanorum copiæ prodierant. Tum poſitis caſtris non longè ab invicem, medius campus in Romani Albanique agrorum finibus pugnæ deſtinatus eſt: ubi etiam anteà caſtra utrique metati fuerant.* Ergo & caſtra hæc Albanorum ad foſſam Cluiliam, ut antè, poſita fuêre, & pugna tergeminorum fratrum intra quadrageſimum ab Vrbe ſtadium, quintum lapidem confecta; &, ſi Livio credimus, DVORVM HORATIORVM ac TRIVM CVRATIORVM SEPVLCHRA hoc tractu, ubi pugnatum, diſtantia tamen inter ſe locis, ut pugnatum eſt, erecta ſunt. Confirmat hanc Dionyſii fidem Martialis lib. III epigram. XLVII, his verbis:

Capena grandi porta quà pluit guttâ,
Phrygiæque matris Almo quà lavat ferrum,
Horatiorum quà viret ſacer campus,
Et quà puſilli fervet Herculis fanum;
Fauſtine, plenâ Baſſus ibat in rhedâ.

Ergo haud longè ultra Capenam portam & Almonem fluvium, quem ſub ipſis mœnibus & nunc fluere & olim fluxiſſe, ſuprà cap. II huius libri & lib. II cap. X dixi, citra Cluiliam foſſam, id eſt, circa quintum lapidem hic HORATIORVM fuit CAMPVS; in quo duorum fratrum fuêre monumenta. Hoc, ſanè, Livium ignoraſſe,

raſſe, miror: quum interim præſentis temporis, ut de ſuâ ætate loquens, verbo utatur, *Sepulcra exſtant*. Sed & illud quis non meritò miretur, quòd ait, *Cluiliam foſſam ab nomine clueis per aliquot ſæcula adpellatam eſſe, donec cum re nomen quoque vetuſtate aboleverit:* quum è contrario Dionyſius dicat, *ſervaſſe* adhuc ſuâ ætate *auctoris cognomen*. Fuit igitur hæc *Foſſa Cluilia*, viâ Appiâ, circa eum locum, qui hodiè vulgari vocabulo vocatur Caſal Ritondo. Sed nomen Albanorum regis quod attinet, unde foſſæ cognomen quæſitum, quatuor id equidem ſyllabis in pleriſque Livii exemplaribus perſcriptum reperitur Cluilius. quæ ſi vera ſanaque ſcriptura; Græcè idem nomen totidem ſyllabis ſcribendum eſt Κλοΐλιος, & inde foſſa Κλοϊλία. Verùm idem Livius eodem lib. I haud ita multo pòſt ſcribit, Tullum, Albâ dirutâ, Albaniſque Romam transductis, *principes Albanorum in patres legiſſe, Tullios, Servilios, Quintios, Geganios, Curiatios, Clœlios*. quos Dionyſius dicto lib. III vocat Τυλλίους, Σερουιλίους, Κοϊντιλίους, Γεγανίους, Κορατίους, Κλοιλίους. & quæ huic lib. V dicuntur virgo Κλοιλία atque conſul Κλοίλιος, Livio ſunt lib. II *Clœlia* & *Clœlius*. quomodo vocabulum id rectè ſcribi per diphthongum οι, œ, ex poëtarum uſu claret. Silius lib. XIII:

> *Illa eſt, quæ Tybrim, quæ fregit Lydia bella,*
> *Nondum paſſa marem, qualeis optabat habere*
> *Quondam Roma viros, contemptrix Clœlia ſexus.*

Virgilius de eâdem Aeneid. lib. VIII:

> *Et fluvium vinclis innaret Clœlia ruptis.*

CLOELIA igitur FOSSA dicenda eſt; ſeu plurali numero; ut Dionyſius habet Κλοιλίαι τάφροι, CLOELIAE FOSSAE. uſitatum quidpe fuiſſe Romanis, licèt una fuerit foſſio huiusmodi, tamen promiſcuè etiam plurali numero eam indigetare. cuius rei exempla ſuprà à nobis relata lib. I cap. XXXV, & lib. II cap. III. Hinc, quæ apud Livium dicto lib. I eſt *Cluilia* ſeu *Clœlia foſſa*, eadem poſteà lib. II plurali numero refertur in his verbis, ubi de Cn. Marcio Coriolano narratur: *Poſtremùm ad Vrbem à Pedo ducit; & ad foſſas Cluilias V ab Vrbe millia paſſuum caſtris poſitis, populatur inde agrum Romanum*. De eâdem re Plutarchus in vitâ Marcii: Περὶ τὰς λεγομένας Κλοιλείας τάφρους καταστρατοπεδεύσας, τεσσαράκοντα τῆς πόλεως σταδίους ἀφεστώς. Id eſt: *Ad foſſas Clœlias caſtra ad V ab Vrbe lapidem poſuit*. FOSSA CLOELIA.

Cæterùm in eâdem Appiâ viâ, propiùs jam Albano opido, fuit perantiquum illud opidum BOVILLAE; quod memoratur Dionyſio Halicarnaſſenſi, Ovidio, Propertio, Perſio, Paterculo, Martiali, Tacito, Svetonio, Plutarcho, Appiano, Floro, Livii epitomatori, Aſconio Pediano, Nonio Marcello, Tabulæ itinerariæ, & Stephani breviatori. *Opidani* inde dicebantur BOVILLANI; ut mox videbimus. Propertius lib. IIII eleg. I; ubi de primordiis loquitur urbis Romæ: BOVILLAE; *opidum*.

> *Quidpe ſuburbanæ parvâ minus urbe Bovillæ:*
> *Et, qui nunc nulli, maxima turba Gabî.*

Perſius Satyrâ VI: —— *Accedo Bovillas*

> *Clivumque ad Virbî.*

Martialis lib. II epigram. VI:

> *Et quum currere debeas Bovillas;*
> *Interjungere quæris ad Camœnas.*

Tacitus Annal. lib. II: *Effigies divo Auguſto apud Bovillas dicatur*. Svetonius in vitâ Auguſti, cap. C: *Corpus decuriones municipiorum & coloniarum à Nolâ Bovillas usque deportarunt. à Bovillis equeſter ordo ſuſcepit, Vrbique intulit*. Tacitus Hiſtoriar. lib. IIII: *Præmiſſi Ariciam equites. agmen legionum intra Bovillas ſtetit*. Situm earum diſertiùs oſtendit Tabula itineraria: quæ, unà cum Hieroſolymitano itinerario, iter habet tale:

Tabula;		Hieroſolymitanum;	
Româ, viâ Appiâ		*Vrbe Româ*	
Bobellas	X.	*Ad Nonum*	IX.
Aricia	III.	*Aricia & Albano*	VII.

Iam anteà dixi, XII hodiè exigua eſſe millia paſſuum ab urbe Româ ad opidum *Albanum*;

banum; atque inde mille paſſus Ariciam usque. quæ ſunt omni numero XII iſta millia Tabulæ inter Romam & Ariciam. In Hieroſolymitano igitur itinerario haud dubiè ſcripta fuêre ſecundo loco IV; quæ mox in VI, ac tandem in VII corrupta ſunt. De cætero, quum hodiè medio ferè ſitu inter nonum ac decimum lapidem (nempe, ſi intervallum hoc inter Vrbem & Albanum in XII æquas parteis dividas) ingentium ſaxorum ad utrumque viæ latus diſperſi ſint acervi; haud equidem dubitem, quin hoc loco olim ſteterit Bovillarum opidum. Hieroſolymitani itinerarii locus AD NONVM, ſcilicet *lapidem*, an eumdem Bovillarum ſitum ſignificaverit, quaſi jam tum opido disjecto; haud facile dictu eſt. Sed hunc Bovillarum ſitum alii etiam oſtendunt auctores. Breviator Livii lib. CVII: *P. Clodii, à T. Annio Milone, candidato conſulatus, in Appiâ viâ ad Bovillas occiſi, corpus plebs in curiâ cremavit*. Velleius Paterculus lib. II: *P. Clodius à Milone, candidato conſulatus, circa Bovillas, contractâ ex occurſu rixâ, jugulatus eſt*. Appianus Civil. bellor. lib. II: Κλωδίου δ' ἐξ ἰδίων χωρίων ἐπανιόντος ἐπὶ ἵππου, καὶ περὶ Βοΐλλας ἀπαντήσαντος τῷ Μίλωνι, οἱ μὲν κατὰ τὴν ἔχθραν ὑπιδόντες μόνον ἀλλήλους παρώδευσαν, θεράπων δὲ τοῦ Μίλωνος ἐπιδραμὼν τῷ Κλωδίῳ, εἴθ' ὡς κεκελευσμένος, εἴθ' ὡς ἐχθρὸν δεσπότου κτείνων, ἐπάταξεν ἐς τὸ μετάφρενον ξιφιδίῳ καὶ τὸν μὲν αἵματι ῥαινόμενον ἐς τὸ πλησίον πανδοκεῖον ὁ ἱπποκόμος ἐσέφερεν· ὁ δὲ Μίλων μετὰ τῶν θεραπόντων ἐπιστὰς, ἔτι ἔμπνουν ἢ καὶ νεκρὸν ἐπανεῖλεν. Hoc eſt: *Quum Clodius, è villâ ſuâ in Vrbem equo rediens, circa Bovillas Miloni occurreret, parum amico adſpectu ipſi ſeſe prætererant: caterùm Milonis ſervus invaſit Clodium; ſive juſſu, ſive ut inimicum domini tolleret; eique gladio vulnus inflixit in occiput. quem cruentum curator equi ſervus detulit in proximum diverſorium. quò mox adcurrens Milo cum ſuis, incertum ſpirantem adhuc, an exanimum, confecit*. Villam Clodii fuiſſe inter Albanum opidum & montem Albanum, circa Albæ Longæ rudera, ſuprà oſtenſum eſt. Cicero in oratione pro Milone: *Fit obviam Clodio Milo ante fundum eius, horâ ferè* VIIII. Aliquanto pòſt: *Atque illo die Ariciâ rediens divertit Clodius in Albanum*. Aſconius Pedianus in commentariis ad eam orationem: *Milo Lanuvium profectus eſt. occurrit ei circa horam nonam Clodius, paullo ultro Bovillas, rediens ab Ariciâ, prope eum locum, in quo Bonæ deæ ſacellum eſt*. Paullo pòſt: *Clodius vulneratus in tabernam proximam Bovillano* [ſcribo, *Bovillanam*] *delatus eſt*. Et poſteà: *Milonem cum ſervis ampliùs* CCC *armatis obviam ei contendiſſe; & ſupra Bovillas inopinantem in itinere adgreſſum. ibi P. Clodium; tribus vulneribus acceptis, Bovillas perlatum: tabernam, in quam profugerat, expugnatam à Milone: ſemiaminem Clodium extractum, in viâ Appiâ occiſum eſſe*. De nomine *Bovillarum* ita tradit Nonius Marcellus cap. II: *Hillas inteſtina veteres dixerunt. unde Bohillæ. unde opidum in Italiâ, quòd eò bos inteſtina ex vulnere trahens advenerit*. Mirum dictu, quàm parum tuta in eiusmodi vocabulorum explicationibus fides grammaticis eſt. exempla permulta hactenus in hoc opere nos monuerunt: pluraque infrà monebunt. Noſtro tamen etiam ævo, neſcio qua auctoritate uſus, ſuprà ſcripti Martialis ſcholiaſta Raderus ita ſcribit: *Bovillæ dictæ ſunt à boum multitudine, quaſi boum villa; mendicorum ſtatio: ubi enim ſtipem colligebant. vicus olim Latii pauper; viâ Appiâ; ad quem, Pediano teſte, occiſus eſt à Milone Clodius*. Antiquitas opidi exſtat apud Florum lib. I cap. XI; ubi de proximis poſt exactos reges agit bellis, quæ Romani contra Latinorum gentem geſſerunt. *Hactenus*, inquit, *pro libertate: mox de finibus cum eisdem Latinis adſiduè & ſine intermiſſione pugnatum eſt. Sora (quis credat?) & Algidum terrori fuerunt: Satricum atque Corniculum provinciæ. de Verulis & Bovillis, pudet, ſed triumphavimus*. Item apud Ovidium Faſtor. lib. III; ubi Annæ Perennæ feſtum & numen explicat:

Hæc quoque, quam referam, noſtras pervenit ad aureis
Fama: nec à veteri diſſidet illa fide.
Plebs vetus, & nullis etiamnum tuta tribunis,
Fugit; & in Sacri vertice montis erat.
Iam quoque, quem ſecum tulerant, defecerat illis
Victus, & humanis uſibus apta Ceres.
Orta ſuburbanis quædam fuit Anna Bovillis;
Pauper; ſed multæ ſedulitatis anus.
Illa, levi mitrâ canos incincta capillos,
Fingebat tremulâ ruſtica liba manu.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Atque ita per populum fumantia manè ſolebat.
Dividere. hæc populo copia grata fuit.

Et apud Plutarchum in Marcio Coriolano ita ſcriptum eſt: Οὕτως ὁ Μάρκιος ἐπ' αὐτὰς τὰς πόλεις ἦγεν, καὶ Τολερίνους καὶ Οὐικανοὺς καὶ Πεδανοὺς, καὶ ἔτι δὲ Βωλανοὺς, ἀντιστάντας αὐτῷ, κατὰ κράτος ἑλὼν, τά τε σώματα λείαν ἐποιήσατο, καὶ τὰ χρήματα διήρπασε. τῶν δὲ προστιθεμένων ἐπιμέλειαν ἐποιεῖτο πολλὴν, ὅπως μηδ' ἄκοντος αὐτοῦ βλάπτοιντο, πορρωτάτω στρατοπεδεύων, καὶ τῆς χώρας ἀπεχόμενος. ἐπεὶ δὲ καὶ Βόλλας πόλιν, οὐ πλείους σταδίους ἑκατὸν ἀπέχουσαν τῆς Ῥώμης, ἑλὼν, χρημάτων πολλῶν ἐκράτησε, καὶ πάντας ὀλίγου δεῖν τοὺς ἐν ἡλικίᾳ διέφθειρε. Hoc interpres Latinus ſic vertit: *Ita Marcius exercitum ad ipſas urbeis ducens, Tolerienſes, Vicellenſes, Pedanos, ad hæc Bolanos, quum mœnia defenderent, vi cepit; homines in prædam redegit; bona eorum diripuit. Qui verò ad eum deſciviſſent; horum magnam egit curam: atque, ut ne invito quidem ſe aliquid paterentur detrimenti; quàm remotiſſimè ab eorum finibus caſtra habuit; agrisque eorum abſtinuit. Poſtquàm verò Bolas quoque opidum, non plùs centum ſtadia ab Româ diſſitum cepit; ingenti prædâ potitus, omneis propemodùm puberes interfecit.* Pro voce iſtâ Οὐικανοὺς ſcribendum eſſe Λαουϊκανοὺς, *Lavicanos*, infrà oſtendetur. quòd autem interpres vocem Βόλλας verterit *Bolas*, id magis miror. quando jam anteà *Bolas* opidum expugnatum atque direptum narrat auctor. Sed interpres fidem videtur ſequutus eſſe exemplarium Dionyſii: apud quem lib. VIII ſic ſcriptum de eodem Marcio: Ἀπὸ δὲ ταύτης ἀναστήσας τῆς πόλεως, ἤλαυνε τὸν στρατὸν ἐπὶ Βολὰς, ἐπιφανῆ ποτε οὖσαν, καὶ ἐν ὀλίγαις πάνυ ταῖς ἡγουμέναις τοῦ Λατίνων γένους πόλεσιν ἐξεταζομένην. Καὶ γίνεται περὶ ταύτῃ τῇ πόλει μάχη καρτερά. οὐ γὰρ μόνον ἀπὸ τοῦ τείχους ἠμύνοντο τοὺς προσιόντας οἱ Βωλανοὶ, ἀλλὰ καὶ τὰς πύλας ἐξέθεον ἀνοίγοντες ἀθρόοι, καὶ κατὰ τοῦ πρανοῦς ἐώθουν βίᾳ τοὺς ἐφισταμένους. Id eſt: *Ab Coriolis porrò exercitum admovit ad Bolas: quod opidum & illuſtre tunc erat, & unum è paucis admodùm Latini nominis urbibus primariis. Pugnatum eſt circa hoc acriter. quidpe Bolani non modò à mœnibus hoſtem arcebant; ſed etiam, apertis portis confertim prorumpentes, adverſos magnâ vi per declivia propellebant.* Verùm poſtremus Dionyſii interpres voces iſtas Βόλας & Βωλανὸς, vertit *Bovillas* & *Bovillani*. Ac ſanè quis dubitare poterat, eſſe legendum Βοΐλλας & Βοϊλλανοὶ, quum jam anteà Dionyſius narraverit, Marcium à Circæis cepiſſe Τολερίνους καὶ Βωλανούς· poſt quæ opida Labicos deinceps, Pedum, Corbionem, Coriolos, & tandem haſce Βοΐλλας petiit. & apud Stephani breviatorem diſerta hæc ſunt verba: Βοΐλλαι, πόλις Λατίνων· τὸ ἐθνικὸν Βοϊλλανός· ὡς Διονύσιος ἐν ὀγδόῳ τῆς Ῥωμαϊκῆς ἀρχαιολογίας. Id eſt: *Bovillæ, opidum Latinorum: gentilitium Bovillani; auctore Dionyſio Antiquitat. Rom. lib.* VIII. Et poſteà ſic habet: Βῶλα, πόλις Ἰταλίας. τὸ ἐθνικὸν Βωλανοί. Id eſt: *Bola, opidum Italia. gentilitium inde Bolani.* Certum igitur eſt, & Plutarchum & Dionyſium memoraſſe Βοΐλλας, *Bovillas*. quamquàm etiam nunc ego dubitem, priore an poſteriore loco id ſcripſerit Dionyſius. nam iſtud κατὰ τοῦ πρανοῦς, *per declivia*, in Bovillas minimè convenit: ut quæ plano & æquo loco in viâ Appiâ ſitæ fuerunt. Plutarchus quòd centum ſtadiûm id intervallum fecerit, id eſt, millia XII paſſus ID, haud perinde mirum eſt: quando is rotundo maximè uſus potuit eſſe numero; vel à milliario aureo, quod eius ætate in foro Romano, ut ſuprà cap. II oſtenſum, ſtatutum erat, initium eius ſpacii duxiſſe. Atque hæc equidem de ſummâ huius opidi antiquitate. Iam inde Ciceronis tempore cultoribus ferè deſertum fuiſſe, teſtatur ipſe in Oratione pro Cn. Plancio; ubi ita adfatur Laterenſem, municipem Tuſculanum: Niſi fortè Lavicana aut Bovillana aut Cabina vicinatas adjuvabat. quibus è municipiis vix jam, qui carnem Latinis petant, inveniuntur. Hinc igitur illud Propertii lib. IIII eleg. I:

Quidpe ſuburbanæ parvâ minus urbe Bovillæ;
Et, qui nunc nulli, maxima turba Gabii.

Civilibus id factum bellis, quæritur Lucanus lib. VII his verſibus:

——— Gabios Veiosque Coramque
Pulvere vix tecta poterunt monſtrare ruinæ
Albanosque lareis Laurentinosque penateis.
Rus vacuum: quod non habitat, niſi nocte coactâ
Invitus, quæſtusque Numam juſſiſſe, ſenator.
Non ætas hæc carpſit edax monumentaque rerum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Putria. deſtituit crimen civile. videmus
Tot vacuas urbeis.

Municipium igitur aliquando fuit opidum *Bovillæ*: teſte Cicerone. Frontinus in libro de Coloniis, *Bovillæ opidum*, inquit, *lege Sullanâ eſt circumductum*. Et mox: *Gabii opidum lege Sullanâ munitum*. Cæterò apud Ciceronem ad Atticum lib. v epiſt. xiii ſic ſcriptum eſt: *Epheſum vénimus ad xi Kalend. Sextileis; ſexageſimo & quinto poſt pugnam Bovillam. Navigamus ſine timore, & ſine nauſeâ*. Haud dubitant viri docti, hoc loco legendum *poſt pugnam Bovillanam*: intelliguntque pugnam illam inter Clodium ac Milonem. Idem Cicero ad Q. Fratrem lib. iii epiſt. i: *Fundum audio te hunc Bovillanum velle retinere*.

ARICIA *opidum.*

Ab alterâ igitur Albani opidi parte, in eâdem viâ Appiâ, mille paſſus ultra Albanum, eſt ARICIA *opidum*, vulgò nunc *La Riccia*, corruptâ adpellatione dictum; quum anteà vocaretur, præpoſito lingvæ vulgaris articulo *la*, *l'Aricia*. Memoratur Ciceroni, Virgilio, Horatio, Livio, Dionyſio, Columellæ, Straboni, Plinio, Lucano, Silio, Martiali, Tacito, Ptolemæo, Philoſtrato, Solino, Pediano, Servio, Stephani epitomatori, & Itinerariis antiquis. *Opidani* inde ſunt ARICINI; ut pluribus exemplis infrà videbimus. Cicero in oratione pro T. Annio Milone: *Atque illo die certè Ariciâ rediens divertit Clodius in Albanum*. Horatius Sat. v libri primi:

Egreſſum magnâ me excepit Aricia Româ.

Columella lib. x:

Brutia quæ tellus, & mater Aricia porri.

Martialis lib. xiii epigram. xviiii:

Mittit præcipuos Nemoralis Aricia porros.
In niveo virideis ſtipite cerne comas.

Plinius lib. iii cap. v; ubi opida Primæ totius Italiæ regionis, quæ Latium & Campaniam comprehendebat, ſecundùm ordinem literarum enumerat: *Opida, Abellinum, Aricia, Alba Longa*. Et lib. ii cap. cvii: *Reperitur apud auctores, ſubjectis Ariciæ arvis ſi cardo deciderit ardere terram*. Hæc res jam dudum exolevit. Ptolemæus: Λατίνων πόλεις μεσόγειοι, Πραίνεστον, Τούσκουλον, Ἀρικία, Ἀρδέα. Id eſt: *Latinorum mediterranea opida, Præneſtum, Tuſculum, Aricia, Ardea*. Tacitus Hiſtoriar. lib. iiii: *Præmiſſi Ariciam equites*. De ſitu eius ita tradit Strabo lib. v: Μετὰ δὲ τὸ Ἀλβανὸν ὄρος Ἀρικία ἐστὶ πόλις ἐπὶ τῇ ὁδῷ τῇ Ἀππίᾳ. στάδιοι δ' εἰσὶν ἐκ τῆς Ῥώμης ρξ. κοῖλος δ' ἐστὶν ὁ τόπος· ἔχει δ' ὅμως ἐρυμνὴν ἄκραν. Id eſt: *Poſt Albanum montem in viâ Appiâ urbs eſt Aricia*, clx *ſtadia ab Româ; ſitu concavo; arce tamen editâ & naturâ loci munitâ*. Vel ex hoc loco ſatis patet, fuiſſe olim partem opidi ſub collibus in ipſâ viâ Appiâ: ubi etiam varia hodiè exſtant monumenta: quum ipſum opidum in colle nunc ſit ſitum. At in numero clx ſtadiorum ingens eſt, non dixerim Strabonis errorem, ſed exſcriptoris mendum. Dionyſius lib. vi: Συμμίγνυσιν ἀλλήλοις ἀγχοῦ πόλεως Ἀρικείας, ἣ διέχει σταδίους ἑκατὸν εἴκοσι τῆς Ῥώμης. Id eſt: *Occurrerunt ſibi invicem ad Ariciam opidum; quod* cxx *ſtadia ab urbe Româ abeſt*. Et Philoſtratus de Apollonii vitâ lib. iiii cap. xii: Ἐν τοιαύτῃ καταστάσει φιλοσοφίας οὔσης, ἔτυχε προσιὼν τῇ Ῥώμῃ ὁ Ἀπολλώνιος. στάδια δὲ εἴκοσι καὶ ἑκατὸν ἀπέχων, ἐνέτυχε τῷ Φιλολάῳ τῷ Κιττιεῖ περὶ τὸ Νέμος τὸ ἐν τῇ Ἀρικείᾳ. Id eſt: *Dum in hoc ſtatu philoſophia eſſet, Apollonius Romam profectus eſt. quumque ſtadia* cxx *abeſſet, apud Nemus, quod apud Ariciam eſt, incidit in Philolaum Cittienſem*. Tot ſtadia Dionyſii ac Strabonis ævo conficiebant millia paſſuum xv. At ego, ut ſuprà dixi, millia ab urbe Româ ad Ariciam deprehendendi, ut & Tabula itineraria habet, & incolæ hodiè computant, millia haud ampliùs xiii. Apud Lucanum lib. vi ſic eſt:

At tantum ſæpti vallo ſibi vindicat agri,
Parva Mycenææ quantum ſacrata Dianæ
Diſtat ab excelsâ Nemoralis Aricia Romæ;
Quoque modo Romæ prælapſus mœnia Tybris
In mare deſcendit, ſi nusquàm torqueat amnem.

Idem heic accidit ad Ariciam, quod apud Oſtiam. nempe quum oſtia Tiberis amnis, quà is in mare exit, xvi ab Româ abeſſent millia; ab iis autem opidum Oſtia, quod tria millia ſupra mare ad ſiniſtrum amnis alveum eſt conditum, nomen traxerat: ad ipſum hoc opidum plerique xvi computabant milliaria; ut ſuperiori capite oſtenſum. Eodem igitur modo, quum in Aricino agro apud Appiam viam, duo millia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

millia ultra Ariciam, *Nemus* & *lacus Dianæ*, de quibus mox dicam, clariora celebrioraque ipſo opido Aricia forent; vulgò ad *Ariciam* XV alii, alii verò XVI millia eſſe dixerunt. Sunt autem ad lacum ab Aricia duo millia paſſuum in via Appia: inde verò ſiniſtrorſum in diverticulum ad Nemus opidum, de quo mox plura, mille paſſus. unde utrique rectè computarunt; alteri XV, alteri XVI pronunciantes. Apud Horatii veterem commentatorem in ſuprà ſcriptum poëtæ verſum ita ſcriptum eſt: *Aricia, civitas in via Appia. abeſt ab Vrbe viginti millia paſſuum*. Credo ſcriptum fuiſſe ab ipſo commentatore XV: quæ poſteà corrupta in XX. Apud Solinum cap. VIII ſic ſcriptum eſt in vulgatis exemplaribus: *Heretum à Græcis conditum eſſe, in in honorem Heræ (ſic enim Iunonem Græci vocant) Ariciam ab Archilocho Siculo: unde nomen, ut Caſſio Heminæ placet, tractum. Hoc in loco Oreſtes, oraculo monitus, ſimulacrum Scythicæ Dianæ, quod de Taurica extulerat, priusquàm Argos peteret, conſecravit.* Corruptum hunc locum, & ſuo ordine turbatum, ſuprà lib. II cap. VIIII in Sabinis ad opidum *Eretum* docui. Sic igitur eſt reſtituendum: *Heretum à Græcis conditum, in honorem Heræ; ſic enim Iunonem Græci vocant: unde & nomen, ut Caſſio Heminæ placet, tractum. Ariciam ab Archilocho Siculo. Hoc in loco Oreſtes*; & quæ ſequuntur. Ex quibus cum maximè id adparet, quod antè dixi. namque ſimulacrum hoc, ut mox oſtendam, non in ipſo opido Aricia, ſed duo hinc millia paſſuum in *nemore* erat *Aricino*. Cæterùm ſumma fuerit huius opidi vetuſtas: ut quod ante Aboriginum ac Pelaſgorum, ſive ante Latinorum in has oras immigrationem ab Siculis conditum fuit: id eſt, annis ante natum Ieſum ampliùs CIƆ IƆXIII. nam circa hoc tempus Pelaſgos in Italia Aboriginibus ſeſe conjunxiſſe, Siculosque ſedibus hisce expuliſſe, ſuprà cap. I oſtenſum eſt. Vetuſtiſſima deinde memoria eius exſtat apud Livium lib. I, in initio regni Tarquinii Superbi. *Turnus*, inquit, *Herdonius ab Aricia ferociter in abſentem Tarquinium erat invectus*. Memoratur item lib. II & Dionyſio lib. V; ubi ab Etruſcis, duce Arunte, Porſenæ regis filio, oppugnatur. Livius poſteà lib. VIII, in conſulatu L. Furii Camilli & C. Mænii Nepotis, anno urbis Romæ CCCCXVI: *Aricinos Lanuvinosque & Veliternos, Antiatibus Volſcis ſe conjungenteis, ad Aſturæ flumen Mænius improviſò adortus fudit*. Et aliquanto pòſt: *Lanuvinis civitas data: ſacraque ſua reddita, cum eo, ut ædes lucusque Soſpitæ Iunonis communis Lanuvinis municipibus cum populo Romano eſſet. Aricini eodem jure, quo Lanuvini, in civitatem accepti*. Feſtus, in voce *Municipium: Alio modo municipium dicitur, quum id genus hominum definitur, quorum civitas univerſa in civitatem Romanam venit; ut Aricini, Cærites, Anagnini*. Hinc Cicero Philippica III: *Quod autem municipium non contemnit, qui Aricinum tantoperè deſpicit, vetuſtate antiquiſſimum, jure fœderatum*, [fortè, *æquo jure fœderatum*] *propinquitate penè finitimum, ſplendore municipum honeſtiſſimum*. Verùm, ut omnia alia circa Romam municipia, ſic hoc etiam haud perinde magnum fuit. Ipſe Cicero in oratione II de Lege agraria contra Rullum ad populum; ubi de Campano agro loquitur: *Agros verò Vaticanum & Pupiniam cum ſuis opimis atque uberibus campis conferendos ſcilicet non putabunt. opidorum autem finitimorum illam copiam cum hac per riſum ac per jocum contemnent. Labicos, Fidenas, Collatiam, ipſum herclè Lanuvium, Ariciam, Tuſculum, cum Calibus, Teano, Neapoli, Puteolis, Cumis, Pompeiis, Nuceria, comparabunt*. Hinc Lucano præſcripto lib. VI dicitur *parva Aricia*. *Coloniam* fuiſſe, à Sylla deductam, auctor eſt Frontinus in libro de Coloniis. *Aricia*, inquit, *opidum lege Syllana eſt munitum*. Hinc Epitomator Livii lib. LXXX: *Marius Antium & Ariciam & Lanuvium colonias devaſtavit*. Atque hæc de opido Aricia.

Longè celebrius hinc in agro eius, ut antè dictum, fuit NEMVS ARICINVM, ſive NEMVS DIANAE TAVRICAE ſeu SCYTHICAE, duo millia paſſuum ultra opidum ſitum; & in eo LACVS eiusdem DIANAE; qui vulgò hodiè à duobus ſupernè imminentibus opidis dicitur *Lago di Ienſano*, & *Lago di Nemo*. Memorantur hæc compluribus auctoribus; quos citatum imus. Statius Silvar. lib. IIII carm. IIII: NEMVS ARICINVM *opidum*, & LACVS DIANAE ARICINAE.

> *Hos Præneſte ſacrum, nemus hos glaciale Dianæ,*
> *Algidus aut horrens, aut Tuſcula protegit umbra;*
> *Tiburis hi lucos Anienaque frigora captant.*

Propertius lib. II eleg. XXXII:

> *Nam quid Præneſtis dubias, ô Cynthia, ſorteis,*
> *Quid petis Aeæi mœnia Telegoni?*

Curve te in Herculeum deportat eſſeda Tibur;
Appia cur toties te via ducit anum?
Hoc utinam ſpaciêre loco, quocumque vagaris,
Cynthia. ſed tibi me credere turba vetat,
Quum videt accenſis devotam currere tædis
In nemus, & Triviæ lumina ferre deæ.

Martialis lib. v epigram. 1:

Hoc tibi, Palladiæ ſeu collibus uteris Albæ,
Cæſar, & hinc Triviam proſpicis, inde Thetin;
Seu tua veridicæ diſcunt reſponſa ſorores,
Plana ſuburbani quà cubat unda freti;
Mittimus.

Sed deſcribuntur hæc loca à Strabone lib. v in hunc modum: Μετὰ δὲ τὸ Ἀλβανὸν ὄρος Ἀρικία ἐστὶ πόλις ἐπὶ τῇ ὁδῷ τῇ Ἀππίᾳ· ὑπέρκειται δ᾽ αὐτῆς τὸ μὲν Λαουίνιον, πόλις Ῥωμαίων ἐν δεξιᾷ τῆς Ἀππίας ὁδοῦ· ἀφ᾽ ἧς ἔποπτος ἥ τε θάλασσά ἐστι καὶ τὸ Ἄντιον. Τὸ δ᾽ Ἀρτεμίσιον ὃ καλοῦσι νέμος, ἐκ τοῦ ἐν ἀριστερᾷ μέρους τῆς ὁδοῦ τῆς ἐξ Ἀρικίας ἀναβαίνουσιν εἰς τὴν δ᾽ Ἀρικίνην τὸ ἱερόν. λέγουσι δ᾽ εἶναι ἀφίδρυμά τι τῆς Ταυροπόλου. καὶ γάρ τι βαρβαρικὸν κρατεῖ καὶ Σκυθικὸν περὶ τὸ ἱερὸν ἔθος. καθίσταται γὰρ ἱερεὺς, ὁ γενηθεὶς αὐτόχειρ τοῦ ἱερωμένου πρότερον, δραπέτης ἀνήρ. ξιφήρης οὖν ἐστιν ἀεὶ, περισκοπῶν τὰς ἐπιθέσεις, ἕτοιμος ἀμύνεσθαι. τὸ δ᾽ ἱερὸν ἐν ἄλσει· πρόκειται δὲ λίμνη πελαγίζουσα· κύκλῳ δ᾽ ὀρεινὴ συνεχὴς ὀφρῦς περίκειται, καὶ μία ὑψηλὴ, καὶ τὸ ἱερὸν καὶ τὸ ὕδωρ ἀπολαμβάνουσα ἐν κοίλῳ τόπῳ καὶ βαθεῖ. τὰς μὲν οὖν πηγὰς ὁρᾶν ἐστιν, ἐξ ὧν ἡ λίμνη πληροῦται· τούτων δ᾽ ἐστὶν ἱερεία καλουμένη δαίμονός τινος ἐπώνυμος· αἱ δ᾽ ἀπορρύσεις ἐνταῦθα μὲν ἄδηλοί εἰσιν, ἔξω δὲ δείκνυνται πόρρω πρὸς τὴν ἐπιφάνειαν ἀνέχουσαι. Πλησίον δ᾽ ἐστὶ τῶν χωρίων τούτων καὶ Ἀλβανὸν ὄρος, πολὺ ὑπερκύπτον τοῦ Ἀρτεμισίου καὶ τῶν περὶ αὐτὸ ὀφρύων, καίπερ ὑψηλῶν οὐσῶν καὶ ὀρθίων ἱκανῶς. ἔχει δὲ καὶ τοῦτο λίμνην πολὺ μείζω τῆς κατὰ τὸ Ἀρτεμίσιον ὄρος. Hæc antequàm Latinè reddantur, à mendis erunt purganda. Ac primò quidem rectè quidem à doctiſſimo huius auctoris commentatore, Iſaaco Caſaubono, vox Λαουίνιον correcta eſt in Λανούβιον. nam Lanuvium ad viam Appiam fuiſſe in edito colle, mox infrà videbimus. Hinc iſta maximè ſunt vitiata: τὸ δ᾽ Ἀρτεμίσιον ὃ καλοῦσι νέμος, ἐκ τοῦ ἐν ἀριστερᾷ μέρους τῆς ὁδοῦ τῆς ἐξ Ἀρικίας ἀναβαίνουσιν εἰς τὴν δ᾽ Ἀρικίνην τὸ ἱερόν. Deeſſe quædam, vel ex unâ iſthac particulâ δὲ, quæ poſteriore loco eſt, manifeſtum fit. Interpres vocabula hæc, ἐξ & δ᾽ Ἀρικίνην τὸ ἱερὸν planè ſuſtulit: legitque ſimpliciter, εἰς τὴν Ἀρικίαν ἀναβαίνουσιν· id eſt, *Ariciam verſùs euntibus*; ſive, *quà Aricium adſcenditur*. intellexitque, quà adſcenditur à Româ. Prædictus verò commentator voces iſtas, εἰς τὴν δ᾽ Ἀρικίνην τὸ ἱερὸν, ita corrigere conatus eſt; ἀναβαίνουσιν εἰς τὸ τῆς Ἀρικίνης ἱερόν· id eſt; *quà ad Aricini agri templum adſcenditur*. ſed & in hoc longè erratum eſt. quidpe quum templum Dianæ in nemore eſſet Dianæ; utrumque verò in Aricino agro; quid hoc erat dicere; *Nemus Dianæ eſt ab ſiniſtro viæ Appiæ latere, quà ad templum Dianæ itur?* Ipſe auctor haud dubiè ſcripſit; Ἐκ τοῦ ἐν ἀριστερᾷ μέρους τῆς ὁδοῦ τοῖς ἐξ Ἀρικίας ἀναβαίνουσιν εἰς τὸ Λανούβιον. ἔστι δ᾽ Ἀρικίνων τὸ ἱερόν. id eſt: *Ab ſiniſtra viæ parte, quà ab Ariciâ Lanuvium itur. templum autem ad Aricinos pertinet.* Ac fortè plura interierunt.

Egeriæ nymphæ fons. Rurſus hæc fœdè corrupta ſunt: Τὰς μὲν οὖν πηγὰς ὁρᾶν ἐστιν, ἐξ ὧν ἡ λίμνη πληροῦται· τούτων δ᾽ ἐστὶν ἱερεία καλουμένη, δαίμονός τινος ἐπώνυμος. Id eſt: *Ac fontes quidem conſpicui ſunt, unde lacus impletur: quibus ſacerdos præeſt, nomen cum genio quodam habens commune.* Caſaubonus heic pro voce ἱερεία ſcribendum docuit Ἰτέρνη. ſcilicet, quia *Iuturna fons* ac *dea* circa hæc loca aliis memorantur auctoribus. Verùm ne hoc quidem ſubſiſtere poteſt; quando nemo auctorum *Iuturnæ fontem* circa nemus hoc & lacum templumque Dianæ poſuit; & nos ſuprà lib. II cap. x oſtendimus, circa Albanum & Savellum opida eum fuiſſe; ubi hodiéque fons corrupto per ſimplicitatem adcolentium vocabulo dicitur *Volturno*. Lego igitur ego ita: Τὰς μὲν οὖν πηγὰς ὁρᾶν ἐστιν, ἐξ ὧν ἡ λίμνη πληροῦται· τούτων δ᾽ ἐστὶν ἡ Ἠγερία καλουμένη, δαίμονός τινος ἐπώνυμος. hoc eſt: *Ac fontes quidem conſpicui ſunt, unde lacus impletur. ex his eſt, qui Egeria vocatur, eodem, quo numen quoddam, nomine.* Nempe *Egeriæ nymphæ* dicebatur *fons*; ut ex compluribus aliis mox patebit auctoribus. Integram igitur Strabonis orationem ſic verto: *Poſt Albanum montem in viâ Appiâ eſt opidum Aricia. ultra hoc Lanuvium eſt, Romanorum opidum, in dextro viæ Appiæ latere. unde & mare & Antium conſpici poſſunt. Dianæ autem quod vocant nemus, ab ſiniſtrâ viæ parte eſt, quà ab Ariciâ Lanuvium verſùs adſcenditur. templum in eo ad Aricinos pertinet. Aiunt Dianæ Tauricæ ſacrorum ſimilia ibi eſſe conſtituta. nam barbaricus quoque ac Scythicus mos apud id*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

templum obtinet. profugus quidpe conſtituitur ſacerdos; qui priorem ſacerdotem ſuâ trucidaverit manu: ſtrictoque ſemper gladio paratus ad inſultus propulſandos circumſpicit. Fanum in nemore eſt. ante id lacus eſt, mari æmulus. ſupercilium montanum continens atque excelſum circumcircà in loco cavo ac profundo includit lacum ac fanum. Ac fontes quidem conſpicui ſunt, unde lacus impletur: ex quibus unus vocatur Egeria, communi numinis cuiuſdam nomine. effluxus autem intus quidem occulti; at foris cernuntur, è longinquo conſpicui. Cæterùm his locis vicinus eſt Albanus quoque mons; longè ſublimior Dianæ nemore & eius ſuperciliis, licèt celſis & ſatis rectis. is quoque lacum habet, longè maiorem eo qui eſt ad Dianæ montem. Omnino heic quoque mendum ineſſe puto vocibus κατὰ τὸ Ἀρτεμίσιον ὄρος. pro quibus ſcribendum cenſeo, ut ſuprà eſt, κατὰ τὸ Ἀρτεμίσιον νέμος· id eſt, *apud Dianæ nemus*. Neque enim ullus alius auctor Dianæ heic memorat *montem*: quum re verâ jugum hoc pars quædam ſit Albani montis, ac veluti ἀποσπασμάτιον quoddam, ſeu ἀποῤῥὼξ, id eſt, *particula quædam avulſa*; quæ ad *Lanuvium* usque & *Velitras* protenditur. Cæterùm à celebritate huius fani Dianæ ortum jam olim fuit opidum, cui à ſitu nomen inditum NEMVS. id hodiéque vulgari Italorum lingvâ vocatur *Nemo*, ad eumdem modum formato vocabulo, ut à Latinis vocibus, *corpus*, *pectus*, *pignus*, *tempus*, fiunt vulgaria, *corpo*, *petto*, *pegno*, *tempo*. Appianus Civil. bellor. lib. V: ὁ δὲ Καῖσαρ ἐκ τῶν ἱερῶν ἐδανείζετο τὰ χρήματα, σὺν χάριτι ἀποδώσειν ὑπισχνούμενος, ἀπό τε Ῥώμης ἐκ τοῦ Καπιτωλίου, καὶ ἀπὸ Ἀντίου καὶ Λανουβίου καὶ Νεμοῦς καὶ Τίβυρος· ἐν αἷς μάλιστα πόλεσι καὶ νῦν εἰσὶ θησαυροὶ χρημάτων ἱερῶν δαψιλεῖς. Id eſt: *Cæſar è templis accipiebat mutuò pecunias; promittens, ſe redditurum cum fœnore: videlicet, Romæ è Capitolio; tum Antii, Lanuvii, Nemore, ac Tibure. in quibus opidis hodiè quoque copioſi ſunt theſauri ſacrarum pecuniarum.* Idem opidum *Nemus* Tacito quoque puto innui Hiſtoriar. lib. III; ubi ita de Vitellio loquitur: *Atque illum, in nemore Aricino deſidentem & marcentem, proditio Lucilii Baſſi ac defectio claſſis Ravennatis perculit.* Opidani inde dicebantur NEMORENSES. Svetonius in C. Iulio Cæſare cap. XLVI: *Munditiarum lautitiarumque ſtudioſiſſimum multi prodiderunt. Villam in Nemorenſi, à fundamentis inchoatam, magnoque ſumptu abſolutam, quia non tota ad animum ei reſponderat, totam diruiſſe.* Propertius lib. III eleg. XXI: *Albanus lacus & ſocii Nemorenſis ab unda.*

NEMVS *opidum.*

Cæterùm ab eodem *Nemore* lacus Ovidio Μεταμορφώσεων lib. XIIII cognominatur STAGNVM NEMORALE DIANAE, hoc verſu:

Quæque colunt Scythicæ ſtagnum Nemorale Dianæ.

Et TEMPLVM NEMORALE DIANAE, de Arte amandi lib. I:

Ecce ſuburbanæ templum Nemorale Dianæ.

Et ipſa dea *Nemoralis Diana* Statio Silvar. lib. I carm. III; ubi Manlii Vopiſci Tiburtinum celebrat:

Hæc domus Egeriæ Nemoralem abjungere Phœben
Et Dryadum viduare choris algentia poſſit
Taygeta.

Sed & ipſa Aricia inde dicta eſt Nemoralis. Idem Ovidius Faſtor. lib. VI:

Inſpice, quos habeat Nemoralis Aricia faſtos.

Lucan. lib. VI: *Parva Mycenææ quantum ſacrata Dianæ*
Diſtat ab excelsâ Nemoralis Aricia Româ.

Martialis lib. XIII, epigram. XVIIII:

Mittit præcipuos Nemoralis Aricia porros.

De ſitu templi ita ſuprà audivimus loquentem Strabonem: τὸ δ' ἱερὸν ἐν ἄλσει. προέκειται δ' ἡ λίμνη πελαγίζουσα. κύκλῳ δ' ὀρεινὴ συνεχὴς ὀφρῦς περίκειται καὶ μία ὑψηλή, καὶ τὸ ἱερὸν καὶ τὸ ὕδωρ ἀπολαμβάνουσα ἐν κοίλῳ τόπῳ καὶ βαθεῖ. Id eſt: *Fanum in nemore eſt. ante id lacus eſt, mari æmulus. ſupercilium montanum uno continuo atque excelſo jugo undique includitur in cavo ac profundo loco lacum juxtà & fanum.* Ergo *fanum* in ipſâ fuit lacus ripâ? nam inter lacum & montanum hoc ſupercilium nulla relinquitur planities: niſi, quà ad Appiam viam verſùs mare lacus patet; nullis objectis collibus. Haud temerè illud crediderim; quando opidum Nemus hodiè in ſummo fere conſpicitur ſupercilio, ad ſiniſtram è viâ Appiâ proſpicientibus. Et huc mentem videtur intendiſſe Lucanus lib. III hoc verſu: *Quà ſublime Nemus, Scythicæ quà regna Dianæ.*

Regna adpellat; quia ipſe quoque ſacerdos, de quo ſuprà Strabo loquitur, vocabatur rex. Svetonius in Caligulâ, cap. XXXV: *Nullus denique tam abjectæ condicionis tamque*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

extremæ ſortis fuit, cuius non commodis obtrectaret. Nemorenſi regi, quòd multos jam annos potiretur ſacerdotio, validiorem adverſarium ſubornavit. Nempe alium fugitivum; quicum de regno hoc ſeu ſacerdotio armis depugnaret. Statius Silvar. lib. III carm. I:

Iamque dies aderat: profugis cum regibus altum
Fumat Aricinum Triviæ nemus, & face multâ
Conſcius Hippolyti ſplendet lacus.

En; ut Lucanus *ſublime*, ſic Statius *altum* vocat *nemus*, *cum regibus profugis*; qui in eo ſacra adminiſtrabant. Porrò Ovidius Faſtor. lib. III:

Vallis Aricinæ, ſilvâ præcinctus opacâ,
Eſt lacus antiquâ religione ſacer.
Regna tenent manibus fortes, pedibusque fugaces:
Et perit exemplo poſtmodò quisque ſuo.

Et dicto lib. I de Arte amandi:

Ecce ſuburbanæ templum nemorale Dianæ:
Partaque per gladios regna nocente manu.

Sed fabulam de *Tauricâ* hac *Dianâ* refert Ovidius Triſtium lib. IIII eleg. IIII:

Nec procul à nobis locus eſt, ubi Taurica dirâ
Cæde pharetratæ ſpargitur ara deæ.
Hæc priùs, ut memorant, non invidioſa nefandis,
Nec cupienda bonis, regna Thoantis erant.
Heic pro ſuppoſitâ virgo Pelopeïa cervâ
Sacra deæ coluit qualiacumque ſuæ.
Quò poſtquàm, dubium pius an ſceleratus, Oreſtes
Exactus furiis venerat ipſe ſuis.
Et comes exemplum veri Phocæus amoris:
Qui duo corporibus, mentibus unus erant:
Protinus evincti triſtem ducuntur ad aram;
Quæ ſtabat geminas ante cruenta fores.
Et jam conſtiterat ſtricto mucrone ſacerdos;
Cinxerat & Graias barbara vitta comas;
Quum vice ſermonis fratrem cognovit, & illi
Pro nece complexus Iphigeneia dedit.
Læta deæ ſignum crudelia ſacra peroſæ
Tranſtulit ex illis in meliora locis.
O utinam venti, quibus eſt ablatus Oreſtes,
Placato referant & mea vela deo!

Et Ponticor. lib. III eleg. II Sarmatam ſive Scytham refert ſic ſibi narrantem:

Eſt locus in Scythiâ; Tauros dixêre priores;
Qui Geticâ longè non ita diſtat humo.
Hac ego tum terrâ (patriæ nec pœnitet) ortus.
Conſortem Phœbi gens colit illa deam.
Femina ſacra facit tædâ non nota jugali:
Quæ ſuperat Scythicas nobilitate nuras.
Sacrificî genus eſt, (ſic inſtituêre parentes)
Advena virgineo cæſus ut enſe cadat.
Regna Thoas habuit, Mæotide clarus in orâ
Nec fuit Euxinis notior alter aquis.
Sceptra tenente illo, liquidas fuiſſe per auras,
Neſcio quam, dicunt Iphigeneiam iter.
Quam levibus ventis ſub nube per äëra vectam
Creditur his Phœbe depoſuiſſe locis.
Præfuerat templo multos ea ritè per annos,
Invitâ peragens triſtia ſacra manu:
Quum duo veliferâ juvenes venêre carinâ,
Preſſerantque ſuo litora noſtra pede.
Par fuit his ætas & amor. quorum alter Oreſtes,
Alter erat Pylades. nomina fama tenet.

Protinus

Protinus immitem Triviæ ducuntur ad aram,
Evincti geminas ad ſua terga manus.
Sparſit aquâ captos luſtrali Graia ſacerdos;
Ambiat ut fulvas inſula longa comas.
Dumque parat ſacrum, dum velat tempora vittis,
Dum tardæ cauſas invenit ipſa moræ;
Non ego crudelis, juvenes ignoſcite, dixit:
Sacra ſuo facio barbariora loco.
Ritus is eſt gentis. Qua vos tamen urbe venitis?
Quodve parum fauſtâ puppe petiſtis iter?
Dixit: & audito patriæ pia nomine virgo,
Conſorteis urbis comperit eſſe ſuæ.
Alter ut è vobis, inquit, cadat hoſtia ſacris;
Ad patrias ſedeis nuncius alter eat:
Ire jubet Pylades carum periturus Oreſtem:
Hic negat. inque vicem pugnat uterque mori.
Exſtitit hoc unum, quod non convenerat illis.
Cætera pars concors & ſine lite fuit.
Dum peragunt juvenes pulcri certamen amoris;
Ad fratrem ſcriptas exarat illa notas.
Ad fratrem mandata dabat. cuique illa dabantur,
(Humanos caſus adſpice) frater erat.
Nec mora: de templo rapiunt ſimulacra Dianæ:
Clamque per immenſas puppe feruntur aquas.

Neque heic neque ſuprà in Triſtibus addit, quò perlati fuerint. id tamen in Triſtibus ſatis clarè innuit, dum iisdem optat referri ventis, quibus Oreſtes erat ablatus. nam in Italiam cupiebat referri. Sed diſertè hoc tradit Hyginus Μυθολογικῶν cap. CCLXI, & ex Hygino Servius ad Virgilii Aeneid. lib. II, his verbis: *Quum Græci ad Aulidem veniſſent, Agamemnon Dianæ cervum occîdit ignarus, in venatione. unde dea irata, flatus ventorum, qui ad Troiam ducebant, ſuspendit. ob quam rem conſulta per Calchantem oracula, dixerunt, Agamemnonio ſangvine, hoc eſt, immolatâ Iphigeniâ, placandam Dianam. Quum ergo ab Vlyſſe per nuptiarum ſimulationem adducta Iphigenia in eo eſſet, ut immolaretur, numinis miſeratione ſublata eſt; cervâ ſuppoſitâ: & translatâ ad Tauricam regionem, regi Thoanti tradita eſt; ſacerdosque facta Dictynnæ Dianæ. Ibi quum ſecundùm conſvetudinem ſtatutam humano ſangvine numen placaret, agnovit fratrem Oreſtem; qui, accepto oraculo, carendi furoris causâ, cum amico Pylade Colchos* [*omnino ſcribendum, Tauros*] *petierat: & cum his, occiſo Thoante, ſimulacrum ſustulit, absconditum faſce lignorum, (unde & Faſcelis dicitur; non tantùm à face, cum qua pingitur: propter quod & Lucifera dicitur) & Ariciam detulit. Sed quum poſteà Romanis ſacrorum crudelitas displiceret; quamquàm ſervi immolarentur; ad Laconas eſt Diana translata: ubi ſacrificii conſvetudo adoleſcentum verberibus ſervabatur, qui vocabantur* βωμονίκαι· *quia aris ſuperpoſiti contendebant, qui plura poſſet verbera ſustinere. Oreſtis verò oſſa ab Ariciâ Romam translata ſunt, & condita ante templum Saturni; quod eſt ante divum Capitolinum, juxta Concordiæ templum.* Ne huic quidem fabulæ nugamentum grammaticum abeſt. quidpe ſervi illi fugitivi, qui heic reges conſtituebantur, multis etiam ſæculis pòſt jugulabantur, quam ille mos antiquiſſimus apud Laconas inſtitutus. Cæterùm apud Virgilium Aeneid. lib. VI Sibylla ſic monet Aeneam, ad inferos deſcenſurum:

Quod ſi tantus amor menti, ſi tanta cupido eſt
Bis Stygios innare lacus, bis nigra videre
Tartara, & inſano juvat indulgere labori;
Accipe, quæ peragenda priùs. Latet arbore opacâ
Aureus & foliis & lento vimine ramus,
Iunoni infernæ dictus ſacer. hunc tegit omnis
Lucus, & obſcuris claudunt convallibus umbræ.
Sed non antè datur telluris operta ſubire,
Auricomos quàm quis decerpſerit arbore fœtus.
Hoc ſibi pulcra ſuum ferri Proſerpina munus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Inſtituit. primo avulſo, non deficit alter
Aureus: & ſimili frondeſcit virga metallo.

Ad hæc ita Servius: *Licèt de hoc ramo hi, qui de ſacris Proſerpinæ ſcripſiſſe dicuntur, quiddam eſſe myſticum adfirment; publica tamen opinio hoc habet: Oreſtes, poſt occiſum regem Thoantem in regione Tauricâ, cum ſorore Iphigeniâ, ut ſuprà diximus, fugit: & Dianæ ſimulacrum inde ſublatum haud longè ab Ariciâ collocavit. In huius templo poſt mutatum ritum ſacrificium fuit arbor quædam, de qua infringi ramum non licebat. dabatur autem fugitivis poteſtas, ut, ſi quis exinde ramum potuiſſet auferre, monomachiâ cum fugitivo templi ſacerdote dimicaret. nam fugitivus illic erat ſacerdos, ad priſtinæ imaginem fugæ. Dimicandi autem dabatur facultas; quaſi ad priſtini ſacrificii reparationem.* Hactenus ſanè ſatis probè ac concinnè ſimilitudo hæc iſti de Iphigeniâ atque Oreſte fabulæ adcommodata. at verò cur iſte fugitivus ſacerdos dicebatur *rex*; ſacerdotiumque eius *regnum*? Ad hoc explicandum, alia certè fabulæ forma quærenda fuit. Prædictus Hyginus Μυθολογικῶν cap. XV: *In inſulâ Lemno mulieres Veneri ſacra aliquot annos non fecerant. cuius irâ viri earum Threſſas uxores duxerunt, & priores ſpreverunt. At Lemniades, eiusdem Veneris impulſu conjuratæ, genus virorum omne, quod ibi erat, interfecerunt, præter Hypſipylen; quæ patrem ſuum Thoantem clam in navem impoſuit: quem tempeſtas in inſulam* [lege, *peninſulam*] *Tauricam detulit.* Idem, inter alios auctores, Valerius quoque Flaccus Ἀργοναυτικῶν lib. II fingit; & tandem hoc inſuper addit:

——— *Ille procul truncâ fugit anxius alno*
Taurorumque locos delubraque ſæva Dianæ
Advenit. hic illum triſti dea præficit aræ,
Enſe dato. Mora nec terris tibi longa cruentis.
Iam nemus Egeriæ, jam te ciet altus ab Alba
Iupiter, & ſoli non mitis Aricia regi.

At antiquus inter primos poëta Euripides, in fabulâ, cuius titulus Ἰφιγένεια ἐν Ταύροις, id eſt, *Iphigenia in Tauris*, Iphigeniam quidem cum fratre Oreſte ac Pylade ſimulacrum Dianæ abstuliſſe fingit; ſed in Græciam, non verò Italiam detuliſſe. unde ſic eamdem fabulam refert Hyginus cap. CXX: *Oreſtem furiæ quum exagitarent, Delphos ſcitatum eſt profectus, quis tandem modus eſſet ærumnarum. reſponſum eſt, ut in terram Tauricam ad regem Thoantem, patrem Hypſipyles, iret; indeque de templo Dianæ ſignum Argos adferret. tunc finem fore malorum. Sorte auditâ, cum Pylade, Strophilii filio, ſodale ſuo, navem conſcendit: celeriterque ad Tauricos fineis devenerunt. quorum fuit inſtitutum, ut qui intra fineis eorum hoſpes veniſſet, in templo Dianæ immolaretur. ubi Oreſtes & Pylades quum in ſpeluncâ ſe tutarentur; & occaſionem captarent; à paſtoribus deprehenſi, ad regem Thoantem ſunt deducti. quos Thoas, ſuo more junctos, in templum Dianæ, ut immolarentur, duci juſſit: ubi Iphigenia, Oreſtis ſoror, fuit ſacerdos. eosque ex ſignis atque argumentis, qui eſſent, quid veniſſent, poſtquàm reſciit; abjectis miniſteriis, ipſa cœpit ſignum Dianæ avellere. quò rex quum interveniſſet; & rogitaret, cur id faceret; illa ementita eſt, dixitque, eos ſceleratos ſignum contaminaſſe; quòd impii & ſcelerati homines in templum eſſent adducti. ſignum expiandum ad mare ferre oportere; & jubere eum interdicere civibus, ne quis eorum extra urbem exiret. Rex ſacerdoti dicto audiens fuit. Occaſione Iphigenia nactâ, ſigno ſublato, cum fratre Oreſte & Pylade in navem adſcendit: ventoque ſecundo ad inſulam Zminten ad Chryſen, ſacerdotem Apollinis, delati ſunt.* Inſequenti capite varia inter ſe, ſine certo orationis ſenſu, commixta ſunt; & quædam interierunt. tandem hæc ſequuntur: *Poſteà Chryſes Thoanti eos quum reddere vellet, Chryſes audiit ſenior, Agamemnonis Iphigeniam & Oreſtem filios eſſe: qui Chryſæ filio ſuo, quid veri eſſet, patefecit; eos fratres eſſe; & Chryſen Agamemnonis filiam eſſe. Tum Chryſes, re cognitâ, cum Oreſte fratre Thoantem interfecit: & inde Mycenas cum ſigno Dianæ incolumes pervenerunt.* Nempe in patriam. nam *Mycenæ* urbs Agamemnonis erat regnum. Hinc igitur Lucano lib. VI, ut ſuprà relatum, *Mycenæa* dicitur *Diana*. At è contrario Euripides in dictâ fabulâ fingit, Minervam monuiſſe in Tauricâ regione Thoantem, ne Iphigeniam & Oreſtem inſequeretur: ipſumque deæ paruiſſe. eamdem verò ita adfatam eſſe Oreſtem:

Μαθὼν δ᾽ Ὀρέστα τὰς ἐμὰς ἐπιστολὰς,
Χώρει λαβὼν ἄγαλμα, σύγγονόν τε σήν.

Ὅταν δ' Ἀθήνας τὰς θεοδμήτους μόλῃς,
Χῶρός τις ἐστιν Ἀτθίδος πρὸς ἐσχάτοις
Ὅροισι, γείτων δειράδος Καρυστίας,
Ἱερὸς, Ἁλάς νιν οὑμὸς ὀνομάζει λεώς·
Ἐνταῦθα τεύξας ναὸν, ἵδρυσαι βρέτας,
Ἐπώνυμον τῆς Ταυρικῆς, πόνων τε σῶν,
Οὓς ἐξεμόχθεις περιπολῶν καθ' Ἑλλάδα,
Οἴστροις Ἐριννύων. Ἄρτεμιν δέ νιν βροτοὶ
Τὸ λοιπὸν ὑμνήσουσι Ταυροπόλον θεάν.
Νόμον τε θὲς τόνδ', ὅθ' ἑορτάζῃ λεώς
Τῆς σῆς σφαγῆς ἄποιν'· ἐπισχέτω ξίφος
Δέρῃ πρὸς ἀνδρὸς, αἷμά τ' ἐξανιέτω
Ὁσίας ἕκατι θεᾶς, ὅπως τιμὰς ἔχῃ.

Hoc eſt:

Tu verò Oreſtes, auditis meis mandatis,
Vade, accepto ſimulacro & ſorore tuâ.
Et quum veneris Athenas divinitus conditas;
Eſt quidam locus in extremis Atticæ
Finibus, vicinus litori Caryſtio,
Sacer, quem meus populus vocat Halas.
Illic exſtructo templo, colloca ſtatuam
Cognominem Tauricæ, tuorumque laborum,
Quos tuliſti oberrans per Græciam,
Stimulis agitatus Erinnydum. Dianam verò ipſam homines
Poſthac celebrabunt Tauricam deam.
Et hanc legem pone: Quando populus celebrabit feſtum
Tuæ à cæde liberationis; admoveat enſem
Ad viri cervicem, & ſangvinem eliciat
Propter ſanctam deam; ut honores habeat.

Sic equidem Latini interpretes & heic & ſuprà in Strabone Ἄρτεμιν Ταυροπόλον verterunt *Tauricam Dianam*. at verò maiorem vim habere hanc vocem Ταυροπόλος, disertè oſtendit Euripides his verbis:

Ἐπώνυμον τῆς Ταυρικῆς πόνων τε σῶν,
Οὓς ἐξεμόχθεις περιπολῶν καθ' Ἑλλάδα.

Vbi clarè innuit, Ταυροπόλον cognominatam fuiſſe ἀπὸ τῆς Ταυρικῆς χώρας καὶ ἀπὸ τῶν πόνων τοῦ Ὀρέστου, ἤτοι ἀπὸ τοῦ περιπολεῖν τὸν Ὀρέστην καθ' Ἑλλάδα· id eſt, *à Tauricâ ſimul regione, ſimulque à laboribus Oreſtis; quos pertuliſſet per Græciam oberrando*. Verùm poëtæ Euripidi in fabulâ uti ſatis tutò credatur, vehementer ego vereor. &, non modò *Dianæ* ſed & ipſius *Minervæ* hoc fuiſſe cognomentum, teſtatur Heſychius. Ταυροπόλοι, inquit, ἡ Ἄρτεμις καὶ ἡ Ἀθηνᾶ. id eſt: *Tauropoli Diana & Minerva dicuntur*. Svidas: Ταυροπόλον τὴν Ἄρτεμιν, ὅτι ὡς ταῦρος περίεισι πάντα· ὡς Ἀπολλόδωρος. Ἴστρος δ' ἐν τρίτῳ Ἀτάκτων, ὅτι τὸν Ποσειδῶνος πεμφθέντα Ἱππολύτῳ ταῦρον ἐξοίστρησεν ἐπὶ πᾶσαν γῆν. οἱ δὲ, διότι ἔβαλε· διὸ καὶ Ταυροβόλος. ἡ Ἀθηνᾶ δὲ Ταυροβόλος ἐν Ἄνδρῳ. ὁ γὰρ Ἄνιος δοὺς ταῦρον τοῖς Ἀτρείδαις, ἐκέλευσεν, ὅπου ἂν ἐκ τῆς νεὼς ἅληται, ἱδρύσασθαι Ἀθηνᾶν. καὶ οὕτως εὐπλοήσειν. ὁ δὲ ἐν Ἄνδρῳ ἐξήλατο. Id eſt: *Tauropolum vocant Dianam, quòd veluti taurus omnia circumit: ut auctor eſt Apollodorus. Iſter verò Miſcellaneor. lib.* III *ſic dictam tradit, quia taurum, à Neptuno immiſſum Hippolyto, furore percitum per omneis terras agitarit. alii autem volunt inde, quòd hunc telis confeciſſet. unde etiam Taurobolos adpellata. Minerva etiam Taurobolos in Andro inſulâ colitur. Anius enim, tauro Atridis dato, juſſit, quocúmque is ex navi exſiluiſſet, ibi uti Minervæ templum conderent: atque ſic eos ſecundâ navigatione uſuros. ille verò in Andrum exſiliit*. In Etymologico magno hoc inſuper additum: Ἢ ὅτι ἡ Ἰφιγένεια, φυγοῦσα ἀπὸ Σκυθίας, ἐν Ἀττικῇ ἱδρυσαμένη τὸ ἄγαλμα, Ταυροπόλον Ἄρτεμιν προσηγόρευσεν, ἐπειδὴ ἐκ τῶν Ταύρων τοῦ ἔθνους ἦλθεν. οἱ δὲ λέγουσιν, ὅτι, τῶν Ἑλλήνων βουλομένων ἀνελεῖν τὴν Ἰφιγένειαν ἐν Αὐλίδι, ἡ Ἄρτεμις ἀντέδωκεν ἔλαφον. κατὰ δὲ Φανόδημον, ἄρκτον· κατὰ δὲ Νίκανδρον, ταῦρον. Hoc eſt: *Vel, quòd Iphigenia profuga è Scythis, quum in Atticâ terrâ ſimulacrum ſtatueret, Tauropolon Dianam adpellaverit, quia ex Taurorum gente venerat. Alii tradunt, quum Græci Iphigeniam vellent interficere in Aulide, Dianam pro eâ ſubjeciſſe cervum: vel,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

vel, ut Phanodemus ait, urſum: vel, ut Nicander, taurum. Ergo ex his ſatis claret, quum planè incerta eſſet huius vocabuli origo, quosdam, fabulâ de Iphigeniâ ac Thoante rege confictâ, à *Taurorum* gentis nomine id deduxiſſe. ubi tamen maximè miror, quum antiquiſſimus hic Tauroſcythis fuerit mos hoſpites advenas immolandi; Thoantem iſtum non tantùm extra id periculum ſepoſitum fuiſſe, ſed etiam in regem ultro electum. Verùm, ut omnia reliqua apud Græcos atque Romanos ſacra, ſic hoc etiam τῆς Ἀρτέμιδος Ταυροπόλου variis, infinitis, & numquàm ſatis explicandis fabulis obvelatum fuit. Cæterùm antiqua eius apud Latinos etiam in Aricino nemore origo clarè inde patet. nempe à primis Latinis, quorum gentem ex Aboriginibus & Pelaſgis compoſitam fuiſſe ſuprà oſtenſum, haud dubiè id heic pulſis Siculis, inſtitutum fuiſſe è Græciâ huc translatum. Hippolyti etiam fabulam ei admixtam fuiſſe, præter duos iſtos grammaticos Græcos, alii etiam teſtantur auctores; maximè poëtæ. Statius ſuprà dicto Silvar. lib. III carm. I:

——— Profugis cum regibus altum
Fumat Aricinum Triviæ nemus, & face multâ
Conſcius Hippolyti ſplendet lacus.

Virgilius Aeneid. lib. VII:

Ibat & Hippolyti proles, pulcherrima bello,
Virbius: inſignem quem mater Aricia miſit,
Eductum Egeriæ lucis, humentia circùm
Litora; pingvis ubi & placabilis ara Dianæ.
Namque ferunt famâ, Hippolytum, poſtquàm arte novercæ
Occiderit, patriasque explêrit ſangvine pœnas,
Turbatis distractus equis, ad ſidera curſus
Aetheria & ſuperas cœli veniſſe ſub auras,
Pæoniis revocatum herbis & amore Dianæ.
Tum pater omnipotens, aliquem indignatus ab umbris
Mortalem infernis ad lumina ſurgere vitæ,
Ipſe repertorem medicinæ talis & artis
Fulmine Phœbigenam Stygias detruſit ad undas.
At Trivia Hippolytum ſecretis alma recondit
Sedibus, & nymphæ Egeriæ nemorique relegat;
Solus ubi in ſilvis Italis ignobilis ævum
Exigeret; verſoque ubi nomine Virbius eſſet.
Vnde etiam Triviæ templo lucisque ſacratis
Cornipedes arcentur equi: quòd litore currum
Et juvenem monſtris pavidi effudêre marinis.

Ovidius Faſtor. lib. VI:

Notus amor Phædræ, nota eſt injuria Theſei.
Devovit natum credulus ille ſuum.
Soliciti terrentur equi: fruſtraque retenti,
Per ſcopulos dominum duraque ſaxa trahunt.
Exciderat curru; lorisque morantibus artus
Hippolytus lacero corpore raptus erat:
Reddideratque animam, multum indignante Dianâ.
Nulla Coronides cauſa doloris ait.
Namque pio juveni vitam ſine vulnere reddam:
Et cedent arti triſtia fata meæ.
Gramina continuò loculis depromit eburnis.
Profuerant Glauci manibus illa priùs;
Tunc quum obſervatas augur deſcendit in herbas:
Vſus & auxilio eſt angvis ab angve dato.
Pectora ter tetigit; ter verba ſalubria dixit.
Depoſitum terrâ ſuſtulit ille caput.
Lucus eum nemorisque ſui Dictynna receſſu
Celat. Aricino Virbius ille lacu eſt.

Et Transformationum lib. XV:

Talibus

Talibus atque aliis inſtructo pectore dictis,
In patriam remeaſſe ferunt, ultroque petitum
Accepiſſe Numam populi Latialis habenas:
Conjuge qui felix nymphâ ducibusque Camœnis
Sacrificos docuit ritus; gentemque feroci
Adſvetam bello pacis traduxit ad arteis.
Qui poſtquàm ſenior regnumque ævumque peregit;
Exſtinctum Latiæque nurus populusque patresque
Deflevêre Numam. nam conjux, Vrbe relictâ,
Vallis Aricinæ denſis latet abdita ſilvis:
Sacraque Oreſtææ gemitu queſtuque Dianæ
Impedit. Ah quoties nymphæ nemorisque lacusque,
Ne faceret, monuêre; & conſolantia verba
Dixerunt! quoties flenti Theſeïus heros,
Siſte modum, dixit: nec enim fortuna querenda
Sola tua eſt. ſimileis aliorum reſpice caſus:
Mitiùs iſta feres. utinamque exempla dolentem
Non mea te poſſent relevare. ſed & mea poſſunt.
Fando aliquem Hippolytum, veſtras ſi contigit aureis,
Credulitate patris, ſceleratæ & fraude novercæ
Occubuiſſe neci: mirabere; vixque probabo.
Sed tamen ille ego ſum. me Paſiphaëia quondam,
Tentatum fruſtra, patrium temerare cubile,
Quod voluit, finxit voluiſſe; &, crimine verſo,
Iudiciive metu magis, offensâve repulſæ,
Arguit. immeritumque pater projecit ab urbe;
Hoſtilique caput prece deteſtatur euntis.
Pittheiam profugo curru Trœzena petebam:
Iamque Corinthiaci carpebam litora ponti:
Quum mare ſurrexit; cumulusque immanis aquarum
In montis ſpeciem curvari & creſcere viſus,
Et dare mugitus, ſummoque cacumine findi.
Corniger hinc taurus ruptis expellitur undis;
Pectoribusque tenus molleis erectus in auras,
Naribus & patulo partem maris evomit ore.
Corda pavent comitum: mihi mens interrita manſit;
Exſiliis contenta ſuis. tum colla feroces
Ad freta convertunt, adrectisque auribus horrent
Quadrupedes, monſtrique metu turbantur; & altis
Præcipitant currum ſcopulis. Ego ducere vanâ
Fræna manu, ſpumis albentibus oblita, luctor;
Et retro lentas tendo reſupinus habenas.
Nec vireis tamen has rabies ſuperaſſet equorum;
Ni rota, perpetuum quæ circumvertitur axem,
Stipitis occurſu fracta & disjecta fuiſſet.
Excutior curru: lorisque tenentibus artus,
Viſcera viva trahi, nervosque in ſtirpe teneri,
Membra rapi partim, partim reprenſa relinqui,
Oſſa gravem dare fracta ſonum, feſſamque, videres,
Exhalare animam; nullasque in corpore parteis,
Noſcere quas poſſes: unumque erat omnia vulnus.
Num potes, aut audes cladi componere noſtræ
Nympha tuam? Vidi quoque luce carentia regna;
Et lacerum fovi Phlegethontide corpus in undâ.
Nec, niſi Apollineæ valido medicamine prolis,
Reddita vita foret. quam poſtquàm fortibus herbis
Atque ope Pœoniâ, Dite indignante, recepi;

Tum

Tum mihi, ne præſens augerem muneris huius
Invidiam, denſas objecit Cynthia nubeis.
Vtque forem tutus, poſſemque impunè videri;
Addidit ætatem; nec cognoſcenda reliquit
Ora mihi. Cretenque diu dubitavit habendam
Traderet, an Delon. Delo Cretâque relictis,
Heic poſuit. nomenque ſimul, quod poſſit equorum
Admonuiſſe, jubet deponere. quique fuiſti
Hippolytus, dixit, nunc idem Virbius eſto.
Hoc nemus inde colo. de diisque minoribus unus,
Numine ſub dominæ lateo, atque adſentior illi.

Idem de Hippolyti interitu narrat Hyginus in Fabulis, cap. XLVII. capite autem CCLI, ubi exempla commemorat eorum, qui ab inferis redierint, Hippolytus, inquit, Theſei filius, voluntate Dianæ: qui poſteà Virbius eſt adpellatus. Servius in proximè ſcriptum Virgilii locum ſic commentatur: *Theſeus, mortuâ Hippolyte, Phædram, Minois & Paſiphaës filiam, ſuperduxit Hippolyto. qui quum illam de ſtupro interpellantem contempſiſſet; falsò delatus ad patrem eſt, quòd ei vim voluiſſet inferre. ille Aegeum patrem rogavit, ut ſe ulciſceretur. qui agitanti currus Hippolyto immiſit phocam: qua equi territi eum traxerunt. Tunc Diana, eius caſtitate commota, revocavit eum in vitam per Aeſculapium, filium Apollinis & Coronidis.* Mox: *Sed Diana Hippolytum, revocatum ab inferis, in Ariciâ nymphæ commendavit Egeriæ: & eum Virbium, quaſi bis virum, juſſit vocari.* Statim: *Re verâ autem Virbius eſt numen conjunctum Dianæ; ut Matri deûm Atys, Minervæ Erichthonius, Veneri Adonis.* Ac deinde: *Virbium quidam Solem putant eſſe. cuius ſimulacrum non eſt fas attingere; propterea, quòd nec Sol tangitur.* Euripides ſub finem tragœdiæ, quam de Hippolyto compoſuit, Dianam introducit ita illum adloquentem:

Σοὶ δ᾽ ὦ ταλαίπωρ᾽ ἀντὶ τῶνδε τῶν κακῶν
Τιμὰς μεγίστας ἐν πόλει Τροιζηνίᾳ
Δώσω. Hoc eſt:
Tibi autem, ô miſer, pro his malis
Maximos honores.

Vibius Sequeſter in Catologo fluminum: *Virbius Laconices. ubi Hippolytum Aeſculapius arte medicinæ reddidit vitæ. unde & Virbius dictus.* Ergo & *Hippolyti* ſive *Virbii* numen & cultus unà cum Dianæ Ταυροπόλου ſacris in Italiam è Peloponneſo ab iiſdem Pelaſgis delata fuêre. *Tauro* autem exterritos fuiſſe *Hippolyti* equos, præter Ovidium & ſuprà ſcriptos grammaticos Græcos, Euripides quoque & Seneca in Hippolyti tragœdiâ tradunt. Ex hac igitur fabulâ, quamcumque illa tandem in θεολογουμένοις rationem habuerit, cognomentum Dianæ, non à Tauris Scythis, quæſitum, maximè credibile eſt, Apud Perſium Satyrâ VI hæc leguntur:

—— *Age, ſi mihi nulla*
Iam reliqua ex amitis, patruelis nulla, proneptis
Nulla manet patrui; ſterilis matertera vixit;
Deque avia nihilum ſupereſt: adcedo Bovillas
Clivumque ad Virbî. præſto eſt mihi Manius hæres,
Progenies terræ. quære ex me, quis mihi quartus
Sit pater; haud promptè dicam tamen: adde etiam unum:
Vnum etiam. terræ eſt jam filius; & mihi ritu
Manius hic generis propè maior avunculus exit.

Ad hæc ita habet in commentariis Cornutus: *Quatuor millibus ab Vrbe eſt Virbii clivus; quà iter eſt ad Ariciam & ad Nemus Dianæ.* Omnino ego credo ſcripſiſſe ipſum Cornutum: *Quatuordecim millibus.* nam haud obſcurè nec dubiè poëta *Clivum* hunc *Virbii* ultra *Bovillas* ponit. Et *Maniorum* nomen fuiſſe *Aricinum* patet ex his Pompeii Feſti verbis: *Manius Egerius agrum Nemorenſem Dianæ conſecravit; à quo multi & clari viri orti ſunt, & per multos annos fuerunt. unde & proverbium; Multi Manii Ariciæ.* Et diſerta hæc ſunt Martialis verba lib. XII epigram. XXXII:

O Iuliarum dedecus Kalendarum;
Vidi, Vacerra ſarcinas tuas, vidi:

Quas,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Quas, non retentas penſione pro bimâ,
Portabat uxor, rufa crinibus ſeptem,
Et cum ſorore cana mater ingenti.
Furias putavi nocte Ditis emerſas.
Has tu priores, frigore & fame ſiccus,
Et non recenti pallidus magis buxo,
Irus tuorum temporum, ſequebaris.
Migrare clivum crederes Aricinum.
Hæc ſarcinarum pompa convenit ponti.

Nempe ille dicebatur CLIVVS VIRBII & CLIVVS ARICINVS, qui in ipſâ viâ eſt Appiâ, ab Ariciâ ad lacum Dianæ adcedentibus. in quo clivo, ob celebritatem viæ & tranſeuntium numerum, quamplurimi deſidebant mendici; ut & in ponte Milvio. unde Iuvenalis quoque Satyrâ IIII: CLIVVS VIRBII; idem ARICINVS.

Grande & conſpicuum noſtro quoque tempore monſtrum;
Cæcus, adulator, dirusque à ponte ſatelles:
Dignus, Aricinos qui mendicaret ad axeis;
Blandaque devexæ jactaret baſia rhedæ.

Cæterùm de *Manio Egerio Aricino*, quod Feſtus narrat; *Nemorenſem agrum Dianæ ipſum conſecraviſſe*; neſcio grammaticorum, an theologorum Romanorum fuerit fabula. quidpe antiquiſſimis jam inde temporibus à Pelaſgis & Aboriginibus, ſive à primis Latinis, hæc loca Dianæ conſecrata fuiſſe, ex ſuprà adlatis manifeſtè patet. tum verò EGERIA NYMPHA heic omnibus traditur: quam conjugem Numæ, Romanorum regis, finxerunt: à qua etiam ipſum *Dianæ nemus* LVCVS ſive NEMVS EGERIAE dictum. ut ſuprà ex Valerii Flacci Ἀργοναυτικῶν lib. II & Virgilii Aeneid. lib. VII intelleximus. Ovidius, præterea, quæ ſuprà ex Transformat. lib. XV citavimus, ſic etiam Faſtor. lib. III canit de eodem Numâ:

Sive hoc à Samio doctus, qui poſſe renaſci
Nos putat; Egeriâ ſive monente ſuâ.

Livius lib. I, de Numâ loquens: *Omnium primùm (rem ad multitudinem imperitam & illis ſæculis rudem efficaciſſimam) deorum metum injiciendum ratus eſt. qui quum deſcendere ad animos ſine aliquo commento miraculi non poſſet; ſimulat, ſibi cum deâ Egeriâ congreſſus nocturnos eſſe. eius ſe monitu, quæ acceptiſſima diis eſſent, ſacra inſtituere, ſacerdotes ſuos cuique deorum præficere.* Idem haud dubiè ex Livio refert Valerius Maximus lib. I cap. II. Dionyſius lib. II, de eodem Numâ: Λόγους δὲ πολλοὺς ὑπὲρ αὐτοῦ καὶ θαυμαστοὺς λέγουσιν. νύμφην γάρ τινα μυθολογοῦσιν Ἠγερίαν φοιτᾶν πρὸς αὐτὸν ἑκάστοτε, διδάσκουσαν τὴν βασιλικὴν σοφίαν. ἕτεροι δὲ οὐ νύμφην, ἀλλὰ τῶν Μουσῶν μίαν. * — * . Οἱ δὲ τὰ μυθώδη πάντα περιαιροῦντες ἐκ τῆς ἱστορίας, πεπλάσθαι φασὶν ὑπὸ τοῦ Νομᾶ τὸν περὶ τῆς Ἠγερίας λόγον, ἵνα ῥᾷον αὐτῷ προσέχωσιν οἱ τὰ θεῖα δεδιότες, καὶ προθύμως δέχωνται τοὺς ὑπ᾽ αὐτοῦ τιθεμένους νόμους, ὡς παρὰ θεῶν κομιζομένους. Id eſt: *Multa de eo ac mira prædicant. fabulantur enim, nympham ad eum quotidiè ventitaſſe Egeriam; eumque regiam ſapientiam edocuiſſe. Alii non nympham tradunt, ſed unam Muſarum.* Aliquanto pòſt: *At qui fabulis locum in hiſtoriâ non relinquunt; Numam hæc de Egeriâ dicunt finxiſſe: ut, hac religione devincti, leges ab ipſo, velut ex auctoritate deorum latas libentiùs admitterent.* Hinc & Cicero de Legibus lib. I: *Et mehercule ego me cupio non mendacem putari. ſed tamen nonnulli iſti faciunt imperitè; qui in iſto opuſculo non ut à poëtâ, ſed ut à teſte veritatem exigant. nec dubito, quin iidem, & cum Egeriâ colloquutum Numam, & ab aquilâ Tarquinio apicem impoſitum; putent.* Ovidius ſuprà dicto Transformationum lib. XV, ubi Hippolytum fingit caſus ſuos Egeriæ enarrantem, ita pergit: LVCVS EGERIAE. FONS EGERIAE.

Non tamen Egeriæ luctus aliena levare
Damna valent; montisque jacens radicibus imis,
Liquitur in lacrumas; donec pietate dolentis
Mota ſoror Phœbi, gelidum de corpore fontem
Fecit, & æternas artus tenuavit in undas.

Hic ſcilicet ille eſt FONS EGERIAE, de quo Strabo ſuprà dicto lib. V loquitur his verbis: Τὰς μὲν οὖν πηγὰς ὁρᾷν ἐστιν, ἐξ ὧν ἡ λίμνη πληροῦται· τούτων δ᾽ ἐστὶν ἡ Ἠγερία καλουμένη δαίμονός τινος ἐπώνυμος. Id eſt: *Ac fontes quidem conſpicui ſunt, unde lacus impletur. ex quibus eſt, qui Egeriæ adpellatur, eodem, quo numen quoddam nomine.* Fontis huius limpidiſſimi tam copioſæ hodiè ſub Nemorenſi opido ex antro profluunt aquæ, uti

molas ſtatim flumine ſuo convolvant. Verùm, ut *Iuturnæ fons* ſeu, lacus alter, habebatur in ipſâ urbe Româ, alter extra urbem circa Albanum Sabellumque opida; ut ſuprà lib. II cap. x oſtenſum: item, ut *Virbius clivus* alter dicebatur apud Ariciam & Nemus Dianæ; ut paullo antè intelleximus; alter in ipſâ Vrbe; teſte Livio lib. I: ſic *Egeriæ* quoque alter *fons*, & *Muſarum* ſive *Camœnarum lucus*, apud Vrbem habebatur, ante portam Capenam; quæ Appiam emittebat viam. unde & heic, ut ſuprà lib. II cap. x in Iuturnæ fonte factum intelleximus, diverſa opinio tradentium; quum alii apud Ariciam cum Egeria congreſſum Numam velint, alii apud portam Capenam. Martialis lib. II epigram. VI:

Laſſus tam citò deficis viator?
Et quum currere debeas Bovillas;
Inter jungere quæris ad Camœnas.

Iuvenalis Satyrâ III:

Subſtitit ad veteres arcus madidamque Capenam:
Heic, ubi nocturnæ Numa conſtituebat amicæ.
Nunc ſacri fontis nemus & delubra locantur
Iudæis; quorum cophinus fœnumque ſupellex.
Omnis enim populo mercedem pendere juſſa eſt
Arbor; & eiectis mendicat ſilva Camœnis.
In vallem Egeriæ deſcendimus, & ſpeluncas
Diſſimileis veris.

Ad quæ ita vetus commentator: *In viâ Appiâ ad portam Capenam; id eſt, ad Camœnas.* Ita in hunc etiam locum, *non in Aricinum Dianæ nemus*, quadrat, quod de *pratis* atque *campis* narrat Plutarchus in Numâ, his verbis: Ἠγερίας τε καὶ τῶν Μουσῶν αὐτὸν πυθέσθαι χρῆναι Μούσαις καθιερῶσαι τὸ χωρίον ἐκεῖνο καὶ τοὺς περὶ αὐτὸ λειμῶνας, ὅπου τὰ πολλὰ φοιτῶσαι συνδιατρίβουσιν αὐτῷ· τὴν δὲ πηγήν, ἣ καταρδεῖ τὸ χωρίον, ὕδωρ ἱερὸν ἀποδεῖξαι ταῖς Ἑστιάσι παρθένοις, ὅπως λαμβάνουσαι καθ' ἡμέραν, ἁγνίζωσι καὶ ῥαίνωσι τὸ ἀνάκτορον. Id eſt: *Ex Egeriâ atque Muſis ſe accepiſſe, conſecrandum Muſis eſſe campum & circumjecta prata, ubi plerumque cum ipſo congrediebantur. fontem autem, quo irrigatur campus, ſacrandum virginibus Veſtalibus: cuius aquâ luſtrarent adſpergerentque quotidiè penetralia.* Nec longiùs trahi poteſt oratio Livii; qui dicto lib. I haud multo pòſt, *Lucus erat*, inquit, *quem medium ex opaco ſpecus fons perenni rigabat aqua. quò quia ſe perſæpè Numa ſine arbitris, velut ad congreſſum deæ, inferebat; Camœnis eum lucum ſacravit; quòd earum ſibi concilia cum conjuge ſuâ Egeriâ eſſent.* Eumdemque locum intellexit Sulpicia in Satyrâ, quam de ſtatu reipublicæ temporibus Domitiani compoſuit; quum ille edicto philoſophos Vrbe exegiſſet. ubi Calliopen Muſam fingit ita ſibi reſpondere:

Pone metus æquos, cultrix mea: ſumma tyranno
Hæc inſtant odia: & noſtro periturus honore eſt.
Nam laureta Numæ fonteisque habitamus eosdem:
Et comite Egeria ridemus inania cœpta.

Hi igitur apud Capenam portam poſuêre Numæ cum Egeriâ & Muſis congreſſus; alii verò ad Dianæ nemus. Ovidius, præter ſuprà memoratum locum, ſic etiam canit Faſtor. lib. III:

Nympha mone, nemori ſtagnoque operata Dianæ:
Nympha Numæ conjux, ad tua facta veni.
Vallis Aricinæ ſilvâ præcinctus opacâ,
Eſt lacus antiquâ relligione ſacer.
Heic latet Hippolytus, loris direptus equorum.
Vnde nemus nullis illud aditur equis.

Et paullo pòſt:

Defluit incerto lapidoſus murmure rivus.
Sæpè, ſed exiguis hauſtibus, inde bibi.
Egeria eſt, quæ præbet aquas; dea grata Camœnis.
Illa Numæ conjux conſiliumque fuit.

Statius Silvar. lib. V carm. III:

—— Sic ſacra Numæ ritusque colendos
Mitis Aricino dictabat nympha ſub antro.

Martia-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Martialis lib. x epigram. xxxv:

Taleis Egeriæ jocos fuiſſe
Vdo crediderim Numæ ſub antro.

Et ipſe *antrum Aricinum* intellexit. ſic quidpe anteà lib. vi epigr. xlvii; quod eſt ad *Ianthida nympham*:

Nympha, mei Stellæ quæ fonte domeſtica puro
Laberis, & domini gemmea tecta ſubis:
Sive Numæ conjux Triviæ te miſit ab antro;
Sive Camœnarum de grege nona venis:
Exſolvit votis hac ſe tibi virgine porcâ
Marcus, furtivam quòd bibit æger aquam.
Tu contenta meo jam crimine, gaudia fontis
Da ſecura tui. ſit mihi ſana ſitis.

Scilicet, quum complures heic eſſent fontes, teſte etiam ſuprà citato Strabone; unus ex iis, omnium maximus, ſub Nemorenſi opido, *Egeriæ* dicebatur *fons*: reliqui ſub *Ienzano* opido *Muſarum* ſive *Camœnarum* fuère *fontes*. Salubritatem autem aquæ haud dubiè intelligit Martialis eamdem, quam Ovidius verbis proximè ſcriptis. Nec tamen ex his fontibus aqua derivata fuit in fontem *Ianthidis nymphæ*. ſed comparationem tantùm voluit inſtituere ſalubritatis utriusque aquæ. nam Stellæ domus apud Vrbem vel in Vrbe videtur fuiſſe. de qua iterum poſteà lib. vii epigram. xlviiii. ita ſcribit:

Fons dominæ, regina loci, quo gaudet Ianthis;
Gloria conſpicuæ deliciumque domus:
Quum tua tot niveis ornetur ripa miniſtris;
Et Ganymedæo luceat unda choro;
Quid facit Alcides ſilvâ ſacratus in iſtâ?
Tam vicina tibi cur tenet antra deus?
Numquid nympharum notos obſervat amores?
Tam multi pariter ne rapiantur Hylæ?

Sed mirari heic ego ſatis nequeo noviſſimos Martialis commentatores; qui ferè omnes ex corruptis quibusdam exemplaribus docent, legendum eſſe in ſuprà ſcripto epigrammate, *Sive Numæ conjux Triviæ te miſit ab Annâ*. In quibus ſanè verbis quàm ineptiſſimè *Anna Perenna* dicitur *Triviæ Anna*: quum numen eius & ſacra apud Numicii amnis fontem ſub Lavinio opido, tum etiam apud urbem Romam inter Martium campum & Anienis confluentem culta fuerint; ut ſuprà cap. ii & iii huius libri iii abundéque ex Ovidio ac Silio & ipſo etiam Martiale demonſtratum eſt. Quapropter quod quidam ex iſtis commentatoribus tradit, Dianam Aricinam ab Annâ Perennâ cultam fuiſſe, niſi idoneorum auctorum teſtimonio probaverit, quod facere nequit, æquè mihi falſum erit, ac illud, ubi ex ſuprà ſcripto Dionyſii loco oſtendit *Egeriam* nonnullis unam ex Muſis exiſtimatam fuiſſe. quod ſanè non magis Dionyſius tradidit, quàm reliqui omnes, quos citavi, auctores. Et quomodò, ubi, vel quando Aricinam Dianam coluit Anna Perenna; quando vix terram ad Numicium amnem & opidum Lavinium ingreſſa fuiſſe narratur, quum poſt ſtructas illi à Laviniâ, Aeneæ uxore, inſidias, in nympham dicti amnis converſa ſit? Igitur neque ad Egeriam neque ad Dianam ullo modo referri ea poteſt. Quod autem iidem commentatores in poëtæ lib. iiii epigram. lxiiii virgineum cruorem interpretentur idem nemus Dianæ Aricinæ, id omnium falſiſſimum eſt. Verba illic poëtæ hæc ſunt:

Tullî jugera pauca Martialis
Longo Ianiculi jugo recumbunt.
Hinc ſeptem dominos videre monteis,
Et totam licet æſtimare Romam;
Albanos quoque Tuſculosque colleis;
Et quodcumque jacet ſub Vrbe frigus:
Fidenas veteres, breveisque Rubras;
Et, quod virgineo cruore gaudet
Annæ pomiferum nemus Perrannæ.
Illic Flaminiæ Salariæque

Vectator pavet, eſſedo tacente,
Ne blando rota ſit moleſta ſomno,
Quem nec rumpere nauticum celeuma,
Nec clamor volet helciariorum:
Quum ſit tam propè Mulvius; ſacrumque,
Lapſæ per Tiberim volent carinæ.

En, ut diſertè *pomiferum* hoc *Annæ Perennæ nemus*, quod *virgineo cruore gaudebat*, non ultra Albanum montem in Aricino ponit nemore; ſed ab eâdem Vrbis parte, à qua erant in *Flaminiâ viâ Rubræ*, in *Salariâ Fidenæ*; prope *Mulvium* pontem & *Tiberim* amnem. cui conſentiens Ovidius Faſtor. lib. III, ita ait:

Idibus eſt Annæ feſtum geniale Perennæ,
Haud procul à ripis, advena Tybri, tuis.

Iſto igitur etiam *virgineo cruore*, quo Annæ nemus apud Tiberim gaudebat, haud quidquam probaveris, legendum illic eſſe apud Martialem, *Triviæ te miſit ab Annâ*. Altera illa lectio, *Numæ conjux Triviæ te miſit ab antro*, plana ac maximè ſana eſt. Cæterùm Virgilii verſus ex Aeneid. lib. VII ſuprà citavimus iſtos:

Ibat & Hippolyti proles, pulcherrima bello,
Virbius: inſignem quem mater Aricia miſit,
Eductum Egeriæ lucis, humentia circùm
Litora; pingvis ubi & placabilis ara Dianæ.

Ad hæc ita Servius: *Pingvis, frequenti ſacrificio. placabilis autem, ac ſi diceret, non qualis antè fuit, vel illic vel apud Tauros, humano gaudens cruore.* Eumdem locum imitatus poëta poſteà Aeneid. lib. VIIII:

Stabat in egregiis Arcentis filius Arcens,
Inſignis facie; genitor quem miſerat Arcens,
Eductum Martis luco, Symæthia circùm
Flumina; pingvis ubi & placabilis ara Palici.

Ad hunc etiam locum ſic Servius: *Symæthus fluvius eſt Siciliæ; circa quem ſunt Palici dei. Hi primò humanis hoſtiis placabantur. poſteà quibusdam ſacris mitigati ſunt, & eorum immutata ſacrificia. inde ergo, Placabilis ara.* Aliam ſanè rationem adfert Macrobius Saturnal. lib. V cap. XVIIII: quam in Siciliæ lib. II cap. VIIII citamus. Sanè implacabiles erant Palici perjuris; qui protinus ad lacus eorum oculis capiebantur. & ita ego ſcripſiſſe exiſtimo ipſum Virgilium;

—— *Pingvis ubi implacabilis ara Palici.*

Item lib. VII: —— *Pingvis ubi implacabilis ara Dianæ.*

Et ſic certè legit perpetuus, ut ſæpiſſimè nobis notatur, imitator ille Virgilii Silius Italicus. unde illud lib. IIII:

Sed Spartam penetrare deus fratresque negabant
Auſonii, totidem numero: quos miſerat altis
Egeriæ genitos immitis Aricia lucis;
Aetatis mentisque pareis. at non dabat ultrà
Clotho dura lacus aramque videre Dianæ.

Et lib. VIII: *Quique immite nemus Triviæ, quique oſtia Tuſci*
Amnis amant.

Conſimili modo Ovidius loquitur ſuprà dicto Ponticor. lib. III eleg. II, de Oreſte ac Pylade: *Protinus immitem Triviæ ducuntur ad aram.*

Et Lucanus lib. I:

Et quibus immitis placatur ſangvine diro
Teutates, horrensque feris altaribus Heſus,
Taranis, Scythicæ non mitior, ara, Dianæ.

Et cui *immitis* atque *implacabilis* fuerit iſta Dia Aricina, oſtendit Valerius Flaccus ſuprà dicto Ἀργοναυτικῶν lib. II, his verbis:

Iam nemus Egeriæ, jam te ciet altus ab Albâ
Iupiter, & ſoli non mitis Aricia regi.

Ergo ad poſtremum usque, quàm diu culta fuit, *humano cruore gaviſa eſt implacabilis* hæc *Diana*. De reliquo hoc etiam heic notandum fuit, quòd in pleriſque Latinorum auctorum exemplaribus Egeriæ nymphæ nomen vitioſè ſcriptum eſt per diphthongum

thongum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

thongum Aegeria: quum Græci auctores ſuprà ſcripti Dionyſius atque Plutarchus per H id habeant Ἠγερία; & Feſtus, *Egeriæ*, inquit, *nymphæ ſacrificabant prægnantes; quòd eam putabant facilè conceptam alvum egerere*. Ergo *Egeria* eadem fuerit quæ & *Diana*, & *Lucina*, & *Lucifera*. Terentius Varro de Lingvâ Latinâ lib. VI: *Ennius; Vt tibi Titanis Trivia dederit ſtirpem liberûm. Titanis Trivia, Diana eſt: ab eo dicta Trivia, quòd in trivio ponitur ferè in opidis Græcis: vel, quòd Luna dicitur eſſe, quæ in cælo tribus viis movetur; in altitudinem, & latitudinem, & longitudinem*. Cicero de Naturâ deorum lib. II: *Dianam & Lucinam eamdem eſſe putant. Luna à lucendo nominata eſt: eadem eſt enim Lucina. itaque, ut apud Græcos Dianam, eamque Luciferam, ſic apud nos Iunonem Lucinam in pariendo invocant*. Catullus carm. XXXV:

Tu Lucina dolentibus
Iuno dicta puerperis;
Tu potens Trivia, & notho es
Dicta lumine Luna.

Hinc etiam, non *à faſce lignorum*, ut ſuprà ſcripto loco fabulatur Hyginus, *Faſcelina*; ſed à *facibus*, id eſt, à *tædis*, quas *præferre* tradebatur, dicta fuit *Diana Facelina*. Lucilius Satyrar. lib. III: ——— *Et, ſæpè quod antè*

Optaſti, freta Meſſanæ & Rhegina videbis
Mœnia; tum Liparam, & Facelinæ templa Dianæ.

Silius lib. XIIII:

Mille Agathyrna dedit, perflataque Strongylos auſtris:
Mille Thoantéæ ſedes Facelina Dianæ.

Sed de *Nemore Dianæ* hactenus abundè dictum. ad reliqua nunc Latii veteris opida pergamus.

Vltra Ariciam & dictum Dianæ nemus, apud eamdem viam Appiam fuit LANVVIVM *opidum*; Ciceroni, Propertio, Ovidio, Livio, Straboni, Silio, Ptolemæo, Aeliano, Appiano, Tabulæ itinerariæ, Stephani breviatori, & aliis memoratum. Opidani inde paſſim apud auctores leguntur LANVVINI. Opidi Cicero frequenter meminit in epiſtolis ad Atticum, lib. XII, XIII, XIIII, & XV. at ſitum eius apud Appiam viam indicat maximè in oratione pro T. Annio Milone. *Quum cædem*, inquit, *in viâ Appiâ factam eſſe conſtaret*. Mox: *Tulit de cæde, quæ in Appiâ viâ facta eſſet; qua P. Clodius occiſus fuit*. Deinde: *Quum ſciret Clodius, iter ſolenne, legitimum, neceſſarium, ad diem* XIII *Kalend. Febr. Miloni eſſe Lanuvium, ad flaminem prodendum; quòd erat dictator Lanuvii Milo*. Et poſteà: *Dictatoris Lanuvini ſtata ſacrificia noſſe, negotii nihil erat. Vidit, neceſſe eſſe Miloni proficiſci Lanuvium illo ipſo, quo profectus eſt, die*. Ac deinde: *Atque illo die certè, Ariciâ rediens, divertit Clodius ad Albanum. Quod niſi ſciret Milo, ipſum Ariciæ fuiſſe; ſuſpicari tamen debuit, eum, etiamſi Romam illo die reverti vellet, ad villam ſuam, quæ viam tangeret, diverſurum*. Hinc iter viæ Appiæ ita deſcribitur in Itinerariis Romanis:

LANVVIVM colonia & municipium.

Tabulæ;		Antonini;	
Româ, viâ Appiâ		*Appiâ, ab Vrbe*	
Bobellas	X.	|	
Aricia	III.	*Aricia*	XVI.
Sub Lanubio	....	|	
Tres Tabernas	....	*Tribus Tabernis*	XVII.
....	X.	*Appî Forum*	XVIII.
Terracina	....	*Terracina*	XVIII.

Hinc etiam Livius lib. VIII, *Venerant & ab Lanuvio*, inquit, *Antioque auxilia*. Et apud Strabonem lib. V ita legitur: Μετὰ δὲ τὸ Ἀλβανὸν ὄρος Ἀρικία ἐστὶ πόλις, ἐπὶ τῇ ὁδῷ τῇ Ἀππίᾳ. ὑπέρκειται δ' αὐτῆς τὸ Λαουΐνιον, πόλις Ῥωμαίων, ἐν δεξιᾷ τῆς Ἀππίας ὁδοῦ· ἀφ' ἧς ἐπίοπτος ἥ τε θάλασσά ἐστι καὶ τὸ Ἄντιον. Quæ poſterior interpres Latinus ſic vertit: *Secundum Albanum montem in viâ Appiâ eſt Aricia. ſupra eam ſita eſt Lavinium, urbs Romanorum, in dextro viæ Appiæ latere; unde & mare & Antium conſpici poteſt*. Planum erat diſpectu, non Λαουΐνιον, ſed Λανούϊον, vel Λανούβιον ſcripſiſſe ipſum Strabonem; quando id opidum juxta Appiam viam collocat, unde mare Antiumque proſpiciatur; quando item

do item *Lavinium* jam anteà haud paucis deſcripſerat verbis. Et quid ille novi memoraſſet, à Lavinio proſpici mare; quum id tria haud ampliùs millia à litore diſſitum fuerit; ut ſuperiori capite oſtenſum. Cur autem *Lavinium* dixerit πόλιν Ῥωμαίων; an, quia ab Romanis conditum; an verò, quia hoc magis Romanorum fuit opidum, id eſt, Romanorum ditioni ſubjectum, quàm vel *Aricia* vel omnia reliqua Latii opida? At utrumque falſum. Totum igitur locum ſic reſtituo: Μετὰ δὲ τὸ Ἀλβανὸν ὄρος Ἀρικία ἐστὶ πόλις, ἐπὶ τῇ ὁδῷ τῇ Ἀππίᾳ. ὑπέρκειται δ' αὐτῆς τὸ μὲν Λανούβιον, πόλις ἄποικος Ῥωμαίων, ἐν δεξιᾷ τῆς Ἀππίας ὁδοῦ· ἀφ' ἧς ἔποπτος ἥ τε θάλασσά ἐστι καὶ τὸ Ἄντιον. Id eſt: *Poſt Albanum montem in viâ Appiâ urbs eſt Aricia. ultra eam ſita eſt Romanorum colonia Lanuvium, ad dextrum Appiæ viæ latus: unde mare Antiumque proſpicitur.* Vocatur hodiè vulgò *Cività Lavina*; & corruptiùs *Cività Indovina*. Blondus in Italiâ ſuâ teſtatur, lapidem heic repertum eſſe, qui *Lanuvium* id opidum eſſe oſtenderit. & exſtat heic lapis, qui *imperatoris M. Aurelii Commodi Antonini* meminit, cum hac clauſulâ; S · P · Q · LANIVINVS. Et dictum fuiſſe poſterioribus iſtis temporibus LANIVIVM, alius etiam teſtatur lapis, qui Romæ exſtat, cum his literis: CVR · RP · LANIVINOR. Atque hinc, credo, corruptum eius tandem ortum eſſe vocabulum, quo hodiè quoque vocatur *Cività Lavina*. quod jam Servii ævo ita fuiſſe uſurpatum, haud obſcurè colligitur ex verbis eius ad Virgilii Aeneid. lib. I ita perſcriptis: *Lavinium conſtat* VIII *milliaribus à mari remotum. nec nos debet fallere, quia dixit, Lavina litora. Litus enim dicitur terra quæque mari vicina.* Et ad Aeneid. lib. III: *Is locus urbis erit. id eſt, in ipsâ regione. nam & Lavinium & Albâ longè à litore ſunt.* Hodiéque ab opido *Cività Lavina* ad proximum litus VIII numerantur miliaria. Hinc igitur fuerit, quòd duûm iſtorum opidorum *Lavinii* atque *Lanuvii* vocabula apud alios etiam auctores antiquos perperam permutata legantur. Livius lib. XXVI: *Q. Fulvius quum, Hannibalem Latinâ viâ iturum, ſatis comperiſſet: ipſe per Appiæ municipia, quæque propter eam viam ſunt, Setiam, Soram, Lavinium, præmiſit, ut commeatus paratos & in urbibus haberent, & ex agris deviis in viam proferrent.* Duo heic in paucis verbis ſunt menda. *Sora* quia longè ſuprà *Latinam viam*, circa fonteis Liris amnis ſita eſt, reſtituo pro eâ *Coram*; quæ inter *Setiam* & *Lanuvium* à dextro viæ Appiæ, à Capuâ cum Q. Fulvio ſi Romam eas, latere poſita eſt. *Lanuvium* autem apud ipſam viam eodem latere fuiſſe ſitum, ſupra è Strabone ac Tabulâ itinerariâ intelleximus. Apud Iulium item Obſequentem, in libro de Prodigiis vitioſum eſſe *Lanuvii* vocabulum, quod apud Valer. Maximum lib. I cap. VI rectè ſcriptum eſt, in eâdem hiſtoriâ, *Lavinii*, ſuperiori capite ad huius opidi explicationem oſtendimus. Apud Iul. Capitolinum in vitâ M. Aurelii Antonini Philoſophi, ita legitur: *Exinde Lavinium profectus eſt.* Omnino heic legendum eſſe exiſtimo, *Lanuvium*. nam de huius Antonini ſocero, M. Aurelio Antonino Pio, ita ſcribit Sex. Aurelius Victor in Cæſaribus: *Aurelio Antonino cognomentum* [fuit] *Pii. Hunc ferè nulla vitiorum labes maculavit. Vir veterrimæ familiæ, è Lanuvino municipio, ſenator urbis.* Et paullo pòſt: *Quin etiam maribus fruſtratus, filiæ viro reipublicæ conſultavit. namque M. Boionium, qui Aurelius Antoninus habetur, eodem opido, pari nobilitate, philoſophandi verò eloquentiæque ſtudiis longè præſtantem, in familiam atque imperium adſcivit.* Hinc & ipſe Iul. Capitolinus in Antonino Pio; *Antoninus*, inquit, *Pius natus eſt in villâ Lanuvinâ.* Et Aelius Lampridius in Commodo, Antonini Philoſophi filio: *Natus eſt apud Lanuvium.* Et poſteà: *Adpellatus eſt etiam Romanus Hercules: quòd feras Lanuvii in amphitheatro occidiſſet.* Et deinde: *Bubo etiam ſupra cubiculum eius deprehenſus eſt, tam Romæ, quàm Lanuvii.* Sic etiam ipſe Antoninus Philoſophus, de Vitâ lib. I, Λανούβιον, *Lanuvium*, nominat. Porrò apud Marium Victorinum in Ciceronis Rhetoricorum lib. I: *Milo ad Albanum pervenit. impetus in illum factus eſt. tum ille rejecit penulam: de rhedâ deſiluit: ſe defendit: Clodius occiſus eſt. poſteà quid fecit? profectus eſt Lavinium: flamines creavit.* Geminum ſanè & heic eſſe mendum, ex ſupra ſcriptis ipſius Ciceronis patet verbis. ſcribe igitur: *Profectus eſt Lanuvium: flaminem creavit.* Aſconius Pedianus, in eam Ciceronis orationem commentans: *Milo Lanuvium, ex quo erat municipio, & ibi tum dictator, profectus eſt ad flaminem prodendum.* Apud Ovidium quoque in vulgatis exemplaribus Faſtor. lib. VI, ubi ipſa loquitur Iuno, ita legitur:

Inſpice, quos habeat Nemoralis Aricia faſtos,
Et populus Laurens Laviniumque meum.

Heic

IVNONIS SOSPITAE lucus & templum.

Heic etiam reſcribendum eſt, *Lanuviumque meum*. nam IVNONIS, *cognomento* SOSPITAE, *templum* ac *lucum* cum magnâ veneratione apud *Lanuvium* fuiſſe, complures adnotarunt ſcriptores. Livius lib. VIII: *Lanuvinis civitas data; ſacraque ſua reddita, cum eo, ut ædes lucusque Soſpitæ Iunonis communis Lanuvinis municipibus cum populo Romano eſſet*. Et lib. XX: *Lanuvii haſtam ſe commoviſſe, nunciatum eſt; & corvum in ædem Iunonis devolaſſe*. Mox: *Donum ex auro pondo* XL *Lanuvium Iunoni portatum eſt*. Et lib. XXII: *Decretum, ut Iunoni Soſpitæ Lanuvii maioribus hoſtiis ſacrificaretur*. Lib. XXIII: *Signa Lanuvii ad Iunonis Soſpitæ cruore manavêre: lapidibusque circa id templum pluit*. Lib. XXIIII: *Lanuvii in æde intus Soſpitæ Iunonis corvos nidum feciſſe*. Cicero fine Orationis pro L. Murænâ: *Date hoc ipſius pudori; date patri mortuo; date generi & familiæ: date etiam Lanuvio, municipio honeſtiſſimo: quod in hac tota cauſa frequens mæſtumque vidiſtis. nolite à ſacris patriis Iunonis Soſpitæ, cui omneis conſules facere neceſſe eſt, domeſticum & ſuum conſulem potiſſimum avellere*. Apud Silium igitur etiam rectè pro vulgato vocabulo *Lavino* reſtituitur *Lanuvium*. Lib. VIII; ubi Latii opida enumerat:

Sacra manus Rutuli, ſervant qui Daunia regna,
Laurentique domo gaudent & fonte Numici:
Quos Caſtrum Phrygibusque gravis quomdam Ardea miſit.
Quos, celſa devexa jugo Iunonia ſedes,
Lanuvium, ac altrix caſti Collatia Bruti:
Quique immite nemus Triviæ; quique oſtia Tuſci
Amnis amant.

Et lib. XIII; ubi, Capuâ occupatâ, Fulvius dona diſtribuit militibus:

Lanuvio generate, inquit, quem Soſpita Iuno
Dat nobis, Milo, Gradivi cape victor honorem;
Tempora murali cinctus turrita coronâ.

Porrò apud Appianum Civil. bellor. lib. II ita ſcriptum: Βαρυθυμῶν δὲ ὁ Μίλων, εἰς τὴν πατρίδα Λαβουίνιον ἐξῄει. ἣν Διομήδη φασὶν, ἀλόμενον ἐξ Ἰλίου, πρώτην ἐν τῇ Ἰταλίᾳ πόλιν οἰκῆσαι. καὶ εἰσὶν ἀπὸ Ῥώμης ἐς αὐτὴν στάδιοι πεντήκοντα καὶ ἑκατόν. Corruptum eſſe locum, etiam ante me interpres Latinus arguit; qui *Lavinium*, &c, *poſt captum Ilium* vertit; id eſt Græcè, Λαουίνιον, & ἀλομένου τοῦ Ἰλίου. Attamen iſtud minùs rectè factum, quòd pro *Diomedis* nomine ſubjecerit *Aeneam*, ſuperiori capite in expoſitione *Lavinii* patuit. Totus igitur locus ſic vertendus erat: *Aegrè id ferens Milo, profectus eſt in patriam ſuam Lavinium. quam primam fertur Diomedes, poſt captum Ilium, in Italiâ condidiſſe urbem; diſſitam ab Româ ſtadia* CL. Id eſt, millia paſſuum XX; more ævi Appiani VII ſtadia cum dimidio in ſingula milliaria computando. quod equidem juſtum erat Romam inter & Lanuvium intervallum. verùm Appianus, qui aliàs quoque haud ſemel erraſſe in talibus deprehenditur, tam facilè heic nominum ſimilitudinibus confundi potuit, quàm Aelianus, natione Latinus, ac domo Prænestinus: quod opidum & ipſum XX millia ab Lanuvio abeſt. is quidpe Hiſtor. animal. lib. XI cap. XVI ita tradit: Ἴδιον δὲ ἦν ἄρα τῶν δρακόντων καὶ μαντική. ἐν γοῦν Λαουϊνείῳ τῷδε τῷ πολίσματι, ὅπερ τῆς Λατίνων χώρας ἐστὶ, κέκληται δὲ ἀπὸ τῆς Λατίνου θυγατρὸς Λαουϊνείας, ἡνίκα Λατῖνος Αἰνείᾳ συνεμάχησε κατὰ τῶν καλουμένων Ῥουτούλων, εἶτα ἐνίκησεν αὐτούς· ᾤκισε δὲ Αἰνείας ὁ Ἀγχίσου, ὁ Τρώς, τὴν πόλιν τὴν προειρημένην. εἴη δ' ἂν τῆς Ῥώμης μητρομήτωρ, ὡς ἂν εἴποι τις· ἐντεῦθεν γὰρ ὁρμηθεὶς Ἀσκάνιος, ὁ Αἰνείου καὶ Κρεούσης, τῆς Τρωάδος, ᾤκισε τὴν Ἄλβαν. Ἀλβανῶν δὲ ἡ Ῥώμη ἄποικος. Οὐκοῦν ἐν τῷ Λαουϊνείῳ ἄλσος ἵδρυται μέγα καὶ δασὺ, καὶ ἔχει πλησίον νεὼν Ἥρας Ἀργολίδος· ἐν δὲ τῷ ἄλσει φωλεός ἐστι μέγας καὶ βαθὺς, καὶ ἔστι κοίτη δράκοντος. Hoc eſt: *Draconum quoque peculiaris erat divinatio. nam & apud Lavinium, Latii opidum, (quod nomen accepit ab Laviniâ, Latini filiâ, quo tempore Latinus unà cum Aeneâ bellum geſſit contra Rutulos, eosque vicit: & condidit Aeneas Troianus, Anchiſæ filius, prædictum opidum: quod Romæ quaſi avia dici poſſit. ex hac quidpe profectus Aſcanius, Aeneæ & Creüſæ Troianæ filius, Albam condidit: cuius colonia eſt Roma.) apud Lavinium hoc, inquam, ſacer eſt lucus, magnus & opacus; juxtaque eum ædes Iunonis Argolicæ: in luco verò antrum eſt amplum ac profundum; quod draconis eſt cubile*. Heic Aelianum *Lavinium* nominaſſe, dubitare haud licet; quando à Latini filiâ *Laviniâ* denominatum, indeque *Albam* coloniam deductam fuiſſe, diſertè adſeverat. At *templum* hoc & *nemus Iunonis Argolicæ* fuiſſe idem, quod *Iunonis Soſpitæ* alii vocant apud *Lanuvium* opidum, ad viam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Appiam; heicque *draconis* iſtud fuiſſe *antrum*, teſtis luculentiſſimus eſt Propertius lib. IIII eleg. VIII, his verbis:

Lanuvium annoſi vetus eſt tutela draconis;
Heic, ubi Tartareæ non perit hora moræ:
Quà ſacer abripitur cæco deſcenſus hiatu;
Quà penetrant virgo. tale iter omne cave,
Ieiuni ſerpentis honos quum pabula poſcit
Annua; & ex imâ ſibila torquet humo.
Talia demiſſæ pallent ad ſacra puellæ;
Quum temerè anguineo creditur ore manus.
Ille ſibi admotas à virgine corripit eſcas.
Virginis in palmis ipſa caniſtra tremunt.
Si fuerint caſtæ, redeunt in colla parentum:
Clamantque agricolæ, Fertilis annus erit.
Huc mea detorſis avecta eſt Cynthia mannis.
Cauſa fuit Iuno; ſed mage cauſa Venus.
Appia dic, quæſo, quantum te teſte triumphum
Egerit, effuſis per tua ſaxa rotis.

Quum opidum *Lanuvium* in colle ſitum ſit, in latere huius collis ſub ipſo ſtatim opido, fuiſſe *lucum Iunonis Soſpitæ* cum antro ac templo, ex his perſpicitur Silii verbis dicto lib. VIII: *Quos Caſtrum Phrygibusque gravis quondam Ardea miſit;*
Quos, celſo devexa jugo Iunonia ſedes,
Lanuvium.

Ingentem quomdam in templo fuiſſe theſaurum, Iunoni ſacratum, auctor eſt Appianus Bellor. civil. lib. V; ubi ita ſcribit de Cæſare Auguſto: Ὁ δὲ Καῖσαρ ἐκ τῶν ἱερῶν ἐδανείζετο τὰ χρήματα, σὺν χάριτι ἀποδώσειν ὑπισχνούμενος, ἀπό τε Ῥώμης ἐκ τοῦ Καπιτωλίου, καὶ ἀπὸ Ἀντίου καὶ Λανουβίου καὶ Νεμοῦς καὶ Τίβυρος· ἐν αἷς μάλιστα πόλεσι καὶ νῦν εἰσὶ θησαυροὶ χρημάτων ἱερῶν δαψιλεῖς. Id eſt: *Cæſar è fanis pecunias accipiebat mutuo; promittens, ſe redditurum cum fænore: è Capitolio, Antio, Lanuvio, Nemore, ac Tibure. in quibus opidis hodiè quoque ſunt theſauri copioſi ſacræ pecuniæ.* Cæterùm opidum hoc conditum, vel ſaltem, pulſis inde primis cultoribus Siculis, habitatum fuiſſe à primis mox Latinis, id eſt, Aboriginibus atque Pelaſgis, ex eo colligere datur, quòd *Iuno* iſta *Soſpita* Aeliano cognominatur *Argolica*. nam ab *Argo* ex Pelopenneſo profectus fuiſſe primos Pelaſgos, qui primùm in Theſſaliâ, mox verò in Aſiæ proximis litoribus, ac tandem in Italiâ habitarunt, ſuprà lib. II cap. I & lib. III cap I oſtenſum eſt. Et priſci Latii fuiſſe opidum, non finitimorum Volſcorum, teſtes ſunt maximè Dionyſius ac Livius Pliniusque ſecundùm hos Cicero. quorum hic in oratione pro L. Cornelio Balbo; *Itaque & ex Latio*, inquit, *multi & ex Tuſculani & Lanuvini, & ex cæteris generibus gentes univerſæ in civitatem ſunt receptæ; ut Sabinorum, Volſcorum, Hernicorum.* Livius ſuprà dicto lib. VIII: *Aemilius ad Pedum exercitum duxit. Pedanos tuebatur Tiburs, Prænestinus, Veliternusque populus. venerant & ab Lanuvio Antioque auxilia.* Poſteà: *Neque tamen niſi admodùm à paucis populis Pedani adjuti ſunt. Tiburtes Præneſtinique, quorum ager propior erat, Pedum pervenêre. Aricinos Lanuvinosque & Veliternos, Antiatibus Volſcis ſe conjungenteis, ad Aſturæ flumen Mœnius improviſò adortus fudit.* Mox: *Nec quievêre antè, quàm, expugnando aut in deditionem accipiendo ſingulas urbeis, Latium omne ſubegêre.* Mox item: *Quod bello armisque in Latio agendum fuit, id jam deûm benignitate ac virtute militum an finem venit. cæſi ad Pedum Aſturamque ſunt exercitus hoſtium. opida Latina omnia, & Antium ex Volſcis, aut vi capta aut recepta in deditionem, præſidiis tenentur veſtris. Reliqua conſultatio eſt, quoniam rebellando ſæpiùs nos ſolicitant, quonam modò perpetuâ pace quietos obtineamus. Dii immortales ita vos potenteis huius conſilii fecerint, ut, ſit Latium deinde, an non ſit, in veſtrâ manu poſuerint.* Haud multo pôſt: *Relatum de ſingulis populis; decretumque. Lanuvinis civitas data; ſacraque ſua reddita, cum eo, ut ædes lucusque Soſpitæ Iunonis communis Lanuvinis populis municipibus cum populo Romano.* Refert hæc Livius in conſulatu L. Furii Camilli & C. Mænii Nepotis; id eſt, anno urbis Romæ CCCCXVI. At ex Faſtis conſularibus ac triumphis ducum Romanorum, quorum fragmentum Romæ in Capitolio exſtat, ita refert:

L·FVRIVS·SP·F·M·N·CAMILLVS·COS·DE·PEDANEIS·ET·TIBVRTIBVS·AN·CDXV·IIII·K·OCT
C·MAENIVS·P·F·P·N·COS·DE·ANTIATIBVS·LAVINEIS·VELITERNEIS·AN·CDXV·PRIDIE·K·OCT

Quamquàm ipſe hoc marmor in Capitolio inſpexerim, totumque perlegerim; tamen, Sigonii aliorumque diligentiæ fidens, non exſcripſi. nec ſatis nunc memini, LAVINEIS, ut refert Sigonius, an LANVVINIEIS illic perſcriptum ſit. Sigonius certè ad fidem huius marmoris audacter apud Livium quoque præſcripto loco pro *Lanuviniis* legit *Lavinios*. At *Lanuvinos* intellexiſſe ſcripſiſſeque Livium, ex Iunonis Soſpitæ argumento clarè patet. Quòd ſi igitur ſic habet prædictum marmor; ſanè in nomine illic erratum eſt. In annorum collectione haud rarò ibidem à diligentiorum computatione variatum. Hinc etiam Plinius lib. XXXIIII cap. V; *Antiquior*, inquit, *columnarum celebratio; ſicut C. Mænio; qui devicerat priſcos Latinos: quibus ex fœdere tertias prædæ populi Romani præſtabat: eodemque in conſulatu in ſuggeſtu roſtra devictis Antiatibus fixerat, anno Vrbis* CCCCXVI. Sed antiquiſſima *Lanuvinorum* memoria exſtat apud Dionyſium lib. V, in conſulatu T. Lartii Flavi & Q. Clœlii Siculi, anno Vrbis Romæ CCLV; anno XII poſt reges exactos. ubi inter alios Latini nominis populos, qui apud lucum Ferentinæ concilio coacto bellum in Romanos decreverant, etiam Λανουῖνοι, Λαβινιᾶται & Λαβικανοὶ, id eſt, *Lanuvini, Laviniates*, ac *Labicani*, connumerantur. quamquam *Lanuvinorum* vocabulum illic, ut plerorumque aliorum, corruptum eſt in Λανουΐων. *Municipium* factum eſſe *Lanuvium* in prædicto L. Furii Camilli & C. Mænii conſulatu, apertè teſtatur Livius. unde etiam à Cicerone, & commentatoribus eius Aſconio Pediano ac Mario Victorino, & item ab Sex. Aurel. Victore *municipium* vocatur, locis ſuprà memoratis. & Tacitus Annal. lib. III, *Sulpicius*, inquit, *Quirinius ortus apud municipium Lanuvium*. Sed & *coloniam* huc à Iulio Cæſare deductam, teſtatur Frontinus in libro de Coloniis: *Lanuvium*, inquit, *muro ducta colonia, deducta eſt à divo Iulio*. Mox: *Poſteà imperator Hadrianus colonis ſuis agrum adſignari juſſit*. Imò & ante Cæſarem colonia deducta fuit. Epitomator Livii lib. LXXX: *Marius Antium & Ariciam & Lanuvium colonias devaſtavit*. In vulgatis equidem exemplaribus eſt *Lavinium*. Verùm hoc opidum jam tum nullâ fuiſſe celebritate, ſuperiori capite oſtenſum. & diſertè Appianus Civil. bellor. lib. I: Μάριος δὲ εἷλε Ἄντιον καὶ Ἀρικίαν καὶ Λανούβιον. id eſt: *Marius cepit Antium & Ariciam Lanuviumque*. Colonia haud dubiè huc deducta erat paullo antè ab Syllâ; ut & Ariciam; de qua Frontinus in libro de Coloniis; *Aricia*, inquit, *opidum lege Syllanâ eſt munitum*. Hinc igitur cenſeo, Strabonem, ut ſuprà dixi, ſcripſiſſe, τὸ Λανούβιον, πόλις ἄποικος Ῥωμαίων· id eſt; *Lanuvium, Romanorum colonia*.

Cæterùm Lanuvini agri fuit SOLONIVS CAMPVS ſive AGER; Ciceroni, Livio, Plutarcho, ac Feſto celebratus. Cicero divination. lib. I; *Quid amores & deliciæ tuæ, Roſcius? num aut ipſe aut pro eo Lanuvium totum mentiebatur? qui quum eſſet in cunabulis educareturque in Solonio, qui eſt campus agri Lanuvini, noctu, lumine adpoſito, experrecta nutrix animadvertit puerum dormientem circumplicatum ſerpentis amplexu*. Et lib. II: *De ipſo Roſcio poteſt illud quidem eſſe falſum, ut circumligatus fuerit angvis. ſed ut in cunis fuerit angvis, non tam eſt mirum: in Solonio præſertim; ubi apud focum angves nidulari ſolent*. Item ad Atticum lib. II epiſt. III: *Eſt res ſanè magni conſilii. nam aut fortiter reſiſtendum eſt legi Agrariæ; in quo eſt quædam dimicatio, ſed plena laudis: aut quieſcendum; quod eſt non diſſimile; atque ire in Solonium, aut Antium*. Livius lib. VIII: *Antiates in agrum Oſtienſem, Ardeatem, Solonium, incurſiones fecerunt*. Plutarchus in Mario, Τῶν δὲ περὶ αὐτὸν, ὡς πρῶτον ἐξέπεσε τῆς πόλεως, διασπαρέντων, σκότους ὄντος, εἴς τι τῶν ἐπαυλίων αὐτοῦ Σολώνιον κατέφυγε· καὶ τὸν μὲν υἱὸν ἔπεμψεν, ἐκ τῶν Μουκίου τοῦ πενθεροῦ χωρίων, οὐ μακρὰν ὄντων, τὰ ἐπιτήδεια ληψόμενον· αὐτὸς δὲ καταβὰς εἰς Ὠστίαν, φίλου τινὸς Νουμερίου πλοῖον αὐτῷ παρασκευάσαντος, οὐκ ἀναμείνας τὸν υἱόν, ἀλλὰ Γράνιον ἔχων μετ' αὐτοῦ τὸν πρόγονον, ἐξέπλευσεν. Ὁ δὲ νεανίας, ὡς ἦλθεν εἰς τὰ χωρία τοῦ Μουκίου, καὶ λαμβάνων τε καὶ συσκευαζόμενος, ἡμέρας καταλαβούσης, οὐ παντάπασι τοὺς πολεμίους διέλαθεν. Hoc eſt: *Catervâ eius, ut primùm elapſus eſt Vrbe, diſſipatâ, primis tenebris recepit ſe in villam quamdam ſuam Solonium. Filium inde, ut viaticum ſumeret, miſit ad prædia Mucii, ſoceri eius, haud procul inde diſſita. ipſe ad Oſtiam deſcendit; ubi amicus eius Numerius paraverat ei navigium. nec exſpectato filio, ſed comite privigno Granio, navem ſolvit. Filius, ut in prædia Mucii vênit; dum ſumit*

SOLONIVS *campus*.

aliquid

aliquid & componit, luce oppreſſus, non omnino feſellit hoſteis. Satis clarè ex hac hiſtoriâ patet, idem *Solonium* intellexiſſe Plutarchum, quod Cicero atque Livius. nam unâ nocte cuncta iſta geſta ſunt. unde propinquitas locorum colligitur. Pompeius Feſtus: *Pomonal eſt in agro Solonio, viâ Oſtienſi, ad duodecimum lapidem, diverticulo à milliario octavo.* Ergo ex hac deſcriptione *Solonius* ager fuit is, qui inter Numicii Iuturnæque fonteis ſive inter Sabellum Patricamque opida ſternitur: in quo loca nunc vulgaribus vocabulis ſunt *S. Abrocolo, Torre Maggiore, Carqueto.* Vnde id agro ſeu campo cognomen olim fuerit quæſitum, haud equidem diſpicio. eſſe tamen derivativum vocabulum, vel inde liquet, quòd & Marii & Ciceronis in eo *villa* eodem vocabulo dicebatur SOLONIVM.

TELLENA, FICANA, *opida.*

Eodem hoc tractu, ſupra Lavinium Laurentumque & Oſtiam fuêre antiquiſſimis temporibus duo opida, quorum alterum Τελλήνη, TELLENE, ſive TELLENA, ſeu plurali numero Τελλῆναι, TELLENAE, alterum FICANA adpellabatur. Plinius lib. III cap. V: *Præterea fuêre in Latio clara opida, Satricum, Pometia, Scaptia, Pitulum, Politorium, Tellene, Tifata, Canina, Ficana, Cruſtumerium, Ameriola, Medullia, Corniculum, Antemnæ, Camerium, Collatia.* Strabo lib. V: Ἕρνικοι δὲ πλησίον ᾤκουν τῷ τε Λαουϊνίῳ καὶ τῇ Ἄλβᾳ καὶ αὐτῇ τῇ Ῥώμῃ. οὐκ ἄπωθεν δ᾽ οὐ Ἀρικία καὶ Τελλῆναι καὶ Ἄντιον. Id eſt: *Hernici Lavinio erant & Albæ propinqui, ipſique Romæ. nec procul inde Aricia, Tellenæ, & Antium.* Quum falſum ſit hoc de Hernicorum ſitu; ut qui ultra Aequos atque Latinos incoluerint opida *Ferentinum, Anagniam, Aletrium, Verulum*; de *Tellenarum* quoque ſitu haud ſatis tutò crediderimus Straboni. Fuiſſe prope *Ficanam*, ex Livii lib. I quodammodò colligere licet; ubi de regis Anci Marcii bellis agit: *Aventinum,* inquit, *novæ multitudini datum. additi eidem haud ita multo pòſt, Tellenis Ficanâque captis, novi cives.* At de *Ficanâ* ita Pompeius Feſtus: *Puilia ſaxa eſſe ad portum, qui ſit ſecundùm Tiberim, ait Fabius Pictor. quem locum putat Labeo dici, ubi fuerit Ficana, viâ Oſtienſi, ad lapidem undecimum.* Ergo *Ficana* fuit duo millia paſſuum ſupra Oſtiam; quam XIII millia ab urbe Româ abeſſe, ſuperiori capite oſtenſum. Locus autem ubi *Ficana* fuerat, poſteà PVILIA SAXA dictus; teſte Fabio Pictore. Quum igitur Strabo *Tellenas* circa Lavinium, Antium & Ariciam ſtatuat, Livius verò eaſdem & *Ficanam* conjungat; maximè credibile eſt, eodem duo hæc opida tractu fuiſſe: *Ficanam* ad viam Oſtienſem; *Tellenas* inter hanc & Lanuvium ſive Solonium campum. Ex præcipuis Latii fuiſſe opidis Tellenas, auctor eſt Dionyſius lib. III: Μάρκιος δὲ Τελλήνην, inquit, πόλιν τῶν Λατίνων ἐπιφανῆ, κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον, ἐκ παρατάξεώς τε νικήσας, καὶ διὰ τειχομαχίας παραστησάμενος· τοὺς τε ἁλόντας οὐδὲν, ὧν εἶχον, ἀφελόμενος, εἰς Ῥώμην μετήνεγκεν ἐκ τῆς πόλεως, καὶ εἰς κατασκευὴν οἰκιῶν τόπον ἀπεμέρισε. Μεδυλλίαν τε τριετῆ χρόνον ὑπὸ τοῖς Λατίνοις γενομένην τῷ τετάρτῳ κομίζεται πάλιν ἐνιαυτῷ πολλαῖς καὶ μεγάλαις παραστησάμενος μάχαις. Καὶ μετ᾽ οὐ πολὺ τὴν Φικάναν αἱρεῖ πόλιν· ἣν τρίτῳ πρότερον ἐνιαυτῷ λαβὼν καθ᾽ ὁμολογίας, καὶ τὸν ἐξ αὐτῆς ἅπαντας εἰς Ῥώμην μεταγαγὼν, ἄλλο δὲ τῆς πόλεως οὐδὲν κακώσας, ἐπιεικέστερον μᾶλλον ἢ φρονιμώτερον ἔδοξε βουλεύσασθαι. ἀποίκους γὰρ ἀποστείλαντες εἰς αὐτὴν οἱ Λατῖνοι, καὶ τὴν χώραν αὐτῶν διακατέχοντες, αὐτοὶ τὴν Φικάναν ἐκάρπουν· ὥστε ἠναγκάσθη πάλιν ὁ Μάρκιος τὸ δεύτερον ἐπὶ τὴν πόλιν στρατεῦσαι, καὶ μετὰ πολλῆς πραγματείας κύριος αὐτῆς καταστὰς, ἐμπρῆσαί τε τὰς οἰκίας καὶ τὰ τείχη κατασκάψαι. Hoc eſt: *Eodem tempore Marcius Tellenas quoque, nobile Latinorum opidum, vi cepit; acie primùm, mox oppugnatione victor. opidanos, nullâ bonorum portione mulctatos Romam tranſtulit: & locum, in quo domicilia ſtruerent, adſignavit. Medulliam quoque, per triennium à Latinis detentam, quarto demum anno multis & acribus expugnatum prœliis recepit. Nec multo pòſt Ficanam expugnavit. quam quum ante triennium per deditionem cepiſſet; &, cunctis opidanis Romam tranſlatis, nullo alio detrimento adfeciſſet; mitius quàm prudentius conſilium ſequutus videbatur. quidpe Latini colonis eò miſſis, & agris eorum occupatis, ipſi fructus è Ficanâ percipiebant. quamobrem Marcius eam bello repetere coactus eſt; magnoque negotio ſubactæ domos incendere, ac mœnia diruere.* Omnia hæc de POLITORIO opido prædicat Livius dicto lib. I: *Tellenis,* inquit, *Ficanâque captis, Politorium rurſus bello repetitum: quod vacuum occupaverant priſci Latini. eaque cauſa diruendæ urbis eius fuit Romanis, ne hoſtium ſemper receptaculum eſſet.* Verùm eadem fuit Politorii, quæ Ficanæ fortuna. Dionyſius tamen ante Ficanam Tellenaſque Politorium bis captum dirutumque narrat continuò antè. Eodem cum Tellenis Ficanâque an fuerit tractu, planè incertum eſt.

At co-

At eodem tractu circa Tiberim fuit locus, à Pici regis uxore Canente dictus Canens. Ovidius Transformat. lib. xiiii, poſtquàm de Pico, cuius regio ferebatur Laurentum opidum, narravit, qua ratione is, in Laurentinis ſilvis venationi intentus, à Circe in picum avem mutatus eſt, ita de uxore eius pergit:

Preſſerat occiduus Tarteſſia litora Phœbus,
Et fruſtra conjux oculis animoque Canentis
Exſpectatus erat. famuli populusque per omneis
Discurrunt ſilvas, atque obvia lumina portant.
Nec ſatis eſt nymphæ flere & lacerare capillos,
Et dare plangorem. facit hæc tamen omnia: ſeque
Proripit; ac latos errat veſana per agros.
Sex illam noctes, totidem redeuntia Solis
Lumina, viderunt inopem ſomnique cibique,
Per juga, per valleis, quà ſors ducebat euntem.
Vltimus adſpexit feſſam luctuque viâque
Tybris, & in gelidâ ponentem corpora ripâ.
Illic cum lacrymis ipſos modulata dolores,
Verba ſono tenui mærens fundebat: ut olim
Carmina jam moriens canit exſequialia Cygnus.
Luctibus extremùm tenueis liquefacta medullas,
Tabuit; inque leveis paullatim evanuit auras.
Fama tamen ſignata loco eſt. quem ritè Canentem
Nomine de nymphæ veteres dixêre coloni.

Quo ſitu locus is apud Tiberis lævam ripam fuerit, incertum eſt.

At ultra Lanuvium Ariciamque & Albanum montem verſùs ſeptemtriones, ab urbe autem Româ verſùs orientem, erat Tvscvlvm *opidum*; Livio, Dionyſio Halicarnaſſenſi, Diodoro, Straboni, Valerio Maximo, Ptolemæo, Aemilio Probo, Stephani epitomatori, & aliis memoratum. Ptolemæus equidem, & item Dio lib. lviii, Latinâ formatione vocabulum id habent Τούσκλον. at Straboni lib. v & Plutarcho in Cicerone eſt δισύλλαβον, Τοῦσκλον· Dionyſio verò & Stephani epitomatori ſimplici vocali Τύσκλον· quemadmodùm Picentium urbs *Aſculum* Græcis dicebatur Ἄσκλον· & Hiſpaniæ urbs *Caſtulo*, Κάστλων· item Romanorum virorum nomina *Catulus* & *Lentulus*, Κάτλος, Λέντλος, & id genus complura alia. Apud Stephani epitomatorem leguntur iſta: Τύσκλος, πόλις Ἰταλίας. λέγεται καὶ Τυσκλανόν. τὸ ἐθνικὸν Τυσκλανός. Id eſt: *Tuſculum, Italiæ urbs. dicitur & Tuſculanum. gentilitium inde eſt Tuſculanus.* Vt infinitis aliis apud hunc auctorum locis, ita heic etiam mendum eſſe puto in voce Τυσκλανόν· pro qua reſcripſerim Τοῦσκυλον. nam haud dubiè indicare Stephanus voluit, promiſcuè id opidi nomen ſcribi, modò duabus, modò tribus ſyllabis. Cæterùm opidani inde Latinis auctoribus paſſim adpellantur Tvscvlani. at poëtis gentilitium etiam *Tuſculus* dicitur; ut infra videbimus. Situm opidi Dionyſius maximè atque Strabo indicant. quorum hic ita tradit dicto lib. v: Ἐν ὄψει δ᾽ εἰσὶ τοῖς ἐν Ῥώμῃ Τίβουρα τε καὶ Πραίνεστος καὶ Τοῦσκλον. id eſt: *In conſpectu Romæ ſunt, Tibur, Præneſte, Tuſculum.* Paullo pôſt; *Tibure atque Præneſte deſcriptis,* Ῥεῖ δὲ διὰ τῆς χώρας Οὐέρεσις ποταμός. πρὸς ἕω δὲ τῆς Ῥώμης εἰσὶν αἱ λεχθεῖσαι πόλεις. Ἐνδοτέρω δὲ τῆς κατ᾽ αὐτὰς ὀρεινῆς ἄλλη ῥάχις ἐστὶ, μεταξὺ αὐλῶνα καταλείπουσα, τὸν κατὰ Ἄλγιδον, ὑψηλὴ μέχρι τοῦ Ἀλβανοῦ ὄρους. ἐπὶ ταύτης δὲ τὸ Τοῦσκλον ἵδρυται, πόλις οὐ φαύλως κατεσκευασμένη· κεκόσμηται δὲ ταῖς κύκλῳ φυτείαις καὶ οἰκοδομίαις, καὶ μάλιστα ταῖς ὑποπιπτούσαις ἐπὶ τὸ κατὰ τὴν Ῥώμην μέρος. τὸ γὰρ Τοῦσκλον ἐνταῦθά ἐστι λόφος εὔγεως καὶ ἔνυδρος, κορυφούμενος ἠρέμα πολλαχοῦ, καὶ δεχόμενος βασιλείων κατασκευὰς ἐκπρεπεστάτας· συνεχῆ δ᾽ ἐστὶ καὶ τὰ τῷ Ἀλβανῷ ὄρει ὑποπίπτοντα, τὴν αὐτὴν τε ἀρετὴν ἔχοντα καὶ κατασκευήν. Hoc eſt: *Per eam regionem Vereſis amnis fertur. Dictæ autem urbes ab Româ ad ortum versùs ſitæ ſunt. Intra montium jugum, ad quod ea ſunt conditæ, aliud eſt dorſum ſublime, convallem relinquens, quæ eſt ad Algidum; ad Albanum usque montem adſurgens. Hoc in dorſo Tuſculum eſt poſitum; urbs minimè contemnendo adparatu. nam circumquaque exornata eſt plantis atque ædificiis; maximè, qua parte Romam proſpicit. ibi namque Tuſculum habet collem, terræ bonitate & aquarum copiâ præclarum: qui multis partibus ſenſim attollitur; regia ædificia, pulcherrimè exſtructa ſuſtinens. Huic continenter adjacent loca ſub Albano monte; & naturâ & ornamentis ædificiorum eiſdem prædita.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

prædita. Adeò hi colles, in quibus *Tuſculum* ſitum, Albano monti adpropinquant atque cohærent, uti ἀποσπασμάτιόν τι καὶ ἀπορρῶξ, id eſt, *pars quædam avulſa Albani videri poſſint*. Ab ipſo opido dicti fuêre TVSCVLANI *montes*, ſeu TVSCVLANI *colles*. Martialis lib. IIII epigram. LXIIII:

Albanos quoque Tuſculosque colleis.

Algidum Aequorum opidum fuiſſe eo loco in hac valle inter Fraſcatium & Marinum opida, quo nunc publicum conſpicitur diverſorium *L'Oſteria*, ſuprà lib. II cap. XVI oſtenſum eſt. hinc igitur Livius lib. III, Aequorum narrans expeditionem, *Per Labicanos agros in Tuſculanos colleis transierunt*. Et mox: *Sequuti famam & veſtigia Hernici Latinique, obvii fiunt deſcendentibus à Tuſculano in Albanam vallem*. Et aliquanto pôſt: *Lucretium, dum in Hernicis ſedet, prædonum agmen fefellit, ſupra monteis Præneſtinos ductum. inde demiſſum in campos, vaſtavêre agros Præneſtinum Gabinumque. ex Gabino in Tuſculanos flexêre colleis*. Campos intelligit, qui ſunt inter Præneſtinos Tuſculanosque monteis. Vallem autem Albanam eſſe eam, per quam via Latina ferebat inter Tuſculanos Albanosque monteis ad Algidum opidum, ſuprà ad explicationem Albani montis oſtenſum. At *Tuſculani* iſti *colles* Straboni dicuntur Τουσκλανὸν ὄρος, TVSCVLANVS *mons*. Verba eius dicto anteà lib. V hæc ſunt: Ἄρχεται δ' ἡ Λατίνη ὁδὸς ἀπὸ τῆς Ἀππίας, ἐν ἀριστερᾷ ἀπ' αὐτῆς ἐκτρεπομένη πλησίον Ῥώμης· εἶτα διὰ τοῦ Τουσκλανοῦ ὄρους ὑπερβᾶσα, μεταξὺ Τούσκλου πόλεως καὶ τοῦ Ἀλβανοῦ ὄρους, κάτεισιν ἐπὶ Ἄλγιδον πολίχνιον. Id eſt: *Incipit via Latina ab Appiâ, ad ſiniſtram ab eâ prope Romam deflectens: transiensque ſuper Tuſculanum montem, inter Tuſculum urbem & montem Albanum, tendit ad Algidum opidulum*. Ex his igitur omnibus clarè patet, eos fuiſſe *Tuſculanos colleis*, in quibus nunc *opidum* vulgari vocabulo *Fraſcàti* conſpicitur. Eutropius lib. I: *Tarquinius Tuſculum ſe contulit. quæ civitas non longè ab Vrbe abeſt*. Dionyſius lib. X: Ἐπὶ πόλιν ἀφικνοῦνται Τυσκλανῶν· ἥ ἐστι μὲν τοῦ Λατίνων ἔθνους, ἀφέστηκε δὲ τῆς Ῥώμης οὐκ ἔλαττον σταδίων ἑκατόν. Id eſt: *Ad Tuſculanorum opidum Latini nominis perveniunt; haud minus centum ſtadiis ab Româ diſſitum*. Ioſephus Antiquitat. Iudaicar. lib. XVIII cap. VIII: Τιβέριός τε ἐκ τῶν Καπρέων εἰς Τουσκλανὸν παραγίνεται, ὅσον ἀπὸ σταδίων ἑκατὸν τῆς Ῥώμης. Hoc eſt: *Tiberius à Capreis venit Tuſculanum, ſtadia circiter centum à Româ diſſitum*. Id eſt, millia XII & paſſus 10. Ergo circa ipſum opidum Fraſcatium fuit *Tuſculum*. Sanè exſtant hodiéque ſuper *Fraſcatium* in eodem clivo ingentes murorum reliquiæ: quæ ſitu atque intervallo XII ab Româ millium, Tuſculum heic fuiſſe, ut omnes docti arbitrantur viri, apertè indicant. De nomine opidi hæc tradit Pompeius Feſtus: *Tuſcos quidam dictos aiunt à Tuſco rege, Herculis filio. alii, quòd unicè ſtudioſi ſint ſacrificiorum, ex Græco, velut* θυοσκόοι. *unde Tuſculum ab eâdem causâ ſacrificiorum: vel, quòd aditum difficilem habeat*: id eſt, δύσκολον. Sanè grammaticum hoc eſt nugamentum; quando in leniter adſurgente ſitum eſt opidum clivo. Idem Feſtus de conditore opidi: *Mamiliorum familia progenita fuit à Mamiliâ, Telegoni filiâ: quam Tuſculi procreaverat, quando id opidum ipſe condidiſſet*. Eumdem conditorem alii etiam tradidêre auctores. Ovidius Faſtor. lib. III:

Inter Aricinos Albanaque tempora conſtat,
Factaque Telegoni mœnia celſa manu.

Silius lib. XII: ubi Hannibal viâ Latinâ exercitum ducit à Capuâ ad Romam:

Iamque adeò eſt campos ingreſſus & arva Labici:
Linquens Telegoni pulſatos ariete muros.
Haud dignam inter tanta moram: nec amœna retentant
Algida, nec juxtà Iunonis tecta Gabinæ:
Præceps ad ripas immani turbine fertur,
Sulfureis gelidus quà ſerpit leniter undis
Ad genitorum Anio, labens ſine murmure, Tybrim.

Statius Silvar. lib. I carm. III:

Cedant Telegoni, cedant Laurentia Turni
Iugera.

Propertius lib. II eleg. XXXII:

Nam quid Præneſtis dubias, ô Cynthia, ſorteis,
Quid petis Aeæi mœnia Telegoni?

Silius lib. VII:

At

TVSCVLANI colles.

At Cato tum primâ ſparſus lanugine malas:
Quod peperêre decus Circæo Tuſcula dorſo
Mœnia, Laërtæ quondam regnata nepoti.

Propertius Aeæum cognominat Telegonum, ab inſulâ Aeæâ, quam mater eius *Circe* incolebat; ut ſuo loco oſtendetur: & indidem Silius *Circæum* adpellat *dorſum*, in quo *Tuſculum* ſitum. ipſum verò *Telegonum* vocat *nepotem Laërtæ*, quia ex Vlyſſe cum Circe genuiſſe ferebatur. Livius lib. I, de Tarquinio Superbo loquens: *Octavio Mamilio Tuſculano (is longè princeps Latini nominis erat; ſi famæ credimus, ab Vlyſſe deâque Circe oriundus.) ei Mamilio filiam nuptum dat.* Dionyſius lib. IIII: Λογιζόμενος δὲ ὁ Ταρκύνιος, ὅτι τοῖς μὴ κατὰ νόμον λαβοῦσι τὰς δυναστείας, ἀλλὰ διὰ τῶν ὅπλων κτησαμένοις, οὐ μόνον ἐπιχωρίου δεῖ φυλακῆς, ἀλλὰ καὶ ξενικῆς, τὸν ἐπιφανέστατον ἐκ τοῦ Λατίνων ἔθνους, καὶ πλεῖστον ἁπάντων δυνάμενον, ἐσπούδασε φίλον ποιήσασθαι, τῷ γάμῳ συζεύξας τῆς θυγατρὸς, ὃς ἐκαλεῖτο Ὀκταούϊος Μαμίλιος· ἀνέφερε δὲ τὸ γένος εἰς Τηλέγονον, τὸν ἐξ Ὀδυσσέως καὶ Κίρκης· κατῴκει δὲ ἐν πόλει Τύσκλῳ· Hoc eſt: *Tarquinius autem reputans ſecum, vi, non jure, partam potentiam opus habere non ſolùm domeſtico, verùm etiam externo præſidio, nobiliſſimum Latinorum & potentiſſimum ſibi junxit neceſſitudine, datâ ei in matrimonium filiâ. is vocabatur Octavius Mamilius: genusque referebat ad Telegonum, Vlyſſis & Circes filium. habitabat autem Tuſculi.* Horatius Ἐπῳδῶν odâ I:

Nec ut ſuperni villa candens Tuſculi
Circæa tangat mœnia.

Ad quæ vetus poëta commentator: *Tuſculi ſuperni; hoc eſt, in monte ſiti. Tuſculum autem opidum conditum fuit à Telegono, filio Vlyſſis & Circes.* Iterum Horatius Carm. lib. III odâ XXVIIII:

Ne ſemper udum Tibur & Aeſulæ
Declive contempleris arvum, &
Telegoni juga patricidæ.

Ad hæc commentator: *Tuſculum civitas eſt, in jugo montis conſtituta. hanc ſignificat nomine conditoris. à Telegono enim Circes filio, fundata eſt: qui per ignorantiam patrem ſuum Vlyſſem interemit.* Hyginus Μυθολογικῶν cap. CXXVII: *Telegonus, Vlyſſis & Circes filius, miſſus à matre, ut genitorem quæreret, tempeſtate in Ithacam eſt delatus: ibique, fame coactus, agros depopulari cœpit. cum quo Vlyſſes & Telemachus ignari arma contulerunt: Vlyſſes à Telegono filio eſt interfectus: quòd ei reſponſum fuerat, ut à filio caveret mortem. quem poſtquàm cognovit, qui eſſet; juſſu Minervæ cum Telemacho & Penelope in patriam redierunt; & in inſulam Aeæam ad Circen Vlyſſem mortuum deportarunt; ibique ſepulturæ tradiderunt. Eiusdem Minervæ monitu Telegonus Penelopen, Telemachus Circen, duxerunt uxores. Circe & Telemacho natus eſt Latinus; qui ex ſuo nomine Latinæ linguæ* [fortè *genti*] *nomen impoſuit. ex Penelope & Telegono natus eſt Italus; qui Italiam ex ſuo denominavit.* At ſuprà cap. I huius libri III oſtenſum, Heſiodum in fine Θεογονίας ipſius *Vlyſſis* & *Circes* filium facere *Latinum*: Cedrenum verò & Svidam *Telephi* filium, *Herculis* nepotem; Lycophronem *Tyrrhenum* & *Tarchonem* Herculis filios; apud Dionyſium Halicarnaſſenſem alios Tyrrhenum eiusdem Herculis, alios Telephi filium. capite verò III eiusdem lib. III Stephanus *Tarchonem* pronunciat *Telephi* filium. quæ cuncta nomina ad Pelaſgorum Tyrrhenorum gentem ſpectare, ibidem perſpectum eſt. ii quum XII in Etruriâ conſtituerint principatus totidemque urbeis, ex quarum numero *Agylla* quoque fuit; de hac ita tradit Servius ad Virgilii Aeneid. lib. VIII: *Hanc Agyllam quidam à Pelaſgis conditam dicunt: alii à Telegono; alii à Tyrrheno, Telephi filio.* Ex his haud obſcurè lucet, *Telegonum* quoque ex Pelaſgorum gente fuiſſe. Fuit autem non ex iſtâ Pelaſgorum parte, qui cognomine *Tyrrheni* in Etruriâ XII principatus conſtituerunt; ſed ex alterâ illâ eiusdem gentis parte, qui, cum Aboriginibus in Sabino agro ſive in primâ illâ *Italiâ* conjuncti, uno nomine *Latini* dicti fuerunt. unde multiplices iſtæ fabulæ natæ, quarum aliæ *Latinum Vlyſſis*, aliæ *Telemachi*, aliæ *Telephi filium* dixerunt; quædam etiam *Telegonum Itali patrem*. A primis igitur Latinis, id eſt, ab Aboriginibus atque Pelaſgis, tribus fermè ſæculis ante bellum Troianum, pulſis ex his locis Siculis, conditum fuit *Tuſculum*. Ovidius Faſtor. lib. IIII; ubi enarrat, quæ Græcorum coloniæ quas urbeis in Italiâ condiderint:

Et jam Telegoni, jam mœnia Tiburis udi
Stabant; Argolicæ quæ poſuêre manus.

Dubium eſt, una *Tiburis mœnia Argolicis* volueritne *poſita* eſſe *manibus*, an etiam *mœnia Telegoni*. *Tibur* ſanè ab Euandri comitibus fuiſſe conditum, mox infrà videbimus. Celebre ſemper fuiſſe opidum, ex Livii maximè hiſtoriis liquet. *Municipium* etiam aliquando factum eſt Romanorum. Aemilius Probus in M. Porcio Catone: *Cato ortus municipio Tuſculo*. Feſtus Pompeius: *Municipium id genus hominum dicitur, qui, quum Romam veniſſent, neque cives Romani eſſent; participes tamen fuerunt omnium rerum ad munus fungendum unà cum Romanis civibus, præterquàm de ſuffragio ferendo, aut magiſtratu capiendo: ſicut fuerunt, Fundani, Formiani, Cumani, Acerrani, Lanuvini, Tuſculani: qui poſt aliquot annos cives Romani effecti ſunt*. Cicero in oratione pro Cn. Plancio: *Tu es ex municipio antiquiſſimo Tuſculano*. Munitam opulentamque etiam poſterioribus ſæculis fuiſſe civitatem, patet ex Sigeberti hiſtoriis. is quidpe anno Chriſti CIↃ CV in epiſtolâ à Guarnero, principe Anconitano, ad Henricum imperatorem ſcriptâ, habet *comitem Tuſculanenſem*. & anno CIↃ C LXV, *Alexander*, inquit, *papa, Romanos habens ſuſpectos, ad Tuſculanos ſe contulit*. Et anno CIↃ C LXVIII: *Nova iterum Romanis conſurgit ruina. quia cum Tuſculanis bellum civile ineuntes, penè usque ad internecionem Romani deleti ſunt. Hac de causâ diſcordia magna inter Alexandrum papam & Romanos orta eſt. Alexander auxilia militum undiquaque contrahens, cum Tuſculanis Romanos & imperatori adhærenteis debellat*. De cætero jam inde antiquis temporibus celebratum fuiſſe agrum montemque Tuſculanum villis atque ſeceſſibus Romanorum, ſuprà ex Strabone intelleximus. Hinc Seneca de Beneficiis lib. IIII cap. XII: *Nemo, Tuſculanum aut Tiburtinum emere paratus ſalubritatis causâ & æſtivi ſeceſſus, quoto anno empturus ſit diſputat*. Statius Silvar. lib. IIII carm. IIII:

Hos Præneſte ſacrum, nemus hos glaciale Dianæ,
Algidus aut horrens aut Tuſcula protegit umbra;
Tiburis hi lucos Anienaque frigora captant.

Martialis lib. IIII epigram. LXIIII:

Tullî jugera pauca Martialis
Longo Ianiculi jugo recumbunt.
Hinc ſeptem dominos videre monteis,
Et totam licet æſtimare Romam,
Albanos quoque Tuſculosque colleis;
Et quodcumque jacet ſub Vrbe frigus.

TVSCVLANVM Ciceronis.

Verùm omnium celeberrima heic fuit M. TVLLI CICERONIS VILLA TVSCVLANA; quod vulgò TVSCVLANVM CICERONIS dicebatur. Ipſe in oratione pro domo ſuâ ad pontifices habitâ: *Nihil erat latum de me; non adeſſe eram juſſus; non citatus fueram: eram etiam tuo judicio civis incolumis; quum domus in Palatio, villa in Tuſculano, altera ad alterum conſulem transferebatur*. Suprà memoratus Horatii commentator in dictam Ἐπῳδῶν oden primam: *Tuſculi ſuperni; hoc eſt, in monte ſiti. ad cuius latera ſuperiora Cicero ſuam villam habebat Tuſculanam*. Hoc ſi verum; ſanè omnes falluntur, qui hactenus villæ huius locum vel in opido Fraſcatio, vel in cœnobio monſtrarunt, cui vulgaris adpellatio *Santa Maria di Grotta ferrata*. nam utraque hæc loca infra antiqui Tuſculi locum poſita ſunt. Sed, ſcripſiſſe hunc commentatorem, omnino ego cenſeo, *ad cuius latera inferiora*. quidpe ſi ſupra Tuſculum, vel etiam ſi in Fraſcatii opidi loco fuit villa Ciceronis, aquâ Crabrâ rigari, quod teſtatur ipſe Cicero, minimè potuit. Verba eius de Lege agrariâ ad populum oratione II hæc ſunt: *Ego Tuſculanis pro aquâ Crabrâ vectigal pendam, quia à municipio fundum accepi*. Et Familiar. lib. XVI epiſt. XVIII: *Tibi* διαφόρησιν *gaudeo profuiſſe. ſi verò etiam Tuſculanum; dii boni, quanto illud mihi erit amabilius!* Paullo pòſt: *De Crabrâ quid agatur, etſi nunc quidem etiam nimium eſt aqua, tamen velim ſcire*. Oratione pro L. Cornelio Balbo: *Nos de aquâ noſtrâ Tuſculanâ M. Tugionem potiùs, quàm C. Aquilium, conſulebamus*. Eſſe *Crabram* hanc *aquam* eum amnem, qui in valle Albanâ inter duo opida *Fraſcati* & *Rocca di Papa* ſupra prædictum cœnobium exortus, propter huius orientale latus verſùs urbem Romam contendit, vulgari vocabulo *La Marana*, ſuprà lib. II cap. X oſtenſum eſt. Ex hoc igitur documento maximè claret, in ipſâ hac valle Albanâ fuiſſe *villam Ciceronis*; haud dubiè eo ſitu, ubi nunc eſt prædictum cœnobium, loco amœniſſimo, & fontibus uberrimis, etiam præter aquam Crabram maximè irriguus. unde illud Ciceronis; *Etſi nunc quidem etiam nimium eſt aquæ*. Et antiquarum columna-

lumnarum aliorumque marmorum heic exſtant ad cœnobium fragmenta. Cæterùm villa anteà L. Syllæ dictatoris fuit. Plinius lib. XXII cap. VI: *Scripſit & Sylla dictator, ab exercitu ſe quoque donatum apud Nolam, legatum bello Marſico. idque etiam in villâ ſuâ Tuſculanâ, quæ fuit poſteà Ciceronis, pinxit.* Idem Plinius lib. XVI cap. XLIIII ita tradit: *Eſt in ſuburbano Tuſculani agri colle, qui Corne adpellatur, lucus antiquâ religione Dianæ ſacratus à Latio, velut arte tonſili comâ fagei nemoris. in hoc arborem eximiam ætate noſtrâ adamavit Paſſienus Criſpus, bis conſul, orator; Agrippinæ matrimonio & Nerone privigno clarior poſteà; oſculari complectique eam ſolitus; non modò cubare ſub eâ, vinumque illi effundere. Vicina luco eſt ilex, & ipſa nobilis, XXXV pedum ambitu caudicis; X arbores mittens, ſingulas magnitudinis viſendæ. ſilvamque ſola facit.*

LACVS præthereà in Tuſculano agro dictus fuit REGILLVS. Memoratur Ciceroni, Livio, Dionyſio, Valer. Maximo, Plinio, Floro, Auctori de Viri Illuſtribus. **REGILLVS lacus.** Cicero de Naturâ deorum lib. II: *Apud Regillum lacum bello Latinorum quum A. Poſthumius dictator cum Octavio Mamilio Tuſculano prœlio dimicaret; in noſtrâ acie Caſtor & Pollux ex equis pugnare viſi ſunt.* Et lib. III: *At enim præſenteis videmus deos; ut apud Regillum Poſthumius.* Plinius lib. XXXIII cap. II: *A Poſthumius dictator apud lacum Regillum caſtris Latinorum expugnatis, ei, cuius maximè operâ capta eſſent, hanc coronam ex prædâ dedit.* Valerius Maximus lib. I cap. VIII: *Quum apud lacum Regillum A. Poſthumius dictator & Tuſculanorum dux Mamilius Octavius magnis viribus inter ſe occurrerent; ac neutra acies aliquamdiu pedem referret; Caſtor & Pollux, Romanarum partium propugnatores viſi, hoſtileis copias penitus fuderunt.* Auctor de Viris illuſtribus in A. Poſthumio: *Tarquinius ejectus, ad Mamilium Tuſculanum, generum ſuum, confugit. qui quum, Latio concitato, Romanos graviter urgeret, A. Poſthumius, dictator dictus, apud Regilli lacum cum hoſtibus conflixit. ubi quum victoria nutaret; magiſter equitum equis frænos detrahi juſſit; ut inrevocabili impetu ferrentur. ubi & aciem Latinorum fuderunt, & caſtra ceperunt. ſed inter eos duo juvenes candidis equis inſigni virtute adparuerunt: quos dictator quæſitos, ut dignos muneribus honoraret, non reperit.* Caſtorem & Pollucem *ratus, ædem communi titulo dedicavit.* Florus lib. I cap. XI: *Latini quoque Tarquinios adſerebant, æmulatione & invidiâ. igitur omne Latium, Mamilio Tuſculano duce, quaſi in regis ultionem, tollit animos. Apud Regilli lacum dimicatur diu Marte vario; donec Poſthumius ipſe dictator ſignum in hoſteis jaculatus eſt, uti peteretur curſu; Coſſus equitum magiſter exuere frænos imperavit, quo acriùs incurrerent. Ea demum atrocitas fuit prælii, ut, interfuiſſe ſpectaculo deos, fama tradiderit, duos in candidis equis. Caſtorem atque Pollucem nemo dubitavit. itaque & imperator veneratus eſt: pactuſque victoriam, templa promiſit. & reddidit planè quaſi commilitionibus deis ſtipendium.* Livius lib. II: *Tarquinius, ſpe omni reditus inciſâ, exſulatum ad generum Mamilium Octavium Tuſculum abiit.* Aliquanto poſt: *Supra belli Latini metum id quoque adceſſerat, quòd XXX jam conjuraſſe populos, concitante Octavio Mamilio, ſatis conſtabat.* Haud multo pôſt: *T. Aebutius deinde & C. Vetuſius conſules. His conſulibus Fidenæ obſeſſæ, Cruſtumeria capta, Præneſte ab Latinis ad Romanos deſcivit. nec ultrà bellum Latinum, gliſcens jam per aliquot annos, dilatum. A Poſthumius dictator, T. Aebutius magiſter equitum, magnis copiis peditum equitumque profecti ad lacum Regillum, in agro Tuſculano agmini hoſtium occurrerunt.* Et poſteà: *Hoc modo ad lacum Regillum pugnatum eſt.* Et ſub initium libri VI: *Novus quoque terror adceſſerat, defectione Latinorum Hernicorumque: qui poſt pugnam ad lacum Regillum factam per annos propè centum numquàm ambiguâ fide in amicitiâ populi Romani fuerant.* Sed ex omnibus hiſce tot auctorum locis de ſitu *lacus Regilli* planè nihil diſpici poteſt. itaque Dionyſium etiam audiamus. is lib. VI ita tradit: Δικτάτωρ ἀποδείκνυται τῶν ὑπάτων ὁ νεώτερος Αὖλος Ποστόμιος· ἱππάρχην δ' αὐτὸς ἑαυτοῦ προσείλετο Τίτον Αἰβούτιον Ἔλβαν. * · παρεσκευασμένων δὲ πάντων τῶν ἐπιτηδείων πρὸς τὸν πόλεμον, ἧκον ἀγγέλλοντες οἱ σκοποὶ πανστρατιᾷ Λατίνους ἐξεληλυθότας· καὶ αὖθις ἕτεροι, δηλοῦντες ἐξ ἐφόδου τι καταληφθῆναι πρὸς αὐτῶν χωρίον ἐχυρὸν Κορβιῶνα καλούμενον, ἐν ᾧ φρουρά τις ἦν Ῥωμαίων ἐνοικουροῦσα ὀλίγη. * · Ταῦτα μαθὼν ὁ Ποστόμιος, ἐξεβοήθει διὰ ταχέων, πρὶν ἢ συνελθεῖν τοὺς πολεμίους ἅπαντας. ἀγαγὼν δὲ ἐν νυκτὶ τὴν σὺν αὐτῷ στρατιὰν πορείᾳ συντόνῳ, παραπλήσιον γίνεται τῶν Λατίνων ἐστρατοπεδευκότων περὶ λίμνην Ῥηγίλλην καλουμένην ἐν ἐχυρῷ χωρίῳ. καὶ τίθεται τὸν χάρακα κατὰ κεφαλῆς τῶν πολεμίων, ἐν ὑψηλῷ λόφῳ καὶ δυσβάτῳ. Hoc eſt: *Aulus Poſthumius dictator dictus eſt. iſque magiſtrum equitum adſumpſit T. Aebutium Elvam. Iamque omnibus rebus ad bellum inſtructo ſpeculatores nunciant, Latinos iter in-*

greſſos cum toto exercitu. at mox alii, primo eos impetu occupaſſe caſtellum Corbionem, à paucis cuſtoditum præſidiariis. Exiguo pòſt: *His cognitis, Poſthumius celeriter occurrit hoſtibus, priusquàm in unum convenirent omnes. properatoque per noctem itinere, cum ſuis copiis venit prope Latinorum, ad lacum Regillum, loco munito poſita ipſe caſtra metatus eſt in edito arduoque tumulo.* Caſtellum Corbionem ultra *Algidum* Aequorum & *Lavicum* Latinorum opidum fuiſſe in confinio Aequorum, mox infrà oſtendemus. Ergo Latinorum copiæ tunc, duce Octavio Mamilio, aut Latinâ, aut Lavicanâ, aut Præneſtinâ viâ Romam versùs contenderunt. Latinam viam Albanam vallem inter Albanos Tuſculanosque monteis ad Algidum tuliſſe, ſuprà intellectum. Lavicanam à portâ Eſquilinâ inter Præneſtinam viam & opidum, cui vulgare vocabulum *La Colonna*, tetendiſſe versùs opidum, quod vulgò dicitur *Zagoruolo*, mox infrà videbimus. Ad neutram horum lacus aliquis eſt. Ad Præneſtinam verò, è regione dicti opidi, quod vulgò *La Colonna* vocatur, eſt is qui *tumulorum ſupercilio veluti amphitheatro* incluſus, vulgò cognominatur *Sanctæ Praxedis*; ſuprà memoratis lacubus Albano atque Aricino minor. nec alius circa Tuſculum totâque hac regione eſt lacus. unde rectè viri docti hunc etiàm ante me interpretati ſunt *Regillum lacum*. Et ſunt apud hunc, ex utroque viæ Lavicanæ latere, editiores tumuli, circa Columnam opidum: in quibus haud dubiè tunc Romani Latinique caſtra ſibi invicem oppoſuêre.

FORTVNAE MVLIEBRIS templum.

Cæterùm ad quartum ab Vrbe lapidem viâ Latinâ fuit FORTVNAE MVLIEBRIS TEMPLVM, circa eum locum, in quo veterum aquæductum arcus in transverſum ſeſe invicem ſecant. ſic quidpe Frontinus in libro de Aquæductibus: *Anio vetus citra quartum milliarium intra mo* .... [deeſt aliquid] .... *viæ, quà à Latinâ in Lavicanam itur, arcus trajicit.* De templo autem ita Valerius Maximus lib. I cap. VIII: *Fortunæ etiam Muliebris ſimulacrum, quod eſt viâ Latinâ ad quartum milliarium, eo tempore cum æde ſuâ conſecratum, quo Coriolanum ab excidio Vrbis, maternæ preces repulerunt, non ſemel, ſed bis loquutum conſtitit, his penè verbis: Ritè me matronæ vidiſtis; ritéque dedicaſtis.* Et Auctor de Viris illuſtribus, in Marcio Coriolano: *Ergo à tribuno plebis die dictâ, ad Volſcos conceſſit: eosque, duce Attio Tullio, adversùs Romanos concitavit: & ad quartum ab Vrbe lapidem caſtra poſuit. quumque nullis civium legationibus flecteretur: à Veturiâ matre & Volumniâ uxore, matronarum numero comitatis, motus, omiſſo bello, ut proditor occiſus eſt. Ibi templum Fortunæ Muliebri conſtitutum eſt.* Eutropius lib. I, de eodem Marcio: *Vsque ad quintum milliarium Vrbis adceſſit; oppugnaturus etiam patriam ſuam, legatis, qui pacem petebant, repudiatis; niſi ad eum mater Veturia & uxor Volumnia ex Vrbe veniſſent: quarum flexu & deprecatione ſuperatus removit exercitum.* Sic equidem Livius quoque ad *quintum milliarium caſtra* Coriolani refert lib. II, his verbis: *Circeios profectus, primùm colonos inde Romanos expulit; liberamque eam urbem Volſcis tradidit: inde in Latinam viam transverſis tramitibus transgreſſus, Satricum, Longulam, Palluſcam, Coriolos, novella hæc Romanis opida ademit. inde Lavinium recepit. tunc deinceps Corbionem, Vitelliam, Trebiam, Labicos, Pedum cepit. poſtremùm ad Vrbem à Pedo ducit: & ad Foſſas Clœlias, quinque ab Vrbe millia paſſuum caſtris poſitis, populatur inde agrum Romanum.* Narrat hinc de legationibus & Veturiâ matre uxoreque Volumniâ. denique addit: *Monumento quoque quod eſſet, templum Fortunæ Muliebri ædificatum dedicatumque eſt.* Sed ſemel tantùm caſtra prope Vrbem admoviſſe Marcium, auctor eſt Livius. è diverſo autem Dionyſius lib. VIII tradit, primò ad Foſſas Clœlias, dein poſt XXX dies ad *trigeſimo paullo amplius ſtadio*, id eſt, *ad quartum milliarium*, viâ Tuſculanâ caſtra eum locaſſe. tum prorſus alio, quàm Livius, ordine omnem illam Marcii expeditionem narrat. Γενόμενος δὲ, inquit, ἐν ἡμέραις τριάκοντα πόλεων ἑπτὰ κύριος, ἧκεν ἐπὶ τὴν Ῥώμην, ἄγων πολὺ πλείω στρατιὰν τῆς προτέρας· καὶ σταδίους ἀποσχὼν τῆς πόλεως ὀλίγῳ πλείους τῶν τριάκοντα, παρὰ τὴν ἐπὶ Τυσκλανοὺς φέρουσαν ὁδὸν κατεστρατοπέδευσεν. Id eſt: *Subactis intra* XXX *dies* VII *opidis, Romam petiit cum multo maiore, quàm anteà, exercitu: & trigeſimo paullo amplius ſtadio apud viam Tuſculanam caſtra poſuit.* Via hæc Tuſculana nulla alia erat quàm quæ Latina dicitur Valerio Maximo, à qua paullo infra Tuſculanum Ciceronis ſiniſtrorſum deflectebant, qui ab urbe Româ Tuſculum adſcendebant.

Sed itinere *viarum Latinæ Lavicanæque* ita deſcribuntur in Itinerariis antiquis:

Tabu-

Tabulæ;		Antonini;	
Româ, viâ Lavicanâ		*Lavicanâ, ab Vrbe*	
Ad Quintanas	XV.	*Ad Quintanas*	XV.
Ad Statuas	III.		
Ad Pactas	VII.	*Ad Pictas*	X.
Ad Birium	V.		
Compito Anagnino	X.	*Compitum*	XV.
Ferentinum	VIIII.	*Ferentino*	VIII.

Antonini:		Tabulæ:	
Latinâ, ab Vrbe		*Româ, viâ Latinâ*	
Ad Decimum	X.	....	X.
Roboraria	III.	....	...
Ad Pictas	XVII.		
Compitum	XV.	*Ad Birium*	V.
Intrat in Lavicanam.		*Compito Anagnino*	X.

De eiſdem viis ita tradit Strabo lib. V: Ἄρχεται δ' ἡ Λατίνη ὁδὸς ἀπὸ τῆς Ἀππίας, ἐν ἀριστερᾷ ἀπ' αὐτῆς ἐκτρεπομένη πλησίον Ῥώμης· εἶτα διὰ τοῦ Τουσκλανοῦ ὄρους ὑπερβᾶσα, μεταξὺ Τούσκλου πόλεως καὶ τοῦ Ἀλβανοῦ ὄρους, κάτεισιν ἐπὶ Ἄλγιδον πολίχνιον καὶ Πικτὰς πανδοκεῖα. εἶτα συμπίπτει καὶ ἡ Λαβικανή, ἀρχομένη μὲν ἀπὸ τῆς Ἐσκυλίνης πύλης, ἀφ' ἧς καὶ ἡ Πραινεστίνη· ἐν ἀριστερᾷ δ' ἀφεῖσα καὶ ταύτην καὶ τὸ πεδίον τὸ Ἐσκυλῖνον, πρόεισιν ἐπὶ πλείους τῶν ρ' καὶ κ' σταδίων, καὶ πλησιάσασα τῷ παλαιῷ Λαβικῷ, κτίσματι κατεσπασμένῳ, κειμένῳ δ' ἐφ' ὕψους, τοῦτο μὲν καὶ τὸ Τοῦσκλον ἐν δεξιοῖς ἀπολείπει, τελευτᾷ δὲ πρὸς τὰς Πικτὰς εἰς τὴν Λατίνην. διέχει δὲ τῆς Ῥώμης τὸ χωρίον τοῦτο σ' καὶ ι' σταδίους· εἶθ' ἑξῆς ἐπ' αὐτῆς τῆς Λατίνης εἰσὶ πόλεις Φερεντῖνον καὶ Φρουσίνων. Hoc eſt: *Incipit via Latina ab Appiâ, ad ſiniſtram ab hac prope Romam deflectens; ac ſuper montem Tuſculanum tranſiens inter Tuſculum opidum & montem Albanum, ad Algidum deſcendit opidulum & Pictas tabernas. incidit hinc Lavicana, incipiens à portâ Eſquilinâ; unde & Præneſtina: relinquens autem ad ſiniſtram hanc ſimul viam & campum Eſquilinum, procedit ad* CXX *ſtadia; & adpropinquans veteri Lavico (quod opidum, loco ſublimi ſitum, nunc dirutum eſt) hoc & Tuſculum ad dextram relinquit, & ad Pictas in Latinam deſinit. is locus Româ abeſt ſtadia* CCX. *Exhinc in Latinâ viâ ſunt urbes, Ferentinum & Fruſino.* Stadia CCX faciunt millia paſſuum XXVI, cum duobus ſtadiis. hic igitur numerus haud multum diſcrepat ab illis XXV millibus, quæ præſcripta Itineraria habent ab Vrbe ad Pictas. Stadia autem CXX, quæ Strabo ponit inter Romam & LABICVM *opidum*, millia ſunt paſſuum XV unde patet, quàm immenſum hoc noſtro ſæculo erraverint omnes illi, qui *Labicum* interpretati ſunt id opidum, quod, XXX millia paſſuum à Româ in edito colle & ipſum ſitum, vulgò vocatur *Valmontone*. ad quod ſanè via Latina quàm proximè ducit. Ego ex tractu viæ Lavicanæ ſimulque ex intervallo dictorum XV millium, item ex ſitu in edito colle, id opidum eſſe diſpicio *Labicum*, quod vulgò hodiè vocatur *Zagaruolo*. in cuius agro hodiéque antiquitatum monimenta exſtant. Cæterò nomen eius quod attinet; quum Græcorum β utramque latinorum literam *b* & *v* valeat, promiſcuè per has ſcriptum id reperias apud diverſos, vel interdum etiam in eiſdem auctoribus. tum ſingulari id equidem numero juxtà cum Strabone profert Silius lib. XII Labicum, genere neutro, in his verbis:

LABICVM *opidum.*

——— Mox & vicinus Aquinas,
Et quæ fumantem texêre giganta Fregellæ,
Agmine carpuntur volucri. fert concitus inde
Per juga celſa gradum, duris quà rupibus hæret
Bellator Fruſino, & ſurgit, ſuſpenſa tumenti
Dorſo, frugiferis Cerealis Anagnia glebis.
Iamque adeò eſt campos ingreſſus & arva Labici,
Linquens Telegoni pulſatos ariete muros,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Haud dignum inter tanta moram: nec amœna retentant
Algida; nec juxtà Iunonis tecta Gabinæ:
Præceps ad ripas immani turbine fertur,
Sulfureis gelidus quà ſerpit leniter undis,
Ad genitorem Anio, labens ſine murmure, Tybrim.

Eadem ſic refert Livius lib. XXVI: *Hannibal, infeſtiùs perpopulato agro Fregellano, propter interciſos ponteis, per Fruſinatem Ferentinatemque & Anagninum agrum in Labicanum venit. inde Algido Tuſculum petiit. nec receptus mœnibus, infra Tuſculum dextrorſus Gabios deſcendit. inde in Pupiniam exercitu demiſſo, VIII millia paſſuum à Româ poſuit caſtra.* Ex Labicano igitur agro per Algidum montem in Tuſculanos pervenit colleis ad ipſum Tuſculum. At eidem Silio, ut reliquis auctoribus Latinis omnibus, plurali etiam numero adpellatur opidum LABICI lib. VIII:

——— *Antemnaque, priſco*
Cruſtumio prior; atque habiles ad aratra Labici.

Virgilius Aeneid. lib. VII:

Auruncæque manus, Rutuli, veteresque Sicani,
Et Sacranæ acies, & picti ſcuta Labici.

Cicero oratione primâ de Lege Agrariâ ad populum contra Rullum: *Agros verò Vaticanum & Papinium cum ſuis opimis atque uberibus campis conferendos non putabunt. opidorum autem finitimorum illam copiam cum hac per riſum ac per jocum contemnent. Labicos, Fidenas, Collatiam, ipſum Herculè Lanuvium, Ariciam, Tuſculum, cum Calibus, Teano, Neapoli, Puteolis, Cumis, Pompeiis, Nuceriâ, comparabunt.* Opidani inde omnibus dicuntur LABICANI, ſivè LAVICANI. Martialis lib. I epigram. LXXXVIIII:

Alcime, quem, raptum domino creſcentibus annis,
Labicana levi ceſpite velat humus.

Cicero in oratione pro Cn. Plancio; ubi ita adfatur Laterenſem, municipem Tuſculanum: *Niſi fortè te Lavicana aut Bovillana aut Gabina vicinitas adjuvabat.* En, ut diſertè, non minùs *Labicos*, quàm *Gabios* atque *Bovillas*, vicinum Tuſculo ait eſſe opidum. id igitur longè rectiùs in opidum nunc *Zagarollum*, quàm in *Valmontonem*, congruit. Sic Livius quoque lib. III de Aequorum expeditione loquens; *Per Labicanos*, inquit, *agros in Tuſculanos colleis tranſierunt.* Et lib. IIII: *Bellum inde ab Aequis reparari cœptum. & novos hoſteis Lavicanos conſilia cum veteribus jungere, haud incertis auctoribus Romam eſt allatum. Tuſculanis eſt negotium datum, adverterent animos, ne quid novi tumultus à Lavicis oriretur.* Mox: *Nunciabant legati, Lavicanos arma cepiſſe; & cum Aequorum exercitu, depopulatos agrum Tuſculanum, caſtra in Algido poſuiſſe.* Aliquanto pòſt: *Captis direptisque caſtris, quum prædam dictator militi conceſſiſſet; ſequutique fugientem ex caſtris hoſtem equites renunciaſſent, omneis Lavicanos victos, magnam partem Aequorum Lavicos confugiſſe; poſtero die ad Lavicos ductus exercitus; opidumque coronâ circumdatum, ſcalis captum, atque direptum eſt.* Mox: *Senatus cenſuit, coloniam Lavicos deducendam. coloni ab Vrbe* CIↃ IↃ *miſſi, bina jugera acceperunt.* Factum hoc ab Româ conditâ anno CCCXXXVII. De eâdem re ita Diodorus lib. XIII: Κατὰ δὲ τὴν Ἰταλίαν Ῥωμαῖοι πρὸς Αἴκους πόλεμον ἔχοντες, Λαβίκους ἐξεπολιόρκησαν. Id eſt: *In Italiâ Romani cum Aequis bellum gerentes, Lavicos expugnarunt.* Vox heic vitiata vulgatis in exemplaribus quum legatur Λαβίνους, interpretes eam verterunt *Lavinium.* Livius iterum lib. V: *Bello Aequorum ad Lavicos; qui Romanam ibi coloniam oppugnabant.* Et lib. VI: *De Præneſtinorum quoque defectione fama exorta: arguentibus eos Tuſculanis, Gabinis, & Lavicanis.* Sic igitur ubique *Lavicani* Tuſculanis ſimul & Gabinis conjunguntur. Præneſtini quoque V tantùm millia paſſuum ultra *Lavicos* erant ſiti. Diſertè autem Livius inter *Aequos* & *Lavicanos* diſtingvit; quia hi erant Latini nominis. hinc Dionyſius etiam lib. VIII, de Marcio Coriolano loquens; Ἐντεῦθεν δὲ τὴν δύναμιν ἀναλαβὼν, ἦγεν ἐπὶ τοὺς καλουμένους Λαβικανούς. ἦν δὲ καὶ αὕτη τότε Λατίνων ἡ πόλις, Ἀλβανῶν ἄποικος. Hoc eſt: *Hinc adversùm Lavicanos exercitum duxit. quæ urbs & ipſa Latini tunc erat nominis, Albanorum colonia.* Et Plutarchus in eodem Marcio Coriolano: Οὕτως ὁ Μάρκιος ἐπ' αὐτὰς τὰς πόλεις τῶν Λατίνων ἦγεν, καὶ Τολερίνους καὶ Οὐϊκανοὺς [ſcribe, καὶ Λαουϊκανοὺς] καὶ Πεδανοὺς, ἔτι δὲ Βωλανοὺς, ἀντιστάντας αὐτῷ, κατὰ κράτος εἷλεν. Id eſt: *Ita ipſa tandem Latinorum opida Marcius adortus eſt: cepitque per vim Tolerinos, Lavicanos, Pedanos, & Bolanos: qui ſe ei oppoſuerant.* De cætero quum colo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

niam Romanorum jam antiquiſſimis illis temporibus huc deductam teſtetur Livius, fragmentum lapidis apud *Zagarollum* opidum hæc refert verba:

C AVRVNCEIVS :::::::
COTTA
COLONIS · INCOLIS · HOSPIT .:::::
ADVENTORIBVS · SERVISQ....
EORVM
LAVATIONEM EX · SVA · PECVNIA
GRATVITAM · IN · PERPETVOM · DEDIT

Municipium quoque aliquando factum teſtis locupletiſſimus eſt Cicero in prædictâ oratione pro Cn. Plancio. *Niſi fortè*, inquit, *te Lavicana aut Bovilla aut Gabina vicinitas adjuvabat. quibus è municipiis vix jam, qui carnem Latinis petant, inveniunt.* Adeò ſcilicet opida hæc incolis jam tum defecerant. Sic etiam in ſuprà ſcriptâ oratione contra Rullum *Lavicos* cum *Fidenis* atque *Collatiâ*, exiguis & ipſis tum opidis comparat; inferioraque hæc facit Tuſculo, Ariciâ, Lanuvio. Sed de *Lavicis* hactenus ſatis. Nunc reliqua illa loca, quæ in ipſis Lavicanâ Latinâque viis ſita fuêre, dicantur.

Vetus Horatii commentator in epiſt. XVII libri primi ita ſcribit: *Ferentinum, municipium viæ Labicanæ, ad* XLVIII *lapidem.* Convenit igitur ei probè cum Antonini itinerario ſuprà ſcripto. Tabula verò XLVIIII habet millia paſſuum. & hodiéque rotundo numero L milliaria eo intervallo computantur. unde ſatis valido argumento colligere datur, minimè corruptos eſſe in utroque itinerario ſingulorum intervallorum numeros.

Locus igitur AD QVINTANAS ex XV millium numero ſub ipſis Labicis versùs ſeptemtriones in Lavicanâ viâ fuiſſe deprehenditur. Et πλησιάζειν τῷ Λαβίκῳ, id eſt, *prope ad Lavicum accedere viam Lavicanam*, disertè tradit Strabo. neque enim aliàs inde cognominari potuiſſet. AD QVINTANAS, *locus.*

Alter ille locus Πρὸς τὰς Πίκτας πανδοχεῖα, id eſt, AD PICTAS TABERNAS, ſive AD PICTA DIVERSORIA, in eâdem viâ Lavicanâ, X millia paſſuum ultra *Quintanas*, inter Præneſte fuit & Valmontem, dextrorſum in diverticulo; V ab hoc opido, VII ampliùs ab illo diſſitus. Apud Plutarchum in Syllâ, ubi is exercitum ab Nolâ, Campaniæ opido, ad urbem Romam ducit, ita in vulgatis exemplaribus legitur: Ὁ δὲ Σύλλας, θαῤῥήσας τῇ ὄψει, ἐπὶ τὴν Ῥώμην ἡγεῖτο. καὶ περὶ Πικίνας αὐτῷ πρεσβείας ἐντυχούσης, καὶ δεομένης μὴ βαδίζειν εὐθὺς ἐξ ἐφόδου· πάντα γὰρ ἔσεσθαι τὰ δίκαια τῆς βουλῆς ψηφισαμένης· ὡμολόγησε μὲν αὐτοῦ καταστρατοπεδεύσειν· καὶ διαμετρεῖν ἐκέλευε χώρας τῷ στρατοπέδῳ τοὺς ἡγεμόνας· ὥστε τοὺς πρέσβεις ἀπελθεῖν πιστεύσαντας. ἐκείνων δὲ ἀπελθόντων, εὐθὺς ἐκπέμψας Λεύκιον Βάσιλλον καὶ Γάϊον Μόμμιον, καταλαμβάνει τὴν πόλιν δι' αὐτῶν καὶ τὰ τείχη τὰ περὶ τὸν λόφον τὸν Αἰσκυλῖνον· εἶτ' αὐτὸς ἁπάσῃ σπουδῇ συνῆπτε. Id eſt: *Sylla igitur hoc oſtento firmatus, Romam cum exercitu pergit. Apud Picinas quum occurriſſent ei legati, orantes, ne infeſta ſigna raptim ad Vrbem ferret: ſenatum enim ei ſatisfacturum: pollicitus quidem eſt, ſe ibi locaturum caſtra: imperavitque ducibus ea metari: ita, uti legati, fide ei habitâ, diſcederent. at illis digreſſis, confeſtim L. Paſillum & C. Mummium præmiſit ad præoccupandum portam & murum apud Aeſquilinum collem, moxque ipſe citato ſequutus eſt curſu.* Heic pro mendoſâ voce Πικίνας quin legendum ſit Πικτὰς, *Pictas*, nemo dubitare poteſt; quando disertè memoratur *porta Eſquilina*; quæ Lavicanam emittebat viam ad *Pictas tabernas* ferentem. Florus lib. III cap. XI: *Sed impatiens injuriæ ſtatim Sylla legiones circumegit; dilatoque Mithridate, Eſquilinâ Collinâque portâ geminum agmen Vrbi infudit.* Apud Appianum Civil. bellor. lib. I ſic ſcriptum eſt: Καὶ Σύλλας μὲν τὰς Κλοιλίας πύλας καὶ τὸ παρ' αὐτὰς τεῖχος ἑνὶ τέλει στρατιωτῶν κατελάμβανε, Πομπήϊος δὲ τὰς Κολλίνας ἑτέρῳ τέλει. Quum nulla umquàm Romæ fuerit *Clœlia porta*, interpres Latinus eam vocem vertit in *Cœlimontanam portam*. at ex Plutarcho ſimulque ex Floro diſpexiſſe poterat, ſcribendum eſſe, τὰς Αἰσκυλίνας πύλας, *Aeſquilinam portam*. Totus igitur locus ſic vertendus: *Sylla Aeſquilinam portam & contiguum murum unâ legione occupavit: Pompeius alterâ Collinam portam.* Et ſequitur puſillo pòſt; Μάρκος δὲ καὶ Σουλπίκιος ἀπλώ- AD PICTAS TABERNAS.

των περὶ τὴν Δασκύλειον ἀγορὰν. quod vocabulum rectè interpres emendans in Αἰσκύλειον, ita locum Latinè reddidit: *Marius ei ad Eſquilias cum Sulpicio occurrit*. At *Pictæ* fortè jam in priſcorum Aequorum fuerint finibus.

Ad Statvas, *locus.*

Cæterùm inter *Pictas* & *Quintanas* tertius ille fuit locus Ad Statvas; tria ab his, ab illis VII millia paſſuum diſtans.

Ad Bivivm, *locus.*

Iam verò ille locus in Tabulâ *Ad Birium*, ad quem linea viæ Lavicanæ ab urbe Româ finitur, omnino ab ipſo auctore ſcriptus fuit Ad Bivivm. eſt enim is locus, apud quem poſt *Pictas* Latinæ viæ jungebatur *Lavicana*. quam tamen conjunctionem diſertè Strabo apud ipſas ponit *Pictas*. unde etiam Antoninus in utroque itinere, tam Latinæ, quàm Lavicanæ viæ recenſet Pictas. quò magis miror, in Latinæ viæ itinere poſt *Compitum* demum Anagninum eam conjunctionem eum ſtatuere. At ex intervallo V millium, quæ Tabula habet à *Pictis* ad *Bivium*; ſive ex XXX millium ſpacio, quæ huc colliguntur ab urbe Româ; ſimulque ex ſitu in Latinâ viâ, quæ hodiéque frequentatur ab Algido, ſive, ut nunc loco nomen eſt, ab *Oſteria* versùs Ferentinum; *Valmontonem* opidum judico eſſe antiquum illud *Bivium*. quod cur primariæ urbis ſigno in Tabulâ referatur, planè me ignorare, lubens fateor. De reliquo, quum *Algidum* jam Aequorum fuerit opidulum; ut ſuprà lib. II cap. XVI demonſtratum: haud dubium eſt, quin eiusdem gentis fuerit & *Bivium* hoc, XIIII millia paſſuum in eâdem viâ Latinâ ultra *Algidum* ſitum.

Ad Decimvm *locus.*

Porrò in Latinâ viâ Antonino memoratus locus Ad Decimvm, (intellige lapidem ſeu milliare, fuit circa eum vicum, qui apud fauceis Albanæ vallis vulgò vocatur *Il Borghetto*.

Roboraria, *locus.*

Ab *Decimo* porrò ad III millia paſſuum in eâdem viâ Latinâ ponitur locus ab Antonino nomine Roboraria. is fuerit circa caput *aquæ Crabræ*: mille paſſus ultra Tuſculi regionem; tria millia citra Algidum ſive *Oſteriam*. qui locus nunc vulgò vocatur *La Molara*.

Praeneste, *colonia & municipium.*

Sed locis Latinæ Lavicanæque viæ explicatis, in Præneſtinam nunc etiam transgrediamur viam. Ipſum Praeneste, quod vulgò nunc incolis dicitur Paleſtrina, Peleſtrina, Pileſtrina, & Pilaſtrina, non modò ex antiquiſſimis, ſed etiam ex celeberrimis ſemper fuit Priſci Latii opidis. Memoratur Plauto, Ciceroni, Varroni, Virgilio, Propertio, Horatio, Livio, Dionyſio, Velleio, Valerio Maximo, Straboni, Plinio, Statio, Iuvenali, Svetonio, Plutarcho, Appiano, Ptolemæo, Floro, Solino, Itinerariis, Servio, Martiano Capellæ, Feſto, Stephani epitomatori, & aliis. Vocabulum eius declinatur in genitivo ac dativo tantùm; ut *Tridente*, *Tergeſte*, *Ateſte*, *Sabate*, *Soracte*, *Reate*, *Teate*: quæ cuncta in genitivo *tis*, in dativo *ti* habebant. Virgilius Aeneid. lib. VII:

> *Quique altum Præneſte viri, quique arva Gabinæ*
> *Iunonis, gelidumque Anienem, & roſida rivis*
> *Hernica ſaxa colunt.*

Silius lib. VIII: ——— *Sacrisque dicatum*
> *Fortunæ Præneſte jugis.*

Horatius Carm. lib. III odâ IIII:

> ——— *Seu mihi frigidum*
> *Præneſte, ſeu Tibur ſupinum,*
> *Seu liquidæ placuère Baiæ.*

Statius Silvar. lib. IIII carm. IIII:

> *Hos Præneſte ſacrum, Nemus hos glaciale Dianæ,*
> *Algidus aut horrens, aut Tuſcula protegit umbra:*

Et feminino genere, ut omnia opidorum licet effari nomina, Virgilius Aeneid. lib. VIII: *Qualis eram, quum primam aciem Præneſte ſub ipſâ*
> *Stravi,*

Iuvenalis Satyrâ III:

> *Quis timet aut timuit gelidâ Præneſte ruinam.*

Verùm Servius, in priorem illum Virgilii locum commentans; *Dicimus autem*, inquit, *& hoc Præneſte, & hæc Præneſtis*. Porrò Cicero ad Atticum lib. XII epiſt. II: *Ludi intereà Præneſte*. Plinius lib. XXXVI cap. XXV: *Lithoſtrota pavimenta cœptavère jam ſub Syllâ, parvulis certè cruſtis. Exſtat hodiéque, quod in Fortunæ delubro Præ-*

neſte fecit. Svetonius in Auguſto, cap. LXXII: *Ex ſeceſſibus præcipuè frequentavit maritima, inſulasque Campaniæ; aut proxima Vrbi opida, Lanuvium, Præneſte, Tibur*. In libro de Illuſtribus grammaticis cap. XVII, de Verrio Flacco loquens: *Statuam habet Præneſte, in inferiore fori parte*. Cicero in Catilinariâ primâ: *Quid, quum te Præneſte occupaturum nocturno impetu eſſe confideres?* Livius lib. VI: *Gallos mox Præneſte veniſſe, auditum eſt*. Eutropius lib. II: *Campaniam depopulatus eſt: atque ad Præneſte venit*. Velleius Paterculus lib. II: *Oppugnationi Præneſtis ac Marii præfuerat Ofella Lucretius*. Propertius lib. II eleg. XXXII:

Nam quid Præneſtis dubias, ô Cynthia, ſorteis,
Quid petis Aeæi mœnia Telegoni?

At quemadmodùm *Soracte* Hetruriæ mons, & *Reate* Sabinorum opidum, ut ſuprà lib. II cap. III & VIIII intellectum, Græcis dicebantur Σώρακτος & Ῥέατος, ita *Præneſte* etiam Dionyſio, ac Straboni & Plutarcho, & Appiano Stephanique epitomatori dicitur Πραίνεστος. Strabonem mox videbimus. Plutarchus in Syllâ: Μάριος ἔφυγεν εἰς Πραίνεστον· *Marius fugâ Præneſte contendit*. Alium Plutarchi locum ex Parallelis infrà producemus. Appianus Civil. bellor. lib. I: Ὧδε μὲν δὴ καὶ Πραίνεστος ἑάλω. *Sic equidem Præneſtus quoque capta eſt*. Dionyſius lib, IIII: Πόλις ἦν τῶν Λατίνων γένους, ἐπὶ τῆς εἰς Πραίνεστον φερούσης ὁδοῦ κειμένη. Γαβίους ταύτην ἐκάλουν. Id eſt: *Opidum erat Latinorum gentis, in viâ, quæ Præneſtum fert, nomine Gabii*. Stephani breviator: Πραίνεστος, πόλις Ἰταλίας. *Præneſtus, opidum Italiæ*. Apud Plautum in Captivis, ubi Ergaſilus paraſitus Hegioni per Latii novi urbeis jurat, ita legitur:

HEG. *Et captivum illum Aulidenſem?* ERG. Μὰ τὸν Ἀπόλλω. HEG. *Et ſervolum*
Meum Stalagmum; meum qui gnatum ſurripuit? ERG. Νὴ τὰν Σόραν.
HEG. *Iam diu?* ERG. Νὴ τὰν Πραινέστην. HEG. *Venit?* ERG. Νὴ τὰν Σιγνίαν.
HEG. *Certon'?* ERG. Νὴ τὰν Φρουσινῶνα. HEG. *Videſis.* ERG. Νὴ τὸν Ἀλάτριον.
HEG. *Quid tu per barbaricas urbeis juras?*

Heic ſanè minimè inducor, uti credam, ipſum ſcripſiſſe Plautum, τὰν Πραινέστην. ſed quum feminini generis articulus præmiſſus eſſet; grammaticos exſcriptores vocabulum genuinum Πραίνεστον corrigendum in illud cenſuiſſe. Quin iſtud etiam τὸν Ἀλάτριον vitioſum eſt; quum omnibus reliquis auctoribus, Latinis pariter atque Græcis, dicatur neutro genere τὸ Ἀλάτριον, ſive τὸ Ἀλήτριον. At ſi heic ipſe Plautus, ut quidam corrigunt, ſcripſit τὸ Ἀλάτριον, certè & τὸν Φρουσινῶνα ipſum ſcripſiſſe concedas, neceſſe erit; quando *Fruſino* generis erat maſculini; ut infrà videbimus. Verùm ego facilè crediderim, ubique ſcripſiſſe Plautum articulum feminini generis τὰν, quem referebat ad vocem πόλιν. Apud Ptolemæum quoque neſcio an rectè ſcriptum nunc ſit neutro genere τὸ Πραίνεστον. Cæterùm opidani paſſim auctoribus dicuntur Πραινεστῖνοι, PRAENESTINI. qui haud dubiè & ipſi corrupto vocabulo apud Appianum dicto Civil. bellor. lib. I Πραινέσιοι· quum apud Dionyſium lib. V ſint Πραινεστηνοὶ, ab exſcriptoribus poſterioris ævi uſitatiſſimo more, quo η valebat ι, ut innumera alia, ſic formati, loco Πραινεστῖνοι. Stephani epitomator: Πραίνεστος, πόλις Ἰταλίας. ὁ πολίτης Πραινεστῖνος. Id eſt: *Præneſtus, opidum Italiæ. opidanus inde dicitur Præneſtinus*. Sic Varro de Latinâ lingvâ lib. IIII: *A Præneſte Præneſtinus*. Sic & alii, quos mox citabo. De nominis origine ſic tradit Pompeius Feſtus: *Præneſte dicta eſt, quia is locus, quo condita eſt, montibus præſtet*. Sed hoc ille aliunde habuit. Servius ad ſuprà ſcriptum locum Virgilii Aeneid. lib. VII: *Altum Præneſte. Cato dicit, quia is locus montibus præſtet, Præneſte opido nomen dedit*. Sanè merè grammatica, non hiſtorica, eſt originatio. Stephani epitomator ita tradit: Πραίνεστος, πόλις Ἰταλίας, ἀπὸ Πραινέστου, τοῦ Λατίνου, τοῦ Ὀδυσσέως καὶ Κίρκης υἱοῦ. Id eſt: *Præneſtus, opidum Italiæ; à Præneſto, Latini, Vlyſſis & Circes filii, filio dictum*. Martianus Capella lib. VI: *Præneſte conditum ab Vlyſſis nepote Præneſte. licèt alii velint Cæculum conditorem: quem pignus adſerunt fuiſſe flammarum*. At illud antiquus in primis tradidit auctor Zenodotus Trœzenius: quem Dionyſius lib. II teſtatur Vmbricæ gentis hiſtoriam ſcripſiſſe. quamquàm Svidas etiam alium referat Zenodotum, *Epheſium* natione Alexandrinum; qui Romæ neſcio quibus temporibus vixerit. Solinus cap. VIII: *Præ-*

neſte

neſte conditum eſt, ut Zenodotus refert, à Præneſte, Vlyſſis nepote, Latini filio: aut, ut Præneſtini ſonant libri, à Cæculo: quem juxta igneis fortuitos invenerunt, ut fama eſt, Digitiorum ſorores. De hoc *Cæculo* ita canit Virgilius dicto Aeneid. lib. VII:

Nec Præneſtinæ fundator defuit urbis;
Vulcano genitum pecora inter agreſtia regem,
Inventumque focis, omnis quem credidit ætas;
Cæculus.

Ad quæ ita commentatur Servius: *Præneſte locus eſt haud longè ab Vrbe; dictus* ἀπὸ τῶν πρίνων, *id eſt, ab ilicibus, quæ illic abundant. Ibi erant pontifices & dii Indigetes; ſicut etiam Romæ. erant etiam duo fratres, qui Divi adpellabantur. Horum ſoror dum ad focum ſederet, deſiliens ſcintilla eius uterum percuſſit. inde dicitur concepiſſe. Poſteà enixa puerum juxta templum Iovis abjecit. quem virgines, aquatum euntes, juxta ignem inventum ſuſtulerunt; qui haud longè à fonte erat. unde Vulcani dictus eſt filius. Cæculus autem ideò, quia oculis minoribus fuit. quam rem frequenter efficit fumus. Hic poſteà collectâ multitudine, poſtquàm diu latrocinatus eſt; Præneſtinam civitatem in montibus condidit. & quum ad ludos vicinos populeos invitaſſet, cœpit eos hortari, ut ſecum habitarent; & pro gloriâ jactare, ſe filium eſſe Vulcani. quod quum illi non cederent; invocato Vulcano, ut eum filium comprobaret, omnis illius multitudinis chorus eſt flammâ circumdatus. quo facto commoti, omnes ſimul habitaverunt; & Vulcani filium eſſe crediderunt. hinc eſt: Omnis quem credidit ætas,* Hæc igitur de *Cæculo* tradita eſt à quibusdam μυθολόγοις fabula. *Duo* tamen iſti *fratres* non *Divi*, ſed *Digitii*, ut habet Solinus, haud dubiè ab ipſo ſcripti fuêre Servio. At apud Plutarchum in Parallelis tertius memoratur urbis Præneſtinæ conditor. Τηλέγονος, inquit, ὁ Ὀδυσσέως καὶ Κίρκης, ἐπὶ ἀναζήτησιν τοῦ πατρὸς πεμφθεὶς, ἔμαθε πόλιν κτίσαι, ἔνθα ἂν ἴδῃ γεωργοὺς ἐστεφανωμένους, καὶ χορεύοντας. Γενόμενος δὲ κατά τινα τόπον τῆς Ἰταλίας, καὶ θεασάμενος ἀγροίκους πρινίνοις κλάδοις ἐστεφανωμένους, καὶ ὀρχήσει προσδιημερεῦντας, ἔκτισε πόλιν, ἀπὸ τοῦ συγκυρήματος Πρίνιστον ὀνομάσας, ἣν Ῥωμαῖοι παραγώγως Πραίνεστον καλοῦσιν· ὡς ἱστορεῖ Ἀριστοκλῆς ἐν τρίτῳ Ἰταλικῶν. Id eſt: *Telegonus, Vlyſſis & Circes filius, miſſus ad indagandum patrem, monitus eſt, uti ibi urbem conderet, ubi ſerta gerenteis agricolas ſaltare videret. quumque in quemdam Italiæ locum deveniſſet; offendit colonos ramis ilignis redimitos choréis vacare. itaque urbem ibi condidit; & ab rei argumento Priniſtum nominavit: (quod vocabulum Romani detortum dicunt Præneſtus:) ut Ariſtocles tradit in Italicar. rer. lib.* III. Hinc Plinius lib. III cap. V: *Præneſtini: urbe quondam Stephane dictâ.* Vt innumeros paſſim alios, ita circa hanc etiam fœdum nobis tradidit errorem Stephanus: cuius epitomator, Τίβυρις, inquit, πόλις Ἰταλίας. αὕτη Πολυστέφανος ὠνομάζετο πρότερον. Id eſt: *Tiburis, opidum Italiæ. Hoc anteà Polyſtephanus vocabatur.* Sed hunc errorem ex Strabone hauſiſſe videtur Stephanus, oſcitanter perlecto. ſic quidpe ille habet lib. V: Εἶθ᾽ ἡ Πραίνεστος περὶ ἧς αὐτίκα ἐροῦμεν. * . * . Ἐν ὄψει δ᾽ εἰσὶ τοῖς ἐν Ῥώμῃ Τίβουρά τε καὶ Πραίνεστος καὶ Τοῦσκλον. Τίβουρα μὲν, ἡ τὸ Ἡράκλειον. * . * . Πραίνεστος δ᾽ ἐστὶν, ὅπου τὸ τῆς Τύχης ἱερὸν ἐπίσημον χρηστηριάζον. Ἀμφότεραι δ᾽ αἱ πόλεις αὗται τῇ αὐτῇ προσιδρυμέναι τυγχάνουσιν ὀρεινῇ· διέχουσι δ᾽ ἀλλήλων ὅσον σταδίους ἑκατόν· τῆς δὲ Ῥώμης Πραίνεστος μὲν καὶ διπλάσιον, Τίβουρα δ᾽ ἔλαττον. Φασὶ δ᾽ Ἑλληνίδας ἀμφοτέρας· Πραίνεστον γοῦν Πολυστέφανον καλεῖσθαι πρότερον. Ἐρυμνὴ μὲν οὖν ἑκατέρα· πολὺ δ᾽ ἐρυμνοτέρα Πραίνεστος. ἄκρον γὰρ ἔχει τῆς μὲν πόλεως ὕπερθεν ὄρος ὑψηλὸν, ὄπισθεν δ᾽ ἀπὸ τῆς συνεχούσης ὀρεινῆς αὐχένι διεζευγμένον, ὑπεραῖρον καὶ δυσὶ σταδίοις τούτου πρὸς ὀρθίαν ἀνάβασιν. πρὸς δὲ τῇ ἐρυμνότητι καὶ διώρυξι κρυπταῖς διατέτρηται πανταχόθεν, μέχρι τῶν πεδίων· τῶν μὲν ὑδρίας χάριν, τῶν δὲ ἐξόδων λαθραίων. ὧν ἐν μιᾷ Μάριος πολιορκούμενος ἀπέθανε. Ταῖς μὲν οὖν ἄλλαις πόλεσι πλεῖστον τὸ εὐερκὲς πρὸς ἀγαθοῦ τίθεται· Πραινεστίνοις δὲ συμφορὰ γεγένηται διὰ τὰς Ῥωμαίων στάσεις. καταφεύγουσι γὰρ ἐκεῖσε οἱ νεωτερίσαντες. ἐπολιορκηθέντων δὲ, πρὸς τῇ κακώσει τῆς πόλεως καὶ τὴν χώραν ἀπαλλοτριοῦσθαι συμβαίνει· τῆς αἰτίας μεταφερομένης ἐπὶ τοὺς ἀναιτίους. Hoc eſt: *Sequitur deinde Præneſtus: de qua mox dicemus.* Paullo pôſt: *in conſpectu Romæ ſunt Tibura, Præneſtus, & Tuſculum. Apud Tibura, Herculis eſt fanum.* Mox: *Præneſtus autem eſt, apud quam templum eſt Fortunæ & ſortes eius celebres. Vtraque urbs ad unum idemque montis jugum condita eſt. diſtantque inter ſe ſtadia* C *à Româ verò Præneſtus alterum tantum: Tibura aliquanto propiora ſunt. Græcanicam utramque tradunt eſſe urbem. Cæterum Præneſtum olim adpellatam fuiſſe Polyſtephanum. Vtraque munita eſt loci naturâ. magis tamen Præneſtus. nam arcis loco ſupra urbem adjacet mons excelſus; qui à tergo imminentis jugi continuitati anguſto quodam tranſitu*

& quaſi

& quaſi cervice quadam avellitur; recto adſcenſu duobus altior ſtadiis. Accedit ad naturalem hanc munitionem, quòd undique urbs eſt cuniculis occultis perforata. quo alii aquæ ducendæ, alii clandeſtinis exitibus inſerviunt. in quorum uno obſeſſus Marius junior interiit. Enimverò ut aliis urbibus in parte felicitatis copia rerum ponitur; ita contrà Præneſtinis ſua opulentia calamitoſa fuit, ob Romanorum ſeditiones. nam qui res novas moliebantur, eò confugiebant. quibus expugnatis, cùm alia damna urbi injungebantur, tùm ager adimebatur; culpâ à ſontibus in innoxios translatâ. De Mario ita habet Epitomator Livii lib. LXXXVIII: *C. Marius Præneſte obſeſſus à Lucretio Aſellâ* [*Ofellam* vocat Velleius loco ſuprà ſcripto] *Syllanarum partium viro, quum per cuniculum captaret evadere, ſeptus ab exercitu, mortem ſibi conſcivit in ipſo cuniculo: quum ſentiret, ſe evadere minimè poſſe, cum Pontio Teleſino, fugæ comite, ſtricto utrimque gladio concurrit. quem quum occidiſſet, ipſe ſaucius à ſervo impetravit, ut ſe occideret.* Cæterùm quum *Græcam* eſſe *urbem* antiquiſſimi auctores tradiderint; aliique etiam ſuprà ad Tuſculum dictum *Telegonum*, alii verò *Præneſtum*, Latini filium, origini eius admiſcuerint; haud perinde dubiis hinc colligere licet argumentis, hanc quoque cum reliquis *Priſci Latii* opidis à primis Latinis, id eſt, à Pelaſgis atque Aboriginibus, duce Euandro, vel de novo conditam, vel, pulſis inde primis cultoribus Siculis, occupatam fuiſſe. quorum hoc haud obſcurè innuit Virgilius. qui quamvìs ſuprà dicto Aeneid. lib. VII in Turni acie fingat Præneſtis conditorem Cæculum; tamen poſteà lib. VIII Euandrum introducit, filium ſuum, quem in auxilium Aeneæ mittebat, ſic adfantem:

O, mihi præteritos referat ſi Iupiter annos,
Qualis eram, quum primam aciem Præneſte ſub ipsâ
Stravi; ſcutorumque incendi victor acervos:
Et regem hac Herilum dextrâ ſub Tartara miſi:
Non ego nunc dulci amplexu divellerer usquàm,
Gnate, tuo.

Herilus iſte fuiſſe videtur vel rex vel dux quidam Siculorum; qui, ingruentibus Latinis, *Præneſte* tuebatur. Tanta igitur huius quoque urbis antiquitas eſt: ut quæ & ipſa CIↃ IↃ amplius annis ante Ieſum natum condita. Hinc etiam inter alios Priſci Latii populos connumerata fuit. Livius lib. II: *Præneſte ab Latinis ad Romanos deſcivit.* Amplam tenuiſſe ditionem, patet ex eiusdem Livii lib. VI; ubi ita ait: *Octo prætereà opida erant ſub ditione Præneſtinorum. ad ea circumlatum bellum. Coloniam* poſteà factam Romanorum ex Ciceronis ſuprà dictâ Catilinariâ primâ patet. *Quid, quum te Præneſte*, inquit, *occupaturum nocturno impetu eſſe confideres; ſenſiſtine, illam coloniam meo juſſu, meis præſidiis, cuſtodiis, vigiliisque eſſe munitam?* Hinc Frontinus in libro de Coloniis: *Præneſte opidum. ager eius à III-viris pro parte in jugeribus eſt adſignatus.* Sed *municipium* etiam fuiſſe, teſtantur lapides antiqui; tum Florus atque Feſtus. quorum ille lib. III cap. XXI, quod eſt de bello civili Mariano: *Poſitis ſingulorum hominum ferè pœnis; municipia Italiæ ſplendidiſſima ſub haſta venierunt; Spoletium, Interamnium, Præneſte, Florentia.* Vt Florus inter *ſplendidiſſimas Italiæ* urbeis Præneſte computat, ita Appianus dicto Civil. bellor. lib. I inter *opulentiſſimas*; eamdem cum Floro hiſtoriam narrans de bello Mariano; τὴν πόλιν, inquit, διήρπαζε, πολυχρήματον ἐν τοῖς μάλιστα τότε οὖσαν. ὧδε μὲν δὴ καὶ Πραινέστος ἑάλω. Id eſt: *Vrbem diripuit; in primis tunc opulentam.* At nihil penè æquè celebre fuit Præneſte ac FORTVNAE PRIMIGENIAE in innumeris ferè lapidibus cognominatæ templum; inque eo ſortes, & Digitiorum ſororum cultus. unde Statius, ſuprà dicto Silvar. lib. IIII carm. IIII, ſacrum dixit Præneſte; & Silius dicto lib. VIII;

——— *Sacrisque dicatum*
Fortunæ Præneſte jugis.

Idem Statius Silvar. lib. I carm. III; ubi Manlii Vopiſci celebratur villæ Tiburtinæ amœnitas:

Quòd ni templa darent alias Tirynthia ſorteis,
Et Præneſtinæ poterant migrare ſorores.

Adeò vult amœnum eſſe *Tibur*, ut etiam *Præneſtinæ* eò migrare poſſent *ſortes*; ni jam anteà *aliæ* illic forent *ſortes*, in templo *Herculis*: de quo poſteà dicemus. Valerius Maximus lib. I cap. III: *Lutatius, qui primum Punicum bellum confecit, à ſenatu prohibitus*

FORTVNAE PRIMIGENIAE *apud* Præneſte.

prohibitus eſt ſorteis Fortunæ Præneſtinæ adire. auſpiciis enim patriis, non alienigenis, rempublicam adminiſtrari oportere judicabant. Verùm *ſorteis* has earumque originem copioſè deſcribit Cicero Divination. lib. II. *Sortes*, inquit, *reſtant, & Chaldæi; ut ad vates & ſomnia veniamus. dicendum igitur putas de Sortibus. Quid enim Sors eſt? Idem propemodùm, quod micare; quod talos jacere; quod teſſeras. quibus temeritas & caſus, non ratio nec conſilium, valet. tota res eſt inventa fallaciis, aut ad quæſtum, aut ad ſuperſtitionem, aut ad errorem. Atque, ut in haruſpicinâ fecimus, ſic videamus, clariſſimarum ſortium quæ tradatur inventio. Numerium Suffucium, Præneſtinorum monumenta declarant, honeſtum hominem & nobilem, ſomnis crebris, ad extremum etiam minantibus, quum juberetur certo in loco ſilicem cædere, perterritum viſis, irridentibus ſuis civibus, id agere cœpiſſe. itaque perfracto ſaxo, ſorteis erupiſſe; in robore inſculptas priſcarum literarum notas. Is eſt hodiè locus ſeptus religioſè, propter Iovis pueri; qui lactens cum Iunone in gremio Fortunæ ſedens, mammam adpetens, caſtiſſimè colitur à matribus. Eodem tempore illo loco, ubi nunc Fortunæ ſita ædes eſt, mel ex oleâ fluxiſſe dicunt: haruſpicesque dixiſſe, ſummâ nobilitate illas ſorteis futuras: eorumque juſſu ex illâ oleâ arcam eſſe factam: eâque conditas ſorteis: quæ hodiè Fortunæ monitu tolluntur. Quid igitur in his poteſt eſſe certi, quæ Fortunæ monitu pueri manu miſcentur, atque ducuntur? Quomodò autem iſtæ poſitæ in illo loco? quis robur illud cecîdit? dolavit? inſcripſit? Nihil eſt, inquiunt, quod Deus efficere non poſſit. Vtinam ſapienteis Stoicos effeciſſet; ne omnia ſuperſtitioſâ ſolicitudine & miſeriâ crederent. Sed hoc quidem genus divinationis vita jam communis exploſit. Fani pulchritudo & vetuſtas Præneſtinarum etiam nunc ſortium retinet nomen: atque id in vulgus. quis enim magiſtratus, aut quis vir illuſtrior, utitur ſortibus? Cæteris verò in locis ſortes planè refrixerunt.* Fuêre præthereà *Tibure*; ut ſuprà dictum: fuêre item *Antii*, in æde itidem Fortunæ; ut infrà videbimus, in Volſcorum expoſitione.

PRAENESTINI *montes*.

Cæterùm montis jugum in cuius meridionali latere Præneſte ſitum eſt, inter Anienis ſiniſtram ripam & planiciem, per quam fert Labicana via ab urbe Româ versùs Terentinum, protenditur. Pars eius, quà Præneſtinus erat ager, PRAENESTINI vocantur MONTES Livio ſuprà dicto lib. III. *Lucretium*, inquit, *dum in Hernicis ſedet, prædonum agmen fefellit, ſupra monteis Præneſtinos ductum. inde demiſſum in campos, vaſtavêre agros Præneſtinum Gabinumque. ex Gabino in Tuſculanos flexêre colleis.* Per campos intelligit prædictam planitiem, quæ inter Præneſtinos Tuſculanosque ſternitur monteis.

GABII.

Porrò in viâ Præneſtinâ inter Romam & Præneſte fuit ipſum *opidum* GABII; quod totum jam dudum adeò interiit, uti hoc noſtro ſæculo de loco eius inter doctos viros diſceptetur. Memoratur Varroni, Propertio, Virgilio, Ovidio, Diodoro, Livio, Dionyſio, Valerio Maximo, Straboni, Lucano, Plutarcho, Appiano, Solino, Itinerariis, Eutropio, Stephani epitomatori, & aliis. Opidani inde dicuntur GABINI. Varro de Latinâ lingvâ lib. IIII: *Gabinus ab opido Gabiis*. Frontinus Strategemat. lib. I cap. I memorat *principes Gabiorum*; & lib. III cap. III *Gabios* atque *Gabinos*. Sic paſſim Livio & aliis omnibus, quos citatum imus, auctoribus ſemper opidum plurali numero Gabii, opidani Gabini dicuntur. eò magis miror, quum ipſi quoque Plinio lib. III cap. V ſint *Gabini* opidani; eidem in lib. II cap. XCIII dici *Gabienſem agrum*. *Quædam verò*, inquit, *terræ ad ingreſſus tremunt. ſicut in Gabienſi agro, non procul urbe Româ, jugera fermè ducenta equitantium curſu.* Situm opidi quod attinet; quidam hoc ſæculo Gallicanum id interpretantur; quod ego veteres Laricos eſſe paullo antè oſtendi: alii verò volunt eſſe proximum ei opidulum *Columnam*. utroſque vel unus ſatis coarguerit Livius lib. XXVI, his verbis: *Hannibal per Fruſinatem Ferentinatemque & Anagninum agrum in Lavicanum venit. inde Algido Tuſculum petiit. nec receptus mœnibus, infra Tuſculum dextrorſus Gabios deſcendit. inde in Pupiniam exercitu demiſſo, octo millia paſſuum à Româ poſuit caſtra. Algidum* fuiſſe in viâ Latinâ ultra Tuſculum, ad vallem Albanam, ubi nunc diverſorium publicum vulgari vocabulo dicitur *L'Oſtería*, ſuprà hoc capite dictum, & lib. II cap. XVI abundè demonſtratum eſt. Ab hoc igitur loco ſi Hannibal per Tuſculum ad *Gallicanum* vel *Columnam* ivit, atque hinc tandem ad octavum ab Vrbe lapidem caſtra poſuit; næ ille per inutileis ambages Romam petiit. Quamquàm nec deſcendere dici poſſunt ii, qui ab *Tuſculo* rectâ viâ *Gallicanum* tendunt. At idem

Livius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Livius lib. v, de Gallis loquens, qui Romam ceperant; *Iuſtiore*, inquit, *altero deinde prœlio ad octavum lapidem Gabinâ viâ, quo ſe ex fugâ contulerant, eiusdem ductu auſpicioque Camilli vincuntur*. Libro autem vi ſic ait: *Quin ipſi Galli ſi offerantur; illo loco ſe ita pugnaturos, ut Romæ pugnaverint in repetendâ patriâ; ut poſtero die ad Gabios*. Et lib. xxii; de eodem Camillo: *Deſcendit in equum: atque illo ipſo die mediâ in Vrbe, & poſtero die circa Gabios cecîdit Gallorum legiones*. An igitur *Gabii* viii tantùm millia paſſuum à Româ abfuêre? Minimè. negat hoc ipſe Livius, dicto lib. xxvi: ubi ait, à *Gabiis* tandem *in Pupiniam demiſſo exercitu, octo millia paſſuum à Româ poſuiſſe caſtra Hannibalem*. Alios igitur etiam audiamus auctores. Appianus Civil. bellor. lib. v: Γάβιοι, πόλις ἐν μέσῳ Ῥώμης τε καὶ Πραινέστου. Id eſt: *Gabii, opidum in medio Romæ ac Præneſtis*. Strabo lib. v: Γάβιοι, πόλις ἐν τῇ Πραινεστίνῃ ὁδῷ κειμένη, διέχουσα τὸ ἴσον τῆς Ῥώμης τε καὶ Πραινέστου, περὶ ἑκατὸν σταδίους. Id eſt: *Gabii, opidum in Præneſtinâ viâ, æquali à Româ pariter & Præneſte diſtans intervallo*. Et paullo pòſt, de *Tibure* ac *Præneſte* loquens: Διέχουσι δ᾽ ἀλλήλων ὅσον σταδίους ἑκατόν. τῆς δὲ Ῥώμης Πραίνεστος μὲν καὶ διπλάσιον, Τίβουρα δ᾽ ἔλαττον. Hoc eſt: *Diſtant autem inter ſe ſtadia* c. *ab Româ autem Præneſte alterum tantum abeſt: Tibur verò minus*. Dionyſius lib. iiii: πόλις ἦν τοῦ Λατίνων γένους, Ἀλβανῶν ἀποίκισις, ἀπέχουσα τῆς Ῥώμης σταδίους ἑκατὸν, ἐπὶ τῆς εἰς Πραίνεστον φερούσης ὁδοῦ κειμένη· Γαβίους ταύτην ἐκάλουν. Id eſt: *Opidum erat Latinorum gentis, Albanorum colonia, viâ Præneſtinâ,* c *ſtadiis ab Româ diſitâ; quam Gabios adpellabant*. Stadia centum efficiunt millia xii paſſus iↃ; ſtadia cc reddunt millia paſſuum xxv. At hic numerus aliquanto excedit intervallum inter Præneſte & Romam. & aliter item computarunt Latini auctores. Eutropius lib. ii, & Paullus Diaconus Hiſtoriæ miſcellæ lib. ii, de Pyrrho: *Campaniam depopulatus eſt; atque ad Præneſte venit, milliario ab Vrbe octavo decimo*. Florus lib. i cap. xviii: *Victor primo prœlio Pyrrhus, totam trementem Campaniam, Lirim, Fregellasque populatus, propè captam Vrbem à Præneſtinâ arce proſpexit; & à vigeſimo lapide oculos trepidæ civitatis fumo ac pulvere implevit*. Auctor de Viris illuſtribus, in Pyrrho: *Ad vigeſimum lapidem ab Vrbe caſtra poſuit*. Certè hodiéque xviii, alii xx millia inter Præneſte & Romam numerant. Ipſe ego xx re verâ deprehendi. Strabo ait, dimidium eius ſpacii, quod eſt inter Præneſte & Romam *Tibur* à *Præneſte* diſtare. at hodiè inter hæc opida x numerantur millia. ergo rectè etiam inter Romam & Præneſte xx cenſentur millia. Antiquiores tamen illos Romanos minutioribus milliaribus uſos eſſe, patet cùm ex ſuprà ſcriptis Strabonis verbis, tùm ex Itinerariis, quæ ita habent:

Tabulæ:		Antonini:	
Româ, viâ Preneſtinâ		*Præneſtinâ, ab Vrbe*	
Gabios	xii.	*Gabios*	xv.
Præneſte	xi.	*Præneſte*	xi.

Apud Antoninum inter Romam & *Gabios* xii millia corrupta eſſe in xv, ex ſuprà dictis manifeſtum eſt. Ne autem ſuſpiceris, deflexiſſe hanc viam Præneſtinam inter Romam & Præneſte ad ſiniſtram dextramve à recto meatu; uti eâ ratione xxiii millia paſſuum impleverit, quæ nunc directo curſu xx tantùm contineat; certum eſt, plus xx millibus hoc intervallo computaſſe veteres Romanos; quando inter Tibur & Romam xx millia numeraverunt. teſtantur id eadem Itineraria; quæ ſic habent:

Tabulæ:		Antonini:	
Româ, viâ Tiburtinâ		*Viâ Valeriâ, ab Vrbe*	
Ad Aquas Albulas	xvi.	|	
Tibori	....	*Tiburi*	xx.

Sunt hodiéque inter Albulas iſtas aquas & Tibur iiii juſta Romanorum millia paſſuum; quæ in Tabulâ interierunt. Martialis lib. i epigram. iii:

Itur ad Herculei gelidas quà Tiburis arceis,
Canaque ſulfureis Albula fumat aquis;

Rura, nemuſque ſacrum, dilectaque jugera Muſis,
Signat vicinâ quartus ab urbe lapis.

Et lib. IIII, epigram. LVII:

Dum nos blanda tenent laſcivi ſtagna Lucrini,
Et quæ pumiceis fontibus antra calent;
Tu colis Argivi regnum Fauſtine coloni:
Quò te bis decimus ducit ab Vrbe lapis.
Herculeos colleis gelidâ vos vincite brumâ:
Nunc Tiburtinis cedite frigoribus.

At Strabo ait, Tibur propinquius eſſe Romæ, quàm Præneſte. & hodiéque ex medio urbis Romæ Tibur usque XVIII ſunt milliaria; quum ad Præneſte ſint XX. Vt igitur illo itinere duo ampliùs numerarunt priſci mortales millia paſſuum; ſic hoc tria. Conſtat itaque jam claris documentis, Gabios medio fermè fuiſſe itinere inter Romam & Præneſte; uno exiguo milliari propiùs hoc opidum, quàm Romam. Eſt hodiè medio hoc itinere diverſorium publicum in viâ Præneſtinâ, quod vulgari lingvâ incolæ dicunt *L'Oſteria del Finocchio*. juxta hoc, quà Tuſculum verſùs adſcenditur, veſtigia quædam cernuntur in leniſſimè adſurgentibus tumulis veterum murorum ædificiorumque. hæc ego ex ſitu & itineris ductu antiquorum *Gabiorum* reliquias eſſe judico. & via inde verſùs *Tuſculum* ſilice ſtratæ exiguum quoddam deprehendi veſtigium. Cæterùm originem opidi conditoreſque quod attinet; ſuprà è Dionyſio intelleximus, τῶν Ἀλβανῶν fuiſſe ἀποικίαν, id eſt, *Albanorum coloniam*. cui conſentiens Virgilius Aeneid. lib. VI, Anchiſen fingit apud inferos ita filio Aeneæ de Albanis regibus prædicentem:

Hi tibi Nomentum & Gabios urbemque Fidenam,
Hi Collatinos imponent montibus arceis,
Pomerios Caſtrumque Inui Bolamque Coramque.
Hæc tum nomina erunt: nunc ſunt ſine nomine terræ.

Ad quem locum ita Servius: *Hæ civitates ſunt priſcorum Latinorum ab Albanis regibus conſtitutæ.* Verùm Strabo, loco ſuprâ citato, diſertè teſtatur, æquè *Græcanicam* fuiſſe urbeis *Gabios*, ac *Tibur*. quod ne ipſe quidem totum abnuerit Dionyſius: qui lib. I de Romulo ac Remo, falſis illis Romanæ urbis conditoribus, ita ſcribit: Ἡνίκα δὲ τῆς ἐν τῷ γάλακτι τροφῆς ἀπηλλάγη τὰ παιδία, δοθῆναί φασι πρὸς τῶν τρεφόντων εἰς Γαβίους, πόλιν οὐ μακρὰν ἀπὸ τοῦ Παλαντίου κειμένην, ὡς Ἑλλάδα παιδείαν ἐκμάθοιεν. Hoc eſt: *Amotos à nutricis uberibus pueros aiunt Gabios, opidum haud procul à Palantio diſſitum, à nutriciis deportatos fuiſſe; uti Græcis ibi diſciplinis imbuerentur.* Plutarchus in Romulo: Τὰ δὲ βρέφη Φαυστύλος, Ἀμουλίου συφορβός, ἀνείλετο, λαθὼν ἅπαντας· ὡς δ' ἔνιοί φασι, εἰδότος τοῦ Νομήτορος καὶ συγχορηγοῦντος τροφὰς κρύφα τοῖς τρέφουσι. καὶ γράμματα λέγονται καὶ τἆλλα μανθάνειν οἱ παῖδες εἰς Γαβίους κομισθέντες, ὅσα χρὴ τοὺς εὖ γεγονότας. Id eſt: *Fauſtulus, Amulii ſubulcus, infanteis clam omnibus ſuſtulit. Alii tamen veritati magis conſona referunt: conſcio Numitore, & alimenta ſuppeditante ſecretò nutritiis, pueros literis omnique liberali diſciplinâ Gabiis inſtitutos.* Complures hoc tradidêre auctores. ſic quidpe habet Pompeius Feſtus: *Diocles Peparethius ait, repertos Accam Laurentiam, Fauſtuli uxorem, educaſſe. Plerique tamen, conſcio & alimenta præbente Numitore, nutritos aiunt; quòd Ilia, ex Marte ſe peperiſſe eos, adſeverabat: ac ſecretò literis omnique liberali diſciplinâ Gabiis inſtitutos atque excultos fuiſſe.* Hinc illud Stephani; quod ſive ipſe ſive epitomator eius per ſummam imperitiam inter vocabula à litera T incipientia retulit: Τάβιοι, πόλις Ἰταλίας, ἐν ᾗ οἱ περὶ Ῥέμον ἐπαιδεύθησαν. Id eſt: *Tabii, opidum Italiæ; in qua Remus educatus* eruditusque fuit. At *Tibur* opidum ab Euandri ſociis conditum fuiſſe, mox infrà patebit. Ab iiſdem igitur Pelaſgis atque Aboriginibus, id eſt, à primis Latinis, quorum regem fuiſſe Euandrum, ſuprà cap. I & II demonſtratum eſt, aut conditos fuiſſe, aut, pulſis inde prioribus incolis Siculis, occupatos, certum eſt. Sed hoc diſertè etiam, neſcio quos ſequutus auctores antiquos teſtatur Solinus cap. VIII. *Notum eſt*, inquit, *Gabios à Galatio & Bio, Siculis fratribus, conſtitutos.* Adeò validam potentemque antiquiſſimis illis temporibus fuiſſe urbem, uti Tarquinius Superbus, quum jam omne priſcum Latium ſubegiſſet, vi hanc capere nequiret, tradunt Romæ hiſtoriæ. Livius lib. I: *Excepit deinde eum lentius ſpe bellum, quo Gabios, propinquam*

quam urbem, nequidquàm vi adortus. quum obſidendi quoque urbem ſpes pulſo à mœnibus adempta eſſet; poſtremò, minimè arte Romanâ, fraude ac dolo adgreſſus eſt. nam, quum, velut poſito bello, fundamentis templi jaciendis aliisque urbanis operibus intentum ſe eſſe ſimularet; Sextus, filius eius, qui minimus ex tribus erat, transfugit ex compoſito Gabios; patris in ſe ſævitiam intolerabilem conquerens. Verùm quia ſequentia paullo prolixiùs à Livio narrantur compendium totius hiſtoriæ è Valerio Maximo citabimus. is lib. VII cap. IIII, *Sextus*, inquit, *Tarquinius, Tarquinii filius, indignè ferens, quòd patris viribus expugnari Gabii nequirent; valentiorem armis excogitavit rationem, qua interceptum id opidum Romano imperio adiiceret. ſubitò namque ſe ad Gabinos contulit; tamquàm parentis ſævitiam & verbera, quæ voluntate ſuâ perpeſſus erat, fugiens. at paullatim uniuscuiusque fictis & compoſitis blanditiis adliciendo benevolentiam, ut apud omneis plurimum poſſet, conſequutus; familiarem ſuum ad patrem miſit, indicaturum, quemadmodùm in ſuâ manu haberet univerſa; & quæſiturum, quidnam fieri vellet. Iuvenili calliditati ſenilis aſtutia reſpondit. ſiquidem re eximiâ delectatus Tarquinius; fidei autem nuncii parum credens; nihil reſpondit: ſed ſeducto eo in hortum, maxima & altiſſima papaverum capita baculo decuſſit. Cognito adoleſcens ſilentio patris ſimul ac facto, cauſam altioris argumenti pervidit: nec ignoravit, præcipi ſibi, ut excellentiſſimum quemque Gabinorum aut exſilio amoveret, aut morte conſumeret. Ergo ſpoliatam bonis propugnatoribus civitatem tantùm non vinctis manibus ei tradidit.* Eamdem hiſtoriam Ovidius refert Faſtor. lib. II: ſed longè fuſiùs Dionyſius dicto lib. IIII. Iam inde ſub Auguſti imperio deſertam fuiſſe plurimâ ſui parte urbem, complures teſtantur auctores. Cicero in oratione pro Cn. Plancio: *Niſi fortè te Lavicana aut Bovillana aut Gabina vicinitas adjuvabat: quibus è municipiis vix jam, qui carnem Latinis petant, inveniuntur.* Horatius epiſt. XI libri primi:

> *Scis, Lebedus quàm ſit Gabiis deſertior atque*
> *Fidenis vicus.*

Propertius lib. IIII eleg. I:

> *Quidpe ſuburbanæ parvâ minus urbe Bovillæ;*
> *Et, qui nunc nulli, maxima turba Gabii.*

Dionyſius dicto lib. IIII, in hiſtoriâ Tarquinii: Νῦν μὲν οὐκ ἔτι συνοικουμένη πᾶσα, πλὴν ὅσα μέρη πανδοκεύεται κατὰ τὴν ὁδόν. τότε δὲ πολυάνθρωπος, καὶ εἴ τις ἄλλη, μεγάλη. τεκμήραιτο δ' ἄν τις αὐτῆς τὸ μέγεθος καὶ τὴν ἀξίωσιν, ἐρείπια θεασάμενος οἰκιῶν πολλαχῇ, καὶ τείχους κύκλον· ἔτι γὰρ ἕστηκεν αὐτοῦ τὰ πλεῖστα. Id eſt: *Nunc equidem haud tota urbs habitatur; ſed ea tantùm pars, quæ ad viam frequentatur diverſoriis. tunc verò populoſa erat, &, ſi qua alia, ampla ac magna: ſicuti conjecturam ſumere licet è ruinis ædificiorum, paſſim exſtantibus, & mœnium ambitu; quæ hodiéque ſuperſunt maximâ ſui parte.* Cauſam, cur vicina Romanæ urbi opida ſic deſerta fuerint, Lucanus bellis civilibus adſcribit. Verba eius lib. VII hæc ſunt de pugna Pharſalicâ:

> *Ergo utrimque pari concurrunt agmina motu*
> *Irarum. metus hos, regni ſpes excitat illos.*
> *Hæ facient dextræ, quidquid non expleat ætas*
> *Vlla; nec humanum reparet genus omnibus annis;*
> *Vt vacet à ferro, genteis Mars iſte futuras*
> *Obruet; & populos ævi venientis in orbem*
> *Erepto natale feret, tunc omne Latinum*
> *Fabula nomen erit. Gabios Veiosque Coramque*
> *Pulvere vix tectæ poterunt monſtrare ruinæ,*
> *Albanosque Lareis Laurentinosque penateis:*
> *Rus vacuum; quod non habitet, niſi, nocte coactâ,*
> *Invitus quæſtusque Numam juſſiſſe ſenator.*
> *Non ætas hæc carpſit edax, monumentaque rerum*
> *Putria. deſtituit crimen civile. videmus*
> *Tot vacuas urbeis.*

Cæterùm Pelaſgi Græci, quorum pars in Etruriâ conſedit, pars, cum Aboriginibus conjuncti, Latini dicti ſunt; ut in Etruriâ apud Falerios & Peruſiam maximè, in Latio verò hoc noſtro apud Lanuvium, *Iunonem Argivam*, ſic heic etiam apud Gabios religioſiſſimè coluerunt. Virgilius Aeneid. lib. VII:

> *Quique altum Præneſte viri, quique arva Gabinæ*

Iunonis, gelidumque Anienem & roſcida rivis
Hernica ſaxa colunt.

Et Virgilii religioſiſſimus ubique imitator Silius, lib. XII:

——— *Nec amœna retentant*
Algida; nec juxtà Iunonis tecta Gabinæ.

Reſtat, antequàm ab Gabiorum deſcriptione digrediamur, uti nomen eorum apud Diodorum, in vulgatis exemplaribus fœdè corruptum, à mendo purgetur. Locus is eſt fine lib. XIIII huiusmodi: Τῶν δὲ ἀπεληλυθότων Γαλατῶν ἀπὸ Ῥώμης Οὐεάσκιον τὴν πόλιν, σύμμαχον οὖσαν Ῥωμαίων, πορθούντων, ἐπιθέμενος αὐτοῖς ὁ αὐτοκράτωρ, καὶ τοὺς πλείστους ἀποκτείνας, τῆς ἀποσκευῆς πάσης ἐκυρίευσεν. ἐν ᾗ καὶ τὸ χρυσίον, ὃ εἰλήφεισαν εἰς Ῥώμην, καὶ σχεδὸν ἅπαντα τὰ διηρπασμένα καὶ τὴν τῆς πόλεως ἅλωσιν. Hæc interpres Latinus ſic vertit: *Galli, à Româ digreſſi, Veaſcium, urbem Romanis confœderatam, oppugnabant. in hos impreſſionem faciens dictator, plurimos occîdit, omnibusque impedimentis, inter quæ etiam aurum fuit, quod Romæ adpenſum erat, & univerſa propè, quæ urbe captâ in prædam venerant, potitur.* Sed notandum, Diodorum non dicere, οἱ Γαλάται ἐπόρθουν· verùm τῶν Γαλατῶν ἀπεληλυθότων. ubi mendum orationis maximè adparet, quòd particula καὶ non interjecta ſit; quæ incuriâ librarii, ſeu temporis injuriâ interiit, ſive corrupta eſt. Certè οὐεάσκιον, *Veaſcium opidum* nullibi aliàs reperitur toto Orbe terrarum, nedum prope Romam, aut in Italiâ. Itaque locum Diodori ſic reſtituendum cenſeo: Τῶν δὲ Γαλατῶν ἀπεληλυθότων ἀπὸ Ῥώμης, καὶ Γαβίους τὴν πόλιν, σύμμαχον οὖσαν Ῥωμαίων, πορθούντων, ἐπιθέμενος αὐτοῖς ὁ αὐτοκράτωρ, καὶ τοὺς πλείστους ἀποκτείνας, τῆς ἀποσκευῆς ἐκυρίευσεν. Quæ ſic verto: *Quum Galli, ab urbe Româ digreſſi, Gabios, urbem Romanis ſociam, oppugnarent; ſuperveniens dictator, plurimos eorum occîdit; omnibusque impedimentis potitus eſt.* Confirmatur hæc correctio auctoritate Livii, qui ſuprà dicto lib. v, poſtquàm narravit, qua ratione Camillus Gallos in Vrbe captâ vicerit expulerit; *Iuſtiore*, inquit, *altero deinde prœlio ad octavum lapidem, Gabinâ viâ, quo ſe ex fugâ contulerant, eiusdem ductu auſpicioque Camilli vincuntur: ibi cædes omnia obtinuit; caſtra capiuntur; & ne nuncius quidem cladis relictus.* Poſtridiè, quum Vrbe expulſi erant, id factum eſſe ad Gabios, ſive circa Gabios, lib. VI & XXII tradit; ut ſuprà citavimus. Sed de Gabiis ſatis.

TIBVR *opidum.*

TIBVR hinc, in initio ſuprà dicti montium jugi poſitum apùd Anienem amnem, vulgò nunc vocitatur incolis *Tivoli*; antiquum, ſi quod aliud, Latii veteris opidum. Memoratur Varroni, Virgilio, Ovidio, Propertio, Horatio, Livio, Straboni, Silio, Martiali, Statio, Svetonio, Appiano, Ptolemæo, Solino, Itinerariis, Martiano Capellæ, Procopio, Stephani epitomatori, & aliis. Opidani inde dicuntur TIBVRTES. Varro de Latinâ linguâ lib. VII: *A Tibure Tiburs.* Et lib. VIII: *A Tibure Tiburtes.* Item Ruſticar. rer. lib. I cap. VIII: *In agro Tiburti.* Cicero de Oratore lib. II: *In Tiburti fortè adſedimus ego & Marcus filius.* In oratione pro A. Cluentio: *In Tiburte quum fortè adſediſſemus ego & Brutus filius; Tiburtem fundum requirebat.* Virgilius Aeneid. lib. VII:

Tela novant Atina potens Tiburque ſuperbum.

Et aliquanto poſt:

Tum gemini fratres Tiburtia mœnia linquunt.

Ovidius Faſtor. lib. VI:

Eſt illic menſis Iunonius: adſpice Tibur

Et item poſteà:

Exſilio mutant Vrbem; Tiburque recedunt.
Exſilium quodam tempore Tibur erat.

Horatius Carm. lib. I odâ VII: —— *Seu te fulgentia ſignis*
Caſtra tenent; ſeu denſa tenebit
Tiburis umbra tui.

Svetonius in Auguſto, cap. LXXII: *Ex ſeceſſibus præcipuè frequentavit maritima, inſulasque Campaniæ; aut proxima Vrbi opida, Lanuvium, Præneſte, Tibur.* Agellius lib. XVIIII cap. V: *In Tiburte rus conceſſeramus.* Paullo pòſt: *Promit è bibliothecâ Tiburti Ariſtotelis librum.* Sic alii etiam auctores, quos mox adducam. ſic ipſe item Livius lib. VII: *Revertentibus inde Tiburtes portas clauſère. ea ultima fuit cauſa, cur bellum Tiburti populo indiceretur.* Aliquanto pòſt: *Gallorum exercitus in Tiburtem agrum, atque inde, ſocietate belli factâ, commeatuque benignè à Tiburtibus adjutus, mox in Campaniam tranſiit.* Atque ita eodem libro quàm frequentiſſimè. item lib. VIII: *Pedanos tuebatur*

batur Tiburs, Praneſtinus, Veliternusque populus. Et paullo pòſt: *Neque tamen niſi admodùm à paucis populis Pedani adjuti ſunt. Tiburtes Præneſtinique, quorum ager propior erat, Pedum pervenêre.* Eo magis miror, mox lib. VIIII dici eidem Livio TIBVRTINOS. *Legatos*, inquit, *Tibur miſerunt, ut darent operam, ut hi homines Romanis reſtituerentur. Tiburtini benignè polliciti.* Verbo hoc etiam vocabulo uſi ſunt pro poſſeſſivo paſſim Romani. Seneca de Beneficiis lib. IIII cap. XII: *Nemo, Tuſculanum aut Tiburtinum emere paratus ſalubritatis causâ & æſtivi ſeceſſus, quoto anno empturus ſit, diſputat.* Svetonius in vitâ Horatii: *Vixit plurimùm in ſeceſſu ruris ſui Sabini, aut Tiburtini. domusque eius oſtenditur circa Tiburni lucum.* Martialis lib. IIII epigram. LVII:

Nunc Tiburtinis cedite frigoribus.

Lib. VII epigram. XXVII:

Sic Tiburtinæ creſcat tibi ſilva Dianæ.

Et epig. LXXVIIII: *Qui Tiburtinas paſcere poſſit oveis.*

Spartianus in Hadriano imperatore: *Tiburtinam villam mirè exædificavit.* Seneca Epiſt. CXVIIII: *Vtrùm ſit aureum poculum, an cryſtallinum, an myrrhinum, an Tiburtinus calix, an manus concava, nihil refert.* Sed & opidani Dionyſio, ut mox videbimus, dicuntur Τιβυρτῖνοι, *Tiburtini.* Cæterùm opidi nomen apud Appianum Civil. bellor. lib. I legitur corruptum Τυρβητόν· rectiùs autem & ſine mendo poſteà lib. III bis τὸ Τίβυρον, *Tiburum.* nam plerique Græcorum id plurali numero dixêre τὰ Τίβυρα, ſive τὰ Τίβουρα, *Tibura.* Stephani epitomator: Τίβυρις, πόλις Ἰταλίας· Ἀρτεμίδωρος τετάρτῳ Γεωγραφουμένων· Ἔστι δ᾽ ἐν μεσογείῳ καὶ Τίβυρα πόλις, Ἑλληνὶς τὴν ἀρχὴν γεγονυῖα, ἀπέχουσα ἀπὸ Ῥώμης σταδίους ἑκατὸν τεσσαράκοντα ἑπτά. Τὸ ἐθνικὸν Τιβυρτῖνος. Νικάνωρ δὲ ὁ Ἑρμείου, Τίβουρα ταύτην καλεῖ, καὶ τὸ ἐθνικὸν Τιβουρῖνος· ὃ καὶ ἀναλογώτερον· ἐν ᾗ Τιβουρίνιον τέμενος. Id eſt: *Tiburis, opidum Italiæ: Artemidorus Geographicorum lib.* IIII: *Eſt & in mediterraneo Tibyra urbs, Græcæ originis, diſtans ab Româ ſtadia* CXLVII. *Gentilitium inde Tibyrtinus. At Nicanor, Herméi filius, hanc Tibura vocat; & gentilitium Tiburinus: quod magis etiam analogiæ reſpondet. in eâ templum eſt Tiburinum.* Sic Dionyſio quoque Halicarnaſſenſi plurali numero eſt τὰ Τίβυρα, & Straboni τὰ Τίβουρα. quorum utrumque rectè Latinè redditur *Tibura.* Poſterioris ævi grammatici, hodiéque plerique, opidò quàm imperitè faciunt, dum in primâ ſyllabâ Græcam literam υ perſcribunt, *Tybur*; ut & in fluminis nomine *Tyberis*, & quæ inde deducta fuêre *Tyberius*, *Tyberinus.* in quibus omnibus numquàm ipſi Græci niſi ſimplex ι ſcripſiſſe reperiuntur. Sed videamus Strabonem. Is lib. V, Ἡ Οὐαλερία ἡ ὁδὸς, inquit, ἄρχεται ἀπὸ Τιβούρων. id eſt: *Valeria via incipit à Tiburis.* Et mox: Ἐν ὄψει δ᾽ εἰσὶ τοῖς ἐν Ῥώμῃ Τίβουρά τε καὶ Πραίνεστος. Id eſt: *In conſpectu Romæ ſunt Tibura & Pranestus.* Sic & Dionyſius lib. V: Ὁ ποταμὸς Ἀνίων ἐκ πόλεως Τιβύρων καθ᾽ ὑψηλοῦ πολὺς ἐκχεῖται σκοπέλου. Hoc eſt: *Anio amnis ex Tiburis per altam rupem copioſus effunditur.* Apud Plutarchum in Quæſtionibus Romanis legitur, ἐν τῇ Τιβούρῃ. Cæterùm de origine urbis modò è Stephano audivimus, Græcam eam fuiſſe. cui Artemidori teſtimonio conſentiens Strabo, loco proximè dicto, hæc addit: Φασὶ δ᾽ Ἑλληνίδας ἀμφοτέρας. id eſt: *Aiunt autem Græcanicam utramque eſſe urbem.* Hinc Horatius Carm. lib. II odâ VI: *Tibur Argéo poſitum colono.* Ovidius Faſtor. lib. IIII; ubi recenſet, qui Græcorum populi quas colonias in Italiam deduxerint:

Et jam Telegoni, jam mœnia Tiburis udi
Stabant; Argolicæ quæ poſuere manus.

Et Amor. lib. III eleg. V, de Aniene loquens:

Nec te prætereo, qui per cava ſaxa volutus
Tiburis Argêi ſpumifer arva rigas.

Virgilius Aeneid. lib. VII:

Tum gemini fratres Tiburtia mœnia linquunt,
Fratris Tiburti dictam cognomine gentem
Catillusque acerque Coras, Argiva juventus.

Ad hæc ita Servius: *De Græciâ tres fratres venerunt ad Italiam, Catillus, Coras, Tiburs vel Tiburnus. hi ſimul omnes unam fecêre civitatem; & eam de fratris maioris nomine Tibur adpellaverunt. licèt & alias fecerint ſinguli. Nunc ergo dicit duos ad bella veniſſe, dimiſſo in civitate ad cuſtodiam Tiburno, vel Tiburte.* Hoc nomen *Tiburni* neſcio an habuerit ab Horatio; qui Carmin. lib. I odâ VII ita canit:

Me nec tam patiens Lacedæmon,
Nec tam Lariſſæ percuſſit campus opimæ,
Quam domus Albuneæ reſonantis,
Et præceps Anio, & Tiburni lucus, & uda
Mobilibus pomaria rivis.

Ad quem locum ita vetus commentator: *Munatium Plancum adloquitur, conſularem virum, Tiburtem origine. in cuius gratiam dicit, quum diverſis poëtis ſtudium ſit diverſas inſulas opidaque certorum numinum gratiâ celebrare carminibus; ſibi Tibur eſſe laudandum; cuius voluptate capiatur & amœnitate; nec non Albuneæ nymphæ, eiusdem vicini nemoris deæ. Tibur autem Tiburnus condidit: à quo nomen eſt civitati. hic fuit filius Catilli, filii Amphiarei.* Silius lib. VIII:

Hinc Tibur, Catille, tuum.

Statius Silvar. lib. I carm. III; quo Manlii Vopiſci celebrat *villam Tiburtinam:*

Heic tua Tiburteis Faunos chelys, & juvat ipſum
Alciden, dictumque lyrâ maiore Catillum.

Ipſe iterum Horatius eiusdem libri odâ XVIII:

Circa mite ſolum Tiburis, & mœnia Catili.

Ad hæc ſic commentator: *Supra oſtenſum eſt, Catilum & Coracen fratres eſſe Tiburni; cuius nomine Tibur conditum eſt.* Plinius lib. XVI cap. XLIIII: *Tiburtes originem multo ante urbem Romam habent. apud eos exſtant ilices tres, etiam Tiburto, conditore eorum, vetuſtiores: apud quas inauguratus traditur. Fuiſſe autem eum tradunt filium Amphiarai, qui apud Thebas obierit unâ ætate ante Iliacum bellum.* Quum *ætatis* ſpacium vario annorum numero veteribus Græcis pariter atque Latinis computatum fuerit; incertum eſt, quot annorum ætatem intellexerit Plinius. at Apollodorus lib. I Amphiaraum hunc, Oeclei filium, unum ex ducibus Argivis, qui bello Thebano interfuerint, tradit. At Argonautarum expeditio in idem ferè collocatur ab chronologis hiſtoricisque tempus, quo Euander Arcas in Italiam adveniſſe traditur. Hinc igitur Martianus Capella lib. VI: *Tibur Catillus condidit, præfectus claſſis Euandriæ.* Et Solinus cap. VIII: *Tibur, ſicut Cato facit teſtimonium, conditum à Catillo Arcade, præfecto claſſis Euandri: ſicut Sextius, ab Argivâ juventute. Catillus enim, Amphiarai filius, poſt prodigialem patris apud Thebas interitum, Oeclei avi juſſu, cum omni fœtu ver ſacrum miſſus, treis liberos in Italiâ procreavit, Tiburtum, Coram, Catillum: qui, depulſis ex opido Siciliæ veteribus Sicanis, à nomine Tiburti fratris, natu maximi, urbem vocarunt.* Nullos in Italiâ umquàm fuiſſe *Sicanos* populos; ſed *Siculos*, ex vetuſtiſſimâ illâ ac primâ *Siciliâ*, quæ poſteà *Italia* ac *Saturnia* & tandem *Latium* dicta, pulſos in inſulam *Sicaniam* profectos, promiſcuè heic ab Græcis primùm auctoribus, mox etiam à Latinis, Sicanos quoque adpellatos fuiſſe; atque hinc tandem poſteriores ſcriptores eodem vocabulo in Italicis adhuc rebus eos nominaſſe; ſuprà cap. I huius libri III, & item lib. I cap. I dictum eſt. Conſtat igitur jam ex præſcripti Sextii teſtimonio, ab iis hominibus, non equidem conditum, ſed occupatum denominatumque fuiſſe opidum *Tibur*, qui Siculos ex Latio ejecerunt. At hi fuêre, ut ſuprà cap. I & II oſtenſum, Aborigines atque Pelaſgi, uno nomine ſub Euandro rege Latini dicti. Vtramque autem gentem ex Peloponneſo ſive Arcadiâ profectam fuiſſe; ſeu, ut Dionyſius lib. I ait, ab *Argo Achaico*; unde tandem promiſcuè nunc *Arcades* nunc *Argivi* dicti fuêre; ſuprà lib. II cap. & lib. III cap. I ac II demonſtratum eſt. Hinc igitur Dionyſius præfato lib. I, ubi opida Sabini agri enarravit, quæ prima *Aborigines*, ab Siculo freto, ubi *Oenotri* dicebantur, huc profecti, tenuerunt; ver ſacrum eos emiſiſſe in conterminos agros tradit his verbis: τούτῳ δὴ τῷ νόμῳ χρώμενοι καὶ τότε τῶν Ἀβοριγίνων τινὲς, αὐθούντων ἀνδράσι τῶν χωρίων, θεῶν ὅτῳ δὴ καθιερώσαντες ἐνιαυσίους γονὰς, ἀνδρωθέντας ἀποικίζουσι τοὺς παῖδας ἐκ τῆς σφετέρας· οἱ δὲ Σικελοὺς ἄγοντες καὶ φέροντες διετέλουν, ἐπειδὴ τὴν ἑαυτῶν ἐξέλιπον. Ὡς δ' ἅπαξ οὗτοι χωρίων τινῶν τῆς πολεμίας ἐκράτησαν, ἐκ τοῦ ἀσφαλεστέρου ἤδη καὶ οἱ λοιποὶ Ἀβοριγῖνες, οἱ δεόμενοι γῆς, τῆς κατὰ σφᾶς ἕκαστοι ἐπεχείρουν τοῖς ὁμόροις. καὶ πόλεις ἔκτισαν ἄλλας τέ τινας, καὶ τὰς μέχρι τοῦδε οἰκουμένας, Ἀντεμνάτας τε καὶ Τελληνεῖς, καὶ Φικουλνεῖς, καὶ Τιβουρτίνους· παρ' οἷς ἔτι καὶ εἰς τόδε χρόνου μέρος τι τῆς πόλεως ὀνομάζεται Σικελιών. Id eſt: *Ex hoc more tunc quoque Aboriginum quidam, regione ſuâ viris florente, numini cuipiam ſacratis unius anni fœtibus; hos, ut primùm virilem ætatem attigiſſent, colonos miſerunt extra regionem ſuam: qui Siculorum res agere ac ferre*

non

non deſierunt, ex quo patriam terram reliquerunt. Vt verò hi ſemel partem aliquam agrorum ex hoſtico adepti ſunt, tutiùs jam & reliqui Aborigines, agrorum inopes, adgrediebantur ſuos quisque conterminos. condiderumtque, præter alias urbeis, hæc, quæ hodiè quoque incoluntur, Antemnateis, Tellenenſeis, Ficulenſeis, atque Tiburtinos: apud quos in hoc usque tempus pars quædam urbis dicitur Sicilio. Narrat hinc, quo pacto Pelaſgi tunc in Italiam advenerint, & in Sabinorum agrum ad Aborigines ſeſe contulerint: à quibus in partem agrorum recepti, communibus poſteà opibus bellum cum ipſis contra Siculos geſſerunt, donec tota hac inter Narem & mare Inferum orâ eos expulerint. Euandrum tunc Pelaſgorum fuiſſe ducem; nomenque *Latinorum* ſuis ſimul Pelaſgis ſimulque Aboriginibus poſt obitum horum regis impoſuiſſe, dicto cap. I & II huius libri III oſtenſum eſt. Hinc igitur conditor Tiburis *Catillus* fertur *præfectus* fuiſſe *claſſis Euandri*; natione, ſecundùm alios Arcas, ſecundùm alios Argivus. Summa itaque huius quoque urbis eſt antiquitas: ut quæ jam inde ante Pelaſgorum in Italiam adventum, id eſt, annis circiter CIↃ IↃ XIII ante Ieſum Chriſtum natum, ab Siculis habitata fuit. Totius urbis an tunc nomen fuerit SICILIO, incertum eſt. quamquàm ego ſuſpicer, præſcripto loco Solinum ſcripſiſſe, *depulſis ex opido Sicilio veteribus Sicanis*. cæteroquin enim addidiſſe debebat, quam heic intellexerit *Siciliam* Sextius. Novi cultores *Latini* an aliquid novi operis antiquo opido unà cum novo *Tiburis* nomine addiderint, haud facilè dixerim. id tamen conjeceris ex eo, quòd condidiſſe id Aborigines Dionyſius tradit. Ad utramque Anienis ripam opidum poſitum fuiſſe, patet ex eiusdem Dionyſii hisce verbis; ὁ ποταμὸς Ἀνίων ἐκ πόλεως Τιβύρων ἐκχεῖται· id eſt; *Anio amnis ex urbe Tiburis effunditur*. Item ex iſtis Horatii Carmin. lib. IIII odâ III:

—— *Qua Tibur aquæ fertile perfluunt.*

Maiorem tamen urbis partem ab ſiniſtrâ fuiſſe ripâ, ex eo colligitur, quòd, Sabinis agros inter Narem Anienemque tenentibus, urbs ea Latio ſemper adcenſita fuit. Dionyſius lib. V, inter alios Latii populos, qui ad lucum Ferentinæ ſub Albano monte in concilium de bello pro Tarquiniis ejectis contra Romanos gerendo deliberaturi coiverant, τῶν Τιβουρτίνους, *Tiburtinos*, quoque nominat. & Cicero in oratione pro L. Cornelio Balbo, *Cum Latinis omnibus*, inquit, *fœdus ictum Sp. Caſſio, Poſthumio Cominio conſulibus, quis ignorat? quod quidem nuper in columnâ æneâ meminimus poſt Roſtra inciſum & perſcriptum fuiſſe. Quomodò igitur L. Caſſinus Tiburs, damnato Cœlio, quomodò ex eâdem civitate T. Coponius, damnato C. Maſſone, civis Romanus eſt factus.* Conſules unà Romæ fuêre Sp. Caſſius Viſcellinus iterum & Poſthumius Cominius Auruncus iterum anno urbis CCLXI. Hinc item Catullus Carm. XLV:

O funde noſter, ſeu Sabine, ſeu Tiburs,
(Nam, te eſſe Tiburtem, autumant, quibus non eſt
Cordi Catullum lædere. at, quibus cordi eſt,
Quovis Sabinum pignore eſſe contendunt.)
Sed ſeu Sabine, ſive veriùs Tiburs;
Fui libenter in tuâ ſuburbanâ
Villâ; malamque pectore expuli tuſſim.

Scilicet, quia agris Tiburtis altera pars ab dextrâ erat Anienis ripâ, in Sabinis; illic verò villam ſuam habuit Catullus: Sabinam eam eſſe alii contendebant; ipſe verò Tiburtem maluit dici, quia Tiburtes erant Latii populi. Sic Svetonius quoque ſuprà ſcripto loco in vitâ Horatii inter Tiburtem & Sabinum agrum disertè diſtinxit. Strabo item, longè poſt Sabini agri expoſitionem, inter Latinas urbeis refert *Tibur*; atque unà cum eo Ptolemæus. Vnus igitur vehementer erravit Plinius, inter Sabinos populos computans & *Tiburtes*, lib. III cap. XII. Splendidam atque potentem antiquiſſimis etiam temporibus eam fuiſſe urbem, oſtendit Virgilius Aeneid. lib. VII, his verbis:

Quinque adeò magnæ poſitis incudibus urbes
Tela novant; Atina potens, Tiburque ſuperbum,
Ardea, Cruſtumerîque, & turrigeræ Antemnæ.

Sed potentia eius inde maximè adparet, quòd (ſi hiſtoriis Romanis credimus) florentem jam populum Romanum, ac bello feliciſſimum, ſibi deſumpſerit hoſtem: quod Livius tradit lib. VII; ubi etiam, aliquot ſub ditione eius fuiſſe opida, teſtatur

Empulium opidum.

his verbis: EMPVLVM *eo anno ex Tiburtibus captum*. Factum hoc C. Sulpicio Petico tertiùm & M. Valerio Poplicolâ conſulibus, anno urbis Romæ CCCCXCVIIII. Sequentibus conſulibus hæc ibidem narrat Livius: *Duo bella eo anno proſperè geſta: cum Tiburtibusque ad deditionem pugnatum.* SASSVLA *ex his urbs capta. cæteraque opida eamdem fortunam habuiſſent, ni univerſa gens, poſitis armis, in fidem conſuli veniſſet. Triumphatum de Tiburtibus.* Quibus locis ea opida fuerint, incertum eſt. Poſterioribus etiam temporibus, ſub Romanis imperatoribus, quum jamdudum Aequorum quoque gens in Latii Novi nomen transiſſet; in hanc usque ditio Tiburtium protenſa fuit; ſi Tacito, graviſſimo ſcriptori, credimus. is quidpe Annal. lib. XIIII ſic habet: *Igitur, quaſi jam depulſo Nerone, quis nam diligeretur, inquirebant. & omnium ore Rubellius Plautus celebrabatur; cui nobilitas per matrem ex Iuliâ familiâ. auxit rumorem pari vanitate orta interpretatio fulguris. nam, quia diſcumbentis Neronis apud Simbruina ſtagna* [deeſt fortè, *in villâ*] *cui Sublaqueum nomen eſt, ictæ dapes menſaque disjecta erat; idque finibus Tiburtum acciderat; unde paterna Plauto origo; hunc illum numine deûm deſtinari credebant.* Ad dextram Anienis ripam XX millia paſſuum villam iſtam, quæ poſteà opidum evaſit, ſitam eſſe, ſuprà lib. II cap. XVI oſtenſum eſt.

Sassula opidum.

Municipium fuiſſe *Tibur*, complures lapidum inſcriptiones, quæ heic exſtant, teſtantur. & Plinius lib. XIIII cap. III, *Municipii uvam*, inquit, *Pompeii nomine adpellant; quamvìs Cluſinis copioſiorem. municipii & Tiburtes adpellavêre; quamvìs oleaginam nuper invenerint à ſimilitudine olivæ.* De cætero nobilitata maximè urbs fuit TEMPLO HERCVLIS, compluribus auctoribus memorato: quod apud Stephani epitomatorem ſuprà ſcripto loco corrupto vocabulo legitur Τιβυρίνιον τέμενος, pro Τιβυρῖνον, id eſt, *Tiburinum fanum*. namque ait, Nicanorem gentilitium feciſſe Τιβυρῖνος, *Tiburinus*. Strabo dicto lib. V: Τίβυρα, ἧ τὸ Ἡράκλειον. *Tibura; ubi Herculis eſt fanum*. Propertius lib. II eleg. XXXII:

Herculis Tiburtini templum.

Curve te ni Herculeum deportant eſſeda Tibur.

Silius lib. IIII:

Quosque ſub Herculeis taciturno flumine muris
Pomifera arva creant, Anienicolæque Catilli.

Statius Silvar. lib. I carm. III; quo Manlii Vopiſci villæ Tiburtinæ celebrat amœnitatem:

Quòd in templa darent alias Tirynthia ſorteis,
Et Prænestinæ poterant migrare ſorores.

Tirynthius paſſim poëtis vocatur *Hercules*, ab Argiæ opido *Tirynthe*; ubi nutritus fertur. Porrò Statius paullo pòſt:

Heic tua Tiburteis Faunos chelys, & juvat ipſum
Alciden, dictumque lyrâ maiore Catillum.

Et Silvar. lib. III carm. I, de Hercule Surrentino:

Nec mihi plus Nemee priſcumque habitabitur Argos,
Nec Tiburna domus, Soliſque cubilia Gades.

Quatuor nominavit loca, in quibus omnium celeberrimus erat cultus *Herculis*; *Nemeam, Argos, Tibur*, & *Gades*: cum quibus locis heic comparat ædem *Herculis Surrentini*. Iuvenalis Sat. XIIII:

Aedificator erat Centronius: & modò curvo
Litore Caietæ, ſummâ nunc Tiburis arce,
Nunc Prænestinis in montibus, alta parabat
Culmina villarum Græcis longéque petitis
Marmoribus; vincens Fortunæ atque Herculis ædem.

Fortunæ ædem Præneſte, Herculis Tibure. Martialis lib. I epigram. XIII:

Itur ad Herculei gelidas quà Tiburis arceis.

Lib. IIII epigram. LXIIII:

Tibur in Herculeum migravit nigra Lycoris;
Omnia dum fieri candida credit ibi.

Lib. VII epigram. XII:

Dum Tiburtinis albeſcere collibus audit
Antiqui dentis fuſca Lycoris ebur;
Venit in Herculeos colleis. Quid Tiburis alti
Aura valet? parvo tempore nigra redit.

Sveto-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Svetonius in Auguſto, cap. LXXII: *Ex ſeceſſibus præcipuè frequentavit maritima inſulasque Campaniæ; aut proxima urbi opida, Lanuvium, Præneſte, Tibur: ubi etiam in porticibus Herculis templi perſæpè jus dixit*. Et in Caligulâ cap. VIII: *Cn. Lentulus Gætulicus Tiburi genitum ſcribit*. Mox: *Gætulicum refellit Plinius, quaſi mentitum per adulationem; ut ad laudes juvenis glorioſique principis aliquid etiam ex urbe Herculi ſacrâ ſumeret*. Haud poſtremæ ſtructuræ magnitudinisque fuiſſe hoc templum, ex tantâ celebritate maximè colligo. Agellius lib. XVIIII cap. V: *Promit è bibliotheca Tiburti, quæ tunc in Herculis templo ſatis commodè inſtructa libris erat, Ariſtotelis librum*. Et lib. VIIII cap. XIIII: *Meminimus & in Tiburti bibliothecâ invenire nos in eodem Claudii libro ſcriptum utrumque*. Theſaurum quoque huius templi adnotavit Appianus Civil. bellor. lib. V; ubi ſic de Cæſare Auguſto ſcribit: Καῖσαρ δὲ ἐκ τῶν ἱερῶν ἐδανείζετο τὰ χρήματα, ἀπό τε Ῥώμης ἐκ τοῦ Καπιτωλίου, καὶ ἀπὸ Ἀντίου καὶ Λανουβίου καὶ Νεμοῦς καὶ Τίβυρος· ἐν αἷς μάλιστα πόλεσι καὶ νῦν εἰσι θησαυροὶ χρημάτων ἱερῶν δαψιλεῖς. Hoc eſt: *Cæſar è fanis pecunias mutuò accipiebat; nempe, ab Capitolio Romanæ urbis, ab Antio, Lanuvio, Nemore, Tibure. in quibus civitatibus nunc etiam ſunt theſauri grandes ſacrarum pecuniarum*. Sanè minùs ſcitè conjicere videntur ii, qui id Herculis fuiſſe templum arbitrantur, quod hodiéque in ſiniſtrâ Anienis ripâ, apud ipſam amnis catarractam, in rupe conſpicitur rotundâ formâ, columnis compluribus pervetuſti operis ſuſtentum. huius quidpe magnitudo tantæ celebritati minimè reſpondet. Alii Albuneæ deæ hoc putant fuiſſe fanum. verùm hi etiam quàm longè aberrent, ſuprà lib. II cap. X perſpectum eſt. Ego verò TIBVRNI DEI AEDEM fuiſſe crediderim; Statii maximè inductus verbis, quæ Silvar. lib. I carm. III, quo MANLII VOPISCI deſcribitur VILLA TIBVRTINA, ſunt huiusmodi:

Cernere facundi Tibur glaciale Vopiſci,
Si quis & inſerto geminos Aniene penateis,
Aut potuit ſociæ commercia noſcere ripæ.
——— *Nemora alta citatis*
Incubuêre vadis: fallax reſponſat imago
Frondibus; & longas eadem fugit umbra per undas.
Ipſe Anien, (miranda fides) infràque ſuperque
Saxeus, heic tumidam rabiem ſpumoſaque ponit
Murmura; ceu placidi veritus turbare Vopiſci
Pieriosque dies & aventeis carmina ſomnos.
Litus utrumque domi: nec te mitiſſimus amnis
Dividit: alternas ſervant prætoria ripas.
Non externa ſibi fluviumve obſtare queruntur.
Heic æterna quies; nullis heic jura procellis:
Nusquàm fervor aquis. datur heic transmittere viſus,
Et voces, & pœnè manus. Venerabile dicam
Lucorum ſenium? te, quæ vada fluminis infrà
Cernis? an, ad ſilvas quæ reſpicis aula tacenteis?
An, quæ gramineâ ſuscepta crepidine fumant
Balnea, & impoſitum ripis algentibus ignem?
Quaque, vaporiferis junctus fornacibus, amnis
Ridet anhelanteis vicino flumine nymphas.
Quid referam alternas gemino ſuper adgere menſas,
Albenteisque lacus, altosque in gurgite fonteis?
Teque, per obliquum penitus quæ laberis amnem,
Marcia, & audaci transcurris flumina plumbo?
Illis ipſe antris Anienus fonte relicto,
Nocte ſub arcanâ glaucos exutus amictus,
Huc illuc fragili proſternit pectora muſco,
Aut ingens in ſtagna cadit, vitreasque natatu
Plaudit aquas. illâ recubat Tiburnus in umbrâ.
Illic ſulfureos cupit Albula mergere crineis.

Hanc Manlii Vopiſci villam ſupra Tibur fuiſſe & alii hactenus opinantur, & ipſe ego

ego duobus maximè colligo argumentis, quæ hac in deſcriptione Statii deprehendo. primum hiſce incluſum eſt verbis:

Ipſe Anien, (miranda fides) infráque ſuperque
Saxeus, heic tumidam rabiem ſpumoſaque ponit
Murmura.
Heic æterna quies: nullis heic jura procellis:
Nusquàm fervor aquis.

Hæc ſanè deſcriptio nulli alii Anienis parti convenit, quàm quæ protinus ſupra opidum gramineis depreſſisque ac planis latiusque patentibus ripis includitur. Supra hunc locum totus amnis alveus verſùs fonteis *ſaxeus* eſt; flumenque cum murmure, nonnumquàm etiam cum fragore dejicit. infrà verò mox ſequitur catarracta illa amnis ſeu præcipitium ingens, quod ſuprà lib. II cap. X in Anienis deſcriptione indicavimus. Infra catarractam hanc per apertos planosque jam campos fertur amnis in Tiberim usque. Alterum documentum eſt in *aquâ Marciâ:* quæ ex Marſis, ut ſuprà lib. II cap. X intellectum, & Fucino lacu in urbem Romam deducta, infra Tibur Anienem non ampliùs proſequebatur; ſed ſupra opidum in campos deſcendebat, qui inter Anienem & Tuſculanos monteis interjecti ſunt. Huic igitur Vopiſci villæ, ſuprà Tibur ſitæ, propinquum fuiſſe TIBVRNI DEI LVCVM & FANVM, patet ex eo, quòd Statius ait, *Tiburnum recubare in illâ umbrâ, ſive in illo antro*, ex quo *Marcia aqua* in *plumbeos* tubos, *obliquum Anienem transcurſura*, profluebat. à quo antro Albuneam deam ſatis apertè removet hoc verſu:

Illic ſulfureos cupit Albula mergere crineis.

Item his verbis:

An quæ gramineâ ſuſcepta crepidine fumant
Balnea, & impoſitum ripis algentibus ignem?
Quáque vaporiferis junctus fornacibus amnis
Ridet anhelanteis vicino flumine nymphas.

Diſertè diſtingvit inter Anienem amnem atque vicinum flumen nymphasque in eo. id verò nullum aliud hoc tractu, quam Albula; apud quod Albunea colebatur nympha; ut ſuprà lib. II cap. X in deſcriptione Anienis oſtenſum. Cæterùm illi, qui vulgatum illud in quibusdam Statii exemplaribus, *Illâ recubat Tiberinus in umbrâ*, contra aliorum exemplarium, quæ *Tiburnus* habent, contraque aliorum auctorum fidem retinere malunt, an ſatis levem hanc opinionem ſuam contra multorum doctorum virorum ſententiam ſine ullâ probabili adductâ ratione tueri poſſint, ipſi viderint. Cuncta ſanè Horatii exemplaria conſtantem hanc habent ſcripturam Carm. lib. I odâ VII:

Me nec tam patiens Lacedæmon,
Nec tam Lariſſæ percuſſit campus opimæ,
Quàm domus Albuneæ reſonantis,
Et præceps Anio, & Tiburni lucus, & uda
Mobilibus pomaria rivis.

Et apud Svetonium in vitâ Horatii ita vulgata referunt exemplaria: *Vixit plurimùm in ſeceſſu ruris ſui Sabini, aut Tiburtini. domusque eius oſtenditur circa Tiburtini luculum.* Heic, quis dubitet, quin corrigenda ſit ex ipſo Horatio vox *Tiburtini* in *Tiburini luculum?* quid enim erat *Tiburtini luculus?* Quid igitur jam obſtat, quo minus ritè rectéque legas apud Statium quoque *Tiburnus*, quàm *Tiberinus?* Quid enim hic deus, qui Tiberis amnis numen ferebatur, magis pertinebat ad urbem *Tibur*, quàm *Tiburnus?* quem eumdem & *Tiburtum* eſſe voluerunt ſuprà ſcripti Virgilii Horatiique commentatores, urbis conditorem. qua tamen in re adſentiri grammaticis iſtis minimè poſſum; nedum doctis huius ævi quibusdam viris; qui ex illis docent, ubique apud omneis auctores pro *Tiburto*, vitioſo vocabulo, reſcribendum eſſe *Tiburnum.* quidpe nec ipſe quidem antiquus ille grammaticus Servius *Tiburti* vocabulum apud Virgilium, ut mendoſum, rejicit; ſed tantùm ex ſimilitudine conjicit, eumdem eſſe & *Tiburnum:* nec ipſe Virgilius *Tiburtum* ſuum facit deum aut genium; qualis habebatur *Tiburnus*; ſed juxtà cum Sextio Plinioque hominem eum profitetur, *Argivum juvenem*, unà cum fratribus *Catillo* & *Corâ*. Nec dubium eſt, quin

quin ab *Tiburis* opidi nomine confictum ſit ab incolentibus numinis vocabulum *Tiburnus*; ab incolentium verò *Tiburtium* adpellatione conditoris nomen *Tiburtus*.

De cætero quanta aliarum etiam villarum circa Tibur fuerit celebritas, oſtendunt frequentes earum reliquiæ; præſertim ab eâ parte, quâ itur Tuſculum ſive Fraſcatium verſùs. ubi inter alias maximè celebrantur reliquiæ VILLAE HADRIANI *imperatoris:* de quâ ita tradit Aelius Spartianus in vitâ eius: *In villâ Tiburtinâ profluvio ſangvinis penè ad exitum venit.* Et poſteà: *Tiburtinam villam maximè exædificavit: ut in eâ & provinciarum & locorum celeberrima nomina inſcriberet: velut, Lycéum, Academiam, Prytanéum, Canopum, Pœcilem, Tempe, vocaret. &, ut nihil prætermitteret, etiam Inferos finxit.* Meminit huius *villæ* ſive *palatii* Trebellius quoque Pollio; in XXX tyrannis de Zenobiâ ſic ſcribens: *Ferturque vixiſſe cum liberis matronæ jam more Romanæ; datâ ſibi poſſeſſione in Tiburti; quæ hodiéque* ZENOBIA *dicitur; non longè ab Hadriani palatio, atque ab eo loco, cui nomen eſt* CONCHE.

Porrò hoc tractu inter Tibur ac Præneſte & Tuſculum urbemque Romam fuit *opidum* PEDVM: quod memoratur Livio & Stephani epitomatori veterique Horatii commentatori. ſed Stephani epitomatori eſt Πέδα, PEDA. Opidani inde dicuntur Πεδανοὶ, PEDANI. Stephani breviator: Πέδα, πόλις Αὐσονική. τὸ ἐθνικὸν Πεδανός. Id eſt: *Peda, opidum Auſonicum. gentilitium inde Pedanus.* Ex antiquiſſimo aliquo hæc habuit Stephanus auctore; qui vetuſtiſſimo illo uſus eſt vocabulo *Auſoniæ* pro Italiæ nomine. Porrò Plinius lib. III cap. V, in recenſione opidorum veteris Latii, quæ ſine veſtigiis interiiſſe tradit: *Olliculani, Octulani, Pedani, Polluſtini, Querquetulani.* Livius lib. II, de Cn. Marcio Coriolano: *Circeios profectus, primùm colonos inde Romanos expulit; liberamque eam urbem Volſcis tradidit. inde in Latinam viam transverſis tramitibus transgreſſus, Satricum, Longulam, Polluſtiam, Coriolos, novella hæc Romanis opida ademit. inde Lavinium recepit. tunc deinceps Corbionem, Vitelliam, Trebiam, Labicos, Pedum, cepit. poſtremùm ad urbem à Pedo ducit; & ad Foſſas Clœlias, quinque ab Vrbe millia paſſuum caſtra poſuit.* Sic & Dionyſius atque Plutarchus, licèt expeditionem hanc Marcii ab Circeiis ad urbem Romam usque alio itineris opidorumque ordine referant; tamen in eo ambo cum Livio conſentiunt, quòd ab Labicis ad Pedum exercitum duxerit. Dionyſius lib. VIII: Ἐντεῦθεν δὲ τὴν δύναμιν ἀναλαβὼν ἦγεν ἐπὶ τοὺς καλουμένους Λαβικανούς. * . παραλαβὼν δὲ καὶ ταύτην ὁ Μάρκιος τὴν πόλιν ἐξηνδραποδίσατο. Ἀναστήσας δὲ τὴν δύναμιν ἐκεῖθεν, ἐπὶ τὴν Πεδανῶν πόλιν ἀφικνεῖται. ἦν δὲ καὶ αὐτὴ τοῦ Λατίνων γένους. Id eſt: *Hinc Labicos exercitum ducit.* Mox: *Hoc quoque opido recepto, captivos ſub haſtâ vendidit Marcius. Hinc cum copiis ad Pedanorum opidum proficiſcitur: quod & ipſum Latini erat nominis.* Plutarchus in eodem Marcio Coriolano: Οὕτως ὁ Μάρκιος ἐπ' αὐτὰς τὰς πόλεις τῶν Λατίνων ἦγε· καὶ Τολερίνους καὶ Λαουϊκανοὺς καὶ Πεδανοὺς εἶτα Βωλανοὺς, ἀντιστάντας αὐτῷ, κατὰ κράτος εἷλεν. Hoc eſt: *Ita ipſa tandem opida Latinorum Marcius adortus, Tolerinos, Lavicanos, Pedanos, atque Bolanos, quum mœnia defenderent, vi cepit.* Adparet ex Livii maximè verbis, Pedum opidum Lavicis fuiſſe propinquum, nec perinde longè à Româ diſſitum. Inter Lavicos fuiſſe ſitum & Præneſte Tiburque, patet ex eiusdem Livii lib. VIII; ubi ita ſcriptum eſt: *Conſules T. Aemilius Mamercinus & Q. Publius Philo Latinos, ob iram agri amiſſi rebellanteis, in campis Fenectanis* [nulli hi usquàm aliàs memorantur *Fenectani*. ego reſcripſerim *Pedanis*] *fuderunt, caſtriſque exuerunt. ibi Publio, cuius ductu auſpicioque res geſtæ erant, in deditionem accipiente Latinos populos, quorum ibi juventus cæſa erat; Aemilius ad Pedum exercitum duxit. Pedanos tuebatur Tiburs, Præneſtinus, Veliternusque populus. venerant & ab Lanuvio Antioque auxilia.* Paullo pòſt: *Anno inſequenti, L. Furio Camillo, & C. Mænio, conſulibus, quo inſigniùs omiſſa res Aemilio, ſuperioris anni conſuli, exprobraretur, Pedum armis viriſque & omni vi expugnandum ac delendum, ſenatus fremit. coactique novi conſules omnibus eam rem præverti, proficiſcuntur.* Mox: *Neque tamen niſi admodum à paucis populis Pedani adjuti ſunt. Tiburtes Præneſtinique, quorum ager propior erat, Pedum pervenère. Aricinos Lanuvinoſque & Veliternos, Antiatibus Volſcis ſe conjungenteis, ad Aſturæ flumen Mænius improviſò adortus fudit. Camillus ad Pedum cum Tiburtibus, maximè valido exercitu, maiore mole, quamquàm æquè proſpero eventu pugnat. tumultum maximè repentina inter prœlium eruptio opidanorum fecit. in quos parte exercitus converſâ, Camillus non compulit ſolùm eos intra mœnia, ſed eodem etiam die, quum ipſos auxiliaque eorum perculiſſet, opidum ſcalis cepit.* Hinc fragmentum

Faſto-

Faſtorum conſularium & triumphorum à ducibus Romanis actorum, quod Romæ in Capitolio viſitur:

L·FVRIVS·SP·F·M·N·CAMILLVS·COS·DE.PEDANEIS·ET·TIBVRTIBVS·AN.CDXV.

Porrò Livius lib. VII: *Gallos mox Præneſte veniſſe, atque inde circa Pedum conſediſſe, auditum eſt.* Aliquanto pòſt: *Dictator centum equites nocte ſuper caſtra [hoſtium] in monteis evadere ac ſilvis ſe occultare jubet. ipſe, ubi illuxit, in radicibus montium extendere aciem cœpit ſedulò; ut adversùs monteis conſiſteret hoſtis.* Mox: *Primò credere duces Gallorum, non deſcenſuros in æquum Romanos: deinde, ubi digreſſos repentè viderunt; & ipſi avidi certaminis in prœlium ruunt.* Poſteà: *Dictator iis, qui in monte erant, ſignum, quòd convenerat, dedit. Vbi inde quoque novus clamor ortus, & tendere obliquo monte ad caſtra Gallorum viſi ſunt; tum metu, ne excluderentur, omiſſa pugna eſt: curſuque effuſo ad caſtra ferebantur. ubi quum occurriſſet eis M. Valerius, magiſter equitum; qui, profligato dextro cornu, obequitabat hoſtium munimentis; ad monteis ſilvasque vertunt fugam. plurimique ibi à fallaci equitum ſpecie excepti ſunt. & eorum, quos pavor pertulerat in ſilvas, atrox cædes poſt ſedatum prœlium fuit.* Adde jam huc & Horatii veterem commentatorem ad hæc poëtæ verba Epiſtolar. lib. I epiſt. IIII:

Albi, noſtrorum ſermonum candide judex,
Quid nunc te dicam facere in regione Pedanâ?
Scribere, quod Caſſî Parmenſis opuſcula vincat?
An tacitum ſilvas inter reptare ſalubreis?

Ad quæ ita commentator: *Pedana regio inter Tibur & Præneſte fuit; ab opido Pedo; quod non longè fuit ab Vrbe: ſed modò non eſt.* Patet ex his omnibus, fuiſſe Pedum opidum, ut dixi, inter Lavicos, Præneſte, Tibur, atque Romam; propè Præneſtinam viam, verſus Præneſtinos Tiburtinosque monteis. cui ſanè deſcriptioni nullus æquè locus convenit, atque opidum nunc vulgari vocabulo *Gallicano*, ab ſiniſtro dictæ viæ latere, XVII circiter millia paſſuum à Româ, IIII à Præneſte diſſitum.

Cæterùm eodem tractu, haud procul Pedo, fuit & SCAPTIA *opidum*; Plinio ac Feſto memoratum. unde apud Dionyſium lib. V inter alios Latii populos, quorum pleraque nomina corrupta ſunt, Σκαπτλώνιοι quoque leguntur; qui haud dubiè antè fuerant Σκαπτηνοὶ, ut ibidem Πεδινεσκνοί· ut ab ipſo Dionyſio Σκαπτῖνοι, SCAPTINI, ut Πεδινεσῖνοι, ſcripti. Plinius dicto lib. III cap. V; ubi antiqui Latii enumerat populos, qui jam tum *ſine veſtigiis interierant: Scaptia, Pitulum, Politorium, Tellene.* Pompeius Feſtus: *Scaptia tribus à nomine urbis Scaptiæ adpellata; quam Pedani incolebant.* Fuerit igitur fortè circa vicum, qui apud Vereſim amnem (hunc à Gallicano opido in Anienem defluere, ſuprà lib. II cap. X docui) vulgò dicitur *Paſerano*. Apud Svetonium in Auguſto cap. XL ſic ſcriptum eſt: *Comitiorum quoque priſtinum jus reduxit; ac multiplici pœnâ coërcito ambitu, Fabianis & Scaptenſibus, tribulibus ſuis, die comitiorum, ne quid à quoquam candidato deſiderarent, ſingula millia nummûm à ſe dividebat.* Nemini hactenus dubium fuit, quin eadem heic intelligeretur tribus, quæ Scaptia communi opidi nomine dicitur Feſto. ego verò ſuſpicor, ipſum ſcripſiſſe Svetonium, *Scaptienſibus:* quod ſanè longè ἀναλογώτερον.

Intra Scaptiam & Pedum, intraque Gabios fuit PVPINIVS ſive PVPINIENSIS AGER; vulgariter feminino genere adpellatus PVPINIA. Memoratur Varroni, Ciceroni, Livio, Columellæ, Valerio Maximo. Feſtus: *Papiria tribus à Papirio adpellata eſt; vel à nomine agri, qui circa Tuſculum eſt. Huic Pupinia tribus ita conjuncta fuit, ut de finibus aliquando ſuſceperit bellum.* Paullo pòſt: *Pupinia tribus ab agri nomine dicta, qui Pupinius adpellatur circa Tuſculum urbem.* Facilè ego ſuſpicer, ſupervacuum heic eſſe atque ab improbè curioſo ſciolo inſertum vocabulum *Tuſculum*; & intellexiſſe Feſtum urbem Romam. Livius lib. VIIII: *Tranquillas res jam Etruſcis turbavit repentina defectio Vmbrorum. ii, concitatâ omni juventute ſuâ, & magnâ parte Etruſcorum ad rebellionem compulsâ, tantum exercitum fecerant, ut, relicto poſt ſe in Etruriâ Decio, ad oppugnandam inde Romam ituros, jactarent. quod inceptum eorum ubi ad Decium conſulem perlatum eſt; ad Vrbem ex Etruriâ magnis itineribus pergit; & in agro Pupinienſi, ad famam intentus hoſtium, conſedit.* Nempe Vmbri ex ſuâ Vmbriâ, quæ ab ſiniſtrâ erat Tiberis ripâ, transgreſſo Sabinorum agro & flumine Aniene,

ad Vr-

ad Vrbem erant ducturi. itaque Decius quoque conſul, traducto ex Etruriâ exercitu, ad alteram Vrbis partem conſedit. Idem Livius lib. XXVI: *Hannibal infeſtiùs perpopulato agro Fregellano propter interciſos ponteis, per Fruſinatem Ferentinatemque & Anagninum agrum in Lavicanum venit. inde Algido Tuſculum petiit. nec receptus mœnibus infra Tuſculum dextrorſus Gabios deſcendit. inde in Pupiniam exercitu demiſſo,* VIII *millia paſſuum à Româ poſuit caſtra. Quo propiùs hoſtis adcedebat, eo maior cædes fiebat fugientium; præcedentibus Numidis. pluresque omnium generum atque ætatum capiebantur. In hoc tumultu Fulvius Flaccus portâ Capenâ cum exercitu Romam ingreſſus, mediâ urbe per Carinas Eſquilias contendit. inde egreſſus, inter Eſquilinam Collinamque portam poſuit caſtra. Inter hæc Hannibal ad Anienem fluvium,* III *millia paſſuum ab urbe caſtra admovit.* Fuiſſe portam *Collinam* eam, quæ Salariam viam emittebat trans Anienem in Sabinos; quæque nunc vulgò dicitur *La porta Salaria*, vulgò notum eſt. ad mille fermè paſſus ab hac verſùs orientem hibernum fuiſſe Eſquilinam portam, ſuprà cap. II in deſcriptione urbis Romæ intelleximus. Ab hac igitur urbis parte inter Anienem Crabramque aquam & Gabios circa Præneſtinam ac Lavicanam Latinamque vias fuit Pupinienſis iſte ager, ab urbe ad VIII millia paſſuum ut minimùm extenſus. Proximè urbem fuiſſe, ex eo colligitur, quòd Decius conſul, Vmbros ex Vmbriâ Salariâ viâ adventanteis excepturus, urbemque defenſurus, in eo caſtra poſuit. Huc jam adde naturam ſoli; quæ hodiéque hoc terræ tractu durat. Varro Ruſticar. rer. lib. I cap. VIII; ubi de terrâ macrâ loquitur: *Vt in Pupiniâ, neque arbores prolixas, neque viteis feraceis, neque ſtramenta videre craſſa poſſis, neque ficum mariſcam: & arbores pleraſque ac prata retorrida & muſcoſa.* Columella Ruſticar. rer. lib. I cap. IIII, de M. Atilio Regulo loquens: *Pupiniæ, peſtilentis ſimul & exilis agri, cultorem fuiſſe eum loquuntur hiſtoriæ.* Valerius Maximus lib. IIII cap. IIII: *Atilius Regulus, primi Punici belli gloria cladesque maxima, quum in Africâ inſolentiſſimæ Carthaginis opes crebris victoriis contunderet, ac prorogatum ſibi ob benè geſtas res in proximum annum imperium cognoſſet; conſulibus ſcripſit; Villicum in agello, quem* VII *jugerum in Pupiniâ habebat, mortuum eſſe; occaſionemque nactum mercenarium, amoto inde ruſtico inſtrumento, diſceſſiſſe. ideóque petere ut ſibi ſucceſſor mitteretur: ne, deſerto agro, non eſſet, unde uxor ac liberi ſui alerentur. Quæ poſtquàm ſenatus à conſulibus accepit; & agrum Atilii illicò colendum locari, & alimenta conjugi eius ac liberis præberi, resque, quas amiſerat, redimi publicè juſſit.* Eamdem Pupiniæ ſterilitatem & ipſe innuit poſteà cap. VIII. *Liberalitatis*, inquit, *duo ſunt maximè probabiles fontes; verum judicium, & honeſta benevolentia. nam quum ab his oritur, tunc demum ei ratio conſtet. dono autem ipſi gratiam magnitudo quidem ſua, ſed efficaciorem aliquanto opportunitas conciliat. accedit enim pretio rei inæſtimabile momentum occaſionis: quæ Q. Fabium Max. tot ante ſæcula ob parvam pecuniæ ſummam erogatam, ad hoc usque tempus laudabilem fecit. Captivos ab Hannibale, interpoſitâ pactione nummorum, receperat. qui quum à ſenatu non præſtarentur, miſſo in Vrbem filio, fundum, quem unicum poſſidebat, vendidit; eiusque pretium Hannibali protinus numeravit. Si ad calculos revocetur, parvum; utpote* VII *jugeribus, & hæc in Pupiniâ addictis redactum: ſi animo erogantis, omni pecuniâ maius.* Non conſtare ſibi hanc orationem, quivis facilè animadverterit. Quid enim hoc; *Si animo erogantis revocetur?* Alia exemplaria habent, *ſi animum prærogantis:* æquè vitioſè. Debere eſſe, *erogantis*, præcedens vox *erogatam* indicat. placet itaque doctiſſima magni amici noſtri Iani Rutgerſii correctio, quæ Variar. lect. lib. I cap. XVIII eſt huiusmodi: *Eiusque pretium protinus Hannibali numeravit; ſi ad calculos revocetur, parvum: utpote* VII *jugeribus, & hoc in Pupiniâ, addictis redactum: ſi ad animum populo Romano erogantis, omni pecuniâ maius.* Rationem, cur legat, *populo Romano*, addit, ut in cæteris omnibus, ſagaciſſimam: nempe, ſcribi ſolitas eſſe eas voces ſingulis literis P. R. vel p. r. Cæterùm Cicero quoque eamdem Pupiniæ ſterilitatem innuit in orat. I contra Rullum de Lege Agrariâ. *Agros*, inquit, *Vaticanum & Pupiniam cum ſuis opimis atque uberibus campis conferendos non putabunt.*

At in ipſis montibus inter Tibur atque Præneſte fuit *opidum* AESVLA, ſive AESOLA, Horatio memoratum. unde opidani ſunt Plinio lib. III cap. V inter eos populos, qui jam tum ſine veſtigiis interierant, AESOLANI, ſive AESVLANI. Horatius Carm. lib. III odâ XXVIIII:

——— Eripe te moræ:
Ne ſemper udum Tibur & Aeſulæ
Declive contempleris arvum, &
Telegoni juga parricidæ.
Faſtidioſam deſere copiam, &
Molem propinquam nubibus arduis:
Omitte mirari beatæ
Fumum & opes ſtrepitumque Romæ.

Satis clarè ex his liquet, fuiſſe & ipſam *Aeſulam* unà cum *Tibure* ac *Tuſculo* Romæ propinquam. Vetus poëtæ commentator: *Vdum Tibur propter aquarum copiam. Aeſula: nomen urbis alterius in latere montis conſtitutæ.* In eius haud dubiè montis latere, in quo & Tibur etiam & Præneſte erant. nam inter Tibur & Tuſculum nulli alii ſunt montes; niſi colles, in quibus Zagarollum & Columna ſunt opida. Apud Velleium Paterculum hæc leguntur: *Initio primi belli Punici Firmum & Caſtrum colonis occupata; & poſt annum Aeſernia; poſtque* XXII *annos Aeſulum & Alſium: Fregellæque poſt biennium: proximoque anno, Torquato Sempronioque conſulibus, Brunduſium.* Corruptum heic eſſe genuinum annorum numerum XVI, vel XVII, in XXII; Alſium deductam fuiſſe L. Cæcilio Metello iterum & M. Fabio Buteone conſulibus, anno urbis Romæ IↃVI, ſuprà lib. II cap. II docui. Eo tempore in ſuprà dictum quoque opidum Aeſulam ſive Aeſulan deductam fuiſſe coloniam, minimè ego crediderim; quandò hoc opidum adeò obſcurum, uti uni tantùm Horatio memoretur. quo & ipſo tempore admodùm tenue uti fuerit oportet, quando Plinius, cuius opus LXXX haud ampliùs annis Horatio poſterius eſt, inter eos populos recenſet Aeſulanos, qui tum *ſine veſtigiis interierant.* Fæſulas in Etruriâ & Aſculum in Piceno fuiſſe quidem colonias Romanas, ſuprà lib. II cap. III & XI intellectum. verùm, quibus temporibus deductæ fuerint, nusquàm hactenus diſpexi. ſuſpicari itaque libet magis, quàm argumentari, alterutram earum coloniarum heic memoraſſe Velleium.

HORTONA *opidum.*

Porrò ultra Algidum, montem & opidum Aequorum, circa Lavicos & Præneſte, in confinio Aequorum agri fuit *opidum* HORTONA; quod Livio atque Dionyſio memoratur. Livius lib. III: *Sequuntur conſules, Q. Minucius, M. Horatius Pulvillus. cuius initio anni quum foris otium eſſet, domi ſeditiones iidem tribuni, eadem lex faciebat. ulteriúsque ventum foret, ni, velut deditâ operâ, nocturno impetu Aequorum Corbione amiſſum præſidium, nunciatum eſſet. Senatum conſules vocant. jubentur ſubitarium ſcribere exercitum, & in Algidum ducere.* Et paullo pòſt: *Horatius, quum jam Aequi, Corbione interfecto præſidio, Hortanam etiam cepiſſent, in Algido pugnat: multos mortaleis occîdit: fugat hoſtem non ex Algido modò, ſed à Corbione Hortanâque.* De câdem re Dionyſius ita lib. X: Αἰκανοί τε, οἱ νεωστὶ καταπολεμηθέντες, ἐν τοῖς ὅπλοις αὖθις ἦσαν. καὶ οἱ μὲν ἀκμαιότατοι αὐτῶν νυκτὸς ἐλάσαντες ἐπὶ Κορβιῶνα πόλιν, τήν τε φρουρὰν τὴν ἐν αὐτῇ, κοιμωμένην εὑρόντες, κατέσφαξαν· οἱ δὲ λοιποὶ μεγάλῃ χειρὶ στρατεύσαντες ἐπὶ πόλιν Βιρτῶνα τοῦ Λατίνων ἔθνους, ἐξ ἐφόδου παρελάμβανον. Id eſt: *Aequi etiam, nuper devicti, arma reſumpſerunt. & miſſo per noctem juventutis robore; Corbionis præſidium ſopitum adgreſſi interfecerunt. cæteri magno numero egreſſi, Virtonem, Latinæ gentis opidum, primo impetu ceperunt.* Apud utrumque auctorem haud dubiè nomen hoc opidi Latini corruptum eſt. ſic quidpe apud Livium anteà legitur lib. II: *Cæſo Fabius & Sp. Furius conſules fiunt. Artonam, Latinam urbem, Aequi oppugnabant.* De eâdem re Dionyſius fine libri VIII: Αἰκανοὶ μὲν εἰς τὴν Λατίνων χώραν ἐμβαλόντες, ἀπήλασαν ἀνδράποδα, καὶ βοσκήματα πολλὰ, λῃστρικῇ ἐφόδῳ χρησάμενοι. καὶ ἐπειδὴ τὰ πρῶτα αὐτοῖς κατὰ νοῦν ἐχώρησε, καὶ οὐθεὶς ὁ κωλύσων τὰ λοιπὰ ἐφαίνετο, θρασεῖς ἐπαρθέντες ἀλογίστως, λῃστρικὴν μὲν οὐκέτι στρατείαν οὐκ ἔγνωσαν ποιεῖσθαι, δυνάμει δὲ βαρείᾳ ἐλάσαντες ἐπὶ πόλιν Ὀροὺς, κατὰ κράτος αἱροῦσιν. Id eſt: *Aequi, factâ in Latinorum agros inruptione, abegerunt magnam vim mancipiorum atque pecorum repentino latrocinio. quumque viderent, primos conatus feliciter ſibi ſucceſſiſſe; rati, neminem deinceps obſtiturum; eò progreſſi ſunt audaciæ, uti non jam prædatoriâ manu, ſed juſto exercitu opidum Horos invaderent, & vi caperent.* Heic equidem ſimulque ſuprà lib. X, interpretes Latini, alii *Ortonam*, alii *Artonam*, ex Livio reſtituerunt. nec dubitavit hactenus quisquam, quin unum idemque intellexerit utrobique opidum uterque auctor. & ipſa quoque Livii exemplaria utroque in libro variant; alia *Artonam*, alia *Ortonam*, nonnulla *Hortanam* referentia. At quia in plerisque prima ſyllaba

eſt *Hor*;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

eſt *Hor*; ut etiam apud Dionyſium dicto lib. VIII: & apud hunc etiam lib. X in ſecundâ ſyllabâ diſertim ω omnino ſtatuendum eſt, genuinum vocabulum fuiſſe HORTONA; Græcâ formatione Ὀρτών· ut Ancona, Verona, Cremona, Dertona, Græcis dicebantur Ἀγκὼν, Οὐηρὼν, Κρεμὼν, Δερτών. Apud Livium, præſcripto loco, quum incuriâ imperiti exſcriptoris in primâ ſyllabâ interiiſſet *o*, *Hortona*; alius id corrigendum cenſuit in *Artona*. De cætero, *Corbionem* opidum ſitum fuiſſe ultra Algidum, ſiniſtrorſum verſùs Præneſte, circa Lavicanam viam, ſuprà lib. II cap. XVI in Aequis oſtenſum eſt. eodem igitur tractu circa Præneſte & Lavicos fuit & Hortona.

Eodem circa Aequorum confinia tractu fuit TOLERIA quoque ſive TOLERIUM, Latinorum *opidum*. Memoratur Dionyſio, Livio, ac Stephani breviatori. Opidani inde ſunt Plinio lib. III cap. V TOLERIENSES: Dionyſio autem & Plutarcho ac Stephano, Τολερῖνοι, TOLERINI. Breviator Stephani: Τολέριον, πόλις Ἰταλίας. τὸ ἐθνικὸν Τολερῖνος. Id eſt: *Tolerium, opidum Italiæ. unde gentilitium Tolerinus*. Livius lib. II, de Cn. Marcio Coriolano: *Circeios profectus, primùm colonos inde Romanos expulit; liberamque eam urbem Volſcis tradidit. inde in Latinam viam tranſverſis tramitibus tranſgreſſus, Satricum, Longulam, Polluſtiam, Coriolos, novella hæc Romanis opida ademit. inde Lavinium recepit. tunc deinceps Corbionem, Vitelliam, Trebiam, Lavicos, Pedum, cepit. poſtremò ad Vrbem à Pedo duxit; & ad Foſſas Cluilias, V ab Vrbe millia paſſuum, caſtra poſuit*. Nemo ſanè dubitaverit, quin corruptum heic ſit vocabulum *Trebiam*; quando nullum eo nomine circa hæc loca fuit opidum; Dionyſius verò & Plutarchus in eâdem Marcii expeditione habent *Toleriam*, circa Lavicos. quorum hic in vitâ Marcii, Οὕτως, inquit, ὁ Μάρκιος ἐπ' αὐτὰς τὰς πόλεις τῶν Λατίνων ἦγεν· καὶ Τολερίνους, καὶ Λαβικανοὺς, καὶ Πεδανοὺς, ἔτι δὲ καὶ Βωλανοὺς, ἀντιστάντας αὐτῷ, κατὰ κράτος εἷλεν. Id eſt: *Ita ipſa Latinorum opida Marcius adortus, Tolerinos, Lavicanos, Pedanos, atque Bolanos, qui ſeſe defendebant, vi cepit*. Diverſum ab utroque ordinem huius expeditionis refert Dionyſius lib. VIII; à *Circeiis* ad *Toleriam*, *Bolas*, *Lavicos*, *Pedum*, *Corbionem*, *Coriolos*, *Bovillas*, *Laviniam*, ac tandem ad *Foſſas Clælias* ductum. Καὶ ὁ Μάρκιος, inquit, οὐδὲν ἔτι διαμελλήσας, ἧκεν ἄγων τὴν δύναμιν ἐπὶ Κιρκαίαν πόλιν. * — *. Καὶ αὐτίκα ἐπὶ Τολερίνους ἐλαύνει τοῦ Λατίνων ὄντας ἔθνους. * — *. Ἐπειδὴ τὰ σώματα καὶ τὰ χρήματα πάντα ἐξεκεκόμιστο, τὴν πόλιν ἔρημον καταλιπὼν, ἀπῆγε τὴν δύναμιν ἐπὶ Βωλανῶν πόλιν. * — *. Ἐντεῦθεν δὲ τὴν δύναμιν ἀναλαβὼν, ἦγεν ἐπὶ τοὺς καλουμένους Λαβικανούς. Hoc eſt: *Marcius itaque haud ampliùs cunctatus, Circæum opidum petiit*. Poſteà: *Protinusque Tolerinos, Latinæ gentis populum, adortus eſt*. Haud multo pòſt: *Exportatis tum opibus tum hominibus univerſis, vacuum reliquit opidum; copiasque ad Bolanorum duxit opidum*. Aliquanto pòſt: *Hinc exercitum adversùs Lavicanos movit*. Opida Bolas & Vitelliam Aequis adſeruimus lib. II cap. XVI. Quocumque igitur ordine expeditionem ſuam egerit Marcius, patet ex omnibus tribus iſtis auctoribus, Toleriam opidum fuiſſe inter Lavicos & proximos Aequorum fineis. Cæterô apud Macrobium Saturnalior. lib. III cap. VIIII, quod eſt de carmine, quo evocari ſolebant dii tutelares, & urbes devoveri, ita ſcriptum eſt: *In antiquitatibus autem hæc opida invêni devota; Tonios, Fregellas, Gabios, Veios, Fidenas, intra Italiam*. Sanè quum Tonios hosce nemo alius agnoſcat auctor, corruptum id quoque eſſe vocabulum, vehementer ſuſpicor. utrùm autem *Talerios*, an verò *Volſinios* ſcripſerit Macrobius, an quid aliud, haud temerè dixerim.

Atque hæc ferè ſunt loca atque opida primi illius inter Anienem & mare *Priſci Latii*, antiquis auctoribus memorata; quorum ſitus, aut regio indicari potuit. Iam inde verò ſub regibus Romanorum titulum *Priſci Latii* ad Circæum usque montem & Tarracinam opidum prolatum fuiſſe, ſuprà ſub finem capitis I huius libri III oſtenſum eſt. In hoc igitur antiquo Latio à Tiberi & Româ ad Circæum usque Plinio lib. III cap. V recenſentur populi permultorum opidorum, quæ neque aliis memorantur auctoribus, neque quibus ſitibus fuerint inveſtigari poſſunt: utique, quum jam eius ætate ſine veſtigiis interierint. unde minus certum eſt, an ea vocabula ſunt incorrupta, nec ne. ſunt autem iſta: *Bitulum*, *Tiſata*, *Amiternum*; *Acienſes*, *Abolani*, *Bubetani*, *Cuſuetani*, *Foretii*, *Hortenſes*, *Manates*, *Macrales*, *Mutucamenſes*, *Munienſes*, *Numinienſes*, *Olliculani*, *Octulani*, *Querquetulani*, *Siſolenſes*, *Tutienſes*, *Vimitellarii*, *Velienſes*, *Venetulani*. De his, & quibusdam aliis,

quorum nonnullos hactenus explicuimus, alios verò infrà in Volſcis indicabimus, ſic tandem concludit: *Ita ex antiquo Latio* LIII *populi interière ſine veſtigiis*. Vni ex iſtis *Bubetani* Dionyſio quoque memorantur lib. V. Olliculanorum verò opidum OLLICVLVM neſcio an Floro quoque, & ex Floro Oroſio Iornandique, dictum ſit. ſic quidpe apud Florum eſt lib. I cap. VII: *Poſtremus omnium fuit regum Tarquinius, cui cognomen Superbo ex moribus datum.* Mox: *Sic valida opida in Latio capta ſunt, Ardea, Ocriculum, Gabii, Sueſſa Pometia.* Eadem verba, ut pleraque Flori alia, in ſuum librum de Regnorum ſucceſſione transſcripſit Iornandes. Oroſius lib. II cap. IIII: *Opida valida in Latio per eum capta, Ardea, Ocricolum, Sinueſſa Pometia.* Iornandes haud multo pòſt, ſub primis conſulibus ita habet: *Nec ſecus Latini, Mamilio Tuſculano duce, apud Regilli lacum expugnantur, vincuntur, atque ſubjiciuntur. Ocriculum atque Corniculum, Soraque & Algidum, eorum urbes captæ, proviniaque effecta.* De Bovillis, pudet, ſed triumphavêre Romani. Heic ſaltem conſtabit, corruptum eſſe vocabulum *Ocriculum*. ſic quidpe apud ipſum eſt Florum lib. I cap. XI: *Hactenus pro libertate: mox de finibus cum eisdem Latinis adſiduè & ſine intermiſſione pugnatum eſt. Sora (quis credat?) & Algidum terrori fuerunt: Satricum atque Corniculum provinciæ. de Verulis & Bovillis, pudet, ſed triumphavimus.* Quia verò Ocriculi nomine una ſola urbs in totâ Italiâ memoratur in omni antiquitate, quæ fuit Vmbrorum, hodiéque vulgò dicitur *Otricoli*: minimè dubitandum eſt, quin & priori loco apud Iornandem ſimulque apud Oroſium & ipſum Florum vocabulum id ſit corruptum. nec ulla alia vox propiùs adcedit, quàm prædictum *Olliculum*.

OLLICVLVM oppidum.

De cætero ſunt Plinio dicto lib. III cap. V *Sicani* quoque inter eos antiqui Latii populos, qui ſine veſtigiis tunc interierant. hos etiam aut corrupto eſſe vocabulo cenſeo; aut certè iidem intelligendi, qui Virgilio poëtæ ſic nominantur pro Siculis, antiquiſſimis Latii incolis; ut ſuprà dictum.

CAP. V.

De RVTVLIS.

PRimis igitur illis Priſcis Latinis ad mare contermini fuêre ab ortu Solis hiberni RVTVLI; exiguum terræ angulum incolentes: ut qui hinc Lanuvinorum Latinorum & Laurentium, illinc Antiatium Volſcorum, intus verò Coriolanorum Volſcorum finibus claudebantur. Hos eiusdem generis cum Latinis, & quaſi eorum partem fecit Virgilius cum imitatore ſuo Silio. Virgilius Aeneid. lib. VII, de Laviniâ, Latini filiâ:

Multi illam magno è Latio totâque petebant
Auſoniâ. petit ante alios pulcherrimus omneis
Turnus; avis atavisque potens. quem regia conjux
Adjungi generum miro properabat amore.
Sed variis portenta deûm terroribus obſtant.

Exiguo pòſt, Fauni oraculum eâ de re citans:

——— *Subita ex alto vox reddita luco eſt*
Ne pete connubiis natam ſociare Latinis,
O mea progenies; thalamis neu crede paratis.
Externi veniunt generi.

Et poſteà ipſe Latinus ita reſpondet Ilioneo, Aeneæ legato:

Eſt mihi nata, viro quam gentis jungere noſtræ
Non patrio ex adyto ſortes, non plurima cælo
Monſtra ſinunt. generos externis adfore ab oris.

Aeneid. lib. XI ita Latinus rex in concilio concionatur:

Eſt antiquus ager, Tuſco, mihi, proximus amni,
Longus in occaſum, fineis ſuper usque Sicanos:
Aurunci Rutulique ſerunt.
Hæc omnis regio & celſi plaga pinea montis

Cedat

Cedat amicitiæ Teucrorum; & fœderis æquas
Dicamus leges; ſociosque in regna vocemus.
Conſidant, ſi tantus amor, & mœnia condant.

Lib. VIII ſic fatur apud Euandrum Aeneas:

Gens eadem, quæ te, crudeli Daunia bello
Inſequitur.

Gens hæc *Daunia* erant *Rutuli*, ſic adpellati à Dauno, Turni patre; ut mox videbimus. unde ipſe Euander eodem libro infra ita Aeneæ reſpondet:

Nobis ad belli auxilium pro nomine tanto
Exiguæ vires, hinc Tuſco claudimur amni:
Hinc Rutulus premit, & murum circumſonat armis.

At eodem libro anteà ſic Tiberinus deus adfatur Aeneam in ſomnis:

Arcades his oris; genus à Pallante profectum;
Qui regem Euandrum comites, qui ſigna ſequuti,
Delegêre locum, & poſuêre in montibus urbem
Pallantis proavi de nomine Pallantéum.
Hi bellum adſiduè ducunt cum gente Latinâ.

Sic lib. VIIII & XI frequentiſſimè Turni cum Aeneâ Troianisque dimicantis exercitum promiſcuè nunc *Latinos* nunc *Rutulos* adpellat poëta. & lib. XII Latinus ſic Turno:

Sunt tibi regna patris Dauni, ſunt opida capta
Multa manu.
Quid conſangvinei Rutuli, quid cætera dicet
Italia; ad mortem ſi te (fors dicta refutet)
Prodiderim.

Hinc, quum *Saguntus*, Hiſpaniæ urbs, ab Rutulorum urbe Ardeâ orta diceretur; religioſiſſimus ille Virgilii imitator Silius Saguntinos adpellavit *Rutulos* lib. I, Romanos verò *conſangvineos eorum*. Verba eius lib. I, ubi Saguntinorum legati Romam verſus navigant, hæc ſunt:

Intereà Rutulis longinqua per æquora vectis
Herculei ponto cœpere exſiſtere colles,
Et nebuloſa jugis attollere ſaxa Monœci.

Et paullo pôſt:

Hinc conſangvineæ ſubeunt jam mœnia Romæ.

Et aliquando Laurenteis agros facit Rutulos in dictâ legatorum oratione, his verſibus:

Vos per culta diu Rutulæ primordia gentis
Laurentemque larem, & genitricis pignora Troiæ,
Conſervate pios. ——
—— *Vetus incola Dauni*
Teſtor vos fonteis & ſtagna arcana Numici.

Sic item lib. VIII:

Faunigenæ ſocio bella invaſêre Sicano,
Sacra manus, Rutuli, ſervant qui Daunia regna,
Laurentique domo gaudent & fonte Numici.

Hinc paſſim per omne opus ipſos Romanos vocat Rutulos. Lib. III; ubi bellum civile innuit in Africâ inter Cæſarem & Scipionem geſtum

Et Zama, & uberior Rutulorum ſangvine Thapſus.

Ipſe Cæſar auctor eſt in libro de Africano bello, ſe & obſediſſe Scipionis præſidium Thapſi, & prælia ante opidum conſeruiſſe. Silius porrò lib. V:

Occumbit Bogus; infauſtum qui primus ad amnem
Ticini rapidam in Rutulos contorſerat haſtam.

Lib. VIIII, de prœlio Cannenſi:

Sternuntur tellure & miles & arma tubæque,
Atque omnis retro flatu occurſante refertur
Lancea, & interdum Rutulis cadit irritus ictus.
Atque idem flatus Pœnorum tela ſecundat.

Lib. X:

Atque ea dum Rutulis turbatâ mente geruntur,
Luſtrabat campos, & ſævæ triſtia dextræ

Facta recenſebat, pertractans vulnera viſu
Hannibal.

Lib. XIII, de Claudio Romano, quem Taurea Campanus ad ſingularem pugnam provocaverat:

At non idem animus Rutulo. Mox:
Nec Rutulus levior cedentis perdere terga.

Lib. XV, ubi Fabius Tarentum urbem recuperat:

Namque ut compertum, qui Punica ſigna regebat,
Femineâ exuri flammâ, tacitusque quiete,
Exin virtuti placuit dolus, ire ſorori:
Nam caſtris erat in Rutulis germanus amata:
Cogitur & magnis muliebria vincere corda
Pollicitis, ſi recluſas transmittere portas
Concedat Libycus rector. votique potitus
Evicto Fabius Pœno, circumdata telis
Incuſtoditâ penetravit mœnia nocte.

Et eodem libro poſteà Haſdrubal ſic ſuos milites cohortatur:

Per decora extremo vobis quæſita ſub axe,
Per fratris laudes oro, veniſſe probemus
Germanum Hannibalis. Latio fortuna laborat
Adverſis documenta dare, atque oſtendere, quantus
Verterit in Rutulos domitor telluris Iberæ,
Svetus ad Herculeas miles bellare columnas.

Et aliquanto pôſt:

Iamque inclinabant acies: cunctisque pavorem
Gallorum induerat pavor: & fortuna ruebat
Sidonia. ad Rutulos Victoria verterat alas.

Lib. XVI Numidarum dux Maſaniſſa ita adloquitur Scipionem, Romani exercitus ducem:

Cœleſtum monita & ſacræ reſponſa parentis,
Dîsque tua, ô Rutulûm rector, gratiſſima virtus,
Avulſum Tyriis huc me duxêre volentem.

Et fine eiusdem libri, ubi Scipio in ſenatu Romanò ſvadet, Carthaginem ex Italiâ transferendum eſſe bellum:

Tum verò pulſet noſtras iterum improbus hoſtis
Ariete Sidonio turreis, ſi templa ſuorum
Non antè audierit Rutulis crepitantia flammis.

Denique quum Turni, Rutulorum regis, pater, ut ſuprà intellectum, eſſet Daunus; Daunios quoque adpellavit Romanos lib. V, ubi vincuntur ab Hannibale ad Traſymenum lacum:

Donec pulſa vagos curſus ad litora vertit
Mentis inops, ſtagnisque latebat Daunia pubes.

Virgilius Aeneid. lib. XII, ubi pugnam inter Aeneam Turnumque improbant Rutuli, & ipſe quidem hos adpellat Lanrenteis; ſed, contrarius jam ſupra ſcriptis locis, diſertè inter eos atque *Latinos* diſtingvit, hoc verſu:

Ipſi Laurentes mutati, ipſique Latini.

At quî hoc facere potuerit Virgilius, nondum ego perſpicio; ſiquidem *Laurentum* ipſe ubique *Latini* regis facit regiam. Diſtingvit tamen & poſteà inter Rutulos & Latinos, hoc verſu:

Parcite jam Rutuli, & vos tela inhibete Latini.

Et lib. VII; ubi Turnus Troianis ſimulque Latinis minatur bellum:

Se ſatis ambobus Teucrisque venire Latinisque.

Suprà ſcripto lib. XI diſertiſſimis verbis teſtantem introducit Latinum, Rutulos ſibi eſſe ſubjectos; eosque cum Auruncis ſe velle dare Aeneæ. nihilo minus tamen poſteà lib. XII apertè idem Latinus rex teſtatur, ſeparatum habere Turnum ab ſuâ ditione regnum. verba eius hæc ſunt:

Sunt tibi regna patris Dauni, ſunt opida capta
Multa manu.

Hinc

Hinc illa etiam Amatæ reginæ oratio ad Latinum lib. VII:

Quid tua ſancta fides, quid cura antiqua tuorum,
Et conſangvineo toties data dextera Turno?
Si gener externâ petitur de gente Latinis;
Idque ſedet; Faunique premunt te juſſa parentis:
Omnem equidem, ſceptris, terram, quæ libera noſtris
Diſſidet, externam reor; & ſic dicere divos.
Et Turno, ſi prima domus repetatur origo,
Inachus Acriſiusque patres, mediæque Mycenæ.

Sed heic tamen unum *Turnum* ſolummodò, non verò *Rutulorum* gentem, à Latinorum nomine eximere videtur. Dionyſius lib. I, antiquiſſimos ſequutus auctores, tradit, poſtquàm fœdus inter Latinum, & Aeneam ictum fuiſſet, conjunctis copiis Latini imperio ſubactos fuiſſe Rutulos: paullo pòſt autem rurſus defeciſſe, Turno auctore atque duce. Συνθέμενοι δὲ ταῦτα, inquit, κοινῇ στρατεύουσιν ἐπὶ τὰς πόλεις τῶν Ῥουτόλων. δι' ὀλίγου δὲ ταύτας ἐκεῖ πάντα χειρωσάμενοι, παρῆσαν ἐπὶ τὸ πόλισμα τὸ Τρωϊκὸν ἡμιτέλεστον, καὶ μιᾷ προθυμίᾳ πάντες χρώμενοι τειχίζουσιν αὐτό. ὄνομα δὲ τῷ κτίσματι Αἰνείας τίθεται Λαουΐνιον, ἀπὸ τῆς Λατίνου θυγατρὸς, ἣ Λαυΐναν εἶναί φασι τοὔνομα. * — * — *. Αἰνείας δὲ κατασκευάσας ἱεροῖς τε καὶ τοῖς ἄλλοις κόσμοις ἀποχρώντως τὴν πόλιν, τῷ μὲν ἑξῆς ἐνιαυτῷ, τρίτῳ δὲ ἀπὸ τῆς ἐξόδου Τρώων ἐβασίλευσε μόνον. τῷ δὲ τετάρτῳ τελευτήσαντος Λατίνου, καὶ τὴν ἐκείνου βασιλείαν παραλαμβάνει, τῆς τε κηδείας οἰκειότητι τῆς πρὸς αὐτὸν, ἐπικλήρου τῆς Λαυΐνας γενομένης μετὰ τὸν Λατίνου θάνατον, καὶ τοῦ πρὸς ἀστυγείτονας πολέμου τῆς στρατηγίας ἕνεκα. ἀπέστησαν γὰρ αὖθις ἀπὸ τοῦ Λατίνου Ῥούτολοι, λαβόντες ἡγεμόνα τῶν αὐτομόλων τινὰ, τῆς Λατίνου γυναικὸς Ἀμάτης ἀνεψιὸν, ὄνομα Τυρνόν. ὁ δὲ ἀνὴρ οὗτος ἐπὶ τῷ γάμῳ τῆς κηδεστίας μεμφόμενος, ὅτι παρελθὼν τὸ συγγενὲς ὀθνείους ἐκήδευσε, τῆς τε Ἀμάτης παροξυνούσης, καὶ ἄλλων τινῶν συλλαμβανόντων, ἄγων τὴν δύναμιν ἧς αὐτὸς ἦρχε, προστίθεται τοῖς Ῥουτόλοις. πολέμου δὲ ἐκ τῶν ἐγκλημάτων τούτων γενομένου, καὶ μάχης ἰσχυρᾶς, Λατῖνος μὲν ἀποθνήσκει καὶ Τυρνὸς καὶ τῶν ἄλλων συχνοί· κρατοῦσι δ' ὅμως οἱ σὺν Αἰνείᾳ. ἐκ δὲ τούτου τὴν ὑπὸ τῷ κηδεστῇ γενομένην ἀρχὴν Αἰνείας παραλαμβάνει. Hoc eſt: *Hæc pacti, communibus copiis expeditionem in Rutulos faciunt. brevique, captis univerſis eorum opidis, revertuntur ad ſemiperfectum Troianorum opidum; & pari id alacritate muniunt. nomen ei Aeneas indidit Lavinium, à Lavinâ, Latini filiâ.* Poſteà: *Cæterùm Aeneas, poſtquàm templis aliisque ornamentis id opidum ſatis inſtruxit; ſequenti quidem anno, hoc eſt poſt diſceſſum ſuum tertio, Troianorum tantùm rex fuit. quarto autem anno, defuncto Latino, etiam huius regno potitus eſt; tùm adſinitatis jure; quòd poſt Latini obitum ad ſolam Lavinam univerſa perveniſſet hereditas: tùm, quòd belli adversùs ſinitimos dux eſſet deſignatus. quidpe Rutuli denuò à Latino defecerant; ductu cuiusdam transfugæ. is erat Turnus, conſobrinus Amatæ, Latini conjugis. qui propter Lavinæ nuptias elocantem Latinum incuſans, quòd, præteritis cognatis, exterum ſibi adſciviſſet generum; Amatâ quoque inſtigante, & aliis quibusdam faventibus; cum militum manu, cui præerat, ad Rutulos transierat. Ex his igitur cauſis redintegrato bello, & commiſſo acri prælio, Latinus cecidit atque Turnus, cum multis aliis. at Aeneas & victoriam conſequutus eſt & regnum ſoceri.* Sex. Aurelius Victor, in libro de Origine gentis Romanæ, & ipſe hiſtoriæ huius Romanos citat auctores. *Itaque cœptum*, inquit, *à Troianis muniri locum: quem Aeneas ex nomine uxoris ſuæ, Latini regis filiæ, quæ jam antè deſponſata Turno Herdonio fuerat, Lavinium cognominavit. At verò Amatam, Latini regis uxorem, quum indignè ferret, Laviniam, repudiato Turno conſobrino ſuo, Troiano advenæ collatam; Turnum ad arma concitaviſſe. eumque mox, coacto Rutulorum exercitu, tetendiſſe in agrum Laurentem; & adversùs eum Latinum pariter cum Aeneâ progreſſum, inter prælianteis circumventum occiſumque. Nec tamen, amiſſo ſocero, Aeneas Rutulis obſiſtere deſiit. namque & Turnum interemit; &, hoſtibus fuſis fugatisque, victor, Lavinium ſe cum ſuis recepit: conſenſuque omnium Latinorum rex declaratus eſt: ut ſcribit Lucatius lib.* III. Livius lib. I, poſtquàm de adventu Aeneæ ad Italiam, deque opido ibi condito, cui *Lavinium* nomen ab regis Latini filiâ, uxore ſuâ impoſuiſſe dicitur, narravit; *Bello*, inquit, *deinde Aborigines Troianique ſimul petiti. Turnus, rex Rutulorum, cui parta Lavinia ante adventum Aeneæ fuerat, p ælatum ſibi advenam ægrè patiens, ſimul Aeneæ Latinoque bellum intulerat. Neutra acies læta ex eo certamine abiit. victi Rutuli. victores Aborigines Troianique ducem Latinum amiſère. Inde Turnus Rutulique, diffiſi rebus, ad florenteis Etruſcorum opes Mezentiumque, eorum regem, confugiunt.* Occubuiſſe in ultimo hoc bello Aeneam, filiumque eius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Aſcanium in regno ei ſucceſſiſſe, Livius juxtà cum Dionyſio & Sex. Aurelio Victore tradit. at nemo eorum oſtendit, quid porrò inter Latinos Rutulosque factum: in pacem & unum imperium coierintne; an verò diverſæ ſemper atque inter ſe discretæ gentes manſerint. quamquàm Livius lib. IIII etiam *Rutulorum* ut alienæ ab Latinis Romaniſque gentis meminit, in conſulatu M. Fabii Vibulani & Poſthumi Aebutii Helvæ Cornicinis; id eſt, anno urbis Romæ CCCXIII; ut mox infrà in deſcriptione urbis *Ardeæ* videbimus. Ex hactenus igitur allatis auctorum teſtimoniis omnino ſtatuendum eſt, fuiſſe Rutulos gentem à Latinorum genere, quod Græcæ fuiſſe originis ſuprà oſtenſum eſt, planè diverſam atque diſcretam; donec & ipſi, ſimul cum Volſcis, Auſonibus, Hernicis, & Aequis, bello ſuperati, ſub unum Latii nomen redacti fuêre. Hinc Plinius lib. III cap. V: *Latium antiquum à Tiberi Circeios uſque obſervatum eſt, millium paſſuum* L *longitudine. tam tenues primordio imperii fuêre radices. Colonis ſæpè mutatis, tenuêre alii aliis temporibus; Aborigines, Pelaſgi, Arcades, Siculi, Aurunci, Rutuli. & ultra Circeios, Volſci, Oſci, Auſones. unde nomen Latii proceſſit ad Lirim amnem.* Et Strabo lib. V: Οἱ δ᾽ οὖν Λατῖνοι κατ᾽ ἀρχὰς μὲν ἦσαν ὀλίγοι, καὶ οἱ πλείους οὐ προσεῖχον Ῥωμαίοις· ὕστερον δὲ καταπλαγέντες τὴν ἀρετὴν τοῦ τε Ῥωμύλου καὶ τῶν μετ᾽ ἐκεῖνον βασιλέων, ὑπήκοοι πάντες ὑπῆρξαν. καταλυθέντων δὲ τῶν τε Αἰκῶν καὶ τῶν Οὐολσκῶν καὶ Ἑρνίκων, ἔτι πρότερον Ῥουτούλων τε καὶ Ἀβοριγίνων, ἡ τούτων χώρα Λατίνη προσηγόρευται. Hoc eſt: *Latini ab initio erant pauci: ac plerique Romanis non obtemperabant. ſucceſſu tamen temporis virtute Romuli & eorum, qui poſt eum regnavêre, perculſi, univerſi in imperium eorum ceſſerunt. Domitis porrò Aequis, Volſcis, Hernicis, & ante hos etiam Rutulis atque Aboriginibus; omnis horum ager Latium adpellatus fuit.* Livius circa finem libri primi, in rebus Tarquinii Superbi, poſtremi Romanorum regis: *Reditum inde Romam. ubi adversùs Rutulos bellum ſummâ vi parabatur.* Ardeam Rutuli habebant; gens, ut in eâ regione atque in eâ ætate, divitiis præpollens. eaque ipſa cauſa belli fuit: quòd rex Romanus tum ipſe ditari, exhauſtus magnificentiâ publicorum operum, tum prædâ delinire popularium animos ſtudebat. Dionyſius lib. V; ubi omne illud antiquum Latium pro reducendis Tarquiniis contra Romanos conſpirabat: Ῥούτουλοι δὲ Λατίνοις μὲν ἐπικουρίαν πέμπειν αὔτικρυς ὑπέσχοντο. Ῥωμαίοις δὲ, ἂν βουληθῶσι καταλύσασθαι τὴν ἔχθραν, διὰ σφῶν μετριωτέρους παρέξειν Λατίνους ἔφασαν, καὶ τὰς συμβάσεις αὐτοῖς διαιτήσειν. Id eſt: *Rutuli Latinis auxilium diſertè polliciti ſunt. at Romanis tamen promittebant, ſi ponere inimicitias vellent; ſe ſuâ interceſſione Latinos ipſis reddituros æquiores, pacemque conciliaturos.* Zonaras Annal. lib. II, de M. Furio Camillo, in exſilium abeunte: Ἐκεῖνος μὲν οὖν πρὸς Ῥουτούλους μετέστη. id eſt: *Ille ad Rutulos ſe contulit.* Livius lib. V: *Proficiſcenteis Gallos ab Vrbe ad Romanam experiendam virtutem fortuna ipſa Ardeam, ubi Camillus exſulabat, duxit.* Cæterùm de genere atque origine Rutulorum nihil apud auctores diſpicio. Turni patriſque eius Dauni genus, quod quidam, ut ſuprà intelleximus, ex Græciâ deduxerunt, id fortè ad *urbis* modò *Ardeæ*, non verò gentis, in qua ea condita, conditores referendum eſt. Fines agrorum admodùm, ut ſuprà dixi, fuêre anguſti, intra Numicium amnem, Lanuvium, ac Coriolos, & Antium, opida concluſi.

ARDEA. Oram igitur maritimam ſic deſcribit Plinius lib. III cap. V: *Opidum Laurentum, Lucus Iovis Indigetis, amnis Numicius: Ardea, à Danaë, Perſei matre, condita: dein quondam Aphrodiſium: Antium colonia.* Mela lib. II cap. IIII, adverſo incedens litore: *Antium, Aphrodiſium, Ardea, Laurentum.* Sic equidem iſtis duobus geographis ARDEA *opidum* in orâ maritimâ commemoratur: haud ſatis propriè: quum nomen id vicus etiam nunc retineat in mediterraneo, circiter V millia paſſuum à mari recedens. unde meritò inter mediterranea Latii opida à Ptolemæo recenſetur. nec ponitur Itinerariis antiquis in itinere inter Oſtiam & Antium. Hinc etiam Strabo lib. V: Ἀρδέα κατοικία Ῥουτούλων, ἄνω ο᾽ σταδίους ἀπὸ θαλάσσης. Id eſt: *Ardea, Rutulorum domicilium,* LXX *à mari ſtadia recedens.* Id eſt, *millia paſſuum* VIIII, *duobus ſtadiis minùs.* Neſcio, an in tantum aberraverit Strabo, aut ſcriptum ab eo fuerit ν᾽ σταδίους, L *ſtadia:* id eſt, *millia* VI *cum paſſibus* CCL. Haud multo anteà ita ſcripſit: Ἀσκάνιος Ἄλβαν ἔκτισεν ἐν τῷ Ἀλβανῷ ὄρει, διέχοντι τῆς Ῥώμης τοσοῦτον, ὅσον καὶ ἡ Ἀρδέα. Hoc eſt: *Aſcanius Albam condidit in monte Albano: qui tanto à Româ abeſt intervallo, quanto Ardea.* Hoc tandem ſatis rectè; ſi à Româ ad ſummum uſque Albani montis verticem menſuram agas; non verò ad locum Albæ; quæ in imis fermè radicibus ſita fuit. in ſummum verticem millia paſſuum ſunt circiter XX. unde idem Strabo paullo antè:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Στάδιοι δ' εἰσὶν ἀπὸ τῆς Ἀρδέας εἰς τὴν Ῥώμην ρξ'. id eſt : *Stadia ſunt ab Ardeâ Romam uſque* CLX. hoc eſt, *millia paſſuum* XX. Hoc ſanè rectiùs, quàm quod Eutropius lib. I, de Tarquinio Superbo loquens : *Poſteà Ardeam oppugnans, in octavodecimo milliario ab Vrbe poſitam civitatem, imperium perdidit*. De cætero, conditricem huius opidi facit Plinius, ut paullo antè intelleximus, Danaën, Perſei matrem. unde epitomator eius Solinus cap. VIII : *Quis ignorat, conditam à Danaë Ardeam*. & Martianus Capella lib. VI : *Hoc loco poſſem etiam urbium percurrere conditores : ut, à Iano Ianiculum, à Saturno Latium, à Danaë Ardeam, ab Hercule Herculanium*. Item Virgilius Aeneid. lib. VII :

Protinus hinc fuſcis triſtis dea tollitur alis
Audacis Rutuli ad muros. quam dicitur urbem
Acriſioneïs Danaë fundaſſe colonis,
Præcipiti delata Noto locus Ardea quondam
Dictus avis. & nunc magnum manet Ardea nomen.

Fabulam de ave *ardeâ* Ovidius quoque habet in Transformationum lib. XIIII ; ubi fingit, Ardeam urbem, ab Aeneâ captam atque incenſam, in avem eius nominis fuiſſe converſam. Verba eius hæc ſunt :

——— *Tandemque Venus victricia nati*
Arma videt; Turnusque cadit : cadit Ardea, Turno
Soſpite dicta potens. quam poſtquàm barbarus enſis
Abſtulit, & tepidâ patuerunt tecta favillâ ;
Congerie è mediâ tum primùm cognita præpes
Subvolat, & cineres plauſis everberat alis
Et ſonus & macies & pallor, & omnia, captam
Quæ deceant urbem, nomen quoque manſit in illâ
Vrbis : & ipſa ſuis deplangitur Ardea pennis.

Servius ad præſcriptum locum Virgilii : *Hyginus in Italicis urbibus ab augurio avis Ardeam dictam vult*. Ipſe Virgilius ibidem paullo antè :

Et Turno, ſi prima domus repetatur origo,
Inachus Acriſiusque patres, mediæque Mycenæ.

Ad hæc Servius : *Danaë, Acriſii, regis Argivorum, filia, poſtquàm eſt à Iove vitiata ; pater eam intra arcam incluſam præcipitavit in mare. quæ delata ad Italiam, inventa eſt à piſcatore cum Perſeo, quem illic enixa fuerat ; & oblata regi Pilumno ; qui eam ſibi fecit uxorem : cum qua etiam Ardeam condidit : à quibus Turnum vult originem ducere*. Virgilius Aeneid. lib. VIIII :

——— *Luco tum fortè parentis*
Pilumni Turnus ſacratâ valle ſedebat.

Ad hæc Servius : *Pilumnus & Pithumnus fratres fuerunt, & dii. horum Pithumnus uſum ſtercorandorum invenit agrorum ; unde & Sterquilinius dictus eſt : Pilumnus verò pinſendi frumenti : unde & à piſtoribus colitur ab ipſo etiam pilum dictum eſt. Quidam Pilumnum & Pithumnum Caſtorem & Pollucem accipiunt. nonnulli laudum deos*. Varro conjugaleis deos ſuſpicatur. Nonius Marcellus cap. XII : *Pilumnus & Picumnus dii præſides auſpiciis conjugalibus deputantur. Varro de Vitâ populi Romani lib.* II : *Natus ſi erat vitalis, ſublatus ab oſtetrice ſtatuebatur in terrâ ; ut auſpicaretur rectus eſſe : ac diis conjugalibus Pilumno & Picumno in ædibus lectus ſternebatur*. Virgilius Aeneid. lib. X :

Indignum eſt, Italos Troiam circumdare flammis
Naſcentem, & patriâ Turnum conſiſtere terrâ :
Cui Pilumnus avus, cui diva Venilia mater.

Ad hæc Servius : *Varro Pilumnum & Picumnum infantium deos eſſe ait eisque pro puerperâ lectum in atrio ſterni, dum exploretur an utilis* [omnino ſcribendum, ut eſt apud Nonium, *vitalis*] *ſit, qui natus eſt. Piſo, Pilumnum dictum, quia pellat mala infantiæ. Sed Pilumnus idem Stercutus ; ut quidam dicunt : qui propter pilum inventum, quo fruges confici ſolent, ita adpellatus eſt. Si ergo proavus Latini eſt ; non* [*eſt*] *Turni avus, nam Stercuti Picus, Pici Faunus, Fauni Latinus eſt filius*. Atqui & omnes alii & ſimul ipſe Virgilius patrem Pici facit Saturnum. Aeneid. lib. VII :

——— *Fauno Picus pater. isque parentem*
Te, Saturne, refert : tu ſanguinis ultimus auctor.

Hinc

Hinc Macrobius Saturnalior. lib. VII: *Cyrenenſes etiam, quum rem divinam ei faciunt, ficis recentibus coronantur; placentasque mutuò miſſitant; mellis & fructuum repertorem Saturnum æſtimantes. Hunc Romani etiam Stercutum vocant: quòd primus ſtercore fecunditatem agris paraverit.* Ergo *Pilumnus* iſte nihil ad *Turnum* pertinebat. totaque hæc res de *Danaës* ac *Perſei* ad Italiam adpulſu fabuloſè conficta eſt. Hinc longè aliam de iis conſcripsêre hiſtoriam alii fabulatores. Hyginus Μυθολογικῶν cap. LXIII: *Danaë, Acriſii & Aganippes filia. huic fuit fatum, ut, quod peperiſſet, Acriſium interficeret. quod timens Acriſius, eam in muro lapideo præcluſit. Iovis autem, in imbrem aureum converſus, cum Danaë concubuit: ex quo compreſſu natus eſt Perſeus. quam pater ob ſtuprum incluſam in arcâ cum Perſeo in mare dejecit. Ea voluntate Iovis delata eſt in inſulam Seriphum. quam piſcator Dictys quum inveniſſet; effractâ, vidit mulierem cum infante. quos ad regem Polydectem perduxit. qui eam in conjugio habuit: & Perſeum educavit in templo Minervæ. quod quum Acriſius reſciſſet, eos ad Polydectem morari; repetitum eos profectus eſt. quò quum veniſſet; Polydectes pro eis deprecatus eſt. Perſeus Acriſio, avo ſuo, fidem dedit, ſe eum numquàm interfecturum. qui quum tempeſtate retineretur, Polydectes moritur. cui quum funebreis ludos facerent; Perſeus diſco miſſo, quem ventus diſtulit in caput Acriſii, eum interfecit. ita, quod voluntate ſua noluit, deorum factum eſt. Sepulto autem eo, Argos profectus eſt; regnaque avita poſſedit.* Eamdem ferè fabulam de Danaë ac Perſeo narrat & Apollodorus de Diis lib. II. Ex opinione igitur eorum, à quibus eam hiſtoriam habuêre Apollodorus Hyginusque, numquàm in Italiam pervênit Danaë. De *Venilia* item, quam Turni matrem facit Virgilius, ita ſcribit ibidem Servius: *Hanc Veniliam quidam Salaciam accipiunt, Neptuni uxorem. Salaciam à ſalo; Venilia, quòd veniam det exigentibus.* Alii igitur alium conditorem Ardeæ prodidere. Dionyſius lib. I: Ξεναγόρας δ' ὁ συγγραφεὺς ἱστορεῖ, Ὀδυσσέως καὶ Κίρκης υἱοὺς γενέσθαι τρεῖς, Ῥῶμον, Ἀντίαν, Ἀρδέαν· οἰκίσαντας δὲ τρεῖς πόλεις, ἀφ' ἑαυτῶν θέσθαι τοῖς κτίσμασι τὰς ὀνομασίας. Id eſt: *Xenagoras hiſtoricus tradit, Vlyſſis & Circes treis fuiſſe filios, Romum, Antiam, atque Ardeam. hos conditis tribus urbibus à ſe impoſuiſſe nomina.* Stephani epitomator: Ἀρδέα κατοικία, τῆς Ἰταλίας. Στράβων πέμπτῃ. ἐκλήθη ἀπὸ ἑνὸς τῶν παίδων Ὀδυσσέως καὶ Κίρκης. αὕτη Τροία ἐλέγετο· ὡς Χάραξ. Id eſt: *Ardea, opidum Italiæ; teſte Strabone lib.* V. *Nomen accepit ab uno filiorum Vlyſſis atque Circes. Hæc Troia vocabatur; ut auctor eſt Charax.* Eum locum, in quem primum egreſſus ferebatur Aeneas, in opidi modum communitum, adpellatum fuiſſe Troiam, ſuprà cap. II huius libri III intelleximus. at egreſſum fuiſſe Aeneam, alii tradidêre, ad oſtium Tiberis amnis; alii, haud procul Laurento; ubi Lavinium opidum condidiſſe fertur. De *Ardeâ* itaque, miror, unde id habuerit Charax. Sed ſumma huius opidi antiquitas ſatis inde perſpicitur, quòd originem eius fabulis illis antiquiſſimis de Danaë atque Circe involverunt ſcriptores Græcorum vetuſtiſsimi. unde & illud Strabonis dicto lib. V: Ἀβοριγῖνές τε, οἱ περὶ τὴν Ῥώμην, καὶ Ῥούτουλοι, οἱ τὴν ἀρχαίαν Ἀρδέαν ἔχοντες. Hoc eſt: *Aborigines, qui circa Romam incolebant; & Rutuli, qui antiquam tenebant Ardeam.* Nec equidem ego dubitaverim, quin Græca aliqua colonia, Rutulorum litori claſſe adpulſa, opidum hoc condiderit. quo autem tempore, quove duce id factum ſit, minimè diſpicio. nec temerè adfirmaverim, Aborigines atque Pelaſgos, id eſt, Latinos, ſubactâ armis Rutulorum gente, coloniam huc deduxiſſe ſui generis, id eſt, *Argivam*. Cæterùm opidani inde dicuntur Græcis auctoribus Ἀρδεάται, Latinis ARDEATES. Livio autem lib. IIII & Columellæ lib. III cap. VIIII item Senecæ epiſt. CV dicitur ARDEATINVS *ager*: & Livio ibidem *Ardeatinum fœdus*: auctori autem Vitæ Pomponii Attici *Ardeatinum prædium*. Coloniam Romanos huc deduxiſſe anno urbis ſuæ CCCXIII, M. Fabio Vibulano & Poſthumo Aebutio Cornicine conſulibus, auctor eſt Livius dicto lib. IIII. *Fabius*, inquit, *& Aebutius conſules ſenatus conſultum fecerunt, ut, quoniam civitas Ardeatium inteſtino tumultu redacta ad paucos eſſet, coloni eò præſidii causâ adversùs Volſcos ſcriberentur. Conſenſerant autem, ut, multo maiore parte Rutulorum colonorum, quàm Romanorum, ſcriptâ, nec ager ullus divideretur, niſi is, qui interceptus judicio infami erat; nec ulli priùs Romano ibi, quàm omnibus Rutulis diviſus eſſet, gleba ulla agri adſignaretur. Triumviri ad coloniam Ardeam deducendam creati, Agrippa Menenius T. Clælius Siculus, M. Aebutius Helva.* Annus hic fuit primus Olympiadis LXXXV. At auctor ἀνώνυμος Olympiadum quinquennio pòſt eam deductionem

ductionem refert. Ὀλυμπιάδος, inquit, πϛʹ ἔτει βʹ Ῥωμαῖοι εἰς Ἀρδέαν ἀποίκους ἀπέστειλαν. Id eſt: *Olympiadis* LXXXVI *anno* II *Romani Ardeam colonos miſerunt*. Hinc Livius lib. XXVII & XXVIIII inter XII colonias, quæ bello Hannibalico conſulibus negaverunt eſſe, unde milites pecuniamque darent, Ardeam quoque connumerat. Sed & ipſa quondam coloniam in Hiſpaniam usque miſit, quæ illic *Saguntum* dicta eſt. Livius lib. XXI: *Saguntum ſummâ vi oppugnabatur. civitas ea longè opulentiſſima ultra Iberum fuit. oriundi à Zacyntho inſulâ dicuntur: miſtique etiam ab Ardeâ Rutulorum quidam generis*. Apud Silium lib. I legati Saguntinorum ita Romanis ſupplicant in ſenatu:

Vos per culta diu Rutulæ primordia gentis
Laurentemque larem & genetricis pignora Troiæ
Conſervate pios, qui permutare coacti
Acriſionéis Tirynthia culmina muris.
—— *Vetus incola Dauni*
Teſtor vos fonteis & ſtagna arcana Numici:
Quum felix nimium demitteret Ardea pubem
Sacra domumque ferens & avi penetralia Turni
Vltra Pyrenen Laurentia numina vexit.

Cæterùm de agro Ardeatino hæc adnotavit Strabo dicto lib. V: Ἅπασα μὲν ἡ Λατίνη ἐστὶν εὐδαίμων καὶ παμφόρος, πλὴν ὀλίγων χωρίων, τῶν κατὰ τὴν παραλίαν, ὅσα ἑλώδη καὶ νοσερά, οἷα τὰ τῶν Ἀρδεατῶν καὶ μεταξὺ Ἀντίου καὶ Λαουινίου, μέχρι Πομεντίνου. Hoc eſt: *Omne Latium felix eſt, & omnium rerum ferax; exceptis paucis quibusdam locis maritimis, quæ paluſtria ſunt atque morboſa; qualis eſt Ardeatium ager, & quod eſt inter Antium & Lavinium, usque ad Pometinum campum*. Hinc illud Senecæ Epiſt. CV: *Quæ obſervanda tibi ſunt, ut tutior vivas, dicam. Tu tamen ſic audias, cenſeo, iſta præcepta, quomodò ſi tibi præciperem, qua ratione bonam valetudinem in Ardeatino tuereris*. Et item iſtud Martialis lib. IIII epigram. LX:

Ardea ſolſtitio Caſtranaque rura petantur,
Quique Cleonæo ſidere fervet ager;
Quum Tiburtinas damnet Curiatius auras,
Inter laudatas ad Styga miſſus aquas,
Nullo fata loco poſſis excludere. quum mors
Venerit, in medio Tibure Sardinia eſt.

Quum Curiatius iſte, gravi morbo adflictus, convaleſcere Tibure nequiret, cœlum atque aërem accuſabat Tiburtinum. At poëta ait, non id vitio Tiburtinæ auræ, ſed fato Curiatii fieri; quod videretur jam mortem illi immittere. quæ quum venerit, nihil intereſſe, utrùm in ſaluberrimo verſetur Tiburtino agro, an verò in peſtilentiſſimi cœli Sardiniâ. Itaque dignum eſſe, uti in morboſum Ardeatinum Caſtranumque mittatur agrum, qui tam indignè de ſaluberrimâ Tiburtinâ aurâ queratur.

Cæterùm aquæ medicatæ viſuntur prope Ardeam frigidorum fontium, quæ haud dubiè vulgò dicebantur olim AQVAE ARDEATINAE; Vitruvio autem lib. VIII cap. III ſunt FONTES SVLPHVRATI. *Sunt etiam*, inquit, *odore & ſapore non bono frigidi fontes, qui, ab inferioribus locis penitus orti, per loca ardentia transeunt: & ab his per longum ſpacium terræ percurrentes, refrigerati perveniunt ſupra terram, ſapore, odore, coloreque corrupto; ut in Tiburtinâ viâ flumen Albula; & in Ardeatino fontes frigidi eodem ſapore, qui Sulphurati dicuntur*. Fontes hi exiguum efficiunt lacum; qui videtur cognominatur fuiſſe TVRNI LACVS. Columella Ruſticar. rer. lib. X: AQVAE Ardeatinæ; quæ & FONTES SVLFVRATI, & TVRNI lacus.

Et Turni lacus, & pomoſi Tiburis arva.

Inter Ardeam & Antium, cuius promontorium apud Neptunium opidum vulgò vocatur *Capo d'Anzo*, APHRODISIVM illud, id eſt, VENERIS TEMPLVM, Melæ atque Plinio in litore memoratum, in eodem fuiſſe puto Rutulorum agro: ſic quidpe Strabo dicto lib. V: Ἀρδέα, κατοικία Ῥουτούλων. ἔστι δὲ καὶ ταύτης πλησίον Ἀφροδίσιον, ὅπου πανηγυρίζουσι Λατῖνοι. Id eſt: *Ardea, Rutulorum domicilium. prope hanc eſt etiam Aphrodiſium; ad quod Latini ſolennem agitant conventum*. Plinius lib. III cap. V: *Opidum Laurentum, Lucus Iovis Indigetis, amnis Numicius; Ardea: dein quondam Aphrodiſium: Antium*. Mela lib. II cap. IIII, adverſo incedens litore: *Antium, Aphrodiſium, Ardea, Laurentum*. Sed Aphrodiſium hoc jam Plinii ætate non exſtitiſſe, diſertè pa- APHRODISIVM, ſeu TEMPLVM VENERIS.

ret ex voce quondam. Fuerat fortè circa S. Anaſtaſiæ fanum, quod vocant; IIII circiter millia ab Ardeâ.

Fuit præterea hoc tractu CASTRVM INVI *opidum*; Virgilio, Ovidio, Silioque memoratum. à quo Martiali loco proximè ſcripto opidani dicuntur CASTRANI. Apud Virgilium Aeneid. lib. VI Anchiſes Aeneam filium apud inferos de futuris Albanis regibus ita docet:

Hi tibi Nomentum & Gabios urbemque Fidenam,
Hi Collatinas imponent montibus arceis;
Pometios Caſtrumque Inui Bolamque Coramque.
Hæc tum nomina erunt. nunc ſunt ſine nomine terræ.

Ad hæc ita Servius: *Caſtrumque Inui. Vna eſt in Italia civitas: Caſtrum novum dicitur. de hac autem ait Caſtrum Inui, id eſt, Panos, qui illic colitur. Inuus enim Latinè adpellatur, [qui] Græce Πάν· item Ε'φιάλτης Græcè, Latinè Incubus. idem Faunus; idem Fatuus, Fatuellus. Dicitur autem Inuus, ab eundo paſſim cum omnibus animalibus. unde & Incubus dicitur.* Haud ampliùs exſtitiſſe Servii tempeſtate hoc Caſtrum Inui in Rutulis, ſeu Novo Latio, ex eo patet, quòd unam tunc in Italiâ civitatem ait fuiſſe, nomine Caſtrum novum. quam per ſummum errorem putavit eſſe idem opidum, quod Virgilio heic Caſtrum Inui dicitur: quum iſtud Caſtrum novum, apud quod idem colebatur deus Pan, ſeu aliis nominibus, Silvanus, Inuus, Faunus, Incubus, unde illi fons erroris, in Tuſco fuerit litore, haud procul Centumcellis, quæ nunc vulgò *Cività vecchia* vocatur; ut ſuprà lib. II cap. II abundè oſtenſum. nam Albanis regibus nihil rei vel imperii eſſe potuit tam procul ab Albâ ſuâ Longâ, in Etruriâ. ſatis verò disertè Caſtrum Inui Virgilius inter alia Latii opida computat. unde etiam perpetuus ille Virgilii imitator Silius, & ipſe diſertiſsimis verbis in hoc circa Numicium amnem & Ardeam litore id ponit lib. VIII, his verſibus:

Sacra manus Rutuli, ſervant qui Daunia regna,
Laurentique domo gaudent, & fonte Numici:
Quos Caſtrum Phrygibusque gravis quondam Ardea miſit.

Hinc & illud Martialis, quod paullo ante citavimus ex lib. IIII epigr. LX:

Ardea ſolſtitio Caſtranaque rura petantur;
Quique Cleonæo ſidere fervet ager.

Heic equidem pleraque exemplaria habent Pæſtanaque rura. verùm potiorem eſſe fidem eorum, quæ habent Caſtrana, cùm ex Silio patet, tùm verò maximè ex Ovidio: qui & ipſe diſertiſſimè Caſtrum opidum inter Antium collocat & Lavinium Μεταμορφώσεων lib. XV; ubi de Aeſculapii dei, è Græciâ Romam devecti, navigatione ita tradit.

Hinc calidi fontes lentiſciferumque tenetur
Linternum, multamque trahens ſub gurgite arenam
Vulturnus, niveïsque frequens Sinueſſa colubris,
Minturnæque graves, & quam tumulavit alumnus,
Antiphatæque domus, Trachasque obſeſſa palude,
Et tellus Circæa, & ſpiſſi litoris Antium.
Huc ubi veliferam nautæ advertêre carinam,
(Aſper enim pontus erat) deus explicat orbeis.
Perque ſinus crebros & magna volumina labens,
Templa parentis init, flavum tangentia litus.
Aequore placato, patrias Epidaurius aras
Linquit; &, hoſpitio juncti ſibi numinis uſus,
Litoream tractu ſquammæ crepitantis arenam
Sulcat; &, innixus moderamine navis, in altâ
Puppe caput poſuit; donec Caſtrumque ſacrasque
Lavini ſedeis Tiberinaque ad oſtia venit.

Ardeam inter Antium & Lavinium videtur noluiſſe nominare, quia à litore paullo remotior erat. Fuiſſe autem *Caſtrum Inui* in Rutulorum agro, ex Silii maximè præſcripto loco colligo. Collocandum igitur cenſeo inter prædictum *Aphrodiſium* & Volſcorum opidum *Antium*. Atque hæc ferè ſunt opida locaque à veteribus auctoribus in Rutulorum finibus memorata.

CAP.

Cap. VI.

De Hernicis.

AB oriente Solis æſtivi contermini fuêre veterrimo illi Latio Hernici populi. quos & ipſos alieni diſcretique ab initio fuiſſe generis ab Latinorum, diſertis adfirmant teſtimoniis auctores. Dionyſius lib. VIIII: Ἀφίκετο δὲ αὐτοῖς παρὰ τῶν Λατίνων τε καὶ Ἑρνίκων ἔθνους διπλάσιον τοῦ κληθέντος ἐπικουρικοῦ. Id eſt: *Latini atque Hernici duplum eius auxilii, quod petitum fuerat, miſerunt*. Et eodem libro poſteà: Εἰς τὴν Λατίνων τε καὶ Ἑρνίκων γῆν πρῶτον ἐνέβαλον. Hoc eſt: *Latinorum Hernicorumque agros primùm invaſerunt*. Et lib. XI: Ἔγνω τὴν κρατίστην τῶν πολεμίων δύναμιν ἐπὶ προνομὴν τῆς Ἑρνίκων τε καὶ Λατίνων γῆς ἐξεληλυθυῖαν. Hoc eſt: *Cognovit, firmiſſimum hoſtium robur in Hernicorum & Latinorum agros prædatum exiiſſe*. Livius lib. III: *Inter hæc ab Latinis & Hernicis legati gratulatum de concordiâ patrum ac plebis Romam venerunt*. Et lib. VII; de populo Romano loquens: *Qui omnia circa ſe, Sabinos, Etruriam, Latinos, Hernicos, Aequos, Volſcos, Auruncos domita armis habeat*. Plinius lib. III cap. V: *Et qui ex agro Latino, item Hernico, item Labicano, cognominati*. Strabo lib. V: Οἱ δὲ Λατῖνοι κατ᾽ ἀρχὰς μὲν ἦσαν ὀλίγοι. ὕστερον δὲ καταλυθέντων τῶν τε Αἴκων καὶ τῶν Οὐόλσκων καὶ Ἑρνίκων, καὶ τούτων χώρα Λατίνη προσηγόρευται πᾶσα. Hoc eſt: *Ab initio equidem pauci erant Latini. poſtmodùm verò perdomitis Aequis & Volſcis atque Hernicis, omnis horum ager Latinus adpellatus eſt*. In veteri tamen illi Latio, quod jam inde ſub regibus Romanorum ad Circeios usque fineis habuit, non fuerunt. ſed Novo denique Latio, cuius terminus erat Liris amnis, vulgò nunc *Garigliano* dictus, adjecti ſunt. Cæterùm eiusdem cum Sabinis, Picentibus, Pelignis, atque Marſis fuiſſe generis, ex Feſto ac Servio colligo, quorum ille, *Hernici*, inquit, *dicti ſunt à ſaxis, quæ Marſi herna dicunt*. Virgilius Aeneid. lib. VII:

Quique altum Præneſte viri, quique arva Gabinæ
Iunonis, gelidumque Anienem, & roſcida rivis
Hernica ſaxa colunt.

Ad hæc ita Servius: *Sabinorum linguâ ſaxa herna vocantur. Quidam dux magnus Sabinos de ſuis locis elicuit, & habitare ſecum fecit ſaxoſis in montibus. unde dicta ſunt Hernica loca, & populi Hernici*. Certè quum ſuprà ſcripti auctores tam diſertè Hernicorum gentem ab Latinorum nomine diſcreverint; & hi etiam Sabinæ eos ſtirpi adſeruerint; miror ego, quibus documentis eos Hyginus à Pelaſgis deduxerit. Macrobius Saturnalior. lib. V cap. XVIII; de Virgilio diſſerens: *Sunt in libro VII illi verſus, quibus Hernici populi & eorum nobiliſſima, ut tunc erat, civitas Anagnia enumerantur:*

——— Quos dives Anagnia paſcit,
Quos Amaſene pater. non illis omnibus arma,
Nec clypei curruſve ſonant. pars maxima glandes
Liventis plumbi ſpargit; pars ſpicula geſtat
Bina manu; fulvosque lupi de pelle galeros
Tegmen habent capiti. veſtigia nuda ſiniſtri
Inſtituêre pedis: crudus tegit altera pero.

Hunc morem in Italiâ fuiſſe, ut uno pede calceato, altero nudo iretur ad bellum, nusquàm adhuc, quod ſciam, reperi. ſed eam Græcorum nonnullis conſvetudinem fuiſſe, locupletè auctore jam palàm faciam. in qua quidem re mirari eſt poëtæ huius occultiſſimam diligentiam. qui quum legiſſet, Hernicos, quorum eſt Anagnia, à Pelaſgis oriundos; adpellatosque ita à Pelaſgo quodam duce ſuo, qui Hernicus nominabatur; morem, quem de Aetoliâ legerat, Hernicis adſignavit; qui ſunt vetus colonia Pelaſgorum. Et Hernicum quidem, hominem Pelaſgum, ducem Hernicis fuiſſe, Iulius Hyginus in lib. II urbium non paucis verbis probat. Morem verò Aetolis fuiſſe, uno tantummodò pede calceato in bellum ire, oſtendit clariſſimus ſcriptor Euripides tragicus: in cuius tragœdiâ, quæ Meleager inſcribitur, nuncius inducitur deſcribens, quo quisque habitu fuerit ex ducibus, qui ad aprum capiendum convenerant. in eo hi verſus ſunt:

——— οἱ δὲ Θεςίυ
Παῖδες τὸ λαιὸν ἴχνος ἀνάρβυλοι ποδὸς,
Τὸν δ' ἐν πεδίλοις, ὡς ἐλαφρίζον γόνυ
Ἔχοιεν· ὃς δὴ πᾶσιν Αἰτωλοῖς νόμος.
[Hoc eſt: ——— *At Theſtii*
Filii lævum veſtigium pedis ſine calceis habebant,
Alterum verò pedem in calceis; quò leve genu
Ipſis eſſet. qui omnibus Aetolis eſt mos.

In qua quidem re reprehenſus Euripides ab Ariſtotele: qui ignorantium iſtud Euripidis fuiſſe contendit: Aetolos enim non lævum pedem habere nudum, ſed dextrum. Tamen Virgilius Euripide auctore, quàm Ariſtotele, uti maluit. nam ut hæc ignoraverit vir tam anxiè doctus, minimè crediderim. Iure autem prætulit Euripidem. eſt enim ingens ei cum Græcarum tragœdiarum ſcriptoribus familiaritas. Vellem ſanè, non *pauca* illa *verba*, quibus Hyginus probavit, Hernicum quemdam, hominem Pelaſgum, ducem Hernicis fuiſſe, adſcripſiſſet Macrobius. nam quod ipſe ait, *Aetolos veterem* fuiſſe *Pelaſgorum coloniam*, id vereor uti ſatis compertum habuerit: quandoquidem Strabo lib. VIIII ac X *Aetolos* ex veterum *Curetum* fuiſſe genere probat; Dionyſius verò Halicarnaſſenſis lib. I, ut mox ſuprà cap. I huius libri III, & item cap. I lib. II citavimus, *Pelaſgos* tradit pulſos fuiſſe è Theſſaliâ à *Curetibus* ac *Lelegibus*, qui poſteà *Aetoli* ac *Locri* dicti ſint. *Pelaſgos* autem iſtos, poſtquàm in Italiam pervenerint, partim *Tyrrhenos* dictos fuiſſe, regionemque eorum, in XII principatus diviſam, *Tyrrheniam*; partim verò cum *Aboriginibus* conjunctos commune cum his accepiſſe nomen Latinorum, prædictis lib. I cap. I ac lib. III cap. I & II abundè à nobis demonſtratum eſt. Cum Latinis verò quidquam Hernicos vel in ſermone vel in moribus, qui utrique fuêre Græcanici, habuiſſe commune, juxta mecum nuſquàm diſpexiſſe puto apud auctores Macrobium. Et quis jam miretur, Virgilium, quum vetuſtiſsimis illis Hernicis, quos Aeneæ rebus induxit, aliquid antiquiſsimi moris adfingere vellet, mutuatum eſſe illud ex Euripide de *Aetolis*; quum uſitatiſsimum hoc illi deprehendatur eſſe etiam in aliis Italiæ gentibus? Quapropter potior heic nobis præſcriptorum auctorum ſit ſententia, qui ſatis apertè à Pelaſgorum genere Hernicos excludunt, dum alienos planè faciunt à Latinorum gente: maximè verò ii, qui à Sabinis eos deducunt. Quin, ſi horum teſtimonium verùm, quòd *Sabinis* atque *Marſis ſaxa dicta* ſint *herna*; haud obſcurum eſt, ipſum poëtam Virgilium originem nominis *Hernicorum* innuere voluiſſe his verbis; *Hernica* ſaxa colunt. Formationem vocabuli quod attinet; Latini id quidem auctores fecêre Hernici, Hernicorum: atque ita Latinâ formatione Strabo quoque οἱ Ἕρνικοι. at Dionyſio lib. IIII & VIII ſunt οἱ Ἕρνικες, *Hernices*. unde eodem lib. VIII obliqui ei caſus ſunt τοῖς Ἕρνιξι, *Hernicibus*, & τοὺς Ἕρνικας *Hernicas*. itaque ſuprà ſcriptis etiam libris VIIII & XI obliquus τῶν Ἑρνίκων ab eodem ei formatus eſt recto Ἕρνικες. Hinc Stephani epitomator: Ἕρνικες, ἔθνος Λατίνων· Διονύσιος ὀγδόῳ τῆς Ῥωμαϊκῆς ἀρχαιολογίας. Id eſt: *Hernices, gens Latinorum; auctore Dionyſio Romanar. antiquit. lib. VIII*. Poſtmodùm equidem Novo Latio, cuius extimus finis, ut ſuprà dixi, Liris amnis fuit, adſcripti fuêre Hernici. at illis temporibus, quorum res Dionyſius refert lib. VIII, gens adhuc per ſe cenſebantur & ab Latinorum nomine aliena. quod ipſe etiam teſtatur eodem libro Dionyſius, his verbis de Sp. Caſsio conſule loquens: Διαπραξάμενος δὲ τὸν θρίαμβον αὐτῷ δοθῆναι, τὰς πρὸς Ἕρνικας ἐξήνεγκεν ὁμολογίας. αὗται δὲ ἦσαν ἀντίγραφοι τῶν πρὸς Λατίνους γενομένων. ἐφ' αἷς πάνυ ἤχθοντο οἱ πρεσβύτατοί τε καὶ τιμιώτατοι, καὶ δι' ὑποψίας αὐτὸν ἐλάμβανον, οὐκ ἀξιοῦντες τῆς ἴσης τιμῆς τοῖς συγγενέσι Λατίνοις τοὺς ἀλλοεθνεῖς Ἕρνικας τυγχάνειν. Id eſt: *Triumpho impetrato, pacis Hernicis datæ conditiones protulit, transſcriptas ex Latinorum fœdere. quas ægerrimè tulit honoratiſſimus quisque ſenatorum & natu maximus; ipſumque ſuſpectum habebant; quòd indignum cenſerent, cognatis ſuis Latinis honore æquari alienigenas.*

Cæterùm de finibus Hernici agri ita tradit Strabo prædicto lib. V: Ἕρνικοι ἦ πλησίον ᾤκουν τῷ τε Λαουϊνίῳ καὶ τῇ Ἄλβᾳ καὶ αὐτῇ τῇ Ῥώμῃ· οὐκ ἄπωθεν δ' οὐδ' Ἀρικία καὶ Τελλῆναι καὶ Ἄντιον. Id eſt: *Hernici incolebant prope Lavinium & Albam, & ipſam adeò Romam. nec procul ab eorum finibus aberant, Aricia, Tellenæ, Antium.* Mira ſanè finium Her-

nicorum

nicorum circumſcriptio: ut quæ plurimam potiſſimamque vetuſtiſſimi illius Latii partem occupet. Falſum hoc eſſe, ſuprà in Latii deſcriptione patuit, ubi ſingulas eius urbeis diſertis auctorum teſtimoniis Latino nomini adſeruimus. Et rectiùs ipſe Strabo de eorumdem Hernicorum finibus eodem libro haud ita multo pòſt; ubi opida Ferentinum, Fruſinonem, Fabruteriam, Aquinum, Interamnam, Caſinum enumeravit: Πλεῖσται δ' εἰσὶ καὶ τούτων τῶν ἐν τῇ Λατίνων ὁδῷ καὶ τῶν ἐπέκεινα ἐν τῇ Ἑρνίκων τε καὶ Αἴσκων καὶ Οὐόλσκων, ἱδρυμέναι. Hoc eſt: *Harum urbium, aliarumque in viâ Latinâ ulteriùs, pleræque in Hernicorum, Aequorum, Volſcorumque agro ſitæ ſunt.* Et item mox poſteà: Εἶτ' ἐν τοῖς ὄρεσι, τοῖς ὑπὲρ Πραίνεστον ἥ τε τῶν Ἑρνίκων πολίχνη Καπίτουλον, καὶ Ἀναγνία πόλις ἀξιόλογος. Id eſt: *Deinde in montibus ultra Præneſte Hernicorum eſt opidulum Capitulum; & Anagnia, urbs illuſtris.* Dionyſius lib. VIII: Ἀκύλιος μὲν οὖν ἐν τῇ Πραινεστίνων χώρᾳ τὸν Ἑρνίκων στρατὸν ὑπομένοντα καταλαβὼν, ἀντικατεστρατοπέδευσεν ὡς ἐδύνατο μάλιστα ἀγχοτάτω, σταδίους ἀπὸ Ῥώμης ἀπέχων ὀλίγῳ πλείους διακοσίων. Id eſt: *Aquilius, Hernicis in agro Præneſtino inventis, prope caſtra illorum & ipſe metatus ſua eſt, paullo longiùs ab Vrbe, quàm ſtadia* CC. Livius lib. VII: *Quum conſules in Hernicos exercitum duxiſſent, non inventis in agro hoſtibus, Ferentinum, urbem eorum vi ceperunt.* Lib. VIII: *Id ægrè paſſi Hernici, concilium populorum omnium habentibus Anagninis in circo, quem Maritimum vocant, præter Alatrinatem Ferentinatemque & Verulanum, omnes Hernici nominis populo Romano bellum induxerunt.* Haud dubiè ſcripſit ipſe Livius, *omnes Hernici nominis populi Romanis bellum indixerunt.* Alioquin dixiſſet, præter Alatrinates Ferentinatesque & Verulanos. Omnia iſta opida, Anagnia, Ferentinum, Alatrinum, Verulum iisdem nominibus hodiéque manent, ab urbe Româ ac Præneſte in orientem versùs circa viam Latinam ſita. Fuêre igitur Hernici medii inter Latinos, Aequos, Marſos, atque Volſcos. Latinorum fuiſſe *Præneſte*, ſuprà cap. IIII huius libri III intellectum: Aequorum fuiſſe *Trebam*, haud ita procul fontibus Anienis, lib. II cap. XVI oſtenſum: Marſorum fuiſſe ortus *Liris* amnis atque ſuperior eius partem, ad regionem usque opidi, cui vulgaris adpellatio S. Bartoloméo, eodem lib. II cap. XV indicatum eſt. hinc Soram, Arpinum, Fruſinonem, Setiam, Signiam, Normam, Volſcorum fuiſſe opida, infrà patet. Satis igitur arctis incluſi fuêre finibus Hernici, in longum ex occidente in orientem porrecti. Quapropter miror apud Dionyſium ſuprà dicto lib. VIII conſulis Romani Sp. Caſſii orationem, ubi ait, Ὅτι τὸ Ἑρνίκων ἔθνος μέγα τε καὶ ἄλκιμον καὶ πλησίον σφῶν κείμενον, βλάπτειν τε καὶ ὠφελεῖν τὰ μέγιστα ἱκανώτατον, ἑκούσιον ὑπηγάγετο. Id eſt: *Se Hernicos, gentem magnam ac validam, nec procul ſitam: quæ magnoperè vel lædere vel prodeſſe poſſit; ad deditionem ultro faciendam adduxiſſe:* Ἄλκιμον fuiſſe γένος, id eſt, *gentem validam, bellicoſam atque fortem*, ex Dionyſii Liviique manifeſtum eſt hiſtoriis. Virgilius item cur Amaſenum flumen in Hernicis nominaverit, minimè diſpicio. Verba eius Aeneid. lib. VII ſuprà citata ſunt iſta:

Quique altum Præneſtè viri, quique arva Gabinæ
Iunonis, gelidumque Anienem & roſcida rivis
Hernica ſaxa colunt: quos dives Anagnia paſcit,
Quos Amaſene pater.

Ad quæ ita Servius: *Amaſenus eſt fluvius, qui Anagnienſeis agros irrigat.* Hoc ſanè neſcio quomodò fieri potuerit; quum inter Amaſenum, qui apud Circæum montem in mare effunditur, & Anagniam intercedant Signini atque Setini, clarorum in Volſcis opulentorumque opidorum, agri. At roſcida rivis adpellaſſe potuit poëta Hernica iſta ſaxa, id eſt, agros ſaxoſos, quia Trero & Coſâ fluminibus, quæ in Liris dextram ripam defluunt, aliisque minoribus rivis, qui ex hiſce montibus oriuntur, irrigabantur. Virgilium ſuum hac quoque in re imitatus eſt Silius lib. IIII:

Quosque in prægelidis duratos Hernica rivis
Mittebant ſaxa.

Et alio modo lib. VIII:

Quis Circæa iuga & ſcopuloſi verticis Anxur,
Hernicaque impreſſo raduntur vomere ſaxa.

Caput gentis haud dubiè fuit ANAGNIA, vulgò nunc Anagni dicta. quod inde colligo, quia Anagnini omnium gentis ſuæ populorum concilium habuerint. unde etiam una hæc ex omnibus Hernicorum urbibus Virgilio memoratur; adjecto etiam

epitheto *divitis*. quam exiſtimationem multis ſæculis retinuiſſe, patet ex eo, quòd Straboni ſuprà dicto loco præ cæteris dicatur πόλις ἀξιόλογος, id eſt, *urbs nobilis atque illuſtris*. Meminêre eius, præter modo dictos auctores, Cicero, in oratione pro domo ſuâ, & ad Atticum lib. XVI epiſt. VIII; Silius lib. VIII & XII; Tacitus Hiſtoriar. lib. III; Ptolemæus in Latio. Opidani inde ſunt Livio prædicto lib. VIIII, Ciceroni dictâ oratione pro domo ſuâ, & item pro Annio Milone, Plinio lib. III cap. V, ac Feſto, ANAGNINI. qui apud Diodorum lib. XX neſcio an Græcâ formatione fuerint Ἀναγνῖται, *Anagnites*. nam, ut pleraque apud hunc auctorem Italicarum urbium populorumque vocabula, ſic hoc etiam corruptum illic legitur obliquo caſu Αἰγινήταις. Sic igitur illic legendum: Μετὰ δὲ ταῦτα οἱ Ῥωμαῖοι τοῖς μὲν Ἀναγνίταις, ἀδικήματα ποιοῦσι, πόλεμον κατήγγειλαν. Φρουσινῶνα δὲ ἐκπολιορκήσαντες, ἀπέδοντο τὴν χώραν. Id eſt: *Poſt hæc Romani Anagninis propter injurias illatas bellum indixerunt: ac Fruſinone expugnato, agrum vænum dedêre*. Fuiſſe poſteà municipium populi Romani, teſtatur Cicero prædictâ oratione pro domo ſuâ. *Quæ res*, inquit, *municipibus Anagninis multo majori dolori fuit, quàm quæ idem ille gladiator ſcelera Anagniæ fecit*. Et item Feſtus: *Alio modo municipium dicitur, quum id genus hominum definitur, quorum civitas univerſa in civitatem Romanam venit: ut Aricini, Cærites, Anagnini*. Coloniam etiam factam teſtatur Frontinus in libro de Coloniis. *Anagnia*, inquit, *muro ducta colonia Druſi Cæſaris. populus deduxit*. At idem Feſtus etiam inter præfecturas eam connumerat. *Præfecturæ*, inquit, *eæ adpellabantur in Italiâ, in quibus & jus dicebatur & nundinæ agebantur. & erat quædam earum reſpublica. neque tamen magiſtratus ſuos habebant. in quas legibus præfecti mittebantur quotannis, qui jus dicerent. quarum genera fuerunt duo: alterum, in quas ibant, quos prætor Vrbanus quotannis in quæque loca miſerat legibus; ut, Fundos, Formias, Cære, Anagniam, Fruſinonem*. Agrum Anagninum celebrat Silius lib. VIII:

Queis putri pinguis ſulcaris Anagnia glebâ

Et item lib. XII:

——— *Surgit, ſupenſa tumenti*
Dorſo, frugiferis Cerealis Anagnia glebis.

Porrò iter per Anagninum cæterumque Hernicorum agrum in Itinerariis deſcribitur huiusmodi:

Antonini:		Antonini:		Tabulæ:	
Viâ Præneſtinâ ab Vrbe;		*Viâ Lavicanâ ab Vrbe;*		*Româ, viâ Lavicanâ;*	
Gabios	XII.	*Ad Quintanas*	XV.	*Ad Quintanas*	XV.
Præneſte	XI.	|		*Ad Statuas*	III.
|		*Ad Pictas*	X.	*Ad Pictas*	VII.
|		|		*Ad Bivium*	V.
Sub Anagniâ	XXIIII.	*Compitum*	XV.	*Compito Anagnino*	X.
Ferentino	VIII.	*Ferentino*	VIII.	*Ferentinum*	VIIII.
Fruſinone	VII.	*Fruſinone*	VII.		

Viam Lavicanam apud Pictas incidiſſe in Latinam, ſuprà cap. IIII perſpectum eſt. Hoc igitur in viâ Latinâ COMPITVM ANAGNINVM eumdem fuiſſe locum, qui Antonino in altero itinere dicitur SVB ANAGNIA, ex intervallo VIII millium, quæ inde ſunt Ferentinum usque, perſpicitur. Ex eodem autem intervallo, ſive ex VIIII millibus paſſuum, quæ Tabula habet, certo documento colligo, eum ſic adpellatum fuiſſe locum, qui hodiè quoque ſub Anagniâ, ad III millia paſſuum in occaſum versùs, in eodem viæ Latinæ itinere frequentatur vulgari adpellatione *Caſtel Mattéo*, opidum exiguum. Vetuſtiſſima eius memoria exſtat apud Livium lib. XXVII, in conſulatu M. Claudii Marcelli & M. Valerii Lævini; anno urbis Romæ IϽXLIII, ante natum Ieſum CCX. *Iisdem fermè*, inquit, *diebus Anagniæ terram ante portam ictam diem ac noctem ſine ullo ignis alimento arſiſſe, nunciatum eſt: & aveis ad Compitum Anagninum in luco Dianæ nidos in arboribus reliquiſſe*. Qua opidi regione LVCVS iſte DIANAE fuerit, incertum eſt. Cæterò nomen opido ſeu loco inde

inde inditum videtur, quòd heic *compitum* fuerit duarum viarum, Latinæ Præneſtinæque.

Porrò ab Anagniâ VI circiter millia paſſuum in orientem æſtivum progredientibus eſt opidum vulgari nunc vocabulo *Alatro*. id antiquitus dicebatur Ἀλάτριον, ALATRIVM, & Ἀλέτριον, ALETRIVM. Plautus in Captivis. ALATRIVM *municipium & colonia.*

HEG. *Certon'?* ERG. Νὴ τὸν Φρουσινῶνα. HEG. *Vide ſis.* ERG. Νὴ τὸ Ἀλάτριον.

HEG. *Quid tu per barbaricas urbeis juras?*

Straboni lib. V dicitur Ἀλέτριον, *Aletrium*. Opidani erant ALATRINATES & ALETRINATES. Livius ſuprà dicto lib. VIIII: *Præter Alatrinatem Ferentinumque & Verulanum omnes Hernici nominis populi Romanis bellum indixerunt*. Et paullo pòſt: *Hernicorum tribus populis, Alatrinati, Verulano, Ferentinati, quia maluerunt, quàm civitatem, ſuæ leges reddita*. Plinius lib. III cap. V: *Atinates, Aletrinates, Anagnini*. Cicero in oratione pro A. Cluentio: *C. & L. Fabricii, fratres gemini, fuêre ex municipio Aletrinate*. Et poſteà: *Fabricius ad me meos vicinos & amicos Aletrinateis non adduxit*. Hæc duo vocabula quum ita in cunctis Ciceronis exemplaribus reperiantur; minùs facilè ego inducor, uti credam eosdem opidanos eum formaſſe Aletrinenſeis ſive Aletrienſeis in oratione pro L. Cornelio Balbo; ubi ita legitur: *Quid M. Craſſus; non Aletrinenſem fœderatum civitate donavit?* Quod ſanè vocabulum non niſi à primitivo Aletrino, ſeu Aletrina ſic formari potuiſſet. Sed alia exemplaria heic habent *Anenienſem*. quod certè vocabulum ſatis apertè indicat, ab alio quodam opido id deductum eſſe. Cæterò municipium fuiſſe Aletrium, ex præſcripto Ciceronis teſtimonio conſtat. Coloniam quoque deductam teſtatur Frontinus in libro de Coloniis. *Alatrium*, inquit, *muro ducta colonia. populus deductus*.

Infra Alatrium, in auſtrum versùs, ad V circiter millia paſſuum opidum eſt vulgari vocabulo Veroli. id Frontino dicitur VERVLAE. unde Floro obliquus caſus eſt *Verulis*: opidani autem Livio locis proximè citatis & Plinio lib. III cap. V VERVLANI. Florus lib. I cap. XI: *De Verulis & Bovillis, pudet, ſed triumphavimus*. Coloniam poſteà factam Romanorum, teſtis eſt Frontinus in libro de Coloniis: *Verulæ*, inquit, *opidum muro ductum. ager eius limitibus Gracchanis in omnibus eſt adſignatus: & ab imperatore Nervâ colonis redditus*. VERVLAE *colonia.*

Infra hæc opida in viâ Latinâ eſt FERENTINVM opidum, vulgò nunc Ferentino & corruptiùs Fiorentino dictum. Memoratur, præter ſuprà ſcripta Itineraria, Straboni, Frontino, Ptolemæo, Agellio, Stephani epitomatori. Ptolemæus: Φρουσινὼν, Φερεντῖνον. *Fruſino, Ferentinum*. Apud Strabonem lib. V vocabula hæc corrupta leguntur Φερέντιον καὶ Φορούσινον. quamquàm apud Stephani quoque breviatorem legitur Φερέντιος, Φερεντῖνος, inquit, πόλις Σαυνιτῶν ἐν Ἰταλίᾳ. τὸ ἐθνικὸν Φερεντῖνος. λέγεται δὲ Φερένιος, ὡς Διονύσιος ιζ' τῆς Ῥωμαϊκῆς ἀρχαιολογίας. Id eſt: *Ferentinus, opidum Samnitium in Italiâ. unde gentilitium Ferentenus. Dicitur etiam Ferentius; ut Dionyſius habet Romanar. antiquit. lib.* XVII. Samnites tunc omnem hanc oram occupaverant, pulſo inde per bellum Romanorum imperio; ut infrà in Samni expoſitione docebitur. Cæterùm pleraque equidem per Italiam Stephanus opidorum vocabula more ſui temporis, ut & Procopius, formavit in *us*. at quomodò à *Ferentino* ille formare potuerit opidanorum vocabulum *Ferentenus*, vel Dionyſius Ferentius, nondum diſpicio. Poëtis, ſcio, uſitatiſſimum eſſe ipſis opidorum vocabulis adpellare opidanos: quod heic etiam factum ab Silio lib. VIII:

Sylla Ferentinos Privernatumque maniplos
Ducebat. ———

Apud Iulium equidem Obſequentem in libro de Prodigiis ita ſcriptum eſt: *P. Africano, Cn. Fulvio, conſulibus in agro Ferentino androgynus natus, & in flumen dejectus*. Et apud Livium lib. XXXV in conſulatu L. Cornelii Merulæ & Q. Minucii Thermi, anno urbis Romæ IↃLVIIII, hæc leguntur: *Eodem anno coloniam Latinam in agrum Ferentinum triumviri deduxerunt, Cn. Manlius Volſo, L. Apuſtius Fullo, P. Aelius Tubero: cuius lege deducebantur tria millia peditum ferè*, CCCC *equites: numerus exiguus pro copiâ agri. dari potuêre tricena jugera in pedites, ſexagena in equites. Apuſtio auctore tertia pars agri dempta eſt; quò poſteà, ſi vellent, novos colonos adſcribere poſſent*. Illud Obſequentis libenter ad Etruriæ opidum Ferentium ſive Ferentum traherem, quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

ſuprà lib. II cap. III explicui: quò fortè etiam hoc Svetonii in Veſpaſiano pertinet cap. III: *Flavio Liberale Ferenti genito*. Verùm circa Ferentum hoc nullum eſt flumen, quo homo mergi poſſit; niſi paullo longiùs ab opido in Tiberim usque delatum credas. Livius teſtatur, coloniam iſtam Latinam in agrum Ferentinum deductam eſſe lege Aeliâ, ſive lege P. Aelii Tuberonis. at Frontino in libro de Coloniis, inter alias Etruriæ colonias, memoratur colonia Ferentinenſis, lege Semproniâ adſignata. unde ſatis apertè patuerit, alium heic intellexiſſe Livium agrum Ferentinum, quàm qui erat in Etruriâ circa opidum Ferentum; quod & ipſum dictum fuiſſe quibusdam Ferentinum, unde Frontino colonia Ferentinenſis, ſuprà dicto lib. II cap. III oſtenſum. Verùm apud Livium libro præcedenti, qui eſt XXXIIII, anno præcedenti, quo conſules fuêre P. Cornelius Scipio Africanus iterum & Ti. Sempronius Longus, ita ſcriptum eſt: *Novum jus eo anno à Ferentinatibus tentatum, ut Latini, qui in coloniam Romanam nomina dediſſent, cives Romani eſſent.* A Hernicorum Ferentino opidanos adpellatos fuiſſe FERENTINATES, jam anteà ex Livii lib. VIIII intelleximus. cui conſentit Titinnius apud Priſcianum Grammat. inſtitut. lib. IIII & Plinius lib. III cap. V. Ipſe Livius etiam lib. XXVI: *Hannibal infeſtiùs perpopulato agro Fregellano, per Fruſinatem Ferentinatemque & Anagninum agrum in Labicanum venit.* Dubitare itaque minimè licet, quin de Hernicorum, qui Novo Latio tum accenſebantur, Ferentino intelligendum ſit illud Livii lib. XXXIIII. Quòd ſi ergo jam tum colonia heic fuerit, Scipione Africano ac Ti. Sempronio conſulibus; certè illa inſequenti anno in agrum Ferentinum deducta colonia alio loco atque regione fuit. quamvis huius nominis neque gentem neque opidum in Iraliâ ullum ſciam, niſi qui Frentani fuêre populi ad mare ſuperum, & Ferentum opidum in Etruriâ, Forentum verò in Apuliâ. Diverſis igitur temporibus duas diverſas in Etruriæ Ferentum deductas fuiſſe colonias, alteram *Aeliâ lege*, alteram *Semproniâ*, ſtatuendum eſt. Horatius lib. I epiſt. XVII:

Si te grata quies & primam ſomnus in horam
Delectat; ſi te pulvis ſtrepitusque rotarum,
Si lædit Caupona; Ferentinum ire jubebo.
Nam neque divitibus contingunt gaudia ſolis;
Nec vixit malè, qui natus moriensque fefellit.

Ad hæc ita vetus commentator: *Ferentinum. Alii municipium volunt viæ Eabicanæ ad* XLVIII *lapidem; alii Ferentinum, quod eſt in Tuſcis.* Haud dubiè hoc intellexit. nam in viâ Labicanâ, ſeu veriùs Latinâ, haud ſatis quietè extra pulverem ac ſtrepitum rotarum cauponarumque naſcens moriensque fallere poterat; ob frequentiſsimos celeberrimæ viæ commeatus. Municipium poſteà factum Hernicorum Ferentinum, ex Agellio diſco: qui lib. X cap. III, *Legebamus*, inquit, *adeò nuper orationem C. Gracchi de legibus promulgatis; in qua, M. Mannium & quosdam ex municipiis Italicis honeſtos viros virgis per injuriam cæſos à magiſtratibus populi Romani, quantâ maximâ invidiâ poteſt, conqueritur.* Et mox verba refert ipſius orationis; ubi, inter alia, hæc etiam: *Ferentini ob eamdem cauſam prætor noſter quæſtores abripi juſſit. alter ſe de muro dejecit; alter prehenſus & virgis cæſus eſt.* Verùm ab initio Volſcorum hoc fuiſſe opidum, auctor eſt Livius lib. IIII. *Eodem*, inquit, *anno adversùs Volſcos, populanteis Hernicorum fineis, legiones ductæ à Furio conſule. Quuum hoſtem ibi non inveniſſent; Ferentinum, quò magna multitudo Volſcorum ſe contulerat, cepêre. Minus prædæ, quàm ſperaverant, fuit; quòd Volſci, poſtquàm ſpes tuendi exigua erat, ſublatis rebus nocte opidum reliquerunt. poſtero die propè deſertum capitur. Hernicis ipſe ager dono datus.* Et poſteà ita queruntur Volſci: *Nec ipſos modò Romanos ſua diviſa habere; ſed Ferentinum etiam, de ſe captum, Hernicis donaſſe.*

Atque hæc ſunt Hernicorum opida ab antiquis auctoribus memorata. plura eos habuiſſe, patet ex ſuprà citatis Livii lib. VIIII verbis iſtis: *Præter Alatrinatem Ferentinatemque & Verulanum, omnes Hernici nominis populi Romanis bellum indixerunt.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Cap. VII.

De Volscorvm *nomine, genere, ac finibus: item de opidis eorum cæteriſque locis maritimis & fluminibus. tum de inſulis ante litus eorum ſitis.*

Hernicis continuabantur ab auſtro Volsci; gens magna, potens, atque bellicoſa. Græcis auctoribus dicuntur, Scylaci Ὀλσκοὶ, Dionyſio atque Diodoro Οὐολοῦσκοι, Straboni & aliis poſt eum Οὐολσκοὶ. Genus eorum nusquàm adnotatum reperi. nec ſigna hactenus diſpicere potui, quibus ad aliquam Italicarum gentium referri queant. Peculiarem eorum ſermonem & ab reliquis Italiæ lingvis discretum adnotarunt Latini auctores. Pompeius Feſtus: *Sublicium pontem quidam putant adpellatum eſſe à ſublicibus, peculiari vocabulo Volſcorum.* Idem: *In omnibus ferè antiquis commentariis ſcribitur Obſcum pro Oſco: ut in Titinii fabulâ V. Qui Obſcè & Volſcè fabulantur: nam Latinè neſciunt.* Cæterùm finibus deprehendo incluſum fuiſſe Volſcum agrum iſtis: Ab occaſu, quà mare tangebant, à *Rutulis*, mox inde ab Latinis disterminabantur lineâ à mari inter ſuprà dictum Caſtri Inui locum & Antium ad fonteis Aſturæ amnis & Algidum montem ductâ. Hinc ab ſeptemtrionibus, primùm *Aequos* circa Algidum & Pictas tabernas, ſive, ut nunc opidum vocatur, Valmontonem; deinde *Hernicos* circa Compitum Anagninum, Ferentinum atque Verulas, conterminos habuêre; ut ſuprà patuit. inde ab eâdem regione, ſupra Soram, Volſcorum opidum, Hernicis continuabantur *Marſi*, Fucinum lacum circumcolentes. ſed & ad ipſum lacum aliquando imperium eorum pertinuiſſe, diſertus teſtis eſt Livius lib. IIII, in rebus anni ab urbe Româ conditâ CCCXLVII. *Bellum*, inquit, *haud memorabile fuit. uno, atque eo facili, prœlio cæſi ad Antium hoſtes: victor exercitus depopulatus Volſcum agrum: caſtellum ad lacum Fucinum vi expugnatum; atque in eo tria millia hominum capta: cæteris Volſcis intra mœnia compulſis, nec defendentibus agros.* A Marſis porrò contermini Volſcis fuêre ab oriente æſtivo *Samnites*. quorum opida *Aufidena* & *Aeſernia*, vulgò nunc *Alfidena* & *Iſernia* dicuntur. Volſcorum autem fuit *Atina*, idem nomen etiamnunc ſervans. Ab oriente Aequinoctiali, ultra *Caſinum* opidum, quod vulgò nunc eſt *Monte Caſino*, finitimos habuêre Volſci *Campanos*, partem quondam Samnitium; quorum fuit Venafrum opidum, vulgò nunc *Venafro*. his juncti erant *Sidicini*; quorum opidum Teanum, vulgò nunc Tiano: his porrò *Aurunci*; quorum *Sueſſa*, nunc *Seſſa*. Hinc à meridie conterminos habuêre Auſones; quorum maritima opida, Formiæ, vulgò nunc Mola, & Caieta ac Fundi, quæ nomina etiamnunc retinent. inde ipſum mare attigerunt Volſci à Tarracinâ usque ad Antium; quæ utraque eorum fuêre in litore opida. Atque his finibus incluſum fuiſſe agrum Volſcum, in ſingulorum locorum expoſitione patebit. Hinc igitur Livius lib. VII populos hos certo ordine conjungit: *Qui omnia circa ſe, Sabinos, Etruriam, Latinos, Hernicos, Aequos, Volſcos, Auruncos, domita armis habeat.* Idem lib. II ita ſcribit: *Ventumque ad interitum ſervitiorum utique plebis eſſet, ni conſules providiſſent: dimiſſis paſſim ad frumentum coëmendum, non in Etruriam modò, dextris ab Oſtiâ litoribus, lævoque per Volſcos mari, usque ad Cumas; ſed quæſitum in Siciliâ quoque.* Sic & Mela lib. II cap. IIII: *Ad dextram ſunt, ſub Alpibus Ligures, ſub Apennino Etruria: pòſt, Latium, Volſci, Campani, & ſuper Lucaniam Brutii.* Martianus Capella lib. VI: *Latium atque Oſtia Tiberina. dehinc litus in Volſcorum nomen ſortemque conceſſit. mox Campania.* Plinius lib. III cap. V: *Italia dehinc; primique eius Ligures, mox Etruria, Latium; ubi Tiberina oſtia: Volſcorum poſteà litus & Campania.* Et eodem capite poſteà: *Latium antiquum à Tiberi Circeios usque obſervatum eſt millium paſſuum L longitudine. tam tenues primordio imperii fuêre radices. Colonis ſæpè mutatis, tenuêre alii aliis temporibus; Aborigines, Pelaſgi, Arcades, Siculi, Aurunci, Rutuli. & ultra Circeios Volſci, Oſci, Auſones. unde nomen modò Latii proceſſit ad Lirim amnem.* Sic item & Scylax, apud quem in exemplaribus vulgatis corruptum eſt vocabulum Ὀλσκῶν in Ὀλσῶν, in Περίπλῳ· Τυρρηνίας ἔχοντας Λατῖνοι, μέχρι

τοῦ Κιρκαίου· Λατίνων δὲ ἔχονται Ὀλσκοὶ· Ὀλσκων δὲ ἔχονται Καμπανοί. Id eſt: *Etruriæ contermini ſunt Latini, usque ad Circæum: Latinis Volſci: his Campani.* Scilicet in ſecundo illo antiquo Latio, cuius nomini jam inde ſub regibus Romanorum adjecta fuit magna pars agri Volſci; adeóque omne litus Volſcorum, non tantùm ad Circæum montem; ut quidem hic pro termino nominabatur: ſed & ultra hunc ad x millia paſſuum extima Volſcorum quondam urbs Tarracina in altero hoc antiquo Latio; ut infrà ſuo loco è Polybio demonſtrabitur. Verùm nos, neglectis Romani imperii incrementis variisque huic limitibus conſtitutis, antiquiſſimos heic Volſcorum gentis fineis obſervabimus.

Loca igitur in orâ maritimâ Ptolemæo deſcribuntur iſta: Ἄντιον, Κλάστρα, Κιρκαῖον ἄκρον, Ταῤῥακίναι. *Antium, Cloſtra, Circæum promontorium, Tarracinæ.* Melæ lib. II cap. IIII, adverſo incedenti litore, memorantur hæc: *Tarracina, Circes domus aliquando Circeii, Antium.* At Plinio cum Ptolemæo ingredienti ſunt iſta lib. III cap. V: *Antium colonia, Aſtura flumen & inſula, fluvius Nymphæus, Cloſtra Romana, Circeii. à Circeiis palus Pomptina eſt: dein flumen Vfens: ſupra quod Tarracina opidum linguâ Volſcorum Anxur dictum.* Tabula itineraria iter per eamdem oram habet huiusmodi:

Lavinium	
Antium	XVII.
Aſtura	VII.
Cloſtris	IX.
Ad Turres	III.
Circeios	XIX.
Ad Turres	IIII.
Terracina	XI.

Ex his ANTIVM opidum memoratur Ciceroni, Horatio, Ovidio, Dionyſio, Livio, Valerio Maximo, Melæ, Straboni, Plinio, Frontino, Tacito, Appiano, Svetonio, Ptolemæo, Philoſtrato, Solino, Tabulæ Itinerariæ, Procopio, Stephani epitomatori, & aliis. Cicero paſſim in Epiſtolis ſuis frequentem eius facit mentionem. Valerius Maximus lib. I cap. VI: *Metentibus apud Antium cruentas ſpicas in corbem decidiſſe.* Svetonius in Nerone cap. VI: *Nero natus eſt Antii.* Atque ita equidem omnibus pariter Latinis auctoribus, quos partim hactenus citavi, partim infrà citabuntur, formatum vocabulum huius opidi; ſimulque Græcis ſcriptoribus, Dionyſio, Straboni, Appiano, Ptolemæo, Ἄντιον. at qui hos deinceps conſequuti ſunt, Græci variè id formarunt; modò Ἀντία & Ἄντεια, modò Ἄνθεια atque Ἄνθιον. in quorum duobus poſterioribus haud dubiè grammatici nugatores ἀπὸ τοῦ ἄνθους, id eſt, *ab flore* originem ſomniarunt. Apud Dionyſium quum paſſim ſit neutro genere Ἄντιον, miror apud eumdem eſſe lib. V: ἐκ Ἀντίας τε καὶ Τούσκλου καὶ Κύμης· id eſt, *Ab Antiâ, Tuſculo, & Cumâ.* Ἄνθιον habet Philoſtratus de Vitâ Apollonii Tyanenſis lib. VIII cap. VIII; ut mox videbimus; & item Procopius Gothicar. rer. lib. I, in his verbis: Ἐν τῷ Ἀνθίῳ ὡρμίζοντο, ἡμέρας ὁδῷ τῆς Ὀστίας ἀπέχοντι. Id eſt: *Apud Anthium anchoras jecerunt, quod diei iter ab Oſtiâ diſtat.* Stephani breviator: Ἄγκαρα, πόλις Ἰταλίας, ὡς Ἀντία, Ἀδρία. Id eſt: *Ancara, opidum Italiæ; ut Antia, Hadria.* Idem: Ἄνθεια, πόλις Ἰταλίας, Ῥώμης πλησίον· ἥτις καὶ Ἄντιον μετωνομάσθη, ὡς εἰρήσεται. Id eſt: *Anthia, opidum Italiæ, prope Romam: quod & Antium alio nomine vocatur; ut dicetur.* Paullo pòſt: Ἄνθιον, πόλις Ἰταλίας· Κουάδρατος ἐν δευτέρᾳ Ῥωμαϊκῆς Χιλιάδος. ὁ πολίτης Ἀνθιανός, ὡς αὐτός. Id eſt: *Anthion, opidum Italiæ; auctore Quadrato Romanæ Chiliadis lib. II. opidanus inde Anthianus; eodem auctore.* Exiguo pòſt: Ἄντεια, πόλις Ἰταλίας, ὑπήκοος Ῥωμαίων. ἐκλήθη δὲ ἀπὸ Κίρκης παιδός. Ὀδυσσέως γὰρ καὶ Κίρκης υἱοὶ τρεῖς, Ῥῶμος, Ἄντειας, Ἀρδέας. ὁ πολίτης Ἀντιάτης, ὡς Ἀρδεάτης. Ἔστι καὶ Ἄντιον πόλις, οὐδετέρως, μετὰ Λώρεντον τῆς Ἰταλίας. τὸ ἐθνικὸν Ἀντιεύς, ὡς Σουνιεύς. Hoc eſt: *Antia, opidum Italiæ, ſub Romanorum imperio. nomen accepit à Circes filio. quidpe Vlyſſis & Circes filii fuêre tres, Romus, Antia, & Ardea. Opidanus inde eſt Anteates, & Ardeates. Eſt & Antium opidum, neutro genere, ultra Laurentum in Italiâ. unde gentilitium Antienſis, ut Sunienſis.* Vnum idemque erat opidum, quod iſte in duo diverſa opida diviſit. Dionyſius lib. I: Ξεναγόρας δὲ ὁ συγγραφεὺς ἱστορεῖ, Ὀδυσσέως καὶ Κίρκης υἱοὺς γενέσθαι τρεῖς, Ῥῶμον, Ἀντίαν, Ἀρδέαν· οἰκί-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

σαντας δὲ τρεῖς πόλεις, ἀφ᾽ ἑαυτῶν θέσθαι τοῖς κτίσμασι τὰς ὀνομασίας. Id eſt: *Xenagoras hiſtoricus tradit, Vlyſſis & Circes treis fuiſſe filios, Romum, Antiam, Ardeam. eos conditis tribus urbibus à ſeſe indidiſſe nomina.* Ergo huius quoque urbis ſumma fuit antiquitas; licèt hæ meræ ſint Græcorum fabulatorum nugæ. quidpe treis diverſas inter ſe incoluiſſe genteis Romam, Ardeam, atque Antium, ſatis atque abundè hactenus demonſtratum. Qui autem Romi fratres in Rutulorum usque Volſcorumque fineis deduxerunt, illi Latium illud antiquum ſecundum, quod ab regibus demum Romanis, ut ſuprà oſtenſum, ad Circæum usque, Circes fabuloſum domicilium, protendebatur, reſpexerunt. quod & illi fecêre, qui Aſcanium, Aeneæ filium, conditorem *Antii* pronunciarunt. Solinus cap. VIII: *Conſtitutæ ab Aſcanio, Longa Alba, Fidenæ, Antium.* Cæterùm opidani dicuntur Græcis auctoribus, Polybio lib. III & Dionyſio paſſim Ἀντιάται, Latinis ſcriptoribus, Ciceroni ad Atticum lib. II epiſt. VI, Livio paſſim, Plinio lib. XXXIIII cap. V, Tacito Annal. lib. XIIII, Capitolino in Antonino Pio, & inſcriptionibus antiquis ANTIATES. At Valer. Maximo lib. I cap. VIII *Antienſe* dicitur *templum*, quod erat *Aeſculapii* ad hanc urbem; & Svetonio in Caligulâ cap. LVII *Antiatinæ ſortes*; de quibus mox plura dicemus. Ipſa urbs haud ampliùs exſtat. at nomen tamen eius etiamnunc durat in promontorio, cui vulgaris adpellatio *Capo d'Anzo*. ad cuius etiam latus occidentale ſpecula in litore poſita vulgò dicitur *Torre d'Anzo*. Hoc loco olim exſtitiſſe ipſam urbem, CIↃ circiter paſſus à novo opido *Neptunio*, quòd in orientali promontorii latere ſitum, molis, qua portus eius incluſus fuit, tum phari, ingentes reliquiæ, quæ in mari conſpiciuntur, apertè indicant. Volſcorum fuiſſe urbem, Livius maximè atque Dionyſius teſtantur. quorum ille lib. II; *Conſul*, inquit, *alter ad Volſcum bellum miſſus, Antiateis Volſcos fundit fugatque.* Et poſteà: *Numicius conſul Antium adverſus Volſcos profectus.* Mox: *Meliùs in Volſcis imperatum eſt. fuſi primo prœlio hoſtes; fugâque in urbem Antium, ut tum res erant, opulentiſſimam, acti. quam conſul oppugnare non auſus, Cenonem, aliud opidum, nequaquàm tam opulentum, ab Antiatibus cepit.* Dionyſius lib. IIII; ubi de fœdere narrat, quod Tarquinius Superbus, poſt adeptum Latinæ gentis imperium, cum Hernicis Volſcorumque nonnullis fecit, quum Priſci Latii nomen ad Circeios usque protenderet: Ἐκ δὲ τοῦ Οὐολούσκων ἔθνους δύο πόλεις ἐδέξαντο μόναι τὰς προκλήσεις, Ἐχετρανοί τε καὶ Ἀντιάται. Id eſt: *Ex Volſcis duæ tantùm civitates adſenſerunt, Echetrani atque Antiates.* Lib. VI: Ἄντιον, πόλις ἐπιφανεστάτη τοῦ Οὐολούσκων ἔθνους. *Antium, urbs Volſcorum nobiliſſima.* Lib. VIII: Ἧκεν εἰς Ἄντιον, τὴν ἐπιφανεστάτην τῶν ἐν Οὐολούσκοις πόλεων. Id eſt: *Venit Antium, Volſcorum urbium nobiliſſimam.* Lib. VIII: Νομικίῳ δὲ, ἄγοντι τὴν στρατιὰν ἐπὶ τὴν Ἀντιατῶν πόλιν, ἣ τότε ἐν ταῖς πρώταις πόλεσι τῶν Οὐολούσκων ἦν, οὐδεμία ἠναντιώθη δύναμις, ἀλλὰ ἀπὸ τῶν τειχῶν ἠναγκάζοντο ἕκαστοι ἀμύνεσθαι. ἐν δὲ τούτῳ ἥ τε γῆ αὐτῶν ἡ πολλὴ ἐτμήθη, καὶ πολίχνη τις ἐπιθαλάττιος ἑάλω, ᾗ ἐπινείῳ τε καὶ ἀγορᾷ τῶν εἰς τὸν βίον ἀναγκαίων ἐχρῶντο, ἐκ θαλάττης τε καὶ διὰ λῃστηρίων τὰς πολλὰς ἐπαγόμενοι ὠφελείας. ἐλήφθησαν δὲ καὶ νῆες τῶν Ἀντιατῶν εἴκοσι καὶ δύο μακραὶ, καὶ ἄλλα νεῶν ὅπλα τε καὶ παρασκευαί. Μετὰ ταῦτα, κελεύσαντος τοῦ ὑπάτου, τάς τε οἰκίας ἐνέπρησαν οἱ Ῥωμαῖοι, καὶ τοὺς νεωσοίκους κατέσκαπτον, καὶ τὸ τεῖχος ἤρειπον ἐκ θεμελίων. ὥστε μηδὲ ἀπελθόντων σφῶν χρηστὸν ἔτι τοῖς Ἀντιάταις εἶναι τὸ Φρούριον. Hoc eſt: *Numicio quoque, ducenti exercitum ad Antium, quod tunc inter primarias Volſcorum urbeis erat, nullus exercitus ſeſe oppoſuit: ſed ſinguli populi defenſabant ſe mœnibus ſuis. Intereà & ager eorum magnâ ex parte vaſtatus eſt, exciſis arbuſtis; & opidulum maritimum captum, quod Antiatibus erat navale ſimul & forum rerum ad victum pertinentium. quæ vel navigationibus maritimis vel latrociniis invectæ, plurimum illis emolumenti importabant. Captæ illic etiam ſunt naves longæ XXII Antiatium, & alia navium armamenta inſtrumentaque. Poſt hæc conſulis juſſu incenſa ſunt ædificia, diruta navium receptacula, æquata ſolo mœnia: ne caſtellum relictum Antiatibus in poſterum uſui eſſe poſſet.* Hoc ſcilicet caſtellum, ſive NAVALE Antiatium, erat opidum illud CENO, Livio in eisdem Numicii conſulis rebus memoratum. Prope urbem *Antium* fuiſſe, vel ex eo colligitur, quòd & merceis prædasque eò contulerint Antiates, ſimulque pro foro rerum venalium uſi ſint. at incertum eſt, ab utrâ parte urbis fuerit: quum litus utrimque importuoſum ſit; nec flumen aliquod tam prope urbem in mare effluit, niſi quod prædictum opidum Neptunium nunc perſluit exiguo alveo. quod Livio lib. XLIII LORACINA *flumen* videtur adpellari. *Lucretium*, inquit, *tribuni plebis abſentem concionibus adſiduis lacerabant,*

rabant, quum reipublicæ cauſâ abeſſe excuſaretur. Sed tum adeò vicina etiam inexplorata erant, ut is eo tempore in agro ſuo Antiati eſſet; aquamque ex manubiis Antium ex flumine Loracinæ duceret. Id opus CXXX *millibus æris locaſſe dicitur. tabulis quoque pictis ex prædâ fanum Aeſculapii exornavit.* Haud dubitandum quin genitivo caſu ſcripſerit ipſe Livius *ex flumine Loracinæ*; ut in omnibus pariter eſt exemplaribus; quando conſimili modo dixit flumen Asturæ lib. VIII; ut mox infrà videbimus. Ad ipſum igitur Antium portus tunc temporis nullus fuit. unde ſic Strabo lib. V: Κτίσμα δ' ἐστὶ τῶν Ὤστια Ἄγκου Μαρκίου. ἑξῆς δ' ἐστὶν Ἄντιον, ἀλίμενος καὶ αὐτὴ πόλις. ἵδρυται δ' ἐπὶ πέτραις· διέχει δὲ τῶν Ὠστίων περὶ σξ' σταδίους. Hoc eſt: *Oſtiam condidit Ancus Marcius. Sequitur inde Antium opidum, itidem importuoſum, ſaxis ſuperſcruptum, diſtans ab Oſtiis ſtadia circiter* CCLX; Id eſt, *millia paſſuum* XXXII, *paſſus* 1Ↄ. quod erat illud *diei iter* Procopii ſuprà dictum. quamquàm plus XXVIII millibus paſſuum haud facilè hoc intervallo hodiè deprehendas. De cætero in ſummâ petrarum, in quibus *Antium* erat conditum, nunc exſtat *fanum S. Blaſii*, vulgò *S. Biagio* dictum. Caput fuiſſe olim totius gentis, diſertè teſtatur Livius lib. VI: *Animus*, inquit, *ducis rei maiori, Antio, imminebat. id caput Volſcorum. Sed, niſi magno adparatu, tormentis machinisque, tam valida urbs capi non poterat.* Verùm *Antiates*, ut ſuprà dictum, jam inde quidem ſub Tarquinio Superbo in commune veteris Latii nomen conceſſerant, unà cum Circeienſibus & Signinis; in quas urbeis Tarquinius colonias deduxerat; teſtibus Dionyſio lib. IIII & Livio lib. I unde etiam mox, Tarquiniis ejectis, ſub primis conſulibus Iunio Bruto atque M. Horatio, in fœdere, quod populus Romanus icit cum Carthaginienſibus, ſimul Antiates cum *Tarracinenſibus*, *Circeienſibusque* & *Ardeatibus*, ut populi Latini comprehenſi fuêre; teſte Polybio lib. III. At poſteà ab eo fœdere receſſerunt; crebraque cum Romanis bella geſſerunt; quæ paſſim Livius Dionyſiusque narrant. quorum hic ſuprà dicto lib. VIIII: *Et Antium nova colonia miſſa, cum eo, ut Antiatibus permitteretur, ſi & ipſi adſcribi coloni vellent. naves inde longæ abactæ. interdictumque mari Antiati populo eſt; & civitas data.* Mox: *Naves Antiatium partim in navalia Romæ ſubductæ, partim incenſæ: roſtriſque earum ſuggeſtum in foro exſtructum adornari placuit: Roſtraque templum adpellatum.* Sed poſt hæc iterum rebellantes, variis prœliis pro libertate cum Romanis dimicarunt, ad annum usque urbis Romæ CCCCXVI, quo conſules fuêre L. Furius Camillus II & C. Mænius Nepos: ubi rurſus devicti ſunt. qua de re ita apud Livium lib. VIII in ſenatu verba facit Camillus: *Cæſi ad Pedum Aſturamque exercitus hoſtium. opida Latina omnia & Antium ex Volſcis, aut vi capta aut accepta in deditionem, præſidiis tenentur veſtris.* Hinc Fragmentum triumphorum Romanorum, quod Romæ in Capitolio viſitur:

C·MAENIVS·P·F·P·N·COS·DE·ANTIATIBVS·AN·CDXV·

Et Plinius lib. XXXIIII cap. V: *C. Mænius in ſuggeſtu roſtra devictis Antiatibus fixerat, anno Vrbis* CCCCXVI. Livius paullo inſequentibus poſt Numicium conſulibus in deditionem veniſſe tradit *Antium* conſuli T. Quintio Capitolino: proximoque hinc anno *coloniam* eò fuiſſe deductam. qua de re ita Livius fine libri III: *Qui Volſcorum effugere potuerunt, Antium petunt. Antium & Romanus exercitus ductus. paucos circumſeſſum dies deditur.* Et ſub initium libri IIII: *Atrox certamen aderat; ni Fabius, conſilio neutri parti acerbo, rem expediſſet. T. Quintii ductu & auſpicio agri capti priore anno aliquantum à Volſcis eſſe: Antium, propinquam, opportunam, & maritimam urbem, coloniam deduci poſſe. ita ſine querelis poſſeſſorum plebem in agros ituram; civitatem in concordiâ fore. Hæc ſententia accepta eſt. Triumviros agro dando creat T. Quintium, A. Virginium, P. Furium. Iuſſi nomina dare, qui agrum accipere vellent. Fecit ſtatim, ut fit, faſtidium copia. adeòque pauci nomina dedêre, ut ad explendum numerum coloni Volſci adderentur.* Dionyſius *Latinos* atque *Hernicos*, qui vellent, ad explendum numerum additos tradit. Illa igitur poſterior deductio rectè adpellatur *colonia nova* Livio. qui eamdem memorat pòſt etiam, lib. XXVII & XXXII: & Plinius ſuprà dicto lib. III cap. V. Additos deinde fuiſſe colonos ſub Nerone, auctor eſt Tacitus Annal. lib. XIIII his verbis: *In Italiâ vetus opidum Puteoli jus coloniæ & cognomentum à Nerone adipiſcuntur. veterani Tarentum & Antium adſcripti, non tamen infrequentiæ locorum ſubvenêre; dilapſis pluribus in provincias, in quibus ſtipendia expleverant. neque conjugiis ſuſcipiendis neque alendis liberis ſveti, orbas ſine poſteris domos relinquebant.* Et

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Annal. lib. xv: *Natam ſibi ex Poppæâ filiam Nero ultra mortale gaudium accepit. Locus puerperio colonia Antium; ubi ipſe generatus erat.* Huc pertinet illud Strabonis, qui ſub Tiberio geographica ſua edidit, lib. v: Ἑξῆς δ' ἐστὶν Ἄντιον, ἀλίμενος καὶ αὐτὴ πόλις. Νυνὶ μὲν οὖν ἀνεῖται τοῖς ἡγεμόσιν, εἰς σχολὴν καὶ ἄνεσιν τῶν πολιτικῶν, ὥστε λάβοιεν καιρόν. καὶ διὰ τοῦτο κατῳκοδόμηνται πολυτελεῖς οἰκήσεις ἐν τῇ πόλει συχναὶ πρὸς τὰς τοιαύτας ἐπιδημίας. Hoc eſt: *Sequitur opidum, & ipſum importuoſum. Cæterùm principum otio atque vacationi ab civilibus occupationibus dicatum eſt. ideóque magnifica ac ſplendida inibi ſunt ædificia exſtructa permulta excipiendis eorum ſeceſſibus.* Hinc Philoſtratus in Vitâ Apollonii Tyanenſis lib. VIII cap. VIII: Περὶ δὲ βιβλίου τούτου γνώμη ἀποπεφάνθω μοι, διακομισθῆναι μὲν αὐτὸ βασιλεῖ Ἀδριανῷ ὕστερον· ὅτε ἦν καί τινας τῶν τοῦ Ἀπολλωνίου ἐπιστολῶν καταμεῖναι ἐς τὰ βασίλεια τὰ ἐν τῷ Ἀνθίῳ, οἷς μάλιστα δὴ τῶν περὶ τὴν Ἰταλίαν βασιλείων ἔχαιρεν. Hoc eſt: *De libello autem hoc relatum eſt mihi, fuiſſe poſt mortem Apollonii ſimul cum quibusdam epiſtolis eius delatum ad Hadrianum imperatorem. quæ omnia Hadrianus collocavit in regiâ ſuâ apud Anthium; quæ præ omnibus totius Italiæ regiis villis quàm maximè delectabatur.* Cæterùm piraticâ veteres illos Antiateis fuiſſe inſigneis, teſtatur Strabo ibidem continuo pòſt: Καὶ πρότερον δὲ ναῦς ἐκέκτηντο, καὶ ἐκοινώνουν τῶν λῃστηρίων τοῖς Τυρρηνοῖς, καίπερ ἤδη τοῖς Ῥωμαίοις ὑπακούοντες. διόπερ καὶ Ἀλέξανδρος πρότερον ἐγκαλῶν ἐπέστειλε, καὶ Δημήτριος ὕστερον. Id eſt: *Olim etiam navibus potentes fuêre Antiates: ſociosque ſeſe prædationum Tuſcis præbuerunt, quamvìs ſub Romanorum jam imperium redacti. quocircà & Alexander antè miſit, qui eâ de re quererentur, & poſteà Demetrius etiam.* Ergo maris uſum, quo illis dicto urbis Romæ anno CCCCXVI, à Romanis interdictum fuit, paullo pòſt repetierunt. nam licèt incertum ſit, quos heic Alexandrum & Demetrium intellexerit Strabo, quum plures iis nominibus fuerint poſt Alexandrum Magnum Macedoniæ ac Syriæ reges; tamen conſtat, ipſum Alexandrum Magnum proximo ſtatim anno, poſtquàm Antiatibus mari interdictum, factum eſſe regem Macedoniæ, Philippo patre defuncto. Sed maximè clarum reddidit Antium FORTVNAE, ſive geminarum FORTVNARVM TEMPLVM atque SORTES. Horatius Carm. lib. I odâ XXXV, qua precatur eam deam, ut ſervet Cæſarem in Britanniam ire meditantem:

O diva, gratum quæ regis Antium.

Ad quem locum vetus commentator: *Apud Antium Fortunæ templum erat maximè celebre, multorum etiam principum virorum donis exornatum.* EQVESTREM FORTVNAM cognominatam fuiſſe, auctor eſt Tacitus Annal. lib. III, his verbis: *Inceſſit dein religio, quonam in templo locandum foret donum, quod pro valetudine Auguſtæ equites Romani voverant Equeſtri Fortunæ. nam etſi delubra eius deæ multa in Vrbe; nullum tamen tali cognomento erat. Repertum eſt ædem eſſe apud Antium, quæ ſic nuncuparetur. ita donum apud Antium ſtatuitur.* Vetus inſcriptio in opido Neptunio ſic habet: FORTVNIS · ANTIATIBVS. Macrobius Saturnalior. lib. I cap. XXIII: *Vehitur ſimulacrum dei Heliopolitani ferculo; uti vehuntur in pompâ ludorum Circenſium deorum ſimulacra: & ſubeunt, plerumque provinciæ proceres, raſo capite, longi temporis caſtimoniâ puri. feruntúrque divino ſpiritu, non ſuo arbitrio; ſed quo deus propellit vehenteis: ut videmus apud Antium promoveri ſimulacra Fortunarum ad danda reſponſa.* Geminæ quum eſſent, dicebantur FORTVNAE SORORES; ut illæ in Præneſtino opido, ſuprà cap. IIII nobis explicatæ. Martialis lib. V epigram. I:

Hoc tibi, Palladiæ ſeu collibus uteris Albæ,
Cæſar; & hinc Triviam proſpicis, inde Thetin;
Seu tua veridicæ diſcunt reſponſa ſorores,
Plana ſuburbani quà cubat unda freti;
Seu placet Aeneæ nutrix, ſeu filia Solis;
Sive ſalutiferis candidus Anxur aquis;
Mittimus. ———

Sex innuere voluit loca, quæ maximè ſeceſſibus ſuis frequentabat Domitianus imperator; Albanum, Ariciam, Antium, Caietam, Circeios, & Tarracinam, quæ alio nomine fuit Anxur. Antii quoque *Sortes* fuiſſe in *Fortunarum templo*, quemadmodum Præneſte, teſtis eſt Svetonius in Caligulâ cap. LVII. *Monuerunt & ſortes Antiatinæ, ut à Caſſio caveret. Theſaurum*, ex donis variorum collectum, heic fuiſſe ingentem, auctor eſt Appianus, Civil. bellor. lib. V ita de Cæſare Auguſto ſcribens:

Ὁ δὲ

Ὁ δὲ Καῖσαρ ἐκ τῶν ἱερῶν ἐδανείζετο τὰ χρήματα, ἀπό τε Ῥώμης ἐκ τοῦ Καπιτωλίου, καὶ ἀπὸ Ἀντίου καὶ Λανουβίου καὶ Νεμοῦς καὶ Τίβυρος· ἐν αἷς μάλιστα πόλεσι καὶ νῦν εἰσὶ θησαυροὶ χρημάτων ἱερῶν δαψιλεῖς. Id eſt: *Cæſar è templis pecunias mutuò accipiebat; ut Romæ ex Capitolio; tum Antii, Lanuvii, Nemore, Tibure. in quibus opidis hodiè quoque ſunt copioſi theſauri ſacrarum pecuniarum.* Denique AESCVLAPII quoque TEMPLVM fuiſſe apud Antium in ipſo litore, teſtes ſunt Livius, Valer. Maximus, & Auctor de Viris illuſtribus. Livii locum è lib. XLIII ſuprà adſcripſimus. Auctor de Viris illuſtribus: *Romani, ob peſtilentiam reſponſo monente, ad Aeſculapium Epidauro arceſſendum legatos miſerunt. qui quum eò veniſſent, & ſimulacrum ingens mirarentur; anguis è ſedibus ſuis elapſus, venerabilis, non horribilis, per mediam urbem, cum admiratione omnium, ad navem Romanorum perrexit. legati, deum vehentes, Antium provecti ſunt. ubi, per mollitiem maris, anguis proximum Aeſculapii fanum petiit: & poſt paucos dies ad navim rediit. & quum adverſo Tiberi ſubveheretur, in proximam inſulam deſilivit: ubi templum ei conſtitutum.* Val. Maximus lib. I cap. VIII: *Ac proſperam emenſi navigationem, poſtquàm Antium adpulerunt, anguis, qui ubique in navigio remanſerat, prolapſus in veſtibulo ædis Aeſculapii, myrto, frequentibus ramis diffuſæ, ſupereminentem excelſæ altitudinis palmam circumdedit. perque treis dies poſitis, quibus veſci ſolebat, non ſine magno metu legatorum, ne in triremem reverti nollet; Antienſis templi hoſpitio uſus, Vrbi ſe noſtræ advehendum reſtituit.* At Ovidius non Aeſculapii, ſed Apollinis, id fuiſſe templum tradit Μεταμορφώσεων lib. XV: ubi totam hanc legatorum Romanorum juxta inferi maris litus navigationem ordine deſcribens, tandem circa finem ita dicit:

Hinc calidi fontes lentiſciferumque tenetur
Liternum, multamque trahens ſub gurgite arenam
Vulturnus, niveisque frequens Sinueſſa colubris,
Minturnæque graves, & quam tumulavit alumnus,
Antiphatæque domus, Trachasque obſeſſa palude,
Et tellus Circæa, & ſpiſſi litoris Antium.
Huc ubi veliferam nautæ advertêre carinam,
(Aſper enim jam pontus erat) deus explicat orbeis:
Parque ſinus crebros & magna volumina labens,
Templa parentis init, flavum tangentia litus.
Aequore placato, patrias Epidaurius aras
Linquit; & hoſpitio juncti ſibi numinis uſus,
Litoream tractu ſquammæ crepitantis arenam
Sulcat: &, innixus moderamine navis in altâ
Puppe caput poſuit: donec Caſtrumque ſacrasque
Lavinî ſedes Tiberinaque ad oſtia venit.

Hoc Ovidii loco quum alia exemplaria haberent *Antium*, alia *Anxur*, alia *Auron*, & nonnulla *Anchon*; ingens inde hoc ſæculo inter commentatores poëtæ exortum eſt certamen, quænam ex omnibus iſtis maximè probanda foret. quod ſanè mirari ſatis ego nequeo; utique, quum Ancon ad ſuperum mare usque in Piceno litore ſita ſit urbs, poëta verò ab Iapygio promontorio nullas niſi ad inferi maris memorat litus, juxta quod navigatio illa facta. tum, quia *Trachas* ſive *Trachina* eadem erat urbs quæ *Tarracina*, eademque & *Anxur*: poſt quam demum *Antium* nominat; & hinc proximum Rutuli litoris opidum *Caſtrum Inui*; mox Lavinium, atque Oſtiam.

Porrò Plinius ita pergit dicto lib. III cap. V: *Antium colonia;* ASTVRA *flumen & inſula.* Et flumini & inſulæ nomen id hodiéque integrum manet, VI millia paſſuum ab Antii promontorio. quo ſpacio Tabula itineraria VII refert millia. In inſulâ eſt ſpecula, caſtelli in modum exſtructa: heic olim Ciceronis fuiſſe villam, teſtatur Plutarchus in vitâ eius, his verbis: Περαιουμένων δὲ τούτων, ὁ Κικέρων ἦν μὲν ἐν ἀγροῖς ἰδίοις περὶ Τοῦσκλον, ἔχων τὸν ἀδελφὸν μεθ' αὑτοῦ· πυθόμενοι δὲ τὰς προγραφὰς, ἔγνωσαν εἰς Ἄστυρα μεταβῆναι, χωρίον παράλιον τοῦ Κικέρωνος· ἐκεῖθεν δὲ πλεῖν εἰς Μακεδονίαν πρὸς Βροῦτον. Id eſt: *Dum hæc aguntur, erat Cicero cum fratre in Tuſculano ſuo. Nunciatâ proſcriptione, ſtatuerunt ad Aſtura, quod prædium erat Ciceronis maritimum, transire; atque inde Macedoniam petere, ſeque ad Brutum conferre.* Et mox: Ὁ δὲ Κικέρων εἰς Ἄστυρα κομισθεὶς, καὶ πλοῖον εὑρὼν, εὐθὺς ἐνέβη. hoc eſt: *Cicero ad Aſtura delatus, navigiumque ibi nactus, illicò conſcendit.* Sic igitur vocabulum hoc, quod Latinis erat ſingu-

erat ſingularis numeri ac feminini generis, Plutarchus fecit plurale neutrius generis τὰ Ἄστυρα· quod proprium erat nomen urbis in Myſiâ; teſte Strabone lib. XIII; quem Stephanus etiam citavit. Sed apud hunc ita poſt id vocabulum ſcriptum eſt: Ἀστυρίς ἐστι καὶ Βοιωτίας πρὸς ταῖς Ποτνίαις· ἔστι καὶ χώρα Ἰταλίας. id eſt: *Eſt & in Bœotiâ Aſturis, apud Potnias. eſt item regio Italiæ.* Haud ſemel apud Stephani epitomatorem reperias, ubi auctores ſcripsêre χωρίον, ipſum retuliſſe χώραν. Nihil autem ei uſitatius, quàm genus ac numerum vocabulorum apud auctores, quos citat, immutare, ſuæque accommodare ætati. Quapropter heic quoque facilè crediderim, prædium iſtud Ciceronis ex Plutarcho convertiſſe eum in regionem. Cæterùm ſingularem intellexiſſe Latinos in hoc fluminis atque inſulæ nomine numerum, pluribus patet exemplis. Ipſe Cicero ad Atticum lib. XII epiſt. XXXVIII: *Aſturam ſum à te profectus.* Et epiſt. XLIIII: *Nam cæteroqui* ἀνεκτότερα *erant Aſturæ.* Lib. XIII epiſt. XXVI: *Ego locum habeo nullum ubi faciliùs eſſe poſſem, quàm Aſturæ.* Epiſt. XXXIIII: *Aſturam veni.* Epiſt. XXXVII: *Vereor maximè, ne in Tuſculano opprimar. Vtrum igitur Aſturæ?* Lib. XIIII epiſt. II: *In Tuſculano hodiè. Lanuvii cras. inde Aſturæ cogitabam.* Epiſt. V: *Hæc ſcripſi ad te proficiſcens Aſturâ.* Epiſt. XI: *Velim mehercule Aſturæ Brutus.* Epiſt. XVII: *Quàm velim Bruto perſvadeas, ut Aſturæ ſit.* Epiſt. XXII: *Brutus velim ſit Aſturæ.* Lib. XV, epiſt. XII: *Brutus quidem ſe aiebat Aſturæ.* Mox: *Vitricus nihil cenſebat: quem Aſturæ vidimus.* Svetonius in Auguſto, cap. XCVII: *Non, ſi omnia morarentur, ampliùs ſe poſthac Romæ futurum. atque, itinere inchoato, Aſturam perrexit.* Et in Tiberio, cap. LXXII: *Rediens properè in Campaniam, Aſturæ in languorem incidit.* Verùm enimverò ex omnium horum auctorum modo loquendi Aſtura iſta, quam memorant, dubium eſt, utrùm in ipsâ inſulâ fuerit id prædium Ciceronis, quod poſteà in opidulum, vel ſaltem vicum, excreviſſe videtur; an verò extra inſulam, in continenti. nam nemo eorum, præter Plinium, inſulæ meminit: nec præpoſitione *in* vel *ad* utuntur; niſi, quòd Plinius iterum lib XXXII cap. I, ubi de remorâ piſce agit, *Tenuit*, inquit, *& noſtrâ memoriâ Caii principis navim, ab Aſturâ Antium remigantis, piſciculus.* Ipſe tamen Cicero non dubiè oſtendit, ad Atticum lib. XII epiſt. XX, in ipsâ inſulâ fuiſſe villam ſuam. *Eſt heic*, inquit, *locus amœnus, & in mari ipſo; qui & Antio & Circæis adſpici poſſit.* Apud Strabonem lib. V ita ſcriptum eſt: Μετὰ δ' Ἄντιον Κιρκαῖόν ἐστι. μεταξὺ δ' ὅ τε Στόρας ποταμός, καὶ ἐπ' αὐτῷ ὕφορμος. Id eſt: *Poſt Antium eſt Circæum. in medio eſt Stura flumen: & ad eum navium ſtatio.* Scripſiſſe Strabonem non Ἄστορας, neque Ἄστυρας ſed Στόρας, quod Latinè rectè formaveris STVRA, fidem maximè confirmat Feſtus; qui inter vocabula incipientia ab *St* ſic habet. *Stura, flumen in agro Laurenti eſt: quod quidam Aſturam vocant.* Cæterùm ὕφορμος ille, id eſt, navium ſtatio ſeu adpulſus, haud dubiè fuit in exiguo ſinu, qui eſt inter inſulam & os fluminis. unde Ciceronem ſolviſſe, in Macedoniam navigaturum, ſuprâ è Plutarcho intelleximus. Quocircâ hoc etiam documento mihi credibile fit, non tantùm villam heic fuiſſe Ciceronis; ſed etiam navale, & quaſi quoddam opidulum, vel ſaltem vicum. Opidum certè poſteà etiam fuiſſe, teſtatur Servius ad Virgilii Aeneid. lib. VII: *Haud longè à Tarracinâ opidum eſt Aſtura, & eiusdem cognominis fluvius.* Fluvius memoratur etiam Livio lib. VIII: *Aricinos*, inquit, *Lanuvinos & Veliternos, Antiatibus Volſcis ſe conjungentes ad Aſturæ flumen Mœnius fudit.* Et aliquanto pòſt: *Cæſi ad Pedum Aſturamque ſunt exercitus hoſtium.* Ad hunc locum ita ſcribit in commentariis doctiſſimus Sigonius: *Vetus liber, Ad Saturam flumen.* Ego legendum puto *ad Sturam flumen.* Feſtus in vocibus incipientibus à literâ *St* ait; *Stura fluvius eſt in agro Laurenti.* Ita ſanè. ſed addit Feſtus; *quod quidam Aſturam vocant.* Hoc quum ita ſit; cur malim ex uno exemplari, quod habet Saturam, omnium reliquorum Aſturam damnare? utique, quum apud tot alios auctores hoc exſtet huius loci atque fluminis vocabulum. Imperitorum certè grammaticorum id eſt apud Livium mendum; qui Virgilii Saturam paludem apud Tarracinam urbem confuderunt cum hoc noſtro Sturâ ſive Aſturâ flumine; quum inter hoc flumen & Tarracinam XXX ampliùs ſint millia paſſuum. Servii verba modò audivimus. Vibii Sequeſtri in Catalogo paludum hæc ſunt: *Satura, inter Antium & Circeios. eadem Statura.* Haud obſtinatè adfirmaverim, ſcripſiſſe Vibium, *eadem Aſtura:* quamquàm ingens ſit ſuſpicio. at Virgilii Saturam paludem fuiſſe apud Vfentem amnem & Tarracinam, pòſt oſtendam. Apud Iulium quoque Obſequentem,

ita ſcriptum eſt: *Saturæ vitulus biceps natus*. Certè hoc etiam imperiti grammatici, quibus ſemper magis poëtæ, quàm hiſtorici aut geographi lecti, ſuppoſuerunt pro genuino *Aſturæ*. nam *Saturam* Virgilius, qui unus cum imitatore ſuo Silio id vocabuli habet, diſertè *paludem* vocat: Obſequens autem certum quemdam locum ſeu opidum apertè deſignat.

Cæterò poſt *Aſturam* flumen ſequebatur NYMPHAEVS *amnis*. Plinius dicto lib. III cap. V: *Antium colonia, Aſtura flumen & inſula, fluvius Nymphæus, Cloſtra Romana, Circeii*. Mons Circæus hodiéque dicitur vulgò *Monte Circello*. Inter hunc igitur atque Aſturam Nymphæus fluvius nullus alius eſſe poteſt, quàm qui unicus hoc litore in mare effunditur, fonteis habens amœniſſimos ſub opido Sermonetta, apud celebrem vicum, equitum divi Lazari quomdam domicilium, cui hodiéque inde nomen eſt vulgare *La Nimpa*.

Inter hunc igitur Nymphæum fluvium & Circæum promontorium fuêre illa CLOSTRA ROMANA, Plinio, Ptolemæo, Tabulæque itinerariæ memorata. Ptolemæo, quem ſuprà audivimus, Græcè ſcribuntur Κλώςρα. Tabula ſic habet:

Aſtura	
Cloſtris	IX.
Ad Turres albas	III.
Circeios	XIX.

Sanè ab ipsâ Aſturâ inſulâ ad Circæum usque promontorium millia paſſuum ſunt per litus & Nymphæi fluminis oſtium haud ampliùs XXII: quem numerum iſta Tabulæ millia XXXI longè ſuperant. nec tamen corruptos in Tabulâ numeros temerè arguerim; quando etiam apud Strabonem hæc leguntur: Κτίσμα ἐςὶ τὰ Ὤςια Ἄγκυ Μαρκίυ. ἑξῆς δ᾽ ἐςὶν Ἄντιον· διέχει ἢ τῶν Ὠςίων περὶ σ ξ ςαδίυς. Μετὰ δὲ Ἄντιον τὸ Κιρκαῖον ἐςιν ἐν σ´ καὶ ϛ´ ςαδίοις. Id eſt: *Oſtia ab Anco Marcio condita eſt. Sequitur inde Antium*, CCLX *ſtadia ab Oſtiâ diſſitum. poſt Antium & Circæum ad* CCXC *ſtadia*. Id eſt: *millia paſſuum* XXXVI *cum duobus ſtadiis*. Quòd ſi igitur præſcriptis Tabulæ XXXI millibus adſcribas VII illa, quæ habet inter *Antium* & *Aſturam*, erunt in univerſum XXXVIII; duobus millibus plus, quàm Strabo habet. Verùm apud hunc dubia eo loco eſt ſcriptio; quum quædam exemplaria habeant ἐν ο´ καὶ σ´ ςαδίοις· *ad* CCLXX *ſtadia*. id eſt, *millia paſſuum ferè* XXXIIII. Plinius lib. III cap. V, *Latium*, inquit, *antiquum à Tiberi Circeios usque obſervatum eſt, millium paſſuum* L *longitudine*. Hoc ita hodiéque verum eſt. at è diverſo Strabo LXVI eo intervallo computat millia; aut, ſi prior illa ſcriptio magis probanda ſit, millia fermè LXVIIII. Plinius ibidem paullo poſt: *Antium colonia, Aſtura flumen & inſula, fluvius Nymphæus, Cloſtra Romana, Circeii*. Quòd ſi ille VIIII millium numerus inter Aſturam & Cloſtra incorruptus eſt; certè ipſa Cloſtra prope oſtium fuêre Nymphæi fluvii, lævo amne. hinc XII circiter ſunt millia paſſuum ad Circeios opidum in promontorio Circæo. unde colligere licet, primam notam X in XIX exſcriptoris incuriâ adrepſiſſe. Alterum igitur iſtum locum AD TVRREIS ALBAS tria millia paſſuum ab Nymphæi oſtio abfuiſſe crediderim.

Sequitur hinc ipſum τὸ Κιρκαῖον ἄκρον, CIRCAEVM *promontorium*, & in ipſo eiusdem nominis *opidum*; quòd quibusdam Græcis feminino genere dictum Κιρκαία, CIRCAEA; Romanis verò plurali numero CIRCEII: quemadmodùm, quod opidum Campaniæ Straboni lib. V dicitur Πομπαία, *Pompæa*, omnibus pariter Latinis eſt Pompeii. quamquàm quædam Latinorum auctorum exemplaria habent *Circæi*. Memoratur *Circæus mons* ſive *promontorium*, Ariſtoteli, Theophraſto, Apollonio, Lycophroni, Scylaci, Virgilio, Diodoro, Straboni, Silio, Ptolemæo, Procopio. opidum memoratur Ciceroni, Dionyſio, Livio, Plinio, Martiali, Svetonio, Solino, Martiano Capellæ. Ptolemæus: Ὤςια, Ἄντιον, Κλώςρα, Κιρκαῖον ἄκρον, Ταῤῥακίναι. Id eſt: *Oſtia, Antium, Cloſtra, Circæum promontorium, Tarracina*. Virgilius Æneid. lib. VII:

Qui ſaltus, Tiberine, tuos ſacrumque Numici
Litus arant Rutulosque exercent vomere colleis,

Circæum-

Circæumque jugum: queis Iupiter Anxurus arvis
Præſidet. ———

Et Virgilium imitatus Silius lib. VIII:

Queis Circæa juga, & ſcopuloſi verticis Anxur.

De opido Cicero ad Atticum lib. XII epiſt. XX; de *Aſturâ* loquens: *Locus, quì & Antio & Circæis adſpici poſſit.* Et lib. XV epiſt. X: *Mittam vel Antium vel Circæos.* Livius lib. VI: *Præter Circeios & Velitras.* Svetonius in Auguſto, cap. XVI: *Supplicem conceſſâ vitâ Circeios in perpetuum relegavit.* In Tiberio, cap. LXXII: *Circeios pertendit.* Martialis lib. XI epigr. VIII:

Cæſar in Albanum juſſit me manè venire,
Cæſar Circeios. ———

Reliquos auctores mox in expoſitione montis opidique citabo. Opidani inde ſunt Dionyſio lib. VIII Κιρκαῖοι, *Circæi*; Polybio lib. III bifariam, Κιρκαιᾶται, *Circæatæ*; & Κιρκαῖται, *Circaitæ*. quorum hoc haud dubiè corruptum eſt. At Latinis auctoribus, ſunt CIRCEIENSES. Cicero de Naturâ deorum lib. III: *Quamquàm Circen quoque coloni noſtri Circeienſes religioſè colunt.* Livius lib. VI bis; *Circeienſium quidam.* &, *Colonis Circeienſibus.* Lib. VIII: *L. Numicium Circeienſem.* Plinius lib. XXXII cap. VI. quod eſt de oſtreis: *Variant coloribus. rufa in Hiſpaniâ, fuſca in Illyrico, nigra & carne & teſtâ Circeiis.* Aliquanto pòſt: *Cyzicena candidiora Circeienſibus.* De iisdem Iuvenalis Satyra IIII:

——— *Circeis nata forent, an*
Lucrinum ad ſaxum, Rutupinove edita fundo
Oſtrea, callebat primo deprendere morſu.

Nomen unde mons traxerit, complures indicarunt auctores. Dionyſius lib. IIII: Κιρκαίαν δὲ ἀπῴκιζεν ὁ Ταρκύνιος κατὰ λογισμὸν, ὅτι τοῦ Πωμεντίνων πεδίου μεγίστου τοῦ περὶ τῇ Λατίνῃ, καὶ τῆς συναπτούσης αὐτῇ θαλάσσης ἔκειτο ἐν καλῷ. ἔστι δὲ χερσοειδὴς σκόπελος ὑψηλὸς ἐπιεικῶς, ἐπὶ τοῦ Τυῤῥηνικοῦ πελάγους κείμενος· ἔνθα λόγος ἔχει Κίρκην, τὴν Ἡλίου θυγατέρα κατοικῆσαι. Id eſt: *Circæam Tarquinius deduxit coloniam datâ operâ, quòd in Pometino campo, totius Italiæ maximo, locus is opportunè ad mare ſitus eſſet. Eſt autem terrenus mons mediocriter excelſus, Tyrrheno mari imminens: ubi Circe, Solis filia, habitaſſe fertur.* Mela lib. II cap. IIII: *Sinueſſa, Liris, Minturnæ, Formiæ, Fundi, Tarracina, Circes domus aliquando Circeii, Antium, Aphrodiſium, Ardea, Laurentum, Oſtia.* Apollonius Ἀργοναυτικῶν lib. III; ubi Aeeta, Solis filius, Colchorum rex, ita adfatur Argonautas:

Ἤδειν γάρ ποτε πατρὸς ἐν ἅρμασιν Ἠελίοιο
Δινεύσας, ὅτ' ἐμεῖο κασιγνήτην ἐκόμιζεν
Κίρκην Ἑσπερίης εἴσω χθονός· ἐκ δ' ἱκόμεσθα
Ἀκτὴν ἠπείρου Τυρσηνίδος, ἔνθ' ἔτι νῦν περ
Ναιετάει, μάλα πολλὸν ἀπόπροθι Κολχίδος αἴης.

Hoc eſt:

Didici enim, quondam patris in curru Solis
Profectus; quum meam ſororem ferret
Circen Heſperiam in terram: atque eſcenderemus
In litus terræ Tyrſeniæ. ubi etiam nunc
Habitat; procul admodùm à Colchide terrâ:

Plinius lib. III cap. V: *Circeii, quondam inſula, immenſo quidem mari circumdata; ut creditur Homero: at nunc planitie.* Paullo pòſt: *A Circeiis palus Pomptina eſt: dein flumen Vfens: ſupra quod Tarracina opidum, linguâ Volſcorum Anxur dictum.* Et lib. II cap. LXXXV: *Sed & receſſu maris naſcuntur terræ: ſicut Homero credimus de Circeiis.* Hæc, ſimul & quæ ſuprà è Melâ adducta ſunt, ineptè atque imperitè inter geographica ſua transſcripſit Solinus cap. XXIIII in hæc verba: *Arces Tarentinæ, Scyllæa regio, cum Scyllæo opido, & Cratæide flumine, Scyllæ matre; ut vetuſtas fabulata: Rhegini ſaltus, Pæſtanæ valles, Sirenum ſaxa; amœniſſimus Campaniæ tractus, Phlegræi campi, Circes domus Tarracina, inſula antè, circumflua immenſo mari; nunc connectente addita continenti: diverſamque fortunam à Rheginis experta: quos fretum medium à Siculis vi abſcidit.* Sed longè ineptiùs hæc è Solino Martianus Capella lib. VI ita habet: *Phlegræi dehinc campi, habitatioque Circeia, Terracina, priùs inſula, nunc juncta Rhegium; qui ab Siciliâ continenti ſeparata; atque in compenſationem connexa telluris in*

inſulam religata. Hæc equidem ſic ipſos duos iſtos geographos perſcripſiſſe judico. quòd ſi verò quis imaniorem eſſe cenſuerit errorem, quàm qui in id ſæculum cadere potuerit; ſic ea commodè ad ſanum quemdam ſenſum reduci poterunt: Apud Solinum: *Phlegræi campi: Tarracina: Circes domus; inſula antè, circumflua immenſo mari; nunc, ævo nectente, addita continenti*. Apud Martianum: *Phlegræi campi. dehinc Tarracina, habitatioque Circeia; priùs inſula; nunc juncta continenti: ut ab Rhegio quondam Sicilia ſeparata, atque, in compenſationem connexæ telluris, in inſulam religata*. Vetus ſcholiaſta in ſuprà ſcriptum Apollonii locum ita tradit: Ἠκολούθησεν Ἀπολλώνιος τοῖς κατὰ τὸ Τυρσηνικὸν πέλαγος ὑποτιθεμένοις τὴν Ὀδυσσέως πλάνην· ὧν ἀρχηγὸς Ἡσίοδος, κατοικηκέναι λέγων Κίρκην ἐν τῷ προειρημένῳ πελάγει. Ἑσπερίης εἴσω χθονός. Περὶ τὴν Ἰταλίαν ᾤκησεν ἡ Κίρκη· ὅθεν ὄρος Κιρκαῖον ἀπ' αὐτῆς πολυφάρμακον. Hoc eſt: *Sequutus eſt Apollonius eos, qui Vlyſſis errores in Tyrrheno mari factos tradant. cuius traditionis princeps fuit Heſiodus; in dicto mari Circen habitaſſe dicens. Heſperiam in terram. Apud Italiam habitavit Circe. unde mons dictus Circæus, venenorum ferax*. Et haud multo antè: Τὴν δὲ Κίρκην τινὲς μὲν Αἰήτου ἀδελφήν, τινὲς δὲ θυγατέρα φασὶν εἶναι. Ταύτην Διονύσιος ὁ Μιλήσιος ἐν πρώτῳ τῶν Ἀργοναυτικῶν θυγατέρα Αἰήτου καὶ Ἑκάτης, τῆς Περσέως, ἀδελφὴν δὲ Μηδείας λέγει. Ἥλιον γάρ φησιν υἱοὺς γενέσθαι δύο ἐν τοῖς τόποις ἐκείνοις, οἷς ὀνόματα ἦν Πέρσης καὶ Αἰήτης. τούτους δὲ κατασχεῖν τὴν χώραν. καὶ Αἰήτην μὲν Κόλχους καὶ Μαιώτας, Πέρσεα δὲ τῆς Ταυρικῆς βασιλεῦσαι, καὶ γῆμαι γυναῖκα τῶν ἐγχωρίων τινά, καὶ γενέσθαι αὐτῷ θυγατέρα, ᾗ ὄνομα Ἑκάτη. οἱ δὲ ἐκ νύμφης τινὸς ἐγχωρίας τὴν Ἑκάτην φασὶν αὐτῷ γενέσθαι, ἀνδρείαν περὶ τὰ κυνηγετικά, καὶ πρώτην θανασίμους ῥίζας εὑρεῖν· καὶ ἐμπειροτάτην γεγονέναι τῶν τε δηλητηρίων καὶ τῶν ἰᾶσθαι δυναμένων· καὶ τὸν ἑαυτῆς πατέρα φαρμάκοις ἀποκτεῖναι. ταύτην γήμασθαι πεμφθεῖσαν εἰς Κόλχους Αἰήτῃ τῷ πατραδέλφῳ. ἀφ' ἧς γενέσθαι Κίρκην καὶ Μήδειαν. τὴν δὲ Κίρκην, πρεσβυτέραν οὖσαν, ὑπερβαλέσθαι τὴν ἑαυτῆς μητέρα. τὰ μὲν διακούσασαν παρ' αὐτῆς, τὰ δὲ καὶ αὐτὴν ἐφευρηκυῖαν πολλὰ καὶ δεινά. Μήδειαν δέ, νεωτέραν μὲν Κίρκης, οὐχ ἡττωμένην δὲ αὐτῆς. Ταῦτα μὲν οὗτοι. Ἡσίοδος δέ φησι, τὴν Κίρκην τοῦ Ἡλίου θυγατέρα εἶναι, ἐν τοῖσδε τοῖς ἔπεσι.

Κίρκη δ' Ἠελίου θυγάτηρ Ὑπεριονίδαο
Τίκτεν Ὀδυσσῆϊ ταλασίφρονι ἐν φιλότητι
Ἄγριον ἠδὲ Λατῖνον ἀμύμονά τε κρατερόν τε.

Hoc eſt: *Circen alii Aeetæ ſororem, alii filiam ferunt eſſe. Eam Dionyſius Mileſius Arganauticorum lib. 1 filiam Aeetæ & Hecates, Perſei filiæ, ac ſororem Medeæ tradit fuiſſe. quidpe Soli ait duos fuiſſe filios in his locis, Perſeum & Aeetam: eosque tenuiſſe regionem eam: Aeetam ſcilicet in Colchis & Mæotis; Perſeum verò in Tauricâ regnaſſe. atque hic uxorem duxit quamdam ex eius regionis mulieribus; ex qua ei genita filia nomine Hecate. quidam verò ex nymphâ quadam indigenâ Hecaten ei natam aiunt; feminam ad venatica ſtudia virili planè animo præditam. quæ prima letaleis herbas invenerit; peritiſſimaque fuerit noxiorum ſimul & ſalubrium meditamentorum: patremque ſuum veneno occiderit. Hanc verò, in Colchos miſſam, nupſiſſe patruo ſuo Aeetæ: à qua genitas aiunt Circen atque Medeam. ex his Circen, maiorem natu, ſuperaſſe arte matrem ſuam: quum partim ea, quæ à matre acceperat, imitaretur, partim verò alia multa & miranda ſuo ſtudio inveniret. nec Medeam, licèt natu foret minor, inferiorem exſtitiſſe Circe. At verò Heſiodus Circen ait Solis eſſe filiam, in his verſibus:*

Circe autem, filia Solis, filii Hyperionis,
Peperit Vlyſſi ærumnoſo per amorem
Agerium atque Latinum, inculpatum ac fortem.

Verſus hi in fine τῆς Θεογονίας habet Heſiodus. ubi hos etiam addit:

Οἵ δή τοι μάλα τῆλε μυχῷ νήσων ἱεράων
Πᾶσιν Τυρσηνοῖσιν ἀγακλυτοῖσιν ἄνασσον.
Qui ſanè valdè procul in receſſu inſularum ſacrarum
Omnibus Tyrſenis admodùm inclytis imperabant.

Sed idem Circes genus, ingenium paullo clariùs exſequitur Diodorus lib. IIII; ubi de Argonautis agit: Ἀναχθέντας δέ φασιν αὐτοὺς ἐκ τῆς Θρᾴκης, καὶ κομισθέντας εἰς τὸν Πόντον, προσσχεῖν τῇ Ταυρικῇ, τὴν ἀγριότητα τῶν ἐγχωρίων ἀγνοοῦντας. νόμιμον γὰρ εἶναι τοῖς τὴν χώραν ταύτην οἰκοῦσι βαρβάροις, θύειν Ἀρτέμιδι Ταυροπόλῳ τοὺς καταπλέοντας ξένους· παρ' οἷς φασι τὴν Ἰφιγένειαν ἐν τοῖς ὕστερον χρόνοις, ἱέρειαν τῆς εἰρημένης θεοῦ κατασταθεῖσαν, θύειν τοὺς ἁλισκομένους. Ἐπιζητούσης δὲ τῆς ἱστορίας τὰς τῆς ξενοκτονίας αἰτίας, ἀναγκαῖον βραχέα διελθεῖν. Φασὶ δέ, Ἡλίου δύο γενέσθαι παῖδας, Αἰήτην τε καὶ Πέρσην. τούτων δὲ τὸν μὲν Αἰήτην βασιλεῦσαι τῆς Κολχίδος, τὸν δ' ἕτερον τῆς Ταυρικῆς·

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

ἀμφοτέρους δὲ διενεγκεῖν ὠμότητι, καὶ Πέρσου μὲν Ἑκάτην γενέσθαι θυγατέρα, τόλμῃ καὶ παρανομίᾳ προέχουσαν τοῦ πατρός· φιλοκυνήγον δ' οὖσαν, ἐν ταῖς ἀποτυχίαις ἀνθρώπους ἀντὶ θηρίων κατατοξεύειν. φιλότεχνον δ' εἰς φαρμάκων θανασίμων συνθέσεις γενομένην, τὸ καλούμενον ἀκόνιτον ἐξευρεῖν· καὶ τῆς ἑκάστου δυνάμεως πεῖραν λαμβάνειν, μισγοῦσαν ταῖς διδομέναις τοῖς ξένοις τροφαῖς. ἐμπειρίαν δὲ μεγάλην ἐν τούτοις ἔχουσαν, πρῶτον μὲν τὸν πατέρα φαρμάκῳ διαφθεῖραι, καὶ διαδέξασθαι τὴν βασιλείαν. ἔπειτα Ἀρτέμιδος ἱερὸν ἱδρυσαμένην, καὶ τοὺς καταπλέοντας ξένους θύεσθαι τῇ θεῷ καταδείξασαν, ἐπ' ὠμότητι διονομασθῆναι. μετὰ δὲ ταῦτα συνοικήσασαν Αἰήτῃ, γεννῆσαι δύο θυγατέρας, Κίρκην τε καὶ Μήδειαν. καὶ τὴν Κίρκην, εἰς φαρμάκων παντοδαπῶν ἐπίνοιαν ἐκτραπεῖσαν, ἐξευρεῖν παντοίας φύσεις βοτανῶν καὶ δυνάμεις ἀπιστουμένας. οὐκ ὀλίγα μὲν γὰρ ὑπὸ τῆς μητρὸς Ἑκάτης διδαχθῆναι, πολὺ δὲ πλείω διὰ τῆς ἰδίας ἐπιμελείας ἐξευροῦσαν, μηδεμίαν ὑπερβολὴν ἀπολιπεῖν ἑτέρᾳ πρὸς ἐπίνοιαν φαρμακείας, δοθῆναι δ' αὐτὴν εἰς γάμον τῷ βασιλεῖ τῶν Σαρματῶν, οὓς ἔνιοι Σκύθας προσαγορεύουσι. καὶ τὸ μὲν πρῶτον τὸν ἄνδρα φαρμάκοις ἀνελεῖν· μετὰ δὲ ταῦτα τὴν βασιλείαν διαδεξαμένην, πολλὰ κατὰ τῶν ἀρχομένων ὠμὰ πρᾶξαι καὶ βίαια· διόπερ ἐκπεσοῦσαν τῆς βασιλείας, κατὰ μέν τινας τῶν μυθογράφων, φυγεῖν ἐπὶ τὸν Ὠκεανόν, καὶ νῆσον ἔρημον καταλαβομένην, ἐνταῦθα μετὰ τῶν συμφυσῶν γυναικῶν καθιδρυθῆναι· κατὰ δέ τινας τῶν ἱστορικῶν, ἐκλιποῦσαν τὸν Πόντον κατοικῆσαι τῆς Ἰταλίας ἀκρωτήριον, τὸ μέχρι τοῦ νῦν ἀπ' ἐκείνης Κιρκαῖον ὀνομαζόμενον. Hoc eſt: *Ex Thraciâ in Pontum ſubvectos Tauricæ regioni navem adplicuiſſe aiunt, de feritate incolarum nihil compertum habenteis. morem quidpe ibi barbaris fuiſſe, advectos ad ſe hoſpites Dianæ Tauricæ immolare. apud quos Iphigenia poſtmodùm, ſacerdos deæ conſtituta, captivos mactaſſe fertur ad aram. Hoc loco par eſt, cauſas tam nefariæ advenarum cædis exponere; quum ratio hiſtoriæ id poſtulet. Solem duos procreaſſe filios memorant, Aeeten & Perſen: quorum ille Colchidis, hic Tauricæ regnum tenuerit; inſigni uterque crudelitate. è Perſa Hecaten genitam eſſe, audaciâ & immortalitate patrem anteſtantem. venationi quidpe quum dedita eſſet, ſi nihil prædæ caperet, pro beſtiis homines jaculis confixiſſe. in mortiferis item pharmacis ſolerter componendis quum exercitata foret, aconitum inveniſſe. ac de cuiusque naturâ & efficaciâ ita experimentum cepiſſe, ſi hoſpitum illud cibis permiſceret, hinc magnam quum conſequuta eſſet peritiam; primò patrem veneno exſtinxiſſe, ſibique regnum uſurpaſſe. deinde fanum Dianæ exſtruxiſſe, ad quod hoſpites navibus adpulſos pro victimis deæ ſacrificari inſtituerit. qua re crudelitatis nomen conſequuta ubique celebre. Aeetæ poſt hæc nuptam, duas ei natas, Circen & Medéam, peperiſſe. Circen ad medicamentorum omnis generis ſolertiam converſam, mirabileis variarum herbarum naturam ac vireis adinveniſſe. quidpe quum haud pauca ex matris diſciplinâ hauſiſſet, multò plura ſuopte ingenio ſtudioque obſervaſſe: ita, uti nihil cuiquam ad excellentiam artis medicamentariæ faceret reliquum. At Sarmatarum, quos nonnulli Scythas adpellant, regi in matrimonium locatam, primò ipſum maritum veneno ſuſtuliſſe; dein, occupato regno, multa crudelitatis ac violentiæ exempla in ſubditos edidiſſe. quapropter regno quum ejecta eſſet; fugam, ut quidam fabularum ſcriptores tradunt, ad Oceanum adripuiſſe: nactamque vacuam cultoribus inſulam, cum mulieribus fugæ ſociis inibi conſediſſe. ut autem, rerum auctores ſcribunt; relicto Ponto, in promontorio quodam Italiæ, quod etiam nunc Circæum inde adpellatur, domicilium poſuiſſe.* Quum omnis hæc de Circes domicilio fabula ex Vlyſſis erroribus pendeat; hos verò alii in interno mari, quod Europam Aſiamque inter & Africam diffunditur, alii in externo mari ſeu Oceano factos putârint: nonnulli μυθογράφοι Circen quoque Oceani quamdam inſulam inhabitaſſe tradiderunt. Verùm pleroſque vetuſtiſſimorum ſcriptorum in interno mari circa Siciliam Italiamque Vlyſſis intellexiſſe errores, patet ex Heſiodi, Euripidis, Thucydidis, Theocriti, Apollonii, Lycophronis, Dionyſii Halicarnaſſenſis, Diodori, Hygini, Melæ, Plinii, Dionis, Apollodori, aliorumque ſcriptis: item ex Homeri prædictorumque nonnullorum auctorum interpretibus, ſive ſcholiaſtis, qua de re legendum eſt caput XVII libri II Siciliæ noſtræ; quod eſt de Erroribus Vlyſſis. Sed præcipuas cauſas atque anſas arripiendi iſthanc opinionem præbuiſſe videtur Homerus τοῖς μυθογράφοις eo, quòd in eâ Vlyſſis navigatione *Oceanum* nominaverit; tum *inſulam* Circen incoluiſſe dixerit. De *Oceani* nomine poſteà in Campaniæ deſcriptione agetur. de *inſulâ*, quæ & ipſi Homero & aliis adpellata eſt AEAEA, nunc dicendum. Plinium, huiusque epitomatores Solinum ac Martianum, & item Heſiodum, qui centum tantùm circiter annis Homero fuit poſterior, ſuprà audivimus. Euſtathius in Homeri Odyſſéæ lib. X: τὴν νῆσον τῆς Κίρκης Αἰαίην καλεῖ, παρὰ τὴν Αἶαν, πόλιν Κολχικήν· ἀφ' ἧς καὶ Κίρκη Αἰαία. Id eſt: *Inſulam Circes*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Aeæam vocat, ab Aeâ, urbe Colchicâ: à qua & ipſa Circe dicitur Aeæa. Apud Virgilium Aeneid. lib. III Helenus in Epiro ita præ icit Aeneæ:

Antè & Trinacriâ lentandus remus in undâ,
Et ſalis Auſonii luſtrandum navibus æquor,
Infernique lacus Aeæaque inſula Circes,
Quàm tutâ poſſis urbem componere terrâ.

Hyginus Μυθολογικῶν cap. CXXV, quo Vlyſſis errores ex Homeri Odyſſeâ in epitomâ referuntur: *Ad Læſtrygonas, quorum rex fuit Antiphates, ...* [deſunt nonnulla] ..... *devoravit, naveisque eius XI confregit; exceptâ nave, qua, ſociis eius conſumptis, evaſit in inſulam Aeæam* [malè vulgò *Aenariam*; quæ eſt Campaniæ inſula] *ad Circen, Solis filiam.* Et cap. CXXVII: *In inſulam Aeæam ad Circen Vlyſſem mortuum deportarunt.* At licèt heic diſertè Circes inſulam adpellet Hyginus Aeæam; tamen prædicto cap. CXXV in reliquo navigationis Vlyſſis contextu in Siculo mari extra fretum ſtatuit inſulam Aeæam, non Circes, ſed Calypſus ſedem. *Ad Charybdin,* inquit, *perlatus;* [adde, *quæ*] *ter die abſorbebat terque eructabat. eo* [ſcribe, *eam*] *monitu Tireſiæ prætervectus eſt. Sed ira Solis, quòd pecus eius erat violatum, quum in inſulam eius, & monitu Tireſiæ vetuerit violari,* [totus locus corruptus eſt, cuius nullus eſt ſanus ſenſus] *quum Vlyſſes condormiret, ſocii involarunt pecus. itaque quum coquerent, carnes ex aheno dabant balatus. ob id Iovis navem eius fulmine incendit. Ex his locis errans, naufragio facto, ſociis amiſſis, enatavit in inſulam Aeæam. Calypſo, Atlantis filia, nympha, quæ ſpecie Vlyſſis capta, anno toto eum retinuit.* Fortè ſcriptum erat; *in qua,* vel, *ubi habitabat Calypſo.* At non unius ſolius Hygini hoc fuit figmentum: ſed ex vetuſtioribus quidam ita tradiderunt μυθογράφοι. unde & Mela idem habuit. Lib. II cap. VII, *Circa Siciliam in Siculo freto eſt Aeæe; quam Calypſo habitaſſe dicitur.* Sed nihil verius, quàm quod Diodorus dicto lib. IIII continuò antè teſtatur in hæc verba: Καθόλȣ γὰρ τοὺς παλαιοὺς μύθους οὐχ ἁπλῆν οὐδὲ συμπεφωνημένην ἱστορίαν ἔχειν συμβέβηκεν. id eſt: *In priſcis fabulis nulla omnino ſimplex & per omnia ſibi conſentiens eſt narratio.* Cum præſcripto Virgilio diſertè Apollonius atque Apollodorus ad Italiam ponunt Aeæam inſulam. Apollonium pòſt videbimus. Apollodorus de Diis lib. I: Οἱ δὲ Ἀργοναῦται παραπλεύσαντες τὰ Λιβύων καὶ Κελτῶν ἔθνη, καὶ διὰ τοῦ Σαρδωνίου πελάγους κομισθέντες, παραμειψάμενοι Τυῤῥηνίαν, ἦλθον εἰς Αἰαίαν, ἔνθα Κίρκῃ ἱκέται γενόμενοι καθαίρονται. παραπλεόντων δὲ Σειρῆνας αὐτῶν, Ὀρφεὺς τὴν ἐναντίαν μοῦσαν μελῳδῶν, τοὺς Ἀργοναύτας κατέσχε. * . μετὰ δὲ Σειρῆνας τὴν ναῦν Χάρυβδις ἐξεδέχετο, καὶ Σκύλλα. Hoc eſt: *Argonautæ igitur Africam Galliamque prætervecti, perque Sardonium mare ad Etruriam delati, hanc legentes in Aeæam pervenerunt; ubi ſupplices à Circe expiantur. Quum autem præter Sirenas navigarent, Orpheus, contrariam occinens cantionem. Argonautas inhibuit.* Mox: *Poſt Sirenas navim Charybdis excepit & Scylla.* Sirenas inſulam Capreas, Campaniæ litoribus objectam, ſecundùm fabulas inhabitaſſe, ſuo loco oſtendetur. Ipſe Homerus prædicto Odyſſéæ lib. X, poſtquàm narravit, quo pacto Vlyſſes ab *Aeoliis* inſulis, quæ ſunt inter Italiam Siciliamque, ad *Læſtrygonum* pervenerit terram, regemque eorum *Antiphaten*, cuius regia, ut infrà videbimus, traditur opidum *Formiæ*, vulgò nunc *Mola* dictum, ita pergit:

Ἔνθεν δὲ προτέρω πλέομεν ἀκαχήμενοι ἦτορ,
Ἄσμενοι ἐκ θανάτοιο, φίλους ὀλέσαντες ἑταίρους.
Αἰαίην δ᾽ ἐς νῆσον ἀφικόμεθ᾽· ἔνθα δ᾽ ἔναιε
Κίρκη ἐυπλόκαμος, δεινὴ θεὸς, αὐδήεσσα,
Αὐτοκασιγνήτη ὀλοόφρονος Αἰήταο.
Ἔνθα δ᾽ ἐπ᾽ ἀκτῆς νηῒ κατηγαγόμεσθα σιωπῇ
Ναύλοχον ἐς λιμένα.

Hoc eſt:

Hinc ulterius navigamus, triſtes corde;
Læti, quòd mortem evitaſſemus, poſtquàm caros amiſimus ſocios.
Aeæam autem ad inſulam pervenimus; ubi habitabat
Circe pulcricoma, veneranda dea, eloquens,
Germana ſoror prudentis Aeetæ.
Heic ad Litus navi devênimus clam
Navium capacem in portum.

Plinius,

Plinius, ſuprà dicto lib. III cap. V, præſcriptis verbis hæc continuò ſubnectit: *Mirum eſt, quod hac de re tradere hominum notitiæ poſſumus. Theophraſtus, qui primus externorum aliquid de Romanis diligentiùs ſcripſit, Circeiorum inſulæ menſuram poſuit ſtadia* LXXX, *in eo volumine, quod ſcripſit Nicodoro, Athenienſium magiſtratui: qui fuit urbis noſtræ quadringenteſimo ſexageſimo anno. Quidquid eſt ergo terrarum præter* X *millia paſſuum propè ambitus, adnexum inſulæ*. Ipſe Theophraſtus, Hiſtor. plantur. lib. V cap. VIIII: Ἡ δὲ τῶν Λατίνων ἔφυδρος πᾶσα. ἐν ἡ μὲν πεδανὴ δάφνην ἔχει καὶ μυρρίνην καὶ ὀξύην θαυμαστήν, ἡ δ' ὀρεινὴ πεύκην καὶ ἐλάτην. Τὸ δὲ Κιρκαῖον καλούμενον εἶναι μὲν ἄκραν ὑψηλήν, δασεῖαν δὲ σφόδρα· καὶ ἔχειν δρῦν καὶ δάφνην πολλὴν καὶ μυρρίνην. λέγειν δ' οἱ ἐγχώριοι, ὡς ἐνταῦθα ἡ Κίρκη κατῴκει· καὶ πρότερον μὲν οὖν νῆσον εἶναι τὸ Κιρκαῖον· νῦν δὲ ὑπὸ ποταμῶν τινων προσκεχῶσθαι, καὶ εἶναι ἠϊόνα· τῆς δὲ νήσου τὸ μέγεθος περὶ ὀγδοήκοντα σταδίους. Hoc eſt: *Latinus ager aquis totus irriguus eſt. & plana quidem laurum producunt & myrtum ſciſſimamque admirandam: montana verò piceam atque abietem. Circæum autem excelſum quoddam aiunt eſſe promontorium, ſpiſſis nemoribus conſitum; maximè verò robore, myrto, ac lauro. Circen id inhabitaſſe incolæ ferunt. ac priùs quidem fuiſſe inſulam. nunc autem à fluminibus quibusdam adgeſtam eſſe terram, continentemque factam. inſulæ verò magnitudo eſt circiter ſtadia* LXXX. Latinum agrum adpellat, qui erat Volſcorum; quia CCL amplius annis antè Tarquinius Superbus, ut ſuprà cap. I oſtenſum, Latii nomen Romanumque imperium ad Circeios usque ſive ad Tarracinam protulerat. Cæterùm de inſulâ iſthac Circesque in eâ habitatione haud dubiè Latini nihil aliud compertum habuêre, quàm quæ ab Homero Heſiodoque acceperant. Ipſe autem Homerus ibidem deſcribit eam in hunc modum:

Καρπαλίμως παρὰ νηὸς ἀνήϊον ἐς περιωπήν·
Εἴ πως ἔργα ἴδοιμι βροτῶν, ἐνοπήν τε πυθοίμην.
Ἔστην δὲ σκοπιὴν ἐς παιπαλόεσσαν ἀνελθών.
Καί μοι ἐείσατο καπνὸς ἀπὸ χθονὸς εὐρυοδείης,
Κίρκης ἐν μεγάροισι, διὰ δρυμὰ πυκνὰ καὶ ὕλην.

. * . * . * .

Εἶδον γάρ, σκοπιὴν ἐς παιπαλόεσσαν ἀνελθών,
Νῆσον, τὴν πέρι πόντος ἀπείριτος ἐστεφάνωται.
Αὐτὴ δὲ χθαμαλὴ κεῖται· καπνὸν δ' ἐνὶ μέσσῃ
Ἔδρακον ὀφθαλμοῖσι διὰ δρυμὰ πυκνὰ καὶ ὕλην.

. * . * .

Εὗρον δ' ἐν βήσσῃσι τετυγμένα δώματα Κίρκης
Ξεστοῖσι λάεσσι, περισκέπτῳ ἐνὶ χώρῳ.

Hoc eſt:

Celeriter ab nave adſcendi in ſpeculam:
Sicubi opera conſpicerem mortalium, vocemque audirem.
Stabam igitur, ſpeculam in præruptam ubi adſcendi:
Et mihi adparebat fumus è terrâ latè patente,
Circes in ædibus, per arbores denſas & ſilvam.

Aliquanto pòſt, ubi quosdam ex ſociis mittit Vlyſſes ad ſpeculandum, quinam mortales ea loca incolerent:

Vidi enim, ſpeculam in præruptam ubi adſcendi,
Inſulam, quàm mare infinitum circumdat.
Ea verò humilis jacet. fumum autem in mediâ
Vidi oculis per arbores denſas & ſilvam.

Mox; ubi ſocii emiſſi inveniunt Circes domum:

Inveniebant autem in convalle ædificatas ædeis Circes
Politis lapidibus, conſpicuo in loco.

Ait Vlyſſes, ex ſpeculâ ſeu edito loco ſe vidiſſe inſulam immenſo mari circumdatam: nec tamen poëta mentionem ullam facit navis vel ſcafæ, qua ſocii Vlyſſis ex prædicto portu, qui erat ad ſpeculam, in eam inſulam trajecerint. unde manifeſtò liquet in ipsâ inſulâ intellexiſſe eum iſtam ſpeculam ſeu verticem montis. Eſt autem excelſus atque præruptus vertex in Circæo promontorio, quâ mari abluitur. circum radices verò ambitus eius colligit hodiè quoque, ut Theophraſtus, antiquus inter primos auctor, tradit, *ſtadia* LXXX; id eſt, X *millia paſſuum*; quæ Plinius quoque refert.

fert. Hoc igitur terrarum ſpacium adpellavit Homerus *χθόνα εὐρυοδείην*, id eſt, *terram amplam*, ſive *latè patentem*; ſi Plinio credimus. At Homerus diſertè dicit, Αὐτὴ ἡ νῆσος χθαμαλὴ κεῖται, id eſt, *Ipſa inſula humilis jacet*. cuius promontorium tantùm, non omnem inſulam, eſſe voluit *Circæum* montem. Ergo ultra hunc montem, verſùs ſeptemtriones, intellexit illam *χθόνα εὐρυοδείην*. At quis tum credat, inſulam hanc ἀπείριτῳ πόντῳ, id eſt, ut ipſe interpretatur Plinius, *mari immenſo* fuiſſe cinctam? utique, quum ab ipſo Circæo monte vix x ſint millia paſſuum ad proximos in mediterraneo monteis. quin imò, ſi vocem ἀπείριτος circa omnem, quod vult verbum περιεστεφάνωται, intelligas inſulam, ne ipſa quidem totius Italiæ latitudo, inferum ſuperumque mare inter ſuffecerit. Verum igitur heic quoque eſt, quod Strabo lib. I de Homeri poëſi adfirmat; veris rebus haud parum fabularum eum more poëtarum ornatus delectationiſque gratiâ adfinxiſſe. cuius rei egregiam illi heic præbebat occaſionem ipſe Circæi montis ſitus; quem ita deſcribit Strabo lib. V: Μετὰ δὲ Ἄντιον τὸ Κιρκαῖόν ἐστιν ὄρος, νησιάζον θαλάττῃ τε καὶ ἕλεσι. id eſt: *Poſt Antium Circæus eſt mons, inſulæ in ritum mari paludibuſque cinctus*. Servius ad Virgilii Aeneid. lib. III: *Qui nunc Circeius mons à Circe dicitur, aliquando, ut Varro dicit, inſula fuit, nondum ſiccatis paludibus, quæ eum dividebant à continenti*. Et Procopius Gothicar. rer. lib. I: Ἐπειδὴ ἁλῶναι Νεάπολιν ἤκουσαν, ἐς χωρίον ξυνελέγησαν Ῥώμης ὀγδοήκοντα καὶ διακοσίοις σταδίοις διέχον, ὅπερ Ῥωμαῖοι καλοῦσι Ῥεγέτα· ἐνθένδε γὰρ ἐστρατοπεδεύσασθαι σφίσιν ἔδοξεν ἄριστον εἶναι· πεδία γὰρ πολλὰ ἐνταῦθά ἐστιν ἱππόβοτα. ῥεῖ δὲ καὶ ποταμὸς, ὃν Δεκαννόβιον τῇ Λατίνων φωνῇ καλοῦσιν οἱ ἐπιχώριοι, καὶ ἐκβάλλει ἐς θάλασσαν ἀμφὶ πόλιν Ταρακίνην· ἧς ἄγχιστα ὄρος τὸ Κιρκαῖόν ἐστιν· οὗ τὸν Ὀδυσσέα τῇ Κίρκῃ ξυγγενέσθαι φασὶν, ἐμοὶ μὲν οὐ πιστὰ λέγοντες· ἐπεὶ ἐν νήσῳ Ὅμηρος τὴν τῆς Κίρκης οἰκίαν ἰσχυρίζεται εἶναι. ἐκεῖνο μέντοι ἔχω εἰπεῖν, ὡς τὸ Κιρκαῖον τοῦτο, ἐπὶ πολὺ τῆς θαλάσσης διῆκον, νήσῳ ἐμφερές ἐστι, καὶ τοῖς τε πλέουσιν ἄγχιστα, τοῖς τε τὴν ἐκείνῃ ἠϊόνα βαδίζουσι, νῆσος δοκεῖ ἐπιπλεῖστον εἶναι· καὶ ἐπειδάν τις ἐν αὐτῷ γένηται, τότε δὴ μεταμανθάνει ψευδοδοξεῖν τῆς δόξης τὰ πρότερα. καὶ διὰ τοῦτο Ὅμηρος ἴσως νῆσον τὸ χωρίον ὠνόμασεν. Hoc eſt: *Poſtquàm captam Neapolim accepêre, in unum locum, ducenta & LXXX ab Româ ſtadia diſſitum, quem Romani Regeta adpellant, coiërunt: in quo quàm optimè caſtra poni poſſe arbitrabantur; quòd campi heic eſſent multi equis paſcendis apti. ſed & flumen, quod Latino vocabulo Decennovium incolæ vocant, in mare defluit circa Tarracinam. Prope hanc eſt mons Circæus; in quo Vlyſſem cum Circe verſatum ferunt. ſed his equidem ego haud temerè crediderim; quandoquidem Homerus Circes domum in inſulâ eſſe adfirmat. quamquàm non negaverim, Circæum hunc haud modico tractu in mare porrectum, inſulæ ſpeciem ferre: inſulamque tam prænavigantibus propè, quàm terreſtri itinere prætereuntibus videri eſſe. ſi quis verò in ipſo conſiſtat; tunc demum deprehendit, deceptum ſe eâ opinione fuiſſe. Atque hanc fortaſſis ob cauſam Homerus locum hunc inſulam adpellavit*. Sanè, ingenuè fatear, neceſſe eſt, me ipſum, ab Tarracinâ Privernum verſùs progredientem, eodem pacto deceptum fuiſſe. idque eo faciliùs, quòd pridiè inſulas *Pontias* ac *Pandatariam* ante Tarracinenſe Formianumque litus mediis in fluctibus altè exſtanteis conſpexeram. Hac igitur occaſione arreptâ Homerus, quum prædictus *Circæus* mons intus paludibus, de quibus mox dicam, circumdaretur, inſulam immenſo mari cinctam finxit. quod figmentum quum probè intelligeret Apollonius, antiquus in primis poëta, ubi Argonautas ſuos, qui ante bellum Troianum Vlyſſiſque errores longinquâ navigatione varias ob terras erraſſe traduntur, circa eadem, quæ Apollodorus, Galliæ, Liguriæ, Etruriæque litora verſùs fretum Siculum deducit; *Stæchades* equidem ad Liguriam Gallicam, *Aethaliam*que ad Etruriam, & *Sirenas* ad Campaniam, diſertè adpellat νήσους, id eſt, *inſulas*: ſed Aeæam, Circes domum, haud item. Verba eius Ἀργοναυτικῶν lib. IIII hæc ſunt:

Μεσσότατον δ' ἄρα τοίγε διὰ στόμα νηῒ βαλόντες,
Στοιχάδας εἰσαπέβαν νήσους σόοι.
Στοιχάδας αὖτε λιπόντες, ἐς Αἰθαλίην ἐπέρησαν
Νῆσον.
Καρπαλίμως δ' ἔνθενδε δι' ἐξ ἁλὸς οἶδμα νέοντο
Αὐσονίης ἀκτὰς Τυρσηνίδας εἰσορόωντες.
Ἶξον δ' Αἰαίης λιμένα κλυτόν· ἐκ δ' ἄρα νηὸς
Πείσματ' ἐπ' ἠϊόνων σχεδόθεν βάλον. ἔνθα δὲ Κίρκην
Εὗρον. * — * : Θέτις δ' ἀγόρευεν ἐφετμὰς

Ἥρης · ✱ · —— ἐς τ' ἀφίκανεν
Ἀκτὴν Αἰαίην Τυρσηνίδος ἠπείροιο.
Τοὺς δ' εὗρεν παρὰ νηῒ σόλῳ ῥιπῇσί τ' ὀϊστῶν
Τερπομένους. ✱ · —— Ἀλλ' ἄρα τῷγε
Οἴῳ ἐν ὀφθαλμοῖσιν ἐείσατο, φώνησέν τε,
Μηκέτι νῦν ἀκταῖς Τυρσηνίσιν ἧσθε μένοντες.

· ✱ · ✱ · ✱ ·

Ἦμος δ' ἄκρον ἔβαλλε φαεσφόρος οὐρανὸν ἠώς,
Δὴ τότε λαιψηροῖο κατηλυσίῃ Ζεφύροιο
Βαῖνον ἐπὶ κληῗδας ἀπὸ χθονός· ἐκ δὲ βυθοῖο
Εὐναίας εἷλκον περιγηθέες.
Νῆα δ' εὐκραὴς ἄνεμος φέρεν· αἶψα ἢ νῆσον
Καλὴν Ἀνθεμόεσσαν ἐσέδρακον, ἔνθα λίγειαι
Σειρῆνες σίνοντ' Ἀχελωΐδες.

Hoc eſt:

Medio itaque oſtio deſcendentes
Ad Stœchades inſulas pervenerunt ſalvi.
Stœchades hinc relinquentes, in Aethaliam trajecerunt
Inſulam.
Celeriter hinc per maris fluctus ferebantur,
Auſoniæ litora Tyrſenica intuentes;
Veneruntque Aeææ ad portum inclytum: atque ex nave
Rudenteis in terram protinus ejecerunt. Heic autem Circen
Invenerunt. Poſteà: —— *Thetis exſequuta eſt juſſa*
Iunonis. Mox: —— *profectaque eſt*
In litus Aeæum Tyrſeniæ terræ.
Invênit autem eos apud navem, diſcoque telorumque jactu
Seſe oblectanteis. Statim: —— *Huic igitur*
Soli ante oculos adparuit: dixitque;
Ne ampliùs jam in litoribus Tyrſenicis ſedeatis manentes

Aliquanto pòſt:

Vt verò ſummum illuſtravit lucifera cœlum aurora,
Tum velocis deſcenſu Zephyri
Conſcenderunt in tranſtra è terrâ: atque ex imo fundo
Anchoras extraxerunt perquàm læti.
Navem autem ſecundus ventus ferebat. ſtatimque inſulam
Pulcram Anthemœſſam conſpexerunt; ubi canoræ
Sirenes damnum inferunt Acheloides.

En, ut nusquàm *Aeæam* hanc, Circes domum, adpellat νῆσον, *inſulam*; ſed ἀκτὴν τῆς Τυρσηνίας, *litus Tyrſeniæ*; & item longè diſertiùs ἀκτὴν Αἰαίην Τυρσηνίδος ἠπείρου, *litus Aeæum Tyrſenicæ continentis*. nempe quia *Tyrſeniæ* ſive *Tyrrheniæ* nomine antiquiores illi Græci omnem ferè Italiam, ad fretum usque Siculum, intelligebant; ut ſuprà lib. II cap. I plurium auctorum teſtimoniis oſtenſum eſt. quapropter falſa eſt hæc Græci in Apollonium ſcholiaſtæ commentatio: Τυρσηνίαν δ' εἴρηκε τὴν τῆς Κίρκης νῆσον, διὰ τὸ πρόσχωρον αὐτῇ εἶναι. id eſt: *Tyrſeniam dixit Circes inſulam, quia illi contermina erat.* Verùm quum Græcanica hæc fuerit de *Circe* fabula, ab Homero primùm, ut videtur, inventa; aliud nomen ab initio habuiſſe hunc montem apud ipſos incolas, haud dubium eſt. quodnam autem illud fuerit, nemo facilè dixerit. nam quòd apud PERGA vocetur Lycophroni, & regio contermina cùm ipſi tùm Theopompo GORTYNIA; eà ipſa etiam conficta ab Græcis μυθογράφοις cenſeo eſſe vocabula: hoc fortaſſis à Tyrrhenicæ urbis nomine *Cortona*, illud è finitimorum Ligurum linguâ Celticâ deſumptum; quibus quivis *mons* vocabatur *berg*, ſeu, variante dialecto, ut hodiéque apud Germanos, *perg*. Fabulam antiquam refert Hyginus Μυθολογικῶν cap. CXXVII huiusmodi: *Telegonus, Vlyſſis & Circes filius, miſſus à matre, ut genitorem quæreret, tempeſtate in Ithacam eſt delatus: ibique, fame coactus, agros depopulari cœpit. cum quo Vlyſſes & Telemachus ignari arma contulerunt. Vlyſſes à Telegono filio eſt interfectus: quòd ei reſponſum fuerat, ut à filio caveret mortem. quem poſtquàm cognovit qui eſſet;*

juſſu

juſſu Minervæ cum Telemacho & Penelope in patriam redierunt in inſulam Aeæam; [&] *ad Circen Vlyſſem mortuum deportarunt; ibique ſepulturæ tradiderunt.* Hinc etiam Lycophron: Κέλωρ δὲ πατρὸς ἄρταμος κληθήσεται.
Πέργη δέ μιν θανόντα, Τυρσηνῶν ὄρος,
Ἐν Γορτυνίᾳ δέξεται πεφλεγμένον.

Hoc eſt:

Filius autem patris erit interfector:
Quem Perga, Tyrſenorum mons, mortuum,
In Gortyniâ combuſtum, excipiet.

Ad hæc ita Tzetza: Πέργη, ὄρος Τυρσηνίας, ἔνθα φασὶ τὸν Ὀδυσσέα κεῖσθαι καέντα ἐν Γορτυνίᾳ. Θεόπομπος δέ φησιν, ὅτι, παραγενόμενος ὁ Ὀδυσσεὺς, καὶ τὰ περὶ τὴν Πηνελόπην ἐγνωκὼς, ἀπῆρεν εἰς Τυρσηνίαν, καὶ ᾤκισεν εἰς Γορτυνίαν, ἔνθα καὶ τελευτᾷ. Id eſt: *Perga, mons eſt Tyrſeniæ; ubi aiunt ſitum fuiſſe Vlyſſem, poſtquàm combuſtus eſſet in Gortyniâ. Theopompus verò tradit, Vlyſſem, quum, domum reverſus, cognoviſſet, quæ circa Penelopen geſta fuiſſent, diſceſſiſſe in Tyrſeniam; & habitaſſe in Gortyniâ; ibique diem ſupremum obiiſſe.* Circes cognomen atque fabulam haud dubiè inde accepit mons, quòd illa veneficiis dedita ferebatur, natura autem montis ad eam rem videbatur aptiſſima. Theophraſtus Hiſtor. plantar. lib. VIIII cap. XV: Φαρμακώδεις δὲ δοκοῦσιν εἶναι τόποι μάλιστα μὲν ἔξω τῆς Ἑλλάδος οἱ περὶ Τυρρηνίαν καὶ τὴν Λατίνην· ἐν ᾗ καὶ τὴν Κίρκην εἶναι λέγουσιν. Hoc eſt: *Tractus venenorum feraceis potiſſimùm eſſe aiunt, extra Græciam quidem Tyrrheniam & Latium: in quo Circen quoque fuiſſe ferunt.* Et Ariſtoteles in Mirandis: Λέγεται δὲ περὶ τὴν Ἰταλίαν ἐν τῷ Κιρκαίῳ ὄρει φάρμακόν τι φύεσθαι θανάσιμον, ὃ τοιαύτην ἔχει τὴν δύναμιν, ὥστε, ἂν προσρανθῇ τινι, παραχρῆμα πίπτειν ποιεῖ, καὶ τρίχας τὰς ἐν τῷ σώματι ἀπομαδᾶν, καὶ τὸ σύνολον τοῦ σώματος διαρρεῖν τὰ μέλη, ὥστε τὴν ἐπιφάνειαν τοῦ σώματος εἶναι τῶν ἀπολλυμένων ἐλεεινήν. Hoc eſt: *In Italiæ monte Circæo fertur venenum letale gigni tantâ vi, ut, ſi cui adſpergatur, confeſtim concidere hominem faciat, piloſque toto corpore defluere: cunctaque corporis membra ita diſſolvat, uti pereuntium corporis ſuperficies miſerabilis planè ſit adſpectu.* Hinc Strabo prædicto lib. V: Φασὶ δὲ καὶ πολύρριζον εἶναι τὸ Κιρκαῖον ὄρος, τάχα τῷ μύθῳ, τῷ περὶ τῆς Κίρκης, συνοικειοῦντες. Ἔχει δὲ πολίχνιον, καὶ Κίρκης ἱερὸν καὶ Ἀθηνᾶς βωμόν. δείκνυσθαι δὲ καὶ φιάλην τινά φασιν Ὀδυσσέως. Id eſt: *Aiunt Circæum montem radicibus abundare. fortaſſis, ut fabulæ id de Circe accommodent. Eſt in eo opidulum, cum Circes fano & Minervæ arâ. feruntque, ibi pateram quamdam Vlyſſis quoque monſtrari.* Quid mirum jam hoc fuerit; quando Varro, annis, ut ipſi computabant Romani, poſt Troiæ excidium Aeneæque in Italiam adventum CIↃC, ita ſcribit Ruſticar. rer. lib. II cap. IIII: *Parere tot oportet porcos, quot mammas habeat. ſi plureis pariat, eſſe portentum. in quo illud antiquiſſimum fuiſſe ſcribitur, quòd ſus Aeneæ Lavinii* XXX *porcos peperit albos. itaque, quod portenderit, factum* XXX *annis; ut Lavinienſes condiderint opidum Albam. Huius ſuis ac porcorum etiam nunc veſtigia adparent Lavinii: quòd & ſimulacra eorum ahenea etiam nunc in publico poſita; & corpus matris ab ſacerdotibus, quod in ſalſurâ fuerit, demonſtratur.* Mirum ſanè dictu eſt, quot ac quantas imperiti vulgi ſimplicitas iſtiuſmodique ſacerdotum nequitia impudentiaque toti Orbi terrarum invexerit ſuperſtitiones cuiuſmodi putidarum fabularum innumera paſſim apud Græcos pariter atque Latinos reperias exempla. Hinc igitur ELPENORIS quoque, unius ex Vlyſsis ſociis, ibidem monſtrabatur TVMVLVS. Theophraſtus ſuprà dicto Hiſtor. plantar. lib. V cap. VIIII: Τὸ δὲ Κιρκαῖον καλούμενον εἶναι μὲν ἄκραν ὑψηλήν φασι, δασεῖαν δὲ σφόδρα· καὶ ἔχειν δρῦν καὶ δάφνην πολλὴν καὶ μυρρίνην. λέγειν δὲ τοὺς ἐγχωρίους, ὡς ἐνταῦθα ἡ Κίρκη κατῴκει· καὶ δεικνύναι τὸν τοῦ Ἐλπήνορος τάφον, ἐξ οὗ φύονται μυρρίναι, καθάπερ αἱ στεφανώτιδες, τῶν ἄλλων ὄντων μεγάλων μυρρίνων. τὸν δὲ τόπον εἶναι τοῦτον εἰς ἀνδρὸς θέσιν. Hoc eſt: *Circæum aiunt excelſum quoddam eſſe promontorium, ſpiſſis nemoribus conſitum; maximè verò robore, lauro, ac myrto. incolas autem Circen heic habitaſſe perhibere. oſtendique Elpenoris tumulum; ex quo proveniant myrti, coronarii operis in modum creſcentes: quum aliæ myrti ſint amplæ. locumque eum ferunt hominis habere figuram.* Plinius lib. XV cap. XXVIIII: *Arbor ipſa* [myrtus] *in Europæ citeriore ſolo, quod à Cerauniis montibus incipit, primùm Circeiis, in Elpenoris tumulo, viſa traditur.* Scylax in Περίπλῳ. Τυρρηνίας ἔχονται Λατῖνοι, μέχρι τοῦ Κιρκαίου· καὶ τὸ τοῦ Ἐλπήνορος μνῆμά ἐστι Λατίνων. Id eſt: *Tyrrheniæ continuantur Latini, ad Circæum uſque porrecti. & Elpenoris monumentum eſt Latinorum.* Hyginus Μυθολογικῶν cap. XXV, de Vlyſſe ab Circe diſcedente: *Inde proficiſcitur ad lacum Avernum: ad inferos deſcendit: ibique invenit Elpenorem,*

ſocium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

ſocium ſuum; quem ad Elpenorem [fortè erat, *apud Circen*] *reliquerat. interrogavitque eum, quomodò eò perveniſſet. cui Elpenor reſpondit; Se ebrium per ſcalam cecidiſſe, & cervices fregiſſe.* Mox: *Deinde ad ſuperos reverſus, Elpenorem ſepelivit: & gubernaculum, ita ut rogaverat, in tumulo ei fixit:* Ovid. Triſt. lib. III eleg. IIII:

At miſer Elpenor, tecto delapſus ab alto,
Occurrit regi flebilis umbra ſuo.

Et in Ibin: *Neve gradus adeas Elpenore cautiùs altos:*
Vimque feras vini, quo tulit ille modo.

Atque huius *Elpenoris tumuli* veſtigium hodiéque incolæ opidi S. Felicitatis, quod eſt ad radices Circæi montis, ſub ipſo opido monſtrant. quo ſitu antiquos mortaleis id intellexiſſe, vehementer dubito. ſic quidpe Homerus Odyſſéæ lib. XI Elpenorem introducit Vlyſſem adloquentem:

Σῆμά τέ μοι χεῦαι πολιῆς ἐπὶ θινὶ θαλάσσης.
Monumentumque mihi erige ſpumoſi in litore maris.

Et ſub initium lib. XII ita narrat Vlyſſes:

Δὴ τότ' ἐγὼν ἑτάρους προΐειν εἰς δώματα Κίρκης,
Οἰσέμεναι νεκρὸν Ἐλπήνορα τεθνηῶτα.
Φιτροὺς δ' αἶψα ταμόντες, ὅθ' ἀκροτάτη προέχ' ἀκτή,
Θάπτομεν ἀχνύμενοι, θαλερὸν κατὰ δάκρυ χέοντες.
Αὐτὰρ ἐπεὶ νεκρός τ' ἐκάη καὶ τεύχεα νεκροῦ,
Τύμβον χεύαντες, καὶ ἐπὶ στήλην ἐρύσαντες,
Πήξαμεν ἀκροτάτῳ τύμβῳ εὐῆρες ἐρετμόν.

Hoc eſt:

Tum ego ſocios præmiſi ad domum Circes,
Elatum mortuum Elpenorem defunctum.
Arboribusque ſtatim cæſis, quà ſummum prominebat litus,
Sepelivimus eum triſtes, copioſas lacrumas fundentes.
Ceterùm poſtquàm cadaver combuſtum eſt & arma defuncti,
Buſto adgeſto, & deſuper cippo erecto,
Fiximus in ſummo ſepulcro fabrefactum remum.

Ex Homeri itaque ſententia tumulus Elpenoris fuiſſe credebatur in ſummo Circæi monte, qua mari imminet.

De cætero ipſum *opidum Circæum*, ſeu *Circæi*, Straboni equidem dicitur πολίχνιον, id eſt, *opidulum*. at anteà inclyta fuit *urbs*, & *colonia* Romanorum, à Tarquinio Superbo deducta. Livius lib. I: *His laboribus exercitâ plebe, quia & Vrbi multitudinem, ubi uſus non eſſet, oneri rebatur eſſe; & colonis mittendis occupare latiùs imperii fineis volebat; Signiam Circeiosque colonos miſit; præſidia Vrbi futura, terrâ marique.* Nempe, poſtquàm *Sueſſam Pometiam*, florentiſſimam Volſcorum gentis urbem, vi ceperat: ut ſuo loco oſtendetur. Dionyſius lib. IIII: Ταῦτα διαπραξάμενος ἐν εἰρήνῃ τε καὶ κατὰ πολέμους ὁ Ταρκύνιος, δύο πόλεις ἀπῴκισε· τὴν μὲν, καλουμένην Σιγνίαν, οὐ κατὰ προαίρεσιν, ἀλλ' ἐκ τοῦ αὐτομάτου, χειμασάντων ἐν τῷ πεδίῳ τῶν στρατιωτῶν καὶ κατασκευασαμένων τὸ στρατόπεδον, ὡς μηδὲν διαφέρειν πόλεως· Κιρκαίαν δὲ κατὰ λογισμὸν, ὅτι τοῦ Πωμεντίνων πεδίου, μεγίστου τῶν περὶ τὴν Λατίνην, καὶ τῆς συναπτούσης αὐτῇ θαλάσσης, ἔκειτο ἐν καλῷ. Id eſt: *His pace belloque geſtis, duas deduxit Tarquinius colonias: alteram Signiam; haud de induſtriâ; ſed caſu fortuito: quum in eo campo milites hibernantes caſtra ita communiviſſent, uti nihil ab urbe differrent. at Circæam conſultâ operâ deduxit: quòd in Pomentinorum campo, totius Latii maximo, locus is opportunè ad mare ſitus eſſet.* Ergo à Tarquinio Circeii opidum & conditum & colonia deducta fuit. nam *Signia* quoque tunc primùm condita fuit; ut infrà clariùs videbimus. Originem igitur ceperint Circeii circa annum urbis Romæ CCXL; ante natum Ieſum IↃXIII. Verùm dubiam hanc opidi originem faciunt, quæ uterque auctor poſteà narrat. Dionyſius lib. VIII, de Marcio Coriolano: Καὶ ὁ Μάρκιος οὐδὲν ἔτι διαμελλήσας, ἧκεν ἄγων τὴν δύναμιν ἐπὶ Κιρκαίαν πόλιν, ἐν ᾗ κληροῦχοι Ῥωμαίων ἅμα τοῖς ἐπιχωρίοις πολιτευόμενοι· καὶ παραλαμβάνει τὴν πόλιν ἐξ ἐφόδου. Hoc eſt: *Marcius non ampliùs cunctatus, Circæam petit, opidum promiſcuè habitatum à Romanis colonis & civibus indigenis: idque primo impetu cepit.* De eâdem re Livius lib. II: *Circeios profectus, colonos inde Romanos expulit; liberamque eam urbem Volſcis tradidit.* Factum hoc, teſte ibidem Livio, Sp. Nautio Rutilo & Sex. Furio Medullino conſulibus; anno urbis

Romæ

Romæ CCLXVI; poſt Tarquinios ejectos anno XXIIII. *Colonia* poſteà etiam vocatur eidem Livio lib. XXVII & XXVIIII. & Cicero prædicto de Naturâ deorum lib. III: *Circen quoque coloni noſtri Circeienſes religioſè colunt.* Fuiſſe in opido fanum eius, paullo antè è Strabone intelleximus. Ipſius opidi veſtigia aliqua etiam nunc viſuntur in monte, vulgò *La Città vecchia* dicta. Opidum ſæpè poëtæ Circes nomine indicant. Martialis lib. V epigram. I, ad Domitianum Cæſarem; loca commemorans, quorum ſeceſſu ille delectabatur:

Hoc tibi, Palladiæ ſeu collibus uteris Albæ,
Cæſar; & hinc Triviam proſpicis, inde Thetin;
Seu tua veridicæ diſcunt reſponſa ſorores,
Plana ſuburbani quà cubat unda freti;
Seu placet Aeneæ nutrix, ſeu filia Solis;
Sive ſalutiferis candidus Anxur aquis;
Mittimus.

Quinque innuit, ut ſuprà dixi, loca; Albanum montem, & opida, Antium, Caietam, Circeios, Tarracinam. Idem poëta lib. X epigr. XXX:

Non ille ſanctæ dulce Tibur uxoris,
Nec Tuſculanos Algidosve ſeceſſus,
Præneſte nec ſic Antiumve miratur:
Non blanda Circe Dardaniſve Caieta
Deſiderantur.

Statius Silvar. lib. I carm. III:

Cedant Telegoni, cedant Laurentia Turni
Iugera, Lucrinæque domus, litusque cruenti
Antiphatæ; cedant vitreæ juga perfida Circes,
Dulichiis ululata lupis, arcesque ſuperbi
Anxuris, & ſedes Phrygio quas mitis alumno
Debet anus.

Cæterùm ab occidentali Circæi promontorii latere quum exiguus quidam ſinus curvo litore recipiatur, PORTVS loco uſi ſunt eo Circeienſes. Strabo prædicto lib. V: Μετὰ δὲ Ἄντιον τὸ Κιρκαῖόν ἐστιν ὄρος· μεταξὺ ἢ ὅ τε Στόρας ποταμὸς, καὶ ἐπ᾽ αὐτῷ ὕφορμος. ἔπειτα προσεχὴς αἰγιαλὸς [καὶ] ἀλίμενος, πρὸς αὐτῷ μόνον τῷ Κιρκαίῳ λιμένιον ἔχων. Hoc eſt: *Poſt Antium eſt Circæus mons. in medio eorum eſt Stura fluvius, & ad eum navium ſtatio. Hinc continuum eſt importuoſumque litus; niſi quà ad ipſum Circæum parvum habet portum.* Homerus ſuprà dicto Odyſſéæ lib. X:

Αἰαίην δ᾽ ἐς νῆσον ἀφικόμεθ᾽· ἔνθα δ᾽ ἔναιε
Κίρκη ἐϋπλόκαμος.
Ἔνθα δ᾽ ἐπ᾽ ἀκτῆς νηὶ κατηγαγόμεθα σιωπῇ
Ναύλοχον ἐς λιμένα.
Aeæam autem ad inſulam pervenimus; ubi habitabat
Circe pulcricoma.
Heic ad litus navi devénimus clam
Navium capacem in portum.

Virgilius Aeneid. lib. VII; ubi Aeneam deducit ab freto Siculo ad Tiberis oſtia:

Proxima Circææ raduntur litera terræ;
Dives inacceſſos ubi Solis filia lucos
Adſiduo reſonat cantu; tectiſque ſuperbis
Vrit odoratam nocturna in lumina cedrum:
Argnto tenueis percurrens pectine telas.
Hinc exaudiri gemitus iræque leonum,
Vincla recuſantum, & ſerâ ſub nocte rudentum;
Setigerique ſues, atque in præſepibus urſi
Sævire; ac formæ magnorum ululare luporum.
Quos hominum ex facie dea ſæva potentibus herbis
Induerat Circe in vultus ac terga ferarum.
Quæ ne monſtra pii paterentur talia Troës,

Delati

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Delati in portus, neu litora dira ſubirent,
Neptunus ventis implevit vela ſecundis.

Porrò reliquum litus à *Circeiis* ad Tarracinam ita deſcribit Plinius lib. III cap V: *A Circeiis palus Pomptina eſt. quem locum viginti trium urbium fuiſſe, Mutianus ter conſul prodidit. Dein flumen Vfens: ſupra quod Tarracina opidum, linguâ Volſcorum Anxur dictum.* Strabo dicto lib. V: Μετὰ δὲ Ἄντιον τὸ Κιρκαῖόν ἐστιν ὄρος· μεταξὺ ἢ ὅ τε Στόρας ποταμὸς, καὶ ἐπ' αὐτῷ ὕφορμος. ἔπειτα προσεχὴς αἰγιαλὸς καὶ ἀλίμενος, πρὸς αὐτῷ μόνον τῷ Κιρκαίῳ λιμένιον ἔχων. ὑπέρκειται δ' ἐν τῇ μεσογαίᾳ τὸ Πωμεντῖνον πεδίον. ἑξῆς δ' ἑκατὸν σταδίοις τῷ Κιρκαίῳ Ταῤῥακίνα ἐστί. πρόκειται δ' αὐτῆς μέγα ἕλος, ὃ ποιοῦσι δύο ποταμοί· καλεῖται δ' ὁ μείζων Αὔφις. Hoc eſt: *Poſt Antium eſt Circæus mons. in medio eorum eſt Stura fluvius; & ad hunc navium ſtatio. Hinc continuum importuoſumque eſt litus; niſi quà ad ipſum Circæum parvus eſt portus. Supra in mediterraneo Pomentinus ſternitur campus. A Circæo porrò poſt ſtadia* C *Tarracina eſt. ante eam magna eſt palus; quam duo flumina efficiunt: quorum maius vocatur Aufens.* Virgilius Aeneid. lib. VII:

Inſequitur nimbus peditum; clypeataque totis
Agmina denſentur campis; Argivaque pubes,
Auruncæque manus, Rutuli, veteresque Sicani,
Et Sacranæ acies, & picti ſcuta Labici:
Qui ſaltus, Tiberine, tuos ſacrumque Numici
Litus arant, Rutuliſque exercent vomere colleis,
Circæumque jugum; queis Iupiter Auxuris arvis
Præſidet, & viridi gaudens Feronia luco:
Quà Saturæ jacet atra palus, gelidusque imas
Quærit iter valleis, atque in mare conditur Vfens.

Et Virgilii imitator Silius, lib. VIII:

At quos ipſius menſis ſepoſta Lyæi
Setia, & incelebri miſerunt valle Velitræ;
Quos Cora, quos ſpumans inimico Signia muſto;
Et quos peſtiferâ Pomptini uligine campi;
Quà Saturæ nebuloſa palus reſtagnat, & atro
Liventeis cœno per ſqualida turbidus arva
Cogit aquas Vfens, atque infi it æquora limo;
Ducit, æris pollens, nec dextrâ indignus avorum,
Scævola.

Ad Virgilii verba ita commentatur Servius: *Secundùm hanc lectionem re verâ Saturam paludem intelligimus. ſed alii Aſturæ legunt. quod ſi eſt; paludem pro flumine poſuit. nam haud longè à Tarracinâ opidum eſt Aſtura, & eiusdem cognominis fluvius.* Vibius Sequeſter in Catalogo paludum: *Pomptina, Terracinæ* [*&*] *Foro Appî.* Et mox: *Satura, inter Antium & Circeios. eadem Statura.* Scripſiſſe hoc loco ipſum Vibium, *eadem & Aſtura*, ſuprà ad expoſitionem fluminis atque Aſturæ monui. Quum haud exigua adfinitas eſſet horum vocabulorum; grammatici poſteriori ſæculo flumen id & inſulam inter Antium & Circeios cum palude inter Circeios & Tarracinam confuderunt. At SATVRA iſta *palus* haud obſcurè Virgilio Silioque ponitur apud *Vfentem* amnem & *Anxur* ſive *Tarracinam* opidum *lucum*que *Feroniæ*; quem III millia paſſuum ab Tarracinâ abfuiſſe, mox infrà cognoſcemus. & Strabo etiam diſertis verbis teſtatur, fuiſſe ante Tarracinam, id eſt ab occidentali eius parte, quà Vfens fluit, vulgò hodìeque Aufente dictus, paludem magnam, quam duo flumina efficiebant; Aufens ſcilicet, & Amaſenus, ſub Circæo promontorio in mare effluens; de quo mox infrà plura dicemus. Nihil igitur hæc *Satura palus* commune cum *Aſturâ* amne atque inſulâ habuit. At Plinio aliiſque auctoribus vocatur POMPTINA *palus*; & item plurali numero POMPTINAE *paludes*: quia in Pomptino ſive Pometino erant agro, à Sueſſâ Pometiâ, Volſcorum urbe mediterraneâ ſic dicto; ut infrà oſtendetur. Pompeius Feſtus: *Pontina tribus, à Pontiâ urbe: à qua & palus quoque Pontina adpellata eſt juxta Terracenam.* Sic equidem vocabuli opidi genuinum *Pometia* poſteà depravatum eſt. qua de re pluribus agam inſequenti hinc capite. Hinc apud Plinium etiam lib. XXVI cap. IIII, ubi magicas ridet vanitates,

ita legitur : *Siccentur hodiè æthiopide herbâ Pontinæ paludes : tantumque agri ſuburbanæ reddatur Italiæ*. Et lib. XVII cap. IIII : *Cæcubæ vites in Pontinis paludibus madent*. Apud Plutarchum in vitâ C. Iulii Cæſaris ita ſcriptum eſt : τὰ μὲν ἕλη τὰ περὶ Νωμεντῖνον καὶ Σήτιον ἐκτρέψας, πεδίον ἀποδεῖξαι πολλαῖς ἐνεργὸν ἀνθρώπων μυριάσιν ἐπεχείρει. Quem locum ita interpretes Latini verterunt : *Paludes in Nomentanis & Setinis derivare molitus eſt; atque efficere campum qui multa millia poſſet capere agricolarum*. Ar mendoſum eſſe vocabulum Νωμεντῖνον, facilè ex aliis didiciſſe poterant auctoribus. Svetonius in eodem Iulio Cæſare; cap. XLIIII : *Siccare Pomptinas paludes deſtinabat*. Dio lib. XLIIII, de eodem Cæſare: τά τε ἕλη οἱ τὰ Ποντῖνα χῶσαι προσέταξαν. id eſt; *Vtque per Pontinas paludes aggerem duceret*. Aggerem ſcilicet viæ Appiæ. unde Lucanus lib. III :

Et quà Pomptinas via dividit uda paludes.

Iuvenalis Satyrâ III :

Interdum & ferro ſubitus graſſator agit rem,
Armato quoties tutæ cuſtode tenentur
Et Pomptina palus & Gallinaria pinus.

Horatii vetus commentator ad Satyr. V libri I : *In paludibus Pomtinis; quas Cæſar ad mare derivavit*. Horatius de Arte poëticâ :

Debemur morti nos, noſtraque : ſive receptus
Terrâ Neptunus claſſeis aquilonibus arcet;
Regis opus : ſterilisve diu palus aptaque remis
Vicinas urbeis alit, & grave ſentit aratrum :
Seu curſum mutavit iniquum frugibus amnis.

Ad hæc ita vetus commentator : *Modò autem ſubdit, quòd non tantùm verba hominum intereant; ſed & homines, & omnia eorum facta. quod tribus continuis adprobat exemplis. primum, de portu Oſtienſi. nam apud Oſtiam civitatem Auguſtus mare irrumpens intercluſit; & aggere terræ & lapidibus obſtruxit; portumque ibi fecit. ſecundum, de Pomtinis paludibus : quas Auguſtus exſiccavit, & habitabileis reddidit; injecto ſimiliter aggere lapidum & terræ, tertium, de Tiberi fluvio : quem Agrippa de proprio derivavit alveo ad eum, per quem modò fluit*. Item poſteà : *Significat portum Lucrinum & alios, ab Auguſto manu factos*. Mox : *Divus Auguſtus duas res divinas fecit : ut Pomtinam paludem exſiccaret & ad mare meatum habere cogeret; ut poſt & anari poſſet. deinde portum Lucrinum munivit*. Ergo, quod Iulius Cæſar opus deſtinaverat, Auguſtus tandem perfecit. Nemini igitur jam dubium eſſe poteſt, quin apud Plutarchum ſcribendum ſit. τὰ ἕλη τὰ περὶ Πωμπτῖνον καὶ Σητίαν· id eſt; *Paludes, quæ circa Pomptinum agrum & Setiam ſunt*. Nam aliis quoque Græcis auctoribus ſcribi τὸ Πωμπτίνων πεδίον, proximo hinc capite videbimus. Ergo Pomptinæ iſtæ paludes ad Setiam usque pertinebant? Maximè. hac quidpe ratione Circæum montem Homerus finxit eſſe inſulam; ut ſuprà intellectum. Imò ultrà etiam verſùs Tiberim protendebantur. Strabo lib. V : Ἅπασα δ' ἐστὶν εὐδαίμων ἡ Λατίνη καὶ παμφόρος, πλὴν ὀλίγων χωρίων, τῶν κατὰ τὴν παραλίαν, ὅσα ἑλώδη καὶ νοσερά, οἷα τὰ τῶν Ἀρδεατῶν, καὶ μεταξὺ Ἀντίου καὶ Λαουϊνίου, μέχρι Πωμπτίνου, καὶ τινῶν τῆς Σητίνης χωρίων καὶ τῆς περὶ Ταρρακίναν καὶ τὸ Κιρκαῖον. Id eſt : *Omne Latium felix eſt atque omnium rerum ferax; exceptis paucis quibusdam locis maritimis, quæ paluſtria ſunt atque morboſa; ut Ardeatinus ager; & quod eſt Antium inter Laviniumque, ad usque Pomptinum campum; & Setini agri quædam, ac circa Tarracinam Circæumque*. Imò ipſa Setia, in montibus ſita, Pomptino huic imminebat campo. Martialis lib. X. epigram. LXXIIII :

Nec quæ paludes delicata Pomptinas
Ex arce clivi ſpectat uva Setini.

Et lib. XIII epigr. CXII :

Pendula Pomptinos qui ſpectat Setia campos,
Exiguâ vetulos miſit ab urbe cados.

Hinc Vibius Sequeſter, in dicto Catalogo paludum : *Pomptina, Terracinæ & Foro Appii*. Opidum hoc & ipſum ſub Setiâ fuiſſe ſitum in viâ Appiâ, proximo hinc capite patebit. Nimia igitur brevitas falſum quiddam perſcribere Plinium coëgit dicto lib. III cap. V, his verbis : *Circeii, quondam inſula, immenſo quidem mari circumdata, ut creditur Homero; at nunc planitie. Mirum eſt, quod hac de re tradere hominum*

minum notitiæ poſſumus. Theophraſtus Circeiorum inſulæ menſuram poſuit ſtadia octoginta, in eo volumine, quod ſcripſit Nicodoro, Athenienſium magiſtratui; qui fuit Vrbis noſtræ quadringenteſimo ſexageſimo anno. Quidquid eſt ergo terrarum, præter X *millia paſſuum propè ambitus, adnexum inſulæ. Poſt eum annum acceſſit Italiæ aliud miraculum. à Circeiis palus Pomptina eſt: quem locum viginti trium urbium fuiſſe, Mutianus ter conſul prodidit. Dein flumen Vfens. ſupra quod Tarracina opidum.* Quum XII circiter ſint millia paſſuum inter Circæum & Terracinam, quis temerè credat, XXIII fuiſſe hoc ſpacio urbeis? Sanè Mutianus iſte omnem intellexit Pomptinum campum; in quo vetuſtiores tradiderant tot fuiſſe urbeis, antequàm paludes eum occuparent. Nec hoc jam mirum fuerit; quando Plinius eodem capite poſteà adfirmat, LIII urbeis ſeu populos ex antiquo Latio, cuius terminum ipſe ſtatuit Circæum montem, interiiſſe ſine veſtigiis. At tamen incertum eſt, paludes ne heic priùs fuerint, an urbes in aridis agris, quos poſtmodùm paludes oppleverint, urbeisque exſtinxerint. quamquàm hoc haud obſcurè innuere videtur Plinius his verbis: *Poſt eum annum acceſſit Italiæ aliud miraculum. à Circeiis palus Pomptina eſt: quem locum* XXIII *urbium fuiſſe, Mutianus ter conſul prodidit.* Nullum ſanè aliud miraculum his verbis innuitur, quàm quod XXIII urbibus à palude Pomptinâ acciderit. Servius, ut ſuprà relatum, ad Virgilii Aeneid. lib. III ita ſcribit: *Qui nunc Circeius mons à Circe dicitur, aliquando, ut Varro dicit, inſula fuit; nondum ſiccatis paludibus, quæ eum dividebant à continenti.* Ergo jam bis tunc inſula factus erat Circeius mons: priùs, Homeri tempore; ut ſuprà oſtenſum: dein, poſt annum Vrbis Romæ CCCCLX. Vtrum ex his tempus intellexerit Varro, incertum eſt. Nec conſtat, an paludes unà ſiccaverit Appius, quum in conſulatu ſuo viam, injecto paludibus aggere, primus Romanorum ſtravit, quæ inde *Appia* adpellata, & opidulum in eâ erectum Forum Appii. Sed ſæpè paludes hæ iterum reſtagnaverunt. Epitomator Livii lib. XLVI: *Pomptinæ paludes à Cornelio Cethego conſule, cui ea provincia evenerat, ſiccatæ; agerque ex iis factus.* Collega fuit in conſulatu M. Cornelii Cethegi L. Anicius Gallus, anno urbis Romæ IↃXCI, ante natum Ieſum CLXII. Poſt Auguſti ſiccationem Strabo dicto lib. V poſteà: Πλησίον δὲ τῆς Ταῤῥακίνης, βαδίζοντι ἐπὶ τῆς Ῥώμης, παραβέβληται τῇ ὁδῷ Ἀππίᾳ διῶρυξ, ἐπὶ πολλοὺς τόπους πληρουμένη τοῖς ἑλείοις τε καὶ τοῖς ποταμίοις ὕδασι. πλεῖται δὲ μάλιστα νύκτωρ. ὥστ' ἐμβάντας ἐφ' ἑσπέρας ἐκβαίνειν πρωΐας, καὶ βαδίζειν τὸ λοιπὸν τῇ ὁδῷ τῇ Ἀππίᾳ· ἀλλὰ καὶ μεθ' ἡμέραν ῥυμουλκεῖται δι' ἡμιόνων. Hoc eſt: *Prope Tarracinam, quà Romam itur, propter viam Appiam foſſa longa ducta eſt, quæ paluſtribus fluvialibusque impletur aquis. ea noctu maximè navigatur: ut, qui navim veſperi intrant, manè egreſſi, Appiâ via pergant. ſed & interdiu muli naves loris trahunt.* Fuiſſe huius FOSSAE longitudinem XV millium paſſuum, id eſt, ab Foro Appii ad Feroniæ usque fanum, III millia ab Tarracinâ diſſitum, ex Horatii Satyrâ V libri primi patet: ubi ita ſcribit:

Egreſſum magnâ me excepit Aricia Româ
Hoſpitio modico. rhetor comes Heliodorus,
Græcorum longè doctiſſimus, inde Forum Appî,
Differtum nautis cauponibus atque malignis.
Hoc iter ignavi diviſimus, altiùs ac nos
Præcinctis, unum minùs eſt gravis Appia tardis.
Heic ego propter aquam, quod erat deterrima, ventri
Indico bellum, cœnanteis haud animo æquo
Exſpectans comites. Iam nox inducere terris
Vmbras & cœlo diffundere ſigna parabat:
Tum pueri nautis, pueris convicia nautæ
Ingerere. huc adpelle. trecentos inſeris: ohe,
Iam ſatis eſt. Dum æs exigitur, dum mula ligatur,
Tota abit hora. Mali culices ranæque paluſtres
Avertunt ſomnos. abſentem cantat amicam
Multâ prolutus vappâ nauta atque viator
Certatim. tandem feſſus dormire viator
Incipit; ac miſſæ paſtum retinacula mulæ
Nauta piger ſaxo religat; ſtertitque ſupinus.
Iamque dies aderat, quum nil procedere lintrem

Sentimus: donec cerebroſus proſilit unus,
Ac mulæ nautæque caput lumbosque ſaligno
Fuſte dolat. quartâ vix demum exponimur horâ.
Ora manusque tuâ lavimus, Feronia, lymphâ.
Millia tum pranſi tria repimus; atque ſubimus,
Impoſitum ſaxis latè candentibus, Anxur.

Hinc Tacitus Annal. lib. XV: *Cæterùm Nero uſus eſt patriæ ruinis. exſtruxitque domum, in qua haud perinde gemmæ & aurum miraculo eſſent, ſolita pridem, & luxu vulgata: quàm arva & ſtagna; & in modum ſolitudinum, hinc ſilvæ. inde aperta ſpacia & proſpectus: magiſtris & machinatoribus Severo & Celere; quibus ingenium & audacia erat, etiam, quæ natura denegaviſſet, per artem tentare, & viribus principis illudere. namque ab lacu Averno navigabilem foſſam usque ad oſtia Tiberina depreſſuros promiſerant; ſqualenti litore, aut per monteis adverſos. neque enim aliud humidum gignendis aquis occurrit, quam Pomptinæ paludes. cætera abrupta, aut arentia; ac, ſi perrumpi poſſent, intolerandus labor; nec ſatis cauſæ.* Hinc illud Plinii, quod circa Neronis exitum initiumque imperii Veſpaſiani ſcripſit ſuprà dicto lib. III cap. V: *A Circeiis palus Pomptina eſt.* Et item XXVI cap. IIII: *Siccentur hodiè æthiopide herbâ Pomptinæ paludes: tantumque agri ſuburbanæ reddatur Italiæ.* Et Lucanus dicto lib. III:

Et quà Pomptinas via dividit uda paludes.

Item Iuvenalis Satyrâ III:

Et Pomptina palus, & Gallinaria pinus.

Traianus poſteà imperator an quid heic ſiccaverit, dum viam inſtauravit, incertum eſt. Dio lib. LXVIII, in vitâ eius: Τὰ ἕλη τὰ Ποντῖνα ὡδοποίησε λίθῳ· καὶ τὰς ὁδοὺς παροικοδομήσας, καὶ γεφύραις μεγαλοπρεπεστάτως ἐξεποίησε. Id eſt: *Per Pontinas paludes viam ſaxo ſtravit. exſtruxitque juxta vias ædificia; ponteisque magnificentiſſimos fecit.* At annis fermè CCCC poſt Traiani imperium iterum ſiccatæ fuêre ſub Theodorico, Gothorum in Italiâ rege. qua de re apud Caſſiodorum Variar. lib. II epiſtola eſt XXXII huiusmodi: *Senatui urbis Romæ Theodoricus rex. Vir magnificus atque patricius Decius, glorioſo circa rempublicam amore devinctus, ultro poſtulavit voto mirabili, quod vix potuiſſet ſub conſilio noſtræ pietatis imponi paludem Decennovii, in hoſtis modum vicina vaſtantem, fovearum ore patefacto, promiſit abſorbere &c. illam famoſam ſæculi vaſtitatem; quam ſub diuturnitate licentiæ quondam mare paludeſtre poſſedit; cultisque locis inimicum ſuperfundens undâ diluvium, terrenam gratiam ſilveſtri pariter horrore confudit. nihil utile nutriens, ſub liquore ſpoliatum fructibus eſt ſolum, poſtquàm obnoxium cœpit eſſe paludibus. Ideò miramur priſcæ confidentiæ virum: ut, quod diu virtus publica refugit, manus privata ſusceperit. Hunc ergo audacem laborem adgreſſurum ſe laudabili perfectione pollicitus eſt: ut, pereunte damnoſo gurgite, quæ fuerant amiſſa, ulteriùs non perirent. unde noſtræ ſuper hac parte ſerenitatis poſtulat juſſiones: ut auctoritate publicâ ſubeat opus eximium, quod erit cunctis viantibus profuturum. Sed vos, patres conſcripti, præſentibus decretis adnuimus, ut ad loca ipſa Decennovii duos ex veſtro corpore dirigatis: quibus arbitrantibus, quantum ſpacii reſtagnantis incurſibus paludeſtris illuvies occupavit, fixis terminis adnotetur. ut, quum ad perfectionem promiſſum pervenerit; liberatori ſuo reddita terra proficiat. nec quisquam inde aliquid præſumat attingere, quod tam diu invadentibus aquis non potuit vendicare &c.* Et epiſt. XXXIII: *Decio, viro illuſtri, patricio Theodoricus rex. Vobis, itaque deſideria juſta poſcentibus, præſenti auctoritate concedimus, ut, ſtagnis Decennovii paludibusque ſiccatis, ſine fiſco poſſideas in ſolum rura revocata: nec ullam metuas liberatis rebus exhibere culturam, quas ſub generalitatis teſtimonio abſolvimus. Hinc etiam ad ampliſſimum ſenatum præcepta transmiſimus; ut definito nunc ſpacio, ad tuum pulcrè transeat dominium, quod eſt à fœdis gurgitibus vendicatum. æquum eſt enim, ut unicuique proficiat labor ſuus.* Perfectum tunc fuiſſe id opus, teſtatur eius ſæculi inſcriptio, quæ, poſtmodùm Tarracinæ reperta, inter alia, quibus partim tituli Theodorici regis exprimantur, hæc continet verba:

DECEN-

DECENNOVII · VIAE · APPIAE · ID · EST · A · TRIP
VSQVE · TERRACENAM · ITER · ET · LOCA · QVAE
CONFLVENTIBVS · AB · VTRAQVE · PARTE · PALVDVM
PER · OMNES · RETRO · PRINCIPVM · INVNDAVERANT
VSVI · PVBLICO · ET · SECVRITATI · VIANTIVM
RESTITVIT * · * · * PER
PLVRIMOS · QVI · ANTE · NON · ERANT · ALBEOS
.·.·.·.·.·.·.·.·.·.·.·.·.·.·.·.·. DEDVCTA · IN · MARE
AQVA

Vnde autem, quæ anteà erat Pomptina, poſteriori iſto ſæculo dicta fuerit DECENNOVII PALVS, oſtendit. Procopius Gothicar. rer. lib. I, his verbis: Ἐπειδὴ ἁλῶναι Νεάπολιν ἤκουσαν, ἐς χωρίον ξυνελέγησαν Ῥώμης ὀγδοήκοντα καὶ διακοσίοις σταδίοις διέχον, ὅπερ Ῥωμαῖοι καλοῦσι Ῥέγετα· ἐνθένδε γὰρ ἐνστρατοπεδεύσασθαι σφίσιν ἔδοξεν ἄριστον εἶναι· πεδία γὰρ πολλὰ ἐνταῦθά ἐστιν ἱππόβοτα. ῥεῖ δὲ καὶ ποταμὸς, ὃν Δεκαννόβιον τῇ Λατίνων φωνῇ καλοῦσιν οἱ ἐπιχώριοι, ὅτι δὴ ἐννεακαίδεκα μειλίων σημεῖα, ὅπερ ξυνάγουσιν εἰς τρεῖς καὶ δέκα καὶ ἑκατὸν σταδίους, οὕτω δὴ ἐκβάλλει ἐς θάλασσαν ἀμφὶ πόλιν Ταρακίνην, ἧς ἄγχιστα ὄρος τὸ Κιρκαῖόν ἐστιν. Hoc eſt: *Poſtquàm captam Neapolim eſſe accepêre, in unum locum, ducenta & LXXX ſtadia ab Româ diſſitum, quem Romani Regeta adpellant, convenerunt: in quo quàm optimè caſtra ſe poſituros rebantur; quòd campi heic eſſent multi equis paſcendis aptiſſimi. ſed & flumen, quod Latino vocabulo Decennovium incolæ vocant, quòd XVIIII milliaria delapſus, quæ ſtadia conficiunt CXIII, in mare effunditur circa Tarricinam; cui vicinus eſt mons Circæus.* Ergo VI tantùm ſtadia in ſingula milliaria computavit Procopius. atque hac ratione ſtadia iſta CCLXXX inter *Romam* & *Regeta* locum millia paſſuum erunt XLVI, cum ſtadiis IIII. ſuper qua equidem menſurâ ſatis rectè ei convenit cum Appiano; qui Civil. bellor. lib. III, de Auguſto loquens, Ὄντι αὐτῷ, inquit, περὶ Ταρρακίνας ἀπὸ τετρακοσίων που Ῥώμης σταδίων· id eſt; *Quum circa Tarracinam eſſet, ad CCCC circiter ab Româ ſtadia*. Tot quidpe ſtadia, more eius ævi ſeptenis ſtadiis cum dimidio in ſingula millia paſſuum computatis, reddunt millia LIII, cum ſtadiis II ac dimidio. Ex præſcriptis igitur Procopii verbis haud obſcurè patet, eumdem *amnem* eius tempeſtate à curſus ſpacio dictum fuiſſe DECENNOVIVM, qui antiquioribus temporibus erat VFENS, prope Tarracinam in mare influens, Virgilio, Silio, Plinio, Claudiano, ac Livio, memoratus: ſed huic ſine nomine. Verba eius lib. XXIIII: *Navium longarum ſpecies in flumine Tarracinæ viſæ*. Virgilium atque Silium ſuprà citavimus, ad nomen *Saturæ paludis*. Claudianus in Panegyrico de Probi & Olybrii conſulatu:

——— *Tarduſque ſuis erroribus Vfens.*

Idem antiquiſſimis Romanis per diphthongum dictus fuit OVFENS. Feſtus: *Oufentina tribus initio cauſa fuit nominis Oufens; quod eſt in agro Privernate, inter mare & Terracinam.* Lucretius: *Priverno Oufentina venit fluvioque Oufente.* Mira ſanè fluminis deſcriptio, inter mare & Tarracinam; quum urbs hæc in ipſo ferè fuerit litore; quumque ipſum flumen in mare prope urbem exierit. Apud Livium lib. VIII ita eſt ſcriptum: *Latinus ager, Privernati addito agro, & Falernus, qui populi Campani fuerat, uſque ad Vulturnum flumen, plebi Romanæ dividitur.* Hinc lib. VIIII: *Duæ Romæ additæ tribus; Vfentina & Falerna.* Heic etiam quædam exemplaria habent, *Oufentina*. Sed alia diphthongo etiam dicebatur amnis AVFENS: unde vulgare ei hodiéque vocabulum *Aufente*. Strabo lib. V: Πρόκειται δὲ τῆς Ταρρακίνης μέγα ἕλος, ὃ ποιοῦσι δύο ποταμοί· καλεῖται δ' ὁ μείζων Αὔφιδος. Id eſt: *Ante Tarracinam magna eſt palus, quam duo efficiunt amnes; quorum maior dicitur Aufidus*. Hoc ſanè nomen fuit fluminis longè maximi celebratiſſimique in Apuliâ. unde cenſuerunt viri docti corrigendum id vocabulum apud Strabonem in οὔφεις, *Vfens*. at ego vocalem A haud temerè mutaverim: utique, quum hodiéque vocetur amnis *L'Aufente*; & antiquiſſimis illis temporibus fuerit *Oufens*. Cæterùm alter ille *fluvius* ipſum opidum Privernum & infra hoc celeberrimum monaſterium, quòd vulgò vocatur *L'Abbadia*, præterfluit. adpellatur autem antiquis ſcriptoribus, Virgilio, Vibio Sequeſtro, ac Servio, AMASENVS. Virgilius Aeneid. lib. VII:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Quique altum Præneſte viri, quique arva Gabinæ
Iunonis, gelidumque Anienem, & roſcida rivis
Hernica ſaxa colunt; quos dives Anagnia paſcit,
Quos Amaſene pater.

Ad hæc ita Servius: *Amaſenus, eſt fluvius vicinus civitatis Privernatium; qui Anagnienſes agros irrigat.* Quum & Setia & Signia & Fruſino Volſcorum agri opida intercedant, minimè credibile eſt, Anagniæ, Hernicorum opidi, agrum irrigaſſe Amaſenum, paullo ſuprà Setiam exortum. proinde id ex poëtâ ſuo potiùs conjeciſſe, quàm ex idoneo aliquo geographo didiciſſe videtur grammaticus Servius. At de *Privernatium* vicinitate haud falſus eſt. Vibius in catalogo fluminum: *Amaſenus, Privernatium.* Ipſe Virgilius lib. XI:

Pulſus ob invidiam regno vireisque ſuperbas,
Priverno antiquâ Metabus quum excederet urbe,
Infantem, fugiens media inter prœlia belli,
Suſtulit, exſilio comitem; matrisque vocavit
Nomine Caſmillæ, mutatâ parte, Camillam.
Ipſe, ſinu præ ſe portans, juga longa petebat
Solorum nemorum. tela undaque ſæva premebant;
Et circumfuſo volitabant milite Volſci.
Ecce fugæ medio ſummis Amaſenus abundans
Spumabat ripis. (tantus ſe nubibus imber
Ruperat.) ille innare parans, infantis amore
Tardatur; caroque oneri timet.

His igitur duobus fluminibus, Vfente atque Amaſeno, maximè implebantur prædictæ Pomptinæ paludes: quas à Tribus Tabernis ad Tarracinam usque extenſas fuiſſe, ſuprà ſcripta inſcriptio antiqua teſtatur: id eſt, ſpacio XXX fermè millium paſſuum; quod infrà in expoſitione Trium Tabernarum patebit. Plinius, ut ſuprà dicto lib. III cap. V nimium eas coarctaverit, inter Circeios & Tarracinam; ſic alibi perperam ultra Tarracinam in Fundanum usque agrum protulit. Verba eius lib. XIIII cap. VI hæc ſunt: *Anteà Cæcubo vino erat generoſitas celeberrima, in paluſtribus populetis, ſinu Amyclano. quod jam intercidit, & incuriâ coloni locique anguſtiâ; magis tamen foſſâ Neronis, quam à Baiano lacu Oſtiam usque navigabilem inchoaverat.* Et lib. XVII cap. IIII: *Cæcubæ vites in Pomptinis paludibus madent.* Certè ſi etiam tunc Cæcubæ vites in paludibus madebant, neſcio quomodò ipſum vinum Cæcubum jam intercidiſſe voluerit: niſi fortè vitem Cæcubam ex agro Fundano, cuius opidum hodiéque vulgo vocatur *Fondi*, in paludes Pomptinas transpoſitam, ut multæ aliæ alio paſſim vites fuêre translatæ, intellexerit. quidpe nec iſtæ cis Tarracinam Pomptinæ paludes in Cæcubum usque agrum continuo aliquo tractu protendi poterant; quando ſatis magnum intercedit montium jugum; in cuius quaſi promontorio ſita eſt Tarracina: nec ipſum Pomptini agri nomen eò usque prolatum fuit: quum totus is fuerit Volſcorum; ut ſequenti hinc capite liquebit: Volſci autem ultra Tarracinum nihil tenuerint. At lib. XXIII cap. I iterum in eamdem ſententiam, *Cæcuba*, inquit, *jam non gignuntur*. Atque hac Plinii negligentiâ in errorem præcipitatus nuperus geographus Abrahamus Ortelius; quamlìbèt ipſe per hæc loca iter feciſſet, coramque ea luſtraſſet; tamen ad illius mentem continuas toto hoc litore ad Lirim usque in tabulâ Latii pinxit Pomptinas paludes. Cæterùm in Chronico Caſſinenſi lib. II cap. XXVI ſic ſcriptum eſt: *Eodem tempore cives Terracinenſes obtulerunt piſcariam, quæ à flumine ipſius civitatis ad mare tenditur. Roffridus item patricius obtulit ibidem piſcariam ſuam in palude Traſectâ, juxta memoratum flumen de Terracinâ.* Haud equidem dubitaverim, quin corruptum ſit hoc vocabulum *Traſecta*; ut innumera alia propria locorum fluminumque in eodem Chronico nomina. eamdem verò intelligi circa Vfentem amnem paludem, quæ aliàs Pomptina, ac poſteà Decemnovii palus adpellata fuit, omnino mihi perſvadeo. At illud jam minus ſcio, quisnam ille fuerit Procopii locus *Regeta*, τὰ Ῥέγετα χωρίον, circa Tarracinam. neque ullam Latini vocabuli formam vel originem, quod vult ille, in eo nomine diſpicio. unde hoc quoque vitiatum eſſe, vehementer ſuſpicor. Apud Servium Donatus atque Clavarius PINETVM habent

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

bent hoc tractu. Virgilius Aeneid. lib. XI Latinum introducit regem ita in concilio loquentem.

Eſt antiquus ager, Tuſco, mihi, proximus amni;
Longus in occaſum, fineis ſuper usque Sicanos.
Aurunci Rutulique ſerunt, & vomere duros
Exercent colleis; atque horum aſperrima paſcunt.
Hæc omnis regio, & celſi plaga pinea montis
Cedat amicitiæ Teucrorum; & fœderis æquas
Dicamus leges; ſociosque in regna vocemus.

Ad hæc ita Servius: *Hoc loco Donatus erravit; dicens, agrum, quem Latinus donare ſe disponit, eſſe in Campaniâ juxta Vfentem fluvium;* (quod etiam Clavarius ait) *cuius terras vicinas Tuſci aliquando tenuerint. ut inde dictum ſit, Tuſco proximus amni. Agit etiam hoc argumento; quod illis eſt locus, qui hodiéque Pinetum vocatur. Conſtat loca illa omnia eſſe campeſtria. nec procedit, quod dicitur Celſi plaga pinea montis.* Per temporis anticipationem, quæ frequens eſt Virgilio, antiquum heic adfictum eſt Latini regis orationi Latium, cuius fineis Tarquinius demum Superbus ad Circæum usque protulit montem, ſuprà cap. I huius libri III dictum eſt. circa eumdem autem montem multam fuiſſe *pinum* arborem, paullo antè in deſcriptione eius intelleximus. Ab hoc igitur pineo monte longum intellexit poëta agrum, in occaſum verſùs, ad Tuſcum usque amnem, id eſt, Tiberim. Hinc autem credibile fit, Procopium quoque ſcripſiſſe, Χωρίον, ὅπερ Ῥωμαῖοι καλοῦσι Πινέτα. id eſt; *Locum, quem Romani Pineta vocant.* Nec perinde abhorrent illa ὀγδοήκοντα καὶ διακόσια ςάδια, *octoginta atque ducenta ſtadia*; id eſt, ſecundùm Procopii computationem, XLVI millia paſſuum.

Ipſa hinc Ταῤῥακίνα, TARRACINA *urbs*, compluribus memoratur auctoribus, quos citatum imus. ſed poſterioris ſæculi hominibus TERRACINA, quod hodiéque vulgare eius eſt vocabulum, quaſi ab neſcio cuius terræ argumento quæſitâ adpellatione, dicta eſt: & quia η tunc ut ι ſonabat, ſæpè Ταῤῥακῆνα· quod Latinè etiam fecêre TERRACENA; ut in ſuprà citatâ inſcriptione Theoderici regis vidimus. ex qua apud omneis antiquos auctores idem vocabulum voluiſſe Fulvium Vrſinum reſtitui pro Tarracinâ, vehementer ego miror. A Græcis urbi hoc nominis fuiſſe impoſitum, diſertè teſtatur Strabo lib. V: Ἑξῆς δ', inquit, ἐν ἑκατὸν ςαδίοις τῷ Κιρκαίῳ ἡ Ταῤῥακίνα ἐςὶ, Τραχίνη καλουμένη πρότερον, ἀπὸ τοῦ συμβεβηκότος. Id eſt: *Sequitur poſt* C *ſtadia à Circæo Tarracina; anteà* TRACINNE *dicta, ab re ipſa.* Id eſt, *aſpera*; ab aſperitate loci; quia in ſcopulo condita erat, ut mox videbimus. Ovidio ab eodem argumento aliâ vocabuli formatione Τραχὰς, TRACHAS dicitur Μεταμορφωσέων lib. XV, in his verſibus:

Minturnæque graves, & quam tumulavit alumnus,
Antiphatæque domus, Trachasque obſeſſa palude,
Et tellus Circæa, & ſpiſſi litoris Antium.

Recto ordine, ut pòſt videbimus, recenſet huius litoris opida; Minturnas, Caietam, Formias, Tarracinam, Circeios, Antium. Mela lib. II cap. IIII. *Minturnæ, Formiæ, Fundi, Terracina, Circes domus aliquando Circeii, Antium.* Apud Stephani epitomatorem ita ſcriptum: Ταρρακῆνα, πόλις Ἰταλίας Διονύσιος πεντεκαιδεκάτῳ Ῥωμαϊκῆς ἀρχαιολογίας. τὸ ἐθνικὸν Ταρρακηνός. Id eſt: *Tarracena, opidum Italiæ; auctore Dionyſio Antiquitat. Rom. lib.* XV. *gentilitium inde Tarracenus.* Mox poſteà: Ταῤῥαχίνη, πόλις Ἰταλίας· Φλέγων. τὸ ἐθνικὸν Ταρραχῖνος. Hoc eſt: *Tarrachina, opidum Italiæ; auctore Phlegonte. gentilitium Tarrachinus.* Hoc equidem opidi vocabulum facilè crediderim ita ipſum ſcripſiſſe Phlegontem: quia proxima hæc erat inclinatio ex primitivo illo Τραχίνη. at Ταρρακῆνα ſcripſiſſe Dionyſium, valdè dubitarem, niſi apud Polybium quoque lib. III bis forent opidani Ταῤῥακηνῖται, *Tarracenitæ*. Plutarcho certè in C. Mario & Iulio Cæſare eſt aliquoties Ταῤῥακίνη. quæ apud Diodorum lib. XIIII eſt Ταρακίνη & Dioni lib. LXV ac Zonaræ lib. II Ταρακίνα. Latinis verò auctoribus, Cæſari Civil belli lib. I, Ciceroni de Oratore lib. II, ad Atticum lib. VI epiſt. V ac lib. VIII epiſt. XIII, Livio lib. XXIIII & XXVII, Valerio Maximo lib. VIII cap. I, Melæ dicto libro II cap. IIII, Plinio lib. III cap. V, lib. XIIII cap. II, Tacito Hiſtor. lib. III, Spartiano in Vitâ Hadriani, Solino cap. VIII, & Martiano lib. VI,

Tarracina. & inde opidani Salluſtio in Bello Catilinario, item Ciceroni in oratione pro Sex. Roſcio Amerino, ac Tacito Hiſtoriar. lib. IIII, TARRACINENSES. Sed ipſa urbs plurali etiam numero dicitur Livio, Ptolemæo, atque Appiano, Ταῤῥακίναι. Appianus Civil. bellor. lib. IIII: Ὄντι αὐτῷ περὶ Ταῤῥακίνας· *Quum eſſet circa Tarracinas*. Ptolemæus id vocabulum habet lib. III, in deſcriptione Italiæ; & item lib. VIII cum articulo αἱ Ταῤῥακίναι. Livium mox producemus. Cæterùm ipſis incolis Volſcis dicebatur ANXVR. Plinius dicto lib. III cap. V: *Dein flumen Vfens: ſupra quod Tarracina opidum; linguâ Volſcorum Anxur dictum*. Pompeius Feſtus: *Anxur vocabatur, quæ nunc Tarracina dicitur, Volſcæ gentis; ſicut ait Ennius; Vulſculus perdidit Anxur*. Livius lib. IIII: *Valerius Antium petit, Cornelius Ecetras. Quacúmque inceſſère. latè populati ſunt tecta agrosque; ut diſtinerent Volſcos. Fabius, quod maximè petebatur, Anxur oppugnandum, ſine ullâ populatione acceſſit. Anxur fuit, quæ nunc Tarracinæ ſunt*. At ipſe etiam ſingulari numero dixit Livius Tarracinam. lib. XXIIII: *Navium longarum ſpecies in flumine Tarracinæ viſæ*. lib. XXVII: *Tarracinæ in mari, haud procul portu angues magnitudinis miræ laſcivientium piſcium more exſultaſſe*. Porrò Diodorus lib. XIV: Κατὰ δὲ τὴν Ἰταλίαν ἐξεπολιόρκησαν οἱ Ῥωμαῖοι τὴν Οὐόλσκων πόλιν, ἣ τότε μὲν Ἄνξωρ, νῦν δ' ὀνομάζεται Ταρακίνη. Id eſt: *In Italiâ Romani Volſcorum urbem, quæ tunc Anxor, nunc verò Tarracina vocatur, expugnarunt*. Illo vocabulo maximè uſi ſunt poëtæ; alii neutro genere, ut præſcripti Ennius atque Livius; maſculino genere alii. Horatius Satyrâ V libri I: —— *Subimus*

Impoſitum ſaxis latè condentibus Anxur.

Martialis lib. V epigr. I:

Seu placet Aeneæ nutrix, ſeu filia Solis,
Sive ſalutiferis candidus Anxur aquis.

Lib. VI epigr. XLII:

Non mollis Sinueſſa, fervidique
Fluctus Paſſeris, aut ſuperbus Anxur.

Lib. X epigr. LI:

O nemus; ô fontes, ſolidumque madentis arenæ
Litus, & æquoreis ſplendidus Anxur aquis.

Silius atque Lucanus utrum genus intellexerint, incertum eſt. Lucanus lib. III:

Iamque & præcipites ſuperaverat Anxuris arceis.

Atque tot graviſſimorum auctorum teſtimoniis innixus, audacter equidem negaverim ab ipſo Statio feminino genere ſcriptum fuiſſe *ſuperbæ Anxuris*, Silvar. lib. I carm. III, in his verbis:

Cedant Telegoni, cedant Laurentia Turni
Iugera, Lucrinæque domus, litusque cruenti
Antiphatæ; cedant vitreæ juga perfida Circes
Dulichiis ululata lupis; arcesque ſuperbæ
Anxuris, & ſedes Phrygio quas mitis alumno
Debet anus.

Virgilius etiam bellatorem hoc nomine fingit Aeneid. lib. X, in his verſibus:

Dardanides contrà fuit. Anxuris enſe ſiniſtram
Et totum clypei ferro dejecerat orbem.

At Aeneid. lib. VII ita ſcribit:

Qui ſaltus, Tiberine, tuos ſacrumque Numici
Litus arant, Rutulosque exercent vomere colleis.
Circæumque jugum; queis Iupiter Anxurus arvis
Præſidet, & viridi gaudens Feronia luco.

Ad quæ ita Servius: *Circa hunc tractum Campaniæ colebatur puer Iupiter, qui Anxurus dicebatur, quaſi* ἄνευ ξυροῦ, id eſt, *ſine novaculâ; quia barbam numquàm raſiſſet: & Iuno virgo, quæ Feronia dicebatur*. Et ad præſcripta Horatii verba ita habent antiqua ſcholia: *Fanum Feroniæ in tertio erat milliario à Tarracinâ. imò verò Feroniæ, Iovis Anxuris uxor, ibi colebatur; quemadmodùm Iupiter Anxur Tarracinæ*. Mox: *Dictum Anxur à Iove Anxure; qui ibi colebatur imberbis, idcircò nominatur Anxurus, quaſi* ἄνευ ξυροῦ, id eſt, *ſine novaculâ; quia nondum barbam raſiſſet*. Videndus & Cornutus in libro de Cognominibus deorum: Ita equidem grammatici hi probè inter ſe conſentiant, contra quos

negare

negare haud auſim, Iovem Anxurum dictum fuiſſe; quandoquidem diſertè ſic eum adpellat poëta Virgilius; & in nummo antiquo legitur IOVIS AXVR: ubi N omiſſum eſt, ut in innumeris aliis paſſim inſcriptionibus antiquis reperimus exempla in aliis vocabulis: tum in Græco nummo eſt ΑΓΞΥΡΟΣ. at ita dictum fuiſſe Iovem Græcis hominibus, quaſi ἄνευ ξυροῦ, haud temerè iisdem crediderim grammaticis. primùm, quia uſitatiſſimum ipſis eſt, quod ſæpè jam antè obſervavimus, immania circa vocabulorum origines proferre nugamenta. tum, quòd in Græco ſermone privativæ voces, id eſt, quæ privandi vim habent, non à particulâ ἄνευ, ſed ab ſimplici α compoſitionem habent: quæ ſi primam literam habeant vocalem, interponitur ν, ut Latinis *d* in *redire, redimere, redintegrare*. quapropter Fulvius Vrſinus ubique apud auctores ſcribendum cenſebat pro Anxur Axur; quaſi Iovis cognomentum fuiſſet Ἄξυρος· niſi diſertis literis perſcriptum reperiſſet in antiquo lapide COLON. ANXVRN. cum quo convenit illud Græci nummi Ἄγξυρος. Itaque haud temerè ego cum Dauſqueio, noviſſimo Silii commentatore, nugatoriorum poſterioris ævi grammaticorum auctoritatem prætulerim auctoritati Plinii; qui Tarracinam opidum Volſcorum lingvâ Anxur dictum teſtatur. Apud Volſcos autem *Iovem puerum*, ut exhibetur in nummo, adpellatam fuiſſe Anxurem, Virgilio dictisque lapidis ac nummi inſcriptionibus facilè conceſſerim: niſi quis fortè ſuſpicetur, à Romanis, Græcæ originis gente, poſtquàm urbem *Anxur* de Volſcis ceperunt, talem Iovi habitum adfictum fuiſſe. namque *Feroniam* quoque deam à Græcis adpellatam vult Dionyſius; ut mox videbimus. à quibus urbem primùm dictam eſſe Τραχίνην, & mox Ταῤῥαχίνην, ac tandem Ταῤῥακίνην, ſuprà è Strabone ac Stephano cognovimus: nempe ἀπὸ τῆς τραχύτητος τοῦ τόπου, ab aſperitate loci, in quo condita erat, *ſcopuloſo* ac *præcipite vertice* montis *candidi*; in quo nunc quoque ingentes conſpiciuntur antiquæ fabricæ reliquiæ, figurâ quadratâ; quas plerique theatrum fuiſſe arbitrantur. Partem tamen urbis jam olim ſub monte in plano fuiſſe ſitam, ubi hodierna viſitur urbs, ex Livio diſco: qui ſuprà dicto lib. IIII, *Anxur*, inquit, *fuit quæ nunc Tarracinæ ſunt: urbs prona in paludes. Ab ea parte Fabius oppugnationem oſtendit. Circummiſſæ* IIII *cohortes quum imminentem urbi collem cepiſſent, ex loco altiore, quà nullum erat præſidium, ingenti clamore ac tumultu mœnia invaſêre. ad quem tumultum obſtupefacti, qui adversùs Fabium urbem infimam tuebantur, locum dedêre ſcalas admovendi.* Paullo pòſt: *Opidum vetere fortunâ opulentum tres exercitus diripuêre.* At lib. V; *In Volſcis*, inquit, *depopulato agro, Anxur nequidquàm oppugnatum, loco alto ſitum.* Per ſummam imperitiam, ex Plinio malè intellecto, *inſulam* quondam fuiſſe *Tarracinam*, tradiderunt Solinus cap. VIII & Martianus Capella lib. VI: quod ſuprâ ad *Circeiorum* expoſitionem oſtendimus. At in ſcopuloſo illo præcipitique vertice arx fuit urbis, & in eâ haud dubiè templum Iovis Anxuris. Tacitus Hiſtoriar. lib. III: *Tarracinam occupavêre; manibus ſituque magis, quàm ipſorum ingenio, tutam.* Poſteà: *Iisdem diebus Vitellius, poſitis apud Feroniam caſtris, excidio Tarracinæ imminebat: clauſis illic gladiatoribus remigibusque; qui non egredi mœnia, neque periculum in aperto audebant.* Mox: *Interim ad Vitellium ſervus Verginii Capitonis perfugit. pollicitusque, ſi præſidium acciperet, vacuam arcem furtim traditurum; multâ nocte cohorteis expeditas ſummis montium jugis ſuper caput hoſtium ſiſtit. inde miles ad cædem magis, quàm ad pugnam, decurrit.* De cætero coloniam hac olim Romanos deduxiſſe, præter ſuprà dictam inſcriptionem antiquam, Livius quoque teſtatur lib. VIII, in conſulatu L. Aemilii Mamercini & C. Plautii Deciani: qui fuêre anno urbis Romæ CCCCXXV; ante natum Ieſum anno CCCXXVI. *Eodem*, inquit, *anno Anxur trecenti in coloniam miſſi ſunt. bina jugera agri acceperunt.* Hinc lib. XXVII; *Colonos etiam maritimos*, inquit, *qui ſacroſanctam vacationem dicebantur habere, dare milites cogebant. quibus recuſantibus edixêre in diem certam, ut, quo quisque jure vacationem haberet, ad ſenatum deferret. Eâ die hi populi ad ſenatum venerunt: Oſtienſis, Allienſis, Antias, Anxurnas, Minturnenſis, Sinueſſanus.* Et lib. XXXVI: *In comparandâ impigrè claſſe C. Livium prætorem contentio orta cum colonis maritimis paulliſper tenuit. nam quum cogerentur in claſſem, tribunos plebis adpellarunt. ab iis ad ſenatum rejecti ſunt. ſenatus ita, ut ad unum conſentirent, decrevit; Vacationem rei navalis his colonis non eſſe. Oſtia & Fregenæ & Caſtrum novum & Pyrgi & Antium & Tarracina & Minturnæ & Sinueſſa fuerunt, quæ cum prætore de vacatione certaverunt.* Ergo ab *Anxure* opidani dicebantur ANXVRNATES.

quòd quum ſuprà dicta quoque teſtetur inſcriptio, minùs probanda ſunt ea Livii exemplaria, quæ habent præſcripto loco *Anxures*. Municipium quoque poſteà factum, auctor eſt Tacitus Hiſtoriar. lib. IIII. *Helvidius*, inquit, *Priſcus*, *regione Italiæ Septimâ*, *Tarracinæ municipio*, *Cluvio patre*. PORTVM etiam heic olim fuiſſe, cuius hodiéque in mari conſpicitur veſtigium, auctor eſt Livius ſuprà dicto lib. XXVII. *Tarracinæ*, inquit, *in mari*, ***haud procul portu***, *angves magnitudinis miræ*, *laſcivientium piſcium more exultaſſe*. Et Tacitus dicto Hiſtor. lib. III: *Excidio Tarracinæ imminebat: clauſis illic gladiatoribus remigibusque*. Paullo pòſt; captâ urbe: *Pauci gladiatorum reſiſtentes; neque multi cecidêre. cæteri ad naveis ruebant. Sex liburnicæ inter primum tumultum evasêre: in quîs præfectus claſſis Apollinaris. reliquas in litore captas, aut nimio ruentium onere preſſas, mare hauſit*. Et Iul. Capitolinus in Vitâ Antonini Pii inter alia eius opera publica *Tarracinenſis* etiam *portus* reſtitutionem commemorat.

Cæterùm Martialis verſus è lib. V epigr. I ſuprà citavimus iſtos:

Seu placet Aeneæ nutrix, ſeu filia Solis,
Sive ſalutiferis candidus Anxur aquis.

Et è lib. VI epigr. XLII:

Etruſci niſi thermulis laveris,
Illotus morieris, Oppiane.
Nullæ ſic tibi blandientur undæ:
Nec fontes Aponi, rudes puellis;
Non mollis Sinueſſa, fervidique
Fluctus Paſſeris, aut ſuperbus Anxur;
Non Phœbi vada, principesque Baiæ.

Omnibus iſtis locis, quorum nonnulla ſuprà in Venetiâ atque Etruriâ expoſuimus, reliqua verò infrà in Campaniâ explicabimus, *calidæ* fuêre *aquæ*. Ergo TARRACINENSES iſtæ quoque AQVAE *ſalutiferæ* haud dubiè eiusdem fuêre naturæ. At hodiè circa Tarracinam nullæ reperiuntur aquæ calidæ; niſi quarum fontes apud ipſam urbem, quà Fundos itur, inter viam & contiguum montem, penè exſtincti, odoratu tamen à transeuntibus percipiuntur. Vitruvius lib. VIII cap III: *Etiamque inveniuntur aquæ genera mortifera, quæ, per maleficum ſuccum terræ percurrentia, recipiunt in ſe vim venenatam: uti fuiſſe dicitur Tarracinæ fons, qui vocabatur Neptunius: ex quo qui biberant imprudentes, vitâ privabantur. quapropter antiqui eum obſtruxiſſe dicuntur*. NEPTVNIVS hic fons mortiferus an idem fuerit cum Martialis ſalutiferis aquis apud Tarracinam, perquàm ambiguum eſt. quidque *mortiferus* poterant eſſe potentibus; balneantibus tantùm ſalutiferus. Livio certè eiusdem fontis NEPTVNIAE dicuntùr AQVAE lib. XXXVIIII; ubi acta cenſvræ M. Porcii Catonis & L. Valerii Flacci recenſet. *Opera deinde facienda ex pecuniâ in eam rem decretâ, lacus ſternendos lapide detergendosque, quà opus eſſet, cloacas in Aventino & in aliis partibus, quà nondum erant, faciendas locaverunt. & ſeparatim Flaccus molem ad Neptunias aquas, ut iter populo eſſet, & viam per Formianum montem*. Mons hic inter Fundos eſt & Formias, quod opidum nunc *Mola* dicitur: quà hodiè quoque via Romana ſilice nigro ſtrata ad aliquot millia protenditur. Haud dubium igitur eodem regionis tractu & Neptunias iſtas fuiſſe aquas: nempe apud Tarracinam; ubi Neptunium fontem collocat Vitruvius. *Molam* autem iſthanc jecit Flaccus inter mare & prædictum montem, ex cuius imis radicibus oriebantur calidarum aquarum fontes, protinus in mare effluentes. namque tam propè mons ad mare accedit, uti transverſæ tantùm viæ ſpacium relinquatur.

LAVTVLAE, *locus.*

Eædem anguſtiæ quum paullo longiùs ſecundùm viam in adſcenſum usque montis protendantur, quà Fundos versùs antiquæ viæ Appiæ ingens etiam nunc tractus eſt; ſaltus hic antiquitus vocabatur LAVTVLAE. Livius lib. VII; ubi de Romani præſidii, quod Capuæ in Campaniâ locatum erat, ſeditione agit: *Cohors una quum haud procul Anxure eſſet, ad Lautulus ſaltu anguſto inter mare ac monteis conſedit; ad excipiendos, quos conſul aliis atque aliis cauſis mittebat*. Lib. VIIII: *Ad Lautulas ancipiti prælio dimicatum eſt. Ante eam pugnam ita dictator adfatur milites: Locis anguſtis deprehenſi, niſi quam victoriâ patefecerimus, viam nullam habemus*. Apud Diodorum lib. XVIIII in eâdem hiſtoriâ corruptum fuerit vocabulum Λαυςόλας, pro Λαυτόλας, ſi potiorem habeamus fidem Livii, quàm Diodori exemplaribus: in quibus ut res Romanæ ſtrictim ab-

ctim attinguntur, ſic pleraque propria gentium urbiumque nomina vitiata eſſe deprehenduntur. Livius iterum lib. XXII: *Eo fortè die Minucius ſe conjunxerat Fabio, miſſus ad firmandum præſidio ſaltum, qui ſuper Terracinam in arctas coactus fauceis, iminet mari: ne, immunito Appiæ limite, Pœnus pervenire in agrum Romanum poſſet.*

Sub ipſo monte, quà è Lautulis Fundos verſùs adſcenditur, ſpeluncæ hodiè viſuntur, apud quas olim fuit VILLA GALBAE imperatoris. Svetonius in Vitâ eius, cap. IIII: *Ser. Galba imperator M. Valerio Meſſallâ, Cn. Lentulo, conſulibus, natus eſt* VIIII *Kalend. Ianuarii, in villâ colli ſuppoſitâ, prope Tarracinam, ſiniſtrorſum Fundos petentibus.* VILLA GALBAE *imperatoris*

Porrò apud Martialem ſuprà dicto lib. X epigram. LI. hæc leguntur verba:

Quos, Fauſtine, dies, qualem tibi Roma Ravennam
Abſtulit! O ſoles! ô tunicata quies!
O nemus; ô fontes, ſolidumque madentis arenæ
Litus, & æquoreis ſplendidus Anxur aquis;
Et non unius ſpectator lectulus undæ:
Qui videt hinc puppeis fluminis, inde maris!
Sed nec Marcelli Pompeianumque, nec illic
Sunt triplices thermæ, nec fora juncta quater;
Nec Capitolini ſummum penetrale Tonantis;
Quæque nitent cœlo proxima templa ſuo,
Dicere te laſſum quoties ego credo Quirino,
Quæ tua ſunt, tibi habe: quæ mea redde mihi.

Ergo *villam* heic habuit Fauſtinus in litore, inter Vfentis lævam ripam urbemque Tarracinam & mare. At nomen eius proprium fuiſſe idem, quod clariſſimæ ad Padi oſtia urbi *Ravennæ*, minimè credibile eſt: ſed potiùs ſuſpicandum, quum vocabulum eius apud Martialem obſcuris literis eſſet perſcriptum, aut temporis injuriâ ac longo ſitu exoletum: in proximam ſimilitudinem reſtituiſſe imperitos omnis geographiæ exſcriptores. Quin dubium etiamnum manet, an proprium heic loci perſcripſerit vocabulum, an verò rem aliquam vulgarem atque communem nominaverit: quomodò etiam *dies* & *ſoles* & *tunicatam quietem* & *nemus* ac *fonteis ſolidum*que *litus* adpellavit.

At apud tertium, ab Tarracinâ lapidem, quà Romam itur, apud ipſam viam Appiam fuit FERONIAE LVCVS cum FONTE ac TEMPLO. Virgilius Aeneid. lib. VII:

——— *Queis Iupiter Anxurus arvis*
Præſidet & viridi gaudens Feronia luco.

Horatius Satyrâ V libri primi; ubi navigationem deſcribit, quæ juxta viam Appiam foſſâ fiebat à Foro Appii ad Feroniæ usque fontem; ut ſuprà recitavimus:

Ora manusque tuâ lavimus, Feronia, lymphâ.
Millia tum pranſi tria repimus; atque ſubimus
Impoſitum ſaxis latè candentibus Anxur.

Ad Virgilii verba ſic commentatur Servius: *Circa hunc tractum Campaniæ colebatur puer Iupiter, qui Anxuris dicebatur; & Iuno virgo, quæ Feronia dicebatur. Eſt autem fons juxta Tarracinam.* Addit hinc fabulam, credo, magis, quàm rem geſtam, his verbis: *Non vacat, quod addidit, Viridi. nam quum aliquando huius fontis lucus fortuito arſiſſet incendio; & vellent incolæ exinde transferre ſimulacra; ſubitò reviruit.* Vetera ad Horatium ſcholia ſic habent: *Fanum Feroniæ in tertio erat milliario à Tarracinâ.* Imò verò Feronia, Iovis Anxuris uxor, ibi colebatur: quemadmodùm Iupiter Anxur Tarracinæ. Milliaria quidem hæc perexigua ſunt: ut ferè omnia olim Romani habuêre circa celebriores urbeis. *Fons* ipſe Vibio inter *lacus* connumeratur. nimirum, quia copioſis aquis veluti in parvi ſtagni modum erumpit. tum aquæ etiam ſunt ſalſulæ & corrupti ſeu medicati ſaporis. De origine cultus huius divæ Feroniæ, ita ſcribit Dionyſius Halicarnaſſenſis lib. II: Ἔστι δέ τις καὶ ἄλλος ὑπὲρ τῶν Σαβίνων ἐν ἱστορίαις ἐπιχωρίοις λεγόμενος λόγος· ὡς Λακεδαιμονίων ἐποικησάντων αὐτοῖς, καθ' ὃν χρόνον ἐπιτροπεύων Εὔνομον, τὸν ἀδελφιδοῦν, Λυκοῦργος ἔθετο τῇ Σπάρτῃ τοὺς νόμους. ἀχθομένους γάρ τινας τῇ σκληρότητι τῆς νομοθεσίας, καὶ διαστάντας ἀπὸ τῶν ἑτέρων, οἴχεσθαι τὸ παράπαν ἐκ τῆς πόλεως. ἔπειτα διὰ πελάγους πολλοῦ φερομένους, εὔξασθαι τοῖς θεοῖς, (πόθον γάρ τινα ὑπελθεῖν αὐτοὺς

αὐτοὺς ὁποίας δήποτε γῆς·) εἰς ἣν ἂν ἔλθωσι πρώτην, ἐν αὐτῇ κατοικήσειν. καταχθέντας δὲ τῆς Ἰταλίας περὶ τὰ καλούμενα Πωμεντῖνα πεδία, τό τε χωρίον, ἐν ᾧ πρῶτον ὡρμίσαντο, Φερωνίαν ἀπὸ τῆς Πελαγίου φορήσεως ὀνομάσαι, καὶ θεᾶς ἱερὸν ἱδρύσασθαι Φερωνίας, ᾗ τὰς εὐχὰς ἔθεντο τὴν νῦν, ἑνὸς ἀλλαγῇ γράμματος, Φαρωνίαν καλοῦσιν. ἐκεῖθεν δ' ὁρμηθέντας αὐτῶν τινας, συνοίκους τοῖς Σαβίνοις γενέσθαι. Hoc eſt: *Sed & alia in domeſticis Sabinorum hiſtoriis exſtat narratio. Lacedæmoniorum ſcilicet eò veniſſe coloniam, quo tempore Lycurgus, tutor nepotis ſui ex fratre Eunomi, Spartanis leges condidit: quarum ſeveritatem pertæſos quosdam, ſeceſſione à cæteris factâ, urbem prorſus deſeruiſſe. deinde, enavigato longo maris tractu, qualiscumque terræ deſiderio, votum diis feciſſe; quocumque terrarum primùm adpellerent, id ſibi fore domicilium. quumque delati eſſent ad Pometinos Italiæ campos; locum, quò primùm adpulerant, vocaviſſe Feroniam; quod huc illuc per mare eos ferri contigerat. ædem quoque exſtruxiſſe divæ Feroniæ, cui vota fecerant: quam nunc, unicâ literâ immutatâ, Faroniam adpellant. Horum quosdam ex eo loco profectos, ſedeis cum Sabinis conjunxiſſe.* Quum nusquàm apud Latinos auctores nomen id per *a* ſcriptum reperiatur *Faronia*; ſed ubique per *e* longum; ut ſuprà vidimus in Virgilii Horatiique verſibus: omnino ego mihi perſvadeo, Dionyſium ſcripſiſſe Φηρωνίαν. Quod autem ait, ἀπὸ τοῦ φέρειν διὰ τοῦ πελάγους, id eſt, *à ferendo per mare*, dictam fuiſſe Græcis Φερωνίαν, id neſcio quàm probâ fide compertum habuerit; quando in Etruriâ quoque, non modò proximâ apud Tiberis ripam, ſed & ultimà inter Liſas & Macram, Feronia dea culta fuerit; ut in eius regionis deſcriptione adnotavimus. Ipſe Dionyſius lib. III, de illo loquens templo Feroniæ, quod haud ita procul Româ in Tiberis ripâ erat ſitum: Ἱερὸν ἐστὶ κοινῇ τιμώμενον ὑπὸ Σαβίνων τε καὶ Λατίνων, ἅγιον ἐν τοῖς πάνυ θεᾶς Φερωνίας ὀνομαζομένης· ἣν οἱ μεταφράζοντες εἰς τὴν Ἑλλάδα γλῶσσαν, οἱ μὲν Ἀνθηφόρον, οἱ δὲ Φιλοστέφανον οἱ δὲ Φερσεφόνην καλοῦσιν. Hoc eſt: *Fanum eſt, quod Sabinis æquè ac Latinis ſummâ religione colitur, ſacrum deæ Feroniæ: quam Græci in ſuam lingvam vertentes, alii* Ἀνθηφόρον, *alii* Φιλοστέφανον, *quidam* Φερσεφόνην *dicunt*. Id eſt: *Florigeram, Sartis gaudentem, & Proſerpinam.* Longè aliam numinis pariter ac nominis originem prodidit M. Varro. Apud Virgilium Aeneid. lib. VIII ſic ait Euander:

> *Qualis eram, quum primam aciem Præneſte ſub ipſâ*
> *Stravi; ſcutorumque incendi victor acervos:*
> *Et regem hac Herilum dextrâ ſub Tartara miſi;*
> *Naſcenti cui treis animas Feronia mater,*
> *(Horrendum dictu) dederat.*

Ad hæc ita Servius: *Ferônia mater. Nympha Campaniæ: quam etiam ſuprà diximus. Hæc etiam libertorum dea eſt: in cuius templo raſo capite pileum accipiebant. In huius templo Tarracinæ ſedile lapideum fuit, in quo hic verſus inciſus erat: Benemeriti ſervi ſedeant; ſurgant liberi. Quam* [malim, *Marcus*] *Varro libertatis deam dicit Feroniam; quaſi Fidoniam.* Meminêre præterea huius loci Plinius atque Tacitus. quorum hic ſuprà dicto Hiſtoriar. lib III, *Iisdem*, inquit, *diebus L. Vitellius, poſitis ad Feroniam caſtris, excidio Tarracinæ imminebat.* Plinius lib. II cap. LV: *In Italiâ inter Tarracinam & ædem Feroniæ turres belli temporibus deſiêre fieri; nullâ earum non fulmine dirutâ.* Interiit haud dubiè cognomentum *belli*, cuius temporibus deſierint fieri: vel Hannibalici, vel Marſici; vel alius cuiuspiam.

Atque hactenus omne Volſcum litus ab Antio ad Tarracinam usque expoſitum eſt. Mediterranea eiusdem gentis antequàm dicantur, inſulæ litori objacentes indicandæ erunt. De his ita Mela lib. II cap. VII: *At Pithecuſa, Leucothea, Aenaria, Sinonia, Capreæ, Prochyta, Pontiæ, Pandataria, Phytonia, Palmaria, Italico lateri* [malim, *litori*] *citra Tiberina oſtia objacent.* Et adverſo litore incedens Plinius, lib. III cap. V: *Vltra Tiberina oſtia in Antiano Aſtura: mox Palmaria, Sinonia, & adversùm Formias Pontiæ. in Puteolano autem ſinu Pandataria.* Plinii epitomator Martianus Capella lib. VI: *Vltra Tiberina oſtia, in Antiano Palmaria, Sinonia; & in Firmiano Pontiæ, Pandataria, Prochyta, Aenaria:* Has equidem inſulas auctores iſti pariter omnes parum curatè collegerunt, minusque rectè ſuis quamque adſcripſerunt litoribus; ut in reliquo huius operis contextu videbimus. Ex univerſis três Volſco objacent litori; ac maximè Circeio promontorio urbique Tarracinæ: Palmaria ſcilicet, Pontia, & Sinonia. PALMARIA vulgò hodiè vocatur *Palmaruola*; omnium maximè verſùs occidentem poſita. SINONIA eſt vulgò *Sanone*; in orientem verſùs Caietam ſita.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

ſita. In medio harum eſt PONTIA, omnium maxima, & antiquis auctorum monumentis celebratiſſima. Memoratur præterea Livio, Diodoro, Straboni, Svetonio, Ptolemæo, Euſebio, Paullo Diacono, Martyrologiis Romanis, & aliis. Sed Livio plurali numero dicitur PONTIAE *inſula*, & Plinio plures ſunt numero PONTIAE *inſulæ*. ſcilicet, quia complures ſunt; quarum maxima κατ᾽ ἐξοχὴν ſæpe adpellatur ſimpliciter Pontia. Plinius lib. XXXII cap. XI: *Adpellantur & pernæ concharum generis circa Pontias inſulas frequentiſſimæ.* M. Varro Ruſticar. rer. lib. III cap. V: *In inſulis propinquis, Pontiis, Palmariâ, Pandatariâ.* Itinerarium inſulare: *Inſulæ numero tres Pontiæ, à Tarracinâ ſtadia* CCC. Livius lib. VIIII ſub L. Papirio Curſore quintùm & C. Iunio Bubulco iterum conſulibus, anno urbis Romæ CCCCXLI, ante natum Ieſum CCCXII: *Sueſſa & Pontia eodem anno coloniæ deductæ ſunt. Volſci Pontias inſulam, ſitam in conſpectu litoris ſui incoluerant. Millia paſſuum fermè* XXX *ab litore abeſt.* Diodorus lib. XVIIII: Κατὰ τὴν Ἰταλίαν τῶν Ῥωμαίων ὁ δῆμος, κατὰ νοῦν τῶν πραγμάτων αὐτῷ προχωρούντων, ἀποικίαν ἀπέστειλεν εἰς τὴν νῆσον τὴν Ποντίαν καλουμένην. Id eſt: *In Italiâ populus Romanus, quum ſucceſſus votis reſponderet, coloniam in inſulam Pontiam miſit.* Svetonius in Tiberio, cap. LIIII: *Indicatos hoſteis fame necavit, Neronem in inſulâ Pontiâ, Druſum in imâ parte Palatii.* In C. Caligulâ, cap. XV: *Tiberio cum plurimis lacrymis pro concione laudato funeratoque ampliſſimè, confeſtim Pandateriam & Pontias, ad transferendos matris fratriſque cineres, feſtinavit.* Olympiadum auctor αἰώνυμος· Ὀλυμπ. σδ΄ ἔτει γ΄ Γάϊος τὰς ἰδίας ἀδελφὰς μοιχεύσας εἰς τὰς Ποντίας νήσους κατέθετο. Id eſt: *Olympiadis* CCIIII *anno* III *Caius ſorores ſuas ab ſe conſtupratas in Pontias inſulas amovit.* Strabo lib. II: Νῆσοι δ᾽ εἰσὶν ἐν τῇ παραλίᾳ τῇ κατὰ τὸ Τυῤῥηνικὸν πέλαγος μέχρι τῆς Λιγυστικῆς συχναί· μέγισται δὲ Σαρδὼ καὶ Κύρνος μετά γε τὴν Σικελίαν· πολὺ δὲ τούτων λειπόμεναι, πελάγιαι μὲν, Πανδατερία καὶ Ποντία, πρόσγειοι δὲ, Αἰθαλία καὶ Πλανασία. Id eſt: *Inſulæ verò ſunt in orâ Etruſci maris ad Liguſticum uſque crebræ: in quibus Sardinia & Corſicâ maximæ ſunt ſecundùm Siciliam. his multo minores ſunt; in alto mari Pandataria & Pontia; propiùs continentem Aethalia & Planaſia.* Et lib. V: τῶν δὲ Σπηλαίων ἐν ὄψει μάλιστα πρόκεινται δύο νῆσοι πελάγιαι, Πανδατερία τε καὶ Ποντία, μικραὶ μὲν, οἰκούμεναι δὲ καλῶς, οὐ πολὺ ἀπ᾽ ἀλλήλων διέχουσαι, τῆς ἠπείρου δὲ ν΄ ἐπὶ σ΄. Hoc eſt: *In conſpectu Speluncarum maximè ſunt in alto pelago duæ inſulæ, Pandataria & Pontia; parvæ quidem, ſed benè cultæ, haud procul ſibi invicem disjunctæ; à continente verò ſtadia* CCL. Id eſt: *Millia paſſuum* XXXI *cum ſtadiis* II. Euſebius Chronicor. lib. II: Πολλοὶ Χριστιανῶν ἐμαρτύρησαν κατὰ Δομετιανὸν, ὡς ὁ Βρέττιος ἱστορεῖ· ἐν οἷς καὶ Φλαβία Δομετίλλα, ἐξαδελφὴ Κλήμεντος Φλαβίου ὑπατικοῦ, ὡς Χριστιανὴ εἰς νῆσον Ποντίαν φυγαδεύεται. Hæc ita vertit divus Hieronymus: *Scribit Brutius, plurimos Chriſtianorum ſub Domitiano feciſſe martyrium: inter quos & Flaviam Domitillam, Flavii Clementis conſulis ex ſorore neptem, in inſulam Pontiam relegatam, quia ſe Chriſtianam teſtata ſit.* Idem atteſtantur omnia Martyrologia antiqua; & item Monachus Altiſſiodorenſis in Chronico. apud quem tamen vulgata exemplaria corrupto vocabulo habent *Pontianam inſulam.* At Dio lib. LXVII, ut habent Ioan. Xiphilini excerptæ hiſtoriæ, & item prædictus Olympiadum auctor, in *Pandatariam* relegatam Domitillam adfirmant; ut infrà ſuo loco videbimus.

CAP. VIII.

De VOLSCORVM *opidis, aliiſque locis mediterraneis.*

LItore VOLSCORVM inſuliſque ei objacentibus hactenus explicatis, interiora nunc quoque obeamus; facto eorum initio ab Latinorum finibus.

Proximum igitur trans Albanum montem, in huius radicibus, erat *opidum* VELITRAE; quod nobile hodiè quoque, vulgò Velitri, Belitri, & Belletri dicitur. Memoratur Livio, Dionyſio, Silio, Svetonio, Dioni, ac Zonaræ. Opidani inde

ſunt Plutarcho in Marcio Coriolano οὐελιτρανοὶ *Velitrani*. at Diodoro lib. XIIII οὐελιτρῖνοι· atque ita Svetonio in Auguſto VELITRINI. cap. I: *Gentem Octaviam Velitris præcipuam olim fuiſſe, multa declarant.* Et cap. XCIIII: *Velitris antiquitus tactâ de cœlo parte muri, reſponſum eſt; Eius opidi civem quandoque rerum potiturum. qua fiduciâ Velitrini & tunc ſtatim & poſteà ſæpiùs penè ad exitium ſui cum populo Romano belligeraverunt. ſerò tandem documentis adparuit, oſtentum illud Auguſti potentiam portendiſſe.* Sed ſicuti in numero collectivo trini promiſcuè etiam dicuntur terni; ita Velitrini quoque plerisque auctoribus Latinis adpellati ſunt VELITERNI. Plinius lib. III cap. V: *Tuſculani, Verulani, Veliterni, Vlubrenſes.* Valer. Maximus lib. VIIII cap. X: *M. Flavius, tribunus plebis, ad populum de Tuſculanis retulit; quòd eorum conſilio Veliternos Privernateisque rebellaturos diceret.* Plinius lib. XIIII cap. VI: *Veliternina Privernatiaque vina.* Atque ita Livio lib. VI ſunt *Veliterni coloni*: & lib. II *Veliternus ager*; lib. XXXII *Veliterni legati*. At Stephani epitomatori neſcio qua analogiâ ſint Βελιτρανοὶ, *Velitriani*. Βέλιτρα, inquit, πόλις Ἰταλίας, οὐ Ῥώμης ἀπωτέρω, ὥς φησι Φλέγων, ὀλυμπιάσιν ἑκατὸν ἑβδομήκοντα τέσσαρσι. τὸ ἐθνικὸν Βελιτρανὸς, τῷ ἔθει τῆς χώρας. Id eſt: *Velitra, opidum Italiæ, haud procul Româ, ut ait Phlegon, Olympiadibus* CLXXIIII. *Gentilitium inde Velitrianus more eius regionis.* Inepta ſanè oratio; atque haud dubiè ab exſcriptoribus depravata; quum eſſet ſcriptum ab Stephano: Βελίτρα, πόλις Ἰταλίας, Ῥώμης οὐ ἀπωτέρω, ὥς φησι Φλέγων ἐν Ὀλυμπιάσιν, ἢ ἑκατὸν ἑβδομήκοντα τέσσαρσι σταδίοις. Id eſt: *Velitra, opidum Italiæ, à Româ haud ampliùs, ut ait Phlegon in Olympiadibus, ſtadiis* CLXXIIII *diſtans.* Id eſt, computatione eius ævi, *millibus paſſuum* XXIII *cum ſesqui ſtadio.* Millia ipſe ego deprehendi hoc intervallo XXIIII. Tam fœdè igitur quam oratio iſthæc corrupta ſit; nihil cauſæ eſſe puto, cur credam, ſatis ſana eſſe reliqua iſta duo vocabula Βελίτρα & Βελιτρανός. pro quibus ſcripſiſſe potuerit Stephanus, Βελίτραι & Βελιτρῖνος, *Velitræ*, ac *Velitrinus*. Certè omnibus aliis auctoribus plurali dicitur opidum numero. Livius lib. VI: *Circeienſium quidam & coloni etiam à Velitris.* Idque mox poſteà repetitur. Item: *Colonis Circeienſibus & à Velitris.* Et poſteà: *Præter Circeios & Velitras.* Iterum: *Velitras legiones duxêre.* Et: *Ad Velitras pugnatum eſt.* Et deinde: *Velitras exercitus ductus. eæque quoque expugnatæ.* Poſteà: *Obſidebantur Velitræ.* Et mox: *Velitris in exercitu plebis magnam partem abeſſe.* Atque iterum: *Velitras obſidebat.* Et fine libri: *Velitrarum obſidio.* Lib. VIII: *Speciem antiquæ frequentiæ Velitræ receperunt.* Dionyſium mox videbimus. Dio lib. XLV, & ex eo Zonara Annal. lib. II, in Octavio Auguſto: ὁ γὰρ Γάϊος ὁ Ὀκταούϊος ἦν ἐκ Οὐελιτρῶν τῶν Οὐολσκίδων. id eſt: *C. Octavius Velitris, Volſcorum opido, oriundus erat.* Volſcorum fuiſſe opidum, locupletiſſimus præterea teſtis eſt Livius lib. II. *Volſcis*, inquit, *devictis Veliternus ager ademptus eſt.* Et item Dionyſius lib. III, his verbis: Ἐγένετο γὰρ καὶ πρὸς τὸ τῶν Οὐολούσκων ἔθνος τῷ Μαρκίῳ πόλεμος. καὶ στρατεύσας ἐπ' αὐτοὺς μεγάλῃ δυνάμει, πολλὴν περιεβάλετο λείαν. πόλει τε αὐτῶν Οὐελίτραις προσκαθεζόμενος, ἀποταφρεύει καὶ περιχαρακοῖ, καὶ τειχομαχίαν συνίστατο τὴν ὑπαίθρους λαβών. Hoc eſt: *Nec à Volſcis pacata fuerunt omnia Marcio. quos cum exercitu alacriter adortus, magnam reportavit prædam: & urbe illorum Velitris obſeſſâ, foſſisque ac valle cinctâ, occupatis ſub dio campis, ad murorum oppugnationem ſe adcinxit.* Atque hæc vetuſtiſſima eſt Velitrarum mentio, ſub Anco Marcio rege; id eſt, ante natum Ieſum anno circiter IↃCXX. Coloniam fuiſſe eò deductam, auctor eſt Livius dicto lib. II: *Volſcis*, inquit, *devictis Veliternus ager ademptus eſt: Velitras coloni ab Vrbe miſſi; & colonia deducta.* Nempe, *A. Virginio & T. Vetuſtio conſulibus*: anno ab urbe Româ CCLX; ante natum Chriſtum CCCCXCIII. Idem teſtatur & Dionyſius lib. VI: Ὁ μὲν οὖν Οὐολούσκων, inquit, πόλεμος ταχεῖαν τὴν κρίσιν ἔλαβε. καὶ ὅτε χάραξ αὐτῶν ἑάλω, καὶ πόλις ἐπιφανὴς ἐκ πολιορκίας παρέστη. Οὐελίτραι ἦν ὄνομα αὐτῇ. * · * · Οὐαλέριος δὲ ὁ δικτάτωρ εἰς τὴν δορίκτητον, ἣν Οὐολούσκους ἀφείλοντο, κληρούχους ἀπέστειλεν, ἐπιλέξας ἄνδρας ἐκ τῶν ἀπόρων, οἳ τὴν πολεμίαν φρουρήσειν ἔμελλον. Id eſt: *Cum Volſcis citò debellatum eſt. ſimul caſtra vi capta, Velitræque obſidione domitæ, nobile gentis opidum.* Paullo pòſt: *Valerius autem dictator in agrum de Volſcis captum colonos miſit, delectos ex egenâ multitudine; præſidium contra hoſtem.* Eam coloniam, biennio pòſt peſtilentiâ exinanitam, auxêre Romani. Livius eodem libro poſteà: *Incommodo bello in tam arctis commeatibus vexati forent, ni Volſcos, jam moventeis arma, peſtilentia ingens invaſiſſet. Eâ clade conterritis hoſtium animis, ut etiam, ubi ea remiſiſſet, terrore aliquo tenerentur, Velitros auxêre numerum colonorum*

norum Romani. Eamdem peſtilentiam coloniæque auctionem memorat Dionyſius lib. VII: ubi etiam magnitudinem urbis & incolarum frequentiam adnotavit. Τοσοῦτος γάρ τις, inquit, ἄφνω εἰς τὰς πόλεις τῶν Οὐολούσκων φθόρος ἐνέσκηψεν, ὅσος ἐν οὐδενὶ ἄλλῳ τόπῳ μνημονεύεται γενόμενος, οὔτε βαρβάρου γῆς, οὔθ' Ἑλλάδος, πᾶσαν ἡλικίαν καὶ τύχην καὶ φύσιν ἐρρωμένων τε καὶ ἀσθενῶν σωμάτων ὁμοίως διεργαζόμενος. ἐδήλωσε δὲ τὴν ὑπερβολὴν τῆς συμφορᾶς ἡ πόλις ἐπιφανὴς τῶν Οὐολούσκων (Οὐελίτραι ὄνομα αὐτῇ) μεγάλη τε καὶ πολυάνθρωπος οὖσα πως· ἧς ὁ λοιμὸς μίαν ὑπελείπετο μοῖραν ἐκ τῶν δέκα, τὰς δὲ ἄλλας ὑπολαβὼν ἀπήνεγκε. καὶ τελευτῶντες οὖν, ὅσοι περιῆσαν ἐκ τῆς συμφορᾶς, πρεσβευσάμενοι, Ῥωμαίοις ἔφρασαν τὴν ἐρημίαν καὶ παρέδοσαν τὴν πόλιν. ἔτυχον δὲ καὶ πρότερον ἐποίκους ἐκ τῆς Ῥώμης εἰληφότες· ἀφ' ἧς αἰτίας καὶ τὸ δεύτερον αὖ κληρούχους παρ' αὐτῶν ᾔτουν. Hoc eſt: *Tantà namque repentè Volſcos invaſit peſtilentia, quanta nullibi nec apud Græcos nec apud Barbaros fuiſſe memoratur; nulli parcens ætati, nulli condicioni, nulli ſexui; ſive in debileis incideret, ſeu in validos. cuius cladis magnitudo ſatis liquère poteſt ex nobili eius gentis urbe Velitris: quæ magna priùs ac populoſa, ſic tum exhauſta eſt, ut decima tantùm pars incolarum reliqua manſerit; cæteris omnibus exſtinctis. quare tandem, qui huic calamitati ſuperfuère, legatis miſſis, deſolationem patriæ conqueſti, ſe & ſua dederunt in poteſtatem populi Romani. nam & antè colonos acceperant à Româ. ideòque tunc iterum novos ſubmitti in vacanteis agros poſtulabant.* Livius lib. VIII, in conſulatu L. Furii Camilli iterum & C. Mænii Nepotis, anno urbis Romæ CCCCXVI, ita ſcribit: *In Veliternos, veteres civeis Romanos, quòd toties rebellaſſent, graviter ſævitum. & muri dejecti & ſenatus inde abductus. juſſique trans Tiberim habitare: ut eius, qui cis Tiberim deprehenſus eſſet, usque ad mille pondo clarigatio eſſet. nec priùs, quàm ære perſoluto, is, qui cepiſſet, extra vincula captum haberet. In agrum ſenatorum coloni miſſi. quibus adſcriptis, ſpeciem antiquæ frequentiæ Velitræ receperunt.*

Proxima hinc verſùs ortum Solis æſtivi eſt CORA *opidum*; hodiéque idem nomen ſervans: ſed caſtellum haud perinde magnum. Memoratur Virgilio, Propertio, Livio, Dionyſio, Straboni, Silio, Lucano, Solino, Martiano. Strabo lib. V: Ἐν δεξιᾷ δὲ τῆς Λατίνης ὁδοῦ πόλεις εἰσὶν, αἱ μεταξὺ ταύτης καὶ τῆς Ἀππίας, Σητία τε καὶ Σιγνία· πρὸ δὲ ταύτης ἐστὶ Πρίβερνον καὶ Κόρα. Id eſt: *Ad dextrum via Latinæ latus, inter hanc & Appiam urbes ſunt, Setia & Signia: ante hanc autem Privernum, & Cora.* De *Priverno* id longè falſiſſimum: de *Corâ* verum. Soram, Volſcorum itidem opidum, quibusdam adpellatum fuiſſe per diphthongum *Sauram*, ut Claudius ac Plautius dicebantur etiam Clodius & Plotius; ad finem huius capitis videbimus. Ad eumdem igitur modum Coram quoque nonnullis dictum fuiſſe *Cauram*, Iul. Obſequens teſtis eſt in libro de Prodigiis. *Ap. Claudio*, inquit, *P. Metello conſulibus Cauræ ſanguinis rivi è terrâ fluxerunt.* Opidani inde ſunt Plinio lib. III cap. V CORANI. *Corani*, inquit, *à Dardano Troiano orti*. Hunc opidi conditorem epitomatores quoque Plinii citarant, Solinus atque Martianus. quorum hic lib. VI, *Coram*, inquit, *condidit Dardanus*. Solinus cap. VIII: *Quis ignorat, conditam Coram à Dardanis*. Omnino hoc mendoſum, à vero Dardano. nam non à Dardanorum gente, quæ incoluit ſuprà Macedoniam, ſed à *Dardano*, viro *Troiano*, conditam *Coram* voluit Plinius. Virgilii verſus Aeneid. lib. VII ſunt iſti:

Tum gemini fratres Tiburtia mœnia linquunt,
Fratris Tiburti dictam cognomine gentem,
Catillusque acerque Coras, Argiva juventus.

Ad hæc ita Servius: *De Græciâ tres fratres venerunt ad Italiam, Catillus, Coras, Tiburtus vel Tiburnus. hi ſimul omnes unam fecère civitatem; & eam de fratris maioris nomine Tibur adpellaverunt: licèt & alias fecerint ſinguli. Coras, à cuius nomine civitas in Italiâ.* Ergo non à Troiano Dardano, ſed ab Græco Corâ conditum fuit hoc opidum. Longè tamen aliter ipſe ſenſit poëta Virgilius; dum Aeneid. lib. VI Anchiſen fingit, apud inferos filium Aeneam de poſteris eius, Latinorum ſive Albanorum regibus, edocentem, his verbis:

Hi tibi Nomentum & Gabios urbemque Fidenam,
Hi Collatinas imponent montibusque arceis;
Pometios Caſtrumque Inui Bolamque Coramque.
Hæc tum nomina erunt; nunc ſunt ſine nomine terræ.

Tibur equidem à Græcis erat conditum; ſcilicet Pelaſgis; duce Catillo, præfecto claſſis Euandri, Pelaſgorum ſimul & Aboriginum, poſtquàm in novum Latinorum nomen coivêre, regis; ut ſuprà cap. IIII demonſtratum. qua ratione *Cora* etiam ab iisdem Pelaſgis & Aboriginibus condita videri poſſit: utique, quia Dionyſius quoque diſertis verbis Latinorum nomini eam adſcribit lib. III, res Talli regis exſequens. Αἱ δὲ τῶν Λατίνων, inquit, πόλεις Ῥωμαίοις ἐγένοντο τότε πρῶτον διάφοροι, οὐκ ἀξιοῦσαι κατεσκαμμένης τῆς Ἀλβανῶν πόλεως τοῖς ἀνῃρηκόσιν αὐτὴν Ῥωμαίοις τὴν ἡγεμονίαν παραδοῦναι. * — * . Καὶ αὐτίκα αἱροῦνται δύο στρατηγοὺς, αὐτοκράτορας εἰρήνης τε καὶ πολέμου, Ἄγκον Πουπλίκιον ἐκ πόλεως Κόρας, καὶ Σπούσιον Οὐεκίλιον ἐκ Λαουϊνίου. Id eſt: *Latinæ urbes tum primùm à Romanis diſſidere ceperunt: quòd, Albâ dirutâ, everſoribus eius Romanis imperium tradere recuſarent*. Paullo pòſt: *Moxque duos imperatores eligunt; penes quos ſit pacis bellique arbitrium; Ancum Publicium Coranum, & Spuſium Vecilium Lavinienſem.* At graviſſimus Romanarum rerum auctor, T. Livius, diſertis itidem verbis, contra Virgilii Dionyſiique ſententiam, extra Latinorum fineis *Coram* Volſcis adſcribit, lib. II. *Hac*, inquit, *irâ conſules in Volſcum agrum legiones duxêre. Volſcos, conſilii pœnam non metuenteis, nec opinata res perculit. Armorum immemores, obſides dant* CCC, *principum à Corâ atque Pometiâ liberos*. Ac ſanè, ſitum Coræ quod attinet, magis is Volſcorum, quàm Latinorum, finibus convenit; ut qui etiam Velitris interior eſt, remotiorque ab Româ, & aliis Latii opidis. Verum Virgilius *Pometiam* quoque eidem *Latio antiquo* adſignat; quam Volſcorum fuiſſe, antequàm *Latii* nomen fineſque ad Circæum usque promontorium prolati fuerint, ſatis gravibus firmisque oſtendi poteſt documentis; ut mox infrà videbimus. Nihil igitur ſit mirum, *Coram* eum etiam Latio tribuiſſe, quæ fuit Volſcorum. Coloniam huc fuiſſe deductam Romanorum, tradit eodem lib. II Livius anteà. *Eodem*, inquit, *anno duæ coloniæ Latinæ, Pometia & Cora, ad Auruncos deficiunt*. Quando colonia deducta fuerit, nusquàm reperio. credibile tamen eſt, deductam fuiſſe circa idem tempus, quo Pometia; quam Tarquinius Superbus de Volſcis primus cepit. Livius lib. I: *Is primus Volſcis bellum in ducentos ampliùs poſt ſuam ætatem annos movit; Sueſſamque Pometiam ex his vi cepit*. Inter municipia poſteà numeratur *Cora* eidem Livio lib. XXVI; ubi mendoſus locus ita legitur: *Q. Fulvius, quum Hannibalem Latinâ viâ iturum ſatis comperiſſet; ipſe per Appiæ municipia, quæque propter eam viam ſunt, Setiam, Soram, Lavinium, præmiſit, ut commeatus paratos & in urbibus haberent, & ex agris deviis in viam proferrent*. Quum Sora, ad Lirim amnem poſita, longiùs non tantùm ab Appiâ, ſed & ultra Latinam in ſeptemtriones verſùs ſita ſit; Lavinium verò fuerit prope mare; legendum eſſe, *Setiam, Coram, Lanuvium*, ſuprà cap. IIII in deſcriptione Lanuvii docui. De cætero, jam inde ſub primis Romanorum imperatoribus deſolatum fuiſſe opidum, teſtis eſt Propertius lib. IIII eleg. XI his verſibus:

Coſſus at inſequitur Veientis cæde Tolumni;
Vincere quum Veios poſſe laboris erat.
Necdum ultra Tiberim belli ſonus: ultima præda
Nomentum & captæ jugera terna Coræ.
Et Veii veteres & Volſcûm regna fuiſtis:
Et veſtro poſita eſt aurea ſella foro.
Nunc intra muros paſtoris buccina lenti
Cantat; & in veſtris oſſibus arva metunt.

Hinc etiam Lucanus lib. VII: ———

Fabula nomen erit. Gabios Veiosque Coramque
Pulvere vix tectæ poterunt monſtrare ruinæ.

Commemorat eam & Silius lib. VIII inter alias Volſcorum urbeis:

At quos ipſius menſis ſepoſta Lyæi
Setia, & incelebri miſerunt valle Velitræ;
Quos Cora, quos ſpumans inimico Signia muſto.

Porrò ultra Coram, verſùs Signiam euntibus, erat NORBA *opidum*; quod vulgò nunc incolis dicitur *Norma* & *Norme*, Memoratur Livio, Dionyſio, & Appiano. Sed & hoc Dionyſius Latino nomini adſcribit lib. VII. Οὗτός τε δὴ ὁ στόλος ὑπὸ τῆς ἀνάγκης εἰς Οὐελίτρας καταληφθεὶς ἀπεστάλη· καὶ ἕτερος αὖθις, οὐ πολλαῖς ἡμέραις ὕστερον, εἰς

Νώρβαν πόλιν, ἣ ἐστὶ τοῦ Λατίνων ἔθνους οὐκ ἀφανής. Id eſt: *Hæc itaque ſatis magna manus neceſſum habuit Velitras migrare. nec multis diebus pòſt alia Norbam; quæ Latini nominis eſt urbs haud ignobilis.* Verùm de ſuo ſæculo, quo *Latii* finis ad Lirim usque jam dudum prolatus eſſet, videtur loqui Dionyſius. utitur quidpe inſtantis temporis verbo ἐστί· tum addit, πόλις οὐκ ἀφανής· quum è diverſo Livius lib. I, in eâdem hiſtoriâ, *arcem*, fuiſſe teſtetur *Volſcorum, in Pomptino agro*. Verba eius hæc ſunt: *Incommodo bello in tam arctis commeatibus vexati forent, ni Volſcos, jam moventeis arma, peſtilentia ingens invaſiſſet. eâ clade conterritis hoſtium animis, ut etiam, ubi ea remiſiſſet, terrore aliquo tenerentur; & Velitris auxère numerum colonorum Romanorum, & Norbæ in monteis novam coloniam* (quæ arx in Pomptino eſt) *miſerunt*. Factum hoc T. Geganio & P. Minucio conſulibus; anno urbis Romæ CCLXII; ante natum Ieſum CCCCXCI. Hinc idem Livius poſteà, fine libri VII: *Præter Latinorum infidum jam diu fœdus, Privernates etiam Norbam atque Setiam, finitimas colonias Romanas, incurſione ſubitâ depopulati ſunt*. Item lib. VIII: *Eodem anno Privernas bellum initum: cuius ſocii Fundani, dux etiam Fundanus fuit, Vitruvius Vaccus. adversùs hunc, vaſtantem effusè Setinum Norbanumque & Coranum agrum, L. Papirius profectus*. Meminit eius poſteà Livius lib. XXXII, his verbis: *Petentibus Carthaginienſibus, qui non reddebantur obſides, ut ab Norbâ, ubi parum commodè eſſent, aliò traducerentur concessum, ut Signiam & Ferentinum transirent*. Cæterùm opidani inde dicuntur Livio lib. VIII & XXVII, item Plinio lib. III cap. V, NORBANI. Apud Dionyſium lib. V, inter alios Latini nominis populos, etiam Μωρεανῶν fit mentio. verùm id vocabulum corrigendum eſſe Νωρβανῶν, jam ante me docuêre alii. Plinio dicto cap. V poſteà, præter jam dictos *Norbanos*, etiam *Norbe* narratur opidum inter eos populos, quos tum jam interiiſſe ait ſine veſtigiis. Equidem haud dubitaverim, quin eadem fuerit *Norba*, ſeu, Græcâ formatione, Norbe, cuius opidanos ibidem recenſet Norbanos. id quidpe aliàs quoque Plinio uſurpatum eſſe, uti bis unum eumdemque populum ſeu locum commemoraverit, infrà in Apuliâ maximè atque Calabriâ videbimus. In ruinis autem Plinii ætate jacuiſſe *Norbam*, fidem facit Appianus Civil. bellor. lib. I, his verbis: Νώρβα ἡ πόλις ἀντεῖχεν ἔτι ἐγκρατῶς, ἕως τε Αἰμιλίου Λεπίδου νυκτὸς ἐς αὐτὴν ἐκ προδοσίας ἐσελθόντος, διαγανακτήσαντες οἱ ἔνδον ἐπὶ τῇ προδοσίᾳ οἱ μὲν ἑαυτοὺς ἀνῄρουν, οἱ δ' ἀλλήλους ἑκόντες, οἱ δὲ βρόχοις συνεπλέκοντο, καὶ τὰς θύρας ἐνέφραττον ἕτεροι, καὶ ἐνεπίμπρασαν· ἄνεμός τε πολὺς ἐμπεσὼν, ἐς τοσοῦτον αὐτὴν ἐδαπάνησεν, ὡς μηδὲν ἐκ τῆς πόλεως λάφυρον γενέσθαι. καὶ οἵδε μὲν οὕτως ἐγκρατῶς ἀπέθανον. Hoc eſt: *Norba nihilo minùs reſiſtebat totis viribus. donec Aemilio Lepido noctu per proditionem intromiſſo, indignabundi opidani, pars ſuâmet manu, pars mutuis vulneribus ceciderunt; alii præfocarunt ſe laqueis; aut, obturatis foribus, ignem tectis ſubdiderunt. quorum conatum fortuitus ventus adjuvit in tantum, ut præda omnis abſumpta ſit incendio*. Factum hoc refert Appianus in conſulatu C. Marii Iunioris & Cn. Papirii Carbonis tertiùm; qui fuit annus poſt Romam conditam IↃCLXXXI; ante natum Ieſum LXXXII.

Vltra Normam ergo verſùs orientem eſt SIGNIA, vulgò nunc *Segni* dicta. Memoratur Plauto, Livio, Dionyſio, Columellæ, Straboni, Plinio, Silio, Martiali, Plutarcho, Frontino, Stephani epitomatori. Plautus in Captivis:

> HEG. *Iam diu?* ERG. Νὴ τὰν Πραινεστόν. HEG. *Venit?* ERG. Νὴ τὰν Σιγνίαν.
> HEG. *Certon'?* ERG. Νὴ τὸν Φρουσινῶνα. HEG. *Videſis*. ERG. Νὴ τὸν Ἀλάτριον.
> HEG. *Quid tu per barbaricas urbeis juras?*

Columella lib. X:

> *Quæ pariunt veteres ceſpoſo litore Cumæ;*
> *Quæ Marrucini, quæ Signia monte Lepino.*

Silius lib. VIII:

> *Et quos ipſius menſis ſepoſta Lyæi*
> *Setia, & incelebri miſerunt valle Velitræ;*
> *Quos Cora, quos ſpumans inimico Signia muſto.*

Apud Stephani epitomatorem ita ſcriptum: Σίγνινα, πόλις Ἰταλίας, ὡς Στράβων τρίτῃ. τὸ ἐθνικὸν Σιγνῖνος. Id eſt: *Signina, urbs Italiæ; auctore Strabone in lib.* III. *gentilitium inde Signinus*. Omnino ſcriptum erat ab Stephano; Σιγνία πόλις Ἰταλίας· ὡς Στράβων πέμπτῃ. Id eſt: *Signia, urbs Italiæ; auctore Strabone in lib.* V. SIGNINI opidani cùm aliis tùm Plinio etiam dicuntur lib. III cap. V. Dionyſii exemplaria habent lib. IIII Σιγναίαν.

at rectiùs lib. v Σίγνιαν. Originem eius tradit Dionyſius dicto lib. IIII his verbis: ταῦτα διαπραξάμενος ἐν εἰρήνῃ τε καὶ κατὰ πολέμους ὁ Ταρκύνιος, πόλιν ἀπῴκισε τὴν καλουμένην Σίγνιαν, οὐ κατὰ προαίρεσιν, ἀλλ' ἐκ τοῦ αὐτομάτου, χειμασάντων ἐν τῷ πεδίῳ τῶν στρατιωτῶν, καὶ κατασκευασαμένων τὸ στρατόπεδον, ὡς μηδὲν διαφέρειν πόλεως. Id eſt: *His pace belloque geſtis, coloniam Tarquinius deduxit Signiam: haud equidem conſultâ operâ; ſed caſu fortuito: quum in eo campo milites hibernantes caſtra ita communiſſent, uti nihil ab opido differrent.* Igitur à ſignis, quæ illic in caſtris fixerant Romani milites, nomen opidum accepit. De eodem Tarquinio ita ſcribit Livius lib. I: *His laboribus exercitâ plebe, quia & Vrbi multitudinem, ubi uſus non eſſet, oneri rebatur eſſe; & colonis mittendis occupare latiùs imperii fineis volebat; Signiam Circeiosque colonos miſit; præſidia Vrbi futura terrâ marique.* Miſit, poſtquàm interiectis campis nobiliſſimam Volſcorum urbem Sueſſam Pometiam cepiſſet; ut ipſe paullo antè auctor eſt Livius. At lib. II, *Ap. Claudius*, inquit, *& P. Servilius conſules facti.* Mox: *Eodem anno Signia colonia, quam rex Tarquinius deduxerat, ſuppleto numero colonorum iterum deducta eſt.* Annus hic erat ab Româ conditâ CCLVIIII. Apud Dionyſium lib. v, in conſulatu P. Valerii Poplicolæ iterum & T. Lucretii, anno Vrbis CCXLVI, ita ſcriptum eſt: καὶ εἰς χωρίον Συγκήριον καλούμενον, Ῥωμαίων ἀπεστάλη στρατιὰ, διὰ φυλακῆς ἕξουσα τὸ φρούριον ἐπὶ τῶν Λατίνων τε καὶ Ἑρνίκων πόλεσι κείμενον, ὅθεν τὸν πόλεμον προσεδέχοντο. Id eſt: *Syncerium quoque milites miſſi, eius loci præſidio: quòd opportunè Latinorum Hernicorumque opidis immineret; unde bellum exſpectabatur eo tempore.* Apud Plutarchum in vitâ Poplicolæ, eâdem hiſtoriâ, locus hic nominatur Σιγλιουρία, *Sigliuriâ.* at horum neutrum aliàs lectum. ideóque plerique commentatorum hactenus maluerunt legere Σιγνίαν. quod equidem haud abſurdum: quando præſidium haud facilè Hernicis ſimul & Latinis imponi potuit, niſi Latium heic intelligas, cuius fineis Tarquinius Superbus paullo antè ad Circæum usque montem, protulerat. Verùm tamen haud immeritò quis miretur, Dionyſium ea caſtra adpellare χωρίον· quum ipſe præcedenti libro teſtetur, ἀποικίαν, coloniam factam fuiſſe Signiam ab dicto Tarquinio. Cur enim non dixiſſet, additos fuiſſe colonis eis & alios milites, ad firmandum præſidium? Cæterùm meminit Signiæ coloniæ Frontinus quoque in libro de Coloniis. *Signia*, inquit, *muro ducta colonia, à militibus & triumviris munita.* Apud Livium lib. VIII, in vulgatis exemplaribus hæc leguntur: *P. Plautio Proculo & P. Cornelio Scapulâ conſulibus, Fregellas* (Signinorum is ager, deinde Volſcorum fuerat) *colonia deducta.* Legendum heic eſſe, *Sidicinorum*, poſteà ſuo loco docebo. LEPINVS ille *mons*, Columellæ ſuprà ſcripto loco memoratus, quinam fuerit, incertum eſt. De *vino Signino* ita ſcribit Strabo lib. v: Σητία καὶ Σιγνία, φέρουσιν οἶνον, ἡ μὲν τῶν πολυτελῶν ἕνα, ἡ δὲ τὸν σταλτικώτατον κοιλίας, τὸν Σιγνῖνον καλούμενον. Id eſt: *Setia atque Signia: quæ vina producunt, illa è pretioſis unum; hæc, quod alvum maximè ſiſtit; Signinum dictum.* Et Plinius lib. XIIII cap. VI: *Quod Signiæ naſcitur, auſteritate nimiâ continendæ utile alvo, inter medicamina numero.* Hinc & Martialis lib. XIII epigram. CXVI:

Potabis liquidum Signina morantia ventrem.
Ne nimium ſiſtant, ſit tibi parca ſitis.

SACRIPORTVS *locus.*

Prope Signiam fuit locus, cui nomen SACRIPORTVS; pluribus memoratus in bellis civilibus auctoribus. Oroſius lib. v cap. XX: *Syllæ etiam & Marii adoleſcentis maximum tunc prælium apud Sacriportum fuit.* Epitomator Livii lib. LXXXVII: *Sylla C. Marium, exercitu eius fuſo deletoque ad Sacriportum, in opido Præneſte obſedit.* Velleius Paterculus lib. II: *C. Marius, ſepties conſulis filius, apud Sacriportum pulſus à Sullâ acie, Præneſte, quod antè naturâ munitum præſidiis firmaverat, ſe exercitumque contulit.* Florus lib. III cap. XXI: *Apud Sacriportum Collinamque portam debellatæ omnes hoſtium copiæ.* Auctor de Viris illuſtribus, in C. Mario filio: *In adparatu belli, quod contra Syllam parabatur, apud Sacriportum vigiliis & labore defeſſus ſub dio requievit: & abſens victus, fugæ, non pugnæ, interfuit. Præneſte refugit.* Appianus Civil. bellor. lib. I: Ἡ δὲ περὶ Πραινεστὸν ἧσσα ὧδε ἐγένετο· Σύλλα Σήτιον καταλαβόντος, ὁ Μάριος ἀγχοῦ στρατοπεδεύων, ὑπεχώρει κατ' ὀλίγον. ὡς δ' ἦλθεν ἐπὶ τὸ καλούμενον Ἱερὸν λιμένα, ἐξέτασσεν ἐς μάχην, καὶ ἠγωνίζετο προθύμως. * . καὶ τόδ' εὐθὺς ἦρχε τῷ Μαρίῳ δυσχεροῦς ἥττης. κοπτόμενοι γὰρ ἐς Πραινεστὸν ἔφευγον ἅπαντες, ἑπομένου τοῦ Σύλλα σὺν δρόμῳ. Id eſt: *Clades autem ad Præneſte accepta eſt hoc modo: Occupato à Syllâ Setio, Marius eò copias admovit. dein paullatim retrocedens, ubi ad Sacri portum pervênit, explicuit aciem. pugnatumque eſt magnis animis.* Mox: *Atque hoc initium fuit Mario adverſæ pugnæ. victi*

enim

enim effuſâ fugâ univerſi Præneſte petebant; Syllâ terga cædente. Hac de re ita legitur apud Plutarchum in Syllâ; Ἐκ τούτου περὶ Σίγνιον Μάριος, ὀγδοήκοντα καὶ πέντε σπείρας ἔχων, προὐκαλεῖτο Σύλλαν· ὁ δὲ καὶ πάνυ πρόθυμος ἦν διαγωνίσασθαι κατ᾽ ἐκείνην τὴν ἡμέραν. * * * Οἱ δὲ περὶ τὸν Μάριον οὐ πολλὴν ὑπέστησαν χρόνον, ἀλλὰ γίνεται πολὺς φόνος αὐτῶν τραπόντων. Μάριος δὲ ἔφυγεν εἰς Πραινεστόν. Hoc eſt: *Hinc apud Signium Marius, LXXXV cohortibus ſuccinctus, laceſſivit Syllam: qui perquàm paratus erat eo die dimicare.* Paullo pòſt: *Haud diu ſubſtiterunt Mariani. ſed ingens ſtrages edita eſt fugientium. ipſe Marius Præneſte fugâ delatus eſt.* Sic equidem neutro genere apud Appianum eſt *Setium* opidum, apud Plutarchum *Signium*; quum omnibus reliquis auctoribus frequentiſſimâ mentione ſint feminini generis *Setia* & *Signia*: niſi, quòd apud Plutarchum etiam in Cæſare, dicatur Σήτιον, *Setium*; & apud Priſcianum lib. II: *Signium, Signinus*. Hoc verò opidum non Plutarchum modò, ſed Appianum quoque perſcripſiſſe, uti credam, ſitus perſvadet. quidpe *Setia* longiùs à Præneſte verſùs mare ſita eſt. in medio autem utriusque eſt *Signia*. à qua recto itinere in occaſum æſtivum ſi proficiſcaris, primum occurrit municipium Præneſte. Hoc poſtquàm Marius præſidiis firmaverat; *Signiam* adverſùs Sullam profectus eſt. inde haud ita multum retrogreſſus, ad *Sacriportum* ſuſus eſt; fugatusque, retro in opidum Præneſte conceſſit. Hinc, quum prope Signiam foret Sacriportus; apud ipſam Signiam victum Marium tradidit Plutarchus. Meminit eiusdem loci atque pugnæ. Lucanus quoque lib. II, hoc verſu:

Iam quot apud Sacri cecidêre cadavera portum?

At SETIA *opidum*, vulgò nunc vocatur *Sezza*. Memoratur Livio, Velleio, Straboni, Silio, Martiali, Plutarcho, Appiano, Frontino, Ptolemæo, & Stephani breviatori. At Plutarcho, ut paullo antè oſtenſum, & Appiano eſt neutro genere Σήτιον, SETIVM. Straboni quoque & Ptolemæo ac Stephani epitomatori in primâ ſyllabâ eſt η, Σητία. unde etiam Latini poëtæ, ut mox videbimus, eam ſyllabam fecêre longam. Dionyſius lib. VIII an eamdem Σητίαν voluerit, ubi nunc exemplaria vulgata habent Κετίαν, incertum eſt: & veri eſt ſimilius *Vitelliam* eum nominaſſe, Aequorum opidum; ut ſuprà lib. II cap. XVI oſtenſum. Stephani epitomator: Σητία, πόλις Ἰταλίας. τὸ ἐθνικὸν Σητῖνος. *Setia, opidum Italiæ. gentilitium inde Setenus.* Verùm iſtud more illius ſæculi, quo η ſonabat ut ι. itaque vertendum erat, Setinus. nam opidani inde Livio quoque lib. VIII & Plinio lib. III cap. V ſunt SETINI: & Ciceroni in oratione de Lege agrariâ contra Rullum ad populum primâ eſt *Ager Setinus*; Straboni verò lib. V οἶνος Σητῖνος, *vinum Setinum*. Coloniam Romanos huc deduxiſſe, auctores ſunt Livius, Velleius, atque Frontinus. quorum hic in libro de Coloniis, *Setia*, inquit, *muro ducta colonia. triumviri munierunt.* Livius fine libri VII: *Privernates Norbam aeque Setiam, finitimas colonias Romanorum, incurſione ſubitâ depopulati ſunt.* Et lib. VIII: *Prætores tum duo Latini habebant, L. Annium Setinum & L. Numicium Circeienſem; ambos ex coloniis Romanis.* Sic libro etiam XXVII & item lib. XXVIIII inter alias colonias computatur. Quando deducta fuerit, oſtendit Velleius lib. I, his verbis: *Poſt VII annos quàm Galli Vrbem ceperunt, Satricum deducta colonia eſt; & poſt annum Setia.* Deducta igitur fuit anno poſt Romam conditam CCCLXXIII, ante Chriſtum natum CCCLXXX. Situm eius in montibus poëtæ annotarunt Iuvenalis Martialisque. quorum ille Satyrâ V ita canit: SETIA *colonia.*

Cras bibet Albanis aliquid de montibus, aut de
Setinis. cuius patriam titulumque ſenectus
Delevit, multâ veteris fuligine teſtæ.

Martialis lib. IIII epigr. LXIIII:

Vos nunc, omnia parva qui putatis,
Centeno gelidum ligone Tibur
Vel Præneſte domate; pendulamque
Vni dedite Setiam colono.

Lib. X epigram. LXXIIII:

Non Hybla, non me ſpicifer capit Nilus;
Nec quæ paludes delicata Pomptinas
Ex arce clivi ſpectat uva Setini.

Lib. XIII epigr. CXII:

Pendula Pomptinos quæ ſpectat Setia campos,
Exiguâ vetulos miſit ab urbe cados.

Pendulam vecat Setiam, quia in montium jugo, quod juxta Pomptinos campos, de quibus paullo pòſt plura dicentur, ad Aſturam usque flumen protenditur, ſita eſt; & ab extremâ orâ eius tamquàm ex crepidine quadam in ſubjectam planitiem deſpicit. Hæc igitur eius ſedes Martiali vocatur CLIVVS SETINVS; Iuvenalique verò SETINI MONTES reliqui etiam circùm colles; in quibus generoſiſſimum iſtud naſcebatur vinum, quod alii etiam auctores prædicarunt. Strabo lib. v: πάντες δ' εἰσὶν οἱ τόποι οὗτοι σφόδρα εὔοινοι. ὁ δὲ Καίκουβος καὶ ὁ Φουνδανὸς καὶ ὁ Σητῖνος τῶν διωνομασμένων εἰσί, καθάπερ καὶ ὁ Φάλερνος καὶ ὁ Ἀλβανός. Id eſt: *Omnes iſti loci optima producunt vina. in quibus maximè celebrantur, Cæcubum, Fundanum; Setinum, necnon Falernum atque Albanum.* Et poſteà: Σητία καὶ Σιγνία, φέρουσαι οἶνον, ἡ μὲν τῶν πολυτελῶν ἕνα, ἡ δὲ τὴν σταλτικώτατον κοιλίας. Hoc eſt: *Setia & Signia; quæ vina producunt, illa è pretioſis unum; hæc, quod alvum maximè ſiſtit.* Plinius lib. XIIII cap. VI: *Divus Auguſtus Setinum prætulit cunctis: & fere ſequuti principes: confeſſa propter experimenta; non temerè cruditatibus noxiis ab ea ſaliva.* Hinc illud Silii lib. VIII:

Et quos ipſius menſis ſepoſta Lyæi
Setia, & incelebri miſerunt valle Velitræ.

Martialis iterum lib. IIII epigram. LXVIIII:

Tu Setina quidem ſemper vel Maſſica ponis,
Pamphile: ſed rumor tam bona vina negat.

Lib. VI epigr. LXXXVI:

Setinum, dominæque nives, denſique trientes;
Quando ego vos, medico non prohibente, bibam?

Lib. VIII epigr. LI:

Ceſte, decus menſæ, miſce Setina. videtur
Ipſe puer nobis, ipſe ſitire caper.

Lib. X epigram. XXXVI:

Nec facili pretio: ſed quo contenta Falerni
Teſta ſit, aut cellis Setia cara ſuis.

Iuvenalis Satyrâ X:

——— Tunc illa time, quam pocula ſumes
Gemmata; & lato Setinum ardebit in auro.

Porrò in eodem jugi dorſo, quà Velitras itur à Setiâ, conſimili ſitu eſt opidum vulgari nunc vocabulo *Sarmonetta* id ego idem eſſe judico, quod Plinio lib. III cap. V, nomine SVLMO, inter ea antiqui Latii, cuius finis erat Circæus mons, recenſetur opida, quæ jam tum interiſſe ait ſine veſtigiis. nam ut Pelignorum olim caput Sulmo vulgò nunc vocatur *Sarmona*; ſic iſte Latii Sulmo eodem dicitur vocabulo, ſed diminutivo *Sarmonetta*. Vt autem hoc, ita etiam ſuprà dictam Norbam Plinius interiſſe ſine veſtigiis dixit; cuius tamen nomen hodiéque exſtat. Apud Virgilium Aeneid. lib. VIIII, ubi pugnam narrat inter Rutulos Troianosque apud Tiberim pugnatam, hæc leguntur verba:

——— Haſta volans noctis diverberat umbras;
Et venit adverſi in tergum Sulmonis; ibique
Frangitur, ac fixo tranſit præcordia ligno.

Vt complura alia, ad imitationem Homeri, Virgilius à fluminibus atque locis nomina deſumpta, huius belli ducibus tribuit; ſic hoc etiam antiqui illius ad Circæios usque Latii opidi vocabulo finxiſſe videtur *Sulmonem*. quo facto antiquitatem eius innuere voluit. Sed lib. X ſocium illi etiam adjungit eiusdem tractus amnem Vfentem. ſic quidpe de Aeneâ canit:

——— Sulmone creatos
Quatuor heic juvenes, totidem quos educat Vfens,
Viventeis rapit.

PRIVERNVM. Vltra Setiam, versùs Tarracinam euntibus, eſt opidum vulgari hodiè vocabulo *Piperno*; à quo ad duo circiter millia paſſuum, circa Amaſenum amnem, quà itur Anagniam, ruinæ conſpiciuntur ingentium ædificiorum antiquæ urbis. nomen hodierni opidi, tum ſitus dictarum ruinarum, apertè indicant, vetus heic fuiſſe PRIVERNVM

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

VERNVM *opidum*, Virgilio, Livio, Valer. Maximo, Straboni, Silio, Ptolemæo Frontino, Feſto, Stephani breviatori, memoratum. unde opidani dicebantur PRIVERNATES. Plinius lib. III cap. V: *Præneſtini, Privernates, Setini, Signini.* Et lib. XIIII cap. VI: *Veliternina Privernatiaque vina.* Silius lib. VIII:

Sylla Ferentinos Privernatumque maniplos
Ducebat, ſimul excitos.

Stephani breviator: Πριούερνος, πόλις Ἰταλίας. τὸ ἐθνικὸν Πριουερνάτης. Id eſt: *Privernus, opidum Italiæ. gentilitium inde Privernates.* More illius ſæculi, ut reliqua ferè opidorum nomina, formavit in ος. at Ptolemæo, ut Romanis, eſt Πριούερνον, *Privernum.* Silius lib. VI:

——— Lævinus ab alto
Priverno.

Valer. Maximus lib. VI cap. II: *Priverno capto, interfectiſque, qui id opidum ad rebellandum incitaverant, ſenatus, indignatione accenſus, conſilium agitabat, quidnam ſibi de reliquis quoque Privernatibus faciendum eſſet.* Lib. VIIII cap. X: *M. Flavius, tribunus plebis, ad populum de Tuſculanis retulit; quod eorum conſilio Veliternos Privernatesque rebellaturos diceret.* Ciceroni de Oratore lib. II & in oratione pro A. Cluentio, item in oratione de Lege agrariâ contra Rullum ad populum ſecundâ. *Privernas est ager.* Antiquitatem opidi innuere voluit Virgilius Aeneid. lib. XI, in his verſibus:

Pulſus ob invidiam regno vireiſque ſuperbas,
Priverno antiquâ Metabus quum excederet urbe;
Infantem, fugiens media inter prœlia belli,
Suſtulit, exſilio comitem; matriſque vocavit
Nomine Caſmillæ, mutatâ parte, Camillam.
Ipſe, ſinu præ ſe portans, juga longa petebat
Solorum nemorum. tela undique ſæva premebant;
Et circumfuſo volitabant milite Volſci.
Ecce fugæ medio ſummis Amaſenus abundans
Spumabat ripis. (tantus ſe nubibus imber
Ruperat.) ille, innare parans, infantis amore
Tardatur; caroque oneri timet.

Volſcorum gentis fuiſſe antiquitus Privernum, clarè ex hoc loco adparet. ſed clariùs tamen ex verſu, qui eodem libro præcedit, huiusmodi:

Eſt & Volſcorum egregiâ de gente Camilla.

Frequens hinc mentio eius fit apud Livium lib. VIII. ubi inter alia ita ſcriptum eſt: *Ad Privernum profectus, extemplò acie conflixit. haud magno certamine devicti hoſtes. opidum captum; redditumque Privernatibus.* Mox municipium Romanorum factum fuiſſe, oſtendit ibidem deinde Livius. *Ex auctoritate*, inquit, *patrum latum ad populum eſt, ut Privernatibus civitas daretur.* Factum id L. Aemilio Mamercino & Cn. Plautio Deciano conſulibus, anno poſt Romam conditam CCCCXXV, ante natum Ieſum CCCXXVIII. *Coloniam* item aliquando deductam, teſtatur Frontinus in libro de Coloniis. *Privernum*, inquit, *opidum muro ductum. colonia à militibus deducta ſine colonis.* Feſtus verò inter præfecturas connumerat. *Præfecturæ*, inquit, *adpellabantur in Italiâ, in quibus & jus dicebatur & nundinæ agebantur; & erat quædam earum reſpublica: neque tamen magiſtratus ſuos habebant. in quas legibus præfecti mittebantur quotannis, qui jus dicerent. quarum genera fuerunt duo: alterum, in quas ſolebant ire præfecti, quos prætor Vrbanus quotannis in quæque loca miſerat legibus; ut, Fundos, Formias, Cære, Venafrum, Allifas, Privernum, Anagniam, Fruſinonem.* De cætero ſitum Priverni perperam Strabo lib. V cis Signiam indicavit; ut ſuprà ad Coræ expoſitionem diximus.

Atque hactenus opida Volſcorum dicta ſunt, quæ ſupernè ex prædicto montium jugo Pomptino campo imminebant. nunc ipſe campus exponendus erit. *Vrbs* heic erat, unde illi nomen quæſitum, Volſcorum SVESSA, cognomine POMETIA, ad diſcrimen Sueſſæ Auruncæ; quæ erat ultra Lirim; ut infrà ſuo loco oſtendetur. ſed ſæpè illa ſimpliciter uſurpatur POMETIA. Atque ab hac urbe pars hæc Volſcorum antiquitus adpellati fuêre peculiari vocabulo Πωμεντῖνοι, POMENTINI. nam Græcis auctoribus, quos citatum imus, τὸ τῶν Πωμεντίνων ubique vocatur πεδίον,

id eſt;

id eſt, POMENTINVS CAMPVS. unde ipſa urbs Dionyſio lib. VI dicitur Σύεσσα πωμεντιανή, *Sueſſa Pomentiana*. Ab initio igitur urbs vocabatur Πωμεντία, POMENTIA. ex quo vocabulo N literâ eliſâ, factum mox Πωμετία, POMETIA. unde Virgilio Aeneid. lib. VI POMETII, populi opidani, in his verſibus:

Hi tibi Nomentum & Gabios urbemque Fidenam,
Hi Collatinas imponent montibus arceis;
Pometios, Caſtrumque Inui Bolamque Coramque.

At rectiùs Catoni in Origin. lib. II, ut refert Priſcianus lib. IIII, dictus eſt POMETINVS *populus*; & Livio lib. I *Pometinæ manubiæ*. Hoc rurſus vocabulum *Pometia*, quia *e* habebat breve, correptum eſt in POMTIA: unde POMTINVS ager ſive campus; & in eo ſuprà explicatæ POMTINAE paludes. In hoc iterum vocabulo ne M proferretur volubiliore linguâ in N, more jam inde antiquiſſimo, quem hodiéque Italicæ gentes retinent; ut ſuprà lib. I cap. XV... in Carnis docui; interpoſitum fuit T, POMPTIA *urbs*, POMPTINVS *campus*, POMPTINAE *paludes*. Neque tamen ea ſcriptio adeò diligenter ab exſcriptoribus obſervata eſt, quin hodiè paſſim in auctorum exemplaribus reperiantur, *Pontia urbs*, *Pontinus campus*, *Pontinæ paludes*. unde etiam Feſtus; *Pontina*, inquit, *tribus à Pontiâ urbe dicta: à qua & palus quoque Pontina adpellata eſt juxta Terracenam*. Cæterùm Virgilius loco proximè ſcripto fingit equidem Anchiſen apud inferos Aeneæ filio de opidis, quæ poſteri eius, Albanorum reges in Latio condituri ſint, prædicentem. verùm id poëticâ licentiâ factum, qua ille Latium antiquum, non quibus finibus circa belli Troiani tempora incluſum fuit, ſed ad Circæum usque montem intellexit; ſuprâ cap. I monuimus. alii ſanè auctores, non Latinis, ſed Volſcis diſertè adſerunt Sueſſam Pometiam. Auctor de Viris illuſtribus, in Tarquinio Superbo: *Latinos Sabinosque domuit; Sueſſam Pometiam Volſcis eripuit*. Livius lib. I, de Tarquinio Superbo narrans: *Is primus Volſcis bellum in ducentos ampliùs poſt ſuam ætatem annos movit: Sueſſamque Pometiam ex his vi cepit*. Dionyſius lib. IIII: Ὁ δὲ Ταρκύνιος ἐπὶ τοὺς καλουμένους Πωμεντίνους ἦγε τὴν δύναμιν, οἳ πόλιν μὲν Σύεσσαν ᾤκουν, εὐδαιμονέστατοι δ' ἁπάντων ἐδόκουν εἶναι τῶν πλησιοχώρων, καὶ διὰ τὴν πολλὴν εὐτυχίαν ἅπασι λυπηροὶ καὶ βαρεῖς. Hoc eſt: *At Tarquinius contra Pomentinos duxit exercitum: qui Sueſſam incolebant; omnium finitimorum populorum florentiſſimi; eóque moleſti atque graves cæteris omnibus*. Hinc Strabo lib. V caput eam fecit Volſcorum gentis. Ὁ δὲ υἱὸς, inquit, τοῦ Ταρκυνίου Πελόσκες τὴν Σύεσσαν εἷλε, τὴν μητρόπολιν τῶν Οὐόλσκων. id eſt: *Filius Tarquinii Priſci Sueſſam cepit, Volſcorum caput*. *Antium* fuiſſe caput gentis, ſuperiori capite ex Livii lib. VI oſtendimus. hanc verò Dionyſius, quem ibidem citavimus, lib. VI & VIII ἐπιφανεστάτην Volſcorum vocat πόλιν, *urbem nobiliſſimam clariſſimamque*: & Livius lib. II *opulentiſſimam*: ſed addit, *Vt tum res erant*. De Pometiâ igitur ita tradit Dionyſius lib. VI: Μεγέθει τε περιβόλου καὶ πλήθεσιν οἰκητόρων, ἔτι δὲ δόξῃ καὶ πλούτῳ πολὺ τῶν ἄλλων ὑπερέχειν ἐδόκει, καὶ ἦν ὥσπερ ἡγεμὼν τοῦ ἔθνους. Id eſt: *Magnitudine incolarumque frequentiâ, præterque divitiis & gloriâ longè cæteras præcellebat: eratque velut gentis caput*. Et dicto lib. IIII poſteà, urbe ab Tarquinio jam captâ, ſic pergit: Ἄργυρον δὲ καὶ χρυσὸν, ὅσος εὑρέθη, συναγαγὼν εἰς ἓν χωρίον, καὶ τὴν δεκάτην ἐξελόμενος εἰς κατασκευὴν ἱεροῦ, τὰ λοιπὰ χρήματα τοῖς στρατιώταις διεῖλεν. Οὕτω δὲ ἄρα πολὺς ὁ καταληφθεὶς ἄργυρος ἦν τε καὶ χρυσὸς, ὥστε τῶν μὲν στρατιωτῶν ἕκαστον πέντε μνᾶς ἀργυρίου λαβεῖν, τὸ δὲ τοῖς θεοῖς δεκατευθὲν ἀργύριον τετρακοσίων οὐ μεῖον γενέσθαι ταλάντων. Hoc eſt: *Argentum aurumque, quod inveniri potuit, in unum locum collatum, decimis in templi ædificationem ſepoſitis, reliquum diviſit militibus. Tantum autem auri argentique repertum eſt, uti quinæ argenti minæ obvenerint ſingulis militibus; ſacratæ autem argenti decimæ explerint quadringentûm talentorum numerum*. Differt haud modico Livius dicto lib. I, præſcriptis hæc continenter ſubnectens: *Vbi quum divendita XL talenta argenti aurique recepiſſet, concepit animo eam amplitudinem Iovis templi, quæ digna deûm hominumque rege, quæ Romano imperio, quæ ipſius etiam loci majeſtate eſſet: captivamque pecuniam in ædificationem eius templi ſepoſuit*. Et poſteà: *Augebatur ad impenſas regis animus. itaque Pometinæ manubiæ, quæ perducendo ad culmen operi deſtinatæ erant, vix in fundamenta ſuppeditavere*. Eò magis Fabio, præterquàm quòd antiquior eſt, crediderim, XL ea ſola talenta fuiſſe; quàm Piſoni; qui XL millia pondo argenti ſepoſita in eam rem ſcribit. quam ſummam pecuniæ neque ex unius tum urbis prædâ ſperandam, & nullius ne horum quidem magnificentiæ operum fundamenta non exſuperaturam.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

ram. Coloniam Romanorum eò deductam fuiſſe, poſtquàm à Tarquinio urbs capta, patet ex Livii lib. II: *Eodem*, inquit, *anno duæ Latinæ, Pometia & Cora, ad Auruncos deficiunt*. Et deinde: *Hac irâ conſules in Volſcum agrum legiones duxêre. Volſcos, conſilii pœnam non metuenteis, nec opinata res perculit. armorum immemores, obſides dant* CCC, *principum à Corâ atque Pometiâ liberos*. Dionyſius lib. VI, Volſcorum bellum, quod continuò inde ſubſequutum eſt, narrans, Ἐν δὲ τούτῳ, inquit, Λατίνων ἱππεῖς κατὰ σπουδὴν ἐλαύνοντες τοὺς ἵππους, παρῆσαν εἰς τὴν ἀγορὰν, ἐξεληλυθότας ἀγγέλλοντες τοὺς πολεμίους μεγάλῃ στρατιᾷ, καὶ ὄντας ἐπὶ τοῖς ἑαυτῶν ὁρίοις ἤδη. Id eſt: *Dum hæc Romæ fiunt, Latini equites, citatiſſimo curſu in forum advolantes, Volſcos magno exercitu exiſſe, jamque Latii fineis attigiſſe, nunciant*. Poſteà: Παραλαβὼν δὲ ὁ Σερουίλιος τὸ στράτευμα, σὺν πολλῇ σπουδῇ ἐλαύνει, διαλιπὼν οὐδένα χρόνον, ἵνα συμμίξῃ τοῖς πολεμίοις πρὶν εἰς τὴν Ῥωμαίων χώραν αὐτοὺς εἰσβαλεῖν. καὶ καταλαβὼν περὶ τὸ Πωμεντῖνον χωρίον ἐστρατοπεδευκότας, καὶ τὴν Λατίνων χώραν προνομεύοντας, ὅτι παρακαλοῦσιν αὐτοῖς οὐ συνήραντο τοῦ πολέμου, περὶ δείλην ὀψίαν, περὶ λόφον τινὰ ὡς εἴκοσι στάδια τῆς στρατοπεδείας αὐτῶν ἀφεστῶτα, τίθεται τὸν χάρακα. Hoc eſt: *Servilius, adſumpto exercitu, magnâ celeritate continuiſque itineribus properat, ut hoſti, antequàm in agrum Romanum inruat, obviam fiat. quem quum in Pomentino campo tendentem offendiſſet, agroſque Latinorum prædantem; quòd noluiſſent eſſe belli ſocii; ſub veſperam, circa quemdam tumulum*, XX *fermè ſtadia ab Volſcorum caſtris diſſitum, & ipſe caſtra poſuit*. Volſci mox eâ ipsâ nocte impetum in Romanorum caſtra faciunt. Servilius proximâ luce hoſtem fundit fugatque; & intra caſtra compulſum oppugnat, deditionemque facere cogit. ei facto ſubjungit Dionyſius iſtud: Ὁ δὲ Σερουίλιος, διανείμας δὲ ταῦτα κελεύσας, καὶ τὸν χάρακα πυρὶ δοὺς, ἀναλαβὼν τὰς δυνάμεις, ἦγεν ἐπὶ τὴν ἐγγυτάτω πόλιν, Σύεσσαν Πωμεντιανήν. Hoc eſt: *Servilius, prædâ diviſâ, & caſtris incenſis, exercitum ad proximam urbem Sueſſam Pometiam duxit*. Eamdem hiſtoriam ita refert Livius dicto lib. II: *Conſul copias contra hoſtem educit. parvo dirimente intervallo caſtra ponit. Proximâ inde nocte Volſci, diſcordiâ Romanâ freti, ſi qua nocturna tranſitio proditione fieri poſſit, tentant caſtra*. Paullo pòſt: *Fugientibus, quoad inſequi pedes potuit, terga cæſa: eques usque ad caſtra pavidos egit. mox ipſa caſtra, legionibus circumdatis, quum Volſcos inde etiam pavor expuliſſet, capta direptaque. Poſtero die ad Sueſſam Pometiam, quò confugerant hoſtes; legionibus ductis, intra paucos dies opidum capitur*. En, Dionyſius adfirmat, Volſcos in Pomptino campo, in finibus ſeu confinio Latii habuiſſe caſtra, atque inde ipſum depopulatos eſſe Latium: Livius verò tradit, Servilium conſulem, caſtris Volſcorum captis direptiſque, poſtridiè ad *Pometiam* exercitum admoviſſe. patet igitur ex his, ipſam *Pometiam* haud procul Latii finibus fuiſſe ſitam: ſcilicet, prope *Coram* atque *Velitras*. unde etiam illud Livii ſuprà ſcriptum; *Eodem anno duæ coloniæ Latinæ, Pometia & Cora, ad Auruncos deficiunt*. item iſtud eodem libro poſteà: *Et Velitris auxêre numerum colonorum Romani, & Norbæ in monteis novam coloniam, quæ arx in Pomptino eſſet, miſerunt*. Apud Strabonem dicto lib. V ita ſcriptum eſt in vulgatis exemplaribus: Ἐν δεξιᾷ δὲ τῆς Λατίνης ὁδοῦ εἰσὶν πόλεις αἱ μεταξὺ ταύτης καὶ τῆς Ἀππίας, Σητία τε καὶ Σιγνία· πρὸ δὲ ταύτης ἐστὶ Πρίβερνον καὶ Κόρα καὶ Σύεσσα, Τραπόντιόν τε καὶ Οὐέλιτραι καὶ Ἀλέτριον, ἔτι δὲ Φρεγέλλαι. Id eſt: *Ab dextro viæ Latinæ latere ſunt opida, inter hanc & Appiam, Setia & Signia. ante hanc eſt Privernum & Cora & Sueſſa Trapontiumque ac Velitræ & Aletrium, item Fregellæ*. Locus hic ſanè non erroribus tantùm ipſius auctoris, ſed & exſcriptorum mendis fœdatus. nam neque Privernum neque Aletrium nec Fregellæ citra Signiam ſunt ſitæ; nec Aletrium intra Latinam Appiamque vias; ſed ad Latinæ ſiniſtrum latus. vox autem iſta Τραπόντιον jam ante me ab omnibus auctoris interpretibus commentatoribuſque damnata eſt. pro qua alii Κλώστρα, Ἄντιον, alii, præmiſſâ voce Σύεσσα, τῶν Πομπτίων, reſtituere conati ſunt. Verùm illis non animadverſum fuit, Strabonem heic velle opida ad Appiam Latinamque vias ſita: Cloſtra autem & Antium in ipſo fuiſſe litore: quorum hoc jam anteà Strabo diligenti expoſitione meminit. Qui verò Σύεσσα τῶν Πομπτίων legunt, haud dubiè Sueſſam Pometiam intellexerunt. attamen hi non ſatis ad auctoris mentem adceſſiſſe mihi videntur; quando apud eum legitur, primò τῶν Οὐόλσκων τῆς Πωμετίων, dein Πωμεντίνου· quorum hoc Πωμεντίνου, illud Πωμεντίνων eſſe legendum, ex ſuprà ſcriptis clarè patet. Quapropter haud eſt dubitandum, quin iſto etiam loco ſcripſerit Strabo Σύεσσα vel Σύεσσα τῶν Πωμεντίνων, *Sueſſa Pomentinorum*. De cætero & ipſe, ut Livius atque Dionyſius circa *Coram* & *Velitras* collocat eam. Itaque ab

his

deatino Aricinoque agris ab oriente fuiſſe conterminum: nempe ſub Lanuvio, ad Antium versùs: qua Solonius campus eidem Coriolano agro fuit confinis. Atque huc rectè quadrat, quod Dionyſius lib. VI ac Livius lib. II tradunt, quum Corioli ab Romanis oppugnarentur, auxilio veniſſe Antiateis. Cæterùm Plutarchus in Cn. Marcio Coriolano; Ἐν δὲ τῷ Οὐολούσκων, inquit, ἔθνει ἡ Κοριολανῶν πόλις ἀξίωμα μέγιστον εἶχεν. id eſt: *In Volſcorum gente principatum obtinebat Coriolanorum urbs*. Et Dionyſius lib. VI: Τῇ δὲ κατόπιν ἡμέρᾳ τὴν δύναμιν ἀναλαβὼν, προῆγεν ἐπὶ Κοριόλαν, πόλιν ἐπιφανῆ σφόδρα, καὶ ὥσπερ ἂν μητρόπολιν τῶν Οὐολούσκων. ἔνθα καὶ δύναμις ἦν συνειλεγμένη καρτερὰ, καὶ τὸ τεῖχος οὐ ῥάδιον ἁλῶναι, τά τε πρὸς τὸν πόλεμον ἐπιτήδεια παρεσκευασμένα τοῖς ἔνδον ἐκ πολλοῦ. Hoc eſt: *Sequenti die cum exercitu Coriolam petiit; urbem nobilem, & Volſcorum quaſi caput. in qua & validæ erant copiæ, & firma mœnia, resque ad bellum neceſſariæ jam dudum ab opidanis præparatæ*. Marcium inde *Coriolani* cognomentum accepiſſe, præter alios auctores, Valer. Maximus teſtatur lib. IIII cap. III. *Cn. Marcius*, inquit, *cui Corioli Volſcorum opidum captum cognomen adjecit*. Plinius lib. III cap. V, *Coriolos* inter ea enumerat opida, quæ jam tum *ſine veſtigiis interierant*. Certus igitur locus eius deſignari hodiè nullus poteſt.

Circa Coriolos fuère LONGVLA & POLVSCA opida. Livius lib. II: *Alter conſul, [Poſthumus Cominius] ad Volſcum bellum miſſus, Antiates Volſcos fundit fugatque. compulſos in opidum Longulam perſequutus, mœnibus potitur. Inde protinus Mucamitem Volſcorum cepit. Tum magnâ vi adortus eſt Coriolos*. Eamdem hiſtoriam pluribus refert Dionyſius lib. VI: quam paucis heic repetere viſum eſt. Πόστουμος δὲ Κομίνιος, κρίνας Οὐολούσκοις ἐπιχειρεῖν πρώτοις, πόλιν αὐτῶν Λογγόλαν ἐξ ἐφόδου καταλαμβάνεται. φρουρὰν δὲ ἐν τῇ πόλει καταλιπὼν, ἐξῆγε τὴν δύναμιν ἐφ' ἑτέραν πόλιν τῶν Οὐολούσκων, ἣ καλεῖται μὲν Πόλους, κατὰ διάστημα δὲ οὐ πολὺ τῆς Λογγόλας ἀπέχει. καταλιπὼν δὲ καὶ ταύτῃ βραχεῖαν τῆς στρατιᾶς μοῖραν ἕνεκα φυλακῆς, τῇ κατόπιν ἡμέρᾳ τὴν δύναμιν ἀναλαβὼν, προῆγεν ἐπὶ Κοριόλαν πόλιν ἐπιφανῆ σφόδρα, καὶ ὥσπερ ἂν μητρόπολιν τῶν Οὐολούσκων. Id eſt: *Poſtumus Cominius primos Volſcos adoriendos ratus, primo impetu cepit opidum eorum Longulam. Et, relicto ibi præſidio, cum exercitu ad aliud Volſcorum nomine Poluſcam contendit, haud procul ab Longulâ diſſitum. Heic quoque relictâ modicâ præſidiariorum manu, ſequenti die exercitum ad Coriolos duxit, urbem admodùm nobilem, & Volſcorum veluti caput*. Quum κατὰ illud ante διάστημα abundaret, nullumque poſſet habere locum; opidum verò in Volſcis reperiretur apud alios auctores nullum nomine Πόλους· peritiſſimè duas eas voces doctiſſimi viri ut vitioſas correxerunt in unum opidi vocabulum Πολοῦσκα, *Poluſca*. ne autem poſtrema ſyllabâ ex vitioſâ voce κατὰ omnis pereat; ſcribendum porrò ego cenſeo, τὸ διάστημα. Confirmat hanc emendationem etiam ſequens hiſtoria Dionyſii lib. VIII; ubi ita ſcribit de Cn. Marcio Coriolano: Ἐπιβαλὼν δὲ τῇ καλουμένῃ Λογγόλᾳ, καὶ γενόμενος αὐτῆς ἐγκρατὴς, ἐπὶ τὴν Σατρικανῶν ἤλαυνε πόλιν. ἑλὼν δὲ καὶ ταύτην, καὶ ἀναλαβὼν τὴν δύναμιν, ἦγεν ἐπὶ πόλιν ἄλλην τὴν καλουμένην Κετίαν. γενόμενος δὲ καὶ ταύτης ἐγκρατὴς, καὶ διαρπάσας, εἰς τὴν Πολουσκανῶν χώραν ἐνέβαλεν. οὐ δυνηθέντων δὲ ἀντισχεῖν τῶν Πολουσκανῶν, κατὰ κράτος ἑλὼν καὶ αὐτοὺς, ἐπὶ τὰς ἑξῆς ἐχώρει. Hoc eſt: *Adgreſſus Longulam, eâ expugnatâ, adversùs Satricanorum urbem profectus eſt. hac quoque captâ, exercitum porrò duxit ad aliud opidum, Cetiam nomine. & hoc item expugnato, direptoque, in Poluſcanorum agrum irrupit. qui quum ei reſiſtere nequirent, expugnato eorum quoque opido, ad cætera perrexit*. In eâdem rerum à Marcio Coriolano geſtarum hiſtoriâ Livius dicto lib. II poſteà, *Satricum*, inquit, *Longulam, Polluſtiam, Coriolos, novella hæc Romanis opida ademit*. In his Polluſtiam ſine mendo ſic ſcribi, fidem quidem faciebant Plinii exemplaria. in his quidpe lib. III cap. V ſunt incolæ eius opidi *Polluſtini*. attamen ſuperiori illo loco *Polluſcam* ſcripſiſſe ipſum Livium, perſvadet vox *Mucamitem*; pro qua ſcribendum haud dubiè ex priore Dionyſii loco, *Poluſcam item*. ut ſenſus integer ſit hic: Inde protinus Poluſcam item Volſcorum cepit. Bifariam igitur formatum fuiſſe videtur huius opidi vocabulum; POLVSCA, & POLVSTIA, ſive POLLVSTIA. ab hoc opidani erant POLLVSTINI, ab illo POLVSCANI; ut ab Longulâ LONGVLANI. Quod nam autem illud fuerit opidum Dionyſii Κετία, CETIA; item, an ſatis ſanum incorruptumque ſit vocabulum, haud facilè quis dixerit. neque enim eorum placet ſententia, qui emendare id conati ſunt in Σητίαν. hoc quidpe opidum longiùs hinc diſſitum fuit. Longulæ iterum meminit Dionyſius eodem lib. VIII poſteà: Θάτερον δὲ, inquit, στράτευμα Λόκιος

Λεύκιος ἔχων, ἐπὶ τὴν Ἀντιατῶν ἦγε πόλιν. γενόμενος δὲ πλησίον τῶν ὀρέων, καὶ κατιδὼν τὰς τῶν πολεμίων δυνάμεις, τότε μὲν αὐτοῦ κατεστρατοπέδευσεν ἐπὶ λόφου. * — * . Τῇ δ᾽ ἐπιούσῃ νυκτὶ ἀναστήσας τὴν στρατιὰν ὁ ὕπατος, ἀπῆγε σιγῇ καὶ ἐν κόσμῳ, λαθεῖν τοὺς πολεμίους προνοούμενος. καὶ κατεστρατοπέδευσε παρὰ πόλιν λεγομένην Λογγόλαν, περὶ δείλην ὀψίαν, γήλοφον ἱκανὸν ἐρύκειν τοὺς ἐπιόντας ἐκλεξάμενος. Hoc eſt: *Alterum exercitum Lucius duxit ad Antium. jamque propinquus montibus, conſpectis hoſtium copiis, ex adverſo caſtra poſuit in tumulo. Vincuntur heic Romani. itaque ſequenti nocte conſul exercitum ſervatis ordinibus ſilentio abduxit; datâ operâ, ne ſentiret hoſtis. & ſub veſperam demum caſtra poſuit ad opidum Longulam in terreno quodam tumulo, ad arcendam vim idoneo.* At SATRICVM *opidum* frequenter memoratur Livio lib. VI: *Fugientium*, inquit, *ex agro Pomptino agmen, repentè illatum in Vrbem attulit, Antiates in armis eſſe.* Aliquanto pòſt: *Furius ac Valerius ad Satricum profecti: quò non Volſcorum modò juventutem Antiates ex novâ ſobole lectam, ſed ingentem Latinorum Hernicorumque conciverant ex integerrimis diutinâ pace populis.* Et poſteà: *Senatus Satricum coloniam duo millia civium Romanorum deduci juſſit. bina jugera & ſemiſſem agri adſignati.* Ac deinde: *Ab Antio Satricum, ab Satrico Velitras, inde Tuſculum legiones ductas.* Iterum: *Iisdem opibus obtinuêre, ut adversùs Latinos Volſcosque, qui conjunctis legionibus ad Satricum caſtra habebant, treis exercitus ſcriberent: unum ad præſidium Vrbis; alterum, qui, ſi qui alibi motus exſtitiſſet, ad ſubita bella mitti poſſet; tertium, longè validiſſimum P. Valerius & L. Aemilius ad Satricum duxêre.* Paullo pòſt: *Fuſi hoſtes, quum Satricum, quod duobus millibus inde aberat, non caſtra peterent, ab equite maximè cæſi. caſtra capta direptaque. Ab Satrico nocte, quæ prœlio proxima fuit, petunt Antium. & quum Romanus exercitus propè in veſtigiis ſequeretur; plus tamen timor, quàm ira, celeritatis habuit. priùs itaque mœnia intravêre hoſtes, quàm Romanus extrema agminis carpere aut morari poſſet.* Mox: *Ira & rabies Latinorum, quia nec Romanos bello lædere, nec Volſcos in armis retinere potuerant, eò erupit, ut Satricum urbem, quæ receptaculum primum eis adverſæ pugnæ fuerat, igni concremarent.* Et lib. VII: *Eodem anno Satricum ab Antiatibus colonia deducta: reſtitutaque urbs, quam Latini diruerant.* Mox: *Tertio anno poſt Satricum reſtitutum à Volſcis M. Valerius Corvinus ſecundùm conſul cum C. Petilio factus, ad Satricum exercitu infeſto pergit. quo quum Antiates aliique Voſci præparatis jam antè, ſi quid ab Româ moveretur, copiis occurriſſent, nulla mora inter infenſos diutino odio dimicandi facta eſt. Volſci certamine victi, fugâ effuſâ Satrici mœnia petunt. &, ne in muris quidem ſatis firmâ ſpe, quum coronâ militum cinctâ, jam ſcalis caperetur urbs, ad IIII millia, præter multitudinem imbellem, ſeſe dedidêre. opidum dirutum atque incenſum. ab æde tantùm matris Matutæ abſtinuêre ignem.* Reſtitutum id iterum fuiſſe opidum, patet ex initio libri VIII; ubi ita ſcriptum: *Volſcorum item exercitum, duce Antiati populo, conſediſſe ad Satricum, allatum eſt.* Vnde illud multis annis poſteà, lib. XXVIII: *Multa prodigia nunciabantur. Tarracinæ Iovis ædem, Satrici matris Matutæ de cœlo tactam. Satricanos haud minus terrebant in ædem Iovis foribus ipſis duo prolapſi angues.* Atque ex hactenus allatis ſatis jam patet, dicta Volſcorum opida, *Satricum*, *Longulam*, *Poluſcam*, unà cum *Coriolis*, ſita fuiſſe inter Velitras, Lanuvium, Ardeam, & Antium, Aſturamque flumen: eo ſcilicet ordine, quo modò recenſui: ita, uti Satricum Velitris & Lanuvio, Corioli Ardeæ & Antio fuerint proximi; reliqua duo in eorum medio. Certum ſingulis diſpicere locum, haud meæ divinationis eſt. De cæterò *Satrici* meminerant quoque Diodorus, Velleius, Stephanique epitomator: ſed apud omnes nomen eius in vulgatis nunc exemplaribus corruptum eſt. Apud Stephani epitomatorem ſic legitur: Σατρία, πόλις Ἰταλίας. τὸ ἐθνικὸν Σατρικανός, ὡς Διονύσιος, id eſt: *Satria, urbs Italiæ. gentilitium inde Satrianus; ut habet Dionyſius.* Quum nullos Dionyſios habeat Satrianos; nec ullos alios populos, quorum nomen iſti vocabulo adſimiletur; haud dubium eſt, quin ipſe Stephanus ex Dionyſii ſuprà ſcripto loco ſumpſerit Σατρικανός, unde ipſe nomen urbis formavit Σάτρικα. Apud Velleium lib. I ita ſcriptum eſt: *Poſt VII annos, quàm Galli Vrbem ceperunt, Sutrium deducta colonia eſt; & poſt annum Setia.* Quum ſuprà lib. II cap. III, in Etruriæ deſcriptione abundè oſtenſum ſit, Sutrium circa iſtud tempus non fuiſſe deductam coloniam; Livius verò ſuprà dicto lib. VI Satricum colonis occupatum referat anno V poſt Romam à Gallis captam; haud dubium eſt, quin & ipſe Velleius ſcripſerit *Satricum.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

tricum. Porrò apud Diodorum lib. XIIII hæc leguntur: Ἐν Ῥώμῃ μὲν τὴν ὑπατικὴν ἀρχὴν διῴκουν χιλίαρχοι τρεῖς, Μάρκος Φρούριος, Γάϊος Αἰμίλιος, καὶ Κάτλος Βῆρος. * — *. Κατὰ δὲ τὴν Ἰταλίαν Ῥωμαῖοι πρὸς Φαλίσκους εἰρήνην ποιησάμενοι, πρὸς δὲ Αἰτωλοὺς πόλεμον τὸ τέταρτον, καὶ Σούτριον μὲν ὥρμησαν, ἐκ δὲ Οὐεῤῥηγῖνος πόλεως ὑπὸ τῶν πολεμίων ἐξεβλήθησαν. Id eſt: *Romæ conſulari poteſtate tribuni erant tres, M. Furius, C. Aemilius, & Catulus Verus.* Et ad finem rerum eo anno geſtarum: *In Italiâ Romani poſt pacem cum Faliſcis firmatam, bellum cum Aetolis geſſerunt quartum. & Sutrium quidem expugnarunt; ex Verregine autem opido ab hoſtibus ejecti ſunt.* Pro vocibus iſtis; Φρούριος, Αἰτωλοὺς, Οὐεῤῥηγῖνος, legendum eſſe Φούριος, Αἰκικλοὺς, Οὐῤῥουγῖνος, patet haud obſcurè ex Livii lib. V; ubi ita refert: *Creati tribuni militum conſulari poteſtate L. Furius Medullinus ſextùm, C. Aemilius, L. Valerius Poplicola, Sp. Poſthumius, P. Cornelius iterum.* Et poſteà, eodem anno: *Faliſcis in ſtipendium militum eius anni, ut populus Romanus tributo vacaret, pecunia imperata. pace data, exercitus Romam reductus.* Paullo pôſt: *Eodem anno in Aequis variè bellatum; adeò, ut in incerto fuerit & apud ipſos exercitus & Romæ, viciſſent victine eſſent. Imperatores Romani fuêre ex tribunis militum C. Aemilius & Sp. Poſthumius. primò rem communiter geſſerunt. fuſis inde acie hoſtibus, Aemilium præſidio Verruginem obtinere placuit; Poſthumium fineis vaſtare. ibi eum incompoſito agmine negligentiùs ab re benè geſtâ euntem adorti Aequi, terrore injecto, in proximos compulêre tumulos: pavorque inde Verruginem etiam ad præſidium alterum eſt perlatus.* Exiguo pôſt: *Et hoſtes, nocturnam fugam ex tumulo Romanorum ut ab eâ viâ, quæ ferebat Verruginem, excluderent, fuêre obvii. prœliumque ante lucem commiſſum eſt: & haud incertius diurno prœlium fuit. ſed clamor Verruginem perlatus, quum caſtra Romana crederent oppugnari, tantum injecit pavoris, ut, nequidquàm renitente atque obſecrante Aemilio Tuſculum palati fugerent.* Non quartum hoc demum fuiſſe Romanis bellum cum Aequis, ex cunctis Livii præcedentibus patet libris. Sed Sutrium, Etruſcorum opidum, nihil huc pertinere, ex ipſo ſatis liquet Diodoro: quum manifectò adfirmet, Aequico iſto bello Romanos opido quidem illo altero, cuius heic nomen corruptum in *Sutrium*, potitos eſſe, at Verruginem amiſiſſe. Quapropter legendum ego putem Σάτρικον, *Satricum*. quod quum opidum fuerit in Volſcis, Aequorum finitimis; facilè Diodorus, qui omnia ferè Romana, ut externa ſibi & aliena, nimis confusè recenſet, Aequorum hiſtoriæ admiſcuiſſe potuit. Quin & ipſum opidum VERRVGO Volſcorum fuit, in confinio Aequorum. Livius lib. IIII, in conſulatu M. Genucii Augurini & C. Curtii Philonis, anno Vrbis CCCX: *Læti audière patres, Volſcos Aequosque ab communitam Verruginem fremere.* Valer. Maximus lib. III cap. II: *C. Sempronio Atratino conſule cum Volſcis apud Verruginem parum proſperè dimicante, ne acies noſtra jam inclinata propelleretur; equis delapſa juventus Romana, ſe ipſam centuriavit, atque hoſtium exercitum rupit.* Conſul fuit C. Sempronius Atratinus cum Q. Fabio Vibulano anno Vrbis CCCXXXII. itaque Livius in horum conſulatu de eâdem Romanorum cum Volſcis pugnâ ita narrat: *Tantus ab imprudentiâ eventus utraque caſtra tenuit pavor, ut, relictis ſauciis & magnâ parte impedimentorum, ambo pro victis exercitus ſe in monteis proximos reciperent.* Poſteà: *Tempanius, priusquàm Volſcos cognitus error reduceret, quibus poterat ſauciis ductis ſecum; ignarus, quam regionem conſul petiſſet; ad Vrbem proximis itineribus pergit.* Et deinde: *Quum hæc [Romæ] agerentur, jam viâ Lavicanâ ad fanum Quietis erat. eò miſſa plauſtra jumentaque alia ab Vrbe, exercitum, adfectum prœlio ac viâ nocturnâ, excepêre.* Poſteà: *Non diutius fortuna Aequis indulſit: qui ambiguam victoriam Volſcorum pro ſuâ amplexi fuerant. Proximo anno, ductu Fabii, quum trepidam tantùm oſtendiſſent aciem Aequi, turpi fugâ funduntur.* Et iterum: *Nuncii veniunt, arcem Carventanam, dilapſis ad prædam militibus, qui in præſidio erant, Aequos, interfectis paucis cuſtodibus arcis, invaſiſſe.* Mox: *Conſules ambo profecti ſint ad arcem Carventanam, an alter ad comitia habenda ſubſtiterit, incertum diverſi auctores faciunt. illa pro certo habenda, in quibus non diſſentiunt; ab arce Carventanâ, quum diu nequidquam oppugnata eſſet, receſſum: Varruginem in Volſcis eodem exercitu receptam: populationesque & prædas & in Aequis & in Volſco agro ingenteis factas.* Deinde: *Tribuni militum [conſulari poteſtate] creati ſunt, L. Furius Medullinus, C. Valerius Potitus, Cn. Fabius Vibulanus, C. Servilius Hala.* Mox: *Et in Volſcis accepta clades, amiſſo Verrugine præſidio.* Eamdem rem ſub iisdem tribunis ita refert Diodorus prædicto lib. XIIII

anteà:

anteà: κατὰ τὴν Ἰταλίαν Ῥωμαίων φρουρούντων Ἔρρουκαν πόλιν Οὐόλσκων, ἐπελθόντες οἱ πολέμιοι, τῆς τε πόλεως ἐκράτησαν, καὶ τῶν φρουρῶν σὺν πλείους ἀνεῖλον. Id eſt: *In Italiâ quum Romani Errucam, Volſcorum opidum, præſidio tenerent, hoſtes id invadentes, & ipſum opidum capiunt & pleroſque ex præſidiis cædunt.* Niſi Diodorus ſua ex diverſis habuerit auctoribus, quorum aliis opidum hoc VERRVCA, aliis VERRVGO adpellatum ſit; haud leve heic etiam fuerit exſcriptorum mendum. Sed ex hactenus allatis clarè patet, opidum hoc Volſcorum fuiſſe in confinio Aequorum; inter Velitras, Coram, & Algidum, Aequorum opidum.

Eodem tractu, in Aequorum ſimul & Hernicorum confiniis, & alia Volſcorum urbs fuit clariſſima, Livio ECETRA, Dionyſio cum adſpiratione Ἐχέτρα, ECHETRA, dicta. unde opidani huic Ἐχετρανοὶ, ECHETRANI, illi ECETRANI. Apud Stephani epitomatorem hæc ſunt: Ἐχέτρα, πόλις Ἰταλίας, διαφέρει Οὐολούσκοις. τὸ ἐθνικὸν Ἐχετρανός· Διονύσιος δεκάτῳ τῆς Ῥωμαϊκῆς ἀρχαιολογίας. Id eſt: *Echetra, opidum Italiæ, in Volſcis opportuno loco ſitum. gentilitium inde Echetranus; auctore Dionyſio Antiquitat. Rom. lib.* x. Apud eumdem breviatorem puſillo antè ita ſcriptum: Ἐχετία, πόλις Ἰταλίας· ὁ πολίτης Ἐχετιανός. Id eſt: *Echetia, opidum Italiæ: à quo opidanus Echetianus.* Quum innumera alia etiam opida hic auctor diverſis eiſque corruptis referat vocabulis; nec uſquàm aliàs legatur Italiæ opidum *Echetia*; facilè crediderim, hoc etiam idem eſſe cum Echetrâ. De hoc ita tradit Dionyſius lib. IIII Τυχὼν δὲ τῆς Λατίνων ἡγεμονίας ὁ Ταρκύνιος, ἐπρεσβεύσατο πρὸς τὰς Ἑρνίκων πόλεις καὶ πρὸς τὰς Οὐολούσκων, προκαλούμενος κἀκείνους εἰς φιλίαν τε καὶ συμμαχίαν. ἐκ δὲ τοῦ Οὐολούσκων ἔθνους δύο πόλεις ἐδέξαντο μόναι τὰς προκλήσεις, Ἐχετρανοί τε καὶ Ἀντιᾶται. Id eſt: *Tarquinius Latinæ gentis imperio potitus, legatos miſit ad Harnicorum Volſcorumque civitates; eorum quoque amicitiam ac ſocietatem expetens. Volſcorum duo tantùm populi adſenſerunt, Echetrani atque Antiates.* Livius lib. II, in conſulatu Ap. Claudii Sabini & P. Servilii Priſci: *Poſtero die ad Sueſſam Pometiam, quo confugerant hoſtes, legionibus ductis, intra paucos dies opidum capitur: captum prædæ datum. inde paullum recreatus egens miles. conſul cum maximâ gloriâ ſuâ victorem exercitum Romam reducit. decedentem Romam Ecetranorum Volſcorum legati, rebus ſuis timentes poſt Pometiam captam adeunt. his ex ſenatus conſulto data pax: ager ademptus.* Dionyſius lib. VI, in rebus eiuſdem anni: Ἔτι δὲ πανηγυριζόντων αὐτῶν, πρεσβευταὶ παρῆσαν ἐξ ἔθνους Ἀρούγκων. οὗτοι καταστάντες ἐπὶ τὴν βουλὴν, ἠξίουν τὴν Οὐολούσκων τῶν καλουμένων Ἐχετρανῶν χώραν, ἣν ἀφελόμενοι σὺν Ἐχετρανοὺς Ῥωμαῖοι, κληρούχοις εἰς φυλακὴν τοῦ ἔθνους ἐκπεμφθεῖσι διένειμαν, ἀποδιδόναι σφίσι, καὶ τὴν φρουρὰν ἀπαγαγεῖν ἐξ αὐτῆς. Hoc eſt: *Nondum finito feſto, legati ab Auruncorum gente veniunt. hi in ſenatum introducti, repoſcebant Volſcorum Echetranorum agrum, quem populus Romanus, Echetranis ademptum, colonis diviſerat in præſidium contra eam gentem miſſis: deducique inde præſidium poſtulabant.* Livius lib. III: *Haud dubium erat, quin cum Aequis alter conſulum bellum gereret. Itaque Aequi ab Ecetranis Volſcis præſidium petière. quo cupidè oblato, bellum ſummâ vi parabatur. Sentiunt Hernici; & prædicunt Romanis, Ecetranum ad Aequos deſciſſe.* Et eodem libro poſteà: *Hernici nunciant, Volſcos & Aequos, etſi acciſæ res ſint, reficere exercitus. Antii ſummam rei poſitam: Ecetræ Antiateis colonos palam concilia facere. id caput, eas vires belli eſſe.* De hoc ita Dionyſius lib. VIII: Ὡς δὲ, ἀπαλλαγέντες εἰς τὰς ἑαυτῶν ἕκαστοι πατρίδας, ἐδήλωσαν τοῖς ἄλλοις τὸν προπηλακισμὸν, ἐπὶ μεῖζον ἐξαίροντες τὰ γενόμενα, ἠγανάκτει τε πᾶσα πόλις καὶ κατέχειν τὴν ὀργὴν οὐκ ἠδύνατο. διαπρεσβευομένη τε ἄλλη πρὸς ἄλλην, εἰς μίαν ἀγορὰν πάντας ἠξίουν Οὐολούσκους ἰέναι, ὅπως ἂν κοινῇ χρήσαιντο γνώμῃ περὶ τοῦ πολέμου. καὶ συνῆλθον ἐξ ἁπάσης πόλεως οἵ τε ἐν τέλει καὶ πολὺς ἄλλος ὄχλος εἰς τὴν Ἐχέτραν πόλιν· αὕτη γὰρ ἐδόκει ἐν καλλίστῳ κεῖσθαι συνόδου ταῖς ἄλλαις ἡ πόλις. Hoc eſt: *Quum igitur, in ſuam quique patriam reverſi, cæteris popularibus narraſſent contumeliam, non ſine facti exaggeratione; nulla civitas ſe ab irâ continuit. miſſiſque opidatim legationibus, totius gentis indictum eſt concilium; in quo conlatis conſiliis de bello ageretur. Convenerunt undique honoratiores pariter & magna reliquæ turbæ multitudo Echetram. hæc quidpe urbs ad cæterarum comitia aptiſſimo loco ſita eſſe videbatur.* Dionyſius iterum lib. X: Ἑρνίκων δὲ ἄγγελοι κατὰ σὺν αὐτοὺς παρῆσαν χρόνους, δηλοῦντες, ὅτι Οὐολούσκων τε καὶ Αἰκανῶν δύναμις πολλὴ ἐξεληλύθει, καὶ ἔστιν ἐν τῇ αὐτῶν ἤδη γῇ. Φάβιος μὲν οὖν ἐπὶ τοὺς ἐν τῇ Τυσκλανῶν ὄντας Αἰκανοὺς τὴν στρατιὰν ἦγε, διὰ τάχους ἐλαύνων. τῶν δὲ οἱ μὲν πλείους ἀπεληλύθεσαν, ἤδη διηρπακότες τὴν πόλιν, ὀλίγοι δέ τινες ὑπέμενον φυλάττοντες τὴν ἄκραν. ἀποδοὺς δὲ τοῖς Τυσκλανοῖς τὴν πόλιν Φάβιος, περὶ δείλην ὀψίαν ἀνίστησι τὴν στρατιὰν, καὶ ὡς εἶχε τάχους ἤλαυνεν ἐπὶ σὺν πολεμίους, ἀκούων, περὶ πόλιν Ἀλγιδὸν ἀθρόους εἶναι τούς τε Οὐολού-

σκων καὶ Αἰκανῶν δυνάμεις. ποιησάμενος δὲ δι' ὅλης νυκτὸς σύντονον ὁδὸν, ὑπ' αὐτὸν τὸν ὄρθρον ἐπιφαίνεται τοῖς πολεμίοις ἐστρατοπεδευκόσιν ἐν πεδίῳ. ἁλόντος δὲ τοῦ στρατοπέδου κατὰ πολλὴν εὐπέτειαν, οὐ πολὺν ἐνταῦθα διατρίψας χρόνον, ἐπὶ τὴν Ἐχετρανῶν πόλιν ἦγε τὴν δύναμιν· ἢ τότε ἦν τοῦ Οὐολούσκων ἔθνους ἐπιφανεστάτη τε καὶ ἐν τῷ κρατίστῳ τόπῳ μάλιστα κειμένη. Ὁ δὲ ἕτερος τῶν ὑπάτων Κορνήλιος ἐπὶ τοὺς ἐν Ἀντίῳ Ῥωμαίους τε καὶ Οὐολούσκους ἐλαύνων. ἐπιτυγχάνει στρατιᾷ πρὸ τῶν ὁρίων αὐτὸν ὑποδεχομένῃ. Hoc eſt: *Hernici quoque eodem tempore nunciabant, Volſcos & Aequos, magnâ manu egreſſos, jam agros ſuos populari. Fabius itaque contra Aequos properavit Tuſculum. Sed harum maior pars, opido direpto, jam diſceſſerant. pauci ad arcis cuſtodiam remanſerant. Fabius, reddito civibus Tuſculo ſub veſperam, quantâ celeritate potuit, in hoſtem inde movit; audito, ad Algidum eſſe totum Volſcorum Aequorumque exercitum. &, continuato per totam noctem itinere, ſub lucem ſe oſtendit hoſtibus, in campo ſtativa habentibus. Captis nullo negotio caſtris, Echetram exercitum duxit: quæ tunc clariſſima erat Volſcorum & optimo loco ſita urbs. Alter conſulum Cornelius Antium contra Volſcos ſimul atque Romanos eductis copiis, offendit exſpectanteis ſe in finibus.* Patet ex his, Ecetram longiùs ab Antiatum finibus fuiſſe diſſitam. alioquin unus idemque exercitus utramque unâ eadémque expeditione petere potuiſſet urbem. patet item, Ecetram ultra & Tuſculum & Algidum fuiſſe, inter Coram Volſcorum & Anagniam Hernicorum; quà Volſci Aequis ſimul & Hernicis fuêre contermini. Atque hunc ſitum Ecetræ Livii quoque adſignat hiſtoria, ſuprà dicto lib. III, his verbis: *Haud dubium erat, quin cum Aequis alter conſulum bellum gereret. Itaque Aequi ab Ecetranis Volſcis præſidium petière. quo cupidè oblato, bellum ſummâ vi parabatur. Sentiunt Hernici: & prædicunt Romanis, Ecetranum ad Aequos deſciſſe.* Et lib. IIII ita ſcribit idem Livius: *Interim tribunos militum in Volſcum agrum ducere exercitum placuit. Tres tribuni poſtquàm nullo loco caſtra Volſcorum eſſe, nec commiſſuros ſe prælio, adparuit, tripartitò ad devaſtandos fineis diſceſſère. Valerius Antium petit; Cornelius Ecetras. quacumque inceſſère, latè populati ſunt tecta agroſque; ut ita diſtinerent Volſcos. Fabius, quod maximè petebatur ad Anxur oppugnandum ſine ullâ populatione adceſſit.* Item lib. VI: *Legionibus novis ſcriptis, placuit duos exercitus in agrum Volſcum legionibus diviſis duci. Sp. Furius & M. Horatius dextrorſus maritimam oram atque Antium, Q. Servilius & L. Geganius lævâ ad monteis Ecetram pergunt.* Ex his etiam liquet, longiùs ab Antio & orâ maritimâ diſſitam fuiſſe *Ecetram*; in montibus ſcilicet, qui erant in confinio Aequorum Hernicorumque, ſupra Norbam Signiamque versùs ſeptemtriones. id quod diſertiùs etiam teſtatur Livius dicto lib. IIII poſteà, his verbis: *Cum Volſcis inter Ferentinum atque Ecetram ſignis collatis dimicatum. Romanis ſecunda fortuna pugnæ fuit.*

Eodem tractu fuit & ARTENA *opidum*. Livius eodem lib. IIII proximè perſcriptis hæc continuò ſubnectit: *Artena inde, Volſcorum opidum ab tribunis obſideri cœpta.* Mox: *Dirutâ & arce & urbe Artenâ, reductæ legiones ex Volſcis.* Sed certum huic dare ſitum nequiverim,

ARTENA *opidum.*

Per ipſum Pomptinum campum Appia quum ſtrata poſtmodùm foret via, iter hac in antiquis Itinerariis deſignatur huiusmodi:

Hieroſolymitano:		Tabulæ:			
In urbe Româ		*Româ, via Appiâ*		*Appiâ ab Vrbe*	
Mu. Nono	IX.	*Bobellas*	X.	|	
C. Aricia	VII.	*Aricia*	III.	*Aricia*	XVI.
|		*Sub Lanubio*	....	|	
Mu. Sponſas	XIV.	|		|	
|		*Tres Tabernas*	....	*Tribus Tabernis*	XVII.
Mu. Appî Foro	VII.	....	X.	*Appî Forum*	XVIII.
Mu. Ad Medias	IX.	|		|	
C. Terracina	X.	*Terracina*	....	*Terracina*	XVIII.

Quum ab ipſâ Ariciâ ad Tarracinam usque XLV circiter ſint millia paſſuum, numeros milliarium in omnibus pariter itinerariis hoc intervallo eſſe corruptos, certum eſt. FORVM tamen APPII, cuius nomen haud dubiè in Tabulâ etiam itinerariâ per-

perſcriptum fuit, circa Nymphæum fuiſſe flumen, inter *Cloſtra*, *Aſturam*, & *Sulmonem*, ex Antonini XVIII, Hieroſolymitani verò itinerarii XVIIII millibus paſſuum, quæ ab *Appii foro* Tarracinam usque ſatis unanimo conſenſu ponunt, diſpicitur. Apud Antoninum quum toto illo inter Ariciam & Tarracinam itinere VII millia abundent; haud dubiè & ipſe in Treis Tabernas & Appii forum ſcripſerat X millia, quæ hoc ſpacio in Tabulâ itinerariâ exſtant. Ex hoc igitur millium numero, ſimulque ex illo, quem incorruptum Antoninus habet à Tribus Tabernis ad Ariciam XVII millium, ipſæ TRES TABERNAE apud Aſturam flumen fuiſſe deprehenduntur, ubi locus nunc vulgò vocatur *Ciſterna*. Memoratur Forum Appii Ciceroni quoque & Horatio ac Plinio Svetonioque & Actis Apoſtolorum. Tres autem Tabernæ memorantur eidem Ciceroni & Apoſtolorum actis. Cicero ad Atticum lib. I epiſt. XIII: *Accepi tuas treis jam epiſtolas. unam à M. Cornelio: quam à Tribus ei Tabernis, ut opinor, dediſti.* Et lib. II epiſt. II. *Emerſeram commodè ex Antio in Appiam ad Treis Tabernas, quum in me incurrit Româ veniens Curio meus.* Et Epiſt. XV. *Ludos Antii ſpectare non placet. quare ad Nonas Maias te in Formiano exſpectabo. nunc fac, ut ſciam, quo die te viſuri ſimus. Ab Appii Foro, horâ IIII. Dederam aliam paullo antè à Tribus Tabernis.* Acta Apoſtolorum capite ultimo, vers. XIIII & XV: Καὶ οὕτως εἰς τὴν Ῥώμην ἤλθομεν. κἀκεῖθεν οἱ ἀδελφοὶ ἀκούσαντες τὰ περὶ ἡμῶν, ἐξῆλθον εἰς ἀπάντησιν ἡμῖν ἄχρις Ἀππίου Φόρου καὶ Τριῶν Ταβερνῶν. Id eſt: *Atque ita contendimus Romam. unde fratres, quum de nobis audiviſſent, profecti ſunt nobis obviam ad Appii usque Forum & Treis Tabernas.* Horatius Satyrâ V libri primi:

Egreſſum magnâ me excepit Aricia Româ
Hoſpitio modico. rhetor comes Heliodorus,
Græcorum longè doctiſſimus, inde Forum Appî,
Differtum nautis cauponibus atque malignis.

Quinam hi fuerint *nautæ*, ſuperiori capite ad expoſitionem paludis ſimul & foſſæ Pomptinæ intellectum eſt. De cætero ita eſt in antiquis ad Horatium ſcholiis: *Forum Appii nomen eſt opidi.* Plinius lib. XIIII cap. VI: *Divus Auguſtus Setinum vinum prætulit cunctis. Naſcitur ſupra Forum Appii.* Heic ſanè etiam ſitus *Fori Appii* in XVIII illa millia paſſuum, quæ præſcripta Itineraria ab eo ad Tarracinam usque habent, egregiè congruit. nam rectè *Setia* è montibus ei loco imminet. Idem Plinius lib. III cap. V ita ſcribit: *In monte Albano Foropopulienſes. ex Falerno Fruſinates, Ferentinates, Freginates, Fabraterni, Ficolenſes, Fregellani, Foroappî, Forentani, Gabini.* Heic ipſos Appii Fori incolas adpellaſſe videtur Foroappios. at, qua id ei factum analogiâ, equidem diſpicere nequeo, & maximè miror: utique, quum & heic paullo antè ei dicantur Foropopulienſes, & eiusdem libri cap. IIII Foronerononienſes, & cap. XIIII Foroflaminienſes, Forojulienſes, Foroſempronienſes; cap. XVI Forovilienſes, & Forocornelienſes; cap. XVIII alii Forojulienſes: à Populi, Neronis, Flaminii, Iulii, Sempronii, & Cornelii, Foris. ad quem modum, à Foro Appii etiam dicendi erant FOROAPPIENSES. Originem loco haud dubiè dedit Appius ille Claudius, qui anno urbis Romæ CCCCXLII, M. Valerio Maximo & P. Decio Mare conſulibus, ante natum Ieſum anno CCCXI, cenſor cum C. Plautio creatus, *viam Appiam* ſilice ſtravit; teſte Livio lib. VIIII, Diodoro lib. XX, & aliis auctoribus. ſic quidpe & Forum Aurelii, & Forum Claudii, & Forum Caſſii, & Forum Flaminii, & Forum Aemilii, in Aureliâ, Claudiâ, Caſſiâ, Flaminiâ & Aemiliâ viis ab ipſarum viarum auctoribus fuêre & dicta & condita. Hinc illud Svetonii in vitâ Tiberii cap. II: *Claudius Druſus, ſtatuâ ſibi cum diademate ad Appii Forum poſitâ, Italiam per clientelas occupare tentavit.* Cæterùm Tres Tabernæ, præter ſuprà dictos auctores aliis quoque memorari creduntur. Paul. Diaconus Hiſt. miſcellæ lib. X: *Sed adversùm motum prætorianorum atque Maxentii Severus Cæſar miſſus Romam à Galerio, cum exercitu venit. obſidensque Vrbem, militum ſuorum ſcelere deſertus, ab Herculio ad Treis Tabernas exſtingvitur. funusque eius Gallieni ſepulcro infertur; quod ab Vrbe abeſt per viam Appiam millibus novem.* Et Paulli compilator, in Epitome de Cæſaribus, quæ Sex. Aurelii Victoris nomini vulgò adſcribitur: *Severus ab Herculio Maximiano Romæ ad Treis Tabernas exſtingvitur: funusque eius Gallieni ſepulcro infertur; quod ab Vrbe abeſt per viam Appiam millibus novem.* Sed aliter hanc rem refert gravior Diacono antiquiorque ſcriptor Zoſimus lib. II: Σεβῆρος, inquit, συνέφυγεν εἰς τὴν Ῥάβενναν,

πόλιν ὀχυράν τε καὶ πολυάνθρωπον, καὶ τροφῶν ἔχουσαν πλῆθος. τοῦτο γνοὺς Μαξιμιανὸς ὁ Ἑρκούλιος, καὶ ὑπὲρ τοῦ παιδὸς εἰκότως ἀγωνιῶν Μαξεντίου, τῆς Λουκανίας ἐξορμήσας, ἐπὶ τὴν Ῥάβενναν ᾔει. συνιδὼν δὲ, ὡς οὐκ ἂν ἄκων ταύτης ἐκβληθείη Σεβῆρος, ἀσφαλοῦς τε οὔσης καὶ τροφὰς ἐχούσης ἀρκούσας, ὅρκοις ἀπατήσας, ἐπὶ τὴν Ῥώμην ἐλθεῖν ἔπεισε. διιόντα τοίνυν αὐτὸν, καὶ εἴς τι χωρίον ἐλθόντα, ᾧ Τρία Καπηλεῖα προσηγορεία, λόχος ἐγκαταστὰς αὐτόθι παρὰ Μαξεντίου, συλλαβὼν καὶ βρόχῳ τὸν τράχηλον ἀρτήσας, ἀνεῖλεν. Id eſt: *Severus fugâ Ravennam ſe contulit, urbem munitam atque populoſam & alimentorum copiâ refertam. Id quum Maximianus Herculius intellexiſſet, & de filio Maxentio non abs re ſolicitus eſſet; Lucaniâ relictâ, Ravennam contendit. quum verò conſideraſſet, Severum hac invitum ejici non poſſe; quòd munita eſſet, & annonis idoneis inſtructa; ſacramentis circumvento, Romam uti veniret perſvaſit. quò ille pergens, quum ad locum quemdam veniſſet, quem Treis Tabernas vocant; ab inſidiis, quas ibi Maxentius locaverat, comprehenſus necatur, inſertâ laqueo cervice.* Ex hac ſanè narratione locus iſte *ad Treis Tabernas* inter Romam fuit & Ravennam. Et fuiſſe heic eo nomine locum inter Interamnam Spoletiumque, ſuprà lib. II cap. VII intellectum eſt. Locum igitur interitus Severi diverſitas tradentium incertum reddidit. De reliquo liquet ex Zoſimi verbis *Treis* iſtas *Tabernas* in viis publicis nihil aliud fuiſſe, quàm treis cauponas ſeu tria diverſoria publica. id enim propriè ſignificant Græcis καπηλεῖα· quæ Strabo lib. V πανδοκεῖα æquipollenti vocabulo dixit in viâ Lavicanâ; quas *Pictas tabernas* Romanis adpellatas fuiſſe, ſuprà cap. IIII huius libri III intelleximus.

Porrò quum millia paſſuum, ut ſuprà perſpectum, inter *Ariciam & Forum Appii* fuerint XXVII; in Hieroſolymitano itinerario id intervallum ſic conſignatum fuiſſe cenſeo:

C. Aricia	
Mu. Sponſas	XIV.
Mu. Appî Foro	XII.

Locus igitur iſte AD SPONSAS tria circiter millia paſſuum à *Tribus Tabernis* abfuit, Romam euntibus.

Alter verò ille locus AD MEDIAS medio ferè fuit itinere inter *Forum Appî* & *Tarracinam*. unde ei nomen quæſitum exiſtimo. Adparet tamen ex prædicto itinerario, paullo longiùs ab Tarracinâ abfuiſſe, quàm ab Appii Foro.

Atque hactenus opida aliaque loca in Pomptino campo & circa eum ſita nobis explicita ſunt. Vltra hæc, in viâ Latinâ VII millia paſſuum ab Hernicorum opido Ferentino eſt *opidum* perantiquum Volſcorum FRVSINO, vulgò nunc *Fraſelone* dictum. Memoratur Plauto, Livio, Diodoro, Straboni, Silio, Iuvenali, Frontino, Ptolemæo, & Antonino. Opidani inde vocantur FRVSINATES. Cicero ad Atticum lib. XI epiſt. IIII: *Ex proximis* [*literis*] *cognovi, prædia non veniſſe. De Fruſinati, ſi modò futuri ſumus, erit mihi res opportuna.* Epiſt. XIII: *De fundo Fruſinati intellexiſti voluntatem meam.* Livius lib. XXVI: *Q. Fulvius conſul, quum Hannibalem Latinâ viâ iturum ſatis comperiſſet; ipſe per Appiæ municipia, quæque propter eam viam ſunt, Setiam, Coram, Lanuvium, præmiſit, ut commeatus paratos & in urbibus haberent & ex agris deviis in viam proferrent.* Aliquanto pòſt: *Hannibal, infeſtiùs perpopulato agro Fregellano propter inciſos ponteis, per Fruſinatem Ferentinatemque & Anagninum agrum in Lavicanum venit.* Itineraria antiqua iter hoc ſic referunt:

Antonini:		Antonini:		Tabulæ:	
Ferentino		*Ferentino*		*Ferentinum*	
Fruſinone	VII.	*Fruſinone*	VII.	....	VII.
Fregellano	XIIII.	*Fregellano*	XIIII.	....	....
		Fabraterias	III.	*Fabraterie*	....
		|		*Melfel*	IIII.
		Aquino	VIII.	*Aquino*	IIII.
		Caſino	VII.	*Caſinum*	VIIII.

In Tabulâ vocabulum *Fruſinonis* interiiſſe, patet ex numero VII millium, quæ eo itinere ſine loci nomine viſuntur. Apud Strabonem equidem atque Ptolemæum legitur

legitur id tertiâ declinatione formatum, apud hunc τὸ Φρούσινον, apud illud τὸ Φαρούσινον. verùm quia & Plauto Diodoroque Græcè vocatur ὁ Φρουσινών, & Romanis pariter omnibus Latinè *Fruſino*, *Fruſinonis*; quis dubitet, quin illis etiam duobus ſcriptum fuerit eodem maſculino genere? Plauti verba hæc ſunt in Captivis:

HEG. *Iam diu?* ERG. Νὴ τὰν Πραινεστόν. HEG. *Venit?* ERG. Νὴ ταν Σιγνίαν.
HEG. *Certon'?* ERG. Νὴ τὸν Φρουσινῶνα. HEG. *Videſis*. ERG. Νὴ τὸ Ἀλάτριον.
HEG. *Quid tu per Barbaricas urbeis juras?*

Silius lib. VIII:

——— *Detritaque bellis*
Sueſſa, atque à duro Fruſino haud imbellis aratro

Et lib. XII:

——— *Mox & vicinus Aquinas,*
Et quæ fumantem texere giganta Fregellæ
Agmine carpuntur volucri. fert concitus inde
Per juga celſa gradum, duris quà rupibus hæret
Bellator Fruſino.

Iuvenalis Satyrâ III:

Si potes avelli Circenſibus, optima Soræ
Aut Fabrateriæ domus aut Fruſinone paratur.

Volſcorum fuiſſe opidum, ex Livio colligo; qui ſub initium lib. X ita tradit: *Fruſinates tertiâ parte agri damnati, quòd Hernicos ab eis ſolicitatos compertum*. Ergo ipſi non fuêre Hernici. & gens heic ab auſtro nulla alia Hernicis contermina, niſi Volſci: quorum fuiſſe Fregellas, Soram, Atinam, opida Fruſinoni propinqua, mox infrà videbimus. Quin & ipſum Ferentinum ab initio fuiſſe Volſcorum gentis, poſteà de his captum à Romanis & Hernicis donatum, ſuprà cap. VI intelleximus. Diodorus lib. XX eamdem cum Livio referens hiſtoriam: Φρουσινῶνα δ' ἐκπολιορκήσαντες οἱ Ῥωμαῖοι, ἀπέδοντο τὴν χώραν. Id eſt: *Romani Fruſinone expugnato, agrum venum dedêre*. Atque hæc vetuſtiſſima opidi eſt memoria, in conſulatu L. Genucii Aventinenſis & Ser. Cornelii Lentuli, anno urbis Romæ CCCCL. Coloniam fuiſſe Romanorum, auctor eſt Frontinus in libro de Coloniis. *Fruſino*, inquit, *opidum muro ductum. ager eius veteranis eſt adſignatus*. Feſtus inter *præfecturas* computat; uti ſuprà ad *Priverni* expoſitionem citatum.

Cæterò FREGELLANVM iſtud (ſic namque ſcribendum gemino ll.) Fregellani agri puto fuiſſe diverſorium, in viâ Latinâ, haud procul opido, quod Auctori ad Herennium, Livio, Straboni, Silio, plurali numero dicitur FREGELLAE; Dionyſio autem, & ex hoc Stephani epitomatori, ſingulariter FREGELLA. Stephani epitomator: Φρέγελλα, πόλις Ἰταλίας. τὸ ἐθνικὸν Φρεγελλανὸς, ὡς Διονύσιος ἕκτῳ Ῥωμαϊκῆς ἀρχαιολογίας, καὶ ἄλλοι πλεῖστοι. Id eſt: *Fregella, urbs Italiæ. gentilitium inde Fregellanus; ut habet Dionyſius Romanar. antiquit. lib.* VI, *& complures alii*. Credo, ſcriptum fuiſſe ab ipſo Stephano ἑκκαιδεκάτῳ, id eſt, *lib.* XVI. nam lib. VI nihil tale exſtat. Excerpta legationum hæc verba è Dionyſio referunt: Ἀντικαλούμεθά τι ὑμᾶς, εἰ βούλεσθε τὸ δίκαιον ποιεῖν, ἐκχωρεῖν Φρεγέλλης. Id eſt: *Viciſſim à vobis poſtulamus, ſi, quod juſtum eſt, facere vultis, uti Fregella excedatis*. Auctor ad Herennium: *O perfidioſæ Fregellæ! quàm facilè ſcelere veſtro contabuiſtis*. Silius lib. XII:

Et quæ fumantem texêre giganta Fregellæ.

Opidani inde Plinio lib. III cap. V & compluribus aliis auctoribus dicuntur FREGELLANI. Situm opidi leviter indicavit Strabo lib. V: Φρεγέλλαι, inquit, παρ' ἣν ὁ Λεῖρις ῥεῖ, ὁ εἰς τὰς Μιντούρνας ἐκδιδούς. Id eſt: *Fregellæ: quam urbem præterfluit Liris, ad Minturnas ſeſe effundens*. Fluvius hic vulgò nunc vocatur *Il Garigliano*. Straboni conſentiens Livius lib. XXVI, *Hannibal*, inquit, *quo die Vulturnum eſt transgreſſus, haud procul à flumine caſtra poſuit. poſtero die præter Caleis in agrum Sidicinum pervênit. ibi diem unum populando moratus, per Sueſſulam Alliſanumque* [omnino ſcribendum, *per Sueſſanum Venafranumque*: quod infrà ſuo loco firmabitur] *& Caſinatem agrum viâ Latinâ ducit. ſub Caſinum biduo ſtativa habita: & paſſim populationes factæ. inde præter Interamnam Aquinamque in Fregellanum agrum ad Lirim fluvium ventum: ubi interciſum pontem à Fregellanis, morandi itineris causâ invênit*. Paullo pòſt: *Hannibal infeſtiùs perpopulato agro Fregellano propter interciſos ponteis, per Fruſinatem Ferentinatemque & Anagninum agrum in Labicanum venit. inde Algido Tuſculum petiit*. Eiusdem viæ Latinæ opida ita enarrantur Straboni dicto lib. V: Ἐπ' αὐτῆς τῆς Λατίνης εἰσὶν ἐπίση-

ἐπίσημοι κατοικίαι καὶ πόλεις, Φερεντῖνον, Φρουσινὼν, παρ' ἣν ὁ Κόσας ῥεῖ ποταμός· Φαβρατερία, παρ' ἣν ὁ Τρῆρος ῥεῖ· Ἀκουῖνον, μεγάλη πόλις, παρ' ἣν ὁ Μέλπις ῥεῖ ποταμὸς μέγας. Ἰντεράμνιον, ἐν συμβολῇ δυοῖν ποταμῶν κείμενον, Λείριός τε καὶ ἑτέρου· Κασῖνον, καὶ αὕτη πόλις ἀξιόλογος, ὑστάτη τῶν Λατίνων. τὸ γὰρ Τέανον, τὸ καλούμενον Σιδικῖνον, ἐφεξῆς κείμενον, ἐκ τοῦ ἐπιθέτου δηλοῦται, διότι τῶν Σιδικίνων ἐστί· (οὗτοι δ' Ὄσκοι·) καὶ αὕτη μεγίστη οὖσα τῶν ἐπὶ τῇ Λατίνῃ πόλεων· καὶ ἡ ἐφεξῆς ἡ τῶν Καλλουῶν, καὶ αὕτη ἀξιόλογος, συνάπτουσα τῷ Κασιλίνῳ. Ἐφ' ἑκάτερα δὲ τῆς Λατίνης, ἐν δεξιᾷ μὲν εἰσιν αἱ μεταξὺ αὐτῆς καὶ τῆς Ἀππίας, Σητία τε καὶ Σιγνία· πρὸ δὲ ταύτης ἐστὶ Πρίβερνον καὶ Κόρα καὶ Σύεσσα Πωμεντίνων καὶ Οὐελίτραι καὶ Ἀλέτριον, ἔτι δὲ Φρεγέλλαι. Id eſt: *In ipsâ viâ Latinâ ſunt nobilia opida atque urbeis, Ferentinum, Fruſino; Coſâ amne præfluente: Fabrateria; quam Trerus præfluit: Aquinum, urbs magna; præter quam magnus fluvius Melpis labitur: Interamnium, ad confluenteis duorum amnium, Liris & alterius, ſitum: Caſinum; ipſa quoque memoratu digna urbs, Latinarum ultima. quidpe Teanum Sidicinum, quod ſequitur, ipſo cognomento oſtendit, ad Sidicinos ſe pertinere, qui ſunt Oſci. cæterùm urbium in Latinâ viâ maxima eſt. hanc ſequitur Calenorum urbs; ipſa quoque præclara, & Caſilino proxima. At ab utroque viæ Latinæ latere urbes ſunt, ad dextram, inter eam & Appiam viam, Setia & Signia: ante hanc verò Privernum, Cora, Sueſſa Pometiorum, Velitæ, Aletrium, & Fregellæ.* Sic locum hunc, quamplurimis mendis in vulgatis exemplaribus ſcatentem, eſſe legendum, infrà in cuiusque opidi expoſitione patebit. quamquàm ne illud ſatis placet, πρὸ δὲ ταύτης ἐστὶ Πρίβερνον· pro quo legere malim, πρὸς δὲ ταύταις ἐστὶ Πρίβερνον καὶ Κόρα καὶ Σύεσσα· id eſt: *ad hæc ſunt Privernum, Cora, Sueſſa.* Verùm, ut ſuprà ad *Sueſſa*, expoſitionem dixi, præter librariorum menda, ipſius etiam Strabonis inſunt his verbis errores. nam & *Aletrium* & *Fregellæ* ad ſiniſtrum fuêre Latinæ viæ latus. De *Aletrio* nulla controverſia eſſe poteſt; quando id opidum eodem nomine etiam nunc exſtat. de Fregellis teſtis eſt Antoninus, in præſcripto itinere. ubi poſt Fruſinonem primò ponitur Fregellanum, locus ſub Fregellis, unde cognomen habuit, ſitus: dein *Fabrateria*; quæ hodiéque exſtat, vulgò *Falvaterra* dicta: tum Aquinum; & hinc Caſinum. quem ordinem Livius quoque præſcripto loco adcuratè obſervavit. quidpe adverſo itinere incedens, primò Caſinum, inde Interamnam, Aquinum, Fregellas, & hinc proximè Fruſinonem. Ex hoc igitur documento patet, fuiſſe Fregellas eo ſitu, ubi nunc opidum viſitur apud dextram Liris ripam, vulgari vocabulo *Ceperano*, inſcriptionibus antiquis aliiſque vetuſtatis monumentis maximè clarum. Fuiſſe quondam coloniam Romanorum, auctor eſt Livius lib. VIII. *P. Plautio Proculo*, inquit, *P. Cornelio Scapulâ conſulibus, Fregellas (Signinorum is ager, deinde Volſcorum fuerat) colonia deducta.* Quomodò, quæſo, priùs Signinorum, deinde Volſcorum, is ager fuit? ipſa quidpe Signia in Volſcorum fuit agro ſita. &, ſi fuiſſe contendas Signinorum colonorum, quorum opidum Signia à Tarquinio Superbo, ut ſuprà intelleximus, fuit conditum; quis temerè crediderit, agros hisce colonis tam latos fuiſſe adſignatos, uti ab unâ tantùm parte coloniæ, quæ ortum Solis ſpectabat, ad XXX propè millia paſſuum extenſi fuerint? dein, quis crediderit, ſi *Signinis* colonis Volſci Fregellas ademiſſent, Romanos eas vel maximo exercitu non fuiſſe ſtatim repetituros? Lego igitur ego, *Sidicinorum is ager, deinde Volſcorum fuerat.* nam Sidicinos fuiſſe Oſcos, paullo antè teſtem audivimus Strabonem: Oſcos autem eosdem fuiſſe Opicos, proximo hinc capite oſtendetur. unde ita Stephani epitomator: Φρέγελλα, πόλις Ἰταλίας· ἣ τὸ μὲν ἀρχαῖον ἦν Ὀπικῶν, ἔπειτα Οὐελούσκων ἐγένετο. Id eſt: *Fregella, opidum Italiæ. quod antiquitus erat Opicorum: poſteà verò Volſcorum fuit factum.* Dirutum aliquando fuiſſe ab Samnitibus, antequàm coloniam eò deducerent Romani, auctor eſt idem Livius eodem libro paullo pòſt. *Non poſſe*, inquit, *diſſimulare, ægrè pati civitatem Samnitium, quòd Fregellas, ex Volſcis captas, dirutasque ab ſe, reſtituerit Romanus populus; coloniamque in Samnitium agro impoſuerit, quam coloni eorum Fregellas adpellent.* Ergo anteà aliud habuit nomen. Reſtitutum autem fuit prædictis conſulibus, P. Plautio Proculo & P. Cornelio Scapulâ; anno poſt Romam conditam CCCCXXVI, ante natum Ieſum CCCXXVII. Secundò hinc dirutum fuit ab ipſis Romanis. Strabo dicto lib. V: Φρεγέλλαι, νῦν μὲν κώμη, πόλις δέ ποτε γεγονυῖα ἀξιόλογος, καὶ τὰς πόλεις τὰς ἄρτι λεχθείσας περιοικίας πρότερον ἐσχηκυῖα, [locum, jamdudum commentatoribus ſuſpectum, ſic lego; καὶ τὰς πλείους τῶν ἄρτι λεχθεισῶν κατῳκηκυίας πρότερον ἐσχηκυῖα] αἳ νῦν εἰς αὐτὴν συνέρχονται, ἀγοράς τε ποιούμεναι καὶ ἱεροποιΐας τινάς. κατεσκάφη δ' ὑπὸ Ῥωμαίων ἀποστᾶσα.

Hoc

Hoc eſt: *Fregellæ; nunc quidem vicus; at olim urbs celebris, & plerarumque modò dictarum anteà caput. quæ nunc illic conventus ac ſacra quædam petunt. Cæterò exciſa eſt ab Romanis, quum defeciſſet.* Hinc illud Auctoris libri ad Herennium: *O perfidioſæ Fregellæ! quàm facilè ſcelere veſtro contabuiſtis: ut, cuius nitor urbis Italiam nuper illuſtravit, eius nunc vix fundamentorum reliquiæ maneant.* Cicero de Lege agrariâ contra Rullum oratione primâ: *Bella cum ſociis, Fregellanum, Marſicum.* Breviator Livii lib. LX: *Fulvius Flaccus primus omnium Tranſalpinos Gallos bello domuit; miſſus in auxilium Maſſilienſibus adversùs Salvios; qui populabantur fineis Maſſilienſium. L. Opimius prætor Fregellanos, qui defecerant, in deditionem accipit; Fregellas diruit.* Conſulatum geſſit M. Fulvius Flaccus cum M. Plautio Hypſæo anno urbis Romæ IↃCXXVIII; ante natum Ieſum CXXV. Velleius lib. II: *L. Opimus conſul, qui Fregellas exciderat.* Iul. Obſequens in libro de Prodigiis: *P. Plautio, M. Fulvio conſulibus, Fregellæ, quæ adversùs Romanos conjuraverunt, dirutæ.* Valer. Maximus lib. II cap VIII: *L. Opimius Fregellanis ad deditionem compulſis, triumphandi poteſtatem à ſenatu petiit.* Cæterò apud Diodorum lib. XVIII ita ſcriptum eſt in hiſtoriâ Samnitici belli: οἱ μὲν οὖν τῶν Ῥωμαίων ὕπατοι μέρος τῆς δυνάμεως ἀναλαβόντες, κατεστρατοπέδευσαν παρὰ τὰς τῶν πολεμίων παρεμβολαῖς· καὶ πρὸς μὲν μάχην καιρὸν ἐπετήρουν οἰκεῖον, ταῖς δὲ συμμαχίσι πόλεσι παρείχοντο τὴν ἀσφάλειαν. Τὸ δὲ λοιπὸν στρατόπεδον ἀναλαβὼν Κόϊντος Φάβιος, ὃς ἦν αὐτοκράτωρ ᾑρημένος, τήν τε Φρετομανῶν πόλιν εἷλε, καὶ τῶν ἀλλοτρίως διακειμένων πρὸς τὴν Ῥώμην τοὺς ἐπιφανεστάτους ἐζώγρησε. τούτους δὲ τὸν ἀριθμὸν ὄντας πλείους τῶν διακοσίων, ἀπήγαγεν εἰς Ῥώμην· καὶ προαγαγὼν εἰς τὴν ἀγορὰν, ῥαβδίσας ἐπελέκισε κατὰ τὸ πάτριον ἔθος. μετ' ὀλίγον δ' ἐμβαλὼν εἰς τὴν τῶν πολεμίων χώραν, Κελίαν καὶ τὴν Νωλανῶν ἀκρόπολιν ἐξεπολιόρκησεν. Ὁ δὲ δῆμος, κατὰ νοῦν τῶν πραγμάτων αὐτῷ προχωρούντων, ἀποικίαν ἀπέστειλεν εἰς τὴν νῆσον τὴν Ποντίαν καλουμένην, Id eſt: *Conſules atque Romani, parte copiarum adſumptâ, caſtris hoſtium ſua objiciunt: & in opportunam pugnandi occaſionem intenti, tutam ab hoſte ſociis urbibus quietem præſtant. Cum reliquis copiis Q. Fabius, dictator tum creatus, Fretomanorum urbem occupat; & clariſſimos opidanorum, Romanis infenſos, capit: & ducentos ampliùs Romam abductos, in forum produxit; virgisque cæſos more patrio, ſecuri percutit. paullo verò pòſt in hoſticum irruptione factâ, Celiam & Nolanorum arcem expugnat. Populus itaque, quum ſucceſſus votis reſponderet, coloniam in inſulam Pontiam miſit.* Sic equidem interpres etiam Latinus corruptum vocabulum Φρετομανῶν vertit in *Fretomanorum* nomen: quum corrigendum eſſet Φρεγελλανῶν, *Fregellanorum.* ſic enim Livius lib. VIIII: *Ab novis conſulibus L. Papirio Curſore V, C. Iunio Bubulco iterum, nominatus dictator C. Petilius, cum M. Follio, magiſtro equitum, exercitum accepit. Is, quum audiſſet, arcem Fregellanam ab Samnitibus captam; omiſſo Boviano, ad Fregellas pergit. unde, poſt nocturnam Samnitium fugam, ſine certamine receptis Fregellis, præſidioque valido impoſito, in Campaniam reditum, maximè ad Nolam armis repetendam. eò ſe intra mœnia ſub adventum dictatoris & Samnitium omnis multitudo & Nolana agreſtis contulerant. dictator urbis ſitu circumſpecto, quò apertior aditus ad mœnia eſſet, omnia ædificia circumjecta muris incendit. nec ita multo pòſt, ſive à Petilio dictatore, ſive à C. Iunio conſule (nam utrumque traditur) Nola eſt capta. Qui captæ decus Nolæ ad conſulem trahunt, adjiciunt, Atinam & Calatiam ab eodem captas. Sueſſa & Pontia eodem anno coloniæ deductæ ſunt. Sueſſa Auruncorum fuerat: Volſci Pontias inſulam, ſitam in conſpectu litoris ſui, incoluerant.* Res hæ à variis auctoribus variè traditæ fuêre. unde factum uti C. Petilium dictatorem heic retulerit Livius; Diodorus verò Q. Fabium. Sed diverſitas auctorum vel ex hoc maximè adparet, quòd cædem illam ducentûm ampliùs captivorum non in Fregellanis, ſed Soranis factam tradit Livius. ſic enim eodem libro haud multo antè ſcribit: *Ad Soram inde reditum. novique conſules, M. Petilius & C. Sulpicius, exercitum ab dictatore Fabio accipiunt.* Et deinde: *Iam Sora capta erat, quum conſules primâ luce advenêre: & quos reliquos fortuna ex nocturnâ cæde ac fugâ fecerat, in deditionem accipiunt. ex his CXXV, qui omnium conſenſu deſtinabantur, & infandæ colonorum cædis & defectionis auctores vinctos Romam deducunt: cæteram multitudinem incolumem, præſidio impoſito, Soræ relinquunt. omnes, qui Romam deducti erant, virgis in foro cæſi ac ſecuri percuſſi.* Dubium igitur nullum eſſe poteſt, quin vox illa apud Diodorum Φρετομανῶν emendanda ſit in Φρεγελλανῶν. Sed & alteram illam Κελίαν vitiatam eſſe è genuinâ Καλατίαν, paullo antè è Livio intelleximus. neque verò ulla umquàm in his oris fuit urbs *Celia.*

Hinc

FABRATERIA, *colonia.*

Hinc FABRATERIA opidum, Ciceroni, Velleio, Straboni, Silio, Iuvenali, ac duobus ſuprà ſcriptis Itinerariis memorata, vulgò nunc, ut dixi, vocatur *Falvatera* & *Falvaterra*. Cicero Famil. lib. VIIII epiſt. XXIIII: Nam & Aquini & Fabrateriæ conſilia ſunt inita de me. Silius lib. VIII:

Sylla Ferentinos Privernatumque maniplos
Ducebat, ſimul excitos; Soræque juventus
Addita fulgebat telis. heic Scaptia pubes;
Heic Fabrateriæ vulgus.

Iuvenalis Satyrâ III:

Si potes avelli Circenſibus, optima Soræ,
Aut Fabrateriæ domus, aut Fruſinone paratur.

Strabo lib. V: Εἶθ' ἑξῆς ἐπ' αὐτῆς τῆς Λατίνης ὁδοῦ εἰσιν ἐπίσημοι κατοικίαι καὶ πόλεις, Φερεντῖνον, Φρουσινών, παρ' ἣν ὁ Κόσας ῥεῖ ποταμὸς, Φαβρατερία, παρ' ἣν ὁ Τρῆρος ῥεῖ. Id eſt: *Poſthinc in ipſâ Latinâ viâ opida ſunt nobilia atque urbes, Ferentinum, Fruſino, præfluente Coſâ amne; & Fabrateria; quam Trerus præterlabitur.* Opidani inde dicuntur Livio atque Plinio Priſcianoque FABRATERNI. Priſcianus lib. II: *Fabrateria, Fabraternus.* Livius lib. VIII: *Creati conſules L. Papirius Curſor iterum, L. Plautius Venox. cuius principio anni legati ex Volſcis Fabraterni & Lucani Romam venerunt; orantes, ut in fidem reciperentur. ſi à Samnitium armis defenſi eſſent, ſe ſub imperio populi Romani fideliter atque obedienter futuros.* Annus hic urbis Romæ fuit CCCCXXIIII; ante natum Chriſtum CCCXXVIIII. Hæc igitur antiquiſſima *Fabrateriæ* eſt memoria. Coloniam poſteà factam Romanorum, teſtis eſt Velleius lib. I. *Caſſio,* inquit, *Longino & Sextio Calvino, qui Sallues apud aquas, quæ ab eo Sextiæ adpellantur, devicit, Fabrateria colonia deducta eſt.* Id eſt, anno poſt Romam conditam IↃCXXVIII, ante natum Ieſum CXXIIII. Plinio lib. III cap. V referuntur *Fabraterni novi, Fabraterni veteres.* Et Romæ inſcriptio antiqua marmorea hæc habet verba: FABRATERNOR. NOVOR. Et apud Lirim amnem in ipſo opido *Falvatera* alii inſcriptioni hæc inſunt: FABRATERNI. NOVANI. At *Novam* iſtam *Fabrateriam* haud magni præ veteri fuiſſe momenti, vel ex eo colligas, quòd ſuprà citatis auctoribus una tantùm, ſine aliquo cognomine, ut per ſe ſatis nota, citatur. & in fragmento Kalendarii antiqui, ubi *nundinæ* recenſentur Interamnæ, Minturnis, Romæ, Capuæ, Caſini; & ipſa ſine cognomine adponitur *Fabrateria.* tum & apud Ceperanum in lapide exſtat. II VIR. AVGVR. FABRAT. ſine cognomento. In re tamen tam incertâ certi aliquid ſtatuere nolim.

Reliquum hinc per Volſcorum agrum viæ Latinæ iter, quod ſuprâ perſcripſi, repetere heic haud abs re fuerit. id ſic habet:

Tabulæ:		Antoninus:	
Fabraterie		*Fabrateriæ*	
Melfel	IIII.	|	
Aquino	IIII.	*Aquino*	VIII.
Caſinum	VIIII.	*Caſino*	VII.

Idem iter Strabonem quoque & Livium referre; niſi, quòd inter *Aquinum* & *Caſinum* interponant *Interamnam*; ſuprà ad Fregellarum expoſitionem vidimus.

AQVINVM *colonia & municipium.*

Infra Treri igitur confluentem, medio itinere inter Fabrateriam & Aquinum Melfes fluvius in eumdem confluit Lirim, ſed ab lævâ ripâ; vulgò nunc Melfa dictus; de quo plura infrà in expoſitione ipſius *Liris* dicentur. AQVINVM, tenue nunc opidum, at epiſcopali dignitate inſigne, vulgò vocatur *Aquino*. Memoratur Ciceroni, Livio, Straboni, Silio, Plinio, Ptolemæo, Spartiano, & præſcriptis Itinerariis. Cicero Famil. lib. VIIII epiſt. XXIIII: Nam & Aquini & Fabrateriæ conſilia ſunt inita de me. Livius lib. XXVI: *Inde præter Interamnam Aquinumque in Fregellanum agrum ad Lirim fluvium ventum.* Silius lib. VIII:

At qui Fibreno miſcentem flumina Lirim
Sulfureum, tacitisque vadis ad litora lapſum,
Adcolit Arpinas, accitâ pube Venafro,
Alatrinatum dextris ſocia hiſpidus arma
Commovet, atque viris ingens exhaurit Aquinum.

Opidani

Opidani inde dicebantur AQVINATES. Idem Silius lib. XII:

——— *Mox & vicinus Aquinas*
Et quæ fumantem texêre giganta Fregellæ
Agmine carpuntur volucri.

Cicero in Philippicâ II: *Ab hac perturbatione religionum advolas in M. Varronis fundum Caſinatem.* Paullo pòſt: *Caſino ſalutatum veniebant, Aquino, Interamnâ. admiſſus eſt nemo. Quum inde Romam proficiſcens ad Aquinum accederet; obviam ei proceſſit (ut eſt frequens municipium) magna ſanè multitudo. at iſte opertâ lecticâ latus eſt per opidum, ut mortuus. Stultè Aquinates. ſed tamen in viâ habitabant.* In oratione pro Cn. Plancio: *Nemo Arpinas non Plancio ſtuduit, nemo Soranus, nemo Caſinas, nemo Aquinas.* Strabo lib. V: Ἀκύινον μεγάλη πόλις ἐστὶ, παρ' ἣν ὁ Μέλπις ῥεῖ ποταμὸς μέγας. id eſt: *Aquinum urbs eſt magna; quam magnus præterfluit amnis Melpis.* Haud perinde magnus eſt amnis. de urbis autem magnitudine idem ſatis apertè teſtatur Cicero, dum ait, *frequens eſſe municipium.* Hinc igitur inſcriptio antiqua:

II VIRO · I · D
OB · MVNIFICENT
ET · MERITA · ERGA · REMPVBLICAM

Coloniam etiam quondam fuiſſe deductam à Romanis, auctores ſunt Frontinus, Plinius, atque Tacitus. Frontinus in libro de Coloniis: *Aquinum muro ducta colonia, à triumviris deducta.* Plinius lib. III cap. V: *Intus coloniæ, Capua, Aquinum, Sueſſa, Venafrum, Sora.* Tacitus Hiſtor. lib. I: *Sepoſitus per eos dies Corn. Dolobella in coloniam Aquinatem.* Et lib. II: *Occìdi Dolobellam juſſit; quem in coloniam Aquinatem ſepoſitum ab Othone retulimus.*

Sequitur hinc INTERAMNA, ad diſcrimen *Interamnæ* in Vmbriâ LIRINAS cognominata ab *Liri* amne. Memoratur Ciceroni, Livio, ac Straboni. ſed huic neutrò genere dicitur Ἰντεράμνιον, INTERAMNIVM; ut & illa Vmbriæ urbs Tabulæ itinerariæ vocatur. Opidani ab Interamnâ Lirinate erant INTERAMNATES LIRINATES; & alio cognomine SVCCVSANI. Cicero ſuprà dictâ Philippicâ II: *Caſino ſalutatum veniebant, Aquino, Interamnâ.* Livius lib. XXVI: *Sub Caſinum biduo ſtativa habita. inde præter Interamnam Aquinumque in Fregellanum agrum ad Lirim fluvium ventum.* Et lib. X: *In agro Interamnati.* Strabo lib. V: Εἶθ' ἑξῆς μὲν ἐπ' αὐτῆς τῆς Λατίνης ὁδοῦ εἰσιν ἐπίσημοι κατοικίαι καὶ πόλεις, Φερεντῖνον, Φρουσινὼν, παρ' ἣν ὁ Κόσας ῥεῖ ποταμός. Φαβρατερία, παρ' ἣν ὁ Τρῆρος ῥεῖ. Ἀκύινον μεγάλη πόλις, παρ' ἣν ὁ Μέλπις ῥεῖ ποταμὸς μέγας. Ἰντεράμνιον, ἐν συμβολῇ δυοῖν ποταμῶν κείμενον, Λείριός τε καὶ ἑτέρου. Κασῖνον, καὶ αὐτὴ πόλις ἀξιόλογος, ὑστάτη τῶν Λατίνων. Hoc eſt: *Poſthinc in ipsâ viâ Latinâ opida ſunt nobilia atque urbes, Ferentinum, Fruſino, præterfluente Coſâ amne; Fabrateria, quam Trerus præterlabitur; Aquinum, urbs magna, quam Melpis præterfluit fluvius magnus Interamnium, intra confluenteis duorum amnium, Liris atque alterius. Caſinum, & ipſa illuſtris, Latinorum ultima.* Hic ſitus Interamnæ quum tam diſertè ab Livio pariter ac Strabone deſcribatur; nempe inter Caſinum & Aquinum ad amnem Lirim; miror ego, qua ratione plerique hactenus eam interpretati ſint id opidulum, quod longè extra viam Latinam, verſùs ſeptemtriones, è regione Arpini opidi apud Lirim, vulgò nunc vocatur *L'Iſola:* de quo plura dicam infrà ad Arpini expoſitionem. Opidum hodiè, haud procul viâ Latinâ, apud dextram Liris ripam vulgari adpellatione dicitur *Ponte Corvo*, antiquis inſcriptionibus, quæ heic exſtant, maximè clarum. unde multi id Fregellas eſſe hactenus putarunt. quas tamen nos certis documentis hinc ad Ceperanum opidum removimus. Ex adverſo autem Pontis Curvi in lævam Liris ripam influit amnis, ab Caſino & S. Eliæ opido delatus; inter quem & Lirim antiquæ urbis veſtigia nonnulla hodiéque viſuntur. quas veteris Interamnæ Lirinatis eſſe reliquias prædicta Livii Strabonisque deſcriptio apertè docet. Atque hinc haud dubiè prædictæ inſcriptiones antiquæ in novum opidum Pontis Curvi translatæ fuêre. Chronicon Caſinenſe lib. I cap. XL, ſub Ludovico II imperatore: *Eo etiam tempore Rodoaldus Gaſtaldus in Aquinenſi villâ ſecus Pontem Curvum caſtrum ædificavit; quod ab eiusdem pontis nuncupatione Pons Curvus adpellatum eſt.* Et lib. III cap. XLVI: *Huic monaſterio conceſſerunt, Fructam caſtrum, & Teramen, &*

Pedemontis, & Mortulam, & Tucurigium, & Turrem ad mare. Cap. LX: *Terras, quas homines noſtri de caſtro Teramenſi & Plumbariolâ & Pedemontis ab Aquinenſibus emerant*. Lib. IIII cap. XXXIIII: *Hoc tempore Lândo & Adenulfus, Aquinenſes comites, caſtrum Terame ruſticorum proditione ingreſſi, & eiusdem habitatores caſtri in ſuam fidem jurare facientes, opida monaſterii prædari cœperunt*. Vt illa Vmbriæ Interamna cognomine Nartis ad Narem amnem vulgò nunc dicitur *Térami, Térani, Terni*; & Prætutiorum Interamnium, quod in Piceni regione deſcripſimus *Téramo*; ſic haud dubiè hæc quoque *Interamna Lirinas* poſteriori ſæculo vulgariter vocitata eſt *Terame caſtrum*. Hanc verò Chronicon iſtud Caſinenſe non Arpino ſed Aquino facit conterminam. Plinio unde eadem SVCCVSANA cognominata ſit, parum adhuc exploratum habeo: niſi, quòd hæc reperierim apud Varronem de Latinâ lingvâ lib. IIII; ubi de regionibus urbis Romæ ei ſermo eſt: *Eidem regioni attributa Subura, quòd ſub muro terreo Carinarum. Iunius ſcribit ab eo, quòd fuerit ſub antiquâ urbe, cui teſtimonium poteſt eſſe, quòd ſubeſt ei loco, qui terreus murus vocatur. Sed ego à pago potiùs Sucuſano dictam puto Sucuſam. Nunc ſcribitur litera b, non c. Pagus Sucuſanus, quòd ſuccurrit Carinis*. Et apud Pompeium Feſtum hæc ſunt: *Suburam Verrius à pago Succuſano dictam ait. hoc verò maximè probat eorum auctoritate, qui aiunt, ita adpellatam & regionem urbis & tributum à ſtativo præſidio, quòd ſolitum ſit ſuccurrere Eſquiliis; infeſtantibus eam partem urbis Gabinis. indicioque eſſe, quòd adhuc ea tribus per c literam non per b ſcribatur*. An aliqua urbis regio vel Iunii iſtius vel Varronis vel Verrii tempore vocitata fuerit Pagus Succuſanus, ex iſthac relatione incertum manet. at verò id vulgò conſtat, *tribus* populi Romani, quæ complures numero fuêre, à regionibus ſive pagis circa urbem Romam ſubinde perdomitis nomina traxiſſe: cuius rei etiam exempla nonnulla ſuprà in Etruriâ, Sabino agro, Latio, relata ſunt: & item noviſſimè in ipsâ hac Volſcorum regione *Pomptinæ tribus* exemplum. Credibile igitur eſt, SVCCVSANVM fuiſſe PAGVM circa hanc noſtram *Interamnam Lirinatem*; à quo *tribus* dominata fuit. nam & ultra hæc loca ex *Falerno* ac *Stellate* agris duæ tribus, *Falerna & Stellatina*, cognomenta accepere; ut infrà videbimus. Plinii igitur verba hæc ſunt lib. III cap. V: *Interamnates Succuſani, qui & Lirinates vocantur*. Et lapis antiquus, qui haud longè hinc apud opidum S. Germani exſtat, ſic habet: CVR · R · P · INTERAMNAT · LIRIN. Coloniam fuiſſe Romanorum in primis antiquam, teſtis eſt Livius, & item Olympiadum auctor ἀνώνυμος. Livius lib. X: *Samnites Interamnam, coloniam Romanam, quæ viâ Latinâ eſt, occupare conati*. Annum deductæ coloniæ adnotaverat anteà lib. VIIII: ſed is locus poſteà ab exſcriptoribus corruptus eſt. Vulgata exemplaria ſic habent: *Sueſſa & Pontia eodem anno coloniæ deductæ ſunt. Sueſſa Auruncorum fuerat: Volſci Pontias inſulam, ſitam in conſpectu litoris ſui, incoluerant. Et in tertiam Caſinum ut deducerentur coloni, ſenatus conſultum factum eſt. ſed triumviros creavêre ac miſêre colonorum* IIII *millia inſequentes conſules, M. Valerius, P. Decius*. Sic equidem locum hunc corrigere conatus eſt Sigiſmundus Gelenius; quum vulgò eſſet, *Minturnæ & Caſſinum ut deducerentur*. at Carolus Sigonius ad eadem verba ita commentatur: *Veteres libri alii habent, Et Minturna & Caſinum; alii, Veternam & Caſinum; alii Internam & Caſinum. Ego reſtituendum puto ita; Et ut Interamnam & Caſinum deducerentur coloniæ*. Firmat hanc lectionem ſuam Sigonius præſcripto Livii loco lib. X. Ac ſanè adeò vera eſt, ut teſtimonio etiam Olympiadum auctoris ἀνωνύμου comprobetur: qui ita habet: Ὀλυμπιάδος ριζ΄ ἔτει β΄ εἰς Ἰντεράμναν πόλιν ἀποίκους ἀπέστειλαν. Id eſt: *Olympiadis* CXVII *anno* II *Romani in urbem Interamnam miſêre colonos*. Scilicet hoc anno conſules Romæ fuêre M. Valerius Maximus & P. Decius Mus; in quorum conſulatu coloniam Interamnam deductam fuiſſe, teſtatur Livius. Hinc Frontinus in libro de Coloniis: *Interamna, opidum muro ductum, à triumviris eſt munitum. Ager eius militis merito eſt adſignatus in laciniis limitibus interciſivis*.

CASINVM, *colonia & municipium.*

Vltimum Novi Latii ſeu Volſci agri in viâ Latinâ fuit CASINVM *opidum*; quod in multis auctorum exemplaribus geminato SS invenitur CASSINVM. ſed inſcriptiones antiquæ pariter omnes, quotquot in meam pervenerunt notitiam ſimplex habent S. Memoratur Catoni, Varroni, Ciceroni, Livio, Columellæ, Straboni, Silio, Plinio, Itinerariis antiquis. Opidani inde dicebantur CASINATES. Opidi meminit M. Cato Rer. ruſticar. cap. CXXXV, Plinius lib. III cap. V & lib. VII cap. IIII.

Cicero

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Cicero in Philippicâ II: *Caſino ſalutatum veniebant, Aquino, Interamnâ.* Et anteà, *L. Rubrius Caſinas.* In oratione pro Cn. Plancio: *Nemo Arpinas non Plancio ſtuduit, nemo Soranus, nemo Caſinas.* Cato Rer. ruſt. cap. CXXXVI & CLIII: *In agro Caſinate.* Reliquos auctores ſubinde, ut res poſtulabit, producemus. Cæterùm de nominis origine ita legitur apud M. Varronem de Latinâ linguâ lib. VI: *Caſcum ſignificat vetus. eius origo Sabina: quæ usque radices in Oſcam linguam agit. Caſcum vetus ſignificat Ennius, quum ait;*

Quam primùm caſci populi genuère Latini.

Eo magis, Manilius quòd ait, Caſcum duxiſſe caſcam, non mirabile eſt; quoniam canoras conficiebant nuptias. Item oſtendit Papinii epigrammation, quod in adoleſcentem fecerat Caſcam;

Ridiculum eſt, quum te Caſcam tua dicit amica
Caſca Philotonis, ipſa ſenex puerum.
Dic tu illam puſam: ſic fiet, Mutua muli.
Nam verè puſus tu, tua amica ſenexſt.

Item oſtendit, quòd opidum vocatur Caſſinum. hoc enim à Sabinis orti Samnites tenuerunt; & nunc noſtri. unde & Caſſinum forum, vetus. Item, ſignificant in Atellanis aliquot papum ſenem; quod Oſci Caſnar adpellant. Samnites equidem hæc loca tenuiſſe, ex iis colligere licet, quæ ſuprà ad Fregellarum expoſitionem ex Livii lib. VIII allata ſunt. ſed an ex Caſini ſolo illi Volſcos expulerint, ut ab Fregellis, incertum eſt. & hoc etſi certum foret; tamen non conſtaret, utrùm Samnites novum tunc heic condiderint opidum, an ex Volſcis captum novo tantùm hoc nomine *Caſinum* adpellaverint. Quia poſteà Novo Latio adcenſitum fuit; quod teſtatur dicto lib. V Strabo; & ipſum haud dubiè à Volſcis aliquando habitatum fuit. Coloniam Romanos deduxiſſe jam inde Olympiadis CXVII anno II, id eſt, anno urbis Romæ CCCCXLII, M. Valerio Maximo ac P. Decio Mure conſulibus; hoc eſt, ante natum Ieſum CCCXI; paullo antè ad *Interamnæ* expoſitionem intelleximus. Hinc Frontinus in libro de Coloniis: *Caſinum, muro ducta colonia, triumvirali in jugeribus eſt adſignata. milites legionarii deduxerunt.* Et lapidis inſcriptio, apud opidum S. Germani: PATRON · COL · Municipium etiam poſteà factum, teſtis eſt alius lapis, his verbis: QVINC · IN · MVNICIPIO · SVO · CASINI. Sed ſitus eius erat indicandus. Dicto S. Germani opido imminet excelſus mons, in quo cœnobium, divo Benedicto exſtructum conſecratumque, vulgò dicitur *Monte Caſino:* de quo ita legitur in Privilegio Benedicti papæ VIII, anno Chriſti CIↃXXIII dato: *Monaſterium & S. Benedicti, quod ſitum eſt in monte, qui dicitur Caſtrum Caſinum.* Paullus Diaconus Langobard. rer. lib. I cap. XXVI, & Aimoinus Francicar. rer. lib. II cap. XVI, in rebus ſub Iuſtiniano imperatore geſtis: *His diebus beatiſſimus Benedictus pater, prius in loco, qui Sublacus dicitur, & poſteà in Caſtro Caſino, quod Harum adpellatur, & magnæ vitæ meritis & Apoſtolicis virtutibus effulſit.* Et Paullus eodem capite poſteà: *Huc autèm in Caſini arcem perveniens, in magnâ ſe ſemper abſtinentiâ coarctavit.* Et lib. IIII cap. XVIII: *Circa hæc tempora cœnobium beati Benedicti patris, quod in Caſtro Caſino ſitum eſt, à Langobardis noctu invaditur.* Aimoinus dicto lib. I cap. II: *Huius principis* [Theudiberti, regis Francorum] *temporibus à Cenomanicâ urbe legati, ad Caſtrum Caſinum profecti, beatiſſimum patrem Benedictum, poſt eremiticam vitam in illo ſancto degentem cœnobio, omnigenâ popoſcerunt prece, ut fratres in monaſticâ probatos converſatione ad occidentaleis dirigeret parteis.* Sigebertus in Chronico, anno Chriſti IↃCLI: *Cœnobium Floriacenſe à Leodobaldo abbate fundatur. & non multo pòſt corpus S. Benedicti abbatis, ab Agiulfo monacho à Caſtro Caſino delatum, illuc transportatur.* Paul. Diaconus Langobard. rer. lib. VI cap. II: *Circa hæc tempora quum in Caſtro Caſino, ubi beatiſſimi Benedicti ſacrum corpus requieſcebat, aliquantis jam elapſis annis vaſta ſolitudo exſiſteret, venientes de Cenomannicorum vel Aurelianenſium regione Franci, dum apud venerabile corpus pernoctare ſe ſimulaſſent; eiusdem venerabilis patris, pauciterque eius germanæ venerandæ Scholaſticæ oſſa auferentes, in ſuam patriam abſportarunt.* Meminit iterum Caſtri Caſini eiusdem libri cap. XL; & Sigebertus in anno IↃCCXIII; item Aimoinus lib. IIII cap. LX, ac Regino in Chronico, an. IↃCCXLVI. Gregorius verò Magnus Dialogor. lib. II cap. VIII ita ſcribit: *Caſtrum, quod Caſinum dicitur, in excelſi montis latere ſitum eſt. qui videlicet mons diſtenſo ſinu hoc idem caſtrum recipit. ſed per tria millia in altum ſe ſubrigens, velut ad aëra cacumen tendit; ubi vetuſtiſſimum fanum fuit, in quo ex antiquorum more genti-*

gentilium à ſtultorum ruſticorum populo Apollo colebatur. Illuc vir Dei S. Benedictus perveniens, contrivit idolum, ſubvertit aram: atque in ipſo templo Apollinis oraculum beati Martini, ubi verò ara eiusdem Apollinis fuit, oraculum S. Ioannis conſtruxit. Hoc igitur loco, in latere ſeu ſinu montis, antiquum illud fuiſſe opidum Caſinum, cùm nomen ipſum caſtri Caſini, tum ſitus in ſublimi, quem veteres auctores Caſino tribuunt, apertè declarant. Silius lib. IIII:

——— *Et nebuloſi rura Caſini.*

Livius ſuprà dicto lib. XXVI: *Per Sueſſanum Venafranumque & Caſinatem agrum viâ Latinâ ducit. ſub Caſinum biduo ſtativa habita. inde præter Interamnam Aquinumque in Fregellanum agrum ad Lirim fluvium ventum.* Sic & Varro Ruſticar. rer. lib. III cap. IIII & V dixit, *Sub Caſino*; & eodem cap. V poſteà, *Sub opido Caſino*.

De cætero ſub Caſino opido fuit M. TERENTII VILLA; ipſi Varroni ac Ciceroni memorata. Cicero in Philippicâ II: *Ab hac perturbatione religionum advolas in M. Varronis, ſanctiſſimi atque integerrimi viri, fundum Caſinatem.* Paullo pòſt: *At quàm multos dies in eâ villâ turpiſſimè es perbacchatus? Ab horâ tertiâ bibebatur, ludebatur, vomebatur. O tecta ipſa miſera, quàm diſpari domino. Quamquàm, quomodò iſte dominus? Sed tamen, quàm à diſpari tenebantur! Studiorum enim ſuorum M. Varro voluit eſſe illud, non libidinum, diverſorium. Quæ in illâ villâ antè dicebantur? quæ cogitabantur? quæ literis mandabantur? Iura populi Romani: monumenta maiorum: omnis ſapientiæ ratio, omnisque doctrina.* Ipſe Varro Ruſticar. rer. lib. III cap. V: *Cui ego; Quum habeam ſub opido Caſino flumen, quod per villam fluat liquidum, & altum, marginibus lapideis, latum pedes LVII, & è villâ in villam pontibus transeatur, longum pedes IↃCCCCL, directum ab inſulâ in Muséum, quæ eſt ab Vinio fluvio; ubi confluit altera amnis ad ſummum flumen; ubi eſt Muséum.* Deſcribit hinc omnem villam parteisque eius. Sed neſcio, an minor iſte amnis, qui villam hanc perfluebat, idem fuerit Plinii lib. II cap. CIII SCATEBRA fluvius. *In Caſinate*, inquit, *fluvius adpellatur Scatebra, frigidus, abundantior æſtate.* Certè hac naturâ hodiéque amnis in ipſo S. Germani opido & ſub mœnibus eius plurimis uberrimisque fontibus erumpens, poſt duo fermè millia paſſuum in maiorem influit fluvium, qui IIII millia ſupra S. Germani opidum ad opidum S. Eliæ exortus, poſt XIII circiter millia in Lirim confluit, ex adverſo opidi Pontis Curvi. Circa confluentem minoris illius amnis, duo circiter millia infra S. Germani opidum, hodiéque rudera viſuntur antiquarum fabricarum. quas ego reliquias reor eſſe *villæ M. Varronis*. Maioris autem fluminis, quod in Lirim influit, nomen neſcio an ſatis incorruptum ſit apud Varronem VINIVM. quidpe nonnulla exemplaria habent, *ab Vimo fluvio*. apud Columellam verò Ruſt. rer. lib. VIII cap. XVI ita legitur: *Et jam cum avorum memoriâ circumfertur M. Philippi, velut urbaniſſimum, quod erat luxurioſiſſimum, factum atque dictum. nam is fortè Caſini quum apud hoſpitem cænaret, adpoſitumque è vicino flumine lupum deguſtaſſet, atque expuiſſet; improbum factum dicto proſequutus; Peream, inquit, niſi piſcem putavi.* Hæc ſanè vox *vicino* haud longè abeſt ab illâ *Vinio*: ita, uti, & ipſum Varronem ſcripſiſſe, facilè quis ſuſpicetur, *ab vicino fluvio*. Verùm ex minore flumine, quod Varronis perfluebat villam, lupum hunc piſcem adpoſitum fuiſſe Philippo, diſertè teſtatur ipſe Varro eodem lib. III cap. III. *Non Philippus*, inquit, *quum ad Immidium hoſpitem Caſini divertiſſet; & ei è tuo flumine lupum piſcem formoſum adpoſuiſſet, atque ille guſtaſſet, & exſpuiſſet, dixit; Peream, ni piſcem putavi eſſe?* Cæterùm copioſos hoſce frigidosque Scatebræ amnis fonteis Silius quoque innuere voluit lib. XII, his verbis:

——— *Nymphisque habitata Caſini*
Rura evaſtantur.

Porrò ſupra Caſinum Aquinumque verſùs ſeptemtriones circa Melfis fluvii fonteis eſt antiqua in primis Volſcorum *urbs* ATINA, hodiéque nomen id retinens; niſi quod interdum dicatur *Atino*. Memoratur Virgilio, Livio, Silio, ac Martiali. Opidani inde ſunt Ciceroni in oratione pro Cn. Plancio, & Virgilio lib. XI & XII, ac Plinio lib. III cap. V, ATINATES. Vetuſtiſſima opidi memoria eſt apud Virgilium lib. VII; ubi Aeneæ rebus id immiſcet his verſibus:

Quinque adeò magnæ, poſitis incudibus, urbes
Tela novant; Atina potens, Tiburque ſuperbum,
Ardea, Cruſtumerîque, & turrigeræ Antemnæ.

Hinc Martialis lib. x epigr. xcii:

Mari, quietæ cultor & comes vitæ;
Quo cive priſca gloriatur Atina.

Virgilius Aeneid. lib. xi; ubi in pugnâ cecidit *Camilla* Volſcorum regina:

Turbati fugiunt Rutuli, fugit acer Atinas.

Lib. xii: *Soli pro portis Meſſapus & acer Atinas*
Suſtentant aciem.

Silius lib. viii:

Sylla Ferentinos Privernatumque maniplos
Ducebat, ſimul excitos: Soræque juventus
Addita fulgebat telis. heic Scaptia pubes,
Heic Fabrateriæ vulgus: nec, monte nivoſo
Deſcendens, Atina aberat; detritaque bellis
Sueſſa, atque à duro Fruſino haud imbellis aratro.

Ad Virgilii lib. vii ita commentatur Servius: *Atina potens. Civitas eſt juxta Pomptinas paludes: dicta Atina à morbis, qui Græcè ἄτῃ dicuntur; quos paludes vicinitas creat.* Sanè curioſum magis grammaticum, ut haud rarò aliàs, heic quoque ſe prodit Servius, quàm geographum. Pomptinæ paludes quo tractu fuerint, abundè ſuprà demonſtratum eſt. ab iis certè longè remota eſt *Atina*, apud ipſum Apenninum montem in edito &, ut Silius ait, *nivoſo* colle ſita. Cæterùm in hiſtoriis antiquiſſima eius memoria exſtat apud Livium lib. viii, ſub L. Papirio Curſore quintùm & C. Iunio Bruto Bubulco iterum conſulibus, anno urbis Romæ ccccxli, ante natum Ieſum Chriſtum cccxii. *Qui captæ*, inquit, *decus Nolæ ad conſulem trahunt, adjiciunt, Atinam & Calatiam ab eodem captas.* Fuiſſe poſteà municipium Romanorum, teſtatur lapis, qui heic repertus, inter alia verba MVNICIPI vocabulum ferens. At Cicero in oratione pro Cn. Plancio *præfecturam* adpellat. *Tu es*, inquit, *ex municipio antiquiſſimo Tuſculano. hic eſt è præfecturâ Atinati; non tam priſcâ, non tam honoratâ, non tam ſuburbanâ. Vtrum magis facere putas Atinateis an Tuſculanos ſuis?* Paullo pòſt: *Tui municipes ſunt illi quidem ſplendidiſſimi homines; ſed tamen pauci; ſiquidem cum Atinatibus conferantur. huius præfectura plena virorum fortiſſimorum: ſic, ut nulla totâ Italiâ frequentior dici poſſit.* Tandem etiam coloniam factam, auctor eſt Frontinus in libro de Coloniis, *Atina*, inquit, *muro ducta colonia. deduxit Nero Claudius Cæſar.*

Ab Atinâ verſùs Solis occaſum, inter Melſem & Lirim, ſed propiùs hunc, eſt antiquiſſimum itidem opidum ARPINVM, vulgò nunc *Arpino* dictum. Memoratur Ciceroni, Salluſtio, Livio, Diodoro, Val. Maximo, Plinio, Martiali, divo Hieronymo, Feſto. Opidani inde Plinio lib. iii cap. v, Ciceroni de Legibus lib. i, & alibi, tum aliis etiam auctoribus, ARPINATES. Opidi frequenter meminit Cicero in Epiſtolis; ut cuius patria erat. Hieronymus in Euſebii Chronicor. lib. ii: *Cicero Arpini naſcitur, matre Helviâ, patre equeſtris ordinis, ex regio Volſcorum genere.* Hinc Silius lib. viii:

ARPINVM *municipium & præfectura.*

At, qui Fibreno miſcentem flumina Lirim
Sulfureum, tacitisque vadis ad litora lapſum,
Adcolit Arpinas, adcitâ pube Venafro,
Alatrinatum dextris ſocia hiſpidus arma
Commovet, atque viris ingens exhaurit Aquinum.
Tullius æratas raptabat in agmina turmas
Regia progenies, & Tullo ſangvis ab alto.

Et lib. xii: ——— *Tu converte cohorteis*
Ad lævam patrias, Alatrinatia ſigna,
Clarum Volſcorum, Tulli decus.

Plutarchus in vitâ Ciceronis: Κικέρωνος δὲ τὴν μὲν μητέρα λέγουσιν Ὀλβίαν καὶ γεγονέναι καὶ καλῶς βεβιωκέναι· περὶ δὲ τοῦ πατρὸς οὐδὲν ἦν πυθέσθαι μέτριον. οἱ μὲν γὰρ ἐν κναφείῳ τινὶ καὶ γενέσθαι καὶ τραφῆναι τὸν ἄνδρα λέγουσιν· οἱ δ᾽ εἰς Τύλλιον Ἄππιον ἀνάγουσι τὴν ἀρχὴν τοῦ γένους, βασιλεύσαντα λαμπρῶς ἐν Οὐολούσκοις. Id eſt: *Ciceronis verò matrem quidem Helviam tradunt claro genere & honeſtâ vitâ fuiſſe; de patre autem, nihil mediocre fertur: alij enim in fulloniâ officinâ natum, & educatum dicunt; alii ad Appium Tullium, clarum Volſcorum regem, generis principium referunt.* Sed eadem & C. Marii, ſepties conſulis fuit pa-

tria. Salluſtius in libro de Bello Iugurthino, de Mario: *Is natus & omnem pueritiam Arpini altus*. Valerius Max. lib. II cap. II: *Quapropter non es damnandus ruſtici rigoris C. Mari, qui geminâ lauro coronatam ſenectutem tuam, Numidicis & Germanicis illuſtrem trophæis, victor devictæ gentis facundiâ politiorem fieri noluiſti. credo, ne alienigenâ ingenii exercitatione patrii ritus ſervus transfuga exſiſteres. Quis ergo huic conſvetudini, qua nunc Græcis actionibus aures curiæ exſurdantur, januam patefecit? Vt opinor, Molo rhetor: qui ſtudia M. Ciceronis acuit. eum namque ante omneis exterarum gentium in ſenatu ſine interprete auditum, conſtat; quem honorem non immeritò cepit; quoniam ſummam vim Romanæ eloquentiæ adjuverat. Conſpicuæ felicitatis Arpinum; ſive unicum literarum glorioſiſſimum contemptorem, ſive abundantiſſimum fontem iutueri velis*. Et lib. VI cap. VIIII: *Iam C. Marius maxima fortunæ luctatio eſt. omnes enim eius impetus tam corporis quàm animi robore fortiſſimè ſuſtinuit. Arpini honoribus judicatus inferior, quæſturam Romæ petere auſus eſt. patientiâ deinde repulſarum irrupit magis in curiam, quàm venit*. Mox: *Ex illo Mario tam humili Arpini, tam ignobili Romæ tamque faſtidiendo candidato, ille Marius evaſit, qui Africam ſubegit, Iugurtham regem ante currum egit: qui Teutonorum Cimbrorumque exercitus delevit*. Iuvenalis Satyrâ VIII, de eodem Mario ac Cicerone:

Quis, Catilina, tuis natalibus atque Cethegi
Inveniet quidquam ſublimius? Arma tamen vos
Nocturna & flammas domibus templisque paraſtis;
Vt Braccatorum pueri Senonumque minores,
Auſi, quod liceat tunicâ punire moleſtâ.
Sed vigilat conſul; vexillaque veſtra coërcet.
Hic novus Arpinas, ignobilis, & modò Romæ
Municipalis eques, galeatum ponit ubique
Præſidium attonitis; & in omni gente laborat.
Tantum igitur muros intra toga contulit illi
Nominis & tituli, quantum non Leucade, quantum
Theſſaliæ campis Octavius abſtulit udo
Cædibus adſiduis gladio. ſed Roma parentem,
Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit.
Arpinas alius Volſcorum in monte ſolebat
Poſcere mercedes alieno laſſus aratro;
Nodoſam poſt hæc frangebat vertice vitem
Si lentus pigrâ muniret caſtra dolabrâ.
Hic tamen & Cimbros & ſumma pericula rerum
Excipit; & ſolus trepidantem protegit Vrbem.

Sed vetuſtiſſima opidi mentio eſt apud Livium lib. VIIII, in conſulatu L. Poſthumii Megelli & Ti. Minucii Augurini; anno poſt conditam Romam CCCCXLVIII, ante natum Ieſum CCCV. *Eodem*, inquit, *anno Sora, Arpinum, Conſentia, recepta ab Samnitibus*. Vna ſanè totâ Italiâ fuit Conſentia; caput Bruttiorum; qui extimum Italiæ angulum apud fretum Siculum incoluerant. Ea autem urbs nihil huc facere poteſt; quando eâ tempeſtate Romani arma ſua nondum eò usque pertulerant. Lege itaque *Aeſerniam:* quod hoc tractu circa Atinam Caſinumque apud Vulturnum amnem eſt opidum, vulgò nunc *Iſernia* dictum. Apud Diodorum in eâdem hiſtoriâ lib. XX ita legitur: Οἱ δ' ὕπατοι τοιούτοις προτερήμασι χρησάμενοι, τῶν συμμαχίδων πόλεων τὰς ἁλούσας ἀνεκτήσαντο, Σώραν, καὶ Σερεννίαν. Id eſt: *Conſules itaque, rebus ita proſperè geſtis, de ſociis urbibus, quæ captæ fuerant, Soram, Arpinam, & Serenniam recuperarunt*. Heic quoque non modò ex Σερεννίαν faciendum Αἰσερνίαν, ſed ex Α'ρπίναν etiam Α'ρπῖνον. Biennio pòſt, L. Genucio Aventinenſi & Ser. Cornelio Lentulo conſulibus, municipium factum fuiſſe Romanum, oſtendit Livius ſub initium libri X. *Eodem*, inquit, *anno Arpinatibus civitas data*. Et lib. XXXVIII, annis CXIIII pòſt, in conſulatu M. Valerii Meſſalæ & C. Livii Salinatoris, ante Chriſtum natum CLXXXVIIII: *De Formianis Fundanisque municipibus & Arpinatibus C. Valerius Tappo, tribunus plebis, promulgavit, ut iis ſuffragii latio (nam antè ſine ſuffragio habuerant civitatem) eſſet. Huic rogationi quatuor rribuni plebis, quia non ex auctoritate ſenatus ferretur, quum intercederent; edocti, populi eſſe, non ſenatus, jus, ſuffragium, quibus velit,*

velit, impartiri, deſtiterunt incœpto. Relatio perlata eſt, ut in Æmiliâ tribu Formiani & Fundani, in Corneliâ Arpinates ferrent. Hinc Cicero in oratione pro Cn. Plancio: *Nemo Arpinas non Plancio ſtuduit, nemo Soranus, nemo Caſinas, nemo Aquinas. totus ille tractus celeberrimus, Venafranus, Allifanus, tota denique noſtra illa aſpera & montoſa & fidelis & ſimplex & fautrix morum regio, ſe huius honore ornari, ſe augeri dignitate arbitratur. iisdemque nunc à municipiis adſunt equites Romani publicè cum legationis teſtimonio.* Et Famil. lib. XIII epiſt. XI: *Non dubito, quin ſcias non ſolùm, cuius municipii ſim; ſed etiam, quàm diligenter ſoleam meos municipes Arpinateis tueri.* Pompeius Feſtus: *Tertio modo municipium dicitur, quum id genus hominum definitur, qui ad civitatem Romanam ita venerunt, uti municipes eſſent ſuæ quisque civitatis & coloniæ; ut Tiburtes, Præneſtini, Piſani, Arpinates.* Hoc modo haud dubiè municipes erant Arpinates ab initio; quum etiamdum ſine ſuffragio civitatem haberent. Idem Feſtus etiam inter præfecturas Arpinum connumerat; nempe eas, in quas ibant præfecti, quos præter Vrbanus quotannis in quæque loca miſerat legibus.

Cæterùm vicus in Arpinati agro memoratur Plutarcho Κιῤῥαιάτων, CIRRAEATO, in vitâ C. Marii, his verbis: ὀψέ ποτε πόλιν εἶδε, καὶ τῆς ἐν πόλει διατριβῶν ἐγεύσατο. τὸν δὲ ἄλλον χρόνον ἐν κώμῃ Κιῤῥαιάτωνι τῆς Ἀρπίνης δίαιταν εἶχε. Hoc eſt: *Serò tandem Vrbem vidit, & Vitam guſtavit urbanam. Reliquum ætatis in vico agri Arpinatis Cirrhæatone egit.* Verùm vicus iſte quo ſitu fuerit, planè incertum eſt. Quin & ipſum vocabulum, ut multa alia propria nomina apud eumdem auctorem, neſcio quid mendoſi miniméque Volſcum ſive Latinum ſapit.

Ciceronem quoque fundum habuiſſe in eodem agro Arpinati, cùm ipſe teſtis eſt, tum Martialis. Cicero in oratione de Lege agrariâ contra Rullum ad populum ſecundâ: *Meus paternus avitusque fundus Arpinas.* Et de Legibus lib. II: ATTICVS; *Sed visne, quoniam & ſatis jam deambulatum eſt, & tibi aliud dicendi initium ſumendum eſt, locum mutemus, & in inſulâ, quæ eſt in Fibreno (nam id opinor illi alteri flumini nomen eſſe) ſermoni reliquo demus operam ſedentes?* MARCVS: *Sanè quidem. nam illo loco libentiſſimè ſoleo uti; ſive quid mecum ipſe cogito, ſive aliquid ſcribo aut lego.* Paullo pòſt: MARCVS; *Egò verò, quum licet plureis dies abeſſe, & amœnitatem & ſalubritatem hanc ſequor. Sed nimirum me alia quoque cauſa delectat; quæ te non attingit ita.* ATTICVS: *Quæ tandem iſta cauſa eſt?* MARCVS: *Quia, ſi verum dicimus, hæc eſt mea & huius fratris mei germana patria. heic enim orti ſtirpe antiquiſſimâ ſumus: heic ſacra, heic genus, heic maiorum multa veſtigia. quid plura? hanc vides villam, ut nunc quidem eſt, lautiùs ædificatam patris noſtri ſtudio. qui, quum eſſet infirmâ valetudine, heic ferè ætatem egit in literis. Sed hoc ipſo in loco, quum avus viveret, & antiquo more parva eſt villa, ut illa Curiana in Sabinis, me ſcito eſſe natum.* Et poſteà: ATTICVS: *Sed ventum in inſulam eſt. Hac verò nihil eſt amœnius. ut enim hoc quaſi roſtro finditur Fibrenus; & diviſus æqualiter in duas parteis, latera hæc adlait; rapidéque dilapſus, citò in unum confluit; & tantùm complectitur, quod ſatis modicæ palæſtræ loci. quo effecto, tamquàm id habuerit operis ac muneris, ut hanc noſtram efficeret ſedem ad disputandum; ſtatim ſe præcipitat in Lirim; &, quaſi in familiam patriciam venerit, amittit nomen obſcurius, Lirimque multo gelidiorem facit. nec enim aliud hoc frigidius flumen attigi, quum ad multa adceſſerim; ut vix pede tentare id poſſim.* Huc puto pertinere & illud ad Quinctum fratrem lib. III epiſt. I: *Ego ex magnis caloribus in Arpinati ſummâ cum amœnitate fluminis me refeci.* Vt & illud ad Atticum lib. XII epiſt. XIII: *Inſula Arpinas habere poteſt germanam* ἀποθέωσιν. Sed ex iſthac deſcriptione FIBRENVS amnis, inſulam, quæ patria fuit Ciceronum, apud Liris confluentem efficiens, nullus alius eſſe poteſt, quàm qui hodiè vulgari adpellatione dicitur *Il Fiume della Poſta.* in hoc quidpe eadem inſula eodem manet ſitu; cui ab oriente haud procul objacet Arpinum opidum: quod Silius etiam indicare voluit his verſibus:

—— Qui Fibreno miſcentem flumina Lirim
Sulfureum, tacitisque vadis ad litora lapſum,
Adcolit Arpinas.

Cæterò prædium hoc poſteà tenuiſſe *Silium*, teſtis eſt Martialis lib. XI epigram. XLVIIII, his verſibus:

Silius hæc magni celebrat monumenta Maronis,
Iugera facundi qui Ciceronis habet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Hæredem dominumque ſui tumulique Lariſque
Non alium mallet nec Maro nec Cicero.

Et epigram. LI:

Iam prope deſertos cineres & ſancta Maronis
Nomina qui coleret, pauper & unus erat.
Silius Arpino tandem ſuccurrit agello:
Silius & vatem non minùs ipſe tulit.

Porrò inter Arpinum atque Aquinum prædium memoratur eidem M. Tullio Ciceroni, quod Quincti fratris fuit, nomine ARCANVM. Verba eius ad Quinctum fratrem lib. III epiſt. I hæc ſunt: *In Arcano fui. ibi Meſſidiam cum Philoxeno aquamque, quàm ii ducebant non longè à villâ, bellè ſanè fluentem vidi.* Et lib. V epiſt. I: *Vt veni in Arpinum* [rectiùs ſanè *Arpinate*] *quum ad me frater veniſſet, in primis nobis ſermo atque multus de te fuit.* Mox: *Poſtridiè ex Arpinati profecti ſumus. Vt in Arcano Quinctus maneret, dies fecit; ego Aquini. ſed pranſimus in Arcano. noſti hunc fundum.* Poſteà: *Ego inde Aquinum: Quinctus in Arcano remanſit; & Aquinum ad me poſtridiè manè.* Mox: *A. Torquatum amantiſſimè dimiſi Minturnis.* Nempe ex Arpinati iter agebat M. Cicero Minturnas versùs; atque inde in Campaniam; ut ex ſequentibus diſertè patet epiſtolis. De eodem fundo ita lib. XVI: *Verti me à Minturnis Arpinum verſus. Conſtitueram, ut pridiè Idus aut Aquini manerem aut in Arcano.* Eſt hodiè opidum prædicto ſitu inter Aquinum Arpinumque, vulgari vocabulo *Arce* dictum, ducatus titulo nobile; quod haud dubiè antiquum eſt & opidum & vocabulum, à quo iſti Ciceroniano fundo cognomentum derivativâ dictione quæſitum. Latinum vocabulum opidi videtur fuiſſe ARX. ab huius quidpe caſu ablativo vulgaris hodiè loci adpellatio more Italicæ nunc lingvæ, facta eſt *Arce*. Apud Paul. Diaconum Longobard. rer. lib. VI cap. XXVII: *Hac ætate Giſulfus, Beneventanorum ductor, Suram, Romanorum civitatem, Hirpinos, atque Auxinium, cepit.* Alia exemplaria manu ſcripta habent, *Hirpinum atque Arcem.* Omnino ſcriptum fuiſſe cenſeo *Soram, Arpinum, Arcem, atque Aquinum.* Apud Martyrologium Romanum: *Quarto Calend. Iunii Arcani in Latio S. Eleutherii confeſſoris. Huius hiſtoriam habent antiqua quædam Aquinatis eccleſiæ monumenta.* Apud Ptolemæum ita habetur: Μάρσων πόλεις, Αἴξ, Ἀλφαβουκλίς. id eſt: *Marſorum urbes ſunt, Aex, Alfabucelis.* Hoc vocabulum corruptum eſſe ab verâ opidi adpellatione Ἄλβα Φουκήτις, *Alba Fucentis*, ſuprà lib. II cap. III. in Marſis docui. Conſimiliter alterum etiam vocabulum eſſe vitiatum, à germano Ἄρξ, *Arx*, haud equidem dubitaverim. & opida alienis gentibus adtribuere, haud novum nec inuſitatum eſt Ptolemæo. Apud Livium lib. VIII ita ſcriptum eſt: *Creati conſules L. Papirius Craſſus iterum, L. Plautius Venox. cuius principio anni legati ex Volſcis Fabraterni & Lucani Romam venerunt; orantes, ut in fidem reciperentur. ſi à Samnitium armis defenſi eſſent, ſe ſub imperio populi Romani fideliter atque obedienter futuros.* Neque à Lucâ Etruriæ apud Auxerem amnem neque à Luco Marſorum ad Fucinum lacum opido dicti fuêre opidani Lucani; ſed ab utroque Lucenſes; ut ſuprà lib. II cap. V & VI patuit: quemadmodùm etiam per Hiſpaniam Galliamque & reliquas Romanorum provincias paſſim huius nominis opidorum incolæ. *Lucani* autem dicebantur *Lucaniæ* regionis in Italiâ populi. Quapropter vehementer ego ſuſpicor, ſcripſiſſe ipſum Livium, Legati ex Volſcis Fabraterni & Arcani. Neque enim ullos alios opidi alicuius in Volſcis populos reperio, quorum nomen exierit in *cani*.

Suprà Arpinum & Ciceronis villam Fibrenique confluentem apud dextram Liris ripam ſitum eſt opidum antiquiſſimum, cui nomen etiam nunc manet SORA. Memoratur Plauto, Livio, Diodoro, Straboni, Silio, Plinio, Iuvenali, Ptolemæo, Stephani epitomatori. Sed apud hunc eſt Σαῦρα, *Saura*; ut apud Iul. Obſequentem eorumdem Volſcorum Cora dicitur Caura; quod ſuprà oſtenſum. Σαῦρα, inquit Stephani breviator, πόλις Σαυνιτῶν. τὸ ἐθνικὸν, Σαυρανός. Id eſt: *Saura, opidum Samnitium. gentilitium Soranus.* Samniteis hoc quoque aliquando tenuiſſe opidum; mox ex Livio cognoſcemus. Ad eundem igitur modum hæc opidorum vocabula variata fuêre per *ω* & diphthongum *αυ*, ut virorum etiam nomina Πλαύτιος, Πλώτιος, & Κλαύδιος, Κλώδιος. Latinis, *Plautius, Plotius, & Claudius, Clodius*: item Latii opidum Laurentum; quod plerique Græci, ut ſuprà cap. III perſpectum, fe-

cêre

cêre *Λώρεντον*, *Lorentum*; quemadmodùm lauretum dicebatur etiam loretum. At cæteris auctoribus pariter omnibus dicitur opidum Sora. Silius lib. VIII:

> *Sylla Ferentinos Privernatumque maniplos*
> *Ducebat ſimul excitos: Soræque juventus*
> *Addita fulgebat telis.*

Iuvenalis Satyrâ III:

> *Si potes avelli Circenſibus, optima Soræ,*
> *Aut Fabrateriæ domus aut Fruſinone paratur.*

Apud Plautum igitur etiam reponendum eſt ω, ubi nunc in vulgatis exemplaribus legitur Σόρα. Verba eius in Captivis hæc ſunt:

> HEG. *Et captum illum Aulidenſem?* ERG. Μὰ τὸν Ἀπόλλω, HEG. *Et ſervolum.*
> *Meum Stalagnum, meum qui natum ſurripuit?* ERG. Νὴ τὰν Σώραν.
> HEG. *Iam diu?* ERG. Νὴ τὰν Πραινεστόν. HEG. *Venit?* ERG. Νὴ τὰν Σιγνίαν.
> HEG. *Certon'?* ERG. Νὴ τὸν Φρουσινῶνα. HEG. *Videſis.* ERG. Νὴ τὸ Ἀλάτριον.
> HEG. *Quid tu per Barbaricas urbeis juras?*

Strabo lib. V: Σῶρα, παρ' ἣν ὁ Λεῖρις παρεξιὼν εἰς Φρεγέλλας ῥεῖ καὶ Μιντούρνας. Id eſt: *Sora; juxta quam Liris ortus Fregellas Minturnasque petit.* Satis longè ſupra Soram exoritur Liris. ſed hæc uſitata eſt Straboni loquutio. ſic quidpe de *Arno* dixit, ἐκ τῆς Ἀρρητίου· ſic de Aniene, ἐξ Ἄλβας· quum longè eæ urbes ab dictorum amnium fontibus abſint. Opidani à *Sora* dicebantur SORANI. Cicero in oratione pro Cn. Plancio: *Nemo Arpinas non Plancio ſtuduit, nemo Soranus, nemo Caſinas.* Livius lib. VIIII: *Ad Soram inde reditum.* Mox: *Soranus transfuga, clam ex opido profectus.* Et poſteà: *Fregellana arx Soranaque.* Volſcorum fuiſſe opidum, diſertè teſtatur idem Livius lib. VII. *Conſules*, inquit, *dictatoris exercitu ad bellum Volſcum uſi, Soram ex hoſtibus, incautos adorti, ceperunt.* Atque hæc vetuſtiſſima eius eſt memoria; in conſulatu M. Fabii Dorſonis & Ser. Sulpicii Camerini; anno urbis Romæ CCCCVIIII; ante natum Ieſum CCCXLIIII. Coloniam Romanos huc deduxiſſe, idem teſtatur Livius ſub initium libri X, in conſulatu L. Genucii Aventinenſis & Ser. Cornelii Lentuli, anno urbis Romæ CCCCL, ante natum Ieſum CCCIII. *L. Genucio*, inquit, *Ser. Cornelio, conſulibus, ab extremis fermè bellis ocium fuit. Soram atque Albam coloniæ deductæ. Sora agri Volſci fuerat: ſed poſſederant Samnites. eo IIII millia hominum miſſa.* Sed jam anteà deductam fuiſſe *coloniam*, auctor eſt idem Livius lib. VIIII. *Samnites*, inquit, *duce amiſſo, & per equeſtre certamen tentatis viribus, omiſſâ Satriculâ, quam nequidquam defendi rebantur, ad Pliſtiæ obſidionem redeunt. intraque paucos dies Satriculâ Romanus per deditionem, Pliſtiâ per vim Samnis potitur. Mutata inde belli ſedes eſt. ad Soram è Samnio Apuliâque traductæ legiones. Sora ad Samnites defecerat; interfectis colonis Romanorum.* Idem bellum refert Diodorus lib. XVIIII. Livius id narrat, ab conſulibus L. Papirio Curſore quartùm & Q. Publio Philone quartùm: qui fuêre anno urbis Romanæ CCCCXXXVIIII; ante natum Ieſum CCCXV. at Diodoro, qui ſæpè in Romanis errat, ſunt Λεύκιος Παπίριος τὸ τέταρτον, καὶ Κόϊντος Πόπλιος τὸ δεύτερον, *L. Papirius quartùm & Q. Publius iterum.* Livius ſub finem eiuſdem libri VIIII, in conſulatu L. Poſtumii Megelli & Ti. Minucii Augurini, anno Vrbis CCCCXLVIII; biennio antè, quàm colonia iterum deducta: *Eodem anno Sora, Arpinum, & Aeſernia recepta à Samnitibus.* Diodorus lib. XX ſub his iiſdem conſulibus tria hæc opida recuperata Romanis ex Samnitibus narrat: at præcedenti anno Soram ab Samnitibus occupatam ſcribit. nec tamen tradit, quando iterum à Romanis capta fuerit, poſtquàm L. Papirio Curſore quartùm & Q. Publilio Philone quartùm amiſſa fuiſſet. Colonia poſteà etiam adpellatur Livio lib. XXVII & XXVIIII, in rebus belli Punici ſecundi. & Plinius lib. III cap. V, *Intus*, inquiunt, *coloniæ, Capua, Aquinum, Sueſſa, Venafrum, Sora.* Sed novam tunc deduxerat coloniam Auguſtus imperator. Frontinus in libro de Coloniis: *Sora, muro ducta colonia; deducta juſſu Cæſaris Auguſti.*

Hactenus igitur cuncta Volſci agri loca, quæ veteribus memorantur auctoribus, ſummâ diligentiâ expoſuimus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Cap. VIIII.

De Avsonibvs.

IN litore igitur ad *Tarracinam* usque, in mediterraneo ad *Caſinum*, incoluêre olim *Volſci*. Hinc reliquum *Italiæ*, ad fretum usque Siculum, apud inferum juxta & ſuperum mare tenuêre antiquiſſimis temporibus Avsones, gens Græcorum etiam ſententia, ut ſuprà lib. 1 cap. 1 oſtenſum, totius Italiæ vetuſtiſſima. à qua illi omne reliquum etiam terrarum ſpacium, à freto ad Alpeis, adpellavêre Auſoniam. Plinius lib. III cap. V; ubi maris Interni varias parteis atque nomina recenſet: *Gallicum mare, ante Narbonenſem provinciam. hinc Liguſticum. ab eo ad Siciliam inſulam Tuſcum. ultra Siciliam, ad Salentinos, Auſonium Polybius adpellat*. Et eodem libro cap. X: *A Locris Italiæ frons incipit, Magna Græcia adpellata; in treis ſinus recedens Auſonii maris; quoniam Auſones tenuêre primi*. Negat hoc Strabo. Verba eius hæc ſunt lib. II; ubi de duobus fretis egit, quorum alterum inter Siciliam eſt & Africam; alterum, inter Siciliam & Italiam, fretum Siculum dicitur: Μετὰ δὲ τὴν Σικελίαν καὶ τοὺς ἑκατέρωθεν πορθμοὺς, ἄλλα πελάγη συνάπτει, τό τε πρὸ τῆς Σύρτεων καὶ τῆς Κυρηναίας Λιβυκὸν, καὶ τὸ Αὐσόνειον μὲν πάλαι, νῦν δὲ καλούμενον Σικελικόν. Id eſt: *Vltra Siciliam & utrumque ad eum fretum alia jam maria continenter ſequuntur: id ſcilicet, quod ante Syrteis & Cyrenaicam regionem Africum dicitur; tum quod Auſonium olim, nunc verò Siculum vocatur*. Et eodem libro poſteà: Ποιεῖ δὲ τὴν Ἰταλίαν χερρόνησον τό τε Τυρρηνικὸν πέλαγος, ἀρξάμενον ἀπὸ τοῦ Λιγυστικοῦ, καὶ τὸ Αὐσόνιον, καὶ ὁ Ἀδρίας. Id eſt: *Italiam in peninſulæ formam redigunt maria, Tyrrhenum a Liguſtico incipiens, & Auſonium ac Hadriaticum*. Et lib. V: Τῶν δ᾽ Αὐσόνων οὐδ᾽ ἅπαξ οἰκησάντων ἐπὶ τῇ Σικελικῇ θαλάττῃ, τὸ πέλαγος ὅμως Αὐσόνιον καλεῖται. Hoc eſt: *Auſones quamvis numquàm mare Siculum adcoluerint; tamen mare id vocatur Auſonium*. Verùm Plinio fidem auctoritatemque firmant longè antiquiores Strabone auctores. Dionyſius Halicarnaſſenſis lib. I: Ἐκ Δηϊανείρας καὶ Πελασγοῦ υἱὸς Λυκάων γίνεται· τούτου δὲ Οἴνωτρος, ἑπτακαίδεκα γενεαῖς πρότερον τῶν ἐπὶ Τροίαν στρατευσάντων. οὗτος Πελοπόννησον ἐκλιπὼν, καὶ κατασκευασάμενος ναυτικὸν, διαίρει τὸν Ἰόνιον πόντον, καὶ σὺν αὐτῷ Πευκέτιος, τῶν ἀδελφῶν εἷς. * · Πευκέτιος μὲν οὖν ἔνθα τὸ πρῶτον ὡρμίσαντο τῆς Ἰταλίας ὑπὲρ ἄκρας Ἰαπυγίας ἐκβιβάσας τὸν λεὼν, αὐτοῦ καθιδρύεται, καὶ ἀπ᾽ αὐτοῦ οἱ περὶ ταῦτα τὰ χωρία οἰκοῦντες, Πευκέτιοι ἐκλήθησαν. Οἴνωτρος δὲ τὴν πλείω τοῦ στρατοῦ μοῖραν ἀγόμενος, εἰς τὸν ἕτερον ἀφικνεῖται κόλπον, τὸν ἀπὸ τῶν ἑσπερίων μερῶν παρὰ τὴν Ἰταλίαν ἀναχεόμενον, ὃς τότε μὲν Αὐσόνιος ἀπὸ τῶν προσοικούντων Αὐσόνων ἐλέγετο· ἐπεὶ δὲ Τυρρηνοὶ θαλασσοκράτορες ἐγένοντο, μετέβαλεν ἣν ἔχει νῦν προσηγορίαν. ἐκαλεῖτο δὲ ἡ χώρα πᾶσα, πολλὴ οὖσα, ὅσην κατέσχεν, Οἰνωτρία. Id eſt: *Ex Deianirâ & Pelaſgo prognatus eſt Lycaon: cuius filius fuit Oenotrus, XVII ætatibus antè, quàm ad Troiam bellatum eſt. is, relictâ Peloponneſo, & claſſe paratâ, trajecit mare Ionium; unáque cum eo Peucetius, unus è fratrum numero*. Mox: *Itaque Peucetius, quò primùm adpulerunt in Italiâ, ſuper Iapygiæ promontorium ſuis expoſitis, ſedem ibi fixit: & ab eo horum locorum incolæ adpellati ſunt Peucetii. Oenotrus verò cum maiore parte exercitus in alterum ſinum pervenit, qui adluit occidentale latus Italiæ. is tunc ab adcolentibus Auſonibus dicebatur Auſonius: deinde, Tyrrhenis maris imperio potitis, mutavit nomen, quod nunc obtinet*. Exiguo pòſt: *Id totum, quantum agri obtinuit; quod ſanè non exiguum fuit; Oenotria vocatum eſt*. Et eodem libro infrà; poſtquàm narravit, qua ratione Oenotri, ſive, ut poſteà adpellabantur, Aborigines, unà cum Pelaſgis Siculos expulerint ſuis ſedibus, quas habuêre antiquitus in Latio & agro Sabino: Τὸ μὲν οὖν Σικελικὸν γένος οὕτως ἐξέλιπεν Ἰταλίαν, ὡς μὲν Ἑλλάνικος ὁ Λέσβιός φησιν, τρίτῃ γενεᾷ πρότερον τῶν Τρωϊκῶν· δύο γὰρ ποιεῖ στόλους Ἰταλικοὺς διαβάντας εἰς Σικελίαν. τὸν μὲν πρότερον, Ἐλύμων, οὕς φησιν ὑπ᾽ Οἰνώτρων ἐξαναστῆναι. τὸν δὲ μετὰ τοῦτον ἀποφαίνει Σικελὸν, ἀφ᾽ οὗ τοὔνομα τοῖς τε ἀνθρώποις καὶ τῇ νήσῳ τεθῆναι. ὡς δὲ Φίλιστος ὁ Συρακούσιος ἔγραψε, χρόνος μὲν τῆς διαβάσεως ἦν ἔτος ὀγδοηκοστὸν πρὸ τοῦ Τρωϊκοῦ πολέμου, ἔθνος δὲ τὸ διακομισθὲν ἐξ Ἰταλίας, οὔτε Σικελῶν, οὔτε Αὐσόνων, οὔτε Ἐλύμων, ἀλλὰ Λιγύων, ἄγοντος αὐτοὺς Σικελοῦ· τοῦτον δ᾽ εἶναί φησιν υἱὸν Ἰταλοῦ, καὶ τοὺς ἀνθρώπους ἐπὶ τούτου δυναστεύοντος ὀνομασθῆναι Σικελούς· ἐξαναστῆναι δὲ ἐκ τῆς ἑαυτῶν τοὺς Λίγυας ὑπό τε Ὀμβρικῶν καὶ Πελασγῶν. Ἀντίοχος δὲ ὁ Συρακούσιος χρόνον μὲν οὐ δηλοῖ τῆς διαβάσεως, Σικελοὺς δὲ τοὺς μεταναστάντας ἀποφαίνει,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

ἀποφαίνει, βιασθέντας ὑπό τε Οἰνώτρων καὶ Ὀπικῶν στρατῶν, ἡγεμόνα τῆς ἀποικίας ποιησαμένους ..... Θουκυδίδης δὲ Σικελοὺς μὲν γράφει τοὺς ἀπαναστάντας, Ὀπικοὺς δὲ τοὺς ἐκβαλόντας. Hoc eſt: *Atque ita Siculum genus reliquit Italiam; ut Hellanicus Lesbius auctor, ante bellum Troianum ætate tertiâ. namque duas tradit factas migrationes ex Italiâ in Siciliam: priorem Elymorum; quos ait ſedibus ſuis ejectos ab Oenotris: alteram verò anno pòſt quinto Auſonum, Iapygas fugientium. horum regem dicit fuiſſe Siculum: à quo nomen ſit inditum genti ſimul & inſulæ. Philiſtus autem Syracuſanus ſcribit, trajeciſſe illos anno* LXXX *ante bellum Troianum: gentem verò transvectam ex Italiâ, nec Siculos nec Auſonas fuiſſe, nec Elymos; verùm Ligures duce Siculo: hunc Itali filium, impoſuiſſe nomen ſuum ſubditis. Antiochus Syracuſanus migratores fuiſſe ait Siculos, vi exactos ab Oenotrorum Opicorumque copiis; duce ſibi electo deducendæ coloniæ .....* [nomen ducis interiiſſe videtur.] *Thucydides eos, qui migrarunt, vocat Siculos; eos verò, qui expulerunt, Opicos.* Et iterum eodem libro poſteà; de Capitolino monte in urbe Româ loquens: Ὡς δὲ ἐγὼ συμβαλλόμενος εὑρίσκω, καὶ πρὶν Ἡρακλέα ἐλθεῖν εἰς Ἰταλίαν, ἱερὸς ἦν ὁ τόπος τοῦ Κρόνου, καλούμενος ὑπὸ τῶν ἐπιχωρίων Σατόρνιος. καὶ ἄλλη δὲ ἀκτὴ σύμπασα, ἡ νῦν Ἰταλία καλουμένη, τῷ θεῷ τούτῳ ἀνέκειτο, Σατορνία πρὸς τῶν ἐνοικούντων ὀνομαζομένη. Ἰταλία δὲ ἀνὰ χρόνον ὠνομάσθη, ἐπ' ἀνδρὸς δυνατοῦ, ὄνομα Ἰταλοῦ. τοῦτον δέ φησιν Ἀντίοχος ὁ Συρακούσιος, ἀγαθὸν καὶ σοφὸν γεγενημένον, καὶ τῶν πλησιοχώρων τοὺς μὲν λόγοις ἀναπείθοντα, τοὺς δὲ βίᾳ προσαγόμενον, ἅπασαν ἐφ' ἑαυτῷ ποιήσασθαι τὴν γῆν, ὅση ἐντὸς ἦν τῶν κόλπων τοῦ τε Λαμητίνου καὶ τοῦ Σκυλλητικοῦ. ἣν δὴ πρώτην κληθῆναι Ἰταλίαν, ἐπὶ τοῦ Ἰταλοῦ. εἶναι δ' αὐτὸν Οἴνωτρον τὸ γένος. Hoc eſt: *Sed quantum ego ex conjecturis colligo; etiam ante adventum Herculis in Italiam ſacer erat Saturno is locus, Saturnius incolis dictus. Quin & univerſa ora, quæ nunc vocatur Italia, dicata erat huic deo; vocabaturque incolis Saturnia. Italia verò pòſt nominata eſt, à viro potente, Italo. hunc Antiochus Syracuſanus ait bonum ac ſapientem fuiſſe; & propinquarum regionum hominibus partim oratione perſvaſis, partim vi coactis, totam eam terram ſub imperium ſuum redigiſſe, quanta patet Lametinum inter & Scyleticum ſinus: eamque primam vocatam Italiam, ab Italo. fuiſſe autem hunc Oenotrum genere.* Ac tandem deinde: Εἰ δέ τις ἀπιδεῖν βουλήσεται τὰ προσώτερα, καὶ τρίτη τις, ἀρχαιοτέρα τούτων, εὑρεθήσεται Ῥώμη, γενομένη πρὶν Αἰνείαν καὶ Τρῶας ἐλθεῖν ἐν Ἰταλίᾳ. ταῦτα δὲ οὐ τῶν ἐπιτυχόντων τις οὐδὲ νέων συγγραφεὺς ἱστόρηκεν, ἀλλ' Ἀντίοχος ὁ Συρακούσιος, οὗ καὶ πρότερον ἐμνήσθην. φησὶ δὲ, Μόργητος ἐν Ἰταλίᾳ βασιλεύοντος, (ἦν δὲ τότε Ἰταλία, ἡ ἀπὸ Τάραντος ἄχρι Ποσειδωνίας παράλιος.) ἐλθεῖν πρὸς αὐτὸν ἄνδρα φυγάδα ἐκ Ῥώμης, λέγει δὲ ὧδε. Ἐπεὶ δὲ Ἰταλὸς κατεγήρα, Μόργης ἐβασίλευσεν. ἐπὶ τούτου δὲ ἀνὴρ ἀφίκετο ἐκ Ῥώμης φυγάς. Σικελὸς ὄνομα αὐτῷ. Id eſt: *Quòd ſi quis rem altiùs velit repetere, tertiam etiam Romam his antiquiorem, inveniet; ut quæ ante Aneæ Troianorumque in Italiam adventum exſtiterit. Hoc autem nec vulgaris aliquis nec recens ſcriptor prodidit; ſed Antiochus Syracuſanus: cuius jam anteà memini. Is ait, Morgete in Italiâ regnante, (Italia tum erat ora, quàm longa à Tarento Pæſtum usque protenditur) veniſſe ad eum quemdam Romanum exſulem. Verba ipſius ſunt iſta: Poſtquàm Italus conſenuit, Morges pro illo regnavit. huius tempore Româ venit vir quidam profugus nomine Siculus.* Ariſtoteles Πολιτικῶν lib. VII cap. X: Τὰ δὲ περὶ τὴν Ἰταλίαν πολλῷ παλαιότερα τούτων. φασὶ γὰρ οἱ λόγιοι τῶν ἐκεῖ κατοικούντων, Ἰταλόν τινα γενέσθαι βασιλέα τῆς Οἰνωτρίας, ἀφ' οὗ τό τε ὄνομα μεταβαλόντας Ἰταλοὺς ἀντ' Οἰνώτρων κληθῆναι· καὶ τὴν ἀκτὴν ταύτην τῆς Εὐρώπης Ἰταλίαν τοὔνομα λαβεῖν, ὅση τετύχηκεν ἐντὸς οὖσα τῶν κόλπων τοῦ Σκυλλητικοῦ καὶ τοῦ Λαμητικοῦ. Hoc eſt: *Quæ verò in Italiâ celebrantur, multo his eſſe antiquiora. aiunt enim ex iis, qui illic habitant, viri docti atque eloquentes, & rerum antiquarum ſcriptores, Italum quemdam Oenotriæ regem fuiſſe: à quo, nomine mutato, Italos pro Oenotris eſſe adpellatos, & hanc Europæ oram, quæ Lametico Scylleticoque ſinubus continetur, Italiæ nomen eſſe conſequutam.* Strabo ipſe lib. VI: Τὴν δ' ἑξῆς παραλίαν Βρέττιοι μέχρι τοῦ Σικελικοῦ κατέχουσι πορθμοῦ. φησὶ δ' Ἀντίοχος ἐν τῷ περὶ Ἰταλίας συγγράμματι, ταύτην Ἰταλίαν κληθῆναι, καὶ περὶ ταύτης συγγράφειν· πρότερον δ' Οἰνωτρίαν προσαγορεύεσθαι. ὅριον δ' αὐτῆς ἀποφαίνει τῷ Τυῤῥηνικῷ πελάγει, τὸ αὐτὸ, ὅπερ καὶ τῆς Βρεττίας ἔφαμεν, τὸν Λᾶον ποταμόν· πρὸς δὲ τῷ Σικελικῷ, τὸ Μεταπόντιον, τὴν δὲ Ταραντίνην, ἣ συνεχὴς τῷ Μεταποντίῳ ἐστὶν, ἐκτὸς τῆς Ἰταλίας ὀνομάζει, Ἰάπυγας καλῶν. ἔτι δ' ἀνώτερον Οἰνώτρους τε καὶ Ἰταλοὺς ἔφη καλεῖσθαι τοὺς ἐντὸς τοῦ ἰσθμοῦ, πρὸς τὸν Σικελικὸν κεκλιμένους πορθμόν. ἔστι δ' αὐτὸς ὁ ἰσθμὸς μεταξὺ δυοῖν κόλπων, τοῦ τε Ἱππωνιάτου, ὃν Ἀντίοχος Λαμητῖνον εἴρηκε, καὶ τοῦ Σκυλλητικοῦ. Μετὰ δὲ ταῦτα ἐπεκτείνεται, φησι, τοὔνομα καὶ τὸ τῆς Ἰταλίας καὶ τὸ τῶν Οἰνώτρων μέχρι τῆς Μεταποντίνης καὶ τῆς Σιρίτιδος. Id eſt: *Reliquam adusque fretum Siculum oram Bruttii tenent. Antiochus in opere, quod de Italiâ conſcripſit,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

ſcripſit, hanc regionem ait Italiam adpellatam fuiſſe; ac de eâ ſe ſcribere: priùs autem dictam Oenotriam. terminos verò ei conſtituit, ad mare Tyrrhenum, eumdem quem nos Bruttiorum adſignavimus agro, Laum amnem; ad Siculum mare, Metapontum. cæterò Tarentinum agrum, Metaponto conterminum, extra Italiam ſub Iapygiæ nomine cenſet. At verò anteà eos tantùm tradit, Oenotros atque Italos fuiſſe dictos, qui, intra iſthmum poſiti, verſus Siculum vergerent fretum. Is iſthmus inter duos extenditur ſinus; Hipponiaten; qui Lametinus dicitur Antiocho; & Scylleticum. Poſteà verò Italiæ nomen ait, & item Oenotriæ, propagatum fuiſſe adusque Metapontinam ac Siritin regiones. Et initio libri V: Μετὰ δὲ τὴν ὑπώρειαν τῶν Ἄλπεων ἀρχὴ τῆς νῦν Ἰταλίας. οἱ γὰρ παλαιοὶ τὴν Οἰνωτρίαν ἐκάλουν Ἰταλίαν, ἀπὸ τοῦ Σικελικοῦ πορθμοῦ μέχρι τοῦ Ταραντίνου κόλπου καὶ τοῦ Ποσιδωνιάτου διήκουσαν. Hoc eſt: *Poſt Alpium radices initium eſt eius quæ nunc adpellatur Italia. priſci enim Oenotriam vocarunt Italiam, à Siculo freto usque ad Tarentinum Poſidoniatemque ſinus extenſam.* Hodiè *Poſidoniates* ſinus vocatur *Salernitanus*: ad quem rudera etiam nunc viſuntur opidi *Pæſti*, quod anteà dicebatur Poſidonia; ut infrà ſuo loco oſtendetur. Hinc Herodotus etiam lib. I Veliam opidum tradit conditum fuiſſe ἐν τῇ Οἰνωτρίῃ, *in Oenotriâ*. unde & Plinius lib. III cap. VII; ubi inſulas ad Italiam recenſet; *Contra Veliam*, inquit, *Pontia & Iſcia; utræque uno nomine Oenotrides; argumentum poſſeſſæ ab Oenotris Italiæ.* Ergo Oenotri, ex Peloponneſo claſſe in Italiam advecti, primò eam tenuêre regionem, quàm poſteà Bruttii incoluerunt: mox eam etiam, quæ poſtmodùm Lucania dicta eſt, à Bruttio agro ad Pæſtum usque & Metapontum; ut infrà ſuo loco patebit. Dionyſius tradit, Peucetios conſediſſe in Iapygiâ; ubi poſterioribus etiam ſæculis, ut infrà videbimus, nomen eorum duravit in *Apuliâ*: Oenotros verò ei adpulſos fuiſſe litori, quod ab incolis tunc Auſonium vocabatur. ergo Auſones tunc Lucaniam Bruttiumque tenuêre agrum. Hellanicus ait, *Elymos* ab Oenotris ejectos fuiſſe Italiâ, ab Iapygibus verò Auſonas. hoc licèt Antiochus atque Philiſtus non probaverint; & omnes alii ſcriptores Elymos à Troiâ deduxerint; ut Siciliæ lib. I cap. II à nobis oſtenſum: tamen haud obſcurè inde adparet, Iapygiam quoque, quæ inter ſuperum mare Tarentinumque ſinum & Bradanum Frentonemque (vulgò hic nunc eſt *Fortore*) amneis protendebatur, ante Oenotrorum Peucetiorumque adventum incoluiſſe Auſonas. Diſertè illud teſtatus eſt antiquus in primis auctor Nicander; ex cuius περὶ τῶν Ἑπροιουμένων, id eſt, de Immutatis, lib. II ita refert Antoninus Liberalis Μεταμορφώσεων cap. XXXI: Λυκάονος ἐγένοντο παῖδες, Ἰάπυξ καὶ Δαύνιος καὶ Πευκέτιος. οὗτοι λαὸν ἀθροίσαντες, ἀφίκοντο τῆς Ἰταλίας παρὰ τὴν Ἀδρίαν. ἐξελάσαντες δὲ τοὺς ἐνταυθοῖ οἰκοῦντας Αὔσονας, αὐτοὶ καθιδρύθησαν. Id eſt: *Lycaoni filii fuêre, Iapyx, Daunius, & Peucetius. hi collectâ hominum multitudine ad eam Italiæ partem adpulerunt, quæ Hadriatico alluitur mari. pulſisque Auſonibus, qui ibi tum habitabant, ſedeis ipſi illic poſuêre.* Iapygum nomen pòſt invectum fuiſſe, infrà in eius regionis deſcriptione patebit. Quod igitur de Elymis tradidit Hellanicus, ab Oenotris ejectis, id ipſum quoque ad Auſonas pertinebat. Horum autem nomen umquàm in Siciliam perveniſſe, nemo alius tradidit auctor. Pulſos ab Oenotris atque Peucetiis in ſuperiora conceſſiſſe Italiæ loca, maximè credibile eſt. Inde verò remigraſſe in priſtinam ſedem ſub Lucanorum Bruttiorumque nominibus, poſtquàm Oenotri veterem illam Siciliam ſive Italiam, quam Siculi, ut ſuprà cap. I huius libri III demonſtratum, in Latio & Sabino agro tenebant, petere cœperunt, mox clariùs indicabitur. Hæc igitur, ut ego opinor, unica cauſa fuit, cur Græci, ut ſuprà lib. I cap. I oſtenſum, antiquiſſimam totius Italiæ atque indigenam cenſuerint Auſonum gentem; nempe, quia hi, ex omnibus Italicis gentibus Græciæ proximi, primi illis innotuerunt. unde etiam ab eorum nomine totam reliquam Italiam, abusque freto Siculo ad Alpeis, Auſoniam adpellavêre; quod poſteà plerique Romanorum pariter ac Græcorum imitati ſunt poëtæ; ut dicto lib. I cap. I demonſtratum eſt. Sed & ſuprà Lucaniam Apuliamque tenuiſſe *Auſones* regionem, quæ poſtmodùm à Samnitibus Samnium dicta fuit, & item Campaniam, alii teſtantur auctores. Pompeius Feſtus: *Auſoniam adpellavit Auſon, Vlyſſis & Calypſûs filius, eam primùm partem Italiæ, in qua ſunt urbes Beneventum & Cales. deinde paullatim tota quoque Italia, quæ Apennino finitur, dicta eſt Auſonia ab eodem duce. à quo etiam conditam fuiſſe Auruncam urbem ferunt.* Poëticâ hoc de Auſone, Vlyſſis & Calypſûs filio, confictum eſſe licentiâ, vel eo argumento patet, quod Sueſſam

Auruncam

Auruncam. non Vlyſſis filius, ſed annis ampliùs ↄↄccc poſt Troiam captam ipſi condidêre Aurunci populi; ut infrà ſuo loco ex Livii hiſtoriâ oſtendetur. Sed iſthæc tamen de *Auſone* fabula ſatis antiqua eſt. Marcianus Heracleenſis in Περιηγήσει.

——— Αὔσονές τε μεσόγειον τόπον
Ἔχοντες· Αὔσων οὓς συνοικίσαι δοκεῖ,
Ὀδυσσέως παῖς ἐκ Καλυψοῦς γενόμενος.
——— Tum Auſones mediterranea loca
Tenent. quos Auſon condidiſſe creditur,
Vlyſſis filius atque Calypsûs.

Poſterioris hinc maximè ævi grammatici eam adnotarunt. Vetus commentator Apollonii, ad Ἀργοναυτικῶν lib. IIII, ubi Αὐσονίην, *Auſoniam*, poëta vocat Italiam: Μέμφονται δέ τινες τὸν Ἀπολλώνιον, ὡς περὶ τούτους τοὺς χρόνους εἰρηκότα τὴν Ἰταλίαν Αὐσονίαν. ὑστέροις γὰρ χρόνοις τῶν Ἀργοναυτῶν οὕτω κέκληται ἀπὸ Αὔσονος, τοῦ Ὀδυσσέως καὶ Καλυψοῦς. Id eſt: *Quidam Apollonium taxant, quòd ad illa tempora dixerit Italiam Auſoniam; quum poſt Argonautarum tempeſtatem demum ſic adpellata ſit ab Auſone, Vlyſſis atque Calypsûs filio.* Svida: Αὐσόνιος πόντος, ἡ Σικελικὴ θάλασσα, ἀπὸ Αὔσονος, τοῦ Ὀδυσσέως καὶ Καλυψοῦς υἱοῦ, ἐκεῖ βασιλεύσαντος. Id eſt: *Auſonius portus, Siculum mare; ab Auſone, Vlyſſis & Calypsûs filio; qui ibi regnavit.* Sed alii fabulatores, quum intelligerent inſulam Calypsûs, in qua Homerus Vlyſſem fingit cum ipsâ verſatum, longiùs ab Italiâ removeri, (quod Siciliæ lib. II cap. XVI & XVII oſtendi) quàm uti in eâ natus deæ filius quidquam ad Italiam pertinere queat; Circes maluerunt filium pronunciare Auſonem. Ioannes Tzetza in Chiliadibus:

Ἡ Αὐσονία ἔσχηκε τὴν κλῆσιν τῶν Αὐσόνων,
Κατά τινας, ἐξ Αὔσονος, υἱοῦ τοῦ Ὀδυσσέως.
Ἐκ γὰρ τῆς Κίρκης Ὀδυσσεὺς, τῆς πᾶσι θρυλλουμένης,
Αὔσονα καὶ Τηλέγονον γεννᾷ καὶ Κασιφόνην.

Hoc eſt:

Auſonia accepit nomen Auſonum,
Iuxta quorumdam opinionem, ab Auſone, filio Vlyſſis.
E Circe enim, quæ omnium monimentis celebrata eſt, Vlyſſes
Auſonem & Telegonum procreavit, & item Caſiphonen.

Euſtathius in Præfatione ad Homeri Odyſſéam: Λατῖνος καὶ Αὔσων, οἱ ἐξ Ὀδυσσέως καὶ Κίρκης, κατά τινας. Id eſt: *Latinus atque Auſon, Vlyſſis & Circes filii; ut quidam volunt.* Et ad Dionyſii Περιήγησιν· Λέγονται δὲ Αὔσονες ἀπὸ Αὔσονος, ὃς πρῶτος μὲν τῆς κατὰ Ῥώμην βασιλεῦσαι πρός τινων ἱστορεῖται, Ὀδυσσεῖ γεγονὼς ἐκ τῆς Κίρκης· ἢ, κατὰ τὸν τὰ Ἐθνικὰ γράψαντα, ἐκ Καλυψοῦς γεννηθεὶς τῷ Ἄτλαντι· ἀφ᾽ οὗ καὶ τὸ Σικελικὸν πέλαγος Αὐσόνιον ἐκλήθη ποτέ. Hoc eſt: *Dicti ſunt Auſones ab Auſone; qui primus apud Romam regnaſſe à quibusdam traditur; filius Vlyſſis atque Circes. at, qui Gentilia conſcripſit, ex Atlante & Calypsô ait fuiſſe genitum. à quo etiam Siculum mare olim Auſonium adpellatum fuit.* At Stephani breviator ſic habet: Αὔσων, ὁ Ἰταλός. Id eſt: *Auſon, qui & Italus.* Hæc ſanè grammatica eſt commentatio: ſcilicet, quia *Auſonia* dicebatur, quæ erat *Italia*. Iſacius Tzetza in commentariis ad Lycophronem: Αὔσονες δὲ λέγονται, κατά τινας μὲν, ἀπὸ Αὔσονος τοῦ Ὀδυσσέως καὶ Κίρκης παιδός· καθ᾽ ἑτέρους δὲ, ἀπὸ Αὔσονος τοῦ Ἰταλοῦ καὶ Λευταρίας υἱοῦ. ἄλλοι δὲ ἐξ Αὔσονος ἑτέρου φάσιν. Id eſt: *Dici Auſones alii tradunt ab Auſone Itali & Leutariæ filio: nonnulli verò ab alio quodam Auſone.* Ioannes Tzetza ſuprà ſcripto loco paullo pôſt:

Ἄλλοι δὲ ἀπὸ Αὔσονός φασι ἀρχαιοτέρου,
Υἱοῦ τελοῦντος Ἰταλοῦ, τῆς χώρας βασιλέως.
Alii verò ab Auſone dictam aiunt antiquiore,
Filio Itali; qui huius regionis fuit rex.

Sed fabularum ſatis eſt. ad res revertamur. Auſonum genus nomenque jam inde ante Troianum exſtitiſſe bellum, ſuprà ex Dionyſio abundè intelleximus. Feſtus Pompeius licèt ſuprà ſcripta verba poëticâ magis, quàm hiſtoricâ fide retuliſſe videatur; tamen verùm eſt, quod ait Auſonas loca circa Beneventum & Cales quondam tenuiſſe. Livius lib. VIII, in rebus anni ab urbe Româ conditâ CCCCXXVIII, ante natum Ieſum CCCXXXV: *Inſequens annus, L. Papirio Craſſo, Cæſone Duellio, conſulibus*

ſulibus Auſonum magis novo, quam magno, bello fuit inſignis. Ea gens Caleis urbem incolebat. Vltra Cales, inter Neapolim & Beneventum Campaniæ eſt urbs *Nola.* de hac ita Svida: Νῶλα, πόλις Αὐσόνων παρ' Ἑκαταίῳ. Id eſt: *Nola, urbs Auſonum apud Hecatæum.* Et Stephani breviator: Νῶλα, πόλις Αὐζόνων· ὡς Ἑκαταῖος Εὐρώπῃ. Hoc eſt: *Nola urbs Auſonum; teſte Hecatæo in Europâ.* Apud Marcianum Heracleenſem in Περιηγήσει deſiderari unum atque alterum verſum, quibus *Latii* ſitum poſt Vmbros memoraverit, ſuprà lib. II cap. IIII in horum deſcriptione docui. poſt eos igitur verſus ita pergit:

Οὓς ᾤκιζεν ὁ 'κ Κίρκης Ὀδυσσεῖ γενόμενος
Λατῖνος· Αὔσονές τε, μεσόγειον τόπον
Ἔχοντες, Αὔζων οὓς συνοικίσαι δοκεῖ,
Ὀδυσσέως παῖς καὶ Κίρκης γενόμενος.
Ἐν τοῖς ἔθνεσι τούτοις δ' Ῥώμη 'στὶ πόλις·
Ἐν τῇ Λατίνῃ Ῥωμύλον δ' αὐτὴν κτίσαι
Θέμενον ἀφ' αὑτοῦ φασι τοῦτο τοὔνομα.
Μετὰ δ' Λατίνους ἐστὶν ἐν Ὀπικοῖς πόλις
Κύμη· πρότερον ἣν οἱ Χαλκιδεῖς ἀπῴκισαν.
Εἶτ' Αἰολεῖς.
Τούτοις δ' Σαυνῖται παροικοῦσ', ἐχόμενοι
Τῶν Αὐσόνων. μεθ' οὓς μεσόγειοι κείμενοι
Οἰκοῦσι Λευκανοί τε Καμπανοί θ' ἅμα.

Hoc eſt:

Quos condidit Circes & Vlyſſis filius
Latinus. tum Auſones mediterranea loca
Tenent: quos Auſon condidiſſe putatur,
Vlyſſis atque Calypsûs filius.
In his gentibus Roma eſt urbs:
Quam in Latio Romulum condidiſſe
Nomenque de ſe impoſuiſſe aiunt.
Poſt Latinos eſt in Opicis urbs
Cuma: quam primùm Chalcidenſes coloniam deduxêre;
Poſteà verò Aeoles.
Iuxta hos incolunt Samnites, contermini
Auſonibus. poſt quos in mediterraneo
Habitant Lucani ſimul & Campani.

Quum Lucanos Campanosque Samnitibus continuet, certè his Auſones contermінos facere nequivit, niſi circa Allifas & Venafrum opida; quà Volſcos proxima incoluiſſe opida, Caſinum, Aquinum, Arpinum, Atinam, & Soram, ſuperiori capite oſtenſum eſt. At *Novum* eum intellexiſſe Latium, cuius finibus etiam Volſci & Hernici & Aequi comprehendebantur, ex eo dilucidè claret, quòd *Auſones Latinis* fecit conterminos, vel illorum partem ait, quidpe in Latinis atque Auſonibus eſſe urbem Romam. Sanè Novi Latii etiam partem incoluerunt Auſones; ſed non Samnitibus contermini; niſi, ubi illi Volſcorum pleraque loca ſub imperium ſuum redegerunt; de qua re infra dicetur in deſcriptione Samnii. Plinius lib. III cap. V: *Latium antiquum à Tiberi Circeios usque obſervatum eſt, millium paſſunm* L *longitudine. tam tenues primordio imperii fuêre radices. Colonis ſæpè mutatis, tenuêre alii aliis temporibus; Aborigines, Pelaſgi, Arcades, Siculi, Aurunci, Rutuli. & ultra Circeios, Volſci, Oſci, Auſones. unde nomen Latii proceſſit ad Lirim amnem.* Et poſteà; in recenſione litoris Novi Latii: *Colonia Minturnæ, Liri amne diviſa: opidum Sinueſſa; extremum in adjecto Latio.* Hæc ſatis turbatoriè. nam, præter *Tarracinam*, ultra Circeios nihil habuêre in litore Volſci. citra verò Circeios ad Rutulorum usque confinia circa Ardeam tenuêre litus; intus autem ad Albanum usque montem; quà Velitræ fuere, Volſcorum opidum. At verò *Auſonum* gentem incoluiſſe loca inter *Tarracinam* & Sinueſſam, in Campaniæ ſitam, ex aliis quoque probari poteſt auctoribus. Livius lib. VIIII: *Conſules ab Sorâ profecti in agros atque urbeis Auſonum bellum intulerunt. mota namque omnia adventu Samnitium, quum apud Lautulas dimicatum eſt, fuerant; conjurationesque circa Campaniam factæ. nec Capua ipſa crimine caruit. Cæterùm Auſonum gens,*

gens, proditione urbium, ſicut Sora, in poteſtatem venit. Auſona & Minturnæ & Veſcia urbes erant. Et lib. x: *Tum de præſidio regionis depopulatæ ab Samnitibus agitari cœptum. Itaque placuit, ut duæ coloniæ circa Veſcinum & Falernum agrum deducerentur: una ad oſtium Liris fluvii; quæ Minturnæ adpellata: altera in ſaltu Veſcino, Falernum contingente agrum; ubi Sinope dicitur Græca urbs fuiſſe; Sinueſſa deinde ab colonis Romanis adpellata.* Strabo lib. v: Ὑπέρκειται δ᾽ ἐν τῇ μεσογαίᾳ τὸ Πωμεντῖνον πεδίον. τὴν δὲ συνεχῆ ταύτῃ πρότερον Αὔσονες ᾤκουν, οἵπερ καὶ τὴν Καμπανίαν εἶχον· μετὰ δὲ τούτους Ὄσκοι· καὶ τούτοις δὲ μετῆν τῆς Καμπανίας. Id eſt: *Suprà in mediterraneo eſt Pomptinus campus. huic contiguam regionem primò Auſones incoluerunt; qui Campaniam etiam tenuêre: poſt hos Oſci; qui & ipſi partem Campaniæ poſſederunt.* Ad Tarracinam usque pertinuiſſe Pomptinum campum, ſuperiori capite oſtenſum eſt. ergo ſuper iſtac Auſonum Oſcorumque ſede trans Circæum montem probè convenit Straboni cum Plinio. At huic citra Circæum etiam Aurunci locantur præſcriptis verbis. quos tamen hoc tractu apud nullum rerum ſcriptorem reperio. Virgilius equidem Aeneid. lib. xi ibidem eos collocare videtur, dum ita Latinum regem loquentem fingit:

Eſt antiquus ager, Tuſco mihi proximus amni;
Longus in occaſum, fineis ſuper usque Sicanos.
Aurunci Rutulique ſerunt, & vomere duros
Exercent colleis; atque horum aſperrima paſcunt.
Hæc omnis regio & celſi plaga pinea montis
Cedat amicitiæ Teucrorum; & fœderis æquas
Dicamus leges; ſociosque in regna vocemus.

Per plagam iſtam pineam celſi montis intellexiſſe poëtam Circæum montem, ſuprà cap. vii in deſcriptione eius docui. In hunc igitur inter Rutulos & Circæum agrorum ſitum rectè quadrat & illa eiusdem Latini oratio, quam Aeneid. lib. vii apud Aeneæ legatos habet in hunc modum:

Atque equidem memini (fama eſt obſcurior annis)
Auruncos ita ferre ſenes; his ortus ut agris
Dardanus, Idæas Phrygiæ penetravit ad urbeis.

Et ſub finem eiusdem libri vii agmen, quod Turnum, Rutulorum regem, ſequebatur, ita recenſet:

Inſequitur nimbus peditum; clypeataque totis
Agmina denſantur campis; Argivaque pubes
Auruncæque manus, Rutuli, veteresque Sicani,
Et Sacranæ acies, & picti ſcuta Labici:
Qui ſaltus Tiberine tuos ſacrumque Numici
Litus arant, Rutulosque exercent vomere colleis,
Circæumque jugum: queis Iupiter Auxurus armis
Præſidet, & viridi gaudens Feronia luco.
Quà Saturæ jacet atra palus, gelidusque per imas
Quærit iter valleis atque in mare conditur Vfens.
Hos ſuper advenit Volſca de gente Camilla,
Agmen agens equitum & florenteis ære catervas,
Bellatrix.

Heic etiam diſertè *Auruncos* ponit poëta citra Circæum montem; ultra verò *Volſcos*. unde facilè inducor, uti credam, ab hoc potiùs quàm ab aliquo hiſtoricorum ſua prompſiſſe Plinium. At longè remotiore hinc tractu collocat Auruncos Virgilius eodem lib. vii haud multo antè, in his verſibus:

Hinc Agamemnonius Troiani nominis hoſtis
Curru jungit Haleſus equos, Turnoque feroceis
Mille rapit populos, vertunt felicia Baccho
Maſſica qui raſtris, & quos de collibus altis
Aurunci miſêre patres Sidicinaque juxta
Aequora; quique Caleis linquunt: amnisque vadoſi
Adcola Vulturni, pariterque Saticulus aſper,
Oſcorumque manus.

Maſſicus mons ultra Lirim amnem eſt; ut infrà patebit: & juxta eum verſùs Campaniam

paniam incolebant Sidicini, quorum erat opidum *Teanum*, vulgò etiam nunc *Tiano* dictum. Conſentit igitur heic probè cum Virgilio poëta graviſſimus Romanarum rerum ſcriptor T. Livius; qui lib. VIII, in rebus anni poſt Romam conditam CCCCXVII, ante natum Ieſum CCCXXXVI ſic ſcribit: *C. Sulpicio Longo, P. Aelio Poeto, conſulibus, inter Auruncos Sidicinosque bellum ortum. Aurunci, à T. Manlio conſule in deditionem accepti, nihil deinde moverant. eò petendi auxilii ab Romanis cauſa juſtior fuit. Sed priùs, quàm conſules ab Vrbe exercitum educerent, fama adfertur, Auruncos metu opidum deſeruiſſe: profugosque cum conjugibus ac liberis Sueſſam communiſſe, quæ nunc Aurunca adpellata. mœnia antiqua eorum urbemque ab Sidicinis deletam.* Ergo tam exigua fuit *Auruncorum* gens, uti omnis unam tantùm incoluerint urbem. At hoc ſi verum; maximè ego miror, tantam eorum fuiſſe auctoritatem, tantamque potentiæ opinionem, uti ex Volſco agro civitates opem atque auxilium ab iis contra Romanorum potentiora arma petierint. Idem Livius lib. II, in conſulatu P. Poſtumii Tuberti II & Agrippæ Menenii Lanati; anno urbis Romæ CCLI; ante natum Chriſtum IↃII: *Eodem anno duæ coloniæ Latinæ, Pometia & Cora ad Auruncos deficiunt. Cum Auruncis bellum initum. fuſoque ingenti exercitu, qui ſe ingredientibus fineis conſulibus ferociter obtulerat, omne Auruncum bellum Pometiam compulſum eſt. Victores hinc Aurunci mox, expugnatâ Pometiâ victi cæſique.* Sed rediêre octavo anno pòſt; P. Servilio Priſco & Ap. Claudio Sabino conſulibus. Livius eodem libro: *Nocte unâ audito perfectoque bello Sabino, poſtero die, in magnâ jam ſpe undique partæ pacis, legati Aurunci ſenatum adeunt; ni decedatur Volſco agro, bellum indicentes. Cum legatis ſimul exercitus Auruncorum domo profectus erat: cuius fama, haud procul jam ab Ariciâ viſi, tanto tumultu concivit Romanos, ut nec conſuli ordine patres, nec pacatum reſponſum arma inferentibus arma ipſi capientes dare poſſent. Ariciam infeſto agmine itur. nec procul inde cum Auruncis ſigna collata. prœlioque uno debellatum eſt.* Dionyſius lib. I; ubi eamdem refert hiſtoriam; Ἔτι γὰρ, inquit, πανηγυρίζουσιν αὐτοῖς, πρεσβευταὶ παρῆσαν ἐξ ἔθνους Ἀρούγκων, οἳ τῆς Καμπανῶν χώρας τὰ κάλλιστα πεδία κατεῖχον. Id eſt: *Nondum finito feſto, legati ab Aruncorum veniunt gente; quæ Campanæ regionis pulcherrimos tenebat campos.* Eamdemque ſedem jam inde ante Troiani belli tempora tenuiſſe eos, oſtendere videtur idem Dionyſius lib. I, his verbis: Κατέσχον δὲ ἤδη καὶ οἱ Πελασγοὶ τῶν καλουμένων Καμπανῶν εὐβότων πάνυ καὶ τὴν ὄψιν ἡδίστων πεδίων οὐκ ἐλαχίστην μοῖραν, ἔθνος τι βαρβαρικὸν Αὐρώγκους ἐκ μέρους ἀναστήσαντες αὐτῶν· καὶ πόλεις αὐτόθι κατεσκεύασαν ἄλλας τε καὶ Λάρισαν, ἀγορᾶς Ποπιλίας καλουμένης οὐ πρόσω. Hoc eſt: *Tenuerunt Pelaſgi & Campanorum camporum, adſpectu amœniſſimorum paſcuisque aptiſſimorum partem haud exiguam, pulſis inde Auruncis, gente barbarâ. ubi inter cæteras urbeis condidêre Lariſſam, haud procul à Foro Popilii.* Sic equidem poſterior auctoris commentator vocem Αὐρώγκους reſtituendam divinavit, ubi in Græcis exemplaribus erat Ἀβρωνίους, & in aliis Αὐρωνίους. at licèt ille veteris geographiæ parum gnarus fuerit; quod ſuprà lib. II cap. VIIII in Sabinis patuit; tamen haud malè heic divinaſſe videtur. quidpe *Falernus ager*, ut infrà cap. X... huius libri III patebit, fuit inter *Maſſicum montem* & *Vulturnum amnem*. quorum ille nunc vulgò dicitur *Monte Dragone*. ex *Falerno* autem *agro* citat Plinius lib. III cap. V *Foropopilienſes*, ab iſto Dionyſii *Foro Popilii* opidanos & in *eius montis*, qui Liris ſiniſtram ripam eminus proſequitur, orientali latere fuit *Sueſſa Aurunca* opidum, quod nunc vulgò dicitur *Seſſa*. undè clarè patet, totum hunc tractum tenuiſſe quondam Auruncos. Verùm etſi ſatis valida magnaque fuerit gens *Auruncorum*; quod ex modò allatis clarè perſpeximus; tamen miror ego, quî prædictæ duæ coloniæ *Pometia* atque *Cora* potiùs ad gentem longiùs diſſitam, quâm ad proximos Volſcos, quorum agros nondum occupaverant, deſciverint. Certè verum videtur eſſe, quod ex antiquioribus auctoribus adnotatum nobis reliquerunt poſterioris ævi grammatici. in quibus Servius ad ſuprà ſcriptum Virgilii Aeneid. lib. VII: *Aurunci Italiæ populi antiquiſſimi fuerunt.* Et poſteà: *Aurunci Græcis Auſones nominantur.* Agellius lib. I cap. X, & Macrobius Saturnalior. lib I cap. V: *Favorinus philoſophus adoleſcenti veterum verborum cupidiſſimo, & pleraſque voces nimis priſcas & ignotiſſimas, in quotidianis communibusque ſermonibus exprimenti, Curius, inquit, & Fabricius & Coruncanius, antiquiſſimi viri noſtri, & his etiam antiquiores Horatii illi trigemini, planè ac dilucidè cum ſuis fabulati ſunt: neque Auruncorum aut Sicanorum aut Pelaſgorum, qui primi incoluiſſe Italiam dicuntur, ſed ætatis ſuæ verbis loquuti ſunt.* Ioannes Tzetza in Chiliadibus ſuprà ſcriptis verbis hæc ſubtexit:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Τοὺς δὲ Αὐρούγκους μόνους μοι Αὔσονας λέγειν νόει
Μέσους Οὐόλσκων καὶ Καμπανῶν πρὸς θάλασσαν κειμένους.
Auruncos autem ſolos mihi Auſones dicere cogita,
Medios inter Volſcos Campanosque apud mare ſitos.

Iſacius Tzetza ad Lycophronem: Αὐσονία δὲ κυρίως, ὡς Δίων γράφει Κοκκειανὸς, ἡ τῶν Αὐρουγκῶν γῆ μόνη λέγεται, μέσω Καμπανῶν καὶ Οὐόλσκων παρὰ θάλασσαν κειμένη. Id eſt: *Auſonia, ut Dio Cocceianus tradit, propriè Auruncorum adpellatur terra, inter Campanos atque Volſcos apud mare ſita.* En, hoc ipſum eſt, quod jam dudum antè ſuſpicabar: nempe, quum Livius ſupra ſcriptis locis & *Minturnas* apud Liris oſtium, & ultra Lirim *Sinueſſam* ad Maſſicum montem, & ultra hunc etiam *Caleis*, Auſonum genti adſcribat; intermedias verò urbeis maritimas, inter Tarracinam & Lirim, Fundos, Caietam atque Formias neque Volſcis neque alii cuipiam genti attribui ab auctoribus videam: has quoque Auſonum antiquitus fuiſſe opinatus ſum; & ad hanc gentem, ut Volſco agro proximam, defeciſſe ſuprà dictas colonias *Pometiam* atque *Coram*. Populi igitur & citra & Vltra Lirim amnem incolentes, promiſcuè dicti fuêre, modò Auſones, modò Aurunci. Livius autem, vel alii antè ipſum auctores Romani, quum ex diverſis monumentis diverſa unius eiusdemque gentis nomina accepiſſent; duos diverſos inde fecêre populos. Cæterùm Strabo ſuprà citato loco tradit, contiguam Pomptino campo regionem priùs Auſones tenuiſſe, poſteà verò Oſcos. de his ita eodem lib. v poſteà: Κασῖνον, πόλις ἀξιόλογος, ὑστάτη τῶν Λατίνων. τὸ γὰρ Τέανον, τὸ καλούμενον Σιδικῖνον, ἐφεξῆς κείμενον, ἐκ τοῦ ἐπιθέτου δηλοῦται, διότι τῶν Σιδικίνων ἐστίν· οὗτοι δ᾽ Ὄσκοι, Καμπανῶν ἔθνος ἐκλελοιπός· ὥστ᾽ λέγοιτ᾽ ἂν τῆς Καμπανίας. Id eſt: *Caſinum, urbs celebris, Latinarum ultima. quidpe Teanum Sidicinum, quod ſequitur, ipſo cognomento oſtendit, ſe ad Sidicinos pertinere; qui ſunt Oſci; gens olim Campanorum, quæ jam defecit.* Sed hoc parum curatè ab Strabone pronunciatum eſt. quidpe non natio quædam fuêre *Oſci* in Campanorum gente; ſed quondam eam incoluerat regionem, quam poſteà tenuerunt Campani. hinc Sidicini diſertè discernuntur Livio à Campanis. Lib. VII: *Samnites Sidicinis injuſta arma, quia viribus plus poterant, quum intuliſſent; coacti inopes ad opulentiorum auxilium confugere, Campanis ſeſe conjungunt. Campani magis nomen ad præſidium ſociorum, quam vireis, quum attuliſſent; fluentes luxu ab duratis uſu armorum in Sidicino pulſi agro, in ſe deinde molem omnem belli vertunt. namque Samnites, omiſſis Sidicinis, ipſam arcem finitimorum, Campanos, adorti.* Et poſteà Campani ita loquuntur Romæ apud ſenatum: *Pugnavimus; verbo, pro Sidicinis; de re, pro nobis; quum videremus finitimum populum nefario latrocinio Samnitium peti.* Mox: *Parum fuit, quòd ſemel in Sidicino agro, iterum in Campaniâ ipſâ legiones noſtras cecidère?* Et poſteà: *Ne Sidicinorum Campanorumque cladibus Samnitium æſtimarent virtutem.* Iterum: *Quonam modo iſti ex Sidicinis Campaniſque victoriam peperant?* Lib. VIII: *Sidicinis Campaniſque ſociis.* De Oſcis ita tradit Plinius ſuprà dicto lib. III cap. V: *Latium antiquum à Tiberi Circeios usque obſervatum eſt millium paſſuum L longitudine. tam tenues primordio imperii fuêre radices. Colonis ſæpè mutatis, tenuère alii aliis temporibus; Aborigines, Pelaſgi, Arcades, Siculi, Aurunci, Rutuli: & ultra Circeios, Volſci, Oſci, Auſones. unde nomen modò Latii proceſſit ad Lirim amnem.* Et exiguo pòſt: *Colonia Minturnæ, Liri amne diviſa, Glani quondam adpellato. opidum Sinueſſa, extremum in adverſo Latio: quam quidam Sinôpen dixère vocitatam. Hinc felix illa Campania eſt. Ab hoc ſinu incipiunt vitiferi colles, & temulentia nobilis; ſucco per omneis terras inclito; atque, ut veteres dixère, ſummum Liberi patris cum Cerere certamen. hinc Setini & Cæcubi obtenduntur agri. his junguntur Falerni, Calani. dein conſurgunt Maſſici, Gaurani, Surrentinique montes. ibi Laborini campi ſternuntur; & in delicias alicæ politur meſſis. hæc litora fontibus calidis rigantur; præterque cætera in toto mari conchylio & piſce nobilitantur. nusquàm generoſior oleæ liquor. Et hoc quoque certamen humanæ voluptatis tenuère Oſci, Græci, Vmbri, Tuſci.* Apud Pompeium Feſtum hæc leguntur: *In omnibus ferè antiquis commentariis ſcribitur Opicum pro Obſco; ut in Titinnii fabulâ* V: *Qui Obſcè & Volſcè fabulantur. nam Latinè neſciunt. A quo etiam verba impudentia & elata adpellantur obſcena: quia frequentiſſimus fuit uſus Oſcis libidinum ſpurcarum.* Et mox: *Oſcos quos dicimus, ait Verrius, Opſcos antè dictos; teſte Ennio, quum dicat: De muris res gerit Opſcus.* In prioribus Feſti verbis mendum ineſſe ſuſpicabar, ni apud epitomatorem quoque eius Paullum Diaconum ita exſtaret: Opicum quoque invenimus pro Oſco. At exemplum huius rei Feſtus citat ex Titinnio; *Qui Obſcè fabulantur.* Et ne ſuſpiceris ſcriptum fuiſſe vel ab

ab Titinnio vel Feſto, *Qui Opicè fabulantur*: ab eodem illo vocabulo, quòd & in aliis antiquis commentariis & in Titinnii fabulâ ſcriptum erat, *verba* ait *impudentia adpellari obſcena*. Scripſit igitur ſic Feſtus: *In omnibus ferè antiquis commentariis ſcribitur Opſcum pro Oſco; ut in Titinnii fabulâ* V: *Qui Opſcè & Volſcè fabulantur*. Hoc jam idem erat illud, quod & Verrius adnotavit. Niſi fortè per ſupinam quamdam negligentiam ſeu incogitantiam Feſtus in contrarium propoſitæ rei ſenſum prò voce *Opſcum* ſcripſerit *Opicum*: quia, *Opicos* & *Oſcos* unam eamdemque gentem fuiſſe, alicubi legerat. Apud Stephani breviatorem ita ſcriptum eſt: Ὀπικοὶ, ἔθνος Ἰταλίας· Εὔδοξος ἕκτῳ γῆς περιόδου· Γλώσσας συνέμιξαν. οἱ δὲ, ὅτι Ὀφικοὶ, ἀπὸ τῶν ὄφεων. Id eſt: *Opici, gens Italiæ. Eudoxus de Circuitu Orbis lib.* VI: *Linguas commiſcuerunt. Alii verò Ophicos dictos volunt* ἀπὸ τῶν ὄφεων. id eſt, *ab ſerpentibus*. Manifeſta eſt lacuna. & haud obſcurè adparet, rationem adpoſitam fuiſſe, cur dicti fuerint Opici. Servius ad ſuprà ſcriptum Virgilii locum Aeneid. lib. VII ita commentatur: *Oſcorumque manus. Capuenſes dicit; qui anteà Ophici adpellati ſunt, quòd illic plurimi abundavêre ſerpentes. nam Græcè* ὄφις *dicitur ſerpens*. Sanè haud obſcurè hinc adparet, *Oſcos* eoſdem habitos fuiſſe antiquitus & *Opicos* hoc autem vocabulum grammatici quidam nugatores ἀπὸ τῶν ὄφεων, *à ſerpentibus*, deductum ab initio Ophici fuiſſe fabulati ſunt. Hinc igitur antiquiores auctores non modo in Campaniâ ultra Lirim amnem Maſſicumque montem collocarunt Opicos; ſed etiam cis Lirim ad Latium uſque & Tiberim flumen nomen eorum extenderunt: quo tractu Strabo atque Plinius Oſcos referunt. Dionyſius Halicarnaſſenſis lib. I; ubi de urbis Romæ origine atque conditoribus agit: Ἀριστοτέλης δὲ ὁ φιλόσοφος Ἀχαιῶν τινας ἱστορεῖ, τῶν ἀπὸ Τροίας ἀνακομιζομένων, περιπλέοντας Μαλέαν, ἔπειτα χειμῶνι βιαίῳ καταληφθέντας, τέως μὲν ὑπὸ τῶν πνευμάτων φερομένους πολλαχῇ τοῦ πελάγους πλανᾶσθαι· τελευτῶντας δ᾽ ἐλθεῖν εἰς τὸν τόπον τῆς Ὀπικῆς, ὃς καλεῖται Λάτιον, ἐπὶ τῷ Τυρρηνικῷ πελάγει κείμενος. Id eſt: *Ariſtoteles philoſophus tradit, Achæorum quoſdam, à Troiano bello redeunteis, circa Maléam curſum flexiſſe: correptoſque à tempeſtatibus, diu ventorum vi ultro citroque per altum jactatos, tandem adpuliſſe ad eam Opicæ regionis oram, quæ, Tyrrheno mari perfuſa, Latium adpellatur*. Eatenus quidem Ariſtoteles erravit, quòd & *Latium* in Opicâ regione eſſe cenſuit; quum *Siculi*, antiquiſſimi Latii incolæ, longè alieni fuerint generis ab Opicis. Eiusdem tamen opinionis & Plato, magiſter Ariſtotelis, fuiſſe videtur. quidpe verba eius in Epiſtolâ ad Dionis propinquos & amicos hæc ſunt: Ἥξει δὲ, ἐάνπερ τῶν εἰκότων γίγνηταί τι καὶ ἀπευκτῶν, σχεδὸν εἰς ἐρημίαν τῆς Ἑλληνικῆς φωνῆς Σικελία πᾶσα, Φοινίκων ἢ Ὀπικῶν μεταβαλοῦσα εἴς τινα δυναστείαν καὶ κράτος. Id eſt: *Quantum ex infelicibus præſagiis fas eſt portendere; univerſa Sicilia in Græcæ linguæ oblivionem lapſura videtur; ad Phœnicum vel Opicorum devoluta poteſtatem dominationemque*. Vbi treis ſuâ ætate in inſulâ ponit genteis, Græcos, Phœnicas, ſive Pœnos, & Opicos: quorum vocabulo ſine controverſiâ intellexit Siculos; quando hos nullos nominat: qui tamen partem inſulæ longè maximam tenebant: unde & toti inſulæ nomen. Sed hoc fortaſſis eâ ratione à Platone factum, quòd unà cum Hellanico Leſbio, quem loco ſuprà ſcripto citat Dionyſius, *Siculos* exiſtimavit origine *Auſonas*, à Iapygibus ex Italiâ pulſos; hos verò, unà cum Ariſtotele atque Antiocho eoſdem quos *Opicos*. Ariſtoteles ſuprà dicto Πολιτικῶν lib. VII cap. X præſcriptis verbis hæc ſubnectit: Ὤικουν δὲ τὸ μὲν πρὸς τὴν Τυρρηνίαν Ὀπικοὶ, καὶ πρότερον καὶ νῦν καλούμενοι τὴν ἐπωνυμίαν Αὔσονες· τὸ δὲ πρὸς τὴν Ἰαπυγίαν καὶ τὸν Ἰόνιον Χῶνες τὴν καλουμένην Σιρῖτιν. ἦσαν δὲ καὶ οἱ Χῶνες Οἰνωτροὶ τὸ γένος. Id eſt: *Habitabant autem in eâ Italiæ parte, quæ Tyrrhenis contermina, Opici; qui & olim cognomento Auſones dicebantur & nunc etiam dicuntur. eam verò partem, quæ Iapygiæ & Ionio ſinui finitima, incolebant Chones; nempe Siritim regionem. erant autem & Chones genere Oenotri*. Hinc ſcilicet illud eſt Dionyſii ſuprà dicto lib. I: Οἴνωτρος δὲ τὴν πλείω τῆς στρατιᾶς μοῖραν ἀγόμενος, εἰς τὸν ἕτερον ἀφικνεῖται κόλπον, τὸν ἀπὸ τῶν ἑσπερίων μερῶν παρὰ τὴν Ἰταλίαν ἀναχεόμενον, ὃς τότε μὲν Αὐσόνιος ἀπὸ τῶν προσοικούντων Αὐσόνων ἐλέγετο· ἐπεὶ δὲ Τυρρηνοὶ θαλασσοκράτορες ἐγένοντο, μετέβαλεν, ἣν ἔχει νῦν προσηγορίαν. Hoc eſt: *Oenotrus cum maiore parte exercitus in alterum ſinum pervênit, qui, Italiæ latus occidentale adluens, tunc ab adcolentibus Auſonibus dicebatur Auſonius; dein verò, Tuſcis maris imperio potitis, mutavit nomen, quod nunc obtinet*. Strabo lib. V, poſtquàm Campaniæ litus generatim expoſuit, ita porrò pergit: Ὑπὲρ δὲ τούτων τῶν ἠϊόνων Καμπανία πᾶσα ἵδρυται, πεδίον εὐδαιμονέστατον τῶν ἁπάντων. περίκειται δ᾽ αὐτῷ γεωλοφίαι τε εὔκαρποι καὶ ὄρη τά τε τῶν Σαμνιτῶν καὶ τὰ τῶν Ὄσκων. Ἀντίοχος μὲν οὖν φησι, τὴν χώραν ταύτην Ὀπικοὺς οἰκῆσαι· τούτους δὲ καὶ Αὔσονας καλεῖσθαι.

Πολυ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Πολύβιος δ' ἐμφαίνει δύο ἔθνη νομίζων ταῦτα. Ὀπικοὺς γάρ φησι καὶ Αὔσονας οἰκεῖν τὴν χώραν ταύτην περὶ τὸν Κρατῆρα. Ἄλλοι δὲ λέγουσιν, οἰκούντων Ὀπικῶν πρότερον καὶ Αὐσόνων, εἶτ' ἐκείνους κατασχεῖν ὕστερον Ὄσκων τι ἔθνος· τούτους δ' ὑπὸ Κυμαίων, ἐκείνους δ' ὑπὸ Τυρρηνῶν ἐκπεσεῖν· (διὰ γὰρ τὴν ἀρετὴν περιμάχητον γενέσθαι τὸ πεδίον) δώδεκα δὲ πόλεις ἐγκατοικίσαντας, τὴν οἷον κεφαλὴν, ὀνομάσαι Καπύην. διὰ δὲ τὴν τρυφὴν εἰς μαλακίαν τραπομένους, καθάπερ τῆς περὶ τὸν Πάδον χώρας ἐξέστησαν, οὕτω καὶ ταύτης παραχωρῆσαι Σαμνίταις. Hoc eſt: *Super hoc litus univerſa ſita eſt Campania; campus omnium fertiliſſimus. Cingunt eam frugiferi colles, & Samnitium Oſcorumque montes. Antiochus, ab Opicis habitatam fuiſſe hanc regionem, tradit; qui iidem & Auſones adpellarentur. at Polybius duas diverſas genteis exiſtimare videtur eos. ait namque, Opicos atque Auſones terram hanc circa Craterem incolere. Alii ferunt, quum ea loca quondam Opici & Auſones tenuiſſent, fuiſſe ea deinde ab Oſcorum quadam gente occupata. hanc à Cumanis fuiſſe pulſam: hos rurſum à Tuſcis. (etenim ob præſtantiam agros eos multis fuiſſe certaminibus expetitos.) hos, quum XII in eâ condidiſſent urbeis; quæ earum veluti caput foret, adpellaviſſe Capuam. quum autem per luxuriam ad mollitiem ſeſe transdidiſſent; quemadmodùm regione ad Padum ſitâ pulſi fuerunt, ſic hac etiam Samnitibus ceſſiſſe.* Eos heic intelligit *Samnites*, qui, occupatâ hac regione, à capite eius Capuâ dicti fuêre Campani. Crater autem dicebatur ſinus Puteolanus; ut infrà in Campaniæ deſcriptione oſtendetur. *Oſci* verò *montes* iſti nulli alii eſſe potuerunt, quàm id jugum, quod orientali latere duo ſuſtinet opida *Sueſſam Auruncorum & Teanam Sidicinorum:* quæ vulgò nunc dicuntur *Seſſa* atque *Tiano*. Cæterùm minùs diligentes minusque adcurati deprehenduntur fuiſſe iſti auctores; quando ignorarunt XII Tyrrhenorum principatus principeisque urbeis non in hac Campaniâ fuiſſe, ſed in Etruriâ, inter Arnum Tiberimque amnis & mare inferum. Quod autem Polybium attinet; rationem ego planè nullam diſpicio, cur per auctoritatem eius Ariſtoteli ſimul &, qui Ariſtotele ducentis ferè annis fuit prior, Antiocho fides omnis derogetur: præſertim, quum Ariſtoteles non antiquorum temporum, quod fecit Polybius, ſed ſuæ ætatis rem adfirmet. Iam verò, quòd illi quidam minùs diligentes ſcriptores tradiderunt, Opicos pulſos fuiſſe hac ora ab Oſcis, hos verò à Cumanis; eo ipſo apertè proditur, haud perinde veteres fuiſſe eos ſcriptores. quidpe antiquiores auctores, non in *Oſcis*, quos ſanè illi noverunt nullos, (poſterioribus enim temporibus id ita ab Opicorum nomine detortum eſt vocabulum) ſed in *Opicis* Cumas conditas fuiſſe referunt. Thucydides lib. VI: Ζάκλη δὲ τὴν μὲν ἀρχὴν ἀπὸ Κύμης, τῆς ἐν Ὀπικίᾳ Χαλκιδικῆς πόλεως, λῃστῶν ἀφικομένων, ᾠκίσθη. Id eſt: *Zancle primùm à latronibus, à Cumis, Chalcidicâ in Opicarum regione urbe, profectis, condita eſt.* Dionyſius lib. VII: Ἐπὶ τῆς ἑξηκοστῆς καὶ τετάρτης Ὀλυμπιάδος Κύμην, τὴν ἐν Ὀπικοῖς Ἑλληνίδα πόλιν, ἣν Ἐρετριεῖς τε καὶ Χαλκιδεῖς ἔκτισαν, Τυρρηνοὶ, καὶ σὺν αὐτοῖς Ὀμβρικοὶ τε καὶ Δαύνιοι καὶ συχνοὶ τῶν ἄλλων βαρβάρων, ἐπεχείρησαν ἀνελεῖν. Id eſt: *Olympiade* LXIIII *Cumam, Græcam in Opicis urbem, quam Eretrienſes Chalcidenſesque condiderunt, Tyrrheni ſimul & Vmbri Dauniique & alii nonnulli barbari, excidere conati ſunt.* Auctor Olympiadum ἀνώνυμος· Ὀλυμπιάδος ξδ' ἔτει α', οἱ κατὰ τὴν Ἰταλίαν Κυμαῖοι πολλὰς Τυρρηνῶν καὶ Ὀπικῶν μυριάδας ἐνίκησαν. Hoc eſt: *Olympiadis* LXIIII *anno primo in Italiâ Cumani multa Tyrrhenorum Opicorumque millia ſuperaverunt.* Marcianus Heracleenſis in Περιηγήσει:

> Μετὰ δὲ Λατίνους ἐστὶν ἐν Ὀπικοῖς πόλις
> Κύμη.
> *Vltra Latinos eſt in Opicis urbs*
> *Cuma.*

Sic item in aliis huius regionis locis, Cumanæ urbi vicinis, idem Opicorum uſurparunt nomen auctores. Dionyſius lib. I; de Aeneæ in Italiam navigatione narrans: Ἔπειτα νήσῳ προσέσχον, ᾗ τοὔνομα ἔθεντο Λευκασίαν, ἀπὸ γυναικὸς, ἀνεψιᾶς Αἰνείου, περὶ τόνδε τὸν τόπον ἀποθανούσης, ἐκεῖθεν δὲ κατάραντες εἰς λιμένα καλὸν καὶ βαθὺν ἐν Ὀπικοῖς, τελευτήσαντος καὶ αὐτόθι Μισηνοῦ, τῶν ἐπιφανῶν τινος, ἀπ' ἐκείνου τὸν λιμένα ὠνόμασαν. Hoc eſt: *Deinde ad inſulam adplicuerunt, cui nomen impoſuerunt Leucaſiæ, ab Aeneæ conſobrinâ, circa hæc loca mortuâ. Hinc devecti ad pulcrum profundumque in Opicis portum; exſtincto ibi quoque Miſeno, viro nobili; ab eo portum denominarunt.* Strabo lib. XIIII, de Rhodiis loquens: Ἀφ' οὗ καὶ μέχρι Ἰβηρίας ἔπλευσαν· κἀκεῖ μὲν τὴν Ῥόδην ἔκτισαν, ἐν δὲ τοῖς Ὀπικοῖς τὴν Παρθενόπην. Id eſt: *Ita in Hiſpaniam usque navigarunt: ubi Rhoden condiderunt:*

runt: in Opicis verò Parthenope. Sic anteà Neapolis vocabatur. Stephani epitomator: Παρθενόπη, πόλις ἐν Ὀπικοῖς τῆς Ἰταλίας, κτίσμα Ῥοδίων. Id eſt: *Parthenope, urbs Italiæ in Opicis; à Rhodiis condita*. Item: Φαλήρον, πόλις ἐν Ὀπικοῖς, εἰς ἣν ἐξεβράσθη Παρθενόπη ἡ Σειρὴν, ἣ καλεῖται Νεάπολις. Hoc eſt: *Phalêrum, urbs in Opicis; ad quam fluctibus ejecta fuit Parthenope Siren: quæ Neapolis vocatur*. Idem auctor: Ἄτελλα, πόλις Ὀπικῶν Ἰταλίας, μεταξὺ Καπύης καὶ Νεαπόλεως. Id eſt: *Atella, urbs Opicorum in Italiâ, inter Capuam & Neapolim*. Sed & longè latiùs diffuſum fuit id gentis nomen. Idem breviator Stephani: Φρέγελλα, πόλις Ἰταλίας· ἣ τὸ μὲν ἀρχαῖον ἦν Ὀπικῶν, ἔπειτα δὲ Οὐολούσκων ἐγένετο. Id eſt: *Fregella, urbs Italiæ: quæ antiquitus erat Opicorum; poſteà verò Volſcorum facta eſt*. Apud Dionem Iulius Cæſar in concione, quam in Galliâ habuit ad legatos ſuos ordinumque ductores, adverſùs Arioviſtum pugnaturus, ita loquitur de Romanis: Τοιγαροῦν ἐκ τούτων τῶν βουλευμάτων αὐτοὶ Λατίνους ἐκράτησαν, Σαβίνους ἐνίκησαν, Τυρσηνοὺς, Οὐόλσκους, Ὀπικοὺς, Λευκανοὺς, Σαυνίτας ἐχειρώσαντο. Id eſt: *Hæc illi conſilia ſequuti, Latinos in ſuam poteſtatem redegerunt, Sabinos vicerunt, Etruſcos, Volſcos, Opicos, Lucanos, Samnites, ſubegerunt*. Vera hæc atque germana Cæſaris ſi fuit oratio; certè ille Campanos nominavit: pro quibus Dio, Græcus homo, antiquum uſurpavit vocabulum *Opicorum*; qui omnem olim obſidebant Campaniam. Sed & ipſum adeò tenuiſſe Samnium, diſertè teſtatur Strabo lib. v: Περὶ δὲ Σαμνιτῶν, inquit, καὶ τοιοῦτός τις λόγος ἐκφέρεται· Διότι πολεμοῦντες Σαβῖνοι πολὺν χρόνον πρὸς τοὺς Ὀμβρικοὺς, εὔξαντο, καθάπερ τῶν Ἑλλήνων τινὲς, τὰ γενόμενα τῷ ἔτει τούτῳ καθιερῶσαι. νικήσαντες δὲ, τῶν γενομένων τὰ μὲν κατέθυσαν, τὰ δὲ καθιέρωσαν. ἀφορίας δὲ γενηθείσης, εἶπέ τις, ὡς ἐχρῆν καθιερῶσαι καὶ τὰ τέκνα· οἱ δὲ ἐποίησαν τοῦτο· καὶ τοὺς γενομένους τότε παῖδας Ἄρεως ἐπεφήμισαν. ἀνδρωθέντας δ᾽ ἔστειλαν εἰς ἀποικίαν. ἡγήσατο δὲ ταῦρος. ἐν δὲ τῇ τῶν Ὀπικῶν κατευνασθέντος, (ἐτύγχανον δὲ κωμηδὸν ζῶντες) ἐκβαλόντες ἐκείνους, ἱδρύθησαν αὐτόθι. Id eſt: *De Samnitibus huiusmodi etiam fertur ſermo: Sabinos, quum diuturno bello cum Vmbris conflictarentur, voviſſe, (qui Græcorum quorumdam mos fuit) diis ſe, quæ nata forent eo anno, conſecraturos. potitosque victoriâ, immolaſſe partim, partim conſecraſſe eius anni proventa. inſequutâ autem ſterilitate, monuiſſe quemdam, etiam prolem fuiſſe diis conſecrandam. obtemperaſſe Sabinos: eoque anno editos liberos Marti dicaſſe. quumque virilem attigiſſent ætatem, duce tauro ad condendam novam coloniam emiſiſſe. taurum in Opicorum regione procubuiſſe. itaque his expulſis (quidpe per vicos habitabant) eorum agrum novos colonos occupaſſe*. At *Auſones* tenuiſſe omnem hanc regionem ad Volſcorum uſque fineis, in Samnio *Beneventum*, in Campania *Nolam* & *Cales*, circa Maſſicum montem *Sinueſſam* ſive *Veſciam*, apud Lirim amnem *Minturnas*, ſuprà clarè perſpectum eſt. Verum igitur, quod Antiochus atque Ariſtoteles adſeverarunt, unum eamdemque gentem eſſe *Auſones* atque *Opicos*. Hos verò eoſdem fuiſſe *Oſcos*, præter jam antè allata documenta, ex hoc quàm manifeſtiſſimè adparet, quòd urbeis, quas Græci auctores in *Opicis* referunt, Latini *Oſcis* adſcribunt. Velleius lib. I: *Nec multo pòſt Chalcidenſes Cumas in Italiâ condiderunt*. Mox: *Cumanos Oſca mutavit vicinia*. Diomedes Grammaticar. inſtit. lib. III: *Tertia ſpecies eſt fabularum Latinarum, quæ à civitate Oſcorum Atellâ, in qua primùm captæ, Atellanæ dictæ ſunt; argumentis dictiſque jocularibus, ſimiles Satyricis fabulis Græcis*. Sic in Volſcorum confinio *Opicorum* refert opidum Stephanus *Fregellas*, Strabo verò eodem tractu *Oſcorum Sidicinorum Teanum*. ſic & Dio Volſcis continuat *Opices*; à Tarracinâ ſcilicet, extremâ in litore Volſcorum urbe ad Samnites uſque; ubi Strabo atque Plinius; ut ſuprà intellectum, ponunt *Oſcos*. quibus conſentiens Silius, ita canit lib. VIII:

Iam verò, quos dives opum, quos dives avorum
Ex toto dabat bellum Campania tractu,
Ductorum adventum vicinis ſedibus Oſci
Servabant: Sinueſſa tepens, fluctuque ſonorum
Vulturnum; quasque evertêre ſilentia, Amyclæ;
Fundique, & regnata Lamo Caieta, domusque
Antiphatæ, compreſſa freto; ſtagniſque paluſtre
Liternum, & quondam fatorum conſcia Cumæ.

Omnia heic opida maritima enarrat, quæ erant poſt Tarracinam ad Cumas uſque; ut ſequenti hinc capite videbimus. Strabo ſæpè dicto lib. v ita ſcribit: Ἴδιον δέ τι τοῖς Ὄσκοις συμβέβηκε· τῶν γὰρ Ὄσκων ἐκλελοιπότων, ἡ διάλεκτος μένει παρὰ τοῖς Ῥωμαίοις.

ὥστε

ὥςτε ϗ ποιήματα σκηνοβατεῖσθαι κατ' ἵνα ἀγῶνα πάτριον, καὶ μιμολογεῖσθαι. Id eſt: *Peculiare quiddam Oſcis evênit. quidpe, quum Oſcorum gens interierit; ſermo eorum apud Romanos durat; ita, uti carmina quædam ac minus certo quodam certamine, quod maiorum inſtituto celebratur, in ſcenam producantur.* Eosdem ludos & alii memorarunt auctores. Cicero Famil. lib. VII epiſt. I: *Non enim te puto Græcos aut Oſcos ludos deſideraſſe: præſertim, quum Oſcos ludos vel in ſenatu noſtro ſpectare poſſis.* Livius lib. VII: *Poſtquàm lege hac fabularum ab riſu ac ſoluto joco res avocabatur, & ludus in artem paullatim verterat; juventus, hiſtrionibus fabellarum actu relicto, ipſa inter ſe more antiquo ridicula, intexta verſibus, jactitare cœpit: quæ inde exodia poſteà adpellata, conſertaque fabellis potiſſimùm Atellanis ſunt. quod genus ludorum, ab Oſcis acceptum, tenuit juventus; nec ab hiſtrionibus pollui paſſa eſt. Eò inſtitutum manet, ut auctores Atellanarum nec tribu moveantur; & ſtipendia, tamquàm expertes artis ludicræ, faciunt.* Tacitus Annal. lib. IIII: *Oſcum quondam ludicrum, leviſſimæ apud vulgus oblectationis, eò flagitiorum & virium veniſſe, ut auctoritate patrum coërcendum ſit. Pulſi tum hiſtriones Italiâ.* Quando Oſcorum lingvâ in omni reliquâ Italiâ interierit, haud facilè dixerim. Iuventus quoque iſta Romana, quæ poſterioribus etiam, ut patet ex Tacito, temporibus *ludos Oſcos* Romæ faciebat, utrum certa tantùm quædam *carmina* certasque *fabellas Atellanas* memoriæ mandaverit, an verò omnis Oſcæ lingvæ perfectam abſolutamque tenuerit notitiam; ita, uti in quovis quotidiano congreſſu colloquioque familiari aptè expeditéque & exactè inter ſe confabulari ſciverint; planè incertum eſt. Quamquàm de eius lingvæ peritiâ amplius quiddam atque perfectius præ iſtis fabularum Aellanarum actoribus gloriatus eſſe videtur Ennius poëta, natione Calaber; quæ regio nunc vocatur vulgò *Terra d' O'tranto*, apud fauceis Hadriatici ſinus. de hoc quidpe ſic Agellius tradit lib. XVII cap. XVII: *Q. Ennius tria corda habere ſeſe dicebat; quòd loqui Græcè & Oſcè & Latinè ſciret.* Græcæ lingvæ quum jam tum haud rarus fuerit in urbe Romanâ uſus; nihil perinde erat, quòd tantopere gloriaretur Ennius, niſi Oſcæ lingvæ longè perfectiorem ipſe quàm alii in Vrbe, habuerit cognitionem. hanc autem utrùm Romæ hauſerit à prædictis Oſcorum ludorum actoribus, an apud aliquam Oſcæ ſtirpis gentem, quamvìs incertum ſit; tamen circa ea tempora adhuc apud aliquam Italicarum gentium in uſu exſtitiſſe, teſtatur ſuprà dicta Titinnii fabula, ex qua Feſtus hæc citat verba: *Qui Obſcè & Volſcè fabulantur. nam Latinè neſciunt.* Et Oſcam fuiſſe lingvam Sabinorum, Samnitium, Brutioramque, mox oſtendam. De cætero ex hactenus allatis diſſertisque ſatis jam manifeſtè ac clarè patet, unam eamdemque fuiſſe gentem, quæ variis adpellabatur nominibus, AVSONES, AVRVNCI, OPICI. quorum hoc vocabulum poſtmodum à Romanis correptum fuit in duas ſyllabas OPSCI, ſive OBSCI; ac tandem OSCI. Verùm tamen ita ego opinor; omneis quidem Auruncos atque Opicos ſeu Oſcos fuiſſe Auſonas; at non vice verſâ omneis Auſonas fuiſſe Auruncos & Opicos. ſed quum ingens fuerit Auſonum corpus; ut qui ab freto ſiculo & faucibus Hadriatici ſinus ad usque Volſcorum, Siculorum, Vmbrorumque agros pertigerint; in varias parteis variaque nomina id diſtributum fuiſſe: utique, poſtquàm ulteriore ſedium ſuarum parte ab Oenotris Peucetiisque pulſi fuêre. Primùm univerſa gens ab Oenotrorum Peucetiorumque finibus, id eſt, ab Silaro inferi maris, & Frentone ſuperi maris flumine, ad Volſcorum usque & Siculorum Vmbrorumque fineis, OPICI & OSCI adpellati ſunt. horum pars inter Campaniam & Volſcorum fineis AVRVNCI ſunt dicti; ut ſuprà teſtimonium ex Dione perhibuit Iſacius Tzetza; utque documento claro eſt *Sueſſa Aurunca*, Campaniæ, nunc etiam *Seſſa* dicta. pars altera Opicorum, ſive Oſcorum, circa Teanum & Fregellas, SIDICINI vocati ſunt: uti ſuprà è Strabone maximè ac Stephani epitomatore intelleximus. Communi tamen illâ atque antiquiſſimâ adpellatione ſingulæ ſæpè partes dictæ fuêre AVSONES: quod nomen Ariſtoteles ſuprà ſcripto loco pro ἐπωνυμίᾳ, id eſt, *pro cognomento* univerſæ *Opicorum* gentis accepit: Livius verò, ſive ii auctores, è quibus monumentis ſua Livius ſumpſit, pro unius exiguæ partis proprio peculiarique nomine uſurparunt, circa Cales, Sinueſſam, & Minturnas: quo tractu Auruncorum fuiſſe nomen, ex ſuprà diſputatis dilucidè claruit. Hinc illud Livii lib. VIIII: *Conſules ab Sorâ profecti, in agros atque urbeis Auſonum bellum intulerunt.* Mox: *Auſonum gens proditione urbium, ſicut Sora, in poteſtatem venit.* Et paullo pòſt: *Quia abſentibus*

ducibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

ducibus impetus eſt factus, nullus modus cædibus fuit. deletaque Auſonum gens, vix certo defectionis crimine, perinde ac ſi internecino bello certaſſet. Cæterùm ex Dionyſii lib. I ſuprà allata fuêre iſta: Ἀντίοχος δὲ ὁ Συρακούσιος Σικελοὺς τοὺς μετανασάντας ἀποφαίνει, βιασθέντας ὑπό τε Οἰνώτρων καὶ Ὀπικῶν στρατῶν. Θουκυδίδης δὲ Σικελοὺς μὲν γράφει τοὺς ἀπαναστάντας, Ὀπικοὺς δὲ τοὺς ἐκβαλόντας. Id eſt: *Antiochus Syracuſanus Siculos tradit migraſſe, vi exactos ab Oenotrorum Opicorumque copiis. Thucydides verò eos, qui migrarunt, Siculos vocat; eos verò, qui expulerunt, Opicos.* Vterque rectè, diverſo locorum reſpectu. nam ab *Oenotris*, qui jam tum *Aborigines* vocabantur, vel unà cum *Pelaſgis Latini*, pulſi fuêre patriis ſedibus, antiquâ illâ ac primâ Siciliâ ſive Italiâ, quæ fuit in Latio & agro Sabino: ab Opicis porrò ejecti fuêre reliquâ Italiâ ad fretum usque protenſâ; unde in Sicaniam trajecerunt inſulam, quæ ab eorum nomine dicta Siciliâ. Ergo antiquiſſimi iſti auctores nullum aliud in extremâ illâ Italiâ agnoverunt nomen, quàm *Opicorum*. Ac ſanè maximè credibile eſt, poſtquàm ex eâ exceſſerint *Oenotri*, verſus ſuperiora Italiæ & Siculorum regionem proficiſcentes, remigraſſe ſtatim in priſtinam ſedem partem Opicorum. Apud Strabonem dicto lib. V, in deſcriptione Sabini agri, hæc leguntur verba: Ἔστι δὲ καὶ παλαιότατον γένος οἱ Σαβῖνοι καὶ αὐτόχθονες. τούτων δ' ἄποικοι Πικεντῖνοί τε καὶ Σαμνῖται· τούτων δὲ Λευκανοί· τούτων δὲ Βρέττιοι. Id eſt: *Eſt autem Sabinorum gens antiquiſſima atque indigena. ab iis originem ducunt Picentes atque Samnites. ab his porrò Lucani; & ab his Bruttii.* Et eodem libro poſteà: Φρεντανοί, Σαμνιτικὸν ἔθνος. *Frentani, gens Samnitica. Opica* ſive *Oſca* originis fuiſſe Sabinos, ex ſermone adparet. Feſtus: *Caſnar, ſenex, Oſcorum linguâ. Mamers, linguâ Oſcorum Mars ſignificatus. Mamercus, prænomen Oſcum eſt; ab eo, quòd hi Martem Mamertem adpellant. Sufes dictus Pœnorum magiſtratus, ut Oſcorum Mediaſtuticus. Meddix apud Oſcos nomen magiſtratus eſt. Ennius: Summus ibi capitur meddix.* Varro de Latinâ linguâ lib. IIII: *Mars ab eo, quòd maribus in bello præeſt: aut, quòd à Sabinis acceptus; ubi Mamers.* Et lib. VI: *Caſcum ſignificat vetus. eius origo Sabina eſt; quæ usque radices in Oſcam lingvam egit. Item oſtendit, quòd opidum vocatur Caſſinum, hoc enim à Sabinis orti Samnites tenuerunt. Item ſignificat in Atellanis aliquot pupum ſenem, quod Oſci caſnar adpellant.* Sanè Oſco uſi ſunt ſermone *Samnites*: teſte non dubio T. Livio lib. X: *In Samnio*, inquit, *novi exercitus exorti ad depopulandos imperii Romani fineis, per Veſcinos in Campaniam Falernumque agrum transſcendunt, ingenteisque prædas faciunt. Volumnium, magnis itineribus in Samnium redeuntem, fama de Samnitium exercitu populationibusque Campani agri ad tuendos ſocios convertit.* Mox: *His ſatis exploratis profectus, tanto intervallo ab hoſtibus conſedit, ut nec adventus ſuus propinquitate nimiâ noſci poſſet: & egredientem è caſtris hoſtem opprimeret. Aliquanto ante lucem ad caſtra acceſſit: gnarosque Oſcæ lingvæ exploratum, quid ageretur, mittit.* Hinc etiam Campani, ab Samnitibus orti, Oſcum illud habuêre vocabulum *mediaſtuticus*. Idem Livius lib. XXIIII: *Q. Fabius conſul ad Caſilinum caſtra habebat; quod duûm millium Campanorum & ſeptingentorum militum Hannibalis tenebatur præſidio. Præerat Statius Metius; miſſus ab Cn. Magio Atellano; qui eo anno mediaſtuticus erat.* Et lib. XXVI: *Hoc ultimum, utcumque initum finitumque eſt, ante deditionem Capuæ prœlium fuit. Mediaſtuticus, qui ſummus magiſtratus apud Campanos eſt, eo anno Seppius Leſius erat.* Hinc item illa narratio Feſti de nomine Mamertinorum; qui, genere *Campani*, Meſſanam in Siciliâ olim occupaverunt. *Mamertini*, inquit, *adpellati ſunt hac de causâ: Quum toto Samnio gravis incidiſſet peſtilentia, Sthennius Mettius, eius gentis princeps, convocatâ civium ſuorum concione, expoſuit, ſe vidiſſe in quiete præcipientem Apollinem, ut, ſi vellent eo malo liberari, ver ſacrum voverent; id, quæcumque vere proximo nata eſſent, immolaturos ſibi. quo facto levatis, poſt annum viceſimum deinde eiusdem generis inceſſit peſtilentia. rurſum itaque conſultus Apollo reſpondit, non eſſe perſolutum ab his votum; quòd homines immolati non eſſent. quos ſi expuliſſent, certò fore, ut eâ clade liberarentur. Itaque hi juſſi patriâ decedere, quum parte eâ Siciliæ conſediſſent, quæ nunc Tauromenitana dicitur; fortè laborantibus bello novo Meſſanenſibus auxilio venerunt ultro; eosque ab eo liberarunt. Provinciales hoc ob meritum eorum ut gratiam referrent; & in ſuum corpus communionemque agrorum invitarunt eos, & nomen acceperunt unum, ut dicerentur Mamertini: quòd, conjectis in ſortem XII deorum nominibus, Mamers fortè exierat; qui lingvâ Oſcorum Mars vocatur. cuius hiſtoriæ auctor eſt Alſius lib. I belli Carthaginienſis.* Fuiſſe *Campanos*, Siciliæ lib. I cap.

cap. VI oſtenſum eſt. Ergo ex valido hoc certoque lingvæ argumento ſatis jam conſtat, Sabinos Opicæ ſive Oſcæ fuiſſe ſtirpis. At haud facilè inducor, uti credam, ex Sabino demum agro, inter Narem Anienemque & Tiberim amneis ſito, ortos fuiſſe à Sabinis *Samniteis* atque *Picenteis*. ſed, ut ſuprà lib. II cap. VIII in Sabinorum, & cap. XI in Picentium expoſitione dixi, *Auſones* illi, qui poſteà *Opici* vocati, jam ſecundò mutatâ adpellatione, dicti fuêre SABINI. mox gente universâ in plureis partes atque nomina diversâ, alii ex iis AVRVNCI, alii SIDICINI adpellati fuêre. quorum tamen illi antiquiſſimum etiam illud nomen Auſonum ad poſteriora usque tempora, ſi Romanis credimus ſcriptoribus, perpetuò ſervarunt. Reliquum autem Sabinorum corpus in duas potiſſimùm parteis diviſum fuit; quarum altera, verſùs Solis occaſum æſtivum & Alpeis, SABINORVM nomen retinuit; altera, verſùs ortum Solis hibernum & fretum Siculum dicti fuêre ab initio Σαβινίται, SABINITES; mox Σαβνίται ſive Σαυνίται, SABNITES ſeu SAVNITES; ac tandem Σαμνίται, SAMNITES. utraque verò pars, Sabini juxtà & Samnites, uno nomine etiam dicti fuêre SABELLI; ut ſuprà dicto lib. II cap. VIII oſtenſum. Hinc igitur eſt illud Philargyri ad Virgilii Γεωργικῶν lib. II: *Pubemque Sabellam. Hi ſunt, qui olim Auſones dicebantur*. Plinius lib. III cap. XII: *Samnitium, quos Sabellos, & Græci Saunitas dixêre, colonia Bovianum*. Virgilius dicto Γεωργικῶν lib. II; de Italiâ loquens:

Hæc genus acre virûm, Marſos, pubemque Sabellam,
Adſvetumque malo Ligurem, Volſcosque verutos,
Extulit.

Quum graviſſima & maximè diutina cum *Samnitibus* in Italiâ bella geſſerint Romani; haud dubium eſt, quin eam gentem, non verò Sabinos, heic inter bellicoſiſſimas Italiæ genteis connumerare voluerit poëta. At Aeneid. lib. VIII disertè Sabinum genus intellexit; ubi ita Aeneam adfatur Euander in urbe Româ:

Gnatum exhortarer, ni miſtus matre Sabellâ
Hinc partem patriæ traheret.

At Samnites intelligunt Livius atque Horatius. ille lib. VIII: *Alteri conſuli, Aemilio, ingreſſo Sabellum agrum, non caſtra Samnitium, non legiones usquàm oppoſitæ. ferro ignique vaſtantem agros, legati Samnitium, pacem orantes, adeunt*. Lib. X: *Samnitium dux Gellius Egnatius pabulatum cum cohortibus paucis ierat*. Mox: *Ibi interventu Gelli cohortiumque Sabellarum paullisper recruduit pugna*. Horatius lib. II, ſatyrâ I:

Nam Venuſinus arat finem ſub utrumque colonus;
Miſſus ad hoc, pulſis, vetus eſt ut fama, Sabellis,
Quò ne per vacuum Romano incurreret hoſtis.

At poſtquàm *Sabini* Vmbriæ etiam partem, & item Liburnorum agrum apud mare ſuperum occuparunt; ſciſſi ſive diſſenſione quadam domeſticâ, ſeu alio quo conſilio, in duas parteis, pars altera nomen antiquum Sabinorum retinuit, inter Narem & Anienem; altera pars inter Apenninum & mare PICENTES ſeſe adpellavêre; ut ſuprà lib. II cap. VIII & XI oſtenſum. At VESTINI, MRRRVCINI, PELIGNI, MARSI, AEQVI, & HERNICI; quos omneis & ipſos eiusdem fuiſſe generis, ſuprà dicto lib. II demonſtratum eſt; quando & qua de causâ ſeceſſionem à communi *Sabinorum* corpore ac nomine fecerint, incertum eſt. At verò à Samnitium nomine digreſſi ſunt, teſte ſuprà citato Strabone, & aliis, quos infrà ſuis locis producemus, FRENTANI, mare ſuperum inter Marrucinos atque Apulos adcolentes; tum LVCANI, à Silano Bradanoque amnibus ad fretum usque Siculum mare inferum & Tarentinum ſinum adcolentes: mox CAMPANI item, inter ſuprà dictos Auruncos Sidicinosque & Silarum eiusdem maris inferi oram tenentes. ultimi digreſſionem fecêre HIRPINI, circa Beneventum & Compſa, quæ opida hodiéque manent, incolentes. De his duobus populis infrà ſuis locis id probabitur. Cæterùm à *Lucanorum* corpore ac nomine digreſſi ſunt BRVTTII, extremum Italiæ angulum, inter Laum, inferi maris, & Crathim, Tarentini ſinus amnem, fretumque Siculum incolentes. De his ita habet Feſtus: Bilingveis Brutates Ennius dixit, quòd Brutii & Oſcè & Græcè loqui ſoliti ſint. Scilicet Græci poſt bellum Troianum compluréis in litora Brutiorum deduxerant colonias; ut infrà in ipſorum expoſitione patebit. At quamprimùm primi illi Græci, ſuprà dicti *Oenotri*, in Siculorum regionem ſeu Latium inter Narem amnem & mare inferum profecti ſunt;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

relictam ab his Italiæ extremam iſtam partem ab Lao Cratſique ad fretum usque haud dubiè ſtatim repitierunt *Auſones*, mutato jam nomine *Opici*, ſeu, ut Romani uſurparunt, Oſci dicti. namque inter Oenotrorum emigrationem Lucanorumque ac Bruttiorum originem nulla heic intermedia memoratur gens. Id tamen minùs certum; quibus temporibus ab Samnitium nomine diverterint Lucani; & ab his porrò Bruttii. Atque hactenus ſatis clarè manifeſtóque & abundè demonſtratum eſt, unam eamdemque fuiſſe gentem Auſones atque Opicos. hos verò poſtmodùm in varias parteis adpellationesque ſive nationes fuiſſe diviſos. quarum eas, quæ ex Sabinorum genere ortæ traduntur auctoribus, ſuprà explicuimus. quæ verò ex Samnitium nomine ſtirpem duxerunt, poſthinc ſuo quæque ordine geographico dicentur.

CAP. X.

De AVSONVM *ſive* AVRVNCORVM *inter Tarracinam & Maſſicum montem opidis cæteriſque locis.*

VLtra Tarracinam igitur Volſcis continuabantur AVRVNCI, gens Opica; quos antiquiore vocabulo Livius, ut ſuperiori capite oſtenſum, vocat AVSONES. Regionem incoluêre apud mare inferum longitudine XXXIIII millium paſſuum, ab Tarracinâ ad Sueſſam usque Auruncam; quæ vulgò nunc vocatur Seſſa: ſed latitudine ſatis exigua. quidpe à litore ad Volſcorum opida Fabrateriam Interamnamque XVII circiter erant millia. Ab occaſu igitur atque ſeptemtrionibus habuêre conterminos Volſcos: ab ortu Sidicinos, quorum *Teanum* opidum, & Campanos. ab auſtro clandebantur mari. Huius oram ſic deſcribit Plinius lib. III cap. V: *Flumen Vfens: ſupra quod Tarracina opidum, linguâ Volſcorum Anxur dictum. & ubi fuêre Amyclæ, à ſerpentibus deletæ. dein locus Speluncæ; lacus Fundanus, Caieta portus, opidum Forniæ,* [*anteà*] *Hormiæ dictum; ut exiſtimavêre, antiqua Læſtrygonum ſedes, ultra fuit opidum Pyræ; colonia Minturnæ, Liri amne diviſa, Glani quondam adpellato. opidum Sinueſſa; extremum in adjecto Latio: quam quidem Sinôpen dixêre vocitatam. Hinc felix illa Campania eſt.* Ptolemæus idem litus ſic refert: Ταῤῥακῖναι, Φορμίαι. Καμπανῶν περὶ τὸ Τυῤῥηνικὸν πέλαγος· Λείρεως ποταμοῦ ἐκβολαί, Σινόεσσα, Οὐόλτουρνον. Id eſt: *Tarracinæ, Formiæ. Campanorum hinc juxta mare Tuſcum, Liris fluvii oſtium, Sinueſſa, Vulturnum.* Mela lib. II cap. IIII adverſo itinere, ex Campaniâ in Latium, progrediens: *Pæſtanus ſinus, Poſtum opidum, Silarus amnis, Picentia, Petræ, quas Sirenes habitavêre, Minervæ promontorium; opima Lucaniæ loca. Sinus Puteolanus, Surrentum, Herculaneum, Veſuvii montis adſpectus, Pompeii, Neapolis, Puteoli, lacus Lucrinus & Avernus, Baiæ, Miſcenum, Cumæ, Liternum, Vulturnus amnis, Vulturnum opidum; amœna Campaniæ litora. Sinueſſa, Liris, Minturnæ, Formiæ, Fundi, Tarracina.*

SPELVNCA VILLA memoratur Tacito in Annal. lib. IIII; ubi ita de Tiberio loquitur: *Fortè illis diebus oblatum Cæſari anceps periculum auxit vana rumoris. præbuitque ipſi materiem, cur amicitiæ conſtantiæque Seiani magis fideret. Veſcebatur in villâ, cui vocabulum Speluncæ, mare Amuclanum inter Fundanosque monteis, nativo in ſpecu. eius os, lapſis repentè ſaxis, obruit quosdam miniſtros. hinc metus in omneis, & fuga eorum, qui convivium celebrabrant. Seianus genu vultuque & manibus ſuper Cæſarem ſuſpenſus, oppoſuit ſeſe incidentibus, atque habitu tali repertus eſt à militibus, qui ſubſidio venerant.* Eadem villa Svetonio in Tiberio PRAETORIVM dicitur: nempe, quia omnes elegantiores ſuperbioresque villæ eo ſæculo prætoria vocabantur. Ipſe Svetonius in Caligulâ cap. XXXVII: *In exſtructionibus prætoriorum atque villarum, omni poſthabitâ ratione, nihil tam efficere concupiſcebat, quàm quod effici poſſe negaretur.* Sed in Tiberio, cap. XXXVIIII, *Neque Romam*, inquit, *ampliùs rediit. ſed paucos poſt dies juxta Tarracinam in prætorio, cui Speluncæ nomen erat, incœnante eo, complura & ingentia ſaxa fortuitò ſupernè delapſa ſunt. multisque convivarum & miniſtrorum eliſis,*

præter

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

præter ſpem evaſit. Sed & Straboni idem locus memoratur lib. v, poſt deſcriptionem Tarracinæ. Ἑξῆς δὲ, inquit, Φορμίαι Λακωνικὸν κτίσμα ἐστὶν, Ὁρμίαι λεγόμενον πρότερον, διὰ τὸ εὔορμον. καὶ τὸν μεταξὺ δὲ κόλπον ἐκεῖνοι Καιάταν ὠνόμασαν· τὰ γὰρ κοῖλα πάντα καιάτας οἱ Λάκωνες προσαγορεύουσιν. ἔχει δὲ μῆκος σταδίων ρʹ, ἀρξάμενος ἀπὸ τῆς Ταῤῥακίνης, μέχρι τῆς ἄκρας τῆς ὁμωνύμου. ἀνέῳγε δ' ἐντεῦθεν σπήλαια ὑπερμεγέθη, κατοικίας μεγάλας καὶ πολυτελεῖς δεδεγμένα. ἐντεῦθεν δ' ἐπὶ τὰς Φορμίας τετταράκοντα. Hoc eſt: *Sequuntur à Tarracinâ Formiæ, à Laconibus conditæ: priùs, ob litoris ad excipiendas naveis opportunitatem, Hormiæ dictæ. quin & ſinum interjectum Lacones Caiatam adpellavêre.* καιάτας *quidpe illi omneis indigetant cavitates. protenditur autem is ſinus ad longitudinem centum ſtadiorum, à Tarracinâ ad promontorium eiusdem nominis. Hinc ingentes aperiuntur ſpeluncæ; in quibus magnæ ſunt ac ſumptuoſæ villæ. Inde ad Formias ſtadia ſunt* XL. Ergo ſecundùm hæc Strabonis verba complures fuêre ſpeluncæ, compluresque in eis villæ. Cæterùm oratio iſthæc ſatis eſt perplexa eſt, &, ni menda ineſſe concedas, etiam erronea. Speluncæ Caietæque vocabula etiam nunc exſtant; illud *Sperlonga*, hoc *Caéta* vulgò dictum. Sed ab opido hoc, quod in promontorio ſitum, XVI fermè ſunt millia ad Tarracinam; id eſt, ſtadia CXXVIII. Ab eo tamen promontorio atque opido recte XL ſtadia numeravit Strabo, id eſt millia paſſuum V, ad Formias, quæ nunc vulgò *Mola*. Minime igitur iſtud poſterius ἐντεῦθεν intelligendum eſt de Speluncis. At primum ἐντεῦθεν mendoſum exiſtimo à germano auctoris ἐνταῦθα, id eſt, *heic*; ſcilicet, ἐν τῷ κόλπῳ Καιάτᾳ, *in ſinu Caiatâ*, inter Caietam opidum & Tarracinam. eſt quidpe prædictum opidulum *Sperlonga* citra Caietam, haud procul ſiniſtrâ ſive orientali ripâ faucium Fundani lacus; de quo plura mox in mediterraneo dicam. unde etiam Plinius erraſſe deprehenditur, inter lacum hunc & Tarracinam locum Speluncæ collocans. De cætero, quia Plinius tantummodò locum vocat Speluncæ, & item Svetonius præteriti temporis verbo utitur *erat*; haud invalido inde colligere licet argumento, villam hanc, quæ Tiberii Strabonisque tempeſtate exſtabat, illorum ætate, utique quum geographica ſua ſub Veſpaſiano imperatore ederet, dirutam fuiſſe.

Inter *Speluncam* & *Tarracinam*, ut vult Plinius, ſeu, ut diſertiùs locus indicetur, inter fauceis Fundani lacus, & viam Fundanam, quæ ſub montium radicibus Tarracinam fert, fuêre AMYCLÆ *opidum*, Virgilio etiam & Silio ac Martiali Solinoque & Servio aliisque memoratum. Virgilius Aeneid. lib. x:

Protinus Anthéum & Lycam, prima agmina Turni,
Perſequitur, fortemque Numam, fulvumque Camertem,
Magnanimo Volſcente ſatum, ditiſſimus agri
Qui fuit Auſonidûm, & tacitis regnavit Amyclis.

Silius lib. VIII:

——— *Quasque evertêre ſilentia, Amyclæ.*

P. Catullus Vrbicarius in Pervigilio Veneris; quod alii Petronio adſcribunt:

Perdidi Muſam tacendo; nec me Phœbus reſpicit.
Sic Amyclas, quum tacerent, perdidit ſilentium.

Plinius ſuprà dicto lib. III cap. V: *Et ubi fuêre Amyclæ, à ſerpentibus deletæ.* Item lib. VIII cap. XXXVIIII: *M. Varro auctor eſt, in Italiâ Amyclas à ſerpentibus deletas.* Solinus cap. VIII: *Sed quamvìs Italia habeat hoc præſidium familiare; a ſerpentibus non penitus libera eſt. denique habitatores ab Amyclis, quas antè Græci condiderant, ſerpentes fugavere. Illic frequens vipera inſanabili morſu. brevior hæc cæteris, quas in aliis advertimus Orbis partibus. ac propterea, dum deſpectui eſt, faciliùs nocet.* Sotionis fragmenta de Fontium fluminum & lacuum mirandis. Περὶ δὲ Ταῤῥακίνα τῆς Ἰταλίας, φησὶν Ἰσίγονος, λίμνην εἶναι Μυκλαίαν [ſcribe, Ἀμυκλαίαν] καλουμένην, καὶ παρ' αὐτῇ πόλιν ἔρημον· ἧς τοὺς ἐνοικοῦντας στερηθῆναι τῆς πόλεως διὰ τὸ πλῆθος τῶν ὕδρων. Id eſt: *Circa Tarracinam in Italia, tradit Iſigonus, lacum eſſe nomine Amyclanum; & juxta hunc opidum deſertum. cuius incolæ multitudine hydrorum opidum relinquere fuerint coacti.* Servius neſcio an magis ex grammaticis, quàm hiſtoricis, deprompſit rationem *ſilentii*, quod præſcripti poëtæ innuunt. Verba eius ad Virgilii locum hæc ſunt: *Inter Caietam & Tarracinam opidum conſtitutum eſt à Laconibus, qui comites Caſtores & Pollucis fuerant; & cum Glauco, filio Minois, in Italiam venerunt; & myſticum Auſonis* [mendum vel defectum huic loco ineſſe, haud dubito] *ab Amy-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

clis, provinciæ ſuæ Laconicæ civitate, ei inditum nomen eſt. Lacones itaque iſti, quum, ſecundùm Pythagoréam ſectam, à cæde omnium animalium abſtinerent; & è vicinis paludibus natas ſerpenteis occidere nefas putarent; ab iiſdem interempti ſunt. unde Amyclas tacitas dicit; id eſt, Pythagoréas. nam Pythagorica virtus eſt quinquennale ſilentium. Cicero propter nimiam modeſtiam periſſe illos ait, dum à finitimis accipiunt injurias, & tacent eas. Eſt & alia expoſitio. Quum frequenter falſò nunciarentur hoſtes adeſſe; & inani terrore civitas concuteretur; ſtatâ lege cautum eſt, ne quis umquàm hoſtis nunciaret adventum. poſteà, quum verè hoſtis veniret; nullo nunciante, ex improviſo civitas capta eſt. unde Tacitæ Amyclæ dictæ ſunt, cuòd periére ſilentio. unde Lucilius ait; *Mihi neceſſe eſt loqui. nam ſcio Amyclas tacendo periiſſe.* Apud Fundanum lacum fuiſſe ſitas, uti rex Iſigonus maximè teſtatus eſt: cui etiam Ἀμυκλαία λίμνη, id eſt, AMYCLANVS LACVS, inde dictus eſt. Ab eodem igitur opido conterminum quoque mare Tacito ſuprà dicto Annal. lib. IIII dicitur AMYCLANVM MARE; & Plinio AMYCLANVS SINVS; qui Straboni ſuprà ſcripto loco eſt Καϊάτας κόλπος, id eſt, ut reliqui auctores omnes id vocabulum formarunt, Καιήτας κόλπος, CAIETA SINVS. Plinius lib. XIIII cap. VI: *Anteà Cæcubo vino erat generoſitas celeberrima in paluſtribus populetis, ſinu Amyclano.* Magna heic ſternitur inter Formianos Fundanosque monteis vallis; atque in eâ *Fundi* opidum *lacus*que *Fundanus*; & circùm hunc *paludes*, ad mare usque.

Speluncam igitur proximè ſequitur PROMONTORIVM & OPIDVM & PORTVS CAIETA, Lycophroni, Ciceroni, Virgilio, Diodoro, Ovidio, Straboni, Plinio, Silio, Martiali, Statio, Floro, Solino. Virgilius Aeneid. lib. VI, ſub finem; ubi Aeneas à Miſeno promontorio ad Tiberim verſùs navigat:

Tum ſe ad Caietæ recto fert litore portum.

Nomen unde habuerit, idem poëta principio ſequentis libri indicat his verſibus:

Tu quoque litoribus noſtris Aeneïa nutrix
Aeternam moriens famam, Caieta, dediſti.
Et nunc ſervat honos ſedem tuus; oſſaque nomen
Heſperiâ in magnâ (ſi qua eſt ea gloria) ſignat.
At pius, exſequiis, Aeneas, ritè ſolutis,
Aggere compoſito tumuli, poſtquàm alta quierant
Aequora, tendit iter velis, portumque relinquit.

Item Ovidius Μεταμορφώσεων lib. IIII:

——— *Vrnâque Aeneïa nutrix*
Condita marmoreo tumulo breve carmen habebat:
Heic me Caietam notæ pietatis alumnus
Ereptam Argolico, quo debuit, igne cremavit.

Et Μεταμορφ. lib. XV:

Minturnæque graves, & quam tumulavit alumnus,
Antiphatæque domus.

Silius lib. VIII:

——— ——— *Quasque evertêre ſilentia, Amyclæ;*
Fundique; & regnata Lamo Caieta; domusque
Antiphatæ.

Statius, Silvar. lib. I carm. III:

Cedant Telegoni, cedant Laurentia Turni
Iugera, Lucrinæque domus, litusque cruenti
Antiphatæ; cedant vitreæ juga perfida Circes,
Dulichiis ululata lupis, arcesque ſuperbi
Anxuris, & ſedes Phrygio quas mitis alumno
Debet anus.

Martialis lib. V epigram. I:

Seu placet Aeneæ nutrix, ſeu filia Solis,
Sive ſalutiferis candidus Anxur aquis.

Lib. X epigram. XXX:

Non blanda Circe Dardaniſve Caieta
Deſiderantur.

Solinus cap. VIII: *Par ſententia eſt inter auctores, à gubernatore Aeneæ adpellatum Palinurum, à tubicine Miſenum, à conſobrinâ Leucaſiam inſulam. inter omneis perſpicuè convenit, à nutrice Caietâ Caietam.* Haud perinde inter omneis convênit. nam variæ à variis auctoribus eius vocabuli redduntur rationes atque origines. Servius ad Virgilii locum proximè ſcriptum: *Hanc alii Aeneæ, alii Creûſæ, alii Aſcanii nutricem volunt. Lectum tamen eſt in Philologis, in hoc loco claſſem Troianam caſu concrematam. unde Caieta dicta* ἀπὸ τοῦ καίειν. Sex. Aurel. Victor in libro de Origine gentis Romanæ, de eodem Aeneâ loquens: *Aditisque fatis, vetitum, ne in Italiâ ſepeliret Proclytam, cognatione ſibi conjunctam; quam incolumem reliquerat. & poſtquàm ad claſſem rediit, reperitque mortuam; in inſulâ proximâ ſepeliſſe, quæ nunc quoque eodem eſt nomine; ut ſcribunt Vulcatius & Acilius Piſo. inde profectum, perveniſſe in eum locum, qui nunc portus Caietæ adpellatur, ex nomine nutricis eius, quam ibidem amiſſam ſepeliit. At verò Cæſar & Sempronius aiunt, Caietæ cognomen fuiſſe, non nomen; ex eo ſcilicet inditum, quòd eius conſilio impulſuque matres Troianæ tædio longi navigii claſſem ibidem incenderint: Græcâ ſcilicet adpellatione,* ἀπὸ τοῦ καίειν, *quod eſt incendere.* Hoc ſanè non magis verum certumque, quàm quòd Troianam claſſem Dionyſius lib. I ac Virgilius Aeneid. lib. V & X, in Siciliâ apud Aegeſtam urbem crematam fuiſſe referunt; Ariſtoteles verò in Mirandis, & Lycophron in Alexandrâ, Strabo lib. VI, in Italiâ apud Sirin, Lucaniæ opidum; alii, teſte Tzetzâ in Lycophronem, apud Neæthum, Crotonienſis agri amnem; atque inde flumini nomen manſiſſe. quidam etiam apud Piſas, in Arni oſtio; teſte eodem Servio ad Aeneid. lib. XI, ſed plerique in Latio, apud Tiberina oſtia; teſtibus apud Dionyſium dicto lib. I Ariſtotele & auctore de Argéis, item Damaſte & nonnullis aliis: teſtibus item Plutarcho in Romulo atque in libro de Mulierum virtutibus, Solino cap. I. At Lycophron & Diodorus ab Argonautis, mare hoc inferum, poſt abreptum in Colchide aureum vellus, navigantibus, vocabulum portui ex Aeetæ, Colchorum regis, nomine, impoſitum voluerunt. Diodorus lib. IIII: Περὶ μὲν γὰρ τὴν Τυῤῥηνίαν καταπλεύσαντας αὐτοὺς εἰς νῆσον τὴν ὀνομαζομένην Αἰθαλίαν, τὸν ἐν αὐτῇ λιμένα Ἀργῷον ἀπὸ τῆς νεὼς προσαγορεῦσαί φασι, καὶ μέχρι τῶνδε τῶν χρόνων διαμένειν αὐτοῦ τὴν προσηγορίαν. Παραπλησίως δὲ τοῖς εἰρημένοις, κατὰ μὲν τὴν Τυῤῥηνίαν ὀνομάσαι λιμένα Τελαμῶνα· κατὰ δὲ Φορμίας τῆς Ἰταλίας Αἰήτην, τὸν νῦν Καιήτην προσαγορευόμενον. Hoc eſt: *In Tyrrheniæ enim præternavigatione ad inſulam Aethaliam adpulſos, portum ibi Argoum de navi ſuâ adpellaſſe dicuntur. quod nomen ad hanc uſque tempeſtatem ibi duret. ad eumdemque modum in Tyrrheniâ portum nominaſſe Telamonem. ad Formias autem Italiæ Aeetam vocaſſe portum, qui nunc dicitur Caieta.* Lycophron in Alexandrâ, de Aeneâ loquens:

Τὴν πλεῖστον ὑμνηθεῖσαν ἐν χάρμαις πάτραν
Ἐν ὀψιτέκνοις ὀλβίαν δωμήσεται
Τύρσιν μακεδνὰς ἀμφὶ Κιρκαίου νάπας
Ἀργοῦς τε κλεινὸν ὅρμον Αἰήτην μέγαν.

Hoc eſt:

Plurimum celebratam in bellis patriam
Per poſteros ædificabit, felicem
Arcem altas juxta Circæi ſilvas
Portumque Argûs inclytum, Aeeten magnum.

Ad quem locum ita commentatur Iſacius Tzetza: Αἰήτης λιμὴν ἐν Ἰταλίᾳ, ἔνθα φασὶν ὁρμηθῆναι τὴν Ἀργὼ, καὶ καθαρθῆναι ὑπὸ Κίρκης ἐκ τοῦ φόνου τοῦ Ἀψύρτου Ἰάσονα καὶ Μήδειαν. Id eſt: *Aeeta portus eſt Italiæ; in quem adpuliſſe tradunt Argô navem, & expiatos per Circen ab cæde Abſyrti Iaſonem & Medéam.* Sed Argonautica iſta æque fabuloſa eſt navigatio, ac Aeneæ in Italiam adventus. quapropter Strabo ſuprà dicto lib. V quartam adfert huius vocabuli originationem. Ἑξῆς δὲ Φορμίαι, inquit, Λακωνικὸν κτίσμα ἐστὶν, Ὁρμίαι λεγόμενον πρότερον, διὰ τὸ εὔορμον. καὶ τὸν μεταξὺ δὲ κόλπον ἐκεῖνοι Καιάταν ὠνόμασαν. τὰ γὰρ κοῖλα πάντα καιάτας οἱ Λάκωνες προσαγορεύουσιν. ἔνιοι δ' ἐπώνυμον Αἰνείου τροφοῦ τὸν κόλπον φασίν. Id eſt: *Sequuntur inde Formiæ, à Laconibus conditæ; anteà Hormiæ dictæ, ab litoris ad excipiendas naveis opportunitatem. quin & ſinum interjectum adpellavêre iidem Lacones Caiatam. omnia quidpe, quæ cava ſunt, caiatas illi dicunt. Alii verò ab Aeneæ nutrice adpellatum ſinum volunt.* Sic equidem & Heſychius in Lexico: Καίατα, ὀρύγματα· id eſt; *Caiata, foſſæ.* Et Thucydides

CAIETANVS *ſinus; qui &* Amyclanus.

lib. I, de Pauſaniâ, Lacedæmoniorum rege, loquens: Καὶ αὐτὸν ἐμέλλησαν μὲν ἐς τὸν Καιάδαν, οὗπερ τοὺς κακούργους ἐμβάλλειν εἰώθασιν. ἔπειτα ἔδοξε πλησίον που κατορύξαι. Id eſt: *Dejecturi autem erant eum in foſſam, in quam noxii ſolent dejici. ſed poſteà placuit, in propinquo alicubi defodere.* Vetus Thucydidis commentator: Τόπος ὁ Καιάδας ὀρωρυγμένος ἐν Λακωνικῇ, ὅπου τοὺς κακούργους εἰώθασι ῥιπτεῖν. Id eſt: *Caiada locus eſt effoſſus in Laconicâ, in quem noxios ſolebant abjicere.* Verùm mera iſta Strabonis eſt conjectatio, haud usquequaque idonea. namque ſi *foſſiones* tantùm adpellabantur Καιάδαι, ſive Καιάται, nihil cum his ſimile habebat, CAIETANVS: qui olim etiam dicebatur AMYCLANVS; ut paullo antè intelleximus. PORTVS CAIETANVS, præter prædictos auctores, memoratur Ciceroni quoque & Silio, ac Floro & Iulio Capitolino. Cicero in oratione pro Lege Maniliâ: *An verò ignoratis, portum Caietæ celeberrimum, atque pleniſſimum navium, inſpectante prætore à prædonibus eſſe direptum?* Florus lib. I cap. XVI: *Heic illi nobiles portus, Caieta, Miſenus.* Iul. Capitolinus in Antonino Pio inter alia eius opera refert *Caietæ portum* & *Tarraconenſis portus* reſtitutionem. Silius lib. VII:

Ecce autem flatu claſſis Phœniſſa ſecundo
Litora Caietæ Læſtrygoniosque receſſus
Sulcabat roſtris, portusque intrabat apertos.

Cæterum apud Plutarchum in Cicerone ita ſcriptum eſt: Ὁ δὲ Κικέρων εἰς Ἄστυρα κομισθεὶς, καὶ πλοῖον εὑρὼν, εὐθὺς ἐνέβη, καὶ παρέπλευσεν ἄχρι Κιρκαίου, πνεύματι χρώμενος. ἐκεῖθεν δὲ βουλομένων εὐθὺς αἴρειν τῶν κυβερνητῶν, εἴτε δείσας τὴν θάλασσαν, εἴτ᾽ οὔπω παντάπασι τὴν Καίσαρος ἀπεγνωκὼς πίστιν, ἀπέβη· καὶ παρῆλθε πεζῇ σταδίους ἑκατὸν, ὡς εἰς Ῥώμην πορευόμενος. αὖθις δ᾽ ἀλύων καὶ μεταβαλλόμενος κατῄει πρὸς θάλασσαν. κἀκεῖ διενυκτέρευσεν ἐπὶ δεινῶν καὶ ἀπόρων λογισμῶν· ὥστε καὶ παρελθεῖν εἰς τὴν Καίσαρος οἰκίαν διενοήθη κρύφα, καὶ σφάξας ἑαυτὸν ἐπὶ τῆς ἑστίας, ἀλάστορα προσβαλεῖν. ἀλλὰ καὶ ταύτης αὐτὸν ἀπέκρουσε τῆς ὁδοῦ δέος βασάνων. καὶ τἆλλα ταραχώδη πάλιν προσβουλεύματα τῆς γνώμης μεταλαμβάνων παρέδωκε τοῖς οἰκέταις ἑαυτὸν εἰς Καπίτας κατὰ πλοῦν κομίζειν, ἔχων ἐκεῖ χωρία καὶ καταφυγὴν ὥρᾳ θέρους φιλάνθρωπον, ὅταν ἥδιστον οἱ ἐτησίαι καταπνέωσιν. ἔχει δ᾽ ὁ τόπος καὶ ναὸν Ἀπόλλωνος, μικρὸν ὑπὲρ τῆς θαλάσσης. ἐντεῦθεν ἀρθέντες ἀθρόοι κόρακες, ὑπὸ κλαγγῆς προσεφέροντο τῷ πλοίῳ τοῦ Κικέρωνος ἐπὶ γῆν ἐρεσσομένῳ· καὶ καθίσαντες ἐπὶ τῆς κεραίας ἑκατέρωθεν, οἱ μὲν ἐβόων, οἱ δ᾽ ἔκοπτον τὰς τῶν μηρυμάτων ἀρχάς. καὶ πᾶσιν ἐδόκει τὸ σημεῖον εἶναι πονηρόν. ἀπέβη δ᾽ οὖν ὁ Κικέρων, καὶ παρελθὼν εἰς τὴν ἔπαυλιν, ὡς ἀναπαυσόμενος κατεκλίθη. τῶν δὲ κοράκων οἱ πολλοὶ μὲν ἐπὶ τῆς θυρίδος διεκάθηντο φθεγγόμενοι θορυβῶδες· εἷς δὲ καταβὰς ἐπὶ τὸ κλινίδιον, ἐγκεκαλυμμένου τοῦ Κικέρωνος, ἀπῆγε τῷ στόματι κατὰ μικρὸν ἀπὸ τοῦ προσώπου τὸ ἱμάτιον. οἱ δ᾽ οἰκέται ταῦθ᾽ ὁρῶντες, καὶ κακίσαντες ἑαυτοὺς, εἰ περιμένουσι τοῦ δεσπότου φονευομένου θεαταὶ γενέσθαι, θηρία δ᾽ αὐτοῦ βοηθεῖ καὶ προκήδεται παρ᾽ ἀξίαν πράττοντος, αὐτοὶ δ᾽ οὐκ ἀμύνουσι· τὰ μὲν δεόμενοι, τὰ δὲ βίᾳ λαβόντες, ἐκόμιζον ἐν τῷ φορείῳ πρὸς τὴν θάλασσαν. ἐν τούτῳ δὲ οἱ σφαγεῖς ἀπῆλθον, ἑκατοντάρχης Ἑρέννιος καὶ Ποπίλιος χιλίαρχος, ᾧ πατροκτονίας ποτὲ δίκην φεύγοντι συνεῖπεν ὁ Κικέρων. Id eſt: *Cicero ad Aſtura delatus, & navigium ibi nactus, illicò conſcendit: provectusque eſt ſecundo vento ad Circæum usque. Parantibus inde gubernatoribus extemplò vela facere, ſive mare timens, ſive nondum depoſita omnino de Cæſare ſpe, egreſſus de navi eſt: &, quaſi Vrbem petiturus, progreſſus itinere pedeſtri* XII *circiter millia paſſuum. mox inopiâ conſilii langveſcens, mutato inſtituto, mare repetiit. Noctem ibi in mentis agitationibus traduxit acerbis & perplexis. Statuit ſemel occultò domum Cæſaris ingredi; atque, quò ultrices diras in eum concitaret, apud focum eius ſe ipſe interficere. ſed & ab hoc itinere metus repulit eum tormentorum. Alia ſubinde inquieta conſilia animo verſans, permiſit ſervis, ad Capuam navigio uti ſe deferrent. Habuit prædia ibi & villam æſtivo tempore amœnam; quum gratiſſimè ſpirant eteſiæ. eſtque eo in loco haud procul à mari ſacellum Apollinis. hinc ſublatum agmen corvorum magno crocitu ad Ciceronis navem, dum remis terræ adpellitur, volavit: qui conſederunt utrimque in antemnæ cornibus; partim crocitantes, partim capita funium tundentes. Id omnibus dirum viſum eſt oſtenſum. Cicero ibi egreſſus de navi eſt. villamque ingreſſus, ad quietem compoſuit ſe. Heic corvi frequentes conſiderunt in feneſtrâ; ac diros ediderunt ſtrepitus. unus in grabatum demiſit ſe: togamque, qua opertus erat Cicero, roſtro paullatim à facie detraxit. quod ſervi contemplantes, ac ſe ipſi increpantes, ſi dominum paterentur in conſpectu ſuo trucidari; quum opem ei beſtiæ ferrent, eiusque curam agerent adflicti: ipſi autem non protegerent: partim precibus, partim vi ſublatum in lecticâ detulerunt ad mare. Intereà ſupervenerunt percuſſores, Herennius centurio & Popilius tribunus: quem patricidii quondam reum defenderat Cicero.* Sic equidem

interpres

interpres Latinus corruptam vocem Καπίτας vertit in Capuam: haud dubiè Appiani inductus auctoritate; apud quem Civil. bellor. lib. v ita legitur: Κικέρων δὲ, ὃς μετὰ Γάϊον Καίσαρα ἴσχυσεν, ὅση γένοιτο ἂν δημαγωγοῦ μοναρχία, κατέγνωστο μὲν ἅμα τῷ παιδὶ καὶ τῷ ἀδελφῷ, καὶ τῷ παιδὶ τοῦ ἀδελφοῦ, καὶ πᾶσιν οἰκείοις τε καὶ στασιώταις καὶ φίλοις. φυγὼν δὲ ἐπὶ σκάφους, οὐκ ἔφερε τὴν ἀηδίαν τοῦ κλύδωνος, ἀλλὰ εἰς ἴδιον Κωρίον, ὃ καθ᾽ ἱστορίαν τοῦδε τοῦ πάθους εἶδον, ἀμφὶ Καπύην, πόλιν τῆς Ἰταλίας, καταχθεὶς, ἠρέμει. πλησιαζόντων δὲ τῶν ἐρευνωμένων, εἰς τὸ δωμάτιον αὐτοῦ κόρακες, ἐσπτάντες ἔκλαζον, ἐπεγείροντες ἀπὸ τοῦ ὕπνου, καὶ τὸ ἱμάτιον ἀπέσυρον ἀπὸ τοῦ σώματος, ἕως οἱ θεράποντες σημηνάμενοι τὸ γιγνόμενον, εἶναι σύμβολον ἐκ τῶν θεῶν, ἐς φορεῖον ἐνθέμενοι τὸν Κικέρωνα, αὖθις ἐπὶ τὴν θάλασσαν ἦγον, διὰ λόχμης βαθείας λανθάνοντες. Hoc eſt: *Cicero autem, qui poſt C. Cæſaris mortem regnavit in concionibus, proſcriptus eſt cum filio ac fratre, fratriſque filio, atque omnibus domeſticis ſuis ac factionis ſuæ amicis. quumque in naviculâ fugeret, jactationem maris ferre non potuit; ſed in villam ſuam, quam mihi libuit ob huius caſus memoriam viſere, prope Capuam, Italiæ opidum, delatus quieſcebat. & quum propinquarent, qui eum quærebant; in cubiculum eius involantes corvi, crocitatu ſomnum rumpebant; ſtragulamque ei detrahebant; donec ſervi, moti prodigio, impoſitum lecticæ rurſum deferrent ad mare per devia ſilvæ denſiſſimæ.* At verò legendum eſſe apud Plutarchum εἰς Καιήταν, apud Appianum ἀμφὶ Καιήτην, ex aliis auctoribus diſco. niſi fortè cum doctiſſimo Ioſepho Scaligero ex Euſebio apud Plutarchum vitiatum vocabulum Καπίτας corrigi malis in εἰς Καιήτας. ſic quidpe apud Euſebium in Chronicor. lib. II legitur: Κικέρων ὁ ῥήτωρ καὶ συγκλητικὸς ἐν Γαΐταις ἀνῃρέθη τῆς Ἰταλίας. id eſt: *Cicero orator & ſenatorii ordinis vir in Gaitis Italiæ interficitur.* Vbi & ipſum hoc vocabulum ἐν Γαΐταις emendandum eſt ἐν Καιήταις· id eſt, *in Caietis*. Cæterùm Caſſiodorus in Chronico: *C. Panſa & A. Hirtius. His conſulibus Cæſar Octavianus, Antonius, & Lepidus, amicitiæ fœdus inierunt. M. Cicero per Popilium militem Caietæ occiſus eſt, annorum* LXIIII. Valer. Maximus lib. I cap. IIII: *M. Ciceroni mors imminens auſpicio prædicta eſt. quum enim in villâ Caietanâ eſſet, corvus in conſpectu eius horologii ferrum loco matum excuſſit; & protinus ad ipſum tetendit; ac laciniam togæ eò usque morſu tenuit, donec ſervus, ad occidendum eum milites veniſſe, nunciaret.* Senecâ Svaſoriâ declamatione VI: *Livius ita ait: M. Cicero ſub adventum triumvirorum ceſſerat Vrbe, pro certo habens id, quod erat, non magis Antonio eripi ſe, quàm Cæſari Caſſium & Brutum, poſſe; primò in Tuſculanum fugit: inde transverſis itineribus Formianum, ut ab Caietâ navim conſcenſurus, proficiſcitur. unde aliquotiens in altum provectum, quum modò venti retuliſſent, modò ipſe jactationem navis, cæco volvente fluctu, pati non poſſet; tædium tandem eam & fugæ & vitæ cepit. regreſſusque ad ſuperiorem villam, quæ paullo plus mille paſſibus à mari abeſt; Moriar, inquit, in patriâ ſæpè ſervatâ. Satis conſtat, ſervos fortiter fideliterque paratos fuiſſe ad dimicandum: ipſum deponi lecticam, & quietos pati, quod ſors iniqua cogeret, juſſiſſe. Prominenti ex lecticâ, præbentique immotam cervicem, caput præciſum eſt.* Ergo *villa* hæc *Ciceronis* gemino nomine promiſcuè & CAIETA & FORMIANVM adpellata fuit; quidpe quæ in medio opidorum Caietæ Formiarumque, quæ V millia paſſuum inter ſe diſtant, poſita fuit. quo ſitu hodiéque reliquiæ antiqui monumenti à dextro viæ Appiæ conſpiciuntur; etiam nunc vulgari adpellatione *La villa di Cicerone dictæ*. Teſtis erit vel ipſe Cicero, in Epiſtolis ad Atticum. Lib. I epiſt. II: *Signa quæ nobis curaſti, ea ſunt ad Caietam expoſita. nos ea non vidimus.* Epiſt. III: *Quæ mihi anteà ſigna miſiſti, ea nondum vidi. in Formiano ſunt. illa omnia in Tuſculanum deportabo. Caietam, ſi quando abundare cœpero, ornabo.* Lib. VIII epiſt. III: *Navis & in Caietâ eſt parata nobis & Brundiſii.* Sed libro primo ſatis clarè atque apertè eumdem locum & Caietam adpellat & Formianum. ait quidpe, quæ ſigna ad *Caietam* expoſita fuerant, ea quidem in *Formiano* eſſe; ſed priùs ſe illis velle inſtruere *Tuſculanum* ſuum. hoc ſatis exornato, ubi abundare cœperit aliis ſignis, ſe tum Caietum etiam exornaturum, id eſt Formianum. Atque hoc nomine ſemper poſteà id prædium adpellat. Lib. II epiſt. IIII: *Nos circiter Calendas aut in Formiano erimus, aut in Pompeiano. Tu, ſi in Formiano non erimus, ſi nos amas, in Pompeianum venito.* Epiſt. VIIII: *In Formianum volumus venire Parilibus. inde Calendis Maiis de Formiano proficiſcemur, ut Antii ſimus ad Nonas Maias. inde cogito in Tuſculanum.* Statim: *Te aut in Formiano, aut Antii, aut in Tuſculano cura ut videamus.* Epiſt. X: *Antium me ex Formiano recipere cogito ad V Non. Mai. Antio volo Nonis Maiis proficiſci in Tuſculanum. ſed quum in Formianum rediero, faciam ſtatim te certiorem.* Epiſt. XI:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Vſque ad Nonas Maias te in Formiano exſpectabo. Epiſt. XII: *Poſteaquàm in Formiano ſum*. Mox: *Nos in Formiano eſſe volumus ad prid. Nonas Maias*. Epiſt. XIIII: *Baſilicam habeo, non villam, frequentiâ Formianorum*. Atque ita deinceps lib. VII epiſt. V, XVI, XVII, XVIIII, & XXV; lib. VIIII epiſt. I & XI; lib. XIIII epiſt. VII. Hinc igitur, quum ſuprà ſcripti auctores Caietæ Ciceronem trucidatum narrent, alii Formiis id factum referunt. Auctor libelli de Viris illuſtribus, in Cicerone: *Immiſſis ab Antonio percuſſoribus, quum fortè Formiis quieſceret, imminens exitium corvi auſpicio didicit: & fugiens occiſus eſt*. Freculfus tomo primo lib. VII cap. XIII: *Cicero in Formiano ſuo ab Herennio & Popilio occiditur, ſexageſimo quarto ætatis ſuæ anno*.

FORMIAE, municipium.

Ipſa hinc antiquiſſima *urbs* FORMIAE, Ciceroni, Livio, Diodoro, Straboni, Melæ, Plinio, Martiali, Tacito, Frontino, Ptolemæo, Floro, Solino, Itinerariis Romanis, Martiano, Feſto, & aliis memorata. Cicero aliquoties eius meminit in epiſtolis ad Atticum. Diodorus lib. IIII, de Argonautis loquens: Κατὰ ἢ Φορμίας τῆς Ἰταλίας Αἰήτην αὐτὰς ὀνομάζαι τ̔ νῦν Καιήτην προσαγορευόμενον λιμένα. Id eſt: *Apud Formias Italiæ Aeeten eos adpellaſſe portum, qui nunc dicitur Caieta*. Mela lib. II cap. IIII: *Minturnæ, Formiæ, Fundi, Tarracina*. Reliquos auctores mox infrà citabimus. At quum, ut apud Diodorum, ſic apud Strabonem quoque, ut mox videbimus, vocabulum urbis recto caſu Φορμίαι ſcriptum ſit, & obliquo Φορμιαιῶν, & item apud Aelianum in proœmio τῶν Τακτικῶν ad Hadrianum imperatorem ἐν Φορμίαις, haud dubium eſt, quin apud Ptolemæum exſcriptores id corruperint in pleriſque exemplaribus in Φῶρμαι. quod equidem ſatis antiquum arbitror eſſe mendum; quando apud Stephani etiam breviatorem hoc ſcriptum eſt: Φωρμανοὶ, πόλις Ἰταλίας. ἐθνικὸν, τὸ αὐτό. id eſt: *Formani, opidum Italiæ. idemque vocabulum pro gentilitio uſurpatur*. Certè apud neminem niſi Formiæ formatum reperio opidi nomen: & opidani inde omnibus pariter auctoribus ſimulque antiquis inſcriptionibus ſunt FORMIANI. Cæterò quum ipſum opidi nomen interierit, ſitum eius maximè oſtendunt Itineraria antiqua; quæ ſic habent:

Hieroſolymit.		Antonini:		Antonini:		Tabulæ:	
Fundis		*Fundis*		*Fundis*		*Fundis*	
Formis	XII.	*Formis*	XIII.	*Formis*	XIII.	*Formis*	....
Minturnis	IX.	*Minturnis*	VIIII.	*Minturnis*	VIIII.	*Minturnis*	VIIII.

Hodiè à *Fundis* ad *Molam* opidum X numerantur: hinc ad Liris trajectum, apud quem ingentes viſuntur Minturnarum reliquiæ, VIII milliaria. unde liquidè adparet, ipſum opidum Mola antiquas illas eſſe Formias. Confirmat hanc ſententiam intervallum τῶν πεντακοντα σταδίων, XL ſtadiorum, quæ hinc numerat Strabo ad Caietam; id eſt, millium paſſuum V. Sed & innumera penè idem teſtantur antiquitatum monumenta, quæ ad hoc opidum viſuntur; maximè ab eâ parte, quà itur Fundos. De origine atque conditoribus Formiarum ita tradit Strabo ſuprà dicto lib. V: Φορμίαι Λακωνικὸν κτίσμα ἐστὶν, Ὁρμίαι λεγόμενον πρότερον, διὰ τὸ εὔορμον. Id eſt: *Formiæ, Laconum opus, priùs Hormiæ dictæ fuère, ob litoris ad excipiendas naveis opportunitatem*. Plinius lib. III cap. V: *Caieta portus; opidum Formiæ, Hormiæ dictum*. Haud dubito, quin ſcripſerit Plinius, *Hormiæ antè dictum*. Pompeius Feſtus: *Formiæ opidum adpellatur ex Græco, velut Hormiæ; quòd circa id crebræ ſtationes tutæque erant, unde proficiſcebantur navigaturi*. Quinam iſti fuerint Lacones, & quo tempore opida in hoc Italiæ litore condiderint, alii tradidère auctores, ex quorum monumentis Servius ad Virgilii Aeneid. lib. X refert iſta: *Inter Caietam & Tarracinam opidum conſtitutum eſt à Laconibus, qui comites Caſtoris & Pollucis fuerant; & cum Glauco, filio Minois, in Italiam venerunt: & ab Amyclis, provinciæ ſuæ Laconicæ civitate, ei indiderunt nomen*. Ergo circa Troiani belli tempora condita heic fuère in Italiâ à Laconibus opida Amyclæ & Formiæ. Sæpè, licèt Græcæ vanitatis fabulam tantùm eſſe hanc contendas de Caſtoris Pollucisque comitibus & Minois filio, tamen ſumma opidi Formiarum antiquitas inde adparet. Et fuiſſe jam Troiani belli tempore, Vlyſſemque huc in erroribus circa Internum hoc mare ab Homero eſſe deductum, plerique interpretati ſunt auctores antiqui. Auctor Græcus, qui argumenta rerum

ſingulis

ſingulis Homeri libris præmiſit, ita tradit ad Odyſséæ lib. x: Τὰ περὶ τὸν Αἴολον ἀπαγγέλλει, τὸν τῶν ἀνέμων φύλακα, ὡς ἔδοκεν Ὀδυσσεῖ οὔριον Ζέφυρον, σὺν τοῖς ἄλλοις ἀνέμοις ἐγκαθείρξας ἐν ἀσκῷ· ὃν οἱ ἑταῖροι λύσαντες κοιμωμένου Ὀδυσσέως, ἅτε ἐν αὐτῷ χρυσὸν εἶναι νομίζοντες, ὑποστρέφουσι πρὸς Αἴολον. οὐ προσιεμένου δὲ τοῦ Αἰόλου τὸν Ὀδυσσέα ἐκεῖθεν ἀποπλέων, εἰς Λαιστρυγόνας ἀφικνεῖται. παρ᾽ οἷς ἕνδεκα τῶν νεῶν ἀπολέσας, μιᾷ εἰς Αἰαίαν τὴν νῆσον παραγίνεται. Hoc eſt: *Ea, quæ apud Aeolum, ventorum cuſtodem, acciderant, narrat: nempe, ut dederit Vlyſſi ſecundum ventum Zephyrum; aliis ventis incluſis in utre. quem ſocii ubi ſolviſſent dormiente Vlyſſe, aurum in eo eſſe rati; retro feruntur ad Aeolum. Non autem recipiente Aeolo Vlyſſem, inde abnavigans, ad Læstrygonas pérvenit. apud quos naveis* XI *quum amiſiſſet; unâ, quæ reliqua erat, in inſulam Aeæam proficiſcitur.* Eamdem rem Ovidius refert Μεταμορφώσεων lib. XIIII; ubi Aeneam reducit ab inferis Cumana Sibylla in urbem Cumas:

Talia convexum per iter memorante Sibyllâ,
Sedibus Euboïcam Stygiis emerſit in urbem
Troïus Aeneas. ſacrisque ex more litatis,
Litora adit nondum nutricis habentia nomen.
Heic quoque ſubſtiterat poſt tædia longa laborum
Neritius Macareus, comes experientis Vlyſſei

Aliquanto pôſt:

Aeolon, ille refert, Tuſco regnare profundo:
Aeolon Hippotaden, cohibentem carcere ventos:
Quos bovis incluſos tergo (memorabile munus)
Dulichium ſumpſiſſe ducem: flatuque ſecundo
Lucibus iſſe novem; & terram adſpexiſſe petitum:
Proxima poſt nonam quum ſeſe Aurora moveret;
Invidiâ ſocios prædæque cupidine victos,
Eſſe ratos aurum, dempſiſſe ligamina ventis.
Cum quibus iſſe retro, per quas modò venerat undas:
Aeoliique ratem portus repetiſſe tyranni.
Inde Lami veterem Læſtrygonis, inquit, in urbem
Venimus. Antiphates terrâ regnabat in illâ.
Miſſus ad hunc ego ſum, numero comitante duorum.
Vixque fugâ quæſita ſalus comitique mihique.
Tertius è nobis Læſtrygonis impia tinxit
Ora cruore ſuo. fugientibus inſtat, & agmen
Concitat Antiphates. coëunt; & ſaxa trabesque
Conjiciunt: merguntque viros, merguntque carinas.
Vna tamen, quæ nos ipſumque vehebat Vlyſſem,
Effugit. Amiſſâ ſociorum parte dolentes,
Multaque conqueſti, terris adlabimur illis,
Quas procul hinc cernis. procul hinc, mihi crede, videnda
Inſula viſa mihi. tuque, ô juſtiſſime Troum,
Nate deâ (neque enim finito Marte vocandus
Hoſtis es, Aenea) moneo, fuge litora Circes.

Hinc & illud Μεταμορφ. lib. XV:

Minturnæque graves, & quam tumulavit alumnus,
Antiphatæque domus, Trachasque obſeſſa palude,
Et tellus Circæa, & ſpiſſi litoris Antium.

Tibullus lib. IIII carm. I, de eodem Vlyſſe:

Non voluit Cyclops cæptos avertere curſus:
Ceſſit & Aetnææ Neptunius incola rupis,
Victa Maronéo fœdatus lumina Baccho.
Vexit & Aeolios placidum per Nerea ventos.
Incultos adiit Læſtrygonas Antiphatenque
Nobilis Artaciæ gelidos, quos irrigat unda.
Solum nec doctæ verterunt pocula Circes.

Sed ipſe audiatur Homerus. qui dicto Odyſséæ lib. x ita fingit Vlyſſem jam ſecundò relinquentem Aeolias inſulas, quæ ſunt inter Siciliam & Italiam:

Ἔνθεν δὲ προτέρω πλέομεν ἀκαχήμενοι ἦτορ,
Ἐξῆμαρ μὲν ὁμῶς πλέομεν νύκτας τε καὶ ἦμαρ.
Ἑβδομάτῃ δ' ἱκόμεσθα Λάμου αἰπὺ πτολίεθρον,
Τηλέπυλον Λαιστρυγονίην.
Ἔνθ' ἐπεὶ ἐς λιμένα κλυτὸν ἤλθομεν, ὃν πέρι πέτρη
Ἠλίβατος τετύχηκε διαμπερὲς ἀμφοτέρωθεν·
Ἀκταὶ δὲ προβλῆτες ἐναντίαι ἀλλήλῃσιν
Ἐν στόματι προὔχουσιν· ἀραιὴ δ' εἴσοδός ἐστιν.
Ἔνθ' οἵγ' εἴσω πάντες ἔχον νέας ἀμφιελίσσας.
Αἱ μὲν ἄρ' ἔντοσθεν λιμένος κοίλοιο δέδεντο
Πλησίαι· οὐ μὲν γάρ ποτ' ἀέξετο κῦμά γ' ἐν αὐτῷ
Αὐτὰρ ἐγὼν οἶος σχέθον ἔξω νῆα μέλαιναν,
Αὐτοῦ ἐπ' ἐσχατιῇ πέτρης ἐκ πείσματα δήσας.
Ἔστην δὲ σκοπιὴν ἐς παιπαλόεσσαν ἀνελθών.
Ἔνθα μὲν οὔτε βοῶν οὔτ' ἀνδρῶν φαίνετο ἔργα·
Καπνὸν δ' οἶον ὁρῶμεν ἀπὸ χθονὸς ἀΐσσοντα.
Δὴ τότ' ἐγὼν ἑτάρους προΐην πεύθεσθαι ἰόντας,
Οἵτινες ἀνέρες εἶεν ἐπὶ χθονὶ σῖτον ἔδοντες·
Ἄνδρε δύω κρίνας, τρίτατον κήρυχ' ἅμ' ὀπάσσας,
Οἱ δ' ἴσαν ἐκβάντες λείην ὁδὸν, ᾗπερ ἅμαξαι
Ἄστυ δ' ἀφ' ὑψηλῶν ὀρέων καταγίνεον ὕλην.
Κούρῃ δὲ ξύμβληντο πρὸ ἄστεος ὑδρευούσῃ,
Θυγατέρ' ἰφθίμῃ Λαιστρυγόνος Ἀντιφάταο.
Ἡ μὲν ἄρ' ἐς κρήνην κατεβήσετο καλλιρέεθρον
Ἀρτακίην· ἔνθεν γὰρ ὕδωρ προτὶ ἄστυ φέρεσκον.
Οἱ δὲ παριστάμενοι προσεφώνεον ἔκ τ' ἐρέοντο,
Ὅστις τῶν εἴη βασιλεὺς, καὶ οἷσιν ἀνάσσοι.
Ἡ δὲ μάλ' αὐτίκα πατρὸς ἐπέφραδεν ὑψερεφὲς δῶ.
Οἱ δ' ἐπεὶ εἰσῆλθον κλυτὰ δώματα, τὴν δὲ γυναῖκα
Εὗρον ὅσην τ' ὄρεος κορυφὴν· κατὰ δ' ἔστυγον αὐτήν.
Ἡ δ' αἶψ' ἐξ ἀγορῆς ἐκάλει κλυτὸν Ἀντιφατῆα,
Ὃν πόσιν· ὃς δὴ τοῖσιν ἐμήσατο λυγρὸν ὄλεθρον·
Αὐτίχ' ἕνα μάρψας ἑτάρων, ὡπλίσσατο δόρπον.
Τὼ δὲ δύ' ἀΐξαντε φυγῇ ἐπὶ νῆας ἱκέσθην.
Αὐτὰρ ὁ τεῦχε βοὴν διὰ ἄστεος. οἱ δ' ἀΐοντες
Φοίτων ἴφθιμοι Λαιστρυγόνες ἄλλοθεν ἄλλος,
Μυρίοι, οὐκ ἄνδρεσσιν ἐοικότες, ἀλλὰ Γίγασι.
Οἵ ῥ' ἀπὸ πετράων ἀνδραχθέσι χερμαδίοισι
Βάλλον. ἄφαρ δὲ κακὸς κόναβος κατὰ νῆας ὀρώρει
Ἀνδρῶν ὀλλυμένων, νηῶν θ' ἅμα ἀγνυμενάων.
Ὄφρ' οἱ τοὺς ὄλεκον λιμένος πολυβενθέος ἐντὸς,
Τόφρα δ' ἐγὼ ξίφος ὀξὺ ἐρυσσάμενος παρὰ μηροῦ,
Τῷ ἀπὸ πείσματ' ἔκοψα νεὼς κυανοπρῴροιο.
Αἶψα δ' ἐμοῖς ἑτάροισιν ἐποτρύνας ἐκέλευσα
Ἐμβαλέειν κώπῃσ', ἵν' ὑπὲκ κακότητα φύγοιμεν.
Οἱ δ' ἅμα πάντες ἀνέρριψαν, δείσαντες ὄλεθρον
Ἀσπασίως δ' ἐς πόντον ἐπηρεφέας φύγε πέτρας
Νηῦς ἐμή· αὐτὰρ αἱ ἄλλαι ἀολλέες αὐτόθ' ὄλοντο.
Ἔνθεν δὲ προτέρω πλέομεν ἀκαχήμενοι ἦτορ,
Ἄσμενοι ἐκ θανάτοιο, φίλους ὀλέσαντες ἑταίρους.
Αἰαίην δ' ἐς νῆσον ἀφικόμεθ'. ἔνθα δ' ἔναιε
Κίρκη ἐϋπλόκαμος.

Hoc eſt:

Hinc ulterius navigamus, triſtes corde;
Sex dies continuò navigavimus noctes atque dies:

Septima

Septimâ verò pervénimus Lami ad excelſam urbem,
Longè diſtanteis portas habentem Læſtrygoniam.
Ibi poſtquàm ad portum inclytum vénimus, circùm quem petra
Excelſa eſt, contigua utrimque,
Litora autem prominentia, adverſa ſibi invicem
In fauceis procurrunt; anguſtusque introitus eſt;
Ibi illi intus omnes tenebant naveis æqualeis:
Quæ intra portum concavum ligabantur
Propinquæ numquàm enim attollitur fluctus in ipſo.
At ego ſolus tenui extra portum navem nigram,
Illic in extremâ parte petræ fune religatam.
Stabam autem in ſpeculâ excelsâ, quam conſcenderam.
Ibi quidem neque boum neque hominum adparebant opera.
Fumum autem ſolummodò videbamus à terrâ erumpentem.
Tunc igitur ego ſocios præmiſi, ſciſcitatum proficiſcendo,
Quinam mortales eſſent in terrâ, panem edentes;
Viris duobus electis tertium præconem ſimul comitem addens.
Illi iverunt egreſſi in planam viam, quà currus
Ad urbem ab excelſis montibus devehunt ligna;
Heic puellæ obviam facti ſunt, ante urbem aquam petenti,
Filiæ forti Læſtrygonis Antiphatæ:
Quæ ad fontem deſcenderat limpidum
Artaciam. hinc enim aquam ad urbem ferebant.
Illi igitur congreſſi adloquebantur eam; interrogabantque,
Quisnam eorum eſſet rex; & quibus imperaret.
Illa protinus patris oſtendit excelſam domum.
Illi ingreſſi inclytam domum, uxorem
Invenerunt, velut montis verticem; eamque perhorruerunt.
At illa confeſtim è foro evocabat inclytum Antiphaten,
Suùm maritum. qui certè illis intendebat ſævam mortem.
Statimque uno ſociorum correpto, adparavit cœnam.
Reliqui duo ruentes fugâ ad naveis pervenerunt.
Cæterùm ille clamorem excitavit per urbem. illique audientes
Ibant fortes Læſtrygones, aliunde alius,
Innumeri; non hominibus ſimiles, ſed Gigantibus.
Hi à petris graveis lapideis
Iaciebant. ſtatimque malus ſtrepitus per naveis excitatus eſt
Virorum pereuntium naviumque fractarum.
Dum illi hos perdebant intra profundum portum,
Intereà ego gladium acutum extraxi à femore;
Quo funeis præſcidi navis nigram proram habentis.
Protinusque meos ſocios excitatos juſſi,
Incumbere remis; ut calamitatem effugeremus.
Illi ſimul omnes incumbunt, timentes interitum.
Libenter igitur in mare ab altis fugit petris.
Navis mea. at reliquæ denſæ illic perierunt.
Hinc ulteriùs navigamus triſtes corde;
Læti tamen, quòd mortem evitaſſemus, poſtquàm caros amiſimus ſocios.
Aeæam autem ad inſulam pervénimus; ubi habitabat
Circe pulcricoma.

Ex his verbis ſatis diſertè patet, non ad ipſum *Læſtrygonum* opidum Formias adpulſum finxiſſe Vlyſſis Homerum, ſed in Caietanum portum: quem graphicè atque eleganter deſcribit, unà cum σκοπῇ παιπαλοέσσῃ, id eſt, *cum ſpeculâ excelsâ*, ſive promontorio, quod illi imminet: in quo hodiè validiſſimum exſtructum eſt caſtellum. Atque, ne dubites, in hanc ſententiam intellexiſſe jam inde veteres auctores Homeri verba; hinc ſcilicet eſt, quòd Ovidius etiam, loco proximè ſcripto, Aeneam offendiſſe fingit in Caietano litore ſocium Vlyſſis, Neritium Macareum. Ab hoc

igitur

igitur promontorio profecti, quos miſerat ad explorandam regionem Vlyſſes, διὰ λείην ὁδὸν, id eſt, *per planam* iverunt *viam*, qua hodiéque opidum Mola intratur à Fundis & Caietâ adventantibus. Hinc jam eſt illud Ciceronis ad Atticum lib. II epiſt. XIII: *Scito eum faſciculum, quò illam epiſtolam conjeceram, domum eo ipſo die latum eſſe, quo ego dederam; & ad me in Formianum relatum. Romæ quòd ſcribis ſileri; ita putabam. at herculè in agris non ſiletur. nec jam ipſi agri regnum veſtrum ferre poſſunt. Si verò in hanc* Τηλέπυλον. *veneris* Λαιστρυγονίην, *(Formias dico) qui fremitus hominum! quàm irati animi!* Mox: *Tu ſi literas ad Sicyonios habes, advola in Formianum. unde nos pridiè Nonas Maias cogitamus.* Hinc item Plinius ſuprà dicto lib. III cap. V: *Opidum Formiæ, Hormiæ antè dictum; ut exiſtimavêre, antiqua Læſtrygonum ſedes.* Et epitomator Plinii Solinus cap. VIII: *Formiæ etiam, Læſtrygonibus habitatæ.* Item alter epitomator Martianus lib. VI: *Formiæ etiam Læſtrygonum habitatione famoſæ.* Plinius iterum, lib. VII cap. II: *Eſſe Scytharum genera, & quidem plura, quæ corporibus humanis veſcerentur, indicavimus. Id ipſum incredibile fortaſſe; ni cogitemus, in medio Orbe terrarum, ac Siciliâ & Italiâ, fuiſſe genteis huius monſtri, Cyclopas & Læſtrygonas.* Silius lib. VII:

Ecce autem flatu claſſis Phœniſſa ſecundo
Litora Caietæ Læſtrygoniosque receſſus
Sulcabat roſtris, portusque intrabat apertos.

Et lib. VIII:

——— Quasque evertêre ſilentia, Amyclæ;
Fundique; & regnata Lamo Caieta; domusque
Antiphatæ, compreſſa freto.

Statius Silvar. lib. I carm. III:

Cedant Telegoni, cedant Laurentia Turni
Iugera, Lucrinæque domus, litusque cruenti
Antiphatæ; cedant vitreæ juga perfida Circes

Horatius Carm. lib. III odâ XVII, ad Aelium Lamiam:

Aeli, vetuſto nobilis ab Lamo;
Quando & priores hinc Lamias ferunt
Denominatos, & nepotum
Per memores genus omne faſtos,
Auctore ab illo ducis originem,
Qui Formiorum mœnia dicitur
Princeps & innantem Maricæ
Litoribus tenuiſſe Lirim,
Latè tyrannus.

Livius lib. XXII: *Incluſus inde videri Hannibal, & ad Caſiſinum obſeſſus; quum Capua & Samnium & tantum ab tergo divitum ſociorum Romanis commeatus ſubveheret: Pœnus contrà intra Formiana ſaxa ac Literni arenas ſtagnaque per horrida ſitu hibernaturus eſſet.* Eamdem hiſtoriam de Fabio, Romani exercitus duce, & Hannibale refert Silius lib. VII: ubi ſaxa iſta Formiana vocat rupeis Læſtrygonias. Verba eius hæc ſunt:

Donec reptantem, & nequidquàm ſæpè trahendo
Hnc illuc caſtra, & ſcrutantem prœlia Pœnam,
Quà nemoroſa juga & ſcopuloſi vertice colles
Exſurgunt, clauſit, ſparsâ ad divortia turmâ.
Hinc Læſtrygoniæ ſaxoſo monte premebant
A tergo rupes; undoſis ſqualida terris
Hinc Literna palus.

Horatius Carm. lib. I odâ XX:

Cæcubum, & prœlo domitam Caleno
Tu bibes uvam. mea nec Falernæ
Temperant viteis, neque Formiani
——— Pocula colles.

Et Carm. lib. III odâ XVI:

Quamquàm nec Calabræ mella ferunt apes
Nec Læſtrygoniâ Bacchus in amphorâ
Largveſcit mihi.

Tot igitur veterum auctorum judicio teſtimonioque jam ſatis conſtat, per *Lami urbem*

*urbem Antiphatæ*que *domum* intellexiſſe Homerum opidum *Formias*. Quodnam autem tunc habuerit nomen incertum eſt. quidpe ineptientes grammatici heic minimè audiendi ſunt. Euſtathius, Homeri ſcholiaſtes, poſtquàm complureis vocabuli τηλέπυλον ſignificationes produxit, addit tandem: Εἰσὶ δὲ, οἳ κύριον ὄνομα πόλεως τὸ Τηλέπυλον ἐδέξαντο. Id eſt: *Sunt, qui Telepylon pro urbis proprio nomine accipiant*. Svidas. Λάμος, πόλις Λαιστρυγόνων. *Lamus urbs Læſtrygonum*. Atqui omnes auctores Romani, quos ſuprà citavi, non ipſius urbis, ſed viri, Læſtrygonum regis, qui eam inhabitabat, intelligunt nomen. Idem Svidas poſteà: Λαιστρυγονία, πόλις ἢ χώρα. Λαιστρυγὼν δὲ Λαιστρυγόνος, ὄνομα πόλεως. Id eſt: *Læſtrygonia, urbs aut regio. at Læſtrygon Læſtrygonis nomen eſt urbis*. Homero equidem haud obſcurè ipſa urbs vocatur LAESTRYGONIA. at cùm ipſi tùm aliis ſuprà ſcriptis auctoribus Lamus atque Antiphates cæterique eiusdem urbis incolæ adpellantur *Læſtrygones*: nemini verò hoc nomine ipſa urbs. FONS autem Ἀρτακίη, ARTACIA, Homero ac Tibullo memoratus; ex quo opidani aquam petebant; nullus alius videtur fuiſſe, quàm qui nunc ab orientali opidi *Molæ* parte apud ipſam portam uberrimis aquis ex ſaxoſo colle, qui opido imminet, profluit. Homeri igitur tempeſtate an ultra hunc fontem fuerit opidum; quando ille ait, à portu atque promontorio Caietano ad urbem Lami euntes Vlyſſis ſocios obviam factos fuiſſe ante urbem Antiphatæ filiæ apud fontem *Artaciam*; an verò, ut ubique alibi in hisce Vlyſſis erroribus, ſic heic quoque veras res nonnullis figmentis involverit, haud facilè dixerim. Silii tempore fuiſſe eodem hoc ſitu, quo nunc opidum *Mola* conſpicitur, inter monteis & mare, anguſto tractu, ex præſcripto lib. VIII patet; ubi ait, Artacia fons.

——— domusque
Antiphatæ, compreſſa freto.

PORTVS quoque tunc aliquam ſpeciem heic fuiſſe, ex Taciti Annal. lib. XV colligere licet: *Nec multo pòſt*, inquit, *clades rei navalis accipitur; non bello; ſed certum ad diem in Campaniam redire claſſem Nero juſſerat; non exceptis maris caſibus. Ergo gubernatores, quamvis ſæviente pelago, à Formiis movère. & gravi Africo, dum promontorium Miſenum ſuperare contendunt, Cumanis litoribus impacti, triremium plerasque & minora navigia paſſim amiſerunt*. De cætero *Mamurrarum urbem* adpellavit Horatius, ab opulentiſsimis eius incolis. Verba eius lib. I Satyrâ V hæc ſunt:

Ora manusque tuâ lavimus Feronia lymphâ
Millia tum pranſi tria repimus; atque ſubimus
Impoſitum ſaxis latè candentibus Anxur.

Mox:

Fundos, Aufidio Luſco prætore, libenter
Linquimus.
In Mamurrarum laſſi deinde urbe manemus;
Muræna præbente domum, Capitone culinam.
Poſtera lux oritur multo gratiſſima. namque
Plotius & Varius Sinueſſæ Virgiliusque
Occurrunt.

Ad hæc ita ſcriptum in veteribus ſcholiis: *Mamurra ſenator fuit Romanus, qui maximam partem civitatis Formianæ poſſidebat: unde dicta eſt Mamurrana civitas. vel, quòd familia Mamurrarum illinc fuerit oriunda.* Cicero ad Atticum lib. VII epiſt. VII: *Placet igitur, etiam me expulſum? & agrum Campanum periiſſe? & adoptatum patricium à plebeio? Gaditanum à Mitylenæo? & Labieni divitiæ & Mamurræ placent? Balbi horti & Tuſculanum?* Plinius lib. XXXVI cap. VI: *Primum Romæ parietes cruſtâ marmoris operuiſſe totius domus ſuæ in Cœlio monte, Cornelius Nepos tradidit, Mamurram, Formiis natum, equitem Romanum, præfectum fabrorum C. Cæſaris in Galliâ. Neque indignatio ſit tali auctore inventâ re. hic namque eſt Mamurra Catulli Veronenſis carminibus proſciſſus. quem [Metrodorus Scepſius] clariùs, quàm Catullus, dixit habere, quidquid habuiſſet Comata Gallia.* Catulli carmen LVIII hoc eſt:

Pulcrè convenit improbis cinædis
Mamurræ pathicoque Cæſarique.
Nec mirum: maculæ pares utrisque,

Vrbana altera, & illa Formiana,
Impreſſæ reſident, nec eluentur.

Cæterò municipium fuiſſe Romanorum quondam Formias, auctor eſt Livius lib. XXXVIII: *De Formianis*, inquit, *Fundaniſque municipibus & Arpinatibus, C. Valerius Tappo, tribunus plebis, promulgavit, ut iis ſuffragii latio (nam antè ſine ſuffragio habuerant civitatem) eſſet.* Et mox: *Rogatio perlata eſt, ut in Aemiliâ tribu Formiani & Fundani, in Corneliâ Arpinates, ferrent.* Pompeius Feſtus: *Municipium id genus hominum dicitur, qui, quum Romam veniſſent, neque cives Romani eſſent, participes tamen fuerunt omnium rerum ad munus fungendum unà cum Romanis civibus, præterquàm de ſuffragio ferendo, aut magiſtratu capiendo: ſicut fuerunt Fundani, Formiani, Cumani. qui poſt aliquot cives Romani effecti ſunt.* Frontinus in libro de Coloniis: *Formias opidum triumviri ſine colonis deduxerunt.* Idem Feſtus etiam inter præfecturas connumerat. *Alterum genus præfecturarum eſt, in quas ibant, quos prætor Vrbanus quotannis in quæque loca miſerat legibus; ut Fundos, Formias, Cære, Venafrum.* Cæterùm amœnitatem Formiani litoris prædicat Martialis lib. x epigr. XXX, cuius initium tale:

O temperatæ dulce Formiæ litus;
Vos, quum ſeveri fugit opidum Martis,
Et inquietas feſſus exuit curas,
Apollinaris omnibus locis præfert.

FORMIANI *colles.*

Livio FORMIANVS dicitur MONS, qui Horatio ſuprà dicto Carm. lib. I odâ XX ſunt, FORMIANI COLLES. Livius lib. XXXVIIII: *Separatim Flaccus molem ad Neptunias aquas faciendam locavit, ut iter populo eſſet, & viam per Formianum montem.* Is eſt: quem transverſum transeunt à Fundis & Fundanâ valle ad Hormias commeantes. in quo hodiéque magna pars antiquæ viæ Romanæ conſpicitur. Chronicon Caſſinenſe lib. I cap. XLV: *Primò illos ad lacum Fundanum per mare deduxit. inde per fluvium Fundos usque adſcendentes, ibi ſcafis egreſſi, cunctaque in circuitu depopulantes, Caietam tandem perveniunt; & in Formianis collibus caſtra poſuerunt.*

MINTVRNAE *colonia.*

Porrò ultra Formias ad VIIII millia paſſuum, ut ſuprà ſcripta Itineraria antiqua habent, ſeu, ut nunc incolæ numerant, ad VIII milliaria fuêre MINTVRNAE ad utramque Liris amnis, qui nunc vulgò dicitur *Il Garigliano*, ripam, *urbs* quondam celeberrima: cuius hodiéque ingentes viſuntur in ſiniſtrâ maximè ripâ reliquiæ IIII ferè millia paſſuum à mari & oſtio amnis remotæ. in quibus præcipua ſunt, aquæductus, amphitheatrum; tum murorum turriumque magna rudera; præalti quidam fornices, aliaque ſplendidorum ædificiorum fundamenta ſolidiſsima. A dextrâ amnis ripâ, ad III circiter millia paſſuum in editis collibus ex adverſo dictarum reliquiarum ſitum eſt opidum, quod vulgare nomen *Trajetto* ab amnis trajectu traxit. id per errorem pleroſque hodiè interpretari video Minturnas. Memorantur Minturnæ M. Catoni, Ciceroni, Horatio, Ovidio, Dionyſio, Livio, Velleio, Valer. Maximo, Straboni, Melæ, Plinio, Iuvenali, Plutarcho, Ptolemæo, Itinerariis antiquis, Procopio, & Stephani breviatori. Ac inter Græcos auctores Straboni quidem ac Ptolemæo urbs Romanâ formatione dicitur plurali numero Μιντοῦρναι, *Minturnæ*. at Plutarcho in C. Mario eſt ſingulari numero Μιντούρνη, & Dionyſio lib. I Μιντοῦρνα, MINTVRNA. quod tamen Stephani breviator ex Dionyſii lib. XVI citat Μέντυρνα, & apud Procopium Gothicar. rer. lib. III legitur Μεντούρνη, MENTVRNA. Sed apud Plutarchum in dicto Mario, & apud Appianum Civil. bellor. lib. I, vocabulum id variatur. apud utrumque enim in eâdem de Mario hiſtoriâ primùm genitivus caſus eſt τῆς Μιντούρνης, mox verò accuſativus εἰς Μιντούρνας. quod ita ipſos in tam paucis verbis variaſſe auctores, haud temerè crediderim. Apud Procopium item corruptum id legitur vocabulum aliis in exemplaribus, ἐς μὲν τούρναν, in aliis ἐς μὲν τούρνην· Breviator Stephani: Μέντυρνα, πόλις ἐν Ἰταλίᾳ Σαυνιτῶν· Διονύσιος ἑκκαιδεκάτῳ. τὸ ἐθνικὸν Μεντυρναῖος. Id eſt: *Menturna, opidum in Italiâ Samnitium; teſte Dionyſio lib.* XVI. *Gentilitium inde Menturnæus.* Sic equidem apud Appianum quoque Civil. bellor. lib. IIII ſunt Μιντουρναῖοι, *Minturnæi*: qui Romano ore ritè fomantur *Minturnani*. at apud omneis pariter Romanos auctores ſunt MINTVRNENSES. quod vocabulum Plutarchus etiam in prædicto Mario formavit Græco ore Μιντουρνήσιοι Cato urbis meminit in Ruſticar. rer. cap. CXXXV: Cicero paſsim in Epiſtolis; maximè ad Atticum. Mela, adverſo itinere ex Campaniâ in Latium iens:

Vultur-

Vulturnum opidum, Sinueſſa, Liris, Minturnæ, Formiæ. Ptolemæo in mediterraneis Latii opidis recenſetur. Plinius juxtà cum Melâ in litore refert lib. III cap. V. *Caieta,* inquit, *portus; opidum Formiæ Hormiæ [antè] dictum; ut exiſtimavêre, antiqua Læſtrygonum ſedes. ultra fuit opidum Pyræ. colonia Minturnæ, Liri amne diviſa.* Strabo lib. V: Φορμιῶν δ᾽ ἀνὰ μέσον εἰσὶ καὶ Σινυέσσης αἱ Μιντοῦρναι, σταδίους ἑκατέρας διέχουσαι περὶ π᾽. διαῤῥεῖ δὲ Λεῖρις ποταμός. Hoc eſt: *Inter Formias & Sinueſſam ſunt Minturnæ, utrimque ſtadia circiter* LXXX *diſſitæ perfluit eas Liris amnis.* Et aliquanto pòſt: Φρεγέλλαι πόλις, παρ᾽ ἣν ὁ Λεῖρις ῥεῖ, ὁ εἰς τὰς Μιντούρνας ἐκδιδούς. Id eſt: *Fregellæ opidum; quod præterfluit Liris amnis, in Minturnas ſeſe effundens.* Nempe, quia & ipſe Strabo pro maritimâ urbe habebat Minturnas. Livius lib. X: *Placuit, ut duæ coloniæ circa Veſcinum & Falernum agrum deducerentur: una ad oſtium Liris fluvii; quæ Minturnæ adpellata.* Haud ſatis propriè igitur Dionyſius dicto lib. I Lirim refert Μιντούρνας παραμειβόμενον, *Minturnas præterfluentem.* Vetuſtiſſima urbis memoria exſtat apud Livium lib. VIII in conſulatu T. Manlii Torquatii III & P. Decii Muris; anno urbis Romæ CCCCXIIII; ante natum Ieſum anno CCCXL. *Latini,* inquit, *ex fugâ ſe Minturnas contulerunt.* Hinc proxima eius mentio fit lib. VIIII, in conſulatu M. Pœtelii Libonis & C. Sulpicii Longi; anno urbis Romæ CCCCXXXVIIII; ante natum Ieſum CCCXIIII. *Cæterùm Auſonum,* inquit, *gens proditione urbium, ſicut Sora, in poteſtatem venit. Auſona & Minturnæ & Veſcia urbes erant.* Illud de coloniâ huc deductâ narrat Livius dicto lib. X in conſulatu Appii Claudii Cæci II & L. Volumnii Flammæ II, anno urbis Romæ CCCCLVII, ante natum Chriſtum CCXCVI. *At proximè inſequenti anno demum, Q. Fabio Max. Rulliano quintùm & P. Decio Mure quartùm conſulibus, colonia deducta eſt.* Velleius Paterculus lib. I: *At quintùm Fabio & P. Decio Mure quartum conſulibus, quo anno Pyrrhus regnare cœpit, Sinueſſam Minturnaſque miſſi coloni.* Hinc Livius lib. XXVII: *Colonos etiam maritimos, qui ſacroſanctam vacationem dicebantur habere, dare milites cogebant conſules. quibus recuſantibus, edixère in diem certam, ut, quo quiſque jure vacationem haberet, ad ſenatum deferret. Eâ die hi populi ad ſenatum venerunt. Oſtienſis, Alſienſis, Antias, Anxurnas, Minturnenſis, Sinueſſanus.* Et lib. XXXVI: *In comparandâ impigrè claſſe C. Livium prætorem contentio orta cum colonis maritimis paulliſper tenuit. nam, quum cogerentur in claſſem, tribunos plebis adpellarunt. ab iis ad ſenatum rejecti ſunt. ſenatus ita, ut ad unum omnes conſentirent, decrevit, vacationem rei navalis his colonis non eſſe. Oſtia & Fregenæ & Caſtrum Novum & Pyrgi & Antium & Tarracina & Minturnæ & Sinueſſa fuerunt, quæ cum prætore de vacatione certaverunt.* Hinc item Dionyſius prædicto lib. I, de Oſtia & Minturnis loquens, Ῥωμαίων δέ εἰσιν, inquit, αἱ πόλεις ἀμφότεραι ἄποικοι· id eſt; *Ambæ urbes Romanorum ſunt coloniæ.* Et Plinius dicto lib. III cap. V: *Colonia Minturnæ.* Ptolemæus: Μιντοῦρναι κολώνια· *Minturnæ colonia.* At novam huc deduxiſſe *coloniam* C. Cæſarem, auctor eſt Frontinus in libro de Coloniis. *Minturnæ,* inquit, *muro ducta colonia, deducta à C. Cæſare.*

Cæterùm ipſe LIRIS *amnis* memoratur Ciceroni, Horatio, Dionyſio, Livio, Straboni, Melæ, Plinio, Silio, Lucano, Martiali, Plutarcho, Appiano, Ptolemæo, Claudiano. Cicero de Legibus lib. II; de *Fibreno* loquens flumine: *Statim ſe præcipitat in Lirim; &, quaſi in familiam patriciam venerit, amittit nomen obſcurius; Lirimque multo gelidiorem facit.* Horatius Carmin. lib. I odâ XXXI: LIRIS *amnis; qui antè* GLANIS.

Non æſtuoſæ grata Calabriæ
Armenta; non aurum, aut ebur Indicum;
Non rura, quæ Liris quietâ
Mordet aquâ, taciturnus amnis.

Silius lib. IIII:

Fit ſocius lethi conjectâ Maſſicus haſtâ;
Vitiferi ſacro generatus vertice montis,
Et Liris nutritus aquis; qui fonte quieto
Diſſimulat curſum; ac, nullo mutabilis imbri,
Perſtringit tacitas gemmanti gurgite ripas.

Dionyſius eius meminit ſuprà dicto lib. I. Livius dicto lib. X; de coloniis deducendis: *Una ad oſtium Liris fluvii, quæ Minturnæ adpellata.* Et lib. XXVI: *Inde præter*

Interamnam Aquinumque in Fregellanum agrum ad Lirim fluvium ventum. Ptolemæus: Ταῤῥακίναι, Φορμίαι, Λείρεως ποταμοῦ ἐκβολαὶ, Σινύεσσα. *Tarracinæ, Formiæ, Liris amnis oſtium, Sinueſſa*. Mela lib. II cap. IIII, adverſo itinere: *Sinueſſa, Liris, Minturnæ, Formiæ*. Cæteri auctores mox infrà producentur. At apud Appianum Civil. bellor. lib. I corruptum eſſe τοῦ Λείρεως ποταμοῦ nomen, pro Τελωνίου ποταμοῦ, *Telonii fluvii*, qui eſt in Marſis atque Sabinis, ſuprà lib. II cap. X oſtendimus. Idem Liris vocabulum apud alios quoque auctores falſò ſcriptum eſſe unà cum Campaniæ nomine, pro Siri, Lucaniæ fluvio, infrà lib. IIII in huius regionis deſcriptione oſtendetur. De cætero Liris anteà CLANIS atque GLANIS dictus fuit. Plinius dicto lib. III cap. V: *Colonia, Minturnæ, Liri amne diviſa, Glani quondam adpellato*. Et Strabo lib. V: Φορμιῶν δ' ἀνὰ μέσον εἰσὶ καὶ Σινυέσσης αἱ Μιντοῦρναι· διαῤῥεῖ δὲ Λεῖρις ποταμός· Κλάνις δ' ἐκαλεῖτο πρότερον. Id eſt: *Inter Formias & Sinueſſam ſunt Minturnæ; quas Liris amnis præfluit, antè Clanis adpellatus*. Sic ille etiam Etruriæ amnis, qui in Tiberim defluit, vulgari nunc vocabulo *La Chiama*, olim *Clanis* ſimul & *Glanis* dictus fuit; ut ſuprà lib. II cap. X oſtenſum. Sed & tertius in eâdem hac Italiâ noſtrâ fuit amnis eodem nomine *Clanis* atque *Glanis*, qui apud Liternum, Campaniæ opidum, in mare effundebatur; ut infrà in huius regionis expoſitione patebit. Hinc ille Appiano natus eſt error prædicto Civil. bellor. lib. I haud ita multo antè; ubi populos Italiæ enumerat, qui bellum ſociale contra Romanos moverunt. Ὅση τε ἄλλη, inquit, ἀπὸ Λείρεως ποταμοῦ, ὃν νῦν μοι δοκοῦσι Λίτερνον ἡγεῖσθαι, ἐπὶ τὸν μυχόν ἐστι τοῦ Ἰονίου κόλπου. id eſt; *Et quidquid tandem terrarum à Liri amne, qui nunc, ut ego opinor, Liternus dicitur, ad intimum usque Ionii maris receſſum porrigitur*. Sanè peſſimum geographum nimis ſæpè ſe prodit Appianus; ut haud ſemel cùm in hoc Italiæ opere tùm in Germaniæ deſcriptione adnotavimus. Cæterùm Silius lib. VIII *ſulfureum* vocat *Lirim*, in his verſibus:

At qui Fibreno miſcentem flumina Lirim
Sulfureum, tacitiſque vadis ad litora lapſum,
Adcolit Arpinas.

Ratio huius epitheti exſtat apud Plinium lib. II cap. CIII: *Sed & fontium plurimorum natura mira eſt fervore: idque etiam in jugis Alpium; ipſoque in mari, inter Italiam & Aenariam; & in Baiano ſinu; & in Liri fluvio, multiſque aliis*. Locum in Liri oſtendere voluit idem Silius lib. XII, hoc verſu:

Et quæ fumantem texêre Giganta Fregellæ.

Quem heic intelligat Giganta, Germaniæ noſtræ lib. I cap. XXXI expoſitum eſt; ampliúſque infrà in Campaniâ & inſulâ Aenariâ exponetur.

FIBRENVS, COSA, TRERVS, *atque* MELFES, *amnes in Lirim influentes.*

Porrò amnes, qui in *Lirim* influunt; ab dextrâ ripâ COSA & TRERVS, ab ſiniſtrâ FIBRENVS & MELFES; ſuprà cap. VIIII in Volſcis expoſiti ſunt.

PALVDES MINTVRNENSES.

LVCVS MARICAE.

Cæterùm quum infra Minturnas circa oſtia Liris ſint PALVDES, quæ olim ab urbe cognominabantur MINTVRNENSES, & circa has NEMVS ſive LVCVS MARICAE, C. Marii ærumnæ ea loca atque nomina maximè nobilitarunt. Sed Marica dea jam inde antiquiſſimis hoc loco culta fuit temporibus. Horatius Carm. lib. III odâ XVII, ad Aelium Lamiam:

Aeli, vetuſto nobilis ab Lamo;
Quando & priores hinc Lamias ferunt
Denominatos, & nepotum
Per memores genus omne faſtos,
Auctore ab illo ducis originem,
Qui Formiarum mœnia dicitur
Princeps & innantem Maricæ
Litoribus tenuiſſe Lirim,

Virgilius Aeneid. lib. VII:

——— *Rex arva Latinus & urbes*
Iam ſenior longâ placidas in pace regebat.
Hunc Fauno & nymphâ genitum Laurente Maricâ
Accipimus.

Ad hæc ita Servius: *Eſt Marica dea litoris Minturnenſium, juxta Lirim fluvium.*

Mox: *Dicunt alii, per Maricam Venerem intelligi debere: cuius fuit ſacellum juxta Maricam: in quo erat ſcriptum*; Νηὸν τῆς Ἀφροδίτης. *Sanè Heſiodus Latinum Circes & Vlyſſis filium dicit. quod & Virgilius tangit, dicendo; Solis avi ſpeciem.* Lactantius de Falſa religione lib. I cap. XXI: *Nam & Romulus poſt mortem Quirinus dictus eſt, ut Circe Marica.* Meminêre hinc alii etiam poëtæ. Lucanus lib. II; ubi flumina Italiæ enumerat, quæ Apenninus mons fundit:

—— Delabitur inde
Vulturnusque celer, nocturnæque editor auræ
Sarnus, & umbroſæ Liris per regna Maricæ.

Martialis lib. X epigram. XXX:

Non blanda Circe Dardaniſve Caieta
Deſiderantur; nec Marica, nec Liris.

Et lib. XIII epigram. LXXXIII:

Cæruleus nos Liris amat, quem ſilva Maricæ.
Protegit. hinc ſquillæ maxima turba ſumus.

Claudianus in Panegerico de Probi & Olybrii conſulatu:

—— Flavæque terens querceta Maricæ
Liris.

Livius lib. XXVII: *Minturnis ædem Iovis & lucum Maricæ cælo tactum, nunciatum eſt.* At quum nemus heic ab utrâque ſit fluminis ripâ, incertum eſt, utrâ fuerit ripâ ipſum MARICAE *deæ* TEMPLVM Strabo dicto lib. V: Φορμιῶν δ' ἀνὰ μέσον εἰσὶ καὶ Σινυέσης αἱ Μιντοῦρναι· διαρρεῖ δὲ Λεῖρις ποταμός· φέρεται δ' ἄνωθεν ἐκ τῶν Ἀπεννίνων ὀρῶν καὶ τῆς Οὐησίνης παρὰ Φρεγέλλας· ἐκπίπτει δ' εἰς ἄλσος ἱερὸν, τιμώμενον περιττῶς ὑπὸ τῶν ἐν Μιντούρναις, ὑποκείμενον τῇ πόλει. Id eſt: *Inter Formias & Sinueſſam ſunt Minturnæ; quas perfluit Liris amnis. is ab Apenninis montibus & Veſtino agro delapſus præter Fregellas, in lucum ſacrum exit, infra Minturnas ſitum; quem religioſiſſimè colunt Minturnenſes.* Plutarchus in Mario, de iisdem Minturnenſibus loquens: Ὑπὸ τοιούτων λογισμῶν εἰσπεσόντες ἀθρόοι καὶ περισχόντες αὐτὸν, ἐξῆγον ἐπὶ τὴν θάλασσαν. ἄλλου δ' ἄλλο τι προθύμως ὑπηρετοῦντος, καὶ σπευδόντων ἀπάντων, ἐγίνετο τριβὴ τοῦ χρόνου. τὸ γὰρ τῆς λεγομένης Μαρίκας ἄλσος, ὃ σέβονται, καὶ παραφυλάττουσι μηδὲν ἐκεῖθεν ἐκκομισθῆναι τῶν ἐγκομισθέντων, ἐμποδὼν ἦν τῆς ἐπὶ θάλασσαν ὁδοῦ· καὶ κύκλῳ περιιόντας ἔδει βραδύνειν· ἄχρις οὗ τῶν πρεσβυτέρων τις ἐμβοήσας ἔφη, μηδεμίαν ἄβατον μηδὲ ἀπόρευτον ὁδὸν εἶναι, δι' ἧς σώζεται Μάριος. καὶ πρῶτος αὐτὸς λαβών τι τῶν κομιζομένων ἐπὶ ναῦν διὰ τοῦ τόπου διεξῆλθεν. Hoc eſt: *Ita animati, adeunt eum frequentes: ac circumfuſi, ad mare educunt. Ibi quum aliud alius ei promptè præberet, & maturarent omnes; mora interponebatur tamen. namque Maricæ lucus, quem illi colunt, cuſtodiuntque, ne, quod importatum eſt, inde exportetur, diſtinebat iter ad mare; & circuitus moram protrahebat: quoad ſenex quidam inclamavit, Nullam inacceſſam eſſe vel religioſam, qua ſervetur Marius, viam. atque hic princeps arripuit aliquid ex eis, quæ ad navem comportabantur. ac per locum illum evaſit.* At de adpulſu Marii ad hoc litus antè ſic ſcribit: Ἐκείνων δὲ πρὸς ὀργὴν ἀπελασάντων, αὖθις ἑτέρων γενόμενοι λογισμῶν, κατεφέροντο πρὸς τὴν γῆν· καὶ περὶ τὰς ἐκβολὰς τοῦ Λείριος ποταμοῦ, διάχυσιν λιμνώδη λαμβάνοντας, ἀγκύρας βαλλόμενοι, παρεκάλουν τὸν Μάριον ἐκβῆναι. * — * · Οὕτω δὴ πάντων ἔρημος ἀπολειφθεὶς ὁ Μάριος, πολὺν μὲν χρόνον ἄναυδος ἐπὶ τῆς ἀκτῆς ἔκειτο· μόλις δέ πως ἀναλαβὼν ἑαυτὸν, ἐπορεύετο ταλαιπώρως ἀνοδίαις· καὶ διεξελθὼν ἕλη βαθέα, καὶ τάφρους ὕδατος καὶ πηλοῦ γεμούσας, ἐπιτυγχάνει καλύβῃ λιμνουργοῦ γέροντος. ὃν περιπεσὼν ἱκέτευε γενέσθαι σωτῆρα καὶ βοηθὸν ἀνδρὸς, εἰ διαφύγοι τὰ παρόντα, μείζονας ἐλπίδων ἀμοιβὰς ἀποδώσοντος. Ὁ δ' ἄνθρωπος, ἀναγαγὼν αὐτὸν εἰς τὸ ἕλος, καὶ πτῆξαι κελεύσας ἐν χωρίῳ κοίλῳ παρὰ τὸν ποταμὸν, ἐπέβαλε τῶν τε καλάμων πολλοὺς, καὶ τῆς ἄλλης ἐπιφέρων ὕλης, ὅση κούφη καὶ περιπεσεῖν ἀβλαβῶς δυναμένη. Χρόνου δ' οὐ πολλοῦ διαγενομένου, ψόφος αὐτῷ καὶ θόρυβος ἀπὸ τῆς καλύβης προσέπεσεν. ὁ γὰρ Γεμίνιος ἐκ Ταρρακίνης ἔπεμψε πολλοὺς ἐπὶ τὴν δίωξιν· ὧν ἔνιοι κατὰ τύχην ἐκεῖ προσελθόντες, ἐξεφόβουν καὶ κατεβόων τοῦ γέροντος, ὡς ὑποδεξαμένου καὶ κατακρύπτοντος πολέμιον Ῥωμαίων. Ἐξαναστὰς οὖν ὁ Μάριος, καὶ ἀποδυσάμενος, καθῆκεν ἑαυτὸν εἰς τὴν λίμνην, ὕδωρ παχὺ καὶ τελματῶδες ἔχουσαν. ὅθεν οὐ διέλαθε τοὺς ζητοῦντας· ἀλλ' ἀνασπασθεὶς, βορβόρου καταπλέως καὶ γυμνὸς, εἰς Μιντούρνας ἀνήχθη, καὶ παρεδόθη τοῖς ἄρχουσιν. Hoc eſt: *Vbi illi frendentes abiêre; mutato iterum conſilio, terram petierunt. ancoriſque ad oſtium Liris fluvii, ubi is paludes diffunditur, jactis, hortati ſunt Mariam, ut in terram eſcenderet.* Paullo pòſt: *Ita ab*

omnibus deſertus Marius, diu in litore mutus jacuit. at ubi ægrè ſe aliquantulum collegit; per loca invia perrexit ærumnosè. ſuperatisque profundis paludibus ac foſſis, quæ aquâ limoque erant oppletæ; incidit in ſenis cuiusdam, qui lacum colebat, tugurium. Ad huius ſe pedes abjiciens, precatus eſt, ut opem ſibi ferret. eum quidpe ſe virum eſſe, qui, ſi fortunam vitaſſet præſentem, maiorem ſpe ipſius gratiam eſſet relaturus. Is igitur homo abduxit eum in paludem. ac loco cavo propter amnem demittere ſe juſſo, multam arundinem injecit, aliamque ingeſſit materiem levem, & quæ impoſita eum non eſſet læſura. Brevi pòſt ſtrepitus à turgurio & tumultus ad eum eſt delatus. namque Geminius à Tarracinâ miſerat complureis ad eum inveſtigandum. quorum nonnulli eò fortefortunà delati, conterruerunt perculeruntque ſenem, quòd hoſtem populi Romani ad ſe receptum occultaſſet. Itaque Marius exſurrexit. rejectisque, quibus intectus erat, in lacum, qui craſſam cænoſamque continebant aquam, ſeſe abjecit. Hoc modo non fefellit eos, qui eum inveſtigabant. ſed extractus inde eſt lutulentus atque nudus: Minturnasque deductus, magiſtratibus ibi traditus eſt. Cicero in oratione Plancio: *Minturnenſes coloni, quòd C. Marium ex civili cruore atque ex impiis manibus eripuerunt; quòd tecto receperunt; quòd feſſum inediâ fluctibusque recrearunt; quòd viaticum congeſſerunt; quòd navigium dederunt; quòd eum, linquentem terram eam, quam ſervaverat, lacrymis, votis, ominibusque proſequuti ſunt; æternâ in laude verſantur.* Et oratione pro P. Sextio: *Memineram, C. Marium, quum propter vim injuſtorum armorum profugiſſet, primò ſenile corpus paludibus occultaſſe demerſum: deinde ad infimorum ac tenuiſſimorum hominum Minturnis miſericordiam confugiſſe. inde navigio perparvo, quum omneis portus terrasque fugeret, in oras Africæ deſertiſſimas perveniſſe.* Velleius lib. II: *Marius poſt ſextum conſulatum, annoque LXX, nudus ac limo obrutus, oculis tantummodò ac naribus eminentibus, extractus arundineto circa paludem Maricæ, in quam ſe, fugiens conſectanteis Sullæ equites, abdiderat, injecto in collum loro, in carcerem Minturnenſium juſſu duumviri perductus eſt. ad quem interficiendum miſſus cum gladio ſervus publicus, natione Germanus, qui fortè ab imperatore eo bello Cimbrico captus erat, ut agnovit Marium, magno ejulatu, expromenti indignationem caſus tanti viri, abjecto gladio, profûgit è carcere. Tum cives, ab hoſte, miſereri paullo antè principis viri, docti, inſtructum cum viatico collatâque veſte in navem impoſuerunt. At ille, adſequutus circa Aenariam filium, curſum in Africam direxit.* Valer. Maximus lib. I cap. V: *C. Mario obſervatio ominis procul dubio ſaluti fuit, quo tempore, hoſtis à ſenatu judicatus, in domum Fauniæ Minturnis cuſtodiæ causâ deductus eſt. animadvertit enim aſellum, quum ei pabulum objiceretur, neglecto eo, ad aquam procurrentem. quo ſpectaculo deorum providentiâ, quòd ſequeretur, oblatum ratus, à multitudine, quæ ad opem illi ferendam confluxerat, impetravit, ut ad mare perduceretur. ac protinus naviculam conſcendit: eâque in Africam pervectus, arma Sullæ victricia effûgit.* Et lib. II cap. X: *C. etiam Marius, in profundum ultimarum miſeriarum abjectus, ex ipſo vitæ discrimine beneficio maieſtatis emerſit. miſſus enim ad eum occidendum, in privatâ domo Minturnis clauſum, ſervus publicus natione Cimber; & ſenem, & inermem, & ſqualore obſitum, ſtrictum gladium tenens, adgredi non ſuſtinuit: ſed claritate viri occæcatus, abjecto ferro, attonitus inde ac tremens fugit. Cimbrica nimirum calamitas oculos hominis perſtrinxit: devictæque ſuæ gentis interitus animum comminuit. Minturnenſes autem maieſtate illius capti, compreſſum jam & conſtrictum dirâ fati neceſſitate, incolumem præſtiterunt.* Seneca controverſiâ XVII libri III: *Minturnenſis palus exſulem Marium non hauſit.* Iuvenalis Satyrâ X:

> *Exſilium & carcer Minturnarum,*
> *Et mendicatus victâ Carthagine panis.*

Cæterùm in easdem hasce *Minturnenſeis paludes* ſeſe abscondidit poſteà *Varus* quidam; unus ex eorum numero, qui à triumviris, Antonio, Lepido, & Octavio, proſcripti fuerunt; teſte Appiano Bellor. civil. lib. IIII. Hinc igitur *paluſtres* vocantur *Minturnæ* Horatio Epiſt. V libri primi, in his verbis:

> *Vina bibes, iterum Tauro diffuſa paluſtreis*
> *Inter Minturnas Sinueſſanumque Petrinum.*

Et Ovidio Μεταμορφώσεων lib. XV ob easdem *paludes* dicuntur *graves Minturnæ*, in his verſibus:

Vulturnus,

Vulturnus, niveïsque frequens Sinueſſa colubris,
Minturnæque graves, & quam tumulavit alumnus.

Porrò inter Minturnas ſive Lirim & Formias fuit *opidum* PYRAE; uni Plinio memoratum, dicto lib. III cap. V: *Caieta*, inquit, *portus: opidum Formiæ; Hormiæ* [*antè*] *dictum; ut exiſtimavêre, antiqua Læſtrygonum ſedes. ultra fuit opidum Pyræ. colonia Minturnæ, Liri amne diviſa.* Ergo jam tum Plinii tempeſtate Pyræ opidum nullum exſtitit. eòque incertum, quo ſitu id fuerit. PYRAE *opidum.*

Vltra Lirim atque Minturnas fuit celebre ſub Romanorum imperio opidum SINVESSA; antè SINOPE dictum. Memoratur Ciceroni, Ovidio, Livio, Velleio, Straboni, Melæ, Plinio, Plutarcho, Frontino, Ptolemæo, Dioni, Itinerariis, Stephani epitomatori. Cicero ad Atticum lib. VIIII epiſt. XVIII & XVIIII: Sinueſſæ. Ovidius Μεταμορφώσεων lib. XV: SINVESSA *colonia.*

—— Niveïque frequens Sinueſſa colubris.

Plinius lib. III cap. V: *Colonia Minturnæ; opidum Sinueſſa; extremum in adjecto Latio. quam quidam Sinopen dixêre vocitatam. Hinc felix illa Campania.* Livius lib. X: *Tum de præſidio regionis depopulatæ ab Samnitibus agitari cœptum. Itaque placuit ut duæ coloniæ circa Veſcinum & Falernum agrum deducerentur: una, ad oſtium Liris fluvii; quæ Minturnæ adpellata: altera in ſaltu Veſcino, Falernum contingente agrum; ubi Sinope dicitur Græca urbs fuiſſe; Sinueſſa deinde ab colonis Romanis adpellata.* In vulgatis equidem Livii exemplaribus vocabulum hoc Græcorum per Græcam ſcriptum eſt literam *y Synope*; quaſi à præpoſitione σὺν compoſitum. at ignorantiâ poſteriorum grammaticorum id in eum modum eſſe corruptum, teſtatur in Aſiâ eiuſdem nominis urbs nobiliſſima, à Mileſiis Græcis condita; quæ non Latinis modò auctoribus, Melæ, Plinio, Tacito, & Tabulæ itinerariæ ſcribitur *Sinope*; ſed Græcis etiam, Herodoto, Xenophonti, Dionyſio geographo, Straboni, Ptolemæo, Polyæno, Stephano, Euſtathio, & aliis, Græcis literis Σινώπη. Romanis poſteà unde *Sinueſſa* dicta ſit, oſtendit Strabo lib. V. Ἡ Σινούεσσα, inquit, ἐν Οὐησκίνῳ κόλπῳ ἵδρυται, ἀφ᾽ οὗ καὶ τοὔνομα· σίνος γὰρ ὁ κόλπος. Id eſt: *Sinueſſa in Veſcino ſinu ſita eſt. unde etiam nomen ab ſinu ei quæſitum.* Apud Ptolemæum ita ſcriptum eſt: Κιρκαῖον ἄκρον, Ταῤῥακίναι, Φῶρμαι. Καμπανῶν ὁμοίως παρὰ τὸ Τυῤῥηνικὸν πέλαγος. Λείριος ποταμοῦ ἐκβολαί, Σόεσσα, Οὐόλτουρνον. Id eſt: *Circæum promontorium, Tarracinæ, Formæ. tum Campanorum juxta Tuſcum mare; Liris amnis oſtium, Soeſſa, Vulturnum.* Vt vocabulum Φορμίαι in Φῶρμαι, quod ſuprà oſtenſum, ſic & Σινούεσσα, ſeu Σινόεσσα, in Σόεσσα corruptum eſt. Nec eſt quòd heic Sueſſam Auruncorum ſuſpiceris. hanc quidpe poſteà Ptolemæus in mediterraneis memorat. Sinueſſa autem Græcis auctoribus, Plutarcho in Othone & Dioni lib. LXVII ac Stephano dicitur Σινόεσσα. Stephani epitomator: Σινόεσσα, πόλις Σικελίας, τὸ ἐθνικὸν Σινοεσσαῖος καὶ Σινοεσσηνός. Id eſt: *Sinueſſa, urbs Siciliæ. gentilitium inde Sinueſſæus & Sinueſſenus.* Hoc ſcilicet erat ab vocabulo opidi Σινοέσση· à quo Dioni dicto lib. XLVII eſt obliquus τῆς Σινοέσσης. At Latinis opidani dicuntur SINVESSANI; ut mox videbimus. Cæterùm magna pars Italiæ poſteriori ſæculo adpellata fuit *Sicilia*; quod ſuo loco docebo. Idem Stephani breviator paullo antè ſic habet: Σενοεσσανοὶ, ἔθνος Ἰταλικόν· ὡς Πολύβιος ἐν τρίτῳ. Id eſt: *Senueſſani, gens Italica: auctore Polybio lib. III.* Apud Polybium equidem lib. III ita ſcriptum legitur in vulgatis hactenus exemplaribus: Τὰ γὰρ πεδία τὰ κατὰ Καπύην ἐπιφανέστατα μὲν ἐστι τῶν κατὰ τὴν Ἰταλίαν, καὶ διὰ τὴν ἀρετὴν καὶ διὰ τὸ κάλλος, καὶ διὰ τὸ πρὸς αὐτῇ κεῖσθαι τῇ θαλάττῃ, καὶ τούτοις τοῖς ἐμπορίοις χρῆσθαι, εἰς ἃ σχεδὸν ἁπάσης τῆς οἰκουμένης κατατρέχουσιν οἱ πλέοντες εἰς Ἰταλίαν· περιέχουσι δὲ καὶ τὰς ἐπιφανεστάτας καὶ καλλίστας πόλεις τῆς Ἰταλίας ἐν αὐτοῖς. τὴν μὲν γὰρ παραλίαν αὐτῶν Σενουεσσανοὶ καὶ Κυμαῖοι καὶ Δικαιαρχῖται νέμονται, πρὸς δὲ τούτοις Νεαπολῖται, τελευταῖον δὲ τὸ τῶν Νουκεριανῶν ἔθνος· τῆς δὲ μεσογαίου, τὰ μὲν πρὸς τὰς ἄρκτους Καληνοί καὶ Τυανῖται κατοικοῦσι· τὰ δὲ πρὸς ἕω καὶ μεσημβρίαν Δαύνιοι καὶ Νωλανοί· κατὰ μέσα δὲ τὰ πεδία κεῖσθαι συμβαίνει τὴν πασῶν ποτε μακαριωτάτην γεγονυῖαν πόλιν Καπύην. Hoc eſt: *Campus circa Capuam pars eſt Italiæ totius nobiliſſima. regio bonitate atque amœnitate præſtantiſſima. ad hoc mari adjacens, & emporia habens, ad quæ ſolent adpellere, qui ex omnibus ferè Orbis partibus in Italiam navigant. urbeis præterea celeberrimas pulcherrimasque Italiæ continet. oram enim maritimam horum camporum Senueſſani, Cumæi, & Dicæarchitæ colunt: item Neapolitæ, & noviſſima omnium gens Nucerina. in mediterraneo ad ſeptemtriones ſunt Caleni & Tyanitæ: ad ortum & meridiem Daunii ac Nolani. in mediis verò campis ſita eſt Capua urbs; quæ omneis alias felicitate quondam ſuperabat.* Ex ipsâ hac regionis ſimul atque opido-

rum deſcriptione ſatis clarè patet, Sinueſſanos heic intelligi Polybio per vocabulum Σινυεσωνοί. quod ego non minus corruptum cenſeo ex vero genuinoque Σινυεσσανοὶ, quàm ſequentia Τυανῖται & Δαυνίοι· quorum illos rectè quidem interpres Latinus poſterior fecit Teanenſes, ab vero Græcæ ſcriptionis vocabulo Τεανῖται, quorum opidum erat Τέανον, *Teanum*; vulgò etiamnunc Tiano dictum: at Δαυνίοι nulla ratione intelligi ei debebant Apuli; quum de unâ Campaniâ diſertus Polybio ſit ſermo. qui verò tandem habendi ſint, haud facilè quis dixerit: adeò nulla Campaniæ populorum adpellatio iſti vocabulo eſt aliquo modo ſimilis. Antiqua hæc apud Polybium eſſe menda, vel inde claret, quòd jam inde Stephanus ſuum Σεινυεσσανοὶ hinc transſcripſit. Et vulgò dictam fuiſſe poſteriori ſæculo urbem *Sinueſſam*, patet Itinerario antiquo Hieroſolymitano. Sed de nominibus urbis hactenus ſatis. Situm eius maximè indicarunt Strabo & Itineraria Romana. Hæc ita habent:

Tabulæ:		Antonini:		Antonini:		Hieroſolymit.	
Terracina		*Tarracina*		*Terracina*		*Terracina*	
Fundis	XIII.	*Fundis*	XIII.	|		*Fundis*	XIII.
Formis	....	*Formîs*	XII.	|		*Formîs*	XII.
Minturnis	VIIII.	*Minturnis*	VIIII.	|		*Minturnis*	IX.
Sinueſſa	VIIII.	*Sinueſſa*	VIIII.	*Sinueſſa*	XLIIII.	*Senueſſa*	IX.
Saſo	VII.			|			
Vulturno	XII.			|			
Literno	XII.			*Literno*	XXIIII.		
Cumis	VI.			*Cumis*	VI.		

Tabulæ:		Hieroſolymitanum:		Antonini:	
Formîs		*Formîs*		*Formîs*	
Menturnis	VIIII.	*Minturnis*	IX.	*Minturnis*	VIIII.
Sinueſſa	VIIII.	*Sinueſſa*	IX.	*Sinueſſa*	VIIII.
Ad ponte Campano	....	*Ponte Campano*	IX.	|	
Vrbanis	III.	|		|	
Ad Nonum	III.	|		|	
|		*Ad Octavum*	IX.	|	
Caſilino	VI.	|		|	
Capua	III.	*Capua*	VIII.	*Capua*	XXVI.

Totidem omnes iſti Itinerarii auctores referunt millia paſſuum à Minturnis ad Sinueſſam, quot à Formiis ad Minturnas. Fidem eis firmat Strabo lib. v, his verbis: Φορμιῶν ἀνὰ μέσον εἰσὶ καὶ Σινυέσσης αἱ Μιντοῦρναι, σταδίους ἑκατέρας διέχουσαι περὶ π΄. Id eſt: *Inter Formias atque Sinueſſam ſunt Minturnæ; utrimque ſtadia circiter* LXXX *diſſitæ*. Tot ſtadia conficiunt millia x. Minturnarum locum ab Formiis VIIII millia abeſſe, ſuprà indicatum eſt. tantundem intervalli ſi porrò in litore progrediaris; incides in ingentia veteris urbis veſtigia portusque ruinas, ſitas ſub caſtello, cui vulgaris adpellatio *Rocca di monte Dragone* à monte quæſita, in cuius extremo ad duo millia paſſuum à dictis ruinis id conditum. Hæ igitur illæ ſunt anguſtiæ inter mare & montis Maſſici extremum excurſum, in quibus Sinueſſam ponit Livius ſuprà ſcripto lib. x: *Placuit*, inquit, *ut duæ coloniæ circa Veſcinum & Falernum agrum deducerentur: una ad oſtium Liris fluvii; quæ Minturnæ adpellata: altera in ſaltu Veſcino, Falernum contingente agrum; ubi Sinôpe dicitur Græca urbs fuiſſe; Sinueſſa deinde ab colonis Romanis adpellata*. Adpellare autem *ſaltus* Livium anguſtos in aſperis montoſisque locis transitus, pluribus locis in universâ eius hiſtoriâ patet. unum atque alterum heic producemus. Lib. XXII: *Eo fortè die Minutius ſe conjunxerat Fabio; miſſus ad firmandum præſidio ſaltum, qui ſuprà Tarracinam in arctas coactus fauceis imminet mari; ne, immunito Appiæ limite, Pœnus pervenire in agrum Romanum poſſet*. Vocatas fuiſſe has anguſtias *Lautulas*, ſuprà in expoſitione *Tarracinæ* urbis oſtenſum eſt. Livius eodem libro haud multo antè: *Hannibal imperat duci, ut ſe*

ut ſe in agrum Caſinatem ducat; edoctus à peritis regionum, ſi eum ſaltum occupaſſet, exitum Romano ad opem ferendam ſociis intercluſurum. Sed Punicum abhorrens ab Latino nomen, Caſilinum pro Caſino ducem accipere fecit. averſusque ab itinere, per Alifanum Calatinumque & Calenum agrum in campum Stellatem deſcendit. ubi quum montibus fluminibusque clauſam regionem circumſpexiſſet, vocatum ducem percunctatur, ubi terrarum eſſet. quum is Caſilini eo die manſurum eum dixit, tum demum cognitus eſt error; & Caſinum longè inde aliâ regione eſſe. virgisque cæſo duce & ad reliquorum terrorem in crucem ſublato, caſtris communitis, Maharbalem cum equitibus in agrum Falernum prædatum dimiſit. Vsque ad aquas Sinueſſanas populatio ea pervênit. ingentem cladem, fugam, terroremque latiùs Numidæ fecerunt. Mox: *Vt verò ad Vulturnum flumen caſtra ſunt poſita; exurebaturque amœniſſimus Italiæ ager, villæque paſſim incendiis fumabant, per juga Maſſici montis Fabio ducente; prope de integro eſt orta ſeditio; ac duces ſeditionis accenſi quidam. fuerat enim ſilentium per paucos dies: quia, quum celeriùs ſolito ductum agmen fuiſſet; feſtinari ad prohibendam populationibus Campaniam, crediderant. ut verò in extrema juga Maſſici montis ventum eſt; hoſtesque ſub oculis erant; Falerni agri colonorumque Sinueſſæ tecta urentes; nec ulla erat mentio pugnæ: Spectatumne huc, inquit Minucius, ad rem fruendam oculis, ſociorum cædeis & incendia, vénimus?* Heic etiam diſertè Livius teſtatur, inter extremum Maſſici montis & mare poſitam fuiſſe Sinueſſam. De cætero coloniam huc Romanis deduxiſſe anno urbis Romæ CCCCLVIII, Q. Fabio Max. Rulliano quintùm & P. Decio Mure quartùm conſulibus; id eſt, ante natum Ieſum anno CCXCV; ſuprà in Minturnarum expoſitione ex Livio ſimul & Velleio Paterculo intellectum. eamdemque Sinueſſam coloniam Livio poſteà lib. XXVII & XXXVI memorari, ibidem perſpectum. Hinc illud apud Frontinum in libro de Coloniis, loco haud dubiè à barbaris exſcriptoribus vitiato: *Sinueſſa opidum muro ductum colonia.*

Cæterùm AQVAE SINVESSANAE, quæ Livio dicto lib. XXII referuntur, Plinio quoque ac Silio & Martiali Tacitoque memorantur. Tacitus Hiſtoriar. lib. I: *Tigellinus, accepto apud Sinueſſanas aquas ſupremæ neceſſitatis nuncio, intra ſtupra concubinarum & oſcula & deformeis moras, ſectis novaculâ faucibus, infamem vitam fœdavit etiam exitu ſero & inhoneſto.* In eâdem hiſtoriâ Plutarchus in Othone: Ἔπεμψεν οὖν ἐπ' αὐτὸν ὁ Ὄθων εἰς τοὺς περὶ Σινόεσσαν ἀγρούς· id eſt: *Miſit igitur adversùs eum Otho in Sinueſſanos agros.* Tacitus Annal. lib. XII: *In tantâ mole curarum Claudius valetudine adversâ corripitur. refovendisque viribus mollitie cœli & ſalubritate aquarum, Sinueſſam pergit.* Hinc Silius lib. VIII *tepentem* dixit *Sinueſſam*, in his verſibus:

Iam verò quos dives opum, quos dives avorum,
Ex toto dabat ad bellum Campania tractu,
Ductorum adventum vicinis ſedibus Oſci
Servabant; Sinueſſa tepens, fluctuque ſonorum
Vulturnum.

Martialis lib. XI epigram. VIII:

Dicet & hictericam ſe forſitan altera mœcha
In Sinueſſano velle ſedere lacu.

Plinius XXXI cap. II: *In eâdem Campaniæ regione Sinueſſanæ aquæ ſterilitatem feminarum & virorum inſaniam abolere produntur.* Quum ſuprà dicto lib. III cap. V Sinueſſam faciat, unà cum Mela lib. II cap. IIII: extremum opidum Novi Latii; tamen heic aquas Sinueſſani agri Campaniæ tribuit, quia, haud procul Sinueſsâ, ad orientale *Maſſici* montis latus, quod Campaniam proſpectat, ſitæ ſunt. quod ipſum haud obſcurè ex ſuprà ſcriptis Livii verbis etiam perſpicitur. Hodiè locus is vulgò vocatur *Bagni:* & turris juxtà ſita *Torre di Bagni.*

CHARONEA ſcrobs.

Prope eſt locus, qui Plinio lib. II cap. XCIII memoratur. *Spiritus*, inquit, *letales alibi, aut ſcrobibus emiſſi, aut ipſo loci ſitu mortiferi: alibi volucribus tantùm; ut Soracte, vicino Vrbi tractu: alibi præter hominem cæteris animantibus: nonnumquàm & homini; ut in Sinueſſano agro & Puteolano. Spiracula vocant: alii Charoneas ſcrobes, mortiferum ſpiritum exhalanteis.*

TRIFANVM, *locus.*

Porrò inter Sinueſſam Minturnasque TRIFANVM *locus* memoratur Livio lib. VIII, in conſulatu T. Manlii Torquati III & P. Decii Muris, anno urbis Romæ CCCCXIIII. *Huic agmini*, inquit, *Torquatus conſul ad Trifanum (inter Sinueſſam Minturnasque*

turnæque is locus) occurrit. De eâdem re Diodorus lib. XVI: Ἐπ' ἄρχοντος Ἀθήνησι Φρυνίχου, Ῥωμαῖοι κατέστησαν ὑπάτους Τίτον Μάλλιον Τορκουάτον καὶ Πόπλιον Δέκιον. * — *. Ῥωμαῖοι δὲ πρὸς Λατίνους καὶ Καμπανοὺς παραταξάμενοι περὶ πόλιν Σινύεσσαν, ἐνίκησαν. ὁ δὲ κατορθωκὼς τὴν μάχην Μάλλιος ὁ ὕπατος ἐθριάμβευσεν. Id eſt: *Summum Athenis magiſtratum gerente Phrynicho, conſules ſibi conſtituerunt Romani T. Manlium Torquatum & P. Decium*. Paullo pôſt: *Tum Romani infeſtâ acie cum Latinis & Campanis apud urbem Sinueſſam congreſſi, victores abiverunt. conſulque Manlius, cuius ductu res eo prælio benè geſta fuit, triumphum egit*. Optimè ac peritiſſimè ad præſcriptum Livii locum monuit Sigonius, legendum heic apud Diodorum eſſe pro vitioſo vocabulo Σύεσσαν Σινύεσσαν. Cæterùm ex hoc Diodori loco adparet, propiùs Sinueſſam fuiſſe hanc pugnam ad Trifanum, quàm Minturnas. Sed quòd quidam arbitrati ſunt, ab hoc *Trifano* Plinio Martialique dictum eſſe vinum TRIFOLINVM, quaſi Trifaninum, id perquàm dubium adfirmatu eſt; quando mera ea eſt conjectatio. Plinii verba lib. XIIII cap. VI de generoſis vinis hæc ſunt: *Campania nuper excitavit novis nominibus auctoritatem; ſive curâ ſive caſu: ad quartum à Neapoli lapidem Trebellicis; juxta Capuam Caulinis; & in ſuo agro Trebulanis. alioqui ſemper inter plebeia & Trifolinis gloria ſua*. Hinc Martialis lib. XIII epigram. CXIIII:

Non ſum de primo, fateor, Trifolina Lyæo:
Inter vina tamen ſeptima vitis ero.

Plinius lib. III cap. V ita tradit: *Latium antiquum à Tiberi Circeios usque obſervatum eſt, millium paſſuum L longitudine. tam tenues primordio imperii fuêre radices. Colonis ſæpè mutatis, tenuêre alii aliis temporibus: Aborigines, Pelaſgi, Arcades, Siculi, Aurunci, Rutuli; & ultra Circeios Volſci, Oſci, Auſones. unde nomen modò Latii proceſſit ad Lirim amnem*. Et aliquanto pôſt: *Colonia Minturnæ, Liri amne diviſa, Glani quondam adpellato: opidum Sinueſſa; extremum in adjecto Latio: quam quidam Sinopen dixêre vocitatam. Hinc felix illa Campania eſt*. Quum varius heic incertusque conſtituatur à Plinio terminus inter Novum Latium & Campaniam, incertum eſt, utrùm Trifolina iſta Campaniæ vina inter Lirim & Sinueſſam, an verò ultra hanc intellexerit. Horatius Epiſt. V libri primi ita ſcribit:

Vina bibes, iterum Tauro diffuſa paluſtreis
Inter Minturnas Sinueſſanumque Petrinum.

PETRINVM hoc quid fuerit, ne ipſe quidem interpres poëtæ antiquus ſcivit. ſic quidpe ille in Scholiis: *Petrinus mons eſt Sinueſſanæ civitati imminens; vel ager Sinueſſæ vicinus*. Hoc ſanè divinare eſt; non verò certum quid docere. Atque hactenus litus Auſonidis ſive Auruncæ terræ explicitum eſt.

VESCIA opidum; VESCINVS ager.

In mediterraneis inter Maſſicum montem, qui nunc vulgò dicitur *Monte Dragone*, & Lirim amnem VESCINVS fuit AGER, ab VESCIA urbe ſic adpellatus. Cùm ager tùm urbs Livio maximè memorantur lib. VIIII & X. Sed apud hunc quum lib. VIII Veſtinorum nobiliſſimæ gentis, quam ſuprà lib. II cap. XII expoſui, frequens ſit mentio; libris etiam ſequentibus imperiti grammatici pro Veſcia urbe Veſtinam, pro Veſcino agro atque ſaltu ſuppoſuêre Veſtinum, quod tamen jam dudum alii quoque monuerunt viri docti. Verùm non in unius tantùm Livii exemplaribus ea labes ſeſe continuit: ſed alii etiam auctores eius contagione correpti fuerunt. Apud Stephani epitomatorem hæc leguntur: Βεσκία, πόλις Αὐσόνων. τὸ ἐθνικὸν Βεσκιάτης, ὡς Ἀντιάτης· καὶ Βεσκιανὸς, ὡς Ἀδριανός. Id eſt: *Veſcia, urbs Auſonum. gentilitium inde Veſciates, ut Antiates; & Veſcianus, ut Hadrianus*. Ita ſcriptum ab ipſo fuiſſe Stephano opidi vocabulum, ordo literarum teſtatur. At Romanis à *Veſciâ* potuêre opidani dici Veſcini, ut à Feſcennia, Saturniâ, Pollentiâ, Potentiâ, Numeria, Aricia, Setia, Signia; Feſcennini, Saturnini, Pollentini, Potentini, Nucerini, Aricini, Setini, Segnini; & id genus innumera alia. Ab Livio igitur in lib. VIIII ita ſcriptum fuit; *Conſules ab Sorâ profecti, in agros atque urbeis Auſonum bellum intulerunt. mota namque omnia adventu Samnitium, quum apud Lautulas dimicatum eſt, fuerant; conjurationesque circa Campaniam factæ. nec Capua ipſa crimine caruit. Cæterùm Auſonum gens, proditione urbium, ſicut Sora, in poteſtatem venit. Auſona & Minturnæ & Veſcia urbes erant*. Paullo pôſt: *His auctoribus mota propiùs caſtra: miſſique eodem tempore circa tria opida milites*. Et mox: *Ita portæ occupatæ: triaque opida eâdem horâ eodemque conſilio capta*. Et lib. X: *In Samnio novi exercitus exorti, ad depopulandos*

pulandos imperii Romani fineis per Veſcinos in Campaniam Falernumque agrum transſcendunt; ingenteisque prædas faciunt. Aliquanto poſt: *Tum de præſidio regionis depopulatæ ab Samnitibus agitari cœptum. Itaque placuit, ut duæ coloniæ circa Veſcinum & Falernum agrum deducerentur: una ad oſtium Liris fluvii; quæ Minturnæ adpellatæ: altera in ſaltu Veſcino, Falernum contingente agrum; ubi Sinôpe dicitur Græca urbs fuiſſe; Sinueſſa deinde ab colonis Romanis adpellata.* Et ſub finem libri: *A triumpho exercitum in agrum Veſcinum, quia regio ea infeſta ab Samnitibus erat, hibernatum duxit.* Inter mare & extremum Maſſici montis verſùs mare excurſum ſitam fuiſſe hanc *Sinueſſam in ſaltu Veſcino*, ſuprà demonſtratum. hinc *Falernum agrum* ab Maſſico monte ad Vulturnum usque amnem protenſum fuiſſe, infrà in Campaniæ deſcriptione oſtendetur. Quòd autem Livius ait, Samnites è Samnio per Veſcinos in Campanum Falernumque agrum transſcendiſſe, id non de ipſo genuino, ac vero Samnio, cuius fineis poſt Campaniæ deſcriptionem indicabo, intelligendum eſt; ſed de eâ Samnitium ditione, quam tum, diutinum contra Romanos bellum gerentes, ad ſuperiorem usque Liris ripam & opida Caſinum, Soram, & Fregellas protulerant; ut ſuprà cap. VIII in Volſcis perſpectum. *Veſcinus* igitur *ager* montium jugo, quod inter *Molam* opidum & *Minturnarum* ruinas dextram Liris ripam proſequitur & Caſinate agro ac mari infero incluſus fuit. Hinc illud Lucani lib. II; ubi flumina Italiæ recenſet, quæ Apenninus mons fundit.

——— *Delabitur inde*
Vulturnusque celer, nocturnæque editor auræ
Sarnus, & umbroſæ Liris per regna Maricæ,
Veſcinis impulſus aquis.

Strabo lib. V: Ἡ δὲ Σινούεσσα ἐν Οὐεσκίνῳ κόλπῳ ἵδρυται· ἀφ' οὗ καὶ τοὔνομα. Id eſt: *Sinueſſa in Veſcino ſinu ſita eſt. unde & nomen ei quæſitum.* Heic quoque in vulgatis hactenus, Strabonis exemplaribus corrupta vox eſt Σητίνῳ κόλπῳ, in Satino *ſinu*. Livius prædicto lib. X: *Samnites prædatum in agrum Veſcinum Formianumque deſcendêre.* At in eo maximè ab Strabone erratum arbitror, quod eodem libro exiguo antè tradit his verbis: Φορμιῶν δ' ἀνὰ μέσον εἰσὶ καὶ Σινουέσσης αἱ Μιντοῦρναι· διαῤῥεῖ δ' ὁ Λεῖρις ποταμός· φέρεται δ' ἄνωθεν ἐκ τῶν Ἀπεννίνων ὀρῶν καὶ τῆς Οὐηστίνης παρὰ Φρεγέλλας. ἐκπίπτει δ' εἰς ἄλσος ἱερὸν, τιμώμενον περιττῶς ὑπὸ τῶν ἐν Μιντούρναις, ὑποκείμενον τῇ πόλει. Id eſt: *Inter Formias & Sinueſſam ſunt Minturnæ; quas Liris amnis perfluit; ex Apenninis montibus & Veſtino agro præter Fregellas delapſus; exiensque in ſacrum lucum infra Minturnas ſitum; quem religioſiſſimè colunt Minturnenſes.* Certè neque ex Apennino monte oritur Liris, neque *Veſtini* umquàm attigerunt eum: quum fontes eius ſint in confinio Aequorumque Marſorumque; horum verò latus occidentale inter dictos fonteis & Veſtinos clauſerint olim Sabini. Itaque ſuſpicor, quum accepiſſet Strabo, ab Fregellis per *Veſcinum* agrum delapſum Lirim apud Minturnas in mare effundi; de *Veſtinorum* regione id eum per errorem intellexiſſe; atque ità ex Apennino amnem oriri conjectaſſe. Apud Ciceronem in oratione primâ ad populum contra Rullum de Lege agrariâ ita in vulgatis exemplaribus eſt: *Albanus ager eſt, Setinus, Privernas, Fundanus, Veſtinus, Falernus, Liternus, Cumanus.* Heic jam minùs dubitare licet, quin ſcribendum *Veſcinus*; quum recto ordine omnes iſti agri inter ſeſe jungantur. Apud Plinium quoque lib. XI cap. XLII, quod eſt de optimis caſeorum generibus, ſic ſcriptum eſt: *Proximum Vrbi Veſtinum; eumque è Cæditio campo.* Heic etiam reſcribendum eſſe *Veſcinum*, Pompeius Feſtus fidem facit; apud quem hæc leguntur: *Cæditiæ Tabernæ, in viâ Appiâ, à domini nomine ſunt vocatæ.* Ergo CAEDITIVS CAMPVS fuit in Veſcino agro, circa viam Appiam; & in eo diverſoria publica nomine CAEDITIAE TABERNAE, in ipſâ viâ Appiâ. Cæterùm patet ex ſuprà ſcriptis Livii verbis, propinquas inter ſe fuiſſe treis illas urbeis, Auſonam, Veſciam, atque Minturnas. Idem auctor lib. VIII de pugnâ narrans à Romanis contra Latinos Volſcosque in Campaniâ ſub Veſuvio monte pugnatâ: *Latini ex fugâ ſe Minturnas contulerunt.* Et paullo pòſt, de eâdem fugâ; *Qui Latinorum pugnæ ſuperfuerant, multis itineribus diſſipati, quum ſe in unum conglobaſſent, Veſcia urbs eis receptaculum fuit.* An igitur citra Minturnas fuit *Veſcia*, ab dextrâ Liris ripâ; ita, uti huc tandem Latini à Minturnis ſe receperint? Haud facilè quis dixerit. Nec de Auſonâ quidquam conjicere licet.

CAEDITIVS campus. & CAEDITIAE Tabernæ.

Porrò

FVNDI, *municipium & colonia.*

Porrò inter *Formias* ſive *Molam* opidum & *Tarracinam*, ſive inter Formianos Fundanosque monteis erat CAECVBVS AGER, & in ipſo *opidum* FVNDI, juxtà LACVS FVNDANVS. Opidum vulgò hodiè quoque vocatur *Fundi*; & inde lacus *Il Lago di Fondi*. Memoratur illud Ciceroni, Livio, Melæ, Straboni, Silio, Svetonio, Frontino, Ptolemæo, Itinerariis antiquis; quæ ſuprà ad expoſitionem Sinueſſæ produximus. Cicero ad Atticum lib. XIIII epiſt. VI: *Fundis ſum cum Ligure noſtro*. Livius lib. XLI: *Fulvius Flaccus Iovis ædem Piſauri & Fundis faciendum locavit.* Silius lib. VIII:

——— Sinueſſa tepens, fluctuque ſonorum
Vulturnum; quasque evertère ſilentia, Amyclæ;
Fundique; & regnata Lamo Caieta; domusque
Antiphatæ.

Svetonius in Tiberio, cap. V: *Tiberium quidam Fundis natum exiſtimaverunt; ſequuti levem conjecturam, quòd materna eius avia Fundana fuerit.* In Galbâ, cap. IIII: *Ser. Galba imperator natus eſt in villâ colli ſuppoſitâ prope Tarracinam ſiniſtrorſum Fundos petentibus.* Et cap. VIII: *In opido Fundis moranti.* Ptolemæus in enarratione opidum mediterraneorum Latii: Σῶρα, Μιντοῦρναι κολωνία, Φοῦνδοι. *Sora, Minturnæ colonia, Fundi.* Sic Plinius quoque *Fundos* in mediterraneis habuit lib. III cap. V. ſic enim refert litus: *Tarracina opidum; & ubi fuère Amyclæ à ſerpentibus deletæ. dein locus Speluncæ, lacus Fundanus, Caieta portus, opidum Formiæ.* At quia V haud ampliùs millia paſſuum à mari opidum diſſitum eſt, Mela ac Strabo in litore id recenſuerunt. Mela lib. II cap. IIII: *Vulturnum opidum, Sinueſſa, Liris, Minturnæ, Formiæ, Fundi, Tarracina.* Strabo lib. V: Ἔχεται δὲ τοῦ Καιάτου κόλπου τὸ Καίκουβον· τούτου δὲ Φοῦνδοι πόλις, ἐν τῇ ὁδῷ τῇ Ἀππίᾳ κειμένη. Id eſt: *Caietano ſinui conterminum eſt Cæcubum: huic Fundi opidum, in viâ Appiâ ſitum.* At idem opidum Dionyſio Halicarnaſſenſi dictum eſt ſingulari numero *Funda*, ſi Stephano credimus: cui nihil uſitatius, quàm opidorum nominum formationes, quæ ſuo demum ſæculo uſurpatæ fuêre, ex antiquiſſimis citare auctoribus. Breviator igitur eius, Φοῦνδα, inquit, ὡς Νῶλα, πόλις Ἰταλίας. οἱ πολῖται Φουνδανοί· Διονύσιος πεντεκαιδεκάτῳ Ῥωμαϊκῆς ἀρχαιολογίας. Hoc eſt: *Funda, ut Nola, opidum Italiæ. unde opidani Fundani; auctore Dionyſio Romanar. antiquit. lib. XV.* Sed gentilitium vocabulum ſolummodò citaſſe videtur ex Dionyſio Stephanus: non ipſius opidi. Opidani autem etiam omnibus Latinis auctoribus dicti fuêre FVNDANI. Svetonium paullo antè audivimus in Tiberii vitâ. Idem in Caligulâ, cap. XXIII: *Liviam Auguſtam proaviam etiam ignobilitatis quadam ad ſenatum epiſtolâ arguere auſus eſt; quaſi avo decurione Fundano ortam.* Livius lib. XXXVIII: *De Formianis Fundanisque municipibus & Arpinatibus C. Valerius Tappo, tribunus plebis, promulgavit, ut iis ſuffragii latio (nam antè ſine ſuffragio habuerant civitatem) eſſet.* Mox: *Rogatio perlata eſt; ut in Aemilia tribu Formiani & Fundani, in Corneliâ Arpinates, ferrent.* Fuit igitur municipium in primis antiquum. *Colonia* poſtmodùm deducta eſt. Frontinus in libro de Coloniis: *Fundi, opidum muro ductum. ager eius juſſu Auguſti veteranis eſt adſignatus cum culturâ.* Pompeio Feſto connumeratur inter præfecturas; ut ſuprà ad *Formiarum* expoſitionem intelleximus. Cæterùm, qui Plinio præſcripto loco à Fundis, opido proximo, dicitur Fundanus lacus, eum anteà adpellatum fuiſſe Amyclanum, ab adpoſito opido Amyclis, ſuprà in huius explicatione oſtenſum eſt. Apud Tacitum Hiſtoriar. lib. III ſic ſcriptum eſt: *Circa lacum Fundani deſcendentibus, qui Sabinum comitabantur, armatis occurrunt promptiſſimi Vitellianorum. modicum ibi prælium.* Certè, niſi Tacitum ſcripſiſſe contendas, *Circa lacum Fundani agri*: ſcripſit ille, *Circa lacum Fundanum.*

De cætero Strabo in præſcriptis verbis τὸ Καίκουβον quid intellexerit, haud facile ex oratione eius divinatu eſt. Poſterior interpres Latinus ita vertit: *Caietanum ſinum ſubſequitur Cæcubum: inde Fundi, urbs in viâ Appiâ.* At heic minùs exactè vis verbi ἔχεσθαι expreſſa eſt per Latinum verbum *ſubſequi*. rectiùsque prior interpres; *Sinui Caietano contiguum eſt Cæcubum: cui adjacet urbs Fundi, in viâ Appiâ.* Ego verò vocabulum heic interiiſſe, ſcriptumque fuiſſe ab ipſo Strabone, τὸ Καίκουβον πεδίον, vel certè τὸ Καίκουβον χωρίον, audacter adfirmaverim. ſic quidpe anteà tradit: Ἅπασα δ' ἐστὶν ἡ Λατίνη εὐδαίμων καὶ παμφόρος, πλὴν ὀλίγων χωρίων, τῶν κατὰ τὴν παραλίαν, ὅσα ἑλώδη καὶ νοσερά, ὅσα τὰ τῶν Ἀρδεατῶν, καὶ μεταξὺ Ἀντίου καὶ Λαουινίου, μέχρι Πωμεντίνου, καί τινων τῆς Σητίνης χωρίων,

χωρίων, καὶ τὸ περὶ Ταῤῥακίναν καὶ τὸ Κιρκαῖον· ἢ εἴ τινα ὀρεινὰ καὶ πετρώδη· καὶ ταῦτα δ᾽ οὐ πλέως ἀργὰ, οὐδ᾽ ἄχρηστα· ἀλλὰ νομὰς παρέχει δαψιλεῖς, ἢ ὕλην, ἢ καρποὺς τινὰς ἑλείους ἢ πετραίους. τὸ δὲ Καίκουβον, ἑλῶδες ὂν, εὐοινοτάτην ἄμπελον τρέφει, τὴν δενδρῖτιν. Hoc eſt: *Omne Latium felix eſt & omnium rerum ferax; exceptis paucis quibuſdam locis maritimis; quæ paluſtria ſunt atque morboſa: ut, Ardeatinus ager; & quod eſt inter Antium Laviniumque, ad Pometinum usque campum; & Setini agri, & circa Tarracinam Circæumque quædam loca. tum, ſi qua ſunt montoſa atque ſaxoſa. quamquàm ne hæc quidem prorſus ocioſa aut inutilia ſunt: quum vel paſcua copioſa habeant, vel ſilvas; vel fructus paluſtreis aut montanos proferant. Cæcubus verò ager quum paluſtris ſit, vitem tamen arboream alit, cuius vinum præſtantiſſimum.* Sic Plinius lib. XIIII cap. VI: *Antea Cæcubo vino erat generoſitas celeberrima, in paluſtribus populetis, ſinu Amyclano.* Martialis lib. XIII epigram. CXV:

> *Cæcuba Fundanis generoſa coquuntur ahenis:*
> *Vitis & in mediâ nata palude viret.*

Plinius lib. II cap. XCV: *Quædam inſulæ ſemper fluctuant: ſicut in agro Cæcubo, & eodem Reatino, Mutinenſi, Statonienſi; in Vadimonis lacu: & ad Cutilias aquas opaca ſilva; quæ numquàm die ac nocte eodem loco viſitur.* Inſulam heic intelligit in *Fundano* ſive *Amyclano lacu* fluctuantem. Rectè igitur apud Strabonem præſcripto loco legis; Ἔχεται δὲ τοῦ Καιάτου κόλπου τὸ Καίκουβον χωρίον· τούτου δὲ Φοῦνδοι πόλις, ἐν τῇ ὁδῷ τῇ Ἀππίᾳ κειμένη. Id eſt: *Caiatæ ſinui contiguus eſt Cæcubus ager: huic Fundi opidum, in viâ Appiâ ſitum.* Errant quàm vehementiſſimè illi, qui ſibi ex hoc Strabonis loco opidum ſomniant *Cæcubum:* cuius neque Strabo neque alius umquàm meminit auctor. Plinio item miror quid in mentem venerit, quòd *Cæcubum agrum*, ſive *Cæcubas viteis* in *Pomptinas* tranſtulerit *paludes*; quum ſatis longum illud atque excelſum inter utrumque campum intercedat montium jugum. Verba eius lib. XVII cap. IIII hæc ſunt: *Cæcubæ vites in Pomptinis paludibus madent.* Atqui prædicto lib. XIIII cap. VI diſertè cum Strabone ac Martiale Amyclano eas adſerit ſinui. qui ſanè Pomptinas paludes non tetigit. Incuriâ igitur iſthoc quadam ab eo pronunciatum. Quin ipſe poſteà lib. XXIII cap. I ait; *Cæcuba jam non gignuntur.* Quod & ipſum falſum eſſe, arguit compluribus locis Martialis. Verùm multa perperam Plinius, dum compendioſæ orationi nimium ſtudet. Lib. XIIII cap. IIII ſic ſcribit: *Digna opera, quæ in Cæcubis Setiniſque agris proficeret.* Hoc ſatis rectè. namque *Setia* Pomptinis imminebat campis; ut ſuprà cap. VIII oſtenſum: his verò trans Fundanos monteis jungebatur Cæcubus ager. Idem Plinius lib. III cap. V: *Hinc Setini & Cæcubi obtenduntur agri. his junguntur Falerni, Caleni. dein conſurgunt Maſſici, Garrani, Surrentinique montes.* Hoc iterum nimio compendii ſtudio ſatis turbatoriè ac falſò. non enim *Cæcubo agro* jungebatur *Falernus*; quum intercederet, primùm *Formianus*, dein *Veſcinus ager*, ad *Maſſicum* usque *montem:* quem tandem ſequebatur *Falernus ager*. Sed Plinius, nimiâ brevitatis cupidine inductus, primùm *agros* voluit ſimul atque comprehenſim enumerare; dein conſimili modo *monteis*. Horatius Carmin. lib. I odâ XX ita canit:

> *Cæcubum & prælo domitam Caleno*
> *Tu bibes uvam. mea nec Falernæ*
> *Temperant vites, neque Formiani*
> *Pocula colles.*

Certè, niſi id *Formianorum montium* latus intellexerit, quod ab oriente *Cæcubo* imminet *agro*; neſcio, an & ipſe ſatis rectè ac propriè Formianum agrum adpellaverit Cæcubum. Hoc tamen voluiſſe, patere videtur ex Carm. lib. IIII odâ XVI; ubi ſic canit:

> *Quamquàm nec Calabræ mella ferunt apes,*
> *Nec Læſtrygoniâ Bacchus in amphorâ*
> *Langveſcit.*

Formianum heic diſertè indicat *vinum* per *Læſtrygoniam amphoram*, id eſt, *Formianam*; quia, ut ſuprà oſtenſum, Formiæ Læſtrygonum dicebantur ſedes. Cæterùm laudatur idem Cæcubum vinum Dioſcoridi quoque & Columellæ. quorum hic Ruſticar. rer. lib. III cap. VIII: *Neque dubium eſt, Maſſici, Surrentinique & Albani atque Cæcubi agri vites omnium, quas terra ſuſtinet, in nobilitate vini principeis eſſe.* Dioſcorides lib. V cap. X: Ὁ δὲ Καίκουβος οἶνος, γλυκὺς ὢν, ἁδρομερέστερός ἐστι τοῦ Ἀλβανοῦ. Id eſt: *Cæcubum vinum & dulce eſt & Albano craſſius.* Et cap. XI: Διαφέρουσι δὲ τούτων οἱ Ἰταλικοὶ οἶνοι· ὡς Φάλερνος, Συῤῥεντῖνος, καὶ Καίκουβος, ὅ τε Σιγνῖνος καὶ ἄλλοι πολλοί. Id eſt:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Id eſt: *Inter hæc præſtant Italica vina; Falernum, Surrentinum, Cæcubum, Signium, & complura alia.* In vulgatis equidem exemplaribus, ut reliqua iſta vocabula, ſic Καίκουβος etiam vitioſum legitur Κέκουβος, utroque capite. at longam debêre eſſe hanc ſyllabam, ex Latinorum poëtarum metris patet. Præter jam ſcripta Horatii Martialisque loca, ſic prætereà canit Martialis lib. II epigr. XL:

Cæcuba ſiccentur, quæque annus coxit Opimî:
Condantur parco fuſca Falerna vitro:

Et lib. XII epigr. XVII:

Ebria Satino fit ſæpè, & ſæpè Falerno.
Non niſi poſt niveam Cæcuba potat aquam.

Sed omnia iſta præſtantiora Italiæ vina uno nomine adpellata quondam fuiſſe Opimiana, oſtendit Plinius lib. XIIII cap. XIIII: *Apothecas*, inquit, *fuiſſe, & diffundi ſolita vita anno IↃCXXXIII Vrbis, adparet indubitato Opimiani vini argumento; jam intelligente ſuum bonum Italiâ. Nondum tamen iſta genera in claritate erant. itaque omnia tunc genita unum habent conſulis nomen.* Martialis lib. I epigr. XXVII:

Non hæc Pelignis agitur vindemia prælis;
Vva nec in Tuſcis naſcitur iſta jugis:
Teſta ſed antiqui felix ſiccatur Opimî;
Egerit & Nigros Maſſica cella cades.

Interiiſſe tamen Cæcubum vinum circa id tempus, quo Plinius Hiſtoriam ſuam naturalem edidit; id eſt, ſub finem vitæ eius; non ſine ratione atque documento ipſe teſtatur ſuprà dicto lib. XIIII cap. VI: *Anteà Cæcubo*, inquit, *vino erat generoſitas celeberrima, in paluſtribus populetis, ſinu Amyclano. quod jam intercidit; & incuriâ coloni locique auguſtiâ; magis tamen foſsâ Neronis; quam à Baiano lacu Oſtiam usque navigabilem inchoaverat.* Eadem FOSSA NERONIS Statio quoque memorari videtur, Silvar. lib. IIII carm. III; quo novam Domitiani imperatoris viam celebrat. initium carminis tale eſt:

Quis duri ſilicis graveisque ferri
Immani ſonus æquori propinquum
Saxoſæ latus Appiæ replevit?
Certè non Libycæ ſonant catervæ;
Nec dux advena, peierante bello,
Campanos quatit inquietus agros:
Nec frangit vada, montibusque cæſis
Inducit Nero ſordidas paludes.

Et ipſam mox poſt Neronis ſimul & Plinii interitum intercidiſſe hanc foſſam, ex eo conjicio, quod ſub Domitiano *Cæcubæ vites* rurſum excultæ fuêre; teſte ſuprà citato Martiale.

Atque hactenus cuncta veterum *Auſonum* ſive *Auruncorum* loca ad Maſſicum usque montem, quò poſteà fine Novi Latii producti fuêre, nobis explicita ſunt. ab altero montis latere, quamvìs & urbs ipſius gentis cognomine fuerit *Sueſſa Aurunca*, quæ nunc vulgò dicitur *Seſſa*; & ipſum etiam *Falernum agrum*, ad Vulturnum usque amnem, antiquiſſimis temporibus *Aurunci* coluerint, unà cum opido *Calibus*; ut ſuperiori capite intellectum: tamen, quia hæc loca poſtmodùm ſub Campaniæ titulo cenſita fuêre, ad huius deſcriptionem rejicere viſum eſt.

FINIS LIBRI TERTII.

PHILIPPI

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

AE

,

mperio
PANI.
fectam,
atioque
ib. x;

incolas

i Capyn

rinum.
ris ad-
liſſe Ca-
ous ſita
linguâ
ugaſſe,
s; Tu-
et, cui
ſci Ca-
n eum-
amvis
igina-
mpli-
verbis
titibus
, *Sam-*
niteis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3


Id eſt: *I*
complura
βϛ etia
ſyllaban
tialisqu

Et lib. x

Sed om
miana,
ſolita vi
telligent
tunc gen

Interiiſ
natural
teſtatur
berrima
locique
lem inch
var. lib.
carmin

Et ipſa
eo conj
citato I
Atqu
que mo
altero r
quæ nu
que am
ut ſupe
titulo c



PHILIPPI CLVVERII

ITALIAE ANTIQVAE

LIBER QVARTVS.

Quo Campania, Picentini, Samnivm, Hirpini, Frentani, Apvlia, Calabria, Lvcania, & Brvtii deſcribuntur.

* *
*

Capvt primvm.

De Campanorvm *origine ac nomine; deque* Campaniae *finibus ac fertilitate.*

LAtio igitur Novo continuabatur ſub Romanorum imperio ad Lirim amnem Campania; cuius incolæ Campani. Gentem fuiſſe Opicam ſive Oſcam, è *Samnitibus* profectam, jam anteà cap. VIIII oſtenſum eſt. At nominis origo ratioque varia traditur à variis auctoribus. Virgilius Aeneid. lib. X:

Adfuit & Mneſtheus; quem pulſi priſtina Turni
Aggere murorum ſublimem gloria tollit:
Et Capys. hinc nomen Campanæ ducitur urbi.

Et perpetuus Virgilii imitator Silius lib. XI introducit Decium ſic Capuæ incolas adloquentem: ——— *Ille*

Dardanius, cui ſacra pater, cui nomina liquit,
A Iove ducta, Capys, magno cognatus Iulo.

Ad Virgilii locum ita ſcribit Servius: *Iſte quidem hoc dicit; ſicut Ovidius; qui Capyn de Troianis eſſe commemorat:*

Ille dedit Capys repetita vocabula Troiæ.

Cæliusque Troianum Capyn condidiſſe Capuam tradidit: eumque Aeneæ fuiſſe ſobrinum. Alii hunc Capyn filium Capeti volunt eſſe, Tiberini avum; ex quo fluvius Tiberis adpellatus eſt: eumque Capuæ conditorem produnt. Alii, Capyn Samnitem condidiſſe Capuam, confirmant. Sed Capuam vult Livius à locis campeſtribus dictam, in quibus ſita eſt. Conſtat tamen, eam à Tuſcis conditam, de viſo falconis augurio; qui Tuſcâ linguâ capys dicitur: unde eſt Capua denominata. Tuſcos autem omnem penè Italiam ſubjugaſſe, manifeſtum eſt. Alii, à Tuſcis quidem retentam, & priùs Aliternum vocatam; Tuſcos à Samnitibus exactos Capuam vocaſſe, ab hoc, quòd hanc quidam Falco condidiſſet, cui pollices pedum curvi fuerunt; quemadmodùm falcones aves habent; quos viros Tuſci Capuas vocarunt. Varro dicit, propter cæli temperiem & ceſpitis fœcunditatem campum eumdem Capuanum ſive Campanum dictum; quaſi ſinum ſalutis & fructuum. Quamvìs multas ineptas & quaſi per riſum atque jocum conquiſitas vocabulorum originationes apud Varronem exſtare ſciam; tamen haud facilè crediderim, tam ſimpliciter iſta de Campaniæ nomine adfirmaſſe eum; utique, quum ratio nulla verbis inſit. De voce Aliternum, pòſt ſuo loco dicetur. Illa verò, *Tuſcos a Samnitibus exactos Capuam vocaſſe*, corrigenda cenſeo in hunc modum: *Tuſcis exactis, Sam-*

niteis Capuam vocaſſe. ecquid enim illi jam exacti nomen tum demum urbi novum imponerent? aut quid pulſores vocabulum à pulſis impoſitum amplecterentur, perpetuóque ſervarent. Porrò Iſidorus Originum lib. XV cap. I: *Capuam Capys Silvius, rex Albanorum, conſtruxit, adpellatam nomine conditoris. licèt etiam ſint, qui dicant à capacitate eam Capuam dictam; quòd eius terra omnem vitæ fructum capiat. alii, à locis campeſtribus, in quibus ſita eſt. Eſt autem caput urbium Campaniæ; inter treis maximas, Romam Carthaginemque, numerata: ex qua & provincia Italiæ Campania dicta eſt.* Feſtus Pompeius: *Capuam in Campaniâ quidam à Capy adpellatam ferunt; quem à pede introrſus curvato nominarunt antiqui: noſtri Falconem vocant. alii, à planitie regionis.* Antiqua Scholia ad Horatii Ἐπῳδῶν oden XVI: *Capua civitas eſt inter Romam ſita & Beneventum: à qua Campania regio dicta eſt.* Et ad Satyram VIII libri II: *Campania in campis ſita eſt; unde etiam nomen accepit.* Euſtathius in Dionyſium Περιηγητῇ· Οἱ Καμπανοὶ ἀπὸ τῶν ὑποκαθημένων ἐκεῖ κάμπων ὠνομάσθησαν, ἢ ἀπὸ Κάμπου πόλεως. ιβ΄ δὲ τοῖς Καμπανοῖς οὐσῶν πόλεων, ἐν μεσογείῳ ἐστὶν ἡ Καπύη, κεφαλὴ τῷ ὄντι, ὥς φησιν ὁ γεωγράφος, κατὰ τὴν ἐτυμότητα τοῦ ὀνόματος, γλώττῃ Λατίνων· καί τοι τινὲς ἀπὸ Κάπυος τοῦ Τρωὸς αὐτὴν καλεῖσθαι ἠθέλησαν. Id eſt: *Campani à ſubjectis ibi campis dicti ſunt. vel, à Campo urbe. Quum autem XII ſint Campanorum urbes; in medio earum eſt Capua; caput re verâ, ut geographus ait, ex nominis etymo, lingvâ Latinâ. quamquàm nonnulli à Capye Troiano eam vocatam eſſe volunt.* Stephani breviator: Κάμπος, κτίσμα Καμπανοῦ, ἀφ᾽ οὗ ἐκλήθησαν. τὸ θηλυκὸν Καμπανὶς καὶ Καμπανή. Id eſt: *Campus, opus Campani; à quo conditi fuêre. femininum Campanis & Campana.* Geographum intelligit Euſtathius Strabonem: qui lib. V ita tradit: Ἄλλοι δὲ λέγουσιν, οἰκούντων Ὀπικῶν πρότερον καὶ Αὐσόνων, ἐκείνους κατασχεῖν ὕστερον Ὄσκων τι ἔθνος· τούτους δ᾽ ὑπὸ Κυμαίων, ἐκείνους δ᾽ ὑπὸ Τυρρηνῶν ἐκπεσεῖν. δώδεκα δὲ [τούτους] πόλεις ἐγκατοικίσαντας, τὴν οἷον κεφαλὴν ὀνομάσαι Καπύην· διὰ δὲ τὴν τρυφὴν εἰς μαλακίαν τραπομένους, καθάπερ τῆς περὶ τὸν Πάδον χώρας ἐξέστησαν, οὕτω καὶ ταύτης παραχωρῆσαι Σαμνίταις. Hoc eſt: *Alii tradunt, quum ea loca quondam Opici & Auſones tenuiſſent: fuiſſe deinde ab Oſcorum quadam gente occupata. hanc à Cumanis pulſam: hos rurſum ab Tuſcis. hos, quum XII inibi urbeis condidiſſent, quæ earum quaſi caput eſſet, Capuam nuncupaſſe. quum autem per luxuriam ad mollitiem ſeſe transdidiſſent; quemadmodum regione Circumpadanâ pulſi fuerunt, ita Samnitibus etiam Campaniâ ceſſiſſe.* Et eodem libro poſteà: Αἱ μὲν οὖν παράλιοι πόλεις τῶν Καμπανῶν τοιαῦται. Ἐν δὲ τῇ μεσογαίᾳ Καπύη μέν ἐστιν ἡ μητρόπολις, κεφαλὴ τῷ ὄντι κατὰ τὴν ἐτυμότητα τοῦ ὀνόματος. τὰ γὰρ ἄλλα πολίχνια νομίζοιτ᾽ ἂν κατὰ τὴν σύγκρισιν, πλὴν Τεάνου Σιδικίνου. Id eſt: *Maritimæ igitur Campanorum urbes ita ſeſe habent In mediterraneo eſt Capua, gentis caput; re verâ id exſiſtens, quod nomine eius ſignificaretur. quidpe reliquas ſi ei compares, opidula ſunt; excepto Teano Sidicino.* Mela lib. II cap. IIII: *Capua à Tuſcis condita.* Plinius lib. III cap. V: *Capua à campo dicta.* Credo, Græcos poſterioris ævi grammaticos, quum tale quid apud Latinos auctores legiſſent: nec ſcirent, campus quid ſignificaret; conjeciſſe, opidum eo nomine fuiſſe, unde Campani dicti. Nec dubito, quin aliqui Latinorum ſcriptorum tradiderint, à *campo* urbem initio dictam fuiſſe Campuam; poſteà verò depravato vocabulo Capuam. At tempus, quando Samnitium quidam occupaverint Capuam, novumque inde ſibi adſciverint nomen Campanorum, indicat Livius lib. IIII, his verbis: *Creati conſules ſunt, C. Sempronius Atratinus, Q. Fabius Vibulanus. Peregrina res, ſed memoriâ digna, traditur eo anno facta. Vulturnum, Etruſcorum urbem, quæ nunc Capua eſt, ab Samnitibus captam: Capuamque ab duce eorum Capye; vel, quod propiùs verò eſt, à campeſtri agro adpellatam. Cepêre autem; priùs, bello fatigatis Etruſcis, in ſocietatem urbis agrorumique accepti; deinde, feſto die gravatos ſomno epuliſque incolas veteres novi coloni nocturnâ cæde adorti.* Hinc lib. VII: *Campanorum deinde Sueſſulanorumque auditæ legationes. precantibuſque datum, ut præſidium eò in hiberna mitteretur; quo Samnitium excurſiones arcerentur. Iam tum minimè ſalubris militari diſciplinæ Capua, inſtrumento omnium voluptatum delinitos militum animos avertit in memoriâ patriæ. inibanturque conſilia in hibernis, eodem ſcelere adimendæ Campanis Capuæ, per quod illi eam antiquis cultoribus ademiſſent. neque immeritò ſuum ipſorum exemplum in eos verſurum.* Conſulatum geſsêre C. Sempronius Atratinus & Q. Fabius Vibulanus anno urbis CCCXXXII; ante natum Ieſum anno CCCCXXI. Triennio pòſt Cumas quoque occupaſſe Campanos, auctor eſt idem Livius eodem lib. IIII.

Eodem,

Eodem, inquit, *anno à Campanis Cumæ quam Græci tum urbem tenebant capiuntur*. Et poſteà: *Superbè ab Samnitibus qui Capuam habebant Cumasque, legati prohibiti commercio ſunt*. Verùm Græci auctores occupationem *Capuæ* aliquot luſtris ante Livii annum ponunt: Diodorus lib. XII: Ἐπ' ἄρχοντος Ἀθήνῃσι Θεοδώρου, Ῥωμαῖοι μὲν ὑπάτους κατέστησαν Μάρκον Γενούκιον καὶ Ἀγρίππαν Κούρτιον Χίλωνα. ἐπὶ δὲ τούτων κατὰ μὲν τὴν Ἰταλίαν τὸ ἔθνος τῶν Καμπανῶν συνέστη, καὶ ταύτης ἔτυχε τῆς προσηγορίας ἀπὸ τῆς ἀρετῆς τοῦ πλησίον κειμένου πεδίου. Id eſt: *Quum Athenis ſummum gereret magiſtratum Theodorus, & Romani conſules feciſſent M. Genucium & Agrippam Curtium Chilonem, in Italiâ gens Campanorum exorta eſt: id nominis ſortita à fertilitate camporum circumjacentium*. Theodorus iſte ſecundùm ipſius Diodori computationem, ſummum Athenis magiſtratum geſſit Olympiadis LXXXV anno III. Hinc etiam ἀνώνυμος Olympiadum ſcriptor: Ὀλυμπιάδος πε' ἔτει γ' κατὰ τὴν Ἰταλίαν τὸ ἔθνος τὸ Καμπανῶν συνέστη. Id eſt: *Olympiadis* LXXXV *anno* III *in Italiâ Campanorum gens conſtituta eſt*. Sed conſules tum Romæ fuère Proculus Geganius Macerinus & L. Menenius Lanacus; anno Vrbis CCCXV. quos anteceſſerunt annis V M. Genutius Augurinus & C. Curtius Philo. ſic ſcilicet ubique Diodorus Olympiadum annis ſummisque Athenienſium magiſtratibus perperam adplicat conſules Romanos. Euſebius in Chronicor. lib. II anno poſteriùs quàm Diodorus, originem Campanorum gentis poſuit; in Olympiadis LXXXV annum IIII, & conſulatum T. Quintii Barbati & Agrippæ Menenii Lanati. Ἐν Ἰταλίᾳ, inquit, Καμπανῶν ἔθνος συνέστη. *In Italiâ gens Campanorum conſtituta*. Apud Stephani epitomatorem hæc leguntur: Ἔντελλα, πόλις Σικελίας· Ἔφορος ις'. ἦσαν δ' οἱ οἰκοῦντες Καμπανοὶ τὸ γένος, σύμμαχοι Καρχηδονίων. Id eſt: *Entella, opidum Siciliæ: auctore Ephoro lib.* XVI: *Erant autem eius incolæ natione Campani, Carthaginenſium ſocii*. Horum Campanorum frequens eſt mentio apud Diodorum lib. XIII, XIIII & XVI. Lib. XIII, in rebus anni tertii Olympiadis XCII, ſummum Athenis gerente magiſtratum Glaucippo, id eſt, annis XXVIII pòſt, quàm ipſe exortam Campanorum gentem tradit, ita ſcribit: Μετὰ δὲ τὴν ἐπάνοδον τῶν πρεσβευτῶν Καρχηδόνιοι μὲν τοῖς Αἰγεσταίοις ἀπέστειλαν Λίβυας τε πεντακισχιλίους καὶ τῶν Καμπανῶν ὀκτακοσίους. οὗτοι δ' ἦσαν ὑπὸ τῶν Χαλκιδέων τοῖς Ἀθηναίοις εἰς τὸν πρὸς Συρακουσίους πόλεμον μεμισθωμένοι· καὶ μετὰ τὴν ἧτταν καταπεπλευκότες, οὐκ εἶχον τοὺς μισθοδοτήσοντας. οἱ δὲ Καρχηδόνιοι πᾶσιν ἵππους ἀγοράσαντες, καὶ μισθοὺς ἀξιολόγους δόντες, εἰς τὴν Αἴγεσταν κατέστησαν. Hoc eſt: *Poſt legatorum reditum, Aegeſtanis* V *millia Afrorum mittunt Carthaginienſes, & Campanorum* IↃCCC. *Hos Chalcidenſes ad belli contra Syracuſanos operam ſtipendiis ſuis conduxerant Athenienſibus. at poſt cladem illis inflictam navibus avecti, ſub quo ſtipendia facerent, non habebant. quibus omnibus equos Carthaginienſes emerunt; & ſtipendiis non vulgaribus in capita numeratis, præſidium hoc Aegeſtæ collocarunt*. Militarunt poſthinc variis expeditionibus in eâdem Siciliâ: ac tandem etiam Dionyſio, Syracuſanorum tyranno, contra ipſos Syracuſanos; ut auctor eſt idem Diodorus lib. XIIII. Eo bello finito, τοὺς Καμπανοὺς, ut inquit Diodorus, ταῖς καθηκούσαις δωρεαῖς τιμήσας ὁ Διονύσιος, ἐξαπέστειλεν ἐκ τῆς πόλεως, ὑφορώμενος αὐτῶν τὴν ἀβεβαιότητα, οἱ προσελθόντες εἰς Ἔντελλαν, καὶ πείσαντες τοὺς ἐν τῇ πόλει λαβεῖν ἑαυτοὺς συνοίκους, νυκτὸς ἐπιθέμενοι, τοὺς μὲν ἡβῶντας ἀπέσφαξαν, τὰς δὲ γυναῖκας τῶν παρασπονδηθέντων γήμαντες, κατέσχον τὴν πόλιν. Hoc eſt: *Campanos Dionyſius, honeſtis ornatos muneribus, ab ſe dimiſit: quòd mutabili eorum ingenio fidendum non exiſtimaret. Hi tum Entellam profecti, perſvaſis civibus, ut inquilinorum jus ſibi concederent; noctu per inſidias oppreſſos, quotquot pueritiæ annos exceſſerant, contrucidarunt: uxoribusque illorum in matrimonium ductis, urbis poſſeſſionem ſibi uſurparant*. Factum hoc Olympiadis XCIIII anno II. Ergo ſcelus iſtud Campanis fuit uſitatiſſimum. ſic quidpe anteà occupaverant ſuprà dictam *Capuam*; ſic poſt Entellam in Italiâ iterum *Rhegium*, freto Siculo adpoſitam urbem: auctore Strabone lib. VI & Livii breviatore lib. XII & XV: ſic mox in ipsâ Siciliâ rurſus *Meſſanam*; ut Siciliæ lib. I cap. VI oſtendimus. Sed quando *Cumani*, Græca gens *Opicos* ſive *Oſcos* hac regione pepulerint, planè incertum eſt: niſi quòd Strabo lib. V teſtetur, Κύμην πόλιν πασῶν εἶναι πρεσβυτάτην τῶν τε Σικελικῶν καὶ τῶν Ἰταλιωτίδων. id eſt: *Cumas urbem omnium Siculorum Italicarumque eſſe vetuſtiſſimam*: nempe, quas Græci deduxerint colonias. Primam omnium in Siciliam deductam fuiſſe *Naxum*, dicto Siciliæ lib. I cap. II oſtenditur. de qua urbe Euſebius ita Olympiadis XI anno primo: Ἐν Σικελίᾳ Νάξος ἐκτίσθη. *In Siciliâ Naxus condita*. At *Spinam Ravennam*que longè ante Troianum

bellum ad Padi oſtia à Pelaſgis conditas fuiſſe, ſuprà lib. I cap. XVIII & XXVIIII, lib. II cap. I, & item lib. III cap. I, intelleximus. Velleius verò poſt bellum Troianum in Italiâ *Cumas* conditas tradit. Olympiade LXIIII *Tuſcos* irritam in Cumanos feciſſe expeditionem, infrà in Cumarum expoſitione oſtendetur. Verùm jam tum fortaſſe Capuam habuêre.

Fines Campaniæ.

Cæterùm *terminos* CAMPANIA alios habuit aliis temporibus. ab initio enim finiebant eam ab occidente, qua *Aurunci* tenebant *Falernum agrum* & opida in eo *Sueſſam Auruncam* atque Caleis, Vulturnus amnis; ut ſuprà cap. VIIII ac X intellectum. unde illud Livii lib. XXII: *Fabius Caſilinum occupat modicis præſidiis. quæ urbs Vulturno flumine dirempta, Falernum à Campano agro dividit.* At Romani poſtquàm huc arma ſua imperiumque intulerunt, limitem ab hac parte inter Novum Latium & Campaniam conſtituerunt Lirim amnem; ut ſuprà cap. II huius libri III oſtenſum. qua ratione omnis Falernus ager & quidquid inter Lirim & Vulturnum ſitum eſt, Campaniæ titulo acceſſit. Quamquàm & *Sinueſſa* & *Interamna* & *Aquinum Arpinum*que & *Caſinum* atque *Atina*, omnes ultra Lirim ſitæ urbes, in Novo Latio cenſitæ fuêre; ut ſuprà in expoſitione earum perſpectum eſt. Vnde adparet, longè aptiorem futurum fuiſſe terminum inter Latium Novum & Campaniam eum montem, qui orientali ſuo latere habet duo opida Campaniæ *Sueſſam* & *Teanum*. A meridie, ſive ab occaſu Solis hiberni, ſemper clauſit Campaniam mare Inferum ſive Tuſcum. Ab ortu Solis hiberni qui ab initio fuerit finis, minùs compertum habeo. quidpe Romani poſtmodùm *Picentibus* ad ſuperum mare devictis, partem eorum, *Picentinos* dictam huc ad inferum mare transductam inter *Surrentinum* promontorium & *Silarum* amnem locaverunt; ut infrà oſtendetur. is autem ager Campanorum ad id tempus fuerit, an finitimorum Lucanorum, planè incertum eſt. Cæterùm à Picentinis ſeparabatur Campania veluti lineâ per mediam peninſulam, in quam Surrentinum promontorium excurrit, ab ipſo promontorio ad Sarni amnis fonteis ductâ. Iuxta huius lineæ ſeptemtrionale latus opida, quibus vulgaria nunc vocabula, *Sorrento*, *Vico*, *Littore*, *Nocera*, fuiſſe in Campaniâ, infrà patebit. Plinius lib. III cap. V: *A Surrento ad Silarum amnem* XXX *millia paſſuum ager Picentinus fuit.* Inde ab ortu æquinoctiali jungebantur Hirpinis juxta lineam ab Sarni fontibus ad monteis ſuper Avellam Campaniæ opidum ductam. inde Tifatis monte, qui vicis Arienzo & Mataloni opido Caſertæ & Capuæ imminet, mox amne Vulturno, ad fonteis usque & Apenninum montem, à Samnitibus diſtingvebantur. Vltra hunc limitem opida, Teleſiam, Allifas, Aeſerniam ad Samnium pertinuiſſe, infrà in huius deſcriptione patebit. Illa verò, quæ intra Vulturnum & Volſcorum urbeis Atinam Caſinumque ſita ſunt opida, ad Campaniam ſpectaſſe, Strabo ac Ptolemæus diſertè teſtantur. quorum ille lib. V: Πρὸς δὲ ταῖς ῥηθείσαις ἔτι καὶ αὗται Καμπαναὶ πόλεις εἰσὶ Καλής τε καὶ Τέανον Σιδικῖνον. Id eſt: *Præter jam dictas, hæ quoque Campanæ ſunt urbes, Cales & Teanum.* Ptolemæus: Καμπανῶν μεσόγειοι πόλεις, Οὐέναφρον, Τέανον, Σύεσσα, Καλής, Κασιλῖνον. Id eſt: *Campanorum urbes mediterraneæ ſunt Venafrum, Teanum, Sueſſa, Cales, Caſilinum.* Et longè Ptolemæo Straboneque antiquior auctor Polybius quoque lib. III *Teanum* opidum adſcribit Campaniæ; ut ſuperiori capite ad *Sinueſſæ* expoſitionem vidimus.

Fertilitas Campaniæ.

His igitur finibus incluſa fuit ſub Romanorum imperio *Campania*. cuius mirandam fertilitatem amœnitatemque præ omnibus aliis Orbis terrarum, nedum Italiæ, agris prædicarunt auctores antiqui. Strabo lib. V: Ὑπὲρ δὲ τούτων τῶν ἠϊόνων Καμπανία πᾶσα ἵδρυται, πεδίον εὐδαιμονέστατον τῶν ἁπάντων. Hoc eſt: *Super hoc litus omnis ſita eſt Campania; ager omnium feliciſſimus.* Virgilius Γεωργικῶν lib. II; ubi laudes Italiæ decantat:

Quæ tamen exhalat nebulam fumosque volucreis;
Et bibit humorem, &, quum vult ex ſe ipſa remittit;
Quæque ſuo viridi ſemper ſe gramine veſtit;
Nec ſcabie & ſalsâ lædit rubigine ferrum:
Illa tibi lætis intexet vitibus ulmos;
Illa ferax oleæ eſt; illam experière colendo
Et facilem pecori & patientem vomeris unci.

Talem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Talem dives arat Capua, & vicina Veſevo
Ora jugo, & vacuis Clanius non æquus Acerris.

Polybius lib. III: Τὰ γὰρ πεδία τὰ κατὰ Καπύην ἐπιφανέστατα μέν ἐστι τῶν κατὰ τὴν Ἰταλίαν, καὶ διὰ τὴν ἀρετὴν καὶ διὰ τὸ κάλλος. Id eſt: *Campus circa Capuam omnium totius Italiæ eſt nobiliſſimus, cùm ob fertilitatem, tùm propter pulchritudinem amœnitatemque.* Propertius lib. III eleg. IIII: *Nec mihi mille jugis Campania pingvis aratur.*

Livius lib. VII: *Cur potiùs Campaniæ agrum Italiæ uberrimum, dignam agro urbem, quę nec ſe nec ſua tutari poſſint, quàm victor exercitus haberet; qui ſuo ſudore ac ſangvine inde Samnites depuliſſet? An æquum eſſe, dedititios ſuos illâ fertilitate atque amœnitate perfrui; ſe militando feſſos in peſtilenti atque arido circa Vrbem ſolo luctari?* Columella Ruſticar. rer. lib. III cap. VIII: *Mæſiam Libyamque largis aiunt abundare frumentis. nec tamen Apulos Campanosque agros opimis defici ſegetibus.* Mela lib. II cap. IIII: *Sinus Puteolanus, Surrentum, Herculaneum, Veſuvii montis adſpectus, Pompeii, Neapolis, Puteoli, lacus Lucrinus & Avernus, Baiæ, Miſenum, Cumæ, Liternum, Vulturnus amnis, Vulturnum opidum; amœna Campaniæ litora.* Solinus cap. VIII: *Scyllæa regio, cum Scyllæo opido & Cratæide flumine, Scyllæ matre; ut vetuſtas fabulata eſt: Rhegini ſaltus, Pæſtanæ valles, Sirenum ſaxa: amœniſſimus Campaniæ tractus; Phlegræi campi, Circes domus Terracina, inſula antè, circumflua immenſo mari: nunc, ævo nectente, addita continenti: diverſamque fortunam à Rheginis experta; quos fretum medium à Siculis vi abſcidit.* Hæc verba, ſive ab ipſo Solino erroribus implicita, ſive ab exſcriptoribus poſteà fœdis mendis reſperſa, ſuprà cap. VII in Volſcis docui in hunc modum ſanitati poſſe reſtitui: *Phlegræi campi: Tarracina: Circes domus; inſula antè, circumflua immenſo mari; nunc, ævo nectente, addita continenti.* apud Martianum lib. VI eâdem de re longè ineptior legitur oratio; quæ ſic habet: *Cætera Italiæ memoranda, nec poetæ tacent: ut, Scyllæum opidum cum Cratæide flumine, qui Scyllæ pater fuit; Charybdisque voraginem ac vertiginem tortuoſam; Pæſtana roſaria, ſcopulos Sirenarum. In Campaniæ amœnis antiquitus nemora, Phlegræi. dehinc campi habitatioque Circeia, Terrracina priùs inſula, nunc juncta, Rhegium, quæ ab Siciliâ continenti ſeparata, atque in compenſationem connexæ telluris in inſulam religata.* Hæc quoque ab immanibus mendis ita commodè ad ſanum ſenſum reduci poterunt: *Cætera Italiæ memoranda, nec poëtæ tacent: ut Scyllæum opidum cum Cratæide flumine; quæ Scyllæ mater fuit: Charybdisque voraginem ac vertiginem tortuoſam: Pæſtania roſaria; ſcopulosque Sirenarum. inde Campaniæ amœniſſimus tractus memoratur, Phlegræi campi. dehinc Terracina, habitatioque Circeia; priùs inſula; nunc juncta continenti: ut ab Rhegio quondam Sicilia ſeparata, atque, in compenſationem connexæ telluris, in inſulam religata.* Porrò Strabo lib. VI, de universâ Campania: Διὰ γὰρ τὴν ἀρετὴν περιμάχητόν φασι γενέσθαι τὸ πεδίον. Id eſt: *Agrum eum aiunt ob præſtantiam multis certaminibus fuiſſe expetitum.* Tacitus Hiſtoriar. lib. I: *Fecundiſſima Campaniæ ora vaſtata.* Hiſtoriar. lib. III: *Pulcherrimam Campaniæ oram deſciviſſe.* Et aliquanto pòſt: *Nunc pecuniam & familiam & beatos Campaniæ ſinus præmitti.* Livius prædicto lib. VII anteà, de eâdem Campaniâ & Capuâ urbe: *Quum conſultus ſenatus eſſet; etſi magnæ parti urbs maxima opulentiſſimaque Italiæ, uberrimus ager, marique propinquus, ad varietates annonæ horreum populi Romani fore videbatur; tamen tantâ utilitate fides antiquior fuit.* Cicero Philippicà VIII: *Hic eſt Campanus ager & Leontinus, quæ duo maiores noſtri annonæ perfugia ducebant.* Et in oratione de Lege agrariâ contra Rullum in ſenatu: *Capuam deduci colonos volunt. illam urbem huic urbi rurſus opponere, illuc opes ſuas deferre & imperii nomen transferre cogitant. qui locus propter ubertatem agrorum, abundantiamque rerum omnium, ſuperbiam & crudelitatem genuiſſe dicitur.* Et de eâdem lege ad populum oratione I: *At enim ager Campanus hac lege dividetur, Orbis terræ pulcherrimus: & Capuam colonia deducetur, urbem ampliſſimam atque ornatiſſimam.* Et poſteà: *Campani ſemper ſuperbi bonitate agrorum & fructuum magnitudine, urbis ſalubritate, deſcriptione, pulcritudine.* Florus lib. I cap. XVI: *Omnium, non modò Italiâ, ſed toto Orbe terrarum pulcherrima Campaniæ plaga eſt. Nihil mollius cœlo. denique bis floribus vernat. Nihil uberius ſolo. ideò Liberi Cererisque certamen dicitur. Nihil hoſpitalius mari. Heic illi nobiles portus, Caieta, Miſenus, & tepentes fontibus Baiæ: Lucrinus & Avernus, quædam maris ocia. Heic amicti vitibus montes, Gaurus, Falernus, Maſſicus, & pulcherrimus omnium Veſuvius.* Martialis lib. XIII epigram. CXVIII:

Tarraco, Campano tantùm ceſſura Lyæo,
Hæc genuit Tuſcis æmula vina cadis.

Iſidorus Origin. lib. XIIII cap. IIII: *Campania habet terras hieme atque æſtate vernantes. Sol ibi mitis; temperies grata; aër purus & blandus.* Plinius lib. III cap. V: *Opidum Sinueſſa, extremum in adjecto Latio. Hinc felix illa Campania eſt. Ab hoc ſinu incipiunt vitiferi colles & temulentia nobilis, ſucco per omneis terras inclyto; atque, ut veteres dixêre, ſummum Liberi patris cum Cerere certamen. hinc Setini & Cæcubi obtenduntur agri. his junguntur Falerni, Caleni. dein conſurgunt Maſſici, Gaurani, Surrentinique montes, ibi Laborini campi ſternuntur; & in delicias alicæ politur meſſis. hæc litora fontibus calidis rigantur: præterque cætera in toto mari conchylio & piſce nobilitantur. nusquàm generoſior oleæ liquor.* Hinc illud Arabis apud Plutarchum in Craſſo, milites Romanos ridentis: Ὑμεῖς δὲ διὰ Καμπανίας ὁδεύειν οἴεσθε, κρήνας καὶ νάματα καὶ σκιὰς καὶ λουτρὰ δηλαδὴ καὶ πανδοκεῖα ποθοῦντες; οὐ μέμνησθε δὲ, τὴν Ἀράβων διεξιόντες καὶ Ἀσσυρίων μεθορίαν; Hoc eſt: *Ecquid vos per Campaniam iter facere putatis? fonteis, rivos, umbras, balnea ſcilicet, & diverſoria quæritis? Non meminiſtis, Arabum & Aſſyriorum vos peragrare confinia?* Strabo ſuprà dicto lib. V exiguo pòſt: Τῆς δ᾽ εὐκαρπίας ἐστὶ σημεῖον, τὸ σῖτον ἐνταῦθα γίνεσθαι τὸν κάλλιστον· λέγω δὲ τὸν πύρινον· ἐξ οὗ καὶ ὁ χόνδρος, κρείττων ὢν πάσης καὶ ὀρύζης καὶ ἐν ὀλίγῳ σιτικῆς τροφῆς· Ἱστορεῖται δὲ ἔνια τῶν πεδίων σπείρεσθαι δι᾽ ἔτους δὶς μὲν τῇ ζειᾷ, τὸ δὲ τρίτον ἐλύμῳ· τινὰ δὲ καὶ λαχανεύεσθαι τῷ τετάρτῳ σπόρῳ. καὶ μὲν τὸν οἶνον τὸν κράτιστον ἐντεῦθεν ἔχουσι Ῥωμαῖοι, τὸν Φάλερνον καὶ τὸν Στατανὸν καὶ Καλῆνόν· ἤδη δὲ καὶ ὁ Συρρεντῖνος ἐνάμιλλος καθίσταται τούτοις, νεωστὶ πειραθεὶς, ὅτι παλαίωσιν δέχεται. ὡς δ᾽ αὔτως εὐέλαιός ἐστι καὶ πᾶσα ἡ περὶ τὸ Οὐέναφρον, ὅμορον τοῖς πεδίοις ὄν. Id eſt: *Fertilitatis indicium eſt, quòd frumentum ibi naſcitur præſtantiſſimum: triticum, inquam; ex quo alica fit omni præſtantior oryzâ, omnique ferè alio frumentario alimento. Traditum monimentis eſt quædam agrorum toto anno conſeri: bis zeâ; tertiùm panico. quædam etiam quarto ſatu olera producere. Quin & vinum hinc optimum habent Romani; Falernum, Statanum, Calenum. quibus Surrentinum quoque hodiè non cedit. quod ætatem ferre, nuper exploratum eſt. Nec minùs olei ferax eſt totus Venafranus tractus, prædictis campis contiguus.* Dionyſius Halicarnaſſenſis lib. I; ubi univerſæ Italiæ felicitatem cunctis aliis Orbis regionibus præfert: Ποίας μὲν γὰρ λείπεται σιτοφόρου, μὴ ποταμοῖς, ἀλλὰ τοῖς οὐρανίοις ὕδασιν ἀρδόμενα τὰ καλούμενα Καμπανῶν πεδία; ἐν οἷς ἐγὼ καὶ τρικάρπους ἐθεασάμην ἀρούρας, θερινὸν ἐπὶ χειμερινῷ, καὶ μετοπωρινὸν ἐπὶ θερινῷ σπόρον ἐκτρεφούσας. ποίας δ᾽ οἰνοφύτου Τυρρηνία καὶ Ἀλβανὴ καὶ Φαλερίνων χώρα θαυμαστῶς ὡς φιλάμπελα καὶ δι᾽ ἐλαχίστου πόνου πλείστους ἅμα καὶ κρατίστους καρποὺς ἐξενεγκεῖν εὔπορα; Id eſt: *Cui enim frumentiferæ regioni cedunt agri Campani, non fluviis, ſed aquis rigati cæleſtibus? in quibus ego campis vidi arva vel trifera; æſtivam poſt hibernam, & autumnalem poſt æſtivam ſementem nutrientia. Cui verò vitiferæ Etruria & Albanus ager, campusque Falernus, mirum in modum amicus vitibus, & modico labori uberrimos reddens fructus atque optimos.* Plinius lib. XIII cap. III: *Terrarum omnium Aegyptus accommodatiſſima unguentis: ab eâ Campania eſt, copiâ roſæ.* Hinc igitur Tibullus lib. I eleg. VIIII:

Tu mihi jurabas nullo te divitis auri
Pondere, non gemmis vendere velle fidem:
Non, tibi ſi pretium Campania terra daretur;
Non, tibi ſi, Bacchi cura, Falernus ager.

Sidonius Apollinaris Carm. V: *— Sic Barchæus opimam*
Hannibal ad Capuam periit; quum fortia bello
Inter delicias mollirent corpora Baiæ,
Et, ſe Lucrinas quâ vergit Gaurus in undas,
Bracchia Maſſylus jactaret nigra natator.

Seneca Epiſt. LI: *Vim Hannibalis hiberna ſolverunt: & indomitum illum nivibus atque Alpibus virum enarvaverunt fomenta Campaniæ. armis vicit; vitiis victus eſt.* Et de Tranquillitate animi cap. II: *Quod proprium ægri eſt; nihil diu pati; & mutationibus, ut remediis uti. Inde peregrinationes ſuſcipiuntur vagæ, & litora pererrantur: & modò mari ſe modò terrâ experitur ſemper præſentibus infeſta levitas. Nunc Campaniam petamus. Iam delicata faſtidio ſunt: inculta videantur. Bruttios & Lucanos ſaltus perſequamur.* Atque hactenus elogia fertilitatis agri Campani ex veterum monimentis produximus. Cæterùm apud Plinium lib. III cap. V, ut ſuprà citavimus, hæc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

hæc leguntur verba; *Opidum Sinueſſa; extremum in adjecto Latio. hinc felix illa Campania eſt.* Ex his error, neſcio quo primo auctore, etiam doctiſſimis quibusdam irrepſit viris, exiſtimantibus, vocem iſtam *felix* pro cognomento regionis adjeciſſe Plinium: quum merum id ſit ἐπίθετον, quo ubertatem ſoli præ cæteris Italiæ regionibus & ipſe, ut alii auctores, prædicare voluit. quod ipſum ſequens vox *illa* ſatis diſertè indicat. Sic Tacitus ſuprà dicto Hiſtoriar. lib. III: *Nunc pecuniam & familiam & beatos Campaniæ ſinus promitti.* Sic ipſe Plinius eodem cap. V anteà; ubi tôtius Italiæ præſtantiam celebrat: *Sed quid agam? tanta nobilitas omnium locorum, quos quis attigerit, tanta rerum ſingularum populorumque claritas tenet. Vrbs Roma vel ſola in eâ, & digna tam vaſtâ cervice facies, quo tandem narrari debet operę? qualiter Campaniæ ora per ſe, felixque illa ac beata amœnitas? ut palàm ſit, uno in loco gaudentis opus eſſe naturæ.* Apud reliquos certè auctores, Græcos pariter atque Latinos, quum frequens Campaniæ, ut regionis celeberrimæ, fiat mentio, nusquàm tale quoddam eius reperitur cognomentum. Apud Philoſtratum in Apollonii vitâ lib. VII cap. IIII ſic ſcriptum: Ἀφίκετο [ὁ Ἀπολλώνιος] ἐς Δικαιάρχειαν· Δημητρίῳ δὲ ἐντυχὼν, Εἴληφά σε, εἶπε, τρυφῶντα, καὶ τῆς εὐδαίμονος Ἰταλίας, εἰ δὴ εὐδαίμων, τὸ μακαριώτατον οἰκοῦντα, ἐν ᾧ λέγεται καὶ Ὀδυσσεὺς Καλυψοῖ ξυνὼν, ἐκλαθέσθαι καπνοῦ Ἰθακησίου καὶ οἴκου. Id eſt: *Puteolos pervênit Apollonius. ubi in Demetrium incidens; Ego tę, inquit, deliciis indulgentem deprehendi, in Italiæ felicis (ſi modò felix eſt) orâ beatiſſimâ degentem: ubi quondam Vlyſſem etiam ferunt, cum Calypſone verſatum, fumi Ithacenſis ac domus oblitum eſſę.* Ergo ex hoc auctore & ipſi Italiæ univerſæ cognomentum tribuendum erit *Felicis*? Haud opinor. nec quisquam negaverit, eſſe heic tantùm ἐπίθετον. Error iſte de Campaniâ haud dubiè inde primùm ortus eſt, quòd in Aſiâ *Arabia* dicebatur cognomine Εὐδαίμων Græcis, Latinis *Felix*. At verò notandum heic erat, id cognominis regioni iſti impoſitum fuiſſe ad diſcrimen Arabiæ Deſertæ, & item Arabiæ Petrææ. quæ ratio in Italiæ Campaniâ nulla eſſe poterat, quidpe quæ una, ſola, ſimplex, in plureis parteis atque cognomina minimè diſtincta, apud auctores reperitur.

CAP. II.

De locis fluminibusque CAMPANIAE *maritimis inter* SINVESSAM *opidum &* NEAPOLIM *urbem.*

FInibus Campaniæ indicatis, ſingula nunc eius loca, quæ veterum celebrantur monumentis, explicentur. ac primùm ora maritima. Strabo lib. V: Πόλεις δ' ἐπὶ τῇ θαλάττῃ μετὰ τὴν Σινόεσσαν, Λίτερνον. παραρρεῖ δ' ὁμώνυμος τῇ πόλει ποταμός· ὡς δ' αὔτως καὶ Οὐόλτουρνος ὁμώνυμός ἐστι τῇ παρ' αὐτὸν πόλει, ἐφεξῆς κειμένῃ. ταύτης δ' ἐφεξῆς ἐστι Κύμη. Id eſt: *Opida in litore ſunt poſt Sinueſſam, Liternum; quod amnis adluit eiusdem nominis. ſimiliter & Vulturnus idem nomen habet cum opido, quod deinde ſequitur. poſt hæc eſt Cuma.* Ptolemæus: Σινόεσσα, Οὐόλτουρνον, Κῦμαι, Λείτερνον. id eſt: *Sinueſſa Vulturnum, Cumæ, Liternum,* Plinius lib. III: cap. V: *Opidum Sinueſſa; extremum in adjecto Latio. hinc felix illa Campania eſt. In orâ, Savo fluvius; Vulturnum opidum cum amne; Liternum, Cumæ.* Et adverſo itinere incedens Mela lib. II cap. IIII: *Cumæ, Liternum, Vulturnus amnis, Vulturnum opidum, Sinueſſa.* Itineraria antiqua:

Tabulæ:		Antonini:	
Sinueſſa		*Sinueſſa*	
Saſo fl.	VII.		
Vulturno	XII.		
Literno	XII.	*Literno*	XXIIII.
Cumas	VI.	*Cumis*	VI.

Ex his VVLTVRNVS *amnis* nomen antiquum hodiéque ſervat; vulgò adcolis *Volturno* & *Voltorno* dictus; fluviorum Campaniæ maximus. Memoratur præter VVLTVRNVS *amnis* ALTVRNVS *dictus*.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

jam dictos auctores, Varroni, Ovidio, Livio, Dionyſio, Silio, Lucano, Statio, Plutarcho, Frontino, Claudiano. Ovidius Μεταμορφώσεων lib. xv:

Hinc calidi fontes lentiſciferumque tenetur
Liternum, multamque trahens ſub gurgite arenam.
Vulturnus.

Silius lib. VIII: ——— *Sinueſſa tepens, fluctuque ſonorum*
Vulturnum.

Lucanus lib. II: ——— *Delabitur inde*
Vulturnusque celer, nocturnæque editor auræ
Sarnus, & umbroſæ Liris per regna Maricæ.

Claudianus, in Panegyrico de Probi & Olybrii conſulatu:
Vulturnusque rapax.

Apud Varronem de Latinâ lingvâ lib. IIII per *o* ſcriptum eſt *Volturnus*; ut Græcis Οὐόλτουρνος. Verba eius hæc ſunt: *Tiberis ut caput extra Latium, ſic inde nomen quoque effluxit in lingvam noſtram, nihil Latinum. ut quod oritur in Samnio, Volturnus, nihil ad Latinam lingvam. at, quod proximum opidum ab eo, ſecundùm mare, Volturnum, ad nos jam Latinum vocabulum, ut Tiberis, vênit. nam & colonia noſtra Volturnum, & deus Tiberinus.* Dionyſius Halicarnaſſenſis lib. VII, de caſtris Etruſcorum Vmbrorumque & Dauniorum, qui conjunctis copiis Cumas obſidebant: οἱ δὲ παρὰ τὰ στρατόπεδα ῥέοντες αὐτῶν ποταμοὶ Οὐόλτουρνος καὶ Γλάνις. Id eſt: *Caſtra eorum præfluebant amnes Vulturnus & Glanis.* Apud Plutarchum, in vitâ Fabii Maximi ita ſcriptum: Καμπανίας πόλις Κασιλῖνον, ἣν τέμνει διὰ μέσης ῥέων ὁ Λόθρονος ποταμὸς, ὃν Οὐατουρανὸν οἱ Ῥωμαῖοι καλοῦσιν. Id eſt: *Campaniæ opidum Caſilinum; quod interfluit Lothronus amnis; quem Romani Vaturanum vocant.* Mendum eſſe in vocabulo Οὐατουρανὸν, pro quo ſcribendum Οὐόλτουρνον, *Vulturnum*, etiam ante me interpres auctoris facilè advertere potuit. ſic quidpe Livius lib. XXII: *Fabius Caſilinum occupat modicis præſidiis, quæ urbs, Vulturno flumine dirempta, Falernum à Campano agro dividit.* At alterum illud amnis vocabulum ὁ Λόθρονος, quia non intellexit, planè omiſit prædictus interpres, qua re inſignis facta eſt diligentiæ Plutarchi injuria, nativum amnis vocabulum, quod ipſi uſurparunt adcolæ Campani, notum facere cupientis. Sed hoc etiam, ut illud, exſcriptorum incuriâ imperitiâque vitiatum eſſe vereor. Servius in Virgilii Aeneid. lib. X ita commentatur: *Conſtat, Capuam à Tuſcis conditam de viſo falconis augurio; qui Tuſcâ lingvâ capys dicitur. Alii, à Tuſcis quidem retentam, & priùs Aliternum vocatam.* Alia exemplaria heic habent *Alternum*. Livius lib. IIII: *Peregrina res, ſed memoriâ digna, traditur eo anno facta. Vulturnum, Etruſcorum urbem, quæ nunc Capua eſt, ab Samnitibus captam.* Apud Polybium lib. III, poſt ſummam Campaniæ deſcriptionem, ita de Hannibale è Samnio in Campaniam ingreſſo, ſcriptum eſt: Κατεστρατοπέδευσε παρὰ τὸν Ἄθυρνον ποταμὸν, ὃς σχεδὸν δίχα διαιρεῖ τὰ προειρημένα πεδία. Id eſt: *Caſtra poſuit apud Athurnum amnem, qui medios ferè ſecat prædictos campos.* Ex tribus iſtis Plutarchi ac Servii Polybiique vocabulis, inter ſe conlatis, genuinum germanumque apud adcolas amnis nomen fuiſſe cenſeo Ἄλθουρνος, ALTHVRNVS: quod poſteà Romani fecêre VOLTVRNVS; ac tandem VVLTVRNVS. Apud Plutarchum primò A corruptum fuit in Λ: deinde, quum ΛΘ non rectè conjungerentur, interpoſitum eſt *o*. tum ſequens *υ* etiam vitiatum in *o*. *Caſilinum* etiam *fluvium* fuiſſe poſterioribus temporibus dictum, infrà cap. XV in *Caſilini* opidi expoſitione patebit. Qui autem alii fluvii in eum defluant, antiquis memorati auctoribus, infrà cap. VI & VII in Samnitibus atque Hirpinis docebo. Cæterùm Plinius lib. XXXVI cap. XXVI, quod eſt *de origine vitri & ratione faciendi*, ita ſcribit: *Iam verò & in Vulturno mari Italiæ arena alba naſcens, VI millia paſſuum litore, inter Cumas atque Lucrinum, quæ molliſſima eſt, pilâ molâque teritur.* Mira ſanè ſex millia paſſuum litoris deſignatio inter Cumas atque Lucrinum: quum litus hoc in opidum Cumas & Lucrinum lacum in longum excurrat promontorium, quod Miſenum vocabatur, una cum opido adpoſito: cuius memoratione longè aptiùs prædictum litus VI millium paſſuum deſignaturus erat. Verùm non ille heic indicare voluit litus, quod duobus ſimul ſinubus tangeretur: uno, qui ab orientali Miſeni promontorii latere dicebatur Puteolanus; ut infrà videbimus: altero, in quem Vulturnus effunditur amnis. ſed hunc ſolum intellexit. unde etiam *Vulturnum* vocavit

mare:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

mare: quamvìs adpellatione haud dubiè ab ſe ipſo inventâ, & nulli alii uſurpata: nempe, ut innumera alia, miro compendii artificio; ne opus haberet longiori περιφράσει dicere, in eâ maris Inferi ſive Etruſci parte, in quam effundatur Vulturnus amnis. Quaptopter ſcriptum ab eo exiſtimo, inter Cumas atque Liternum. Et ſex millia paſſuum eo intervallo numerata fuiſſe, ſuprà ex Itinerariis intelleximus. Quòd ſi verò Lucrinum voluiſſet Plinius, additurus ſanè erat vocem *lacum*.

Cæterùm Domitianus imperator quum viam novam, cuius iter ſuprà dicta Itineraria referunt, inter Sinueſſam & Cumas vel Puteolos ſterneret; PONTEM heic magnifici operis, unà cum *arcu triumphali*, ſtruxit in Vulturno amne. Dio lib. LXVII in rebus Domitiani: Ἐν τούτῳ τῷ χρόνῳ ἡ ὁδὸς, ἡ ἀπὸ Σινοέσσης ἐς Πουτιόλους ἄγουσα, λίθοις ἐστορέσθη. Id eſt: *Eodem tempore via, quæ ab Sinueſſâ Puteolos ducit, lapidibus ſtrata fuit*. Statius Silvar. lib. IIII carm. III; quo viam Domitianam concelebrat:

Quis duri ſilicis gravisque ferri
Immanis ſonus æquori propinquum
Saxoſæ latus Aſpiæ replevit?
Qui genti patriæ, futura ſemper
Sancit limina, Flaviumque culmen;
Hic ſcenis populi vias gravanteis.
Et campos iter omne detinenteis,
Longos eximit ambitus; novoque
Injectu ſolidat graveis arenas:
Gaudens Euboicæ domum Sibyllæ
Gauranosque ſinus & æſtuanteis
Septem montibus admovêre Baias.
Heic quondam piger axe vectus uno
Nutabat cruce pendulâ viator:
Rodebatque rotas maligna tellus;
Et plebs in mediis Latina campis
Horrebat mala navigationis.
Nec curſus agiles. ſed impeditum.
Tardabant iter orbitæ tacentes;
Dum pondus nimium quercus ſub altâ
Repit langida quadrupes ſtaterâ.
At nunc, quæ ſolidum diem terebat,
Horarum via facta vix duarum.
Non tenſæ volucrum per aſtra pennæ,
Nec velociùs ibitis carinæ.
Hic primus labor, inchoare ſulcos,
Et reſcindere limites, & alto
Egeſtu penitus cavare terras:
Mox hauſtas aliter replere foſſas,
Et ſummo gremium parare dorſo:
Ne nutent ſola; ne maligna ſedes,
Et preſſis dubium cubile ſaxis.
Tunc, umbonibus hinc & hinc coactis,
Et crebris iter adligare gomphis.
O quantæ pariter manus laborant!
Hi cædunt nemus, exuuntque monteis;
Hi ferro ſcopulos trabeisque cædunt;
Illi ſaxa ligunt; opusque texunt
Cocto pulvere ſordidoque topho:
Hi ſiccant bibulas manu lacunas;
Et longè fluvios agant minores.
Fervent litora nobileſque ſilvæ.
It longus medias fragor per urbeis:
Atque echo ſimul hinc & inde fractam
Gauro Maſſicus avifer remittit.

Miratur

Miratur ſonitum quieta Cyme
Et Liternapalus pigerque Savo.
At, flavum caput humidumque latè
Crinem mollibus impeditus ulmis,
Vulturnus levat ora; maximoque
Pontis Cæſarei reclivis arcu,
Pandis talia faucibus redundat:
Camporum bone conditor meorum;
Qui me vallibus avis refuſum,
Et ripas habitare neſcientem,
Recti legibus alvei ligaſti.
Et nunc ille ego turbidus minaxque,
Vix paſſus dubias prius carinas,
Iam pontem fero; perviusque calcor;
Qui terras rapere & rotare ſilvas
Adſveram; (pudet) amnis eſſe cœpi.
Sed grates ago. ſervitusque tanti eſt;
Quod ſub te duce, te jubente, ceſſi;
Quòd tu maximus arbiter; meæque
Victor perpetuus legêre ripæ.
Et nunc limite me colis beato:
Nec ſordere ſinis: malumque latè
Deterges ſterilis ſoli putorem;
Ne me pulvereum, gravemque cœno,
Tyrrheni ſinus obruat profundi:
Qualis Cinyphius tacente ripâ,
Pœnus Bagrada ſerpit inter agros.
Sed talis ferar, ut nitente curſu
Tranquillum mare proximumque poſſim
Puro gurgite provocare Lirim.
Hæc amnis. pariterque ſe levâret
Ingenti plaga marmorata dorſo.
Huius janua proſperumque limen,
Arcus, belligeri ducis trophæis
Et totis Ligurum nitens metalli;
Quantus nubila qui coronat imbri.
Illic flectitur excitus viator,
Illic Appia ſe dolet relinqui
Tunc velocior acriorque curſus,
Tunc ipſos juvat impetus jugaleis.
Ceu feſſis ubi remigum lacertis
Primâ carbaſa ventilantur aurâ.
Ergo omnes, age, quæ ſub axe primo
Romani colitis fidem parentis,
Prono limite commeate gentes:
Eoæ citiùs venite laurus.
Nil obſtat cupidis; nihil moratur.
Qui primo Tiberim reliquit ortu,
Primo veſpere navigat Lucrinum.
Sed quam fine recentis imo,
Quà monſtrat veteres Apollo Cumas,
Albam crinibus infulisque cerno?
Viſu fallimur? an ſacris ab antris
Profert Chalcidicas Sibylla laurus?

Vtrobique equidem, & heic ad finem, & ſuprà ſub initium, ad Cumas finem Domitianæ viæ ſtatuit. nihilominus & heic *Lucrinum* nominat lacum, ultra Cumas ſitum; & ſuprà Baias, Lucrino contiguas, ac Gaurum montem, Puteolis imminentem.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

nentem. unde verum videtur eſſe, quòd Dio loco ſuprà ſcripto adfirmat viam eam à Sinueſſa ad Puteolos usque fuiſſe perductam.

Cæterò apud pontem iſtum atque oſtium fluminis Vulturni fuiſſe VVLTVRNVM opidum, ſuprà ex Varrone, Strabone, Melâ, Plinio, Ptolemæo, ac Tabulâ itinerariâ intellectum. Id hodiè omnium ſententiâ putatur is eſſe locus, qui, lævæ ripæ adpoſitus, vulgò adpellatur *Caſtello à mar di Volturno*; & ſimpliciter *Caſtel di Volturno*. Memoratur prætereà Livio, Frontino ac Feſto. Apud Livium lib. XXV ita ſcriptum eſt in vulgatis exemplaribus: *Caſilinum frumentum convectum. ad Vulturni oſtium, ubi nunc urbs eſt, caſtellum communitum; (antè Fabius Maximus munierat) præſidium impoſitum: ut & mare proximum & flumen in poteſtate eſſent. in ea duo maritima caſtella frumentum, quod ex Sardiniâ nuper miſſum erat, quodque Mucius prætor ex Etruriâ coëmerat, ab Oſtiâ convectum eſt.* Ergo Caſilinum heic maritimum vocatur caſtellum, quamvìs XII ampliùs millia paſſuum à mari diſitum? nam III tantùm millia ab Capuâ id abfuiſſe, infrà in eius deſcriptione patebit. Cave illud credideris; ne Sigonio quidem ſvaſori contra Glareanum; qui imperfectam hanc eſſe Livii orationem atque mutilatam adverterat. At ſi Fabius Maximus antè munierat; quid opus erat mox iterum communire? utique, quum, deſtructam ab aliquo fuiſſe Fabii munitionem, nusquàm memoret Livius. cuius verba diſerta haud multo pòſt leguntur iſta: *Ap. Claudius conſul, D. Iunio ad oſtium Vulturni, M. Aurelio Cottâ Puteolis præpoſito; qui, ut quæque naves ex Etruriâ ad Sardiniam adceſſiſſent, extemplò in caſtra mitterent frumentum; ipſe ad Capuam regreſſus, Q. Fulvium collegam invenit Caſilino omnia importantem, molientemque ad oppugnandam Capuam.* En; duobus iſtis maritimis caſtellis, in quæ frumentum ex Etruriâ ac Sardiniâ excipiebatur, præponuntur, ad oſtium Vulturni Iunius, Puteolis Cotta. ex utroque loco id poſteà *Caſilinum* in caſtra adverſo Vulturno ſubmovebatur. Ergo illa verba in παρενθέσει ita reſtituo: *(Puteolos antè Fabius Maximus munierat.)* nam lib. XXIIII ſic ſcribit idem Livius: *Exitu anni eius Q. Fabius ex auctoritate ſenatus Puteolos, per bellum cœptum frequentari emporium, communiit; præſidiumque impoſuit.* Poſteà coloniam fuiſſe deductam à Romanis in opidum Vulturnum, ſuprà ex Varrone cognovimus. Idem atteſtatur Livius lib. XXXII. *C. Acilius*, inquit, *tribunus plebis, tulit, ut quinque coloniæ in oram maritimam deducerentur: duo ad oſtia Vulturni Liternique; una Puteolos; una ad Caſtrum Salerni. his Buxentum adjectum.* Tricenæ familiæ in ſingulas colonias jubebantur mitti. Factum id Cn Cornelio Cethego & Q. Minucio Rufo conſulibus, anno poſt Romam conditam IↃLV, ante natum Ieſum CXCVIII. Eo tamen anno non fuêre deductæ: ſed triennio pòſt, P. Cornelio Scipione Africano iterum & Ti. Sempronio Longo conſulibus. Livius lib. XXXIIII: *Coloniæ civium Romanorum eo anno deductæ ſunt Puteolos, Vulturnum, Liternum, treceni homines in ſingulas.* Aliam poſtmodùm ſuperinductam fuiſſe coloniam, auctor eſt Frontinus in libro de Coloniis. *Vulturnum*, inquit, *muro ductum, colonia juſſu imperatoris Cæſaris eſt deducta.* Feſto inter præfecturas numeratur, in voce *præfectura*.

Vulturnum colonia.

Porrò inter Vulturnum & Sinueſſam fuit SAVO amnis, ex deſcriptione Plinii Tabulæque itinerariæ. Plinius dicto lib. III cap. V: *Opidum Sinueſſa; extremum in adjecto Latio. hinc felix illa Campania eſt. In orâ Savo fluvius, Vulturnum opidum cum amne.* Tabula:

Sinueſſa	
Saſo fl.	VII.
Vulturno.	XII.

At heic vitioſè ſcriptum eſt per *f Saſo*. nam apud Statium quoque prædicto Satyrar. lib. IIII carm. III legitur *Savo*, hoc verſu:

Et Literna palus, pigerque Savo.

tum hodiéque vulgari vocabulo dicitur *Savone*, & *Saone*. Pigrum adpellavit Statius: quia & ipſe inferiore ſui parte in paludes diffunditur.

Vltra Vulturnum erat LITERNVM opidum cum flumine eiusdem nominis; quod apud plerosque Latinos auctores à poſterioris ævi grammaticis exſcriptoribusque corruptum eſt in *Linternum*: quaſi ab lintribus deductum. *Flumen* memoratur

ratur Livio, Straboni atque Appiano: *opidum* eisdem Livio ac Straboni, præterque Ovidio, Melæ, Plinio, Silio, Senecæ, Frontino, Ptolemæo, Oroſio, Feſto. Ovidius Μεταμορφώσεων lib. XV:

> *Hinc calidi fontes lentiſciferumque tenetur*
> *Liternum.*

Silius lib. VI:

> *Heic dum ſtagnoſi ſpectat templumque domosque*
> *Literni ductor.*

Et libro VIII: ——— *Stagnóque paluſtre*
> *Liternum.*

Plinius lib. III cap. V: *In orâ Savo fluvius; Vulturnum opidum cum amne; Liternum, Cumæ.* Mela lib. II cap. IIII: *Cumæ, Liternum, Vulturnus amnis, Vulturnus opidum, Sinueſſa.* Livius lib. XXIII: *Interim Ti. Sempronius, conſul Romanus, Sinueſſæ exercitu luſtrato, transgreſſus Vulturnum flumen, circa Liternum caſtra poſuit. ibi, quia otioſa ſtativa erant, crebrò decurrere milites cogebat.* Paullo pòſt: *Hæc agenti Graccho, legati Cumani nunciarunt, quæ à Campanis legatio paucos ante dies veniſſet.* Mox: *Gracchus, juſſis Cumanis omnia ex agris in urbem convehere, & manere intra muros; ipſe pridiè, quàm ſtatutum ſacrificium Campanis eſſet, Cumas movet caſtra.* Strabo Liternum malè citra Vulturnum poſuit; Ptolemæus item perperam ultra Cumas. quorum hic, Σινόεσσα, inquit, Οὐόλτουρνον, Κῦμαι, Λείτερνον. id eſt: *Sinueſſa, Vulturnum, Cumæ, Liternum.* Strabo lib. V: Πόλεις δ' ἐπὶ τῇ θαλάττῃ μετὰ τὴν Σινόεσσαν, Λίτερνον. παραῤῥεῖ δ' ὁμώνυμος τῇ πόλει ποταμός· ὡς δ' αὕτως ὁ Οὐόλτουρνος ὁμώνυμός ἐστι τῇ παρ' αὐτὸν πόλει, ἐφεξῆς κειμένῃ. ταύτης δ' ἐφεξῆς ἐστι Κύμη. Hoc eſt: *Opida in litore ſunt poſt Sinueſſam, Liternum; quod amnis præfluit eiusdem nominis. conſimiliter & Vulturnus idem nomen habet cum opido, quod deinde ſequitur. Hinc eſt Cuma.* Verùm ſitus opidi tum nobis manifeſtus fiet, quum ipſum amnem Liternum oſtiumque eius invenerimus. Apud Appianum Bellorum civil. lib. I ita ſcriptum eſt: Ὅση τε ἄλλη ἀπὸ Λίριος ποταμοῦ, ὃν νῦν μοι δοκοῦσι Λίτερνον ἡγεῖσθαι, ἐπὶ τὸν μυχόν ἐστι τοῦ Ἰονίου κόλπου. Id eſt: *Et quidquid præterea terrarum ab Liri amne, qui nunc, ut opinor, Liternus vocatur, ad intimum usque Hadriatici ſinus receſſum protenditur.* Vt haud raró aliàs, ita heic quoque geographiæ ſeſe parum peritum prodidit Appianus. Error autem ei inde natus eſt, quòd & Liris amnis ſimulque & Liternus, alio nomine vocabantur GLANIS, ſeu CLANIS, ac GLANIVS; teſtibus, Lycophrone, Virgilio, Dionyſio Halicarnaſſenſi & Virgilii commentatoribus Vibioque Sequeſtro. Dionyſius lib. VII: Ἦν δ' ἡ Κύμη κατ' ἐκείνους τοὺς χρόνους περιβόητος ἀνὰ τὴν ὅλην Ἰταλίαν πλούτου τε καὶ δυνάμεως ἕνεκα, καὶ τῶν ἄλλων ἀγαθῶν, γῆν τε κατέχουσα τῆς Καμπανῶν πεδιάδος τὴν πολυκαρποτάτην, καὶ λιμένων κρατοῦσα τῶν περὶ Μισηνὸν ἐπικαιροτάτων. Τούτοις ἐπιβουλεύσαντες τοῖς ἀγαθοῖς οἱ βάρβαροι, στρατεύουσιν ἐφ' αὐτήν. * . Ἐστρατοπεδευκόσι δ' αὐτοῖς οὐ μακρὰν ἀπὸ τῆς πόλεως, τέρας γίνεται θαυμαστὸν, οἷον ἐν οὐδενὶ χρόνῳ μνημονεύεται γενόμενον, οὔθ' Ἑλλάδος οὔτε βαρβάρου γῆς οὐδαμόθι. Οἱ παρὰ τὰ στρατόπεδα ῥέοντες αὐτῶν ποταμοὶ (Οὐόλτουρνος ὄνομα θατέρῳ, τῷ δὲ ἑτέρῳ Γλάνις) ἀφέντες τὰς κατὰ φύσιν ὁδοὺς, ἀνέστρεψαν τὰ νάματα, καὶ μέχρι πολλοῦ διετέλεσαν ἀπὸ τῶν στομίων ἀναχωροῦντες ἐπὶ τὰς πηγάς. Id eſt: *Erant eo tempore Cumæ per totam Italiam divitiarum ac potentiæ cæterorumque bonorum nomine celebres; quòd agrum haberent Campaniæ fertiliſſimum; & portus circa Miſenum opportuniſſimos. Quibus bonis inſidiantes barbari, expeditionem contra urbem fecerunt.* Statim: *At quum caſtra haud procul ab urbe haberent, mirum accidit prodigium; quale nullum umquàm exſtitiſſe memoratur, neque apud Græcos nec apud Barbaros. Amnes, qui præter eorum caſtra fluebant, Vulturnus & Glanis, omiſſo naturali meatu, verterunt curſus: aliquamdiu ab oſtiis retrocedentes ad fonteis versùs.* Memorat oſtia fluminum, in quorum medio caſtra habuerunt iſti barbari: memorat item Cumanorum urbem propinquam, cui tunc caſtra oppoſita fuêre: At in Vulturnum & Cumas nullus eſt alius amnis, quam qui, medio ferè ſitu inter *Avellam* & *Nolam* exortus, ac dextrâ ripâ Acerras opidum, quod vulgò nunc etiam dicitur *Acerra* & *Cerra*, prælapſus, III fermè millia paſſuum ab Cumis, cuius ruinæ hodiéque *Cuma* vocantur, in mare ſeſe effundit, vulgari nunc vocabulo *Il Lagno*. Hinc illud Virgilii Γεωργικῶν lib. II.

> *Talem dives arat Capua & vicina Veſevo*
> *Ora jugo, & vacuis Clanius non æquus Acerris.*

At

Et Virgilii perpetui imitatoris Silii iſtud lib. VIII:

—— Clanio contemptæ ſemper Acerræ.

Ad Virgilii locum ita Servius: *Acerræ civitas eſt Campaniæ, haud longè à Neapoli; quam Clanius præterfluit fluvius: cuius frequens inundatio eam exhaurit. unde ait, Vacuis; id eſt, infrequentibus.* Et Probus: *Campaniæ flumen Clanius eſt, juxta Acerras. ideò autem dicit, ut Metrodorus ait. Non æquus Acerris, quòd eas ſæpè inundet. quæ vacuæ idcircò dicuntur, quòd penè deſertæ ſunt.* Certè hodiéque totius hic amnis, à fonte usque ad oſtium, ab utrimque paludibus clauditur. ideóque ſuperioribus annis præſides regni Neapolitani varias heic egêre foſſas, quæ ſuperſtagnanteis amnis ſimul & paludum aquas exciperent, breviorique curſu inter Vulturnum & vetus Clanii oſtium in mare effunderent. Vibius Sequeſter in Catalogo fluminum: *Clanius eſt apud Acerras in Campaniâ. qui quum creverit, meditatur peſtem terræ.* Memoratur idem fluvius antiquo in primis poëtæ Lycophroni, in his verſibus:

Κτενεῖ δὲ κούρας Τηθύος παιδὸς τριπλᾶς
Οἴμας μελῳδοῦ μητρὸς ἐκμεμαγμένας
Αὐτοχθόνοις ῥιφαῖσιν ἐξ ἄκρας σκοπῆς
Τυρσηνικὸν πρὸς κῦμα δυπτούσας πτεροῖς,
Ὅπου λινεργὴς κλῶσις ἑλκύσει πικρά.
Τὴν μὲν Φαλήρου τύρσις ἐκβεβρασμένην
Γλάνις τε ῥείθροις δέξεται τέγγων χθόνα,
Οὗ σῆμα δωμήσαντες ἔγχωροι κόρης
Λοιβαῖσι καὶ θύθλοισι Παρθενόπην βοῶν
Ἔτεια κυδανοῦσιν οἰωνὸν θεάν.

Hoc eſt:

Treis autem occîdet Tethyis neptes virgines,
Canoræ matris cantus exprimenteis,
Spontaneis jactibus ex altâ ſpeculâ
In undam Tyrrhenam pennis urinanteis,
Quò lanificum trahet acerbum ſtamen.
Vnam quidem Phaleri arx expulſam
Glanisque terram humectans excipiet:
Vbi templum incolæ exſtruentes puellæ,
Libaminibus Parthenopen & victimis boum
Quotannis honorabunt, volucrem deam.

De tribus loquitur Sirenibus, *Parthenope, Leucoſiâ, Ligeâ:* à quarum primâ dicta fuit anteà Neapolis urbs Parthenope; ut infrà patebit. Itaque flumen, quod ex Tuſco mari ore ſuo exceperit Parthenopen, propinquum dictæ urbi nominat Glanim. quod idem & Liternum fuiſſe adpellatum, eo manifeſtum redditur documento, quod nullum aliud inter Vulturnum Cumasque eſt flumen. Ad huius igitur oſtium fuit ſuprà dictum opidum Liternum: nempe in anguſto illo tramite, inter dextram fluminis ripam & mare; qua ſpeculatrix conſpicitur turris vulgari adpellatione *La Torre di Patria*: juxta quam etiam nunc antiqui opidi quædam viſuntur rudera. Coloniam Romanorum eò fuiſſe deductam anno ab Româ conditâ IↃLVIII, P. Cornelio Scipione Africano iterum & Ti. Sempronio Longo conſulibus, anno ante natum Ieſum CXCV, ſuprà in Vulturni opidi expoſitione ex Livio intelleximus. Ac poſtmodùm aliam ſuperinductam fuiſſe coloniam, teſtis eſt Frontinus in libro de Coloniis. *Liternum*, inquit, *muro ductum, colonia ab Auguſto deducta. ager eius in jugeribus veteranis eſt adſignatus.* Feſtus inter præfecturas connumerat in voce *Præfecturæ*. Opidani inde dicebantur LITERNINI. Plinius lib. XIIII cap. IIII: *In Campaniæ rure Liternino.* Cicero oratione de Lege agrariâ contra Rullum ad populum primâ: *Albanus ager eſt, Setinus, Privernas, Fundanus, Veſcinus, Falernus, Literninus, Cumanus.* Verùm nihil æquè clarum reddidit *Liternum*, ac voluntarium P. Cornelii Scipionis Africani exſilium. de quo ita tradit Epitomator Livii ad lib. XXXVIII: *Scipio Africanus, die ei dictâ, ut quidam aiunt, à Q. Petilio Actæo, tribuno plebis; ut quidam, à Nævio; quòd prædâ ex Antiocho captâ ærarium fraudaßet; poſteaquàm is dies venit, evocatus in roſtra, Hac die, inquit, Quirites, Carthaginem vici. &, proſequente populo, Capitolium adſcendit. inde, ne ampliùs*

ne ampliùs tribunitiis injuriis vexaretur, in voluntarium exſilium Liternum conceſſit; incertum, ibi, an Romæ defunctus. nam eius monumentum utrobique fuit. Copioſâ rem hanc narratione exſequitur ipſe Livius dicto lib. XXXVIII. ubi tandem ita finit: *Hic ſpecioſus ultimus dies P. Scipioni illuxit. poſt quem quum invidiam & certamina cum tribunis proſpiceret; die longiore productâ, in Liternum conceſſit; certo conſilio, ne ad cauſam dicendam adeſſet.* Aliquanto pòſt: *Silentium deinde de Africano fuit. Vitam Literni egit ſine deſiderio Vrbis. Morientem rure eo ipſo loco ſepeliri ſe juſſiſſe ferunt; monumentumque ibi ædificari: ne funus ſibi in ingratâ patriâ fieret.* Et haud ita multo pòſt: *Multa alia in Scipionis exitu maximæ vitæ, dieque dictâ, morte, funere, ſepulcro, in diverſum trahunt: ut, cui famæ, quibus ſcriptis adſentiar, non habeam. Non de accuſatore convenit. alii M. Nævium, alii Petilios diem dixiſſe, ſcribunt. non de tempore, quo dicta dies ſit; non de anno, quo mortuus ſit: non, ubi mortuus aut elatus ſit. alii Romæ, alii Literni & mortuum & ſepultum. utrobique monumenta oſtenduntur & ſtatuæ. nam & Literni monumentum monumentoque ſtatua ſuperimpoſita fuit: quam tempeſtate disjectam nuper vidimus ipſi: & Romæ extra portam Capenam in Scipionum monumento tres ſtatuæ ſunt: quarum duæ P. & L. Scipionum dicuntur eſſe; tertia poëtæ Q. Ennii.* Narrantur iſta omnia Livio in conſulatu M. Aemilii Lepidi & C. Flaminii Nepotis: qui annus fuit urbis Romæ IↃLXV. Oroſius lib. IIII cap. XX: *M. Claudio Marcello, Q. Fabio Labeone, conſulibus, Scipio Africanus, ab ingratâ ſibi urbe diu exſulans, apud Liternum opidum morbo periit.* Conſules hi fuêre poſt proximè dictos annos IIII; ante natum Ieſum anno CLXXXIIII. Seneca Epiſt. LI: *Literni honeſtiùs Scipio, quàm Baiis, exſulabat. ruina eius non eſt tam molliter collocanda.* Strabo ſuprà dicto lib. V: Λίτερνον, ὅπου τὸ μνῆμα Σκηπίωνος, τοῦ πρώτου προσαγορευθέντος Ἀφρικανοῦ. διέτριψε γὰρ ἐνταῦθα τὸ τελευταῖον, ἀφεὶς τὰς πολιτείας κατ' ἀπέχθειαν τὴν πρός τινας. Id eſt: *Liternum; ubi ſepulcrum eſt Scipionis; eius qui primus eſt Africanus adpellatus. heic enim extremum vitæ tempus tranſegit; omiſſâ ob quorumdam inimicitias reipublicæ tractatione.* Valer. Maximus lib. II cap. X: *Ad Africanum, in Literninâ villâ ſe tenentem, complures prædonum duces videndum eodem tempore fortè confluxerant. quos quum ad vim faciendam venire exiſtimaſſet; præſidium domeſticorum in tecto collocavit. eratque in his repellendis & animo & adparatu occupatus. Quod ut prædones animadverterunt; dimiſſis militibus, abjectisque armis, januæ adpropinquant; clarâ voce nunciantes, non vitæ eius hoſtes, ſed virtutis admiratores veniſſe; conſpectum & congreſſum tanti viri quaſi cæleſte aliquod beneficium expetentes. proinde ſecurum ſe ſpectandum præbere ne gravaretur. Hæc poſtquàm domeſtici Scipioni retulerunt; fores reſerari, eosque intromitti juſſit. qui poſteis januæ, tanquàm aliquam religioſiſſimam oram, ſanctumque templum, venerati, cupidè Scipionis dextram adprehenderunt; ac diu deoſculati; poſitis ante veſtibulum donis, quæ deorum immortalium numini conſecrari ſolent; læti, quòd Scipionem vidiſſe contigiſſet, ad lareis reverterunt.* Seneca Epiſt. LXXXVI: *In ipſâ Scipionis Africani villâ jacens hæc tibi ſcribo; adoratis manibus eius, & arâ; quam ſepulcrum eſſe tanti viri ſuſpicor. Animum quidem eius in cælum, unde erat, rediſſe, perſvadeo mihi: non, quia magnos exercitus duxit; hoc enim & Cambyſes furioſus, ac furore feliciter uſus, habuit: ſed ob egregiam moderationem, pietatemque magis in illo admirabilem, quum reliquit patriam, quàm quum defendit. Aut Scipio Romæ deeſſe debebat, aut Roma libertas. Nihil, inquit, volo derogare legibus, nihil inſtitutis. æquum inter omneis civeis jus ſit. utere ſine me beneficio meo patria. cauſa tibi libertatis fui: ero & argumentum. ex eo, ſi plùs, quàm tibi expedit, crevi. Quidni ego admirer hanc magnitudinem animi? In exſilium voluntarium ſeceſſit; & civitatem exoneravit. Eò perducta res erat, ut aut libertas Scipioni aut Scipio libertati faceret injuriam. neutrum fas erat. itaque dedit locum legibus; & ſe Liternum recepit: tam ſuum exſilium reipublicæ imputaturus, quàm Hannibalis. Vidi villam ſtructam lapide quadrato: murum circumdatum ſilvæ: turreis quoque in propugnaculum villæ utrimque ſubrectas: ciſternam, ædificiis ac viridibus ſubditam; quæ ſufficere in uſum vel exercitus poſſet: balneolum anguſtum, tenebricoſum, ex conſvetudine antiquâ. In hoc angulo ille Carthaginis horror, cui Roma debet, quòd tantùm ſemel capta eſt, abluebat corpus laboribus ruſticis feſſum. exercebat enim opere ſe: terramque, ut mos fuit priſcis, ipſe ſubigebat.* Propè ipſum opidum Liternum fuiſſe hanc SCIPIONIS AFRICANI VILLAM, ex eo maximè perſpicitur, quòd ſuprà ſcripti auctores Liternum in exſilium conceſſiſſe

eum

eum teſtentur; &, Literni monumentum eius oſtendi. Ac fortè illa ipſa ſuprà dicta turris ſpeculatrix, quæ, ruinis antiquorum ædificiorum ſuperſtructa, vulgò nunc dicitur *Torre di Patria*, locum dictæ villæ obtinet. De eâdem villâ ſic ſcribit Plinius lib. XVI cap. XLIIII: *Vita arborum quarumdam immenſa credi poteſt, ſi quis profunda Mundi & ſaltus inacceſſos cogitet. verùm ex his, quas memoria hominum cuſtodit, durant in Liternino Africani prioris manu ſatæ olivæ: item myrtus eodem luco conſpicuæ magnitudinis. Subeſt ſpecus; in quo maneis eius cuſtodire draco traditur.* VICVS heic quia nullus ſuprà citatis auctoribus memoratur, neſcio, an poſteà ob celebritatem monumenti Scipionis juxta conſtructus ſit. ſic quidpe habet Valer. Maximus lib. V cap. III: *Africanus ſuperior, non ſolùm contuſam & confractam belli Punici armis rempublicam, ſed penè jam exſangvem atque morientem, Africæ dominam reddidit. cuius clariſſima opera injuriâ, penſando cives, vici eum ignobilis ac deſertæ paludis adcolam fecerunt. eiusque voluntarii exſilii acerbitatem non tacitus ad inferos tulit; ſepulcro ſuo inſcribi jubendo;* INGRATA · PATRIA · NE · OSSA · QVIDEM · MEA · HABES.

Cæterùm PALVS iſta LITERNINA, ſive PALVDES LITERNINAE, Livio quoque ac Silio Statioque memorantur. ſed illis duobus dicuntur etiam LITERNINA STAGNA. Statius Silvar. lib. IIII car. III, quo Via Domitiana celebratur, quam à Sinueſsâ ad Puteolos usque pertinuiſſe, ſuprà oſtenſum: LITERNINAE *paludes.*

Quis duri ſilicis gravisque ferri
Immanis ſonus æquori propinquum
Saxoſæ latus Appiæ replevit?
Certè non Libycæ ſonant catervæ;
Nec dux advena, peierante bello,
Campanos quatit inquietus agros.
Nec frangit vada, montibusque cæſis
Inducit Nero ſordidas paludes.

Silius lib. VIII: ——— *Stagnisque paluſtre*
Liternum, & quondam fatorum conſcia Cumæ.

Livius lib. XXII: *Incluſus inde videri Hannibal, & ad Caſilinum obſeſſus; quum Capua & Samnium & tantum ab tergo divitum ſociorum Romanis commeatus ſubveheret; Pœnus contrà inter Formiana ſaxa ac Literni arenas ſtagnaque, perhorrida ſitu, hibernaturus eſſet.* De eâdem re Silius lib. VII:

Hinc Læſtrygoniæ ſaxoſo monte premebant
A tergo rupes; undoſis ſqualida terris
Hinc Literna palus.

Paludes heic equidem citra Liternum ſive Glanim amnem latiùs ſparguntur. at per quem tandem lacum is mare petit, vulgò vocatur *Il Lago di Patria*.

Porrò Ovidius prædicto Μεταμορφώσεων lib. XV ita canit:

Hinc calidi fontes lentiſciferumque tenetur
Liternum.

GALLINARIA *ſilva.*

GALLINARIA hæc erat SILVA, quæ hodiéque inter oſtia Vulturni & Literni protenditur juxta litus. Meminêre eius, Cicero, Strabo & Iuvenalis. Cicero Familiar. lib. VIIII epiſt. XXIII: *Heri veni in Cumanum. cras ad te fortaſſe. ſed, quum certum ſciam, faciam te paullo antè certiorem. etſi M. Ceparius, quum mihi in ſilvâ Gallinariâ obviam veniſſet; quæſiſſemque, quid ageres; dixit, te in lecto eſſe; quòd ex pedibus laborares.* L. Papirium Pætum, ad quem Cicero hanc ſcripſit epiſtolam, fuiſſe tunc Neapoli, aut in agro Neapolitano, patet haud obſcurè ex epiſtolâ XV eiusdem libri: ubi petit à Pæto, uti *domum Syllanam Neapoli* ſibi comparet. Ab urbe igitur Româ in Cumanum ſuum tendens Cicero, M. Ceparium in ſilvâ Gallinariâ obviam habuit; à Neapoli haud dubiè Romam proficiſcentem per Cumas & Liternum. De eâdem ſilvâ ita tradit Strabo lib. V: Ὠνομάσθαι δ' ἔνιοι Κύμην ἀπὸ τῶν κυμάτων φασί. ῥαχιώδης γὰρ καὶ προσεχὴς ὁ πλησίον αἰγιαλός. εἰσὶ δὲ καὶ κητεῖαι παρ' αὐτοῖς [omnino rectiùs αὐτῷ] ἄρισται. Ἐν δὲ τῷ κόλπῳ τούτῳ καὶ ὕλη τίς ἐστι θαμνώδης, ἐπὶ πολλοὺς ἐκτεινομένη σταδίους, ἄνυδρος καὶ ἀμμώδης, ἣν Γαλλιναρίαν ὕλην καλοῦσιν. ἐνταῦθα τὰ λῃστήρια συνεστήσαντο οἱ Πομπηΐου Σέξτου ναύαρχοι, καθ' ὃν καιρὸν Σικελίαν ἀπέστησεν ἐκεῖνος. Hoc eſt: *Quidam aiunt* ἀπὸ τῶν κυμάτων, *id eſt,*

id eſt, ab fluctibus dictam eſſe Cumam. vicinum quidpe litus inſtar ſcopuloſi dorſi continuum mari objectum eſt. Sunt & loca in eo capiendis piſcibus aptiſſima. In hoc verò ſinu ſilva etiam quædam eſt, arbuſtis conſita, aliquot ſtadiorum longitudine, aquæ inops & arenoſa; quam Gallinariam ſilvam vocant. ibi prædonum numerum contraxerunt præfecti navium Sexti Pompeii, quo tempore Siciliam is ad defectionem pertraxit. Quam heic ἀμμώδη vocat ὕλην Strabo, id eſt, *arenoſam ſilvam*, Livius loco proximè dicto ſimpliciter adpellat *arenas*. A prædonibus perpetuò inſeſſam fuiſſe hanc ſilvam, ex Iuvenalis colligo Satyrâ III:

Interdum & ferro ſubitus graſſator agit rem,
Armato quoties tutæ cuſtode tenentur
Et Pomptina palus & Gallinaria pinus.

Ipſa hinc *urbs* CVMAE plurali numero Latinis, Græcis ſingulari dicitur Κύμη, CYME; quod Latini etiam nonnulli uſurparunt poëtæ; quum Latino ore formandum foret CVMA: quod nomen hodiéque in magnis ruinis locus ſervat. Memoratur Pindaro, Thucydidi, Ariſtoteli, Lucretio, Marciano Heracleienſi, Virgilio, Diodoro, Livio, Dionyſio Halicarnaſſenſi, Columellæ, Straboni, Melæ, Plinio, Silio, Statio, Iuvenali, Tacito, Ptolemæo, Procopio, Agathiæ, Servio, Feſto, Stephani epitomatori, & aliis. Opidani inde dicuntur Græcis Κυμαῖοι, *Cumai*; Latinis CVMANI. Apud Stephani epitomatorem ſic quidem ſcriptum eſt: Ἔστι δὲ καὶ ἑτέρα Κύμη, Ἰταλίας. ταύτης τὸ ἐθνικὸν Κυμεύς. Id eſt: *Sed & alia eſt Cuma; ſcilicet in Italiâ. cuius gentilitium Cumenſis.* At ego hactenus neque apud ullum Græcum auctorem reperi ab hoc opido opidanos Κυμεῖς, neque apud Latinum *Cumenſeis*. quod tam facilè poſteriori ævo in vulgari potuit fuiſſe uſu, ut *Comenſes* ab opido Subalpino *Como* eodem ſæculo dicebantur Comani; quemadmodùm ſuprà lib. I cap. XXV patuit. Situm urbis Cumarum non minùs verè quàm breviter depinxit Agathias Hiſtoriar. lib. I. Πόλισμα δὲ, inquit, Ἰταλικὸν ἡ Κύμη ἐχυρώτατον, καὶ οἷον οὐ ῥᾷστα πολεμίοις ἁλῶναι. ἵδρυται μὲν γὰρ ἐπὶ λόφῳ τινὶ δυσπροσόδῳ τε καὶ ἀνάντει· ἔστι δὲ ἐν περιωπῇ τοῦ πελάγους τοῦ Τυρσηνικοῦ (ἐπὶ γὰρ τῇ ἀκτῇ ὁ λόφος ἀνέχει) ὡς καὶ αὐτὸν δή που τὸν πρόποδα ῥοχθεῖν τε καὶ κεκλᾶσθαι τὸ ῥόθιον, ἄνω δὲ ἔρυμα περιβέβληται, πύργοις τε καὶ ἐπάλξεσι καρτερώτατα ἐξειργασμένον. Hoc eſt: *Eſt Cuma opidum Italicum munitiſſimum, neque expugnatu facile. ſitum enim eſt in arduo difficilemque aditum habente colle. eſtque veluti ſpecula maris Etruſci. imminet quidpe litori collis ita, uti ad eius radices fluctus maris illiſi frangantur. Editiore igitur loco ſitum, cinctum eſt vallo turribusque & propugnaculis validiſſimæ ſtructuræ.* Sed de origine conditoribusque vetuſtiores audiamus auctores. Livius lib. IIII: *Eodem anno à Campanis Cumæ, quam Græci tum urbem tenebant, capiuntur.* Et lib. VIII: *Cumani ab Chalcide Euboicâ originem tradunt.* Thucydides lib. VI Ζάγκλη δὲ τὴν μὲν ἀρχὴν ἀπὸ Κύμης, τῆς ἐν Ὀπικίᾳ Χαλκιδικῆς πόλεως, λῃστῶν ἀφικομένων ᾠκίσθη. Id eſt: *Zanclen ab initio prædones à Cumis, Chalcidicâ in Opicis urbe, profecti condiderunt.* Plinius lib. III cap. V: *Liternum; Cumæ Chalcidenſium; Miſenum.* Solinus cap. VIII: *Ab Eubœenſibus conſtitutæ Cumæ.* Scilicet *Eubœæ* inſulæ opidum fuit *Chalcis*. Dionyſius Halicarnaſſenſis lib. VII: Κύμην, τὴν ἐν Ὀπικοῖς Ἑλληνίδα πόλιν, Ἐρετριεῖς τε καὶ Χαλκιδεῖς ἔκτισαν. Id eſt: *Cumam, Græcam in Opicis urbem, Eretrienſes Chalcidenſesque condiderunt.* In eâdem inſulâ fuit & *Eretria* urbs, Chalcidi vicina. Velleius Paterculus lib. I: *Athenienſes in Eubœâ Chalcida [&] Eretriam colonis occupavêre. nec multo pòſt Chalcidenſes, Hippocle & Megaſthene ducibus, Cumas in Italiâ condiderunt.* Strabo lib. V: Κύμη Χαλκιδέων καὶ Κυμαίων παλαιότατον κτίσμα· πασῶν γάρ ἐστι πρεσβυτάτη τῶν τε Σικελικῶν καὶ τῶν Ἰταλιωτίδων. οἱ δὲ τὸν στόλον ἄγοντες, Ἱπποκλῆς ὁ Κυμαῖος, καὶ Μεγασθένης ὁ Χαλκιδεὺς, διωμολογήσαντο πρὸς σφᾶς αὐτοὺς, τῶν μὲν ἀποικίαν εἶναι, τῶν δὲ τὴν ἐπωνυμίαν. ὅθεν νῦν μὲν προσαγορεύεται Κύμη, κτίσαι δ' αὐτὴν Χαλκιδεῖς δοκοῦσι. ὠνομάσθαι δ' ἔνιοι Κύμην ἀπὸ τῶν κυμάτων φασί. ῥαχιώδης γὰρ καὶ προσεχὴς ὁ πλησίον αἰγιαλός. Id eſt: *Cuma Chalcidenſium Cumanorumque opus eſt vetuſtiſſimum. omnium quidpe Sicularum pariter atque Italicarum urbium eſt antiquiſſima. Ductores claſſis Hippocles Cumanus & Megaſthenes Chalcidenſis inter ſe pepigerant, uti alterius colonia eſſet, alterius adpellatio coloniæ. unde urbs nunc adpellatur Cuma; condita autem putatur ab Chalcidenſibus. Quidam tamen dictam exiſtimant* ἀπὸ κυμάτων, *id eſt, à fluctibus. contiguum quidpe litus ſcopuloſi inſtar dorſi mari eſt objectum.* In *Eubœâ* inſulâ unà cum prædictis *Chalcide* & *Eretriâ* erat & *Cuma* opidum; ſi Ste-

phani

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

phani credimus epitomatori; apud quem leguntur iſta: Κύμη, πόλις Αἰολίδος, πρὸ τῆς Λέσβου. τὸ ἐθνικὸν Κυμαῖος. ἔστι δὲ καὶ ἑτέρα Φρυκωνῖτις λεγομένη· ἔστι δὲ καὶ ἑτέρα Ἰταλίας· ταύτης τὸ ἐθνικὸν Κυμαῦς. τετάρτη Ἠλείας· πέμπτη τῆς Εὐβοίας καὶ Παμφυλίας· ἔστι καὶ νῆσος πλησίον Σικελίας. Id eſt: *Cuma, urbs Aeolidis, ante Leſbum. gentilitium inde Cumæus. Eſt & alia, cognomine Phriconitis. & item alia in Italiâ: cuius gentilitium Cumenſis. quarta in Eléa: quinta in Eúbœâ & Pamphyliâ. Eſt item inſula prope Siciliam.* Aut vitioſum eſt heic vocabulum τῆς Παμφυλίας, aut ſcripſerat ipſe Stephanus, καὶ ἕκτη τῆς Παμφυλίας, *& ſexta Pamphylia.* Sed ut omnium ferè antiquiſſimarum urbium, ſic Cumarum etiam in Italiâ incerta fuit apud poſteros origo, incerti conditores, incerta nominis ἐτυμολογία. Virgilius Aeneid. lib. VI ita canit de Aeneâ:

Et tandem Euboicis Cumarum adlabitur oris.

Ad hæc verba ita commentatur Servius: *A coloniâ Cumas adpellavit. nam Eubœa inſula eſt, in qua Chalcis civitas eſt; de qua venerunt, qui condiderunt civitatem in Campaniâ, quam Cumas vocarunt* ἀπὸ τῶν κυμάτων, *vel à gravidæ mulieris augurio; quæ Græcis* ἔγκυος *dicitur.* Ad Aeneidis autem lib. III ita commentatur: *Eubœa inſula eſt; de cuius civitate Chalcide profecti ſunt ad novas ſedeis quærendas; & non longè à Baiis invenerunt vacuum litus; ubi viſâ muliere gravidâ, civitatem condiderunt; quæ res fœcundam oſtendebat fore rempublicam: & eam Cumas vocaverunt; ſive ab* ἐγκύου, id eſt, *prægnante; ſive* ἀπὸ τῶν κυμάτων, id eſt, *ab undis.* Pindari præterea hi ſunt verſus in Pythior. odâ primâ:

Ὅστ' ἐν αἰνᾷ Ταρτάρῳ κεῖ-
ται θεῶν πολέμιος
Τυφὼς ἑκατοντακάρανος, τόν ποτε
Κιλίκιον τρέψε πολυώ-
νυμον ἄντρον· νῦν γε μὰν
ταίθ' ὑπὲρ Κύμας ἁλιερκέες ὄχθαι·
Σικελία τ' αὐτοῦ πιέζει
στέρνα λαχνάεντα· κίων
δ' οὐρανία συνέχει,
νιφόεσσ' Αἴτνα.

Quique in horrendo Tartaro ja-
cet deorum hoſtis,
centiceps; quem olim
Cilicium educavit multi
nominis antrum. at
nunc & litora ſuper Cumam mare coërcentia
Siciliaque eius premit
Pectora hiſpida: columna
verò cœleſtis cohibet,
nivoſa Aetna.

Ad hæc ita in antiquis eſt Scholiis: Κύμη, νῆσος, παρακειμένη τῇ Σικελίᾳ. ἔστι δὲ καὶ ἑτέρα, τῶν Αἰολέων. φαίνεται δὲ οὐχ ἡ Κύμη πῦρ ἀναδιδοῦσα, ἀλλ' ἡ καλουμένη Προσύλη, ἣν καὶ Πιθηκούσας ὀνομάζουσι. συμβαίνουσι γὰρ αὐτόθι κυμάτων ἐξαισίων κινήσεις, καὶ ἀνέμων σφοδροτάτων ἐπίπνοιαι, καὶ πρηστήρων ἐπιφάνειαι, καὶ πυρὸς καταφλέξεις, μυθολογεῖται ὑποκεῖσθαι τὸν Τυφῶνα. Id eſt: *Cuma, inſula juxta Siciliam. Eſt & alia Aeolum. Conſtat autem, non ipſam Cumam ignem emittere; ſed quæ Proſtyla vocatur: quam etiam Pithecuſas adpellant. fiunt quidpe heic immanium fluctuum motus, ventorumque impetuoſiſſimorum flatus, & flammarum adparitiones, atque ignis combuſtiones: quibus Typhonem ſubjectum eſſe fabulantur.* Locus iſte poëtæ imprudenteis poſterioris ſæculi grammaticos in errorem fœdiſſimum præcipites dedit, uti crederent, *Cumam*, cuius meminit heic poëta, eſſe inſulam juxta Siciliam: nempe, quia ille & *Siciliam* cum *Aetnâ* monte & *Cumam* Typhonem premere ait. At ex aliis tamen auctoribus iſte Scholiaſtes intellexerat, Cumam hanc eſſe eam, ante cuius litora Pythecuſæ inſula, quæ nunc vulgò dicitur Iſchia, ignem ejectaret; ut infrà ſuo loco videbimus. Inter hanc autem inſulam & Miſenum promontorium, quod poſt Cumam urbem ſequitur, minor erat inſula Προχύτη, *Prochyta*; vulgò nunc Procita dicta; quam Scholiaſtes iſte putavit eſſe ipſam inſulam Pithecuſas: exſcriptor verò

poſteà vocabulum eius corrupit in προσύλη. Cæterùm Marcianus Heracleenſis in Περιηγήσει ſic habet:

Μετὰ δὲ τοὺς Λατίνους ἐστὶν ἐν Ὀπικοῖς πόλις
Τῆς λεγομένης λίμνης Ἀόρνου πλησίον,
Κύμη· πρότερον ἣν οἱ Χαλκιδεῖς ᾤκισαν,
Εἶτ' Αἰολεῖς. μάλιστα δ' εὐανδρουμένη
Κατὰ τὴν Ἀσίαν Κύμη 'στὶ κειμένη πόλις.

Hoc eſt:

Vltra Latinos eſt in Opicis urbs,
Prope lacum Avernum,
Cuma: quam primùm Chalcidenſes deductâ coloniâ condiderunt;
Dein Aeoles; quorum fortibus viris plena admodùm
In Aſiâ eſt Cuma urbs.

Ab hac igitur Aeolicâ Cumâ fuit ſuprà dictus Hippocles; non, ut vult Stephanus grammaticus, ab aliquâ Cumâ Euboicâ; quæ planè nulla umquàm fuit. Neque tamen Marciano temerè credendum, duas diverſas huc deductas fuiſſe diverſis temporibus colonias; primam ex Eubœâ inſulâ, alteram deinde ex Aeolide: niſi ſimul credere libeat, aliud ab initio habuiſſe hanc urbem nomen; poſteà verò ab Aeolibus colonis dictam fuiſſe Cumam. Cæterùm ex *Eubœâ* inſulâ profecti *Chalcidenſium* coloni quum *Cumam* in Italiâ condiderint; Latini hinc poëtæ *Euboicam* eam ſæpè adpellavêre ſine proprio nomine urbem regionemque, & item interdum *Chalcidicam*: & quum *Sibyllam* heic celebrent *Cumanam*; de qua infrà plura dicemus; hanc quoque dixêre Euboicam. Virgilius Aeneid. lib. VI, de Sibyllæ antro apud Cumas:

Exciſum Euboicæ latus ingens rupis in antrum.

Et lib. VIIII, de Auguſti novo portu in Lucrino lacu facto:

Qualis in Euboico Baiarum litore quondam
Saxea pila cadit.

Ovidius Μεταμορφώσεων lib. XIIII:

Talia convexum per iter memorante Sibyllâ,
Sedibus Euboicam Stygiis emerſit in urbem
Troïus Aeneas.

Faſtor. lib. IIII:

Carminis Euboici fatalia verba ſacerdos
Inſpicit.

Lucanus lib. V:

Talis in Euboico vates Cumana receſſu

Paullo pòſt: —— *Solusque quietem*
Euboici vaſtâ lateris convalle tenebis.

Martialis lib. VIIII epigr. XXX:

Euboicæ nondum numerabas longa Sibyllæ
Tempora.

Statius Silvar. lib. I carm. II:

—— *Euboicæ carmen legit ille Sibyllæ.*

Lib. IIII carm. III:

Gaudens Euboicæ domum Sibyllæ
Gauranosque ſinus & æſtuanteis
Septem montibus admovere Baïas.

Et eodem carmine poſteà:

Sed quam fine recentis imo,
Quà monſtrat veteres Apollo Cumas,
Albam crinibus infulisque cerno?
Viſu fallimur? an ſacris ab antris
Profert Chalcidicas Sibylla laurus?

At quia alii, ut paullo antè intellectum, ab *Aeolibus* conditam urbem Cumas tradiderant; hinc Gratius in Cynegetico ita canit:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Optima Cinyſiæ (nequid cunctère) paludes
Lina dabunt: bonus Aeoliâ de valle Sibyllæ
Fœtus.

Verùm de origine conditoribusque ac nomine urbis hactenus ſatis dictum. Addit Livius ſuprà dicto lib. VIII, *Primò in inſulas Aenariam & Pithecuſas egreſſi; deinde in continentem auſi ſedeis transferre.* Tempus, quo primùm ad Italiam adpulerint, nusquàm adnotatum reperio. antiquiſſimo tamen tempore id factum, cùm ex aliis tùm maximè è Strabone intelleximus. Idem auctor hæc etiam ibidem addit: Πρότερον μὲν οὖν ηὐτύχει ἡ Κύμη· ὕστερον δὲ οἱ Καμπανοὶ κύριοι καταστάντες τῆς πόλεως, ὕβρισαν εἰς τοὺς ἀνθρώπους πολλά· καὶ δὴ ταῖς γυναιξὶν αὐτῶν συνῴκησαν αὐτοί. ὅμως δ᾽ οὖν ἔτι σώζεται πολλὰ ἴχνη τοῦ Ἑλληνικοῦ κόσμου, καὶ τῶν ἱερῶν, καὶ τῶν νομίμων. Hoc eſt: *Ab initio quidem urbs ea fortunata fuit. poſteà verò Campani eâ in ſuam redactâ poteſtatem, cùm alias multas contumelioſas injurias civibus intulerunt, tùm cum uxoribus eorum ipſi habitarunt. Nihilominùs tamen multa etiam nunc Græci ornatus exſtant veſtigia; ſimulque ſacrorum & inſtitutorum.* Livius lib. IIII, ſub tribunis militum, L. Quintio Cincinnato tertium, Sex. Furio Medullino iterum, & A. Sempronio Atratino: *Eodem anno à Campanis Cumæ, quam Græci tum urbem tenebant, capiuntur.* Annus is erat poſt Romam conditam CCCXXXV, ante natum Ieſum CCCCXVIII; tertius poſtquàm Campanorum nomen exortum fuerat; ut ſuperiori capite oſtenſum. At Diodorus, qui Romanorum faſtos mirificè ubique conturbat, ita habet lib. XII: Ἐπ᾽ ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἀρίστωνος, Ῥωμαῖοι κατέστησαν ὑπάτους Τίτον Κοίντιον καὶ Αὖλον Κορνήλιον Κόσσον. * — *. Περὶ δὲ τοὺς αὐτοὺς χρόνους κατὰ τὴν Ἰταλίαν Καμπανοὶ μεγάλῃ δυνάμει στρατεύσαντες ἐπὶ Κύμην ἐνίκησαν μάχῃ τοὺς Κυμαίους, καὶ πλείους τῶν ἀντιταχθέντων κατέκοψαν. προσκαθεζόμενοι δὲ τῇ πολιορκίᾳ, καὶ πλείους προσβολὰς ποιησάμενοι, κατὰ κράτος εἷλον τὴν πόλιν. διαρπάσαντες δὲ αὐτὴν, καὶ τοὺς καταληφθέντας ἐξανδραποδισάμενοι, τοὺς ἱκανοὺς οἰκήτορας ἐξ ἑαυτῶν ἀπέδειξαν. Id eſt: *Athenis ſummum gerente magiſtratum Ariſtone, Romani conſulare imperium tradiderunt T. Quintio & A. Cornelio Coſſo.* Poſteà: *Per idem tempus in Italiâ Campani magno adversùs Cumam exercitu ducto, opidanos prælio fundunt; & maximam eorum, quos acies obtulerat, partem concîdunt. Hinc ad obſidionem converſi, poſt crebras tandem oppugnationes, vi urbem ceperunt: eâque direptâ, & incolis, quotquot inibi deprehenderant, ſervituti addictis, ex ſuo genere, quantum ſatis eſſet colonorum, in illam transſcripſerunt.* Parum adcuratè igitur hoc adnotavit Velleius lib. I; *Cumanos Oſca mutavit vicinia.* Non, quia vicini erant Oſci, id eſt, Campani, ſed, quia ipſam urbem occupaverant, mores atque inſtituta eius Græca immutata fuerunt. Cæterùm Excerpta legationum hanc Tarentinorum ad Neapolitanos referunt orationem ex Dionyſio Halicarnaſſenſi: Ἀπωσαμένοις τε τὸ Ῥωμαϊκὸν στράτευμα, Κύμην τε ἀνασώσειν, ἣν δυσὶ γενεαῖς πρότερον, ἐξελάσαντες τοὺς Κυμαίους, Καμπανοὶ κατέσχον· καὶ συγκατάξειν ἐπὶ τὰ σφέτερα τοὺς περιόντας ἔτι Κυμαίων, οὓς οἱ Νεαπολῖται τῆς πατρίδος ἐκπεσόντας ὑπεδέξαντο, καὶ πάντων ἐποιήσαντο κοινωνοὺς τῶν ἰδίων ἀγαθῶν. Hoc eſt: *Romanorum exercitu profligato, Cumas ſe recuperaturos; quam urbem Campani duabus ætatibus antè, pulſis inde Cumanis, occupaverant; ſedibusque ſuis reſtituturos Cumanorum exſulum reliquias, quos Neapolitani ex patriâ exactos receperant, omniumque ſuorum bonorum fecerant participes.* Scilicet, quia Neapolitani Cumanorum erant colonia; ut infrà oſtendetur. Cæterùm felicitas Cumanæ civitatis atque potentia, antequàm Campani occuparent, ingens fuit. Dionyſius lib. VII: Ἐπὶ τῆς ἑξηκοστῆς καὶ τετάρτης Ὀλυμπιάδος, ἄρχοντος Ἀθήνησι Μιλτιάδου, Κύμην τὴν ἐν Ὀπικοῖς πόλιν Τυρρηνῶν οἱ περὶ τὸν Ἰόνιον κόλπον κατοικοῦντες, ἐκεῖθεν ὑπὸ τῶν Κελτῶν ἐξελαθέντες σὺν χρόνῳ, καὶ σὺν αὐτοῖς Ὀμβρικοί τε καὶ Δαύνιοι, καὶ συχνοὶ τῶν ἄλλων βαρβάρων, ἐπεχείρησαν ἀνελεῖν, οὐδεμίαν ἔχοντες εἰπεῖν δικαίαν πρόφασιν τοῦ μίσους, ὅτι μὴ τὴν εὐδαιμονίαν τῆς πόλεως. ἦν γὰρ ἡ Κύμη κατ᾽ ἐκείνους τοὺς χρόνους περιβόητος ἀνὰ τὴν ὅλην Ἰταλίαν, πλούτου τε καὶ δυνάμεως ἕνεκα, καὶ τῶν ἄλλων ἀγαθῶν, γῆν τε κατέχουσα τοῦ Καμπανῶν πεδίου τὴν πολυκαρποτάτην, καὶ λιμένων κρατοῦσα τῶν περὶ Μισηνὸν ἐπικαιροτάτων. Hoc eſt: *Olympiade* LXIIII, *ſummum gerente Athenis magiſtratum Miltiade, Cumas, Græcam urbem in Opicis, Etruſci, qui Ionium ſinum adcoluerunt, atque inde poſtmodò à Gallis pulſi fuerunt, cumque Etruſcis Vmbri ac Daunii, aliique complures barbari, conati ſunt exſcindere; non ob juſtam aliquam odii cauſam; ſed tantùm ob felicitatem. erant quidpe Cumæ eo tempore per omnem Italiam divitiarum, potentiæ, cæterorumque bonorum nomine celebres: quòd agrum haberent Campaniæ fertiliſſimum, & portus circa Miſenum opportuniſſimos.* Auctor ἀνώ-

νυμος Olympiadum: Ὀλυμπιάδος ξδ´ ἔτει α´ οἱ κατὰ τὴν Ἰταλίαν Κυμαῖοι πολλὰς Τυῤῥηνῶν καὶ Ὀπικῶν μυριάδας ἐνίκησαν. Id eſt: *Olympiadis* LXIIII *anno primo Cumani in Italiâ permultæ Etruſcorum Opicorumque millia vicerunt*. Et: Ὀλυμπιάδος οϛ´ ἔτει γ´ οἱ Τυῤῥηνοὶ ὑπὸ Κυμαίων ἡττηθέντες δεινῶς ἐξαπτινώθησαν. Id eſt: *Olympiadis* LXXVI *anno* III *Etruſcorum, quum à Cumanis ſuperarentur, vires valdè fractæ ſunt*. Primus annus Olympiadis LXIIII incidit in annum poſt Romam conditam CCXXVIIII, ante Ieſum natum IↃXXIIII. Livius lib. VIII: *Cumani ab Chalcide Euboicâ originem trahunt. Claſſe, qua advecti ab domo fuerant, multum in orâ maris eius, quod adcolunt, potuêre*. Hinc Diodorus lib. XI poſteriorem illam Etruſcorum cladem navalem fuiſſe tradit; quamquàm Cumanæ claſſi Syracuſana quoque claſſis conjuncta fuerit. Ἐπ᾽ ἄρχοντος, inquit, Ἀθήνησιν Ἀκεστορίδου, Ἱέρων μὲν, ὁ βασιλεὺς τῶν Συρακουσίων, παραγενομένων πρὸς αὐτὸν πρεσβέων ἐκ Κύμης τῆς Ἰταλίας, καὶ δεομένων βοηθῆσαι πολεμουμένοις ὑπὸ Τυῤῥηνῶν θαλαττοκρατούντων, ἐξέπεμψεν αὐτοῖς συμμαχίαν τριήρεις ἱκανάς. οἱ δὲ τῶν νεῶν τούτων ἡγεμόνες ἐπειδὴ κατέπλευσαν εἰς τὴν Κύμην, καὶ μετὰ τῶν ἐγχωρίων μὲν ἐναυμάχησαν πρὸς τοὺς Τυῤῥηνοὺς, πολλὰς δὲ ναῦς αὐτῶν διαφθείραντες, καὶ μεγάλη ναυμαχίᾳ νικήσαντες, τοὺς μὲν Τυῤῥηνοὺς ἐταπείνωσαν, τοὺς δὲ Κυμαίους ἠλευθέρωσαν τῶν φόβων, καὶ ἀπέπλευσαν ἐπὶ Συρακούσας. Hoc eſt: *Summum Athenis magiſtratum gerente Aceſtoride, Hiero, Syracuſanorum rex, quum Cumani in Italiâ per legationem auxilia contra Etruſcos, maris dominos, à quibus bello premebantur, petitum veniſſent, haud parvam triremium claſſem ſubſidio illis miſit. Huius claſſis duces Cumas advecti, Cumanorumque claſſi ſeſe conjungentes, conſerto cum Etruſcis navali prælio, multas eorum naveis depreſſerunt: victoriâque illuſtri partâ; qua fractæ Etruſcorum ſunt vires, Cumani verò periculo exempti, Syracuſas redierunt*. Neapolim fuiſſe Cumanorum coloniam, paullo antè dixi. portus eos habuiſſe commodiſſimos circa Miſenum promontorium, auctorem etiam audivimus Dionyſium. Puteolos, (quæ urbs tunc vocabatur Dicæarchia) ipſorum fuiſſe navale, auctor eſt Strabo, quem infrà audiemus, in huius urbis expoſitione. Hinc igitur totus hic ſinus, qui nunc Neapolitanus cognominatur, vulgò *Il Golfo di Napoli*, CVMANVS, dictus fuit SINVS; ut ex antiquiſſimo ſcriptore Eratoſthene teſtatur idem Strabo lib. I. hinc item Diodorus lib. IIII, ubi fabulas de Herculis expeditione narrat, omnem Campanum agrum adpellavit *Cumanum*. Ὁ δ᾽ οὖν Ἡρακλῆς, inquit, ἀπὸ τοῦ Τιβέρεως ἀναζεύξας, καὶ διεξιὼν τὴν παράλιον τῆς νῦν Ἰταλίας ὀνομαζομένης, κατήντησεν εἰς τὸ Κυμαῖον πεδίον, ἐν ᾧ μυθολογοῦσιν ἄνδρας τῇ τε ῥώμαις προέχοντας καὶ ἐπὶ παρανομίᾳ διωνομασμένους ὀνομάζεσθαι Γίγαντας· ὠνομάσθαι δὲ καὶ τὸ πεδίον τοῦτο Φλεγραῖον, ἀπὸ τοῦ λόφου τοῦ τὸ παλαιὸν ἄπλετον πῦρ ἐκφυσῶντος, παραπλησίως τῇ κατὰ τὴν Σικελίαν Αἴτνῃ. καλεῖται δὲ νῦν ὁ τόπος Οὐεσούβιος. Id eſt: *Hercules, motis à Tiberi caſtris, eius quæ nunc Italia dicitur, maritimam oram percurrens, in Cumanum deſcendit campum: ubi homines, roboris immanitate & facinorum violentiâ infames, egiſſe fabulantur, nomine Gigantes. Phlegræum quoque adpellatum eum campum à monte, qui Aetnæ Siculæ inſtar magnam vim ignis olim eructabat. nunc is Veſuvius vocatur*. Sed quàm latis tandem finibus circumſcriptus fuerit ager Cumanus, incertum eſt. Romani poſtquàm Campaniam ſub imperium ſuum redegerunt, urbs Cumana eorum municipium facta eſt. Livius lib. VIII: *Lanuvinis civitas data, ſacraque ſua reddita cum eo, ut ædes lucusque Soſpitæ Iunonis communis Lanuvinis municipibus cum populo Romano eſſet. Aricini Nomentanique & Pedani eodem jure, quo Lanuvini, in civitatem accepti*. Aliquanto pòſt: *Campanis equitibus honoris cauſa, qui cum Latinis rebellare noluiſſent, Fundaniſque & Formianis, quòd per fineis eorum tuta pacataque ſemper fuiſſet via, civitas ſine ſuffragio data. Cumanos Sueſſulanosque eiusdem juris condicionisque, cuius Capuam, eſſe placuit*. Factum hoc anno poſt Romam conditam CCCCXVI, ante natum Ieſum CCCXXXVII, L. Furio Camillo iterum & C. Mænio Nepote conſulibus. At poſtmodò ſuffragium etiam in civitate Romanâ adepti videntur Cumani. ſic quidpe idem Livius lib. XXIII: *Circumacto tertio anno Punici belli, de trecentis equitibus Campanis, qui, in Siciliâ cum fide ſtipendiis emeritis, Romam venerant, delatum ad populum, ut cives Romani eſſent; item, uti municipes Cumani eſſent*. Tandem etiam colonia deducta eſt. Frontinus in libro de Coloniis: *Cumæ muro ducta colonia ab Auguſto deducta. Ager eius in jugeribus pro merito eſt adſignatus juſſu Claudii Cæſaris*. PORTVS quamdam ſpeciem heic olim fuiſſe, ex Livio maximè colligo. is quidpe prædicto lib. XXIII ſic tradit: *Auctores erant quidam, ut protinus inde Cumas duceret; urbemque oppugnaret. Id haud modicè Hannibal cupiebat*;

cupiebat: ut, quia Neapolin non potuerat, Cumas ſaltem maritimam urbem haberet. Et eodem libro poſteà: *Naves Cumas adpulſæ.* Hinc Silius lib. XII, de eodem Hannibale ab Neapoli, quam obſederat, recedente:

Tandem ab vicinos Cumarum vertere portus
Defeſſus ſubigit.

At poſtquàm amœniſſimam hanc circa Cumas atque vicinas Baias Campaniæ oram locupletiſſimi Romanorum prætoriis, villis, atque hortis occuparunt, ipſæ Cumæ ab opidanis ſuis frequentari deſierunt. Indicat hoc haud obſcurè Iuvenalis initio Satyræ III, his verbis:

Quamvìs digreſſu veteris confuſus amici;
Laudo tamen, vacuis quòd ſedem figere Cumis
Deſtinet, atque unum civem donare Sibyllæ.
Ianua Baiarum eſt, & gratum litus amœni
Seceſſus.

Civem heic adpellat *Sibyllæ* amicum ſuum Iuvenalis, quia Cumæ urbs domicilium olim erat Sibyllæ, quæ inde cognominabatur Cumana. Ea reſponſa reddebat conſulentibus, ſpiritu quodam adflata, ex antro, quod in ipsâ erat urbe; ut ex veterum clarè patet auctorum monumentis: quorum teſtimonia in medium producere conſilium eſt, quando ſuper eo antro varium hodiè eſt doctorum etiam virorum certamen. Virgilius Aeneid. lib. III ita canit:

——— *Sic denique victor*
Trinacriâ fineis Italos mittère relictâ.
Huc ubi delatus Cumarum acceſſeris urbem,
Divinosque lacus, & Averna ſonantia ſilvis;
Inſanam vatem adſpicies, quæ rupe ſub imâ
Fata canit.

Propertius lib. IIII eleg. I:

Si modò Avernalis tremulæ cortina Sibyllæ
Dixit Aventino rura pianda remo.

Statius Silvar. lib. V carm. III:

Sic ad Avernales ſcopulos, & opaca Sibyllæ
Antra, rogaturæ veniebant undique gentes.

Heic quia omnes tres iſti poëtæ Avernum nominant lacum, qui vulgò hodiéque vocatur *Lago d' Averno*, plerique hoc ſæculo exiſtimarunt, ipſum ANTRVM SIBYLLAE, ex quo illa reddebat oracula, fuiſſe eum ſpecum, qui ad dictum lacum vulgò nunc incolis adpellatur *La Grotta della Sibilla:* abeſt autem à Cumarum ruinis circiter IIII millia paſſuum. Et quum lacus Avernus montium convalle cinctus ſit, confirmare inſuper videbatur iſthanc ſententiam Lucanus lib. V his verbis:

Talis in Euboico vates Cumana receſſu,
Indignata ſuum multis ſervire furorem
Gentibus, ex tantâ fatorum ſtrage ſuperbâ
Excerpſit Romana manu: ſic plena laborat
Phæmonoë Phœbo, dum te conſultor operti
Caſtaliâ tellure dei vix invenit, Appî
Inter fata diu quærens tam magna latentem.
Spumea tunc primùm rabies veſana per ora
Effluit, & gemitus & anhelo clara meatu
Murmura: tunc mœſtus vaſtis ululatus in antris
Extremæque ſonant, domitâ jam virgine, voces.
Effugis ingenteis, tanti diſcriminis expers
Bellorum, Romane, minas: ſolusque quietem
Euboici vaſtâ lateris convalle tenebis.
Cætera ſuppreſſit; fauceisque obſtruxit Apollo.

Verùm iſtud Averni lacus antrum longe aliud eſſe ab eo, ex quo Sibylla reſponſa reddebat, cùm ex ipſo Virgilio, tum ex aliis item auctoribus patet. Ipſe Virgilius fine libri V in hæc verba canit:

Curris

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Currit iter tutum non ſeciùs æquora claſſis:
Promiſſisque patris Neptuni interrita fertur.
Iamque adeò ſcopulos Sirenum advecta ſubibat;
Difficileis quondam, multorumque oſſibus albos:
Quum pater, amiſſo, fluitantem errare, magiſtro,
Senſit, & ipſe ratem nocturnis rexit in undis;
Multa gemens, caſuque animum concuſſus amici.
O nimium cœlo & pelago confiſe ſereno,
Nudus & ignotâ, Palinure, jacebis arenâ.

Finito in hæc verba libro v, ſic pergit lib. vi:

Sic fatur lacrumans; claſſique immittit habenas:
Et tandem Euboicis Cumarum adlabitur oris.
Obvertunt pelago proras. tum dente tenaci
Anchora fundabat naveis; & litora curvæ
Prætexunt puppes. juvenum manus emicat audens
Litus in Heſperium. quærit pars ſemina flammæ
Abſtruſa in venis ſilicis: pars denſa ferarum
Tecta rapit, ſilvas; inventaque flumina monſtrat.
At pius Aeneas arceis, quibus altus Apollo
Præſidet, horrendæque procul ſecreta Sibyllæ,
Antrum immane petit; magnam cui mentem animumque
Delius inſpirat vates, aperitque futura.
Iam ſubeunt Triviæ lucos atque aurea tecta.
Dædalus, ut fama eſt, fugiens Minoïa regna,
Præpetibus pennis auſus ſe credere cœlo,
Inſuetum per iter gelidas enavit ad arctos;
Chalcidicâque levis tandem ſuper adſtitit arce.
Redditus his primùm terris, tibi, Phœbe, ſacravit
Remigium alarum; poſuitque immania templa.
In foribus: lethum Androgeo: tum pendere pœnas
Cecropidæ juſſi, (miſerum) ſeptena quotannis
Corpora natorum: ſtat ductis ſortibus urna.
Contrà, elata mari, reſpondet Cnoſia tellus.
Heic crudelis amor tauri, ſuppoſtaque furto
Paſiphaë, miſtumque genus, prolesque biformis,
Minotaurus ineſt; Veneris monimenta nefandæ
Heic labor ille domus & inextricabilis error.
Magnum reginæ ſed enim miſeratus amorem
Dædalus, ipſe dolos tecti ambagesque reſolvit,
Cæca regens filo veſtigia. Tu quoque magnam
Partem opere in tanto, ſineret dolor, Icare haberes.
Bis conatus erat caſus effingere in auro:
Bis patriæ cecidère manus. Quin protinus omnia
Perlegerat oculis, ni jam præmiſſus Achates
Adforet; atque unà Phœbi Triviæque ſacerdos,
Deiphobe Glauci: fatur quæ talia regi:
Non hoc iſta ſibi tempus ſpectacula poſcit.
Nunc grege de intacto ſeptem mactare juvencos
Præſtiterit; totidem lectas de more bidenteis.
Talibus adfata Aeneam, (nec ſacra morantur
Iuſſa viri) Teucros vocat alta in templa ſacerdos
Exciſum Euboicæ latus ingens rupis in antrum;
Quò lati ducunt aditus centum, oſtia centum;
Vnde ruunt totidem voces, reſponſa Sibyllæ.
Ventum erat ad limen; quum virgo, Poſcere fata
Tempus, ait: deus ecce, deus. cui talia fanti
Ante fores, ſubitò non vultus, non color unus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Non comptæ manſêre comæ: ſed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument: maiorque videri,
Nec mortale ſonans, adflata eſt numine quando
Iam propiore deo. Ceſſas in vota preceſque
Tros, ait, Aenea! ceſſas? Nec enim antè dehiſcent
Attonitæ magna ora domus. Et talia fata,
Conticuit. Gelidus Teucris per dura cucurrit
Oſſa tremor: fuditque preces rex pectore ab imo.

Poſt preces Aeneæ: —— *Finem dedit ore loquendi.*
At Phœbi nondum patiens immanis in antro
Bacchatur vates, magnum ſi pectore poſſit
Excuſſiſſe deum: tanto magis ille fatigat
Os rabidum, fera corda domans; fingitque premendo.
Oſtia jamque domus patuêre ingentia centum
Sponte ſuâ; vatiſque ferunt reſponſa per auras.

Poſt reſponſa Aeneæ reddita:
Talibus ex adyto dictis Cumæa Sibylla
Horrendas canit ambages, antroque remugit;
Obſcuris vera involvens. ea frena furenti
Concutit & ſtimulos ſub pectore vertit Apollo.
Vt primùm ceſſit furor, & rabida ora quierunt;
Incipit Aeneas heros: Non ulla laborum,
O virgo, nova mî facies inopinave ſurgit.
Omnia præcepi, atque animo mecum antè peregi.
Vnum oro: quando heic inferni janua regis
Dicitur, & tenebroſa palus Acheronte refuſo;
Ire ad conſpectum cari genitoris & ora
Contingat. doceas iter; & ſacra oſtia pandas.
———— *Natique patriſque*
Alma, precor, miſerere. potes namque omnia. nec te
Nequidquam lucis Hecate præfecit Avernis.
Talibus orabat dictis; araſque tenebat.
Tunc ſic orſa loqui vates: Sate ſangvine divûm
Tros Anchiſiade; facilis deſcenſus Averni:
Noctes atque dies patet atri janua Ditis.
Sed revocare gradum, ſuperaſque evadere ad auras;
Hoc opus, hic labor eſt. pauci, quos æquus amavit
Iupiter aut ardens evexit ad æthera virtus,
Dîs geniti, potuêre. Tenent media omnia ſilvæ;
Cocytuſque ſinu labens circumfluit atro.
Quòd ſi tantus amor menti, ſi tanta cupido eſt,
Bis Stygios innare lacus, bis nigra videre
Tartara; & inſano juvat indulgere dolori:
Accipe, quæ peragenda priùs. Latet arbore opacâ
Aureus & foliis & lento vimine ramus,
Iunoni infernæ dictus ſacer. hunc tegit omnis
Lucus, & obſcuris claudunt convallibus umbræ
Sed non antè datur telluris operta ſubire,
Auricomos quàm quis decerpſerit arbore fœtus.
Hoc ſibi pulcra ſuum ferri Proſerpina munus
Inſtituit
Ergo altè veſtiga oculis: & ritè repertum
Carpe manu.
Prætereà jacet exanimum tibi corpus amici,
(Heu neſcis) totamque inceſtat funere claſſem,
Dum conſulta petis; noſtroque in limine pendes,
Sedibus hunc refer antè ſuis, & conde ſepulcro.

Duo

Duc nigras pecudes. ea prima piacula ſunto.
Sic demum lucos Stygios, regna invia vivis,
Adſpicies. Dixit; preſſoque obmutuit ore.
Aeneas mœſto defixus lumina vultu
Ingreditur, linquens antrum; cæcosque volutat
Eventus animo ſecum. cui fidus Achates
It comes, & paribus curis veſtigia figit.
Multa inter ſeſe vario ſermone ſerebant,
Quem ſocium exanimum vates, quod corpus humandum,
Diceret. atque illi Miſenum in litore ſicco,
Vt venêre, vident indignâ morte peremptum.

Arbores hinc ad rogum Miſeno ſtruendum cædunt è ſilvâ prope Avernum.

Nec non Aeneas opera inter talia primus
Hortatur ſocios; paribusque adcingitur armis.
Atque hæc ipſe ſuo triſti cum corde volutat,
Adſpectans ſilvam immenſam; & ſic ore precatur:
Si nunc ſe nobis ille aureus arbore ramus
Oſtendat, nemore in tanto: quando omnia verè,
Heu, nimiùm de te vates, Miſene, loquuta eſt.
Vix ea fatus erat, geminæ quum fortè columbæ
Ipſa ſub ora viri cœlo venêre volantes,
Et viridi ſedêre ſolo. Tum maximus heros
Maternas agnoſcit aveis; lætusque precatur:
Eſte duces, ô ſi qua via eſt; curſumque per auras
Dirigite in lucos, ubi pingvem dives opacat
Ramus humum. tuque, ô, dubiis ne defice rebus
Alma parens. Sic effatus, veſtigia preſſit;
Obſervans, quæ ſigna ferant; quò tendere pergant.
Paſcentes illæ tantùm prodire volando,
Quantum acie poſſent oculi ſervare ſequentum.
Inde ubi venêre ad fauceis graveolentis Averni,
Tollunt ſe celeres; liquidumque per aëra lapſæ,
Sedibus optatis geminâ ſuper arbore ſidunt;
Diſcolor unde auri per ramos aura refulſit.
Corripit extemplò Aeneas, avidusque refringit
Cunctantem; & vatis portat ſub tecta Sibyllæ.
Nec minùs intereà Miſenum in litore Teucri
Flebant; & cineri ingrato ſuprema ferebant.

Struitur hinc rogus, quo Miſenus crematur: Aeneasque ſacris claſſem luſtrat:

At pius Aeneas ingenti mole ſepulcrum
Imponit, ſuaque arma viro, remumque tubamque,
Monte ſub aërio, qui nunc Miſenus ab illo
Dicitur; æternumque tenet per ſæcula nomen.
His actis, properè exſequitur præcepta Sibyllæ.
Spelunca alta fuit, vaſtoque immanis hiatu,
Scrupea, tuta lacu nigro nemorumque tenebris:
Quam ſuper haud ullæ poterant impunè volantes
Tendere iter pennis. talis ſeſe halitus atris
Faucibus effundens ſupera ad convexa ferebat.
Vnde locum Graii dixerunt nomine Aornon.

Hoſtias hinc diis inferis immolat.

Ecce autem, primi ſub lumina Solis & ortus
Sub pedibus mugire ſolum & juga cœpta moveri
Silvarum; viſæque canes ululare per umbram,
Adventante deâ. Procul, ô procul eſte profani,
Conclamat vates; totoque abſiſtite luco.
Tuque invade viam; vaginâque eripe ferrum.

Nunc animis opus, Aenea, nunc pectore firmo.
Tantum effata furens, antro ſe immiſit aperto.
Ille ducem haud timidis vadentem paſſibus æquat.
Veſtibulum ante ipſum, primiſque in faucibus Orci,
Luctus & ultrices poſuêre cubilia Curæ.

Patet ex hactenus citatis ſatis & abundè, duo diverſa intelligere poëtam *antra:* alterum, quod ad ipſam erat urbem Cumas; ex quo de rebus futuris vaticinabatur Aneæ Sibylla: alterum, ad lacum Avernum; quæ *Ianua* credebatur eſſe Orci. Hinc etiam Servius, ad illud; Spelunca alta fuit: *Quà ad inferos deſcendebatur: non, ubi fuerat Sibylla vaticinata.* Sed alios etiam audiamus auctores. Silius, perpetuus atque fidus Virgilii imitator, lib. XIII primo loco Averni memorat introitum, antrum, atque fauceis, poſteà verò Cumæum antrum. diſertéque inter utrumque diſtingvit. Verba eius hæc ſunt:

Intereà geminos terra crudelis Ibera
Fortuna abſtulerat.
Fortè Dicarchæâ juvenis conſedit in urbe
Scipio; poſt belli repetens extrema penates.
Huc triſtis lacrumas & funera acerba ſuorum
Fama tulit. duris, quamquàm non cedere ſvetus,
Pulſato, lacerat violenter, pectore, amictus.
Ergo excire parat manes animasque ſuorum,
Adloquioque virûm tantos mulcere dolores.
Hortatur vicina palus, ubi ſignat Averni
Squalentem introitum ſtagnans Acheruſius humor.
Noſcere venturos agitat mens protinus annos.
Sic & Grynæam, quæ tum ſub nomine Phœbi
Autonoë tripodas ſacros antrumque tenebat,
Fert greſſus juvenis; conſultaque pectoris ægri
Pandit; & adſpectus orat contingere patrum.
Nec cunctata diu vates; Mactare repoſtis
Mox umbris, inquit, conſveta piacula, nigras
Sub lucem pecudes, recluſæque abdere terræ
Manantem jugulis ſpirantum cæde cruorem:
Tunc populos tibi regna ſuos pallentia mittent.
Cætera, quæ poſcis, maiori vate canentur.
Namque tibi Elyſio repetita oracula campo
Eliciam; veterisque dabo inter ſacra Sibyllæ
Cernere fatidicam Phœbei pectoris umbram.
Vade age; &, à medio quum ſe nox humida curſu
Flexerit; ad fauceis vicini caſtus Averni
Duc prædicta ſacris duro placamina Diti:
Mella ſimul tecum & puri fer dona Lyæi.
Hoc alacer monitu, & promiſſæ nomine vatis,
Adparat occulto monſtrata piacula cœpto.
Inde, ubi nox juſſam procedens contigit horam,
Et ſpacio æquarunt tenebras transacta futuras,
Conſurgit ſtratis; pergitque ad turbida portæ
Oſtia Tartareæ; penitus queis abdita vates,
Promiſſa implerat; Stygioque ſedebat in antro.
Tum, quà ſe primùm, ruptâ tellure recludit
Inviſum cœlo ſpecus, atque eructat acerbam
Cocyti laxo ſuſpirans ore paludem,
Inducit juvenem.

Et aliquanto pòſt:

Talia dum memorant, umbrâ veniente Sibyllæ;
Autonoë, Finem heic, inquit, ſermonibus adde
Alternis: hæc, hæc veri fœcunda ſacerdos:

Cui tantum patuit rerum, quantum ipſe negâvit
Plus noviſſe deos. me jam comitante tuorum
Tempus abire globo, & pecudes imponere flammis.
At gravida arcanis Cumes anus, attigit ore
Poſtquàm ſacrificum delibavitque cruorem,
In decus egregium vultus intenta juventæ;
Aethereâ fruerer quum luce, haud ſegniter, inquit,
Cumæo populis vox noſtra ſonabat in antro.
Tunc te, permixtum ſæclis rebusque futuris
Aeneadum, cecini.

En, ut non dicit, *in hoc antro*; ſed, *In Cumæo antro*. qua adpellatione diſertè id diſcernit ab *antro Averni*. quod & ipſum *oſtium* vocat ſeu *portam Tartari*; ut Virgilius veſtibulum & fauceis Orci. Claudianus in Panegyrico de quarto Honorii conſulatu:

Chaldæi ſtupuêre ſenes; Cumanaque rurſus
Intonuit rupes, rabidæ delubra Sibyllæ.

Hic quoque teſtatur, in eâ rupe vaticinatam fuiſſe Sibyllam, in qua condita erat urbs Cumana, & in qua templum erat Apollinis. Huc jam item adde Procopii teſtimonium, quod Gothicar. rer. lib. I tale eſt: Ἐν τῇ Κύμῃ οἱ ἐπιχώριοι τὸ Σιβύλλης δεικνύουσι σπήλαιον· ἔνθα δὴ αὐτῆς τὸ μαντεῖον γεγενῆσθαί φασιν. Id eſt: *Cumis incolæ Sibyllæ antrum oſtendunt; in eâque ferunt illam viticinatam fuiſſe.* Templum Apollinis, ex quo Sibylla, teſte Virgilio, Claudiano, & Silio, cuius hac de re verba mox infrà citabo, ita deſcribit Iuſtinus Martyr in oratione Parænetica.... Ἔστι δὲ ὑμῖν ῥαδίως τὴν ὀρθὴν εὐσέβειαν ἐκ μέρους παρὰ τῆς παλαιᾶς Σιβύλλης, ἔκ τινος δυνατῆς ἐπιπνοίας διὰ χρησμῶν ὑμᾶς διδασκούσης, μανθάνειν ταῦθ', ἅπερ ἐγγὺς εἶναι δοκεῖ τῆς τῶν προφητῶν διδασκαλίας. Ταύτην δὲ ἐκ μὲν Βαβυλῶνος ὡρμῆσθαί φασι, Βηρώσου, τοῦ τὴν Χαλδαϊκὴν ἱστορίαν γράψαντος, θυγατέρα οὖσαν, εἰς δὲ τὰ μέρη τῆς Καμπανίας οὐκ οἶδα ὅπως διαβᾶσαν, ἐκεῖ τοὺς χρησμοὺς ἐξαγορεύειν ἔν τινι Κύμα οὕτω καλουμένῃ πόλει, ἓξ σημείοις διεστώσῃ Βαιῶν. Ἐθεασάμεθα δέ, ἐν τῇ πόλει γενόμενοι, καί τινα τόπον, ἐν ᾧ βασιλικὴν μεγίστην ἐξ ἑνὸς ἐξεσμένην λίθου ἔγνωμεν, πρᾶγμα μέγιστον, καὶ παντὸς θαύματος ἄξιον· ἔνθα τοὺς χρησμοὺς αὐτὴν ἀπαγγέλλειν, οἱ ὡς τὰ πάτρια παρειληφότες παρὰ τῶν ἑαυτῶν προγόνων ἔφασκον. Ἐν μέσῳ δὲ τῆς βασιλικῆς ἐπεδείκνυον ἡμῖν τρεῖς δεξαμενάς, ἐκ τοῦ αὐτοῦ ἐξεσμένας λίθου. ὧν πληρουμένων ὕδατος, λούεσθαι αὐτὴν ἐν αὐταῖς, ἔλεγον. καὶ στολὴν ἀναλαμβάνουσαν, εἰς τὸν ἐνδότατον τῆς βασιλικῆς βαδίζειν οἶκον, ἐκ τοῦ αὐτοῦ ἐξεσμένον λίθου. καὶ ἐν μέσῳ τοῦ οἴκου καθεζομένην ἐπὶ ὑψηλοῦ βήματος καὶ θρόνου, οὕτω τοὺς χρησμοὺς ἐξαγορεύειν. Hoc eſt: *Verum Dei cultum facilè ex parte ab antiquâ Sibyllâ, ex inſpiratione quadam per oracula vos docente, perdiſcere poteritis ea, quæ ad prophetarum doctrinam quàm proximè accedere videntur. Hanc ex Babylone profectam aiunt, Beroſi, Chaldaicæ hiſtoriæ ſcriptoris, filiam. quæ quum in Campaniam, neſcio quo fato, conceſſiſſet; oracula edidit in urbe Cumâ,* VI *millia paſſuum à Baiis diſitâ. Vidimus ipſi, quum in eâ urbe eſſemus, locum quemdam, in quo baſilica conſtructa erat ingens, ex uno ſaxo perpolita: opus ſanè vaſtum, & omni admiratione dignum. heic eam oracula ceciniſſe adfirmabant ii, qui hæc à maioribus ſuis veluti patria acceperant. in medio verò baſilicæ vaſa tria nobis oſtendebant, ex eodem lapide fabrefacta. quibus aquâ repletis, vates lavaretur: & acceptâ ſtolâ, in penitiſſimam baſilicæ ædem, eodem perpolito lapide ædificatam, progreſſa, & in medio eius collocata in edito ſuggeſtu ſeu throno, oracula inde redderet.* Obiit Virgilius XX circiter annis ante natum Chriſtum. circa annum poſt natum Chriſtum CL Iuſtinus ſub imperatore Antonino Pio iſta ſcripſit. quum igitur CLXX tantùm anni inter utrumqne interſint; certum eſt, *templum* illud *altum & immane Apollinis* idem eſſe, quam βασιλικὴν vocat μεγίστην, id eſt, *baſilicam maximam* ſive *ingentem*, Iuſtinus. cui non *centum aditus*, non *centum magna ora*, ſeu *centum ingentia oſtia*, ſed complura fuêre. Servius. *Oſtia centum. finitus numerus pro infinito*. Certum item eſt, *immane*: iſtud *antrum* ſive *adytum*, ex quo fata canebat Sibylla, idem eſſe, quem ἐνδότατον τῆς βασιλικῆς οἶκον adpellat Iuſtinus, id eſt, *penitiſſimam baſilicæ ædem*. Quin hanc quoque Iuſtini deſcriptionem, τόπος, ἐν ᾧ βασιλικὴ μεγίστη, ἐξ ἑνὸς ἐξεσμένη λίθου, πρᾶγμα μέγιστον καὶ παντὸς θαύματος ἄξιον, id eſt, *locus, in quo baſilica conſtructa eſt ingens ex uno lapide perpolita; opus vaſtum & omni admiratione dignum:* haud obſcurè Virgilius expreſſit his verbis:

— Ten-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

——— *Teucros vocat alta in templa ſacerdos,*
Exciſum Euboicæ latus ingens in antrum:
Quò lati ducunt aditus centum, oſtia centum.
Vnde ruunt totidem voces, reſponſa Sibyllæ.

De eodem *Sibyllæ antro*, ſive *baſilicâ Apollinis*, ita ſcriptum eſt apud Agathiam Hiſtoriar. lib. I: Ναρσῆς γοῦν ὁ στρατηγὸς ἤσχαλλέ τε ἄγαν καὶ ἐχαλέπαινεν, εἰ χρόνος τοῖς Ῥωμαίοις πολὺς ἐν ἐλαχίστῳ πολιχνίῳ κατατρίψεται. Ἀλύοντι δέ οἱ καὶ ἕκαστα γνωματεύοντι, ἔδοξε ἀποπειρᾶσθαι ἀμηγέπη τοῦ φρουρίου τρόπῳ τοιῷδε. Ἐν τῷ πρὸς ἥλιον ἀνίσχοντα τοῦ λόφου τετραμμένῳ ἀγκῶνι ἄντρον τι ὕπεστιν ἀμφηρεφές τε καὶ γλαφυρώτατον· ὡς ἄδυτά τε ἔχειν αὐτόματα καὶ κύτος εὐρὺ καὶ βαραθρῶδες. ἐνταῦθα δὴ πάλαι φασὶ τὴν Σίβυλλαν, τὴν πάνυ τὴν Ἰταλὴν ἐνδιαιτωμένην, φοιβόληπτόν τε εἶναι καὶ ἔνθουν, καὶ προαγορεύειν τὰ ἐσόμενα τοῖς πυνθανομένοις. Λέγεται δὲ, καὶ Αἰνείαν ποτὲ, τὸν Ἀγχίσου, αὐτοῦ ἀφικόμενον ἅπαντά οἱ τὴν Σίβυλλαν φάναι τὰ ὕστερον ξυνενεχθέντα. Ὑπὲρ ταύτην δὴ οὖν τὴν σπήλυγγα μέρος τι τοῦ περιβόλου ἐρήρειστο καὶ ἐφειστήκει. Ναρσῆς δὲ τοῦτο ἐπιφρασάμενος, πρὸς αὐτοῦ εἶναι ᾤετο. Καὶ οὖν αὐτίκα ἄνδρας ὡς πλείστους ὑπὸ τὰ κοῖλα ἐμβαλὼν τοῦ σπηλαίου, ὄργανα φέροντας λιθοτόμα καὶ τειχωρύχα, ἐξεκόλαπτεν ἠρέμα, καὶ διέτεμνε τοῦ ἄντρου τὸν ὄροφον, ἔνθα τὸ ἔρυμα ἥδραστο. καὶ ἐς τοσοῦτον ἐξέκοπτε καὶ διεκάθαιρε τὴν βάσιν τῆς οἰκοδομίας, ἐς ὅσον ἤδη τὴν ἀρχὴν τοῦ θεμελίου ἀπογυμνοῦσθαι. τότε δὲ ξύλα ὄρθια ἐν κόσμῳ ὑπεστήριξε, ταύτῃ τε ἀνεῖχεν ἅπαν τὸ ἄχθος τοῦ τείχους, ὡς μὴ ὑπορρέοι κατὰ βραχὺ καὶ διαλύοιτο ἡ ἁρμονία, συναίσθησίς τε τοῦ δρωμένου ταχεῖα γίγνοιτο τοῖς Γότθοις. Ἐπεὶ δὲ ἅπαν ἤδη, ὁπόσον τῷ ἄντρῳ περιετέτατο, ἐκκρεμές τε ἦν καὶ μετέωρον, καὶ μόνοις ἐπεβεβήκει τοῖς ξύλοις, ἃ δὴ ὀρθοστάδην ἐτύγχανον ἐρηρεισμένα, τότε δὴ φυλλάδα νήσαντες, καὶ ὅ τι τῆς ὕλης ταχυδαές τε καὶ αὖον, καὶ εἶτα ὑποθέντες πῦρ τε ἐναύσαντες, ἐκτὸς ἀπεχώρουν. οὐκ ἐς μακρὰν δὲ φλογὸς ἀρθείσης, τὰ μὲν στηρίγματα εὐθὺς αἰθρακούμενα κατεθραύετο, καὶ πρὸς τὴν αἴθεσιν ἐνεδίδου· τοῦ δὲ ἐρύματος ὁπόσον ἐπ' αὐτοῖς ἠωρεῖτο, ὑφίζανεν ἀθρόον, καὶ κατωλίσθαινε τῇ κενότητι, πύργοι τε οἱ ἐνθένδε καὶ προμαχεῶνες ἐξαπιναίως ἀπορραγέντες τῶν ἄλλων, ἐς τὸ πρανὲς ἐξεκυλίσθησαν· ἥ τε πύλη, ἡ τῇδε τῷ μέρει προσαραρυῖα, αὐτοῖς μοχλοῖς τε καὶ βαλανάγραις ἐκτιναχθεῖσα, ἐς τὴν ἠϊόνα καὶ τὰς σπιλάδας ἐρρίπτετο, ἅμα τε ἅπαντα ξυμπεπηγότα ἐπεκλύζετο. Hoc eſt: *Narſes indignè ferebat, quòd Romanis longius tempus in perquàm exigui opidi expugnatione eſſet terendum. proinde fluctuanti ſingulaque perpendenti, tandem viſum eſt munimenti expugnationem hoc pacto tentare. Antrum quoddam opido ſubeſt ad orientalem collis flexum, omni ex parte tectum valdéque cavum; adeò, ut adyta quædam nativa habeat, & ſinum ingentem profundumque, inſtar barathri. In hoc antro ferunt habitaſſe magnam illam Italicam Sibyllam; quæ Apollinis numine correpta, conſulentibus futura prædixit. & Aeneæ quoque, Anchiſæ filio, quum huc veniſſet, eam cuncta, quæ poſtmodùm evenerunt, prædixiſſe. Super hanc itaque ſpeluncam pars quædam mœnium incumbebat. Quod quum animadvertiſſet Narſes, è re ſuâ fore cenſuit protinusque immiſſis in eas antri concavitates viris quàm plurimis, inſtrumenta exſcindendo ſaxo muroque ſuffodiendo ferentibus; excavavit paullatim exſciditque antri convexum, quà propugnaculum ei innitebatur: eóque tandem exſcindendo abradendoque ad baſim ædificii pervênit, uti jam initium fundamenti nudaretur, tum erecta in ordinem tigna ſubſtituit, quæ totum muri pondus ſuſtentarent; ne brevi reſoluta compages corrueret, & Gothi, quid gereretur, ſtatim cognoſcerent. Quum verò jam murus, quà erat in antri longitudinem porrectus, totus ſuffoſſus & supernè pendulus eſſet, ac tantùm tignis in altum erectis ſuſtentaretur; tum ſtrue aridorum foliorum & quidquid ſiccæ ignique concipiendo facilis materiæ ad manum erat, tignis ſubjectâ, ignique immiſſo, antro exceſſerunt. neque multo pòſt, flammâ excitatâ, fulcimina conflagrarunt, ponderique ceſſerunt. propugnaculi verò quidquid ſublime ac pendulum tignis ſuſtentatum fuerat, id omne in vacuum ſubſedit: turres item & minora propugnacula, quæ eo loci erant, repentè ab aliis avulſa, in præceps ruebant. porta ipſa, in hac parte murorum ſita, unà cum vectibus atque repagulis excuſſa, in litus & ſcopulos maritimos conlapſa eſt: ſimulque omnia, quæ ei adhærebant, abrepta ſunt.* Diſertè οἰκοδομίαν, id eſt, *ædificium*, quum adpellet hoc antrum cum compluribus adytis Agathias; dubitari haud licet, quin idem intelligat, quod *altum & immane Apollinis templum* vocat Virgilius, Iuſtinus verò *baſilicam ingentem*. tum ſitus etiam convenit. nempe in *latere*, ut ait Virgilius, *Euboicæ rupis*, id eſt collis, cui *Euboica urbs Cumæ* impoſita: quod Agathias ἐν τῷ πρὸς ἥλιον ἀνίσχοντα τοῦ λόφου τετραμμένῳ ἀγκῶνι ὑπεῖναι, id eſt, *in orientali collis flexu ſubeſſe, dixit*. quod ipſum Virgilius Aeneid. lib. III ita expreſſit:

Huc ubi delatus Cumarum acceſſerit urbem,
Inſanam vatem adſpicies, quæ rupe ſub imâ
Fata canit.

Nempe in penitiſſimo illo adyto, ſive, ut Agathias vocat, ἐν κύτῳ ὄρει καὶ βαραθρώδει, *in ingenti & barathri inſtar cavo profundoque ſinu*. In arce urbis ſitum fuiſſe templum Apollinis, plures teſtantur auctores. Virgilius ſuprà dicto Aeneid. lib. VI:

At pius Aeneas arceis, quibus altus Apollo
Præſidet, horrendæqae procul ſecreta Sibyllæ,
Antrum immane petit.

Ad quem locum ita Servius: *Quum ubique arx Iovi detur, apud Cumas in arce Apollinis templum eſt.* Et mox: *Cœlius de Cumano Apolline ait; Eſt in fano ſignum Apollinis ligneum, altum non minùs pedes XV. cuius meminiſſe putatur Virgilius.* Livius lib. XLIII: *Cumis in arce Apollo triduum ac treis nocteis lacrumavit.* Hinc illud etiam Statii Silvar. lib. IIII carm. III:

Sed quam fine viæ recentis imo
Quà monſtrat veteres Apollo Cumas,
Albam crinibus infulisque cerno?
Viſu fallimur? an ſacris ab antris
Profert Chalcidicas Sibylla laurus?

Apollo monſtrabat Cumas; quia templum eius eminentiſſimum erat in ipſâ arce. Ne autem ſuſpiceris, prædicto antro ſuperimpoſitum fuiſſe iſtud altum Apollinis templum; en ita ait Virgilius, dicto lib. VI:

Talibus adfata Aeneam (nec ſacra morantur
Iuſſa viri) Teucros vocat alta in templa ſacerdos,
Exciſum Euboicæ latus ingens rupis in antrum;
Quo lati ducunt aditus centum, oſtia centum.

Cæterò conditorem huius templi prodit Virgilius ibidem continuò antè *Dædalum*, his verbis:

Dædalus, ut fama eſt, fugiens Minoïa regna,
Præpetibus pennis auſus ſe credere cœlo,
Inſuetum per iter gelidas enavit ad Arctos;
Chalcidicâque levis tandem ſuper adſtitit arce.
Redditus his primùm terris, tibi Phœbe ſacravit
Remigium alarum; poſuitque immania templa.

Et Virgilii imitator Silius, lib. XII ita tradit de Hannibale:

Tandem ad vicinos Cumarum vertere portus
Defeſſos ſubigit.
Sed cuſtos urbi Gracchus, tutela vel ipſis
Certior arcebat muris: iterumque ſedere
Portis atque aditus iterum ſperare vetabat.
Luſtrat inops animi, rimatur & omnia circùm,
Alite vectus equo.
Atque heic perluſtrans aditus, fulgentia cernit
Arcis templa jugo. quorum tunc Virius, altæ
Immitis ductor Capuæ, primordia pandit.
Non eſt hoc, inquit, noſtri, quod ſuſpicis, ævi.
Maiores fecêre manus. Quum regna teneret
Dictæi regis (ſic fama eſt) linquere terras
Dædalus invênit.
Heic pro nubivago gratus pia templa meatu
Inſtituit Phœbo, atque audaces exuit alas.

Iuvenalis Satyrâ III:

Quamvis digreſſu veteris confuſus amici;
Laudo tamen, vacuis quod ſedem figere Cumis
Deſtinet, atque unum civem donare Sibyllæ.

Exiguo pòſt:

Heic tunc Vmbricius; Quando artibus, inquit, honeſtis

Nullus

Nullus in Vrbe locus, nulla emolumenta laborum;
Res hodiè minor eſt, herè quàm fuit; atque eadem cras
Deteret exiguis aliquid: proponimus illuc
Ire, fatigatas ubi Dædalus exuit alas.

Huc etiam pertinere arbitror illud Statii Silvar. lib. III carm. I:

Spectat & Icario nemoroſus palmite Gaurus.

Gaurum montem eſſe inter Cumas atque Puteolos, infrà docebo. Verùm meram hanc ego de Dædali in Italiam adventu exiſtimo eſſe fabulam: utique, quum è diverſo Diodorus lib. IIII, & Pauſanias in Arcadicis Bœoticisque, in Siciliam è Cretâ eum perveniſſe, ibique multa ac miranda opera ſtruxiſſe teſtentur; nihil prorſus de Italiâ addentes. Scilicet tam magno mirandoque ad Cumas operi maximum celebratiſſimumque artificem adfinxiſſe auctorem, ſplendidum videbatur atque magnificum. Cæterùm, poſtquàm jam Iuvenalis tempeſtate *vacuæ* cultoribus eſſent *Cumæ*, ita paullatim porrò defecerunt, uti tandem Iuſtiniani imperatoris tempore ἐλάχιςον, ut teſtatur ſuprà ſcripto loco Agathias, forent πολίχνιον, *perexiguum opidulum*. unde etiam φρούριον adpellatur, id eſt, *caſtellum*, Procopio Gothicarum rerum lib. III, & Diacono poſteà Langobard. rer. lib. VI cap. XL, *Cumanum caſtrum*. Sed de urbe Cumis temploque Apollinis & antro Sibyllæ ſatis hactenus diſſertum.

Porrò Cumas ſequitur MISENVM PROMONTORIVM, vulgò nunc etiam Monte Miſeno & Capo Miſeno dictum. Memoratur compluribus auctoribus antiquis, quos citatum imus. Strabo lib. V: Πλησίον ἐστὶ τῆς Κύμης τὸ Μισηνὸν ἀκρωτήριον. Id eſt: *Cumis vicinum eſt Miſenum promontorium*. Plinius lib. III cap. V: *Liternum, Cumæ, Miſenum, portus Baiarum, Bauli, lacus Lucrinus & Avernus, Puteoli*. Mela Pomponius lib. II cap. IIII, adverſo incedens litore: *Puteoli, lacus Lucrinus & Avernus, Baiæ, Miſenum, Cumæ, Liternum*. Nomen id poëtæ, & qui poëtas ſequuti ſunt geographi, ab Aeneæ ſocio nomine manſiſſe finxerunt. Virgilius lib. VI:

Atque illi Miſenum in litore ſicco,
Vt venêre, vident indignâ morte peremptum:
Miſenum Aeoliden; quo non præſtantior alter
Aere ciêre viros, Martemque accendere cantu.
Hectoris hic magni fuerat comes: Hectora circum
Et lituo pugnas inſignis obibat & haſtâ.
Poſtquàm illum victor vitâ ſpoliavit Achilles;
Dardanio Aeneæ ſeſe fortiſſimus heros
Addiderat ſocium; non inferiora ſequutus.
Sed tum fortè cavâ dum perſonat æquora conchâ
Demens, & cantu vocat in certamina divos,
Aemulus exceptum Triton (ſi credere dignum eſt)
Inter ſaxa virum ſpumoſâ immerſerat undâ.

Et aliquanto pôſt:

Nec minùs intereà Miſenum in litore Teucri
Flebant; & cineri ingrato ſuprema ferebant.

Paullo pôſt:

At pius Aeneas ingenti mole ſepulcrum
Imponit, ſuaque arma viro, remumque tubamque,
Monte ſub aërio; qui nunc Miſenus ab illo
Dicitur; æternumque tenet per ſæcula nomen.

Propertius lib. III eleg. XVII:

Quà jacet & Troiæ tubicen Miſenus arenâ.

Silius lib. XII:

Nec non Miſenum, ſervantem Idæa ſepulcro
Nomina.

Statius Silvar. lib. III carm. I:

Et Lucrina Venus, Phrygioque è vertice Graias
Addiſcis Miſene tubas.

Silvar. lib. III carm. V:

Sive vaporiferas, blandiſſima litora Baias,
Enthea fatidicæ ſeu viſere tecta Sibyllæ,
Dulce ſit, Iliacoque jugum memorabile remo.

Silvar. lib. III carm. VII:

Ecce me natum propiore terrâ,
Non tamen portu retinent amœnæ
Deſides Baiæ, liticenve notus
Hectoris armis.

Silvar. lib. V carm. III:

Quos propiore ſinu lituo remoque notatus
Collis & Auſonii pridem laris hoſpita Cyme,
Quos Dicharchæi portus Baianaque mittunt
Litora.

Propertius lib. III eleg. XVII:

Quò jacet & Troiæ tubicen Miſenus arenâ.

Servius ad præſcriptum locum Virgilii: *Bene Miſenum dicit tubicinem. ipſe eſt enim, qui filius fuiſſe Aeoli dicitur. unde ait, Miſenum Aeolidem: quia conſtat ſonum omnem ex vento creari.* Sed jam & geographi producantur. Mela dicto lib. II cap. IIII: *Miſenum: id nunc loci, aliquando Phrygii militis nomen.* Solinus cap. VIII: *Par ſententia eſt inter auctores, à gubernatore Aeneæ adpellatum Palinurum, à tubicine Miſenum.* Non quidem omnium par ea fuit auctorum ſententia. nam alii Vlyſſis ſocium fecêre. qua de re corruptus locus legitur apud Strabonem lib. V in hæc verba: Τὰς δὲ Βαΐας ἐπωνύμους εἶναι λέγουσι Βαΐου, τῶν Ὀδυσσέως ἑταίρων τινός, καὶ τ̃ Μισηνῶν. Locus ſanè poſtremâ ſui parte omni ſenſu carens. qui tamen facilè reſtitui poterat ex ipſius Strabonis lib. I; ubi ita ſcriptum de Vlyſſis circa Siciliam & hæc Campaniæ litora oberratione: Ἐπεὶ τίς ἔπεισε ποιητὴς ἢ συγγραφεὺς, Νεαπολίτας μὲν λέγειν μνῆμα Παρθενόπης τῆς Σειρῆνος, τοὺς δ᾽ ἐν Κύμῃ καὶ Δικαιαρχίᾳ καὶ Βεσουβίῳ Πυριφλεγέθοντα καὶ Ἀχερουσίαν λίμνην καὶ νεκυομαντεῖον τὸ ἐν τῷ Ἀόρνῳ, καὶ Βαῖον καὶ Μισηνὸν, τῶν Ὀδυσσέως ἑταίρων τινάς; Id eſt: *Quis enim alioqui poëta aut rerum ſcriptor perſuaſiſſet Neapolitanis, ut Parthenopæ Sirenes monimentum jactarent; Cumanis, Puteolanis, & Veſuvium adcolentibus, ut Pyriphlegethontem lacumque Acheruſium & oraculum mortuorum apud Avernum, tum Baium ac Miſenum, quosdam de Vlyſſis ſociis, memorarent?* Ex hoc igitur loco ille ſic corrigendus eſt: Τὰς δὲ Βαΐας ἐπωνύμους εἶναι λέγουσι Βαΐου, καὶ τὸ Μισηνὸν Μισηνοῦ, τῶν Ὀδυσσέως ἑταίρων τινῶν. Hoc eſt: *Baias à Baio, Miſenum à Miſeno, quibusdam Vlyſſis ſociorum, cognomina accepiſſe tradunt.* Ergo ab aliquo mortali promontorium nomen habere quum vulgò crederetur; Livius atque Tacitus & Lycophron MISENI id dixêre PROMONTORIVM. Livius lib. XXIIII: *Hannibal, pervaſtato agro Cumano usque ad Miſeni promontorium, Puteolos repentè agmen convertit.* Tacitus Annal. lib. XV: *Nec multo pòſt clades rei navalis accipitur; non bello; ſed certum ad diem in Campaniam redire claſſem Nero juſſerat; non exceptis maris caſibus. Ergo gubernatores, quamvìs ſæviente pelago, à Formiis movêre: & gravi Africo, dum promontorium Miſeni ſuperare contendunt; Cumanis litoribus impacti, triremiumque pleraſque & minora navigia paſſim amiſerunt.* Lycophron:

—— Ὅν ποτ᾽ αὐξήσει λεὼς
Νεαπολιτῶν, οἱ παρ᾽ ἄκλυστον σκέπας
Ὅρμων Μισηνοῦ στύφλα ναίουσιν κλίτη.

Hoc eſt: —— *Quem augebit populus*
Neapolitanus; qui juxta tranquillum tegmen
Miſeni portuum ſaxoſa habitabit promontoria.

PORTVS MISENVS aliis quoque memoratur auctoribus. Florus lib. I cap. XVI, de Campaniâ loquens: *Heic illi nobiles portus, Caieta, Miſenus.* Dionyſius Halicarnaſſenſis lib. I: Οἱ δὲ σὺν τῷ Αἰνείᾳ πλέοντες ἀπὸ Σικελίας διὰ τοῦ Τυρρηνικοῦ πελάγους, πρῶτον μὲν ὡρμίσαντο τῆς Ἰταλίας κατὰ τὸν λιμένα Παλίνουρον, ὃς ἀφ᾽ ἑνὸς τῶν Αἰνείου κυβερνητῶν, τελευτήσαντος αὐτόθι, ταύτης τυχεῖν λέγεται τῆς ὀνομασίας. ἔπειτα νήσῳ προσέσχον, ἣ τοὔνομα ἔθεντο Λευκασίαν, ἀπὸ γυναικὸς, ἀνεψιᾶς Αἰνείου, περὶ τόνδε τὸν τόπον ἀποθανούσης. ἐκεῖθεν δὲ κατάραντες εἰς λιμένα καλὸν καὶ βαθὺν ἐν Ὀπικοῖς, τελευτήσαντος καὶ αὐτόθι Μισηνοῦ, τῶν ἐπιφανῶν τινος, ἀπ᾽ ἐκείνου τὸν

λιμένα

λιμβρία ὠνόμασαν. Hoc eſt: *Aeneas, cum ſuis ex Siciliâ per Tuſcum mare navigans, in Italiâ primùm adpulit ad portum Palinurum; qui ab uno gubernatorum Aeneæ, ibi defuncto, nomen id ſortitus eſt. deinde ad inſulam adplicuerunt, cui nomen indiderunt Leucaſiæ, ab Aeneæ conſobrinâ, circa hæc loca defunctâ. hinc devecti ad pulchrum atque profundum in Opicis portum; exſtincto ibi quoque Miſeno, viro nobili, ab eo portum cognominarunt.* Apud Strabonem dicto lib. v hæc leguntur verba: Κάμψαντι δὲ τὸ Μισηνὸν λίμνη εὐθὺς ὑπὸ τῇ ἄκρᾳ· καὶ μετὰ τοῦτο ἐγκολπίζουσα ἠϊὼν εἰς βάθος ἔνναον, ἐν ᾗ αἱ Βαΐαι. ταῖς δὲ Βαΐαις συνεχὴς ὅ τε Λουκρῖνος κόλπος, καὶ ἐντὸς τούτου ὁ Ἄορνος. Hoc eſt: *Miſenum poſtquàm circumflexeris, ſub ipſo protinus promontorio eſt lacus: atque poſt hoc litus profunditate immensâ in ſinum reducitur, in quo ſunt Baiæ. his conterminus eſt Lucrinus ſinus, & intra hunc Avernus.* Id miror, ſcripſiſſe eum, λίμνη, καὶ μετὰ τοῦτο. omninoque ſuſpicor, pro corruptis vocabulis reponendum eſſe; Κάμψαντι δὲ τὸ Μισηνὸν λιμὴν εὐθὺς ὑπὸ τῇ ἄκρᾳ· καὶ μετὰ τοῦτον ἐγκολπίζουσα ἠϊὼν εἰς βάθος ἔνναον. Id eſt: *Miſenum poſtquàm circumflexeris, ſub ipſo protinus promontorio eſt portus. atque poſt hunc litus profunditate immensâ in ſinum reducitur. Portus* hic *Miſenus* falſo nomine hodiè incolis vocatur vulgò *Il Porto Giulio:* quum Iulius portus fuerit ad Lucrinum Avernumque lacus; ut infrà oſtendetur. Cæterùm Miſenus quum adeò fuerit καλὸς καὶ βαθὺς, ut ait Dionyſius, id eſt, *pulcher atque profundus*; Auguſtus Cæſar claſſem in eo collocavit ad tutelam inferi maris. Svetonius in vitâ eius, cap. XLVIII: *Ex militaribus copiis legiones & auxilia provinciatim distribuit. claſſem Miſeni & alteram Ravennæ, ad tutelam ſuperi & inferi maris, collocavit.* Hinc Tacitus Annal. lib. IIII: *Italiam utroque mari duæ claſſes, Miſenum apud & Ravennam, præſidebant.* Et Hiſtoriar. lib. II: *Datæ è claſſe Miſenenſi duæ triremes ad proſequendum.* Item Hiſtor. lib. IIII: *Poſtremò tædio caſtrorum, & auditâ defectione Miſenenſis claſſis, Romam revertit.* Dio lib. LXXIII: Καὶ οἱ ἐκ τοῦ ναυτικοῦ, τοῦ ἐν τῷ Μισηνῷ ναυλοχοῦντος, μεταπεμφθέντες, οὐδ᾽, ὅπως γυμνάζωνται, ᾔδεσαν. Id eſt: *Nec milites claſſis, quæ apud Miſenum ſtationem agebat, accerſiti, quemadmodùm ſeſe exercerent, ſciebat.* Sed ad portum fuit & *opidum* celebre MISENVM. unde præſcriptum iſtud Svetonii: *Claſſem Miſeni & alteram Ravennæ collocavit.* Cicero ad Atticum lib. x epiſt. VII: *Antonius ad Miſenum* VI *Non. venturus dicebâtur.* Lib. XIIII epiſt. XXII: *Quum in Pompeiano eſſem, Miſenum venit Antonius. inde antè diſceſſit, quàm illum veniſſe audiſſem.* Lib. XV epiſt. I: *De Antonio jam anteà tibi ſcripſi, non eſſe eum à me conventum. venit enim Miſenum, quum ego eſſem in Pompeiano. inde antè profectus eſt, quàm ego eum veniſſe cognovi.* Plinius Iunior lib. VI epiſt. XVI; quam de interitu avunculi ſui ad Tacitum ſcripſit: *Erat Miſeni; claſſemque imperio præſens regebat.* Et ſub finem epiſtolæ: *Interim Miſeni ego & mater.* Auctor ἀνώνυμος Olympiadum: Τιβέριος ἐν Μισηνῷ τῆς Καμπανίας νόσῳ μετήλλαξεν. Id eſt: *Tiberius Miſeni in Campaniâ morbo exſtinctus eſt.* Svetonius in Tiberio cap. LXXII: *Rediens ergo properè in Campaniam Aſturæ in langvorem incidit. quo paullum levatus, Circeios pertendit.* Mox: *Suſtentavit tamen aliquamdiu; quamvìs, Miſenum usque devectus nihil ex ordine quotidiano prætermitteret.* Et cap. LXXIIII: *Et Miſeni cinis è favillâ & carbonibus, ad calefaciendum triclinium illatus, exſtinctus eſt.* Dio lib. LVIII: Ἔφθασε γὰρ ἐν Μισηνῷ μεταλλάξας, πρὶν τι αὐτῶν μαθεῖν. Id eſt; *Miſeni mortuus eſt, antequàm quidquam de iis reſciret.* Ioſephus Iudaicar. antiquitat. lib. XVIIII cap. I; de Caligulâ loquens: Ἀπὸ Δικαρχίας τῆς πόλεως, ἐν Καμπανίᾳ κειμένης, εἰς Μισηνοὺς, ἑτέραν πόλιν ἐπιθαλάσσιον, ἤλαυνεν ἐπὶ τῇ γεφύρᾳ τὸ ἅρμα. Id eſt: *A Puteolis, opido Campaniæ, ad Miſenos, itidem opidum maritimum, per pontem curru vectus eſt.* Hodiè rudera adhuc quædam opidi exſtant, cum conſpicuis theatri reliquiis. Ab Saracenis everſum fuiſſe opidum, teſtis eſt ſcriptor Martyrii ſanctorum Soſii & Ianuarii cap. XV. Cæterùm opidanos dictos fuiſſe MISENENSES, ſuprà ex Tacito intelleximus. hinc *in Miſenenſi* Plinius quoque dixit lib. XVIII cap. VI. At poſteriori ævo dicti ſunt MISENATES: ut eſt apud Vegetium lib. V cap. I & II *Miſenatium claſſis.* atque ita apud omneis inferiores ſcriptores.

Cæterùm VILLA fuit prope Miſenum C. MARII. Plinius lib. XVIII cap. VI: *Noviſſimus villam in Miſenenſi poſuit C. Marius, ſepties conſul; ſed peritiâ caſtra metandi: ſic, ut comparatos ei cæteros etiam Sylla Felix cæcos eſſe diceret.* Plutarchus in Mario: Καὶ γὰρ ἦν ἐκεῖ περὶ Μισηνοὺς τῷ Μαρίῳ πολυτελὴς οἰκία, τρυφὰς ἔχουσα καὶ διαίτας θηλυτέρας, ἢ κατ᾽ ἄνδρα πολέμων τοσούτων καὶ στρατειῶν αὐτουργόν. ταύτην λέγεται μυριάδων ἑπτὰ ἡμίσους Κορνηλία πρίασθαι. χρόνου δ᾽ οὐ πάνυ πολλοῦ γενομένου Λεύκιος Λεύκολλος ὠνεῖται μυριάδων πεντή-

κοντα καὶ διακοσίων. Id eſt: *Villam enim ibi circa Miſenum Marius amœnam & molliùs habebat inſtructam, quàm conveniret viro, qui tot bella & expeditiones perpetraverat. Eam ferunt* LXXV *millibus denariorum Corneliam emiſſe. nec multo interlapſo ſpacio L. Lucullus quingentis millibus & ducentis eſt licitatus.* Situm eius ferè indicat Seneca epiſt. LI. *Illi quoque, ad quos primos fortuna Romani populi publicas opes tranſtulit, C. Marius & Cn. Pompeius & Cæſar exſtruxerunt quidem villas in regione Bainâ; ſed illas impoſuerunt ſummis jugis montium. videbatur hoc magis militare, ex edito ſpeculari latè longéque ſubjecta.* Certè in ipſo Miſeno monte non fuit Marii villa, ſi regione fuit Baianâ. at mons heic in Miſinenſi agro nullus alius eſt, quàm qui è regione Baiarum versùs occidentem vulgò nunc vocatur *Monte di Procita*, ab inſulâ Prochytâ, quæ ei objacet. In hoc igitur haud dubiè fuit *villa C. Marii.*

In ipſo promontorio Miſeno, ubi nunc ſpecula viſitur, videtur L. LVCVLLI fuiſſe VILLA. Tacitus Annal. lib. VI, de Tiberio ſcribens: *Mutatis ſæpius locis, tandem ad promontorium Miſeni conſedit, in villâ, cui L. Lucullus quondam dominus.* Diſertiùs Phœdrus lib. II fab. XXXVI:

Cæſar Tiberius, quum petens Neapolim,
In Miſenenſem villam veniſſet ſuam,
Quæ, monte ſummo poſita Luculli manu,
Proſpectat Siculum & proſpicit Tuſcum mare.

Tuſcum heic adpellat *mare*, quod à Miſeno versùs Tyrrheniam ſive Etruriam protenditur; *Siculum* verò, quod ab alterâ eiusdem Miſeni parte ad Siciliam usque pertinet. Hinc igitur Svetonius, Dio, auctor ἀνώνυμος Olympiadum, quos omneis ſuprà ad Miſeni opidi deſcriptionem citavi, Miſeni Tiberium exſtinctum tradunt: ſcilicet, quia tam propinqua villa fuit opido; non ultra jactum teli.

Cæterùm à Miſeno opido ad lacum usque Avernum, per V ferè millia paſſuum PISCINAM inſtituerat NERO. Svetonius in vitâ eius, cap. XXXI: *Piſcinam inchoabat à Miſeno ad Avernum lacum, contectam, porticibus concluſam: quò quidquid totis Baiis calidarum eſſet, converteretur.* Deſtitutum hoc fuiſſe opus, diſertè ex hac oratione adparet.

ACHERVSIVS LACVS.

At inter Miſenum promontorium & Cumas, propius tamen hanc urbem ACHERVSIVS LACVS, ſive ACHERVSIA PALVS. Strabo lib. V: Πλησίον δ' ἐστὶ τῆς Κύμης τὸ Μισηνὸν ἀκρωτήριον, καὶ ἐν τῷ μεταξὺ Ἀχερουσία λίμνη, τῆς θαλάσσης ἀνάχυσίς τις τεναγώδης. Id eſt: *Cumis propinquum eſt Miſenum promontorium; in medio verò Acheruſius lacus, cœnoſa quadam maris effuſio.* Lycophron:

Βαΐου δ' ἀμείψας τοῦ κυβερνήτου τάφον
Καὶ Κιμμέρων ἔπαυλα κ' Ἀχερουσίαν
Ῥόχθοισι κυμαίνουσαν οἴδματος χύσιν.

Hoc eſt:

Tum Baii transiens gubernatoris ſepulcrum
Et Cimmeriorum domicilia, Acheruſiamque
Procellis fluctuantem undæ effuſionem.

In Tabulâ itinerariâ lacus in hoc litore, licèt non rectè inter *Liternum & Cumas*, depingitur, cum hac inſcriptione: *Lacus Aceruſius*: haud dubiè adſpiratione per librarii incuriam omiſsâ. Plinius lib. III cap. V ita ſitum eius indicat: *Liternum, Cumæ, Miſenum, portus Baiarum, Bauli, lacus Lucrinus & Avernus; juxta quem Cimmerium opidum quondam. dein Puteoli colonia, Dicæarchiæ dicti: poſtque Phlegræi campi; Acheruſia palus, Cumis vicina litore autem, Neapolis, Herculanium, Pompeii.* Quia heic Acheruſiam paludem Cumis facit vicinam Plinius; Strabo verò Acheruſium lacum maris ait eſſe effuſionem inter Cumas & Miſenum; nullus is alius eſſe poteſt, quàm qui hodiè incolis vulgari adpellatione dicitur *Il lago di Colluccia.* Sed Lucrinum lacum nonnullos, quosdam verò Avernum vocaſſe Acheruſium, pòſt ex eodem Strabone aliisque oſtendam auctoribus.

Prope Acheruſium lacum fuit SERVILII VATIAE VILLA. Seneca epiſt. LV: *Ideò diutius vehi perſeveravi; invitante ipſo litore, quod inter Cumas & Servilii Vatiæ villam curvatur, & hinc mari illinc lacu, velut anguſtum iter clauditur.* Paullo pòſt: *De ipſâ villâ nihil poſſum tibi certi ſcribere. frontem eius tantùm novi, & expoſita: quæ oſtendit etiam transeuntibus. Speluncæ ſunt duæ magni operis, laxo atrio pares, manu factæ.*

quarum

quarum altera Solem non recipit; altera uſque in occidentem torretur. Platanona medius rivus, & à mari & ab Acheruſio lacu receptus, Euripi modo dividit; alendis piſcibus ſufficiens. Hoc eſt commodiſſimum in villâ quòd Baias trans parietem habet. incommodis illarum caret; voluptatibus fruitur. Ocurrit Favonio: & illum adeò excipit, ut Baiis neget. Ergo *villa* hæc *Vatiæ* poſita fuit à tergo Baiarum, apud Acheruſium lacum, haud procul à litore; ita, uti frons eius ab iter facientibus in litore inter Cumas & Miſenum, conſpici potuerit.

Poſt Miſenum igitur ſequebantur ipſæ BAIAE; ob delicias ſuas, ſeu veriùs ob populi Romani corruptelam, totâ Italiâ celebratiſſimum opidum. Caſtellum nunc eo ſitu vulgò incolis vocatur *Il Caſtel di Baia*. In ipſo litore fuiſſe Baias, diſertè teſtatur Strabo lib. v his verbis: Κάμψαντι δὲ τὸ Μισηνὸν, λιμὴν εὐθὺς ὑπὸ τῇ ἄκρᾳ· καὶ μετὰ τοῦτον ἐγκολπίζουσα ἡ ἠϊὼν εἰς βάθος ἀέναον, ἐν ᾗ αἱ Βαΐαι. Id eſt: *Miſenum ubi circumflexeris, ſub ipſo ſtatim promontorio portus eſt: & poſt hunc litus profunditate immenſâ in ſinum reducitur: in quo litore Baiæ ſunt*. Nomen Baiis unde quæſitum ſit, oſtendit ibidem Strabo. Τὰς δὲ Βαΐας, inquit, ἐπωνύμους εἶναι λέγουσι Βαΐου, καὶ τὸ Μισηνὸν Μισηνοῦ, τῶν Ὀδυσσέως ἑταίρων τινῶν. Id eſt: *Baias à Baio & Miſenum à Miſeno, quibuſdam Vlyſſis ſociorum, cognomina accepiſſe ferunt*. Straboni adſtipulantur complures alii auctores. Lycophron:

> Βαΐου δ' ἀμείψας τοῦ κυβερνήτου τάφον.
> *Tum Baii transiens gubernatoris ſepulcrum.*

Silius lib. VIII:

> *Sarraſſeis etiam populos totasque videres*
> *Sarni mitis opes. illic, quos ſulfure pingveis*
> *Phlegræi legère ſinus, Miſenus, & ardens*
> *Ore giganteo ſedes Ithaceſia Baii.*

Ithaceſiam adpellat *Baii ſedem*; quia is ex *Ithacâ* erat inſulâ unà cum Vlyſſe. Idem auctor lib. XII:

> ——— *Ille, tepentes*
> *Vnde ferant nomen Baiæ, comitemque dediſſe*
> *Dulichiæ puppis ſtagno ſua nomina, monſtrat.*

Dulichium quoque inſula, proximè Ithacam ſita, ſub ditione Vlyſſis. Servius ad Virgilii Aeneid. lib. III: *Haud longè à Baiis. qui locus à ſocio Vlyſſis Baio, illic ſepulto, nomen accepit*. Et ad Aeneid. lib. VI: *A Baio, ſocio Vlyſſis, illic mortuo, Baias conſtat eſſe nominatas*. Item in lib. VIIII: *Ex Eubœâ inſulâ Chalcidenſes venerunt, qui condiderunt Cumas; quæ ſunt Baiis vicinæ. Poſtuinus de Adventu Aeneæ, & Lutatius Communium hiſtoriarum, Boiami Euximi comitis Aeneæ nutrice, & ab eius nomine Baias vocatas dicunt. veteres tamen portum Baias dixiſſe. Varro à Baio Vlyſſis comite; qui illic ſepultus eſt, Baias dictas tradit*. Locus eſt admodùm corruptus. Illic fortè ſcriptum erat: *Baiam, Euximi, comitis Aeneæ, nutricem, & ab eius nomine Baias*. Ergo ſecundùm Silium & *veteres* iſtos, quos Servius citat, ab initio non opidum heic aliquod; ſed PORTVS dictus fuit BAIAE à Baio, Vlyſſis ſocio. Memoratur is Plinio quoque lib. III cap. V: *Liternum*, inquit, *Cumæ, portus Baiarum, Bauli, lacus Lucrinus & Avernus*. Item Statio Silvar. lib. IIII carm. VII:

> *Ecce, me natum propiore terrâ,*
> *Non tamen portu retinent amœno*
> *Deſides Baiæ.*

Item Floro lib. I cap. XVI, in his verbis: *Heic illi nobiles portus, Caieta, Miſenus, & tepentes fontibus Baiæ*. Portus heic equidem hodiéque exſtat; ſed triremium tantùm capax. magna quidpe litoris pars maris fluctibus abſumpta eſt: ita, uti & veterum Baiarum reliquiæ & via latiſſima hinc versùs Miſenum ſilice ſtrata ſub undis nunc conſpiciantur. Cæterùm nulla res Baias æquè celebres olim clarasque reddidit, ac FONTES CALIDI; qui magno numero heic etiam nunc, at olim multo plures ſcaturiebant: unde ſummarum Romanis deliciarum factus eſt locus. Ovidius de Arte amandi lib. I:

> *Quid referam Baias prætextaque litora velis,*
> *Et, quæ de calido ſulfure fumat, aquam?*

Et Μεταμορφώσεων lib. XV:

Inde legit Capreas promontoriumque Minervæ,
Et Surrentino generoſos palmite colleis,
Herculeamque urbem, Stabiasque, & in otia natam
Parthenopen; & ab hac Cumæa templa Sibyllæ.
Hinc calidi fontes lentiſciferumque tenetur
Liternum.

Metro adſtrictus ordinem chorographicum obſervare haud potuit. malè enim calidos fonteis inter Cumas & Liternum, malè item Herculanium inter Stabias & Surrentum locavit. Porrò Statius Silvar. lib. III carm. II:

Vos quoque cæruleum divæ Nereides agmen,
Surgite de vitreis ſpumoſæ Dorides antris;
Baianosque ſinus & fœta tepentibus undis
Litora tranquillo certatim ambite natatu.

Eodem Silvar. lib. III carm. V:

Nec deſunt varia circùm oblectamina vitæ:
Sive vaporiferas, blandiſſima litora, Baias,
Enthea fatidicæ ſeu viſere tecta Sibyllæ,
Dulce ſit.

Silvar. lib. V carm. III:

Quosque Dicarchæi portus Baianaque mittunt
Litora; quà mediis altè permiſſus anhelat
Ignis aquis; & operta domos incendia ſervant.

Plinius lib. XXXI cap. II; quod eſt de aquis: *Augent numerum deorum nominibus variis; urbeisque condunt: ſicut Puteolos in Campaniâ, Statiellas in Liguriâ, Sextias in Narbonenſi provinciâ. nusquàm tamen largiùs, quàm in Baiano ſinu, nec pluribus auxiliandi generibus; aliæ ſulfuris, aliæ aluminis, aliæ ſalis, aliæ nitri, aliæ bituminis; nonnullæ etiam acidâ ſalsâve miſturâ.* Ob hanc igitur tam multiplicem aquarum ſalubritatem, ob tam variam circumjecti ſoli amœnitatem, nulla pars Italiæ pluribus cùm ipſorum imperatorum, tùm aliorum illuſtrium Romanorum virorum villis prætoriisque frequentata fuit, quàm ipſæ *Baiæ*. unde illud Ioſephi Antiquitat. Iudaicar. lib. XVIII cap. XIIII: Προσέπλευσαν ἀμφότεροι Δικαρχίᾳ, καὶ τὸν Γάϊον ἐν Βαΐαις λαμβάνουσιν. πολίχνιον δ' ἐστὶ καὶ τοῦτο τῆς Καμπανίας, ὅσον ἀπὸ σταδίων πέντε τῆς Δικαρχίας κείμενον. βασίλειοί τε εἰσιν οἰκήσεις αὐτόθι πολυτελέσι κεχρημέναι κατασκευαῖς, φιλοτιμηθέντος τῶν αὐτοκρατόρων ἑκάστου προγεγονότας ὑπερβάλλεσθαι. λουτρά τε παρέχεται τὸ χωρίον θερμὰ γῆθεν αὐτόματα ἀνιόντα, ἀγαθὰ ἐπί τε ἴασιν τοῖς χρωμένοις, καὶ ἄλλως τῷ ἀνειμένῳ τῆς διαίτης συμφέροντα. Hoc eſt: *Vterque Puteolos adpulit: Caiumque apud Baias reperierunt. id opidulum eſt Campaniæ, V fermè ſtadia à Puteolis disſitum. ubi prætoria ſunt ſplendidiſſima: dum imperatorum quisque ſuperiorem vincere contendit magnificentiâ: invitantibus eò lavacris calidis, ſponte è terrâ ſcaturientibus, tam ad reficiendam corporum valetudinem, quàm ad animos otio relaxandos commodis.* Strabo dicto lib. V: Κάμψαντι δὲ τὸ Μισηνὸν, λιμὴν εὐθὺς ὑπὸ τῇ ἄκρᾳ. καὶ μετὰ τοῦτον ἐγκολπίζουσα ἡ ἠϊὼν εἰς βάθος ἀέννaον, ἐν ᾗ αἱ Βαΐαι καὶ τὰ θερμὰ ὕδατα, τὰ καὶ πρὸς τρυφὴν καὶ πρὸς θεραπείαν νόσων ἐπιτήδεια. Id eſt: *Miſenum ubi circumflexeris, protinus ſub ipſo promontorio eſt portus: & poſt hunc immenſâ profunditate in ſinum reductum litus; in quo ſunt Baiæ, cum aquis calidis, ad delicias pariter & morborum medelam aptis.* Verùm omnem hanc amœnitatem ſalubritatemque Baiarum copioſiſſimè omnium deſcripſit Athalaricus rex, in epiſtolâ ad Primiſcrinium; quæ apud Caſſiodorum eſt Variar. lib. VIIII epiſt. VI. *Poſtulas*, inquit, *ut, algentis corporis neceſſitate conſtrictus, Baiani lavacri ſiccitate laxeris. Perge igitur ad amœnos ſeceſſus: perge ad Solem, ut ita dixerim, clariorem. ubi, ſalubritate aëris temperatâ, terris blandior eſt natura. Illic, miraculis altâ cogitatione perpenſis, cum arcanis Mundi mens humana colloquitur: nec admirari deſinit, quæ ibi agi poſſe cognoſcit. primùm, Nerei fluenta marinis deliciis eſſe completa; tot portus naturæ prudentiâ terrenis finibus intermiſſos; tot inſulas nobileis, amplexu pelagi dotatas. deinde, immiſſum Averno ſtagneum mare: ubi ad voluptatem hominum vita gignitur oſtreorum. induſtriâque mortalium fieri, ut res, alibi fortuita, ibi ſemper adpareat copioſa. Quantis ibi molibus marini termini decenter invaſi ſunt? quantis in viſceribus æquoris terra promota eſt? Dextrâ lævâque greges piſcium ludunt. Claudantur alibi induſtrioſis parietibus copioſæ deliciæ: captivi teneantur aquatiles greges. heic*

ubique

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

ubique ſub libertate vivaria ſunt. Adde, quòd tam amœna eſt piſcatio, ut ante epuloſum convivium intuentium paſcat adſpectum. magnum eſt gaudium deſiderata cepiſſe. Sed ne longiùs evagemur; inter Neptunias gazas habitare creditur, cui otia Baiana præſtantur. His igitur rebus delicioſâ exercitatione ſaginati, ad pulcherrima lavacra contenditis, quæ ſunt & miraculis plena & ſalutis qualitate pretioſa. nam etſi hominum curâ fabricata noſcuntur; naturalibus certè miniſteriis exhibentur. Fornaces illic non robora convecta ſuccendunt. ceſſante flammâ, ibi perpetuus calor operatur. illic globi fumiferi neſciuntur. aura eſt puriſſima, quæ miniſtrat vapores, ſudores provocat dulciter anhelos; & tanto à communibus balneis ſalubrior invenitur, quantum ab humanâ induſtriâ celſior eſt natura. Videas illic undas perpetuis fumare gurgitibus. quæ ita videntur lavantum implere deſideria, ut humano credas ſtudio temperatas. Baianis litoribus nihil poteſt eſſe præſtantius. ubi contingit, & dulciſſimis deliciis veſci, & impretiabili munere ſanitatis expleri. Hinc illi verſus Martialis lib. XI epigram. LXXXI:

Litus beatæ Veneris aureum Baias,
Baias ſuperbæ blanda dona naturæ,
Vt mille laudem, Flacce, verſibus Baias;
Laudabo dignè non ſatis tamen Baias.

Verùm tantam loci amœnitatem & rerum omnium copiam ſequutus eſt luxus, & ex luxu orta bonorum morum depravatio, unde illud Statii Silvar. lib. IIII carm. VII:

Ecce me natum propiore terrâ,
Non tamen portu retinent amœno
Deſides Baiæ.

Sed apertiùs Seneca Epiſt. LI: *Nos utcumque poſſumus, contenti ſumus Baiis. quas poſtero die, quàm attigeram, reliqui locum ob hoc devitandum, (quum habeat quasdam naturaleis doteis) quia ſibi illum celebrandum luxuria deſumpſit. Quid ergo? ulli loco indicendum eſt odium? Minimè. ſed, quemadmodùm aliqua veſtis ſapienti ac probo viro magis convenit, quàm alia: nec ullum colorem ille odit; ſed aliquem putat parum aptum eſſe frugalitatem profeſſo: ſic regio quoque eſt, quam ſapiens vir, aut ad ſapientiam tendens, declinet, tamquàm alienam bonis moribus. Itaque de ſeceſſu cogitans, numquàm Canopum eliget: quamvìs neminem Canopus eſſe frugi vetat. ne Baias quidem. diverſorium vitiorum eſſe cœperunt. illic ſibi plurimum luxuria permittit: illic tamquam aliqua licentia debeatur loco, magis ſolvitur. Non tantùm corpori, ſed etiam moribus ſalubrem locum eligere debemus. Quemadmodùm inter tortores habitare nolim, ſic ne inter popinas quidem. Videre ebrios per litora erranteis, & commeſſationes navigantium, & ſymphoniarum cantibus perſtrepenteis lacus, & alia, quæ velut ſoluta legibus luxuria, non tantùm peccat, ſed publicat, quid neceſſe eſt?* Cæterùm notandum heic, antiquioribus temporibus aquas Baianas dictas fuiſſe CVMANAS AQVAS. Lucretius lib. VI:

Qualis apud Cumas locus eſt montemque Veſevum;
Oppleti calidis ubi fumant fontibus auctus.

Livius lib. XLI: *Acceſſerat ad religionem, quòd Cn. Cornelius conſul ex monte Albano rediens concidit: & parte membrorum captus, ad aquas Cumanas profectus ingraveſcente morbo Cumis deceſſit.*

Porrò Baias continuò ſequebantur LVCRINVS AVERNVSque LACVS. Plinius LVCRINVS lacus. lib. III cap. V: *Liternum, Cumæ, Miſenum, portus Baiarum, Bauli, lacus Lucrinus & Avernus; juxta quem Cimmerium opidum quondam. dein Puteoli:* Et Mela lib. II cap. IIII, adverſo litore incedens: *Puteoli, lacus Lucrinus & Avernus, Baiæ, Miſenum, Liternum.* Sed omnium curatiſſimè Strabo lib. V: Ταῖς δὲ Βαΐαις συνεχὴς ὅ τε Λοκρῖνος κόλπος, καὶ ἐντὸς τούτου ὁ Ἄορνος, χερρόνησον ποιῶν τὴν ἀπολαμβανομένην μέχρι Μισηνοῦ γῆν ἀπὸ τῆς πλαγίας τῆς μεταξὺ Κύμης καὶ αὐτοῦ. λοιπὸς γάρ ἐστιν ὀλίγων σταδίων διὰ τῆς διώρυγος ἰσθμὸς ἐπ' αὐτὴν Κύμην καὶ τὴν πρὸς αὐτὴν θάλατταν. Hoc eſt: *Baiis contiguus eſt Lucrinus ſinus, & intra hunc Avernus: qui id terræ, quod ad Miſenum usque inter Cumas & ipſum intercipitur, in peninſulæ formam redigit. intereſt quidpe iſthmus paucorum ſtadiorum, juxta cuniculum ad Cumas & mare eis conterminum porrectus.* Et haud multo pòſt de *Lucrino:* Ὁ δὲ Λοκρῖνος κόλπος πλατύνεται μέχρι Βαιῶν, χώματι εἰργόμενος ἀπὸ τῆς ἔξω θαλάττης ὀκταστάδιον τὸ μῆκος, πλάτος δ' ἁμαξιτοῦ πλατείας· ὅ φασιν Ἡρακλέα διαχῶσαι, τὰς βοῦς ἐλαύνοντα τὰς Γηρυόνου. Id eſt: *Lucrinus ſinus in latum extenditur ad Baias*

Baias usque; interclusus ab externo mari aggere longo ſtadia VIII, *latitudine tantâ, quanta lati currus orbitam capit*. Avernus lacus totus hodiéque exſtat. de quo mox plura dicam. At Lucrinus ferè omnis interiit. quidpe, quum ferè biennio totus hic tractus crebris terræ motibus fuiſſet concuſſus; tandem anno à nato Ieſu CIↄIↄXXXVIII, die III ante Kalendas Octobreis ex repentino altiſſimoque hiatu, ignem evomente, tanta cinerum pumicibus permixtorum vis eructata eſt, uti inde mons altiſſimus, latéque proxima occupans litora, exſtiterit; in cujus vertice prædictus hiatus etiam nunc conſpicitur. Nomen ei adcolæ impoſuêre *Mons novus*; & item *Mons cinereus*. Eius igitur cineres Lucrinum lacum ita tunc oppleverunt, uti nunc tenuis tantùm ac cœnoſa exſtet palus cum exiguo arundineto. Longitudinem eius olim fuiſſe VIII ſtadiorum, id eſt, mille paſſus, juxta mare porrectam, diſertè ſuprà teſtatur Strabo. Latitudinem inter mare & fauceis Averni quingentûm paſſuum fuiſſe colligo. quidpe hodiè à litore ad Avernum IↄCC haud ampliùs paſſus. prædictos autem cineres nonnihil ex mari occupaſſe, maximè credibile eſt. fauceis verò inter Lucrinum & Avernum quantum intervalli tenuerint incertum eſt. Cæterùm altitudo Lucrino fuit navium capax. Strabo eodem lib. V: Ἔστι δ᾽ ὁ μὲν Ἄορνος κόλπος ἀγχιβαθὴς, καὶ ἀρτίστομος λιμένος καὶ μέγεθος καὶ φύσιν ἔχων, χρείαν δ᾽ οὐ παρεχόμενος λιμένος, διὰ τὸ προκεῖσθαι τὸν Λοκρῖνον κόλπον, προσβραχῆ καὶ πολύν. Id eſt: *Avernus ſinus eſt undis profundiſſimis, faucibusque commodè ad recipiendas naveis inſtructus. neque ei, uti pro portu uſurpetur, vel à naturâ loci vel à magnitudine quidquam deeſt. ſed uſum tamen portus non præſtat; quòd ante eum ſitus eſt Lucrinus ſinus, prælongus atque altus*. De aggere, quo Lucrinus à mari arcebatur alii etiam meminerunt auctores; quibus vocatur VIA HERCVLEA ſive HERCVLANEA. Lycophron:

Βαίου δ᾽ ἀμείψας τοῦ κυβερνήτου τάφον
Καὶ Κιμμέρων ἔπαυλα κ᾽ Ἀχερουσίαν
Ῥόχθοισι κυμαίνουσαν οἴδματος χύσιν.
Ὄσσαν τε καὶ λέοντος ἀτραποὺς βοῶν
Χωστὰς, ὀβρίμους τ᾽ ἄλσος οὐδαίας κόρης,
Πυριφλεγές τε ῥεῖθρον.
Λιπὼν δὲ Ληθαιῶνος ὑψηλὸν κλέτας
Λίμνην τ᾽ Ἄορνον.

Hoc eſt:

Baii verò transiens gubernatoris ſepulcrum
Et Cimmeriorum domicilia, Acheruſiamque
Procellis fluctuantem undæ effuſionem,
Oſſamque, & leonis vias boum
Adgeſtas, Proſerpinæque nemus infernæ puellæ,
Et Pyriphlegethontem fluvium.
Relinquensque Lethæonis montem altum
Lacumque Avernum.

Ad hæc ſcholiaſtes poëtæ Iſacius Tzetzes: Λέοντος. Ἡρακλῆς ἢ διὰ τὴν λεοντῆν, ἢ διὰ τὴν ἀλκήν. Id eſt: *Leonis. Hercules intelligitur; aut ob leoninam pellem, aut propter robur*. Diodorus lib. IIII: Ὁ δ᾽ Ἡρακλῆς ἐκ τοῦ Φλεγραίου πεδίου κατελθὼν παρὰ τὴν θάλατταν, κατεσκεύαζεν ἔργα περὶ τὴν Ἄορνον ὀνομαζομένην λίμνην. ἀναπεπταμένης γὰρ τῆς λίμνης εἰς τὴν θάλατταν, τὸν Ἡρακλέα λέγεται τὸν μὲν ἔκρουν ἐγχῶσαι, τὴν δ᾽ ὁδὸν, τὴν νῦν οὖσαν παρὰ θάλατταν κατασκευάσαι, τὴν νῦν καλουμένην Ἡρακλείαν. Id eſt: *Hercules, relictis Phlegræ campis, ad mare digreſſus, opera quædam circa Avernum lacum ſtruxit. quidpe quum lacus in mare ſeſe expanderet, ducto aggere eum coërcuit; viamque juxta mare hac ratione effecit, quæ Herculea nunc vocatur*. Propertius lib. III eleg. XVII:

Qua jacet & Troiæ tubicen Miſenus arenâ,
Et ſonat Herculeo ſtructa labore via.

Silius lib. XII:

Aſt hic, Lucrino manſiſſe vocabula quondam
Cocyti, memorat; medioque in gurgite ponti
Herculeum commendat iter; quà diſpulit æquor
Amphitryoniades, armenti rector Iberi.

Cicero de Lege agrariâ contra Rullum ad populum oratione primâ: *Hæc lege tribunitiâ*

bunitiâ decemviri vendent. Accedet eò mons Gaurus: accedent ſalicta ad Minturnas: adjungetur etiam illa via vendibilis Herculanea; multarum deliciarum & magnæ pecuniæ permulta alia. Eamdem hanc viam intellexit & Athalaricus rex in ſuprà ſcriptâ epiſt. VI Variar. lib. VIIII; ubi ſic ait: *Immiſſum Averno ſtagneum mare. ubi ad voluptatem hominum vita gignitur oſtreorum. induſtriâque mortalium fieri, ut res, alibi fortuita, ibi ſemper adpareat copioſa. Quantis ibi molibus marini termini decenter invaſi ſunt? quantis in viſceribus æquoris terra promota eſt? Dextrâ lævâque greges piſcium ludunt. Claudantur alibi induſtrioſis parietibus copioſæ deliciæ: captivi teneantur aquatiles greges, heic ubique ſub libertate vivaria ſunt.* De *piſcibus* atque *oſtreis* vetuſtiores etiam adnotarunt auctores. Petronius in Satyrico:

—— Inque Lucrinis
Eruta litoribus vendunt conchylia cœnas.

Horatius Ε'πῳδῶν odâ II:

Non me Lucrina juverint conchylia.

Ad hæc vetus Scholiaſtes: *Lucrinus & Avernus duo lacus ſunt ad mare Baianum. in Lucrino autem abundant conchylia & alii piſces delicatiſſimi.* Servius ad Virgilii Γεωργικῶν lib. II: *In Baiano ſinu Campaniæ, contra Puteolanam civitatem, lacus ſunt duo, Avernus & Lucrinus: qui olim propter copiam piſcium vectigalia magna præſtabant.* Hinc & illud Ciceronis ad Atticum lib. IIII, epiſt. VIIII: *Puteolis magnus eſt rumor, Ptolemæum eſſe in regno. Ego heic paſcor bibliothecâ Fauſti. fortaſſe tu putabas his rebus Puteolanis & Lucrinenſibus.*

De cætero TEMPLVM VENERIS fuiſſe ad Lucrinum lacum, ex antiquo epigrammate incerti auctoris & Martiale ac Statio diſco. Antiquum epigramma; cuius principium interiit:

Ante bonam Venerem gelidæ per litora Baiæ.
Illa natare lacus cum lampade juſſit Amorem.
Dum natat, algenteis cecidit ſcintilla per undas.
Hinc vapor uſſit aquas. quicumque natavit, amavit.

Martialis lib. XI epigram. LXXXI:

Litus beatæ Veneris aureum Baias;
Baias ſuperbæ blanda dona naturæ;
Vt mille laudem, Flacce, verſibus Baias;
Laudabo dignè non ſatis tamen Baias.

Statius Silvar. lib. III carm. I:

Spectat & Icario nemoroſus palmite Gaurus,
Silvaque, quæ fixam pelago Neſida coronat:
Et placidus Limon numenque Eupleia carinis;
Et Lucrina Venus: Phrygioque è vertice Graias
Addiſcis Miſene tubas.

Eâ parte lacus fuiſſe hoc templum, quæ ſpectabat Baias, ex Martiale & antiquo iſto epigrammate clarè perſpicitur. Eâdem parte fuiſſe cenſeo & AGRIPPINAE, matris Neronis, VILLAM, quam Tacitus memorat Annal. lib. IIII; ubi de inſidiis à Nerone ſtructis & cæde eius narrat. *Nando*, inquit, *deinde occurſu lembunculorum Lucrinum in lacum vectam, villæ ſuæ inferunt.*

Cæterùm Martialis lib. IIII epigram. XXX ita ſcribit:

Baiano procul à lacu, manemus,
Piſcator fuge; ne nocens recedas.
Sacris piſcibus hæ natantur undæ;
Qui norunt dominum; manumque lambunt
Illam, qua nihil eſt in Orbe maius.
Quid, quod nomen habent; & ad magiſtri
Vocem quisque ſui venit citatus?
Hoc quondam Libys impius profundo
Dum prædam calamo frementè ducit,
Raptis luminibus repentè cæcus
Captum non potuit videre piſcem:
Et nunc ſacrilegos peroſus hamos,
Baianos ſedet ad lacus rogator.

An igitur Lucrinus etiam BAIANVS dictus eſt LACVS? Documentum equidem de piſcibus convenit. & Strabo prædicto lib. V ait, Ταῖς δὲ Βαΐαις συνεχὴς ὁ Λουκρῖνος κόλπος· id eſt: *Baiis contiguus eſt Lucrinus ſinus*. & paullo pòſt: Ὁ Λουκρῖνος κόλπος πλατύνεται μέχρι Βαϊῶν· *Lucrinus ſinus in latum extenditur usque Baias*. At alii contra ſentire videntur auctores; & his maximè Tacitus. Plinius lib. XIIII cap. VI: *Foſſa Neronis: quam à Baiano lacu Oſtiam usque navigabilem inchoaverat*. Sed hoc quoque fortaſſe aliquis ad Lucrinum trahere voluerit ex Statii auctoritate: qui Silvar. lib. IIII carm. III, quo Domitiani novam concelebrat viam, ita canit:

Gaudens Euboicæ domum Sibyllæ,
Gauranosque ſinus & æſtuanteis
Septem montibus admovere Baias.

Et poſteà:

Nil obſtat cupidis; nihil moratur.
Qui primo Tiberim reliquit ortu,
Primo veſpere navigat Lucrinum.

Nempe poſtrema huius itineris pars navigabatur per Avernum Lucrinumque lacum. Sed quid opus fuit foſſam ab Lucrino inchoare per excelſos colleis? & ſi hanc difficultatem neglexit Nero, ab Averno longè rectiùs & commodiùs initium eius duxiſſet versùs Cumas, haud ita longè inde diſtanteis. Certè aliam voluit foſſam Plinius, aliam longè cum ipſo Baianum lacum Tacitus Siliusque. quorum ille Annal. XIIII interitum Agrippinæ narrans ita tradit: *Placuit ſolertia, tempore etiam juta; quando Quinquatruum feſtos dies apud Baias frequentabat. illuc matrem elicit.* Statim: *Dehinc obvius in litora, (nam Antio adventabat) excipit manu & complexu; ducitque Baulos. id villæ nomen eſt, quæ promontorium Miſenum inter & Baianum lacum flexo mari adluitur.* Et mox: *Statis conſtitit exſtitiſſe proditorem: & Agrippinam, auditis inſidiis, an crederet, ambiguam, geſtamine ſellæ Baias pervectam.* En; ſi Lucrinus lacus idem fuit & Baianus; cur non dixit, promontorium Miſenum inter & Baias? Sanè ex hoc documento quàm clariſſimè adparet, lacum iſtum Baianum longè alienum fuiſſe ab Lucrino, & Baulis Miſenoque propinquiorem, quàm ipſæ Baiæ. Quin paullo pòſt, ubi naufragium paſſa erat ex inſidiis Agrippina, diſertè *Lucrinum* ut longè alium memorat *lacum*, his verbis: *Nando, deinde occurſu lembumculorum Lucrinum in lacum vectam, villæ ſuæ inferunt.* Sic & Silius apertè inter ſtagnum Baianum & Lucrinum lacum diſtingvit. Verba eius hæc ſunt lib. XII:

——— *Ille, tepentes*
Vnde ferant nomen Baiæ, comitemque dediſſe
Dulichiæ puppis ſtagno ſua nomina, monſtrat:
Aſt hic, Lucrino manſiſſe vocabula quondam
Cocyti memorat.

Fuit igitur *Baianus lacus* inter Baulos atque Baias. hodiè eius ne veſtigium quidem exſtat: ut nec tot *ſtagnorum*, quæ poſteà Alexander Severus circa easdem Baias fecit. Aelius Lampridius in vitâ eius: *In Baiano palatium fecit cum ſtagno, quòd Mammææ nomine cenſetur. fecit & alia in Baiano opera magnifica, in honorem adfinium ſuorum, & ſtagna ſtupenda, admiſſo mari.*

Cæterùm BAVLOS VILLAM perperam Plinius lib. III cap. V inter Baias atque Lucrinum lacum. *Miſenum*, inquit, *portus Baiarum, Bauli, lacus Lucrinus & Avernus.* Hoc ſi verum; tota Taciti, graviſſimi ſcriptoris, narratio falſa erit. cui tamen adſtipulatur Symmachus lib. I epiſt. I. *Baulos*, inquit, *Lucrinâ ſede mutavimus. non, quòd eius diverſorii ſatias cœperit nos. quod quàm diutius viſitur, plus amatur. ſed, quòd metus fuit, ne, ſi Baulorum mihi inolevisſet adfectio, cætera, quæ ſunt viſenda, diſplicerent.* En, ut manifeſtè Baulos à Lucrino lacu removet. Propiùs Baias quàm Miſenum fuiſſe Baulos, teſtatur haud obſcurè Plinius lib. VIIII cap. LV, his verbis: *Apud Baulos, in parte Baianâ piſcinam habuit Hortenſius orator, in qua murænam adeò dilexit, ut exanimatam fleſſe credatur. In eâdem villâ Antonia Druſi murænæ, quàm diligebat, in aureis addidit. cuius propter famam nonnulli Baulos*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

videre concupiverunt. In ipſo fuiſſe, litore, luculentum ſuprà teſtem audivimus Tacitum. cui adſentiens Silius lib. XII, ſic canit:

Necnon Miſenum, ſervantem Idæa ſepulcro
Nomina, & Herculeos videt ipſo in litore Baulos.

Hinc etiam Martialis ita lib. IIII epigram. LXIII:

Dum petit à Baulis mater Carelia Baias,
Occidit inſani crimine merſa freti
Gloria quanta perit vobis; hæc monſtra Neroni
Nec quondam juſſæ præſtiteratis aquæ.

Nempe à Baiis, quò Nero ad epulas invitaverat matrem, per eaſdem haſce aquas, in quibus interiit Cœrelia, repetebat Agrippina *Baulos*. Svetonius in Nerone, cap. XXXIIII: *Atque ita reconciliatione ſimulatâ, jucundiſſimis literis Baias evocavit ad ſolennia Quinquatruum ſimul celebranda: datoque negotio trierarchis, qui Liburnicam, qua advecta erat, velut fortuito concurſu confringerent, protraxit convivium. repetentique Baulos, in locum corrupti navigii, machinoſum illud obtulit.* Erravit igitur heic, ſi fides Tacito, Svetonio, Martialique habenda eſt, Dio; qui lib. LXI apud Baulos convivia per multos dies acta; atque inde mediâ nocte οἴκαδε, id eſt, *domum*, (villam haud dubiè Agrippinæ intellexit ad Lucrinum lacum; cuius ſuprà meminit Tacitus) ab Aniceto deductam tradit. Cæterùm VILLAM heic fuiſſe HORTENSII, præter prædictum Plinium alii etiam teſtantur auctores. Varro Ruſticar. rer. lib. III cap. XVII: *Q. Hortenſius, familiaris noſter, quum piſcinas haberet magnâ pecuniâ ædificatas ad Baulos, ita ſæpè cum eo ad villam fui, ut illam ſciam ſemper in cœnam piſceis Puteolos mittere emptum ſolitum. neque ſatis erat, eum non paſci piſcinis, niſi eos ipſe paſceret ultrò: ac maiorem curam ſibi haberet, ne eius eſurirent multi, quàm ego habeo, ne mei in Roſeâ eſuriant aſini.* Cicero Academicar. quæſt. lib. II: *Quibus de rebus & aliàs ſæpè nobis multa quæſita & diſputata ſunt; & quondam in Hortenſii villa, quæ eſt ad Baulos.* At Tacitus loco ſuprà ſcripto ipſos Baulos ait fuiſſe villam. eamque poſſediſſe Hortenſium, teſtis eſt Symmachus ſuprà dictâ epiſt. I libri I, hoc carmine:

Huc deus Alcides ſtabulanda armenta coëgit,
Eruta Geryonis de lare tergemini.
Inde recens ætas corrupta Boaulia Baulos
Nuncupat; occulto nominis indicio
Ab divo ad proceres dominos fortuna cucurrit;
Fama loci obſcuros ne pateretur heros.
Hanc celebravit opum felix Hortenſius aulam;
Contra Arpinatem qui ſtetit eloquio.
Heic conſul clarum produxit Acindynus ævum;
Quique dedit leges Orſitus Aeneadis.

Eamdem hanc de Hercule fabulam alii quoque retulerunt. Silium paullò ante audivimus. Apud Servium ad Virgilii Aeneid. lib. VI in vulgatis exemplaribus ita ſcriptum eſt: *A Baio, ſocio eius illic mortuo, Baias conſtat eſſe nominatas. Dicit etiam vidiſſe Herculem; ideò, quia illic Bauliæ, locus Herculis, dictus quaſi Boaulia; quòd illic habuit animalia, quæ, Geryoni detracta, ex Hiſpaniâ adduxerat.* Omnino reſtituo corruptum locum ita: *Dicitur etiam ibi fuiſſe Hercules; ideò quia illic Bauli, locus Herculis, dictus quaſi Boaulia.* Et ad Aeneid. lib. VII ita legitur: *Veniens autem Hercules in quadam Campaniæ civitate, pompam triumphi ſui exhibuit: unde Pompeii dicitur civitas. Poſteà juxta Baias caulas bubus fecit, & eas ſepſit; qui locus Boaulia dictus nam hodiè Baulæ vocantur.* Ne illud quidem Servium ſcripſiſſe cenſeo, *veniens in quadam Campaniæ civitate*. quod à barbari ſæculi monacho exſcriptore haud dubiè ita corruptum eſt. nam poſteriori ævo ea loquutio uſitatiſſima fuiſſe reperitur. Ergo iſtud etiam *Baulæ* corrigo in *Bauli*. Scholiaſtes autem Apollonii, in Ἀργοναυτικῶν lib. III, βόαυλα, inquit, ἡ βουστάσις. id eſt: *Boaula, boum ſtabulum.*

De cæterò fuit & C. CALPVRNII PISONIS VILLA apud Baias. Tacitus Annalib. lib. XV: *Conjuratis tamen metu proditionis placitum maturare cædem apud Baias, in villâ Piſonis. cuius amœnitate captus Cæſar, crebrò eò ventitabat; balneaſque & epulas inibat, omiſſis excubiis, & fortunæ ſuæ mole.* Proximè PISONIS VILLA.

Baias fuiſſe hanc villam; ita, uti calidæ aquæ balneas implerent, maximè credibile eſt.

Paullo remotiores à Baiis fuêre CN. POMPEII MAGNI & C. IVLII CAESARIS VILLAE. Seneca epiſt. LI: *Illi quoque, ad quos primos fortuna Romani populi publicas opes tranſtulit, C. Marius & Cn. Pompeius & Cæſar, exſtruxerunt quidem villas in regione Baianâ; ſed illas impoſuerunt ſummis jugis montium. videbatur hoc magis militare, ex edito ſpeculari latè longéque ſubjecta.* Tacitus Annal. lib. XIIII, de Agrippinâ, Neronis matre: *Cremata eſt noctu eâdem, conviviali lecto, & exſequiis vilibus; neque, dum Nero rerum potiebatur, congeſtâ aut clauſâ humo. mox domeſticorum curâ levem tumulum accepit, viam Miſeni propter & villam Cæſaris dictatoris; quæ ſubjectos ſinus editiſſima proſpectat.* Sed & L. LVCVLLVS VILLAM heic habuit in Baiano, prope mare. M. Varro Ruſticar. rer. lib. III cap. XVII: *In Baiano autem tantâ ardebat curâ L. Lucullus, ut architecto permiſerit, ut ſuam pecuniam conſumeret, dummodò perduceret ſpecus è piſcinis in mare, objectaculo, quo æſtus bis quotidiè ab exortâ lunâ ad proximam novam introire ac redire rurſus in mare poſſet, ac refrigerare piſcinas.* Haud dubiè villa adpoſita fuit piſcinis. At quum variorum dominorum tam multæ heic fuerint villæ; ſingularum certum oſtendere velle ſitum, dementiæ magis quàm diligentiæ exiſtimo.

POMPEII AC CAESARIS VILLAE.

AGRIPPINAE tumulus.

LVCVLLI VILLA.

Porrò Strabo ſuprà dicto lib. V ita ſcribit: Κάμψαντι δὲ τὸ Μισηνὸν, λιμὴν εὐθὺς ὑπὸ τῇ ἄκρᾳ. καὶ μετὰ τοῦτον ἐγκολπίζουσα ἡ ἠϊὼν εἰς βάθος ἀέννάον, ἐν ᾗ αἱ Βαῖαι. Id eſt: *Miſenum ubi circumflexeris, protinus ſub ipſo ſtatim promontorio eſt portus: & poſt hunc immenſâ profunditate in ſinum reductum litus; in quo ſunt Baiæ.* Is ab ipſo vocabatur BAIANVS SINVS. Plinius lib. II cap. CIII: *Sed & fontium plurimorum natura mira eſt fervore: idque etiam in jugis Alpium; ipſoque in mari, inter Italiam & Aenariam; in Baiano ſinu; & in Liri fluvio, multiſque aliis.* Svetonius in Nerone, cap. XXVII: *Quoties Oſtiam Tiberi deflueret, aut Baianum ſinum præternavigaret, diſpoſitæ per litora & ripas diverſoriæ tabernæ parabantur, inſignes ganeæ & matronarum inſtitorio copas imitantium, atque hinc inde hortantium, ut adpelleret.* Servius ad Virgilii Γεωργικῶν lib. II: *In Baiano ſinu Campaniæ, contra Puteolanam civitatem lacus ſunt duo Avernus & Lucrinus.* Statius Silvar. lib. III carm. II:

Vos quoque cœruleum divæ Nereides agmen,
Surgite de vitreis ſpumoſæ Dorides antris;
Baianoſque ſinus & fœta tepentibus undis
Litora tranquillo certatim ambite natatu.
Quærentes ubi celſa ratis, qua ſcandere gaudet
Nobilis Auſoniæ Celer armipotentis alumnus.
Nec quærendus diu. modò nam trans æquora terris
Prima Dicarchæis Pharium gravis intulit annum.

Puteoli anteà Dicæarchia vocabantur; ut infrà videbimus. ergo totus ille ſinus, inter Miſeni portum & Puteolos Baianus dicebatur ſinus. Eumdem *Tyrrhenum* vocat, non ſatis propriè, Dio lib. XLVIII. Ἐν Κύμῃ, inquit, τῇ Καμπανίδι χωρίον τι μεταξὺ Μισηνοῦ καὶ Ποτιόλων μηνοειδές ἐστιν· ὄρεσί τε γὰρ σμικροῖς καὶ ψιλοῖς πλὴν βραχέων περιείληπται, καὶ θάλασσαν τριπλῆν κολπώδη ἔχει. ἡ μὲν γὰρ ἔξω τε καὶ πρὸς ταῖς πόλεσίν ἐστιν, ἡ δὲ ὀλίγῃ διαφυῇ ἀπ᾽ αὐτῆς διείργεται· ἄλλη ἐν αὐτῷ τῷ μυχῷ λιμνώδης ὁρᾶται. καὶ καλεῖται, αὕτη μὲν Ἀουερνὶς, ἡ δὲ μέση Λουκρινίς· ἡ γὰρ ἔξω τοῦ Τυρσηνικοῦ οὖσα, ἐς ἐκεῖνο καὶ τὴν ἐπωνυμίαν τελεῖ. Hoc eſt: *In Cumano Campaniæ agro locus quidam inter Miſenum Puteoloſque in Lunæ figuram curvatus eſt. quidpe totus ferè montibus parvis ac nudis circumdatur habetque treis ſinus maris: quorum unus exterior ipſas contingit urbeis; alter exiguâ intercapedine à priore dirimitur; tertius in ipſo receſſu interiori lacus in modum conſpicitur. huic vocabulum eſt Averno; medio Lucrino; tertius, quia ad mare Tyrrhenum pertinet, eodem adpellatur nomine.* Duos igitur ex his tribus hactenus deſcripſimus, *Tyrrhenum* ſive *Baianum ſinum*, & lacum *Lucrinum*: à cuius deſcriptione non tam longè ſeparanda erat *Averni* enarratio, niſi dubium illud de Baiano lacu explanandum fuiſſet. ſine cuius explanatione ne loca quidem circùm ſita commodè indicari poterant. Nunc ergo de *Averno* agemus.

AVERNVS LACVS.

Lucrino igitur per anguſtas fauceis jungebatur AVERNVS LACVS; vulgò hodiéque *Il Lago d'Averno*, & nonnumquàm *Il lago di Trepergole*. Deſcribitur ſic ab antiquo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

antiquo in primis auctore Ariſtotele in Admirandis: Περὶ τὴν Κύμην, τὴν ἐν Ἰταλίᾳ, λίμνη ἐστὶν ἡ προσαγορευομένη Ἄορνος· αὕτη μὲν, ὡς ἔοικεν, οὐκ ἔχουσα τι θαυμαστόν· περικεῖσθαι γὰρ λέγουσι περὶ αὐτὴν λόφους κύκλῳ, τὸ ὕψος οὐκ ἔλαττον τριῶν σταδίων· καὶ αὐτὴν εἶναι τῷ σχήματι κυκλοτερῆ, τὸ βάθος ἔχουσαν ἀνυπέρβλητον. Id eſt: *Apud Cumam Italiæ lacus eſt, cui nomen Avernus. is quidem nihil admiratu dignum habere videtur. Circumdatur collibus altiſſimis trium ſtadiorum altitudine, circulari formâ. Figura eius rotunda eſt: profunditatemque immenſam habet.* Eamdem rotunditatem Lycophron quoque innuit hoc verſu:

> Λίμνην τ' Ἄορνον, ἀμφιτορνωτὴν βρόχῳ.
> *Lacumque Avernum, laqueo circumductum.*

Strabo lib. v: Ἔστι δ' ὁ μὲν Ἄορνος κόλπος ἀγχιβαθὴς καὶ ἀρτίστομος, λιμένος καὶ μέγεθος καὶ φύσιν ἔχων· περικλείεται δ' ὀφρύσιν ὀρθίαις ὑπερκειμέναις πανταχόθεν, πλὴν τοῦ εἴσπλου. Id eſt: *Avernus ſinus eſt admodùm profundus, faucibusque ad recipiendas naveis commodè inſtructus. Includitur ſuperciliis rectà ſurſum enatis, & undique, præterquàm in aditu, imminentibus.* Vibius Sequeſter in catalogo Lacuum: *Avernus, Campaniæ, immenſæ altitudinis; cuius ima pars deprehendi non poteſt.* Diodorus lib. IIII: Ὁ δ' Ἡρακλῆς ἐκ τοῦ Φλεγραίου πεδίου κατελθὼν παρὰ τὴν θάλατταν, κατεσκεύασεν ἔργα περὶ τὴν Ἄορνον ὀνομαζομένην λίμνην. κεῖται μὲν οὖν ἡ λίμνη μεταξὺ Μισηνοῦ καὶ Δικαιαρχείων, πλησίον τῶν θερμῶν ὑδάτων. ἔχει δὲ τὴν περίμετρον ὡς πέντε σταδίων, τὸ βάθος ἄπιστον· ἔχουσα γὰρ ὕδωρ καθαρώτατον, φαίνεται τῇ χρόᾳ κυάνεον, διὰ τὴν ὑπερβολὴν τοῦ βάθους. Id eſt: *Hercules, relicto campo Phlegræo, ad mare digreſſus, opera quædam circa Avernum lacum ſtruxit. Situs autem eſt Avernus inter Miſenum & Puteolos, prope calidas aquas,* V *ſtadiorum circuitu & profunditate incredibili. nam quum aqua ſit limpidiſſima; ingens voraginis altitudo cæruleum reddit eius colorem.* Manet hodiéque eadem profunditas, eademque rotunditas. Profunditatem etiam Lucanus voluit innuere lib. II, his verſibus:

> *Vt maris Aegæi medias ſi celſus in undas*
> *Depellatur Eryx; nullæ tamen æquore rupes*
> *Emineant. vel, ſi convulſo vertice Gaurus*
> *Decidat in fundum penitus ſtagnantis Averni.*

Pergit Ariſtoteles poſt ſuprà ſcripta in hæc verba: Ἐκεῖνο δὲ θαυμάσιον φαίνεται. ὑπερκειμένων γὰρ αὐτῇ πυκνῶν δένδρων, καί τινων ἐν αὐτῇ κατακεκλιμένων, οὐδέν ἐστιν ἰδεῖν ἐπὶ τοῦ ὕδατος φύλλον ἐστηκός· ἀλλ' οὕτως καθαρώτατόν ἐστι τὸ ὕδωρ, ὥστε τοὺς θεωμένους θαυμάζειν. Hoc eſt: *Cæterò id mirabile videtur; quòd circumpoſitis undiquaque & supernè incumbentibus denſiſſimis arboribus, nullum tamen cernas natans in lacu folium. qua puritate ſuâ admirationem meritò ciet.* Silvas heic Virgilius etiam adnotavit Aeneid. lib. III, his verbis:

> *Huc ubi delatus Cumarum acceſſeris urbem,*
> *Divinosque lacus & Averna ſonantia ſilvis.*

Et Strabo lib. v: Περικλείεται δ' Ἄορνος ὀφρύσιν ὀρθίαις, ὑπερκειμέναις πανταχόθεν, πλὴν τοῦ εἴσπλου· νῦν μὲν ἡμέρως ἐκπεπονημέναις, πρότερον δὲ συνηρεφέσιν ἀγρίᾳ ὕλῃ μεγαλοδένδρῳ καὶ ἀβάτῳ· αἳ κατὰ δεισιδαιμονίαν κατάσκιον ἐποίουν τὸν κόλπον. Προσεμύθευον δ' οἱ ἐπιχώριοι, καὶ τοὺς ὄρνεις, τοὺς ὑπερπετεῖς γινομένους, καταπίπτειν εἰς τὸ ὕδωρ, φθειρομένους ἀπὸ τῶν ἀναφερομένων ἀέρων, καθάπερ ἐν τοῖς Πλουτωνίοις. Hoc eſt: *Includitur Avernus ſuperciliis rectà ſurſum adſurgentibus, & undique, præterquàm in aditu, imminentibus: nunc quidem culturâ elaboratis: at olim ſilva circumdabat inacceſſa, & magnarum arborum; quæ ad ſuperſtitionem usque ipſum ſinum obumbrabat. Addita eſt ab incolis fabula. nempe aveis, quæ ſupervolarent, in aquam decidere, exanimatas aëris exhalatione; quemadmodùm in locis fieri ſolet Plutoniis.* Agrippam excidiſſe ſilvam, paullo pòſt memorat. Factum id eſſe eodem tempore, quo *Iulium portum* Auguſti juſſu Agrippa heic fecit, mari in Lucrinum Avernumque immiſſo, infrà patebit. De peſtiferà Averni exhalatione alii etiam complures adnotarunt auctores. Antigonus in Variis narrationibus: Τὴν δὲ ἐν τοῖς Σαρμάταις λίμνην Ἡρακλείδην γράφειν, ὅτι οὐδὲν τῶν ὀρνίθων ὑπεραίρειν· τὸ δὲ προσελθὸν ὑπὸ τῆς ὀσμῆς τελευτᾶν. ὃ δὴ καὶ περὶ τὴν Ἀορνεῖαν δοκεῖ γίγνεσθαι, καὶ κατέσχηκεν ἡ φήμη παρὰ τοῖς πλείστοις. Id eſt: *Heraclides tradit eſſe in Sarmatiâ lacum, quem nulla ſupervolet avis: &, quæ accedat, eam fœtore necari. Idem & apud Avernum lacum contingere creditur. famaque ea apud plerosque obtinuit.* Servius ad Virgilii Aeneid. lib. VI: *Sanè lacus Avernus antè ſilvarum denſitate ſic ambiebatur, ut exhalans inde per anguſtias aquæ ſulfureæ odor graviſſimus ſupervolanteis aveis necaret.*

unde & Avernus dictus eſt, quaſi Ἄορνος. *Quam rem Auguſtus Cæſar intelligens, dejectis ſilvis, ex peſtilentibus amœna reddidit loca.* Nonius Marcellus, cap. I: *Avernus lacus idcircò adpellatus eſt, quia eſt odor eius avibus infeſtiſſimus.* Lucretius lib. VI:

Nunc age, Averna, tibi, quæ ſint loca cumque lacusque,
Expediam; quali naturâ prædita conſtent.
Principiò, quòd Averna vocantur, nomen id ab re
Impoſitum eſt; quia ſunt avibus contraria cunctis:
E regione eâ quòd loca quum advenêre volantes,
Remigii oblitæ pennarum vela remittunt;
Præcipitesque cadunt molli cervice profuſæ
In terram; ſi fortè ita fert natura locorum:
Aut in aquam; ſi fortè lacus ſubſtratus Averno eſt.
Qualis apud Cumas locus eſt montemque Veſevum:
Oppleti calidis ubi fumant fontibus auctus.

Plinius in prœmio libri IIII: *Epirus Acrocerauniis incipit montibus. In eâ primi Chaones; à quibus Chaonia. dein Theſprotii; Antigonenſes: locus Aornos, & peſtifera avibus exhalatio.* Sed fabulam omnino eſſe iſthanc de Averni lacus peſtilenti exhalatione, diſertè adfirmat præſcripto loco Strabo. Et Virgilius, prædicto Aeneid. lib. VI, non ipſum lacum; quod ſic interpretatus eſt Servius, & alii etiam ante eum ita ſenſerunt; ſed antrum ſive ſpeluncam Averni altam, vaſtoque hiatu immanem, atris faucibus halitum letalem effudiſſe, tradit: ideóque hunc locum Græcis dictum Ἄορνον, quòd graveolentiâ ſuâ ſupervolitanteis alites necaret. Verba eius hæc ſunt:

Spelunca alta fuit, vaſtoque immanis hiatu:
Scrupea; tuta lacu nigro nemorúmque tenebris:
Quam ſuper haud ullæ poterant impunè volantes
Tendere iter pennis. talis ſeſe habitus, atris
Faucibus effundens, ſupera ad convexa ferebat.
Vnde locum Graii dixerunt nomine Aornon

Hinc illud paullo antè de columbis, quorum ductu Aeneas aureum ramum in ſilvâ Averni reperiit:

Inde ubi venêre ad fauceis graveolentis Averni,
Tollunt ſe celeres; liquidumque per aëra lapſæ,
Sedibus optatis geminâ ſuper arbore ſidunt.

Hinc etiam Claudianus de raptu Proſerpinæ lib. II:

Tunc & peſtiferi pacatum limen Averni
Innocuæ tranſiſtis aves.

Ab huius igitur antri nomine lacus cognomen accepit Averni. nam haud ſemel apud auctores LACVS AVERNI vocatur. Cicero Tuſculan. quæſt. lib. I: *Inde in viciniâ noſtrâ Averni lacus.* Livius lib. XXIIII: *Hannibal, Numidis Hiſpanisque ad præſidium ſimul caſtrorum ſimul Capuæ relictis, cum cætero exercitu ad lacum Averni per ſpeciem ſacrificandi, re ipſâ, ut tentaret Puteolos, deſcendit.* Et mox: *At Hannibalem, quum ad lacum Averni eſſet, quinque nobiles juvenes ab Tarento venerunt.* Et de eisdem poſteà; *Qui ad lacum Averni adiſſent.* Marcellinus lib. XXVIII: *Sic à lacu Averni lenibus invecti ſunt pictis Puteolos vel Caietam.* Sed quæritur jam, qua parte lacus hoc *antrum Averni* fuerit? Hodiè eam omneis interpretari video cryptam, quæ mox poſt aditum ad lacum in ſiniſtra eius parte versùs meridiem protenſa, vulgò vocatur *La Grotta di Sibilla*, id eſt, *Antrum Sibyllæ*; his haud dubiè inducti verbis Servii ad Virgilii Aeneid. lib. III: *Lucrinum & Avernum dicit: inter quos eſt ſpelunca, per quam ad inferos deſcendebatur.* At Strabonis verba lib. V hæc ſunt: Ἐμύθευον δ' οἱ πρὸ ἡμῶν ἐν τῷ Ἀόρνῳ τὰ περὶ τὴν νέκυιαν τὴν Ὁμηρικήν. καὶ δὴ καὶ νεκυομαντεῖον ἱστοροῦσιν ἐνταῦθα γενέσθαι· καὶ Ὀδυσσέα εἰς τοῦτο ἀφικέσθαι. * * * καὶ τοῦτο χωρίον Πλουτώνιόν τι ὑπελάμβανον, καὶ τοὺς Κιμμερίους ἐνταῦθα λέγεσθαι· καὶ εἰσέπλεόν γε οἱ προθυσάμενοι, καὶ ἱλασόμενοι τοὺς καταχθονίους δαίμονας, ὄντων τῶν ὑφηγουμένων τὰ τοιάδε ἱερέων, ἐργολαβηκότων τὸν τόπον. Ἔστι δὲ πηγή τις αὐτόθι ποτίμου ὕδατος ἐπὶ τῇ θαλάττῃ. τούτου δ' ἀπείχοντο πάντες, τὸ τῆς Στυγὸς ὕδωρ νομίσαντες. καὶ τὸ μαντεῖον ἐνταῦθά που ἵδρυται· τόν τε Πυριφλεγέθοντα ἐκ τῶν θερμῶν ὑδάτων ἐτεκμαίροντο τῶν πλησίον τῆς

Ἀχερου-

Ἀχερουσίας. Ἔφορος δὲ τοῖς Κιμμερίοις προσοικειῶν τὸν τόπον, φησὶν αὐτοὺς ἐν καταγείοις οἰκίαις οἰκεῖν, ἃς καλοῦσιν ἀργίλλας· καὶ διά τινων ὀρυγμάτων παρ' ἀλλήλους τε φοιτᾶν, καὶ τοὺς ξένους εἰς τὸ μαντεῖον δέχεσθαι, πολὺ ὑπὸ γῆς ἱδρυμένον. ζῆν δ' ἀπὸ μεταλλείας, καὶ τῶν μαντευομένων, καὶ τοῦ βασιλέως ἀποδείξαντος αὐτοῖς συντάξεις. εἶναι δὲ τοῖς περὶ τὸ χρηστήριον ἔθος πάτριον, μηδένα τὸν ἥλιον ὁρᾶν· ἀλλὰ τῆς νυκτὸς ἔξω πορεύεσθαι τῶν χασμάτων. καὶ διὰ τοῦτο τὸν ποιητὴν περὶ αὐτῶν εἰπεῖν, ὡς ἄρα

——— Οὐδέ ποτ' αὐτοὺς
Ἠέλιος φαέθων ἐπιδέρκεται.

Ὕστερον δὲ διαφθαρῆναι τοὺς ἀνθρώπους ὑπὸ βασιλέως τινὸς, οὐκ ἀποβάντος αὐτῷ τοῦ χρησμοῦ. τὸ δὲ μαντεῖον ἔτι συμμένειν, μεθεστηκὸς εἰς ἕτερον τόπον. Τοιαῦτα μὲν οἱ πρὸ ἡμῶν ἐμυθολόγουν. νυνὶ δὲ τῆς μὲν ὕλης τῆς περὶ τὸν Ἄορνον κοπείσης ὑπὸ Ἀγρίππα, τῶν δὲ χωρίων κατοικοδομηθέντων, ἀπὸ δὲ τοῦ Ἀόρνου διώρυγος ὑπονόμου τμηθείσης μέχρι Κύμης, ἅπαντ' ἐκεῖνα ἐφάνη μῦθος· τοῦ Κοκκηΐου, τοῦ ποιήσαντος τὴν διώρυγα, ἐπακολουθήσαντός πως τῷ περὶ τῶν Κιμμερίων ἀρτίως λεχθέντι λόγῳ· τυχὸν ἴσως καὶ πάτριον νομίσαντος τῷ τόπῳ τούτῳ δι' ὀρυγμάτων εἶναι τὰς ὁδούς. Hoc eſt: *Qui nos ætate anteceſſerunt, necyæ Homericæ fabulam Averno adplicuerunt. atque adeò narrant, fuiſſe ibi oraculum, ubi vitâ defuncti reſponſa darent. eóque Vlyſſem perveniſſe.* Paullo pòſt: *Atque hunc locum Plutoni dicatum arbitrabantur: & Cimmerios heic habitare traditum fuiſſe. ac qui intrò navigabant, priùs ſacrificiis placabant genios ſubterraneos: quum eſſent ſacerdotes qui conducto iſto loco huiusmodi ſacra docebant adminiſtrabantque. Ibidem & fons eſt aquæ potabilis, ad ipſum mare. ſed eâ omnes abſtinent; Stygis aquam eſſe putantes. Ibidemque alicubi & oraculum erat. & Pyriphlegethontem ex aquis calidis, Acheruſiæ vicinis, exiſtimant heic eſſe. At Ephorus, Cimmeriis locum hunc attribuens, hos habitare tradit in ſubterraneis ædificiis, quas argillas vocant: ac per cuniculos quosdam inte ſe commeare; hoſpitesques eâdem viâ ad oraculum perducere, altè infra terram conditum. victum partim metallis effodiendis quærere; partim ab iis accipere, qui oraculum conſulunt. regemque iis conſtituiſſe eo nomine ſtipendium. Ceterùm qui apud oraculum iſtud degant, eos, more ab maioribus accepto, numquàm videre Solem: ſed noctu ex hiatibus terræ prodire. eóque Homerum ita de iis ceciniſſe:* ——— *Neque umquàm eos Sol lucidus adſpicit. Poſteà verò temporis Cimmerios fuiſſe deletos à rege quodam, cuius eventa oraculum non comprobaſſent. ſedem autem oraculi aliò translatam, etiamnum durare. Atque talia quidem fabulati ſunt, qui ætatem noſtram præceſſerunt. Noſtra verò tempeſtate, quum ſilvam, quæ circa Avernum fuit, excidiſſet Agrippa; & loca ædificiis occupata eſſent; actusque ab Averno Cumas usque cuniculus: omnia iſta fabulas eſſe, liquidò adparuit; Cocceio, qui cuniculum egit, prædictam fabulam quodammodò de Cimmeriis ſequente: ac fortaſſe etiam arbitrante, loco huic antiquâ ex conſvetudine convenire, ut per cuniculos viæ ducantur.* En; quàm clarè, quàm diſertè teſtatur, ſuâ ætate, quum hæc loca circa Avernum purgarentur, habitationibusque redderentur apta, nullum Antrum Averni repertum fuiſſe. Cocceium autem, famam de illo antro & incolis eius Cimmeriis ſequutum, cuniculum egiſſe ab Averno lacu Cumas usque. An igitur vulgaris hominum opinio fuit, hac parte fuiſſe Averni antrum? Certè hoc ſic intellexit Ovidius, eodem tempore, quo ſilvæ heic exciſæ fuêre, ædificiaque erecta, Romæ vivens. is quidpe Sibyllam fingit Aeneam ab inferis & Anchiſe patre non per idem os antri, quo intraverant, reducentem; quod Virgilius facit: ſed in ipsâ Cumanâ urbe ſiſtentem. Verba eius Μεταμορφώσεων lib. XIIII hæc ſunt:

Talia convexum per iter memorante Sibyllâ,
Sedibus Euboicam Stygiis emerſit in urbem
Troïus Aeneas.

Verùm haud diſſimulandum eſt, apud Strabonem præſcripta verba de Cocceii cuniculo ita legi in vulgatis exemplaribus. Τοῦ Κοκκηΐου, τοῦ ποιήσαντος τὴν δεώρυγα ἐκείνην τε καὶ ἐπὶ Νέαν πόλιν ἐκ Δικαιαρχίας ἐπὶ ταῖς Βαίαις, ἐπακολουθήσαντός πως τῷ περὶ τῶν Κιμμερίων ἀρτίως λεχθέντι λόγῳ, Quæ ita vertit interpres Latinus: *Quum Cocceius, qui cuniculum iſtum duxit, & alium à Puteolis ad Neapolim ſupra Baias tendentem, ferè ſequutus ſit fabulam iſtam de Cimmeriis modò relatam.* Satis adparet, numquàm hæc loca inſpexiſſe interpretem. quidpe, quum Baiæ citra Puteolos ſint; quî heic cuniculus eſſe potuit à Puteolis verſùs Neapolim ſuper Baias tendens. Ridiculum hoc ſanè. Alia exemplaria, manu ſcripta habent; Ἀπὸ Νέας πόλεως καὶ Δικαιαρχίας ἐπὶ ταῖς Βαίαις. id eſt: *A Neapoli & Puteolis ſuper Baias.* Sed ne huic quidem lectioni ſenſus ullus

unde & Avernus dictus eſt, quaſi Ἄορνος. *Quam rem Auguſtus Cæſar intelligens, dejectis ſilvis, ex peſtilentibus amœna reddidit loca.* Nonius Marcellus, cap. I: *Avernus lacus idcircò adpellatus eſt, quia eſt odor eius avibus infeſtiſſimus.* Lucretius lib. VI:

Nunc age, Averna, tibi, quæ ſint loca cumque lacusque,
Expediam; quali naturâ prædita conſtent.
Principiò, quòd Averna vocantur, nomen id ab re
Impoſitum eſt; quia ſunt avibus contraria cunctis:
E regione eâ quòd loca quum advenêre volantes,
Remigii oblitæ pennarum vela remittunt;
Præcipitesque cadunt molli cervice profuſæ
In terram; ſi fortè ita fert natura locorum:
Aut in aquam; ſi fortè lacus ſubſtratus Averno eſt.
Qualis apud Cumas locus eſt montemque Veſevum:
Oppleti calidis ubi fumant fontibus auctus.

Plinius in prœmio libri IIII: *Epirus Acrocerauniis incipit montibus. In eà primi Chaones; à quibus Chaonia. dein Theſprotii; Antigonenſes: locus Aornos, & peſtifera avibus exhalatio.* Sed fabulam omnino eſſe iſthanc de Averni lacus peſtilenti exhalatione, diſertè adfirmat præſcripto loco Strabo. Et Virgilius, prædicto Aeneid. lib. VI, non ipſum lacum; quod ſic interpretatus eſt Servius, & alii etiam ante eum ita ſenſerunt; ſed antrum ſive ſpeluncam Averni altam, vaſtoque hiatu immanem, atris faucibus halitum letalem effudiſſe, tradit: ideóque hunc locum Græcis dictum Ἄορνον, quòd graveolentiâ ſuâ ſupervolitanteis alites necaret. Verba eius hæc ſunt:

Spelunca alta fuit, vaſtoque immanis hiatu:
Scrupea; tuta lacu nigro nemorùmque tenebris:
Quam ſuper haud ullæ poterant impunè volantes
Tendere iter pennis. talis ſeſe habitus, atris
Faucibus effundens, ſupera ad convexa ferebat.
Vnde locum Graii dixerunt nomine Aornon

Hinc illud paullo antè de columbis, quorum ductu Aeneas aureum ramum in ſilvâ Averni reperiit:

Inde ubi venêre ad fauceis graveolentis Averni,
Tollunt ſe celeres; liquidumque per aëra lapſæ,
Sedibus optatis geminâ ſuper arbore ſidunt.

Hinc etiam Claudianus de raptu Proſerpinæ lib. II:

Tunc & peſtiferi pacatum limen Averni
Innocuæ tranſiſtis aves.

Ab huius igitur antri nomine lacus cognomen accepit Averni. nam haud ſemel apud auctores LACVS AVERNI vocatur. Cicero Tuſculan. quæſt. lib. I: *Inde in viciniâ noſtrâ Averni lacus.* Livius lib. XXIIII: *Hannibal, Numidis Hiſpanisque ad præſidium ſimul caſtrorum ſimul Capuæ relictis, cum cætero exercitu ad lacum Averni per ſpeciem ſacrificandi, re ipsâ, ut tentaret Puteolos, deſcendit.* Et mox: *At Hannibalem, quum ad lacum Averni eſſet, quinque nobiles juvenes ab Tarento venerunt.* Et de eisdem poſteà; *Qui ad lacum Averni adiſſent.* Marcellinus lib. XXVIII: *Sic à lacu Averni lenibus invecti ſunt pictis Puteolos vel Caietam.* Sed quæritur jam, qua parte lacus hoc *antrum Averni* fuerit? Hodiè eam omneis interpretari video cryptam, quæ mox poſt aditum ad lacum in ſiniſtra eius parte versùs meridiem protenſa, vulgò vocatur *La Grotta di Sibilla*, id eſt, *Antrum Sibyllæ*; his haud dubiè inducti verbis Servii ad Virgilii Aeneid. lib. III: *Lucrinum & Avernum dicit: inter quos eſt ſpelunca, per quam ad inferos deſcendebatur.* At Strabonis verba lib. V hæc ſunt: Ἐμύθευον δ' οἱ πρὸ ἡμῶν ἐν τῷ Ἀόρνῳ τὰ περὶ τὴν νεκυίαν τὴν Ὁμηρικήν. καὶ δὴ καὶ νεκυομαντεῖον ἱστοροῦσιν ἐνταῦθα γενέσθαι· καὶ Ὀδυσσέα εἰς τοῦτο ἀφικέσθαι. * · * · καὶ τοῦτο χωρίον Πλουτώνιόν τι ὑπελάμβανον, καὶ τοὺς Κιμμερίους ἐνταῦθα λέγεσθαι· καὶ εἰσέπλεόν γε οἱ προθυσάμενοι, καὶ ἱλασόμενοι τοὺς καταχθονίους δαίμονας, ὄντων τῶν ὑφηγουμένων τὰ τοιάδε ἱερέων, ἐργολαβηκότων τὸν τόπον. Ἔστι δὲ πηγή τις αὐτόθι ποτίμου ὕδατος ἐπὶ τῇ θαλάττῃ. τούτου δ' ἀπείχοντο πάντες, τὸ τῆς Στυγὸς ὕδωρ νομίσαντες. καὶ τὸ μαντεῖον ἐνταῦθά που ἵδρυται· τόν τε Πυριφλεγέθοντα ἐκ τῶν θερμῶν ὑδάτων ἐτεκμαίροντο τῶν πλησίον τῆς

Ἀχερου-

Ἀχερουσίας. Ἔφορος δὲ τοῖς Κιμμερίοις προσοικειῶν τὸν τόπον, φησὶν αὐτοὺς ἐν καταγείοις οἰκίαις οἰκεῖν, ἃς καλοῦσιν ἀργίλλας· καὶ διά τινων ὀρυγμάτων παρ' ἀλλήλους τε φοιτᾶν, καὶ τοὺς ξένους εἰς τὸ μαντεῖον δέχεσθαι, πολὺ ὑπὸ γῆς ἱδρυμένον. ζῆν δ' ἀπὸ μεταλλείας, καὶ τῶν μαντευομένων, καὶ τοῦ βασιλέως ἀποδείξαντος αὐτοῖς συντάξεις. εἶναι δὲ τοῖς περὶ τὸ χρηστήριον ἔθος πάτριον, μηδένα τὸν ἥλιον ὁρᾶν· ἀλλὰ τῆς νυκτὸς ἔξω πορεύεσθαι τῶν χασμάτων. καὶ διὰ τοῦτο τὸν ποιητὴν περὶ αὐτῶν εἰπεῖν, ὡς ἄρα

——— οὐδέ ποτ' αὐτοὺς
Ἠέλιος φαέθων ἐπιδέρκεται.

Ὕστερον δὲ διαφθαρῆναι τοὺς ἀνθρώπους ὑπὸ βασιλέως τινός, οὐκ ἀποβάντος αὐτῷ τοῦ χρησμοῦ. τὸ δὲ μαντεῖον ἔτι συμμένειν, μεθεστηκὸς εἰς ἕτερον τόπον. Τοιαῦτα μὲν οἱ πρὸ ἡμῶν ἐμυθολόγουν. νυνὶ δὲ τῆς μὲν ὕλης τῆς περὶ τὸν Ἄορνον κοπείσης ὑπὸ Ἀγρίππα, τῶν δὲ χωρίων κατοικοδομηθέντων, ἀπὸ δὲ τοῦ Ἀόρνου διώρυγος ὑπονόμου τμηθείσης μέχρι Κύμης, ἅπαντ' ἐκεῖνα ἐφάνη μῦθος· τοῦ Κοκκηΐου, τοῦ ποιήσαντος τὴν διώρυγα, ἐπακολουθήσαντός πως τῷ περὶ τῶν Κιμμερίων πρότερον λεχθέντι λόγῳ· τυχὸν ἴσως καὶ πάτριον νομίσαντος τῷ τόπῳ τούτῳ δι' ὀρυγμάτων εἶναι τὰς ὁδούς. Hoc eſt: *Qui nos ætate anteceſſerunt, necyæ Homericæ fabulam Averno adplicuerunt. atque adeò narrant, fuiſſe ibi oraculum, ubi vitâ defuncti reſponſa darent. eóque Vlyſſem perveniſſe.* Paullo pòſt: *Atque hunc locum Plutoni dicatum arbitrabantur: & Cimmerios heic habitare traditum fuiſſe. ac qui intrò navigabant, prius ſacrificiis placabant genios ſubterraneos: quum eſſent ſacerdotes qui conducto iſto loco huiusmodi ſacra docebant adminiſtrabantque. Ibidem & fons eſt aquæ potabilis, ad ipſum mare. ſed eâ omnes abſtinent; Stygis aquam eſſe putantes. Ibidemque alicubi & oraculum erat. & Pyriphlegethontem ex aquis calidis, Acheruſiæ vicinis, exiſtimant heic eſſe. At Ephorus, Cimmeriis locum hunc attribuens, hos habitare tradit in ſubterraneis ædificiis, quas argillas vocant: ac per cuniculos quosdam inte ſe commeare; hoſpitesques eâdem viâ ad oraculum perducere, altè infra terram conditum. victum partim metallis effodiendis quærere; partim ab iis accipere, qui oraculum conſulunt. regemque iis conſtituiſſe eo nomine ſtipendium. Cæterùm qui apud oraculum iſtud degant, eos, more ab maioribus accepto, numquàm videre Solem: ſed noctu ex hiatibus terræ prodire. eóque Homerum ita de iis ceciniſſe: ——— Neque umquàm eos Sol lucidus adſpicit. Poſteà verò temporis Cimmerios fuiſſe deletos à rege quodam, cuius eventa oraculum non comprobaſſent. ſedem autem oraculi aliò translatam, etiamnum durare. Atque talia quidem fabulati ſunt, qui ætatem noſtram præceſſerunt. Noſtra verò tempeſtate, quum ſilvam, quæ circa Avernum fuit, excidiſſet Agrippa; & loca ædificiis occupata eſſent; actusque ab Averno Cumas usque cuniculus: omnia iſta fabulas eſſe, liquidò adparuit; Cocceio, qui cuniculum egit, prædictam fabulam quodammodò de Cimmeriis ſequente: ac fortaſſe etiam arbitrante, loco huic antiquâ ex conſvetudine convenire, ut per cuniculos viæ ducantur.* En; quàm clarè, quàm disertè teſtatur, ſuâ ætate, quum hæc loca circa Avernum purgarentur, habitationibusque redderentur apta, nullum Antrum Averni repertum fuiſſe. Cocceium autem, famam de illo antro & incolis eius Cimmeriis ſequutum, cuniculum egiſſe ab Averno lacu Cumas usque. An igitur vulgaris hominum opinio fuit, hac parte fuiſſe Averni antrum? Certè hoc ſic intellexit Ovidius, eodem tempore, quo ſilvæ heic exciſæ fuêre, ædificiaque erecta, Romæ vivens. is quidpe Sibyllam fingit Aeneam ab inferis & Anchiſe patre non per idem os antri, quo intraverant, reducentem; quod Virgilius facit: ſed in ipſâ Cumanâ urbe ſiſtentem. Verba eius Μεταμορφώσεων lib. XIIII hæc ſunt:

Talia convexum per iter memorante Sibyllâ,
Sedibus Euboicam Stygiis emerſit in urbem
Troïus Aeneas.

Verùm haud diſſimulandum eſt, apud Strabonem præſcripta verba de Cocceii cuniculo ita legi in vulgatis exemplaribus. Τοῦ Κοκκηΐου, τοῦ ποιήσαντος τὴν δεώρυγα ἐκείνην τε καὶ ἐπὶ Νέαν πόλιν ἐκ Δικαιαρχίας ἐπὶ ταῖς Βαίαις, ἐπακολουθήσαντός πως τῷ περὶ τῶν Κιμμερίων πρότερον λεχθέντι λόγῳ, Quæ ita vertit interpres Latinus: *Quum Cocceius, qui cuniculum iſtum duxit, & alium à Puteolis ad Neapolim ſupra Baias tendentem, ferè ſequutus ſit fabulam iſtam de Cimmeriis modò relatam.* Satis adparet, numquàm hæc loca inſpexiſſe interpretem. quidpe, quum Baiæ citra Puteolos ſint; quî heic cuniculus eſſe potuit à Puteolis verſùs Neapolim ſuper Baias tendens. Ridiculum hoc ſanè. Alia exemplaria, manu ſcripta habent; Ἀπὸ Νέας πόλεως καὶ Δικαιαρχίας ἐπὶ ταῖς Βαίαις. id eſt: *A Neapoli & Puteolis ſuper Baias.* Sed ne huic quidem lectioni ſenſus ullus ſanus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

ſanus ineſt. Ipſe Strabo haud multo pòſt; ubi Neapolim deſcribit: Ἔστι καὶ ἐνθάδε διῶρυξ κρυπτή, τοῦ μεταξὺ ὄρους τοῦ τε Δικαιαρχίας καὶ τῆς Νεαπόλεως ὑπεργασθέντος ὁμοίως, ὥσπερ ἐπὶ τὴν Κύμην, ὁδοῦ τε ἀνοιχθείσης ἐναντίοις ζεύγεσι πορευτῆς ἐπὶ πολλοὺς σταδίους. Id eſt: *Heic quoque eſt cuniculus occultus; monte, qui eſt inter Neapolim & Puteolos, eodem modo effoſſo, ut ille verſus Cumas.* En, ut diſertè cryptam Neapolitanam deſcribit, quæ hodiéque exſtat ſub Pauſilypo monte apud ipſam urbem: de qua ſuo loco plura dicentur. At obſervandum; ita heic eam memorare Strabonem, uti ſuſpicio nulla ſit, jam anteà eum meminiſſe eius. multo minus addit de auctore eius Cocceio. Quapropter omnino ſtatuendum, locum illum priorem à ſciolo exſcriptore gloſſematio eſſe fœdatum. Ipſe Strabo, in deſcriptione urbis Neapolis, ubique habet unicâ voce ἡ Νεάπολις, τῆς Νεαπόλεως, τῇ Νεαπόλει. at illic eſt, ἐπὶ Νέαν πόλιν· & in aliis exemplaribus ἀπὸ Νέας πόλεως. quæ res ſanè ſuſpecta eſt. Huc adde teſtimonium Epitomatoris Strabonis: qui ſimpliciter Cumanum priùs narrat cuniculum. deinde Neapolitanum: ſine ulla Baiarum mentione. Verba eius hæc ſunt: Ὅτι περὶ τὴν Κύμην σημεῖά τινα δείκνυνται τῆς μυθολογουμένης ἐν Ὀδυσσείᾳ νεκυομαντείας· οἷον Στὺξ καὶ Ἀχερουσία λίμνη καὶ Ἀχέρων, καὶ τὰ ἐκεῖσε θερμὰ λουτρά, ἀντὶ τοῦ Πυριφλεγέθοντος. Ἔστι δὲ καὶ διῶρυξ κρυπτή, διεξόδους ἔχουσα καὶ νεκυομαντεῖον· καὶ οἱ εἰσιόντες, διὰ νυκτὸς εἰσίασι καὶ ἐξέρχονται, ὥστε ἀναλογεῖν τοὺς παρ' Ὁμήρῳ Κιμμερίους. Τὸ δ' αὐτὸ φαίνεται ἔργον, καὶ περὶ τὴν πλησίον Νεάπολιν. Id eſt: *Circa Cumas ſigna quædam monſtrantur mortuorum vaticinationis, quæ in Odyſſeâ fabuloſè traditur; ſcilicet Styx, Acheruſius lacus & Acheron, & quæ illic ſunt calida balnea pro Pyriphlegethonte. Eſt etiam cuniculus occultus; tranſitus habens & oraculum mortuorum. Qui verò intrant, noctu ingrediuntur atque egrediuntur. unde Homeri Cimmerios colligere licet. Simile autem opus apud vicinam Neapolim quoque conſpicitur.* Quamvìs parum tempora cum Strabone diſtingvat hic epitomator; ſed omnia inter ſe confundat; tamen duos tantùm ex Strabonis narratione intellexit cuniculos; alterum apud Cumas, apud Neapolim alterum. Cumanumque, unà cum Ovidio, pro Averni antro habuit. Quo igitur tempore, quove auctore cuniculus iſte, qui nunc vulgò adpellatur *La Grotta di Sibilla*, tendit verò verſùs Baias, actus ſit, planè incertum eſt. Cæterùm pro fabulis omnia iſta habuit Diodorus quoque lib. IIII; ubi Avernum deſcribit: Μυθολογοῦσι δὲ, τὸ παλαιὸν γεγονέναι νεκυομαντεῖον πρὸς τῇ λίμνῃ· ὃ τοῖς ὕστερον χρόνοις καταλελύσθαι φασίν. Id eſt: *Manium quondam oraculum apud lacum exſtitiſſe fabulantur, quod poſterior ætas aboleverit.* Et quis adeò ſimplex reperiri potuerit, qui pro veris ſibi imponi pateretur, quæ antiqui illi mortales heic de Inferis atque de Elyſio campo finxerunt. Apud Virgilium Aeneid. lib. V ita Anchiſis umbra filium adloquitur Aeneam:

——— Ditis tamen antè
Infernas accede domos, & Averna per alta
Congreſſus pete nate meos.

Et Aeneid. lib. VI ſic Aeneas Sibyllam, quæ futura in antro Cumano ei prædixerat, adfatur:

Unum oro, (quando heic inferni janua regis
Dicitur, & tenebroſa palus Acheronte refuſo)
Ire ad conſpectum cari genitoris & ora
Contingat. doceas iter, & ſacra oſtia pandas.
——— Natique patriſque
Alma, precor, miſerere. potes namque omnia. nec te
Nequidquàm lucis Hecate præfecit Avernis.

Et paullo pòſt; ubi ita Aeneæ reſpondet Sibylla:

Tros Anchiſiade; facilis deſcenſus Averni:
Noctes atque dies patet atri janua Ditis.
——— Tenent media omnia ſilvæ;
Cocytusque ſinu labens circumfluit atro.
Quod ſi tantus amor menti, ſi tanta cupido eſt,
Bis Stygios innare lacus, bis nigra videre
Tartara; ———
Sic demum lucos Stygios, regna invia vivis,
Adſpicies.

Hæc

Hæc omnia intra antrum Averni apud inferos eſſe fingebantur. Sequitur poſthinc immanis illa fabula, qua poëta Aeneam ad inferos atque in Elyſium campum ad parentem deſcendiſſe fingit. De eâ inferorum condicione ita tradit Cicero Tuſculanar. quæſt. lib. I: *Permanere animos arbitramur conſenſu rationum omnium. qua in ſede maneant, qualesque ſint, ratione diſcendum eſt. cuius ignoratio finxit Inferos, easque formidines, quas tu contemnere non ſine causâ videbere. in terram enim cadentibus corporibus, hisque humo tectis; ſub terrâ cenſebant reliquam vitam agi mortuorum. quam eorum opinionem magni errores conſequuti ſunt: quos auxerunt poëtæ. frequens enim conſeſſus theatri, in quo ſunt mulierculæ & pueri, movetur, audiens tam grande carmen:*

Adſum, atque advenio Acheronte, vix, viâ altâ atque arduâ
Per ſpeluncas, ſaxis ſtructas aſperis, pendentibus,
Maximis: ubi rigida conſtat craſſa caligo inferûm.

Idem eſt, quod Virgilius Aeneid. lib. VI de Averno:

Spelunca alta fuit, vaſtoque immanis hiatu,
Scrupea.

Pergit Cicero: *Tantumque valuit error, qui mihi quidem ſublatus videtur, ut, corpora cremata quum ſcirent, tamen ea fieri apud inferos fingerent, quæ ſine corporibus nec fieri poſſent nec intelligi. animos enim per ſe ipſos viventeis non poterant mente complecti. formam aliquam figuramque quærebant. Inde Homeri tota* νεκυία· *inde ea, quam meus amicus Appius* νεκρομαντείαν *faciebat. inde in viciniâ noſtrâ Averni lacus.*

Vnde animæ excitantur obſcurâ umbrâ, aperto oſtio
Alti Acherontis, falsò ſangvine, imagines mortuorum.

Certè, quantum ego ex unanimo conſenſu omnium auctorum perſpicio, Homerus cunctarum harum fabularum ad Arvernum lacum primus fuit auctor. Maximus Tyrius Diſſertatione XXVI: Ἦν δέ που τῆς Ἰταλίας καὶ τὴν Μεγάλην Ἑλλάδα περὶ λίμνην Ἄορνον οὕτω καλουμένην, μαντεῖον ἄντρον, καὶ θεραπευτῆρες τοῦ ἄντρου, ἄνδρες ψυχαγωγοὶ, οὕτως ὀνομαζόμενοι ἐκ τοῦ ἔργου. ἐνταῦθα ὁ δεόμενος ἀφικόμενος, εὐξάμενος, ἐντεμὼν σφάγια, χεάμενος χοὰς, ἀνεκαλεῖτο ψυχὴν ὅτου δὴ τῶν πατέρων ἢ φίλων· καὶ αὐτῷ ἀπήντα εἴδωλον, ἀμυδρὸν μὲν καὶ ἰδεῖν ἀμφισβητήσιμον, φθεγκτικὸν καὶ μαντικόν· καὶ συγγενόμενον ὑπὲρ ὧν ἐδεῖτο, ἀπηλλάττετο. Τοῦτό μοι δοκεῖ τὸ μαντεῖον καὶ Ὅμηρος γνοὺς, προσθεὶς τῷ Ὀδυσσεῖ τὴν ἐπ᾽ αὐτῷ ὁδὸν, ἐκτοπίσαι τὸ χωρίον ποιητικῶς μάλα τῆς καθ᾽ ἡμᾶς θαλάττης. Hoc eſt: *Erat & in Italiæ Magnâ Græciâ, non procul à lacu Averno, antrum fatidicum; cui homines præerant, qui ab animarum evocatione, quæ illic fiebat, nomen habebant. Huc qui conſulendi oraculi causâ veniſſet; precibus conceptis, cæsâ victimâ, libaminibusque ritè effuſis; cuiuscumque vellet, ſive parentum ſive amicorum umbram ciebat. quo facto, prodibat tenuis anima, nec viſu facilis nec cognitu: quæ tamen & voce prædita eſſet & vaticinandi peritia. poſtquàm autem reſponſa de iis, quæ quærebantur, reddidiſſet, diſparebat. Hoc oraculum noviſſe mihi videtur Homerus; ſuumque eò deduxiſſe Vlyſſem: quamquàm more poëtarum locum illi ad mare noſtrum adſignavit.* Strabo lib. I ita ſcribit de Homero: Οὕτω δὲ καὶ Κιμμερίους εἰδὼς, οἰκοῦντας τὸν Κιμμερικὸν Βόσπορον πρὸς βορρᾶν καὶ ζοφώδη, μετήγαγεν οἰκείως εἰς σκοτεινόν τινα τόπον, τὸν καθ᾽ ᾅδην, χρήσιμον ὄντα πρὸς τὴν μυθοποιίαν τὴν ἐν τῇ πλάνῃ. Id eſt: *Atque ita etiam quum noſſet Cimmerios versùs ſeptemtriones incolere ad Boſphorum Cimmerium regionem caliginoſam; aptè eos tranſtulit in locum quemdam tenebricoſum, ad inferos: qui commodus erat atque opportunus commento Vlyſſeæ peregrinationis.* Huc ad Avernum lacum eos tranſtuliſſe, multi teſtantur auctores. Lycophron:

Βαίου δ᾽ ἀμείψας τοῦ κυβερνήτου τάφον
Καὶ Κιμμέρων ἔπαυλα, καὶ Ἀχερουσίαν
Ῥόχθοισι κυμαίνουσαν οἴδματος χύσιν,
Ὄσσαν τε καὶ Λέοντος ἀτραποὺς βοῶν
Χωστὰς, Ὀβελμοῦ τ᾽ ἄλσος οὐδαίας κόρης,
Πυριφλεγές τε ῥεῖθρον, *
Λίμνην τ᾽ Ἄορνον.

Hoc eſt:

Tum Baii transiens gubernatoris ſepulcrum,
Et Cimmeriorum domicilia, Acheruſiamque
Procellis fluctuantem undæ effuſionem;
Oſſamque, & Leonis boum vias

Adgeſtas;

Adgeſtas; Proſerpinaque nemus infernæ puellæ,
Et Pyriphlegethontem fluvium,
Lacumque Avernum.

Marcianus Heracleenſis in Περιηγήσει· ubi de Neapoli loquitur:

——— Οὗ Κερβέρειόν τι δείκνυται
Ὑπὸ χθονὶ μαντεῖον. Ἐλθεῖν φασὶ δὲ
Δεῦρο παρὰ Κίρκης ἐπανάγοντ' Ὀδυσσέα.

Hoc eſt: ——— *Vbi Cerberium quoddam monſtratur*
Sub terrâ oraculum. Atque adveniſſe aiunt
Huc ab Circe redeuntem Vlyſſem.

Silius lib. XII:

Ille olim populis dictum Styga, nomine verſo,
Stagna inter celebrem nunc mitia monſtrat Avernum.

Et mox:

Ac juxtâ, caligante ſitu, longumque per ævum
Infernis preſſas nebulis, pallente ſub umbrâ,
Cimmerias jacuiſſe domos, noctemque profundam
Tartareæ narrant urbis.

Pompeius Feſtus: *Cimmerii dicuntur homines, qui frigoribus occupatas terras incolunt. quales fuerunt inter Baias & Cumas, in eâ regione, in qua convallis ſatis eminenti jugo circumdata eſt; quæ neque matutino neque veſpertino tempore Sole contegitur.* Plinius lib. III cap. V: *Cumæ, Miſenum, portus Baiarum, Bauli, lacus Lucrinus & Avernus; juxta quem Cimmerium opidum quondam.* Sed ipſum etiam videamus Homerum. Is ſub finem Odyſſeæ libri X, ubi Circe in domicilium, in Circæo monte, copiam facit Vlyſſi ab ſeſe diſcedendi, ſic canit:

Ὣς ἐφάμην. ἡ δ' αὐτίκ' ἀμείβετο δῖα θεάων·
Διογενὲς Λαερτιάδη, πολυμήχαν' Ὀδυσσεῦ,
Μή τί τοι ἡγεμόνος γε ποθὴ παρὰ νηῒ μελέσθω·
Ἱστὸν δὲ στήσας, ἀνὰ δ' ἱστία λευκὰ πετάσσας,
Ἧσθαι· τὴν δέ κέ τοι πνοιὴ Βορέαο φέρῃσιν.
Ἀλλ' ὁπότ' ἂν δὴ νηῒ δι' ὠκεανοῖο περήσῃς,
Ἔνθ' ἀκτή τε λάχεια καὶ ἄλσεα Περσεφονείης,
Μακραί τ' αἴγειροι, καὶ ἰτέαι ὠλεσίκαρποι·
Νῆα μὲν αὐτοῦ κέλσαι ἐπ' ὠκεανῷ βαθυδίνῃ·
Αὐτὸς δ' εἰς Ἀΐδεω ἰέναι δόμον εὐρώεντα.
Ἔνθα μὲν εἰς Ἀχέροντα Πυριφλεγέθων τε ῥέουσι
Κωκυτός θ', ὃς δὴ Στυγὸς ὕδατός ἐστιν ἀποῤῥὼξ,
Πέτρη τε, ξύνεσίς τε δύω ποταμῶν ἐριδούπων.

Hoc eſt:

Sic dixi. illa continuò reſpondit diva dearum:
Generoſe Laërtiade, prudens Vlyſſes;
Minimè tibi ducis deſiderium pro nave curæ ſit.
Malum verò erigens, veliſque ab eâ albis extenſis,
Sede. illam autem tibi flatus boreæ ferat.
At ubi jam navi Oceanum tranſmiſeris;
Vbi litus tenue & nemora ſunt Proſerpinæ,
Longæ alni & ſalices frugiperdæ;
Navem illi ſiſte in Oceano profundorum vorticum;
Ipſe autem in Ditis eas domum obſcuram:
Vbi in Acherontem Pyriphlegethon confluunt
Cocytuſque: qui utique Stygis aquæ eſt fluxus.
Petraque, & concurſus duûm fluviorum valdè ſonantium.

At initio libri ſequentis ita Vlyſſem introducit loquentem:

Αὐτὰρ ἐπεί ῥ' ἐπὶ νῆα κατήλθομεν ἠδὲ θάλασσαν,
Νῆα μὲν ἂρ πάμπρωτον ἐρύσσαμεν εἰς ἅλα δῖαν·
Ἐν δ' ἱστὸν τιθέμεσθα καὶ ἱστία νηῒ μελαίνῃ.
Ἐν δὲ τὰ μῆλα λαβόντες ἐβήσαμεν, ἂν δὲ καὶ αὐτοὶ

βαινόμεθα

Βαίνομεν ἀχνύμενοι, θαλερὸν κατὰ δάκρυ χέοντες.
Ἡμῖν δ' αὖ κατόπισθε νεὸς κυανοπρῴροιο
Ἴκμενον οὖρον ἵει πλησίστιον, ἐσθλὸν ἑταῖρον,
Κίρκη ἐϋπλόκαμος, δεινὴ θεὸς αὐδήεσσα.
Ἡμεῖς δ' ὅπλα ἕκαστα πονησάμενοι κατὰ νῆα,
Ἥμεθα. τὴν δ' ἄνεμός τε κυβερνήτης τ' ἴθυνεν.
Τῆς δὲ πανημερίης τέταθ' ἱστία ποντοπορούσης·
Δύσετό τ' ἠέλιος, σκιόωντό τε πᾶσαι ἀγυιαί·
Ἡ δ' ἐς πείραθ' ἵκανε βαθυρρόου ὠκεανοῖο.
Ἔνθα δὲ Κιμμερίων ἀνδρῶν δῆμός τε πόλις τε,
Ἠέρι καὶ νεφέλῃ κεκαλυμμένοι· οὐδέ ποτ' αὐτοὺς
Ἠέλιος φαέθων ἐπιδέρκεται ἀκτίνεσσιν,
Οὐδ' ὁπότ' ἂν στείχῃσι πρὸς οὐρανὸν ἀστερόεντα,
Οὐδ' ὅταν ἂψ ἐπὶ γαῖαν ἀπ' οὐρανόθεν προτράπηται.
Ἀλλ' ἐπὶ νὺξ ὀλοὴ τέταται δειλοῖσι βροτοῖσι.

Id eſt:

Cæterùm, poſtquàm ad naveis vénimus atque mare,
Navem quidem omnium primùm deduximus in mare divinum:
Malumque poſuimus & vela navi nigræ.
Intro autem pecora accepta duximus: introque & ipſi
Conſedimus triſtes, uberes lacrumas profundentes.
Nobis autem rurſus à poſteriori parte navis nigræ proræ
Secundum ventum immittit, implentem velum, bonum ſocium
Circe pulcricoma, horrenda dea, altiloqua.
Nos igitur, armis ſingulis ordinatis per navem,
Sedimus. hanc ventus gubernatorque dirigebant.
Eius autem totâ die extendebantur vela, per pontum iter facientis.
Occidit autem Sol: obſcurabanturque omnes vici.
Illa ad fineis pervenit profundi Oceani.
Heic verò Cimmeriorum erat virorum populus atque opidum:
Qui caligine ac nubibus tecti ſunt: neque umquàm eos
Sol lucidus adſpicit radiis;
Neque quum convertitur ad cœlum ſtelliferum,
Neque quum in terram ab cœlo defertur:
Sed nox pernicioſa ſupervolat miſeris mortalibus,

Ex hactenus citatis facilè adparebat, quos heic intellexerit Homerus *Cimmerios*, & qua ſede. nam unius diei navigationem facit eò usque ab Circæo monte. tum boreâ vento Vlyſſem vectum tradit. quæ duo nullis aliis Cimmeriis neque ad Boſphorum Cimmerium incolentibus, neque in Cimbricâ peninſulâ, ut quidam detorquent, neque ad extrema Galliæ litora convenire poſſunt. in *lacum* verò *Avernum* quàm maximè quadrant. ubi etiam *Proſerpinæ* erat *nemus*, & *Ditis domus obſcura*, id eſt, *Avernum antrum*. ibidemque & *Acheron* & *Pyriphlegethon* & *Cocytus* & *Styx*, amnes infernales, ab omnibus ferè poëtis finguntur. Sed & ἀκτὴ illa λάχεια quam Homerus memorat, id eſt, *litus breve* ſive *tenue*, nullum aliud eſt, quàm qui *Herculis agger*, ſive *Herculis via*, inter Tyrrhenum mare Lucrinumque lacum vocabatur; ut ſuprà expoſitum eſt. Adde jam & ea, quæ initio lib. XII ita canit poëta:

Αὐτὰρ ἐπεὶ ποταμοῖο λίπεν ῥόον ὠκεανοῖο
Νηῦς, ἀπὸ δ' ἵκετο κῦμα θαλάσσης εὐρυπόροιο,
Νῆσον εἰς Αἰαίην.

Hoc eſt:

Cæterùm poſtquàm fluvii reliquit fluentum Oceani
Navis, abiit ad fluctus maris latiflui,
Inſulam ad Aeæam.

Circæum montem intelligit; quam inſulam antè creditam fuiſſe, nomine Aeæam, ſuprà oſtenſum eſt. Ῥόον autem ποταμοῖο ὠκεανοῖο adpellavit *Lucrinum Avernumque* lacus: quia θαλάσσῃ εὐρυπόρῳ, id eſt, *Tyrrheno mari miſcebantur per fauceis anguſtas*, fluminum inſtar. Verùm ad hunc poëtæ locum ita commentatur Strabo lib. I: Ὁ δὲ τοῦ Κράτητος λόγος διδάσκει τι πιθανώτερον. βαθύρρουν μὲν γὰρ τὸν ἀψόρροον λέγει, ὁμοίως δὲ τὸν

ποταμὸν

ποταμὸν τὸν ὅλον ὠκεανόν. λέγει δὲ καὶ μέρος τοῦ ὠκεανοῦ τι ποταμὸν καὶ ποταμοῖο ῥόον, οὐ τοῦ ὅλου, ἀλλὰ τοῦ μέρους, ὅταν οὕτω φησίν·

> Αὐτὰρ ἐπεὶ ποταμοῖο λίπεν ῥόον ὠκεανοῖο
> Νηῦς, ἀπὸ δ᾽ ἵκετο κῦμα θαλάσσης εὐρυπόροιο.

Οὐ γὰρ τὸν ὅλον, ἀλλὰ τὸν ἐν τῷ ὠκεανῷ τοῦ ποταμοῦ ῥόον, μέρος ὄντα τοῦ ὠκεανοῦ· ὅν φησιν ὁ Κράτης ἀνάχυσίν τινα καὶ κόλπον ἐπὶ τὸν νότιον πόλον ἀπὸ τοῦ χειμερινοῦ τροπικοῦ διήκοντα. Hoc eſt: *Cratetis ſermo aliquid habet probabilius. namque & toti Oceano vocabula profundè & retro fluentis tribuit Homerus, & item fluvii adpellationem: & quamdam Oceani partem fluvium fluviique fluxum nuncupat; non de toto, ſed parte Oceani loquens his verbis:*

> *Cæterùm, poſtquàm fluvii reliquit fluxum Oceani*
> *Navis, abiit ad fluctus maris latiflui.*

ſignificans non totum Oceanum; ſed decurſum fluminis in Oceanum: qui defluxus pars eſt Oceani. Hunc Crates ait refuſam quamdam paludem ac ſinum eſſe, qui ab hibernico ad polum auſtrinum pertinet. Verùm quidquid de præſcriptis Homeri verbis ſenſerit Crates; *palus* certè iſta ſive *ſinus* nullus alius eſt, quàm *Lucrinus Avernus*que *lacus*. *Oceani* vocabulum quòd poëta mari Interno tribuit, id multos poſtmodùm fefellit, uti de mari Externo ſive Oceano Atlantico eum loquutum crediderint. unde hoc Maximi Tyrii ſuprà ſcriptum: Τοῦτό μοι δοκεῖ τὸ μαντεῖον καὶ Ὅμηρος γνοὺς, προσθεὶς τῷ Ὀδυσσεῖ τὴν ἐπ᾽ αὐτῷ ὁδὸν, ἐκτοπίσας τὸ χωρίον ποιητικῶς μάλα τῆς καθ᾽ ἡμᾶς θαλάττης. Id eſt: *Hoc oraculum noviſſe mihi videtur Homerus: ſuumque eò deduxiſſe Vlyſſem: quamvis poëticâ licentiâ locum illi extra mare noſtrum adſignârit.* Item iſtud Iſacii Tzetzæ ad ſuptà ſcriptum Lycophronis locum: Οἱ Κιμμέριοι δὲ κατὰ Ὅμηρον περὶ τὸν δυτικὸν ὠκεανὸν κεῖνται. Id eſt: *Cimmerii, juxta Homeri ſententiam, circa occidentalem Oceanum ſiti ſunt.* Hinc denique & illud Claudiani, in Rufinum lib. I:

> *Eſt locus, extremum pandit quà Gallia litus,*
> *Oceani prætentus aquis; quo fertur Vlyſſes*
> *Sangvine libato populum moviſſe Silentum.*
> *Illic Vmbrarum tenui ſtridore volantum*
> *Flebilis auditur queſtus. ſimulacra coloni*
> *Pallida defunctasque vident migrare figuras.*
> *Hinc dea proſiluit; Phœbique egreſſa ſerenos*
> *Infecit radios; ululatuque æthera rupit*
> *Terrifico. Senſit ferale Britannia murmur;*
> *Et Senonum quatit arva fragor; revolutaque Tethys*
> *Subſtitit; & Rhenus projectâ torpuit undâ.*

Reſpondet ad talia ſic Servius, in Virgilii Aeneid. lib. VI commentans: *Quamquàm fingatur in extremâ Oceani parte Vlyſſes fuiſſe. quod ipſe Homerus falſum eſſe oſtendit ex qualitate locorum, quæ commemorat, & tempore navigationis. dicit enim, eum citra unam noctem navigaſſe; & ad locum veniſſe, ubi ſacra perfecit. quod de Oceano non procedit: de Campaniâ manifeſtum eſt.* Vetuſtiſſimos quosque ſcriptores in Interno mari circa Siciliam Italiamque intellexiſſe Vlyſſis factos errores, patet ex Heſiodi, Euripidis, Thucydidis, Theocriti, Apollonii, Lycophronis, Dionyſii Halicarnaſſenſis, Diodori, Hygini, Melæ, Plinii, Dionis, Apollodori, aliorumque, ſcriptis: item ex Homeri prædictorumque nonnullorum auctorum interpretibus ſive commentatoribus. Atque ex iſtis Heſiodus centum tantùm circiter annis Homero fuit poſterior. Ego ex his omnibus in Siciliæ opere, lib. II cap. XVII, ſingulas eius navigationis parteis adpulſusque expoſui. Oſtendi ibidem, ad nulla *Vlyſſem* ab Homero deductum fuiſſe loca, quin ad eadem poſteà & antiquiſſimi auctores Græci & ex his Virgilius adpulſum memoraverit *Aeneam*: niſi, quòd hic paullo alio itineris ordine. ſcilicet, quia non reducendus erat ad *Ilium*, quemadmodùm poſt longum errorem in *Ithacam* ſuam. Cæterùm inferos heic fingendi apud Lucrinum Avernumque lacus, fluviosque infernaleis, *Pyriphlegethontem*, *Stygem*, *Acherontem*, *Cocytum*, præcipuam occaſionem anſamque habuit Homerus, quem poſteà omnes alii poëtæ imitati ſunt, ingentem illum numerum calidorum fontium circa hæc loca. qua de re ita habet Dio ſuprà citato lib. XLVIII; ubi Lucrinum Avernumque deſcribit: Τὰ δ᾽ ἄλλα, ὅσα ἐν τῷ τόπῳ ἐκείνῳ ἀξιαφήγητα ἐθεασάμην, φράσω. Τὰ ὄρη ταῦτα, πρὸς τὰ ἔνδον θαλάσσαις ὄντα, πηγὰς πυρός τε ἅμα πολλοῦ καὶ ὕδατος συμμιγοῦς ἔχει· καὶ

αὐτὸ

μὲν καθ' ἑαυτὸ ἑκάτερον οὐδαμοῦ εὑρίσκεται· (οὔτε γὰρ πῦρ αὐτὸ οὔθ' ὕδωρ ψυχρὸν αὐτὸ φαίνεται) ἐκ δὲ δὴ τῆς ὁμιλίας σφῶν τό τε ὕδωρ θερμαίνεται καὶ τὸ πῦρ ὑγραίνεται. καὶ ἐκεῖνο μὲν πρὸς τὴν θάλασσαν διὰ τῶν προπόδων ἐς τὰς δεξαμενὰς χωρεῖ· τὴν δ' ἀτμίδα αὐτοῦ ἔς τε οἰκήματα μετέωρα διὰ σωλήνων ἀνάγουσι, κἀνταῦθα αὐτῇ πυριῶνται. ὅσα γὰρ ἐπὶ πλεῖον ἀπό τε τῆς γῆς καὶ ἀπὸ τοῦ ὕδατος ἀναδράμῃ, ξηρότερα γίγνεται. Κατασκευαί τε οὖν περὶ ἀμφότερον πολυτελεῖς ἤσκηνται. καί ἐστιν ἔς τε βίου διαγωγὴν καὶ ἐς ἄκεσιν ἐπιτηδειότατα. Ταῦτα τε οὖν τὸ ὄρος ἐκεῖνο, καὶ προσέτι καὶ γῆς φύσιν τοιάνδε παρέχεται. Hoc eſt: *Reliqua, quæ eo in loco commemoratione digna vidi, exponam. Montes iſti, qui ad interiores ſinus exſtant, fonteis habent ignis multè cum aquâ commixti. verùm ex eorum inter ſe coitu & aqua caleſcit & ignis humidus fit. Atque ea quidem aqua per montium percurrenteis extremitates ad lacum in ciſternas defertur. vaporem autem in ædeis ſublimiores canalibus ſubducunt: & illic eo caleſiunt. nam quæ longiùs à terrâ & aquâ ſurſum ſe attollunt, ea ſicciora redduntur. Itaque uterque locus ſumptuoſa habet ædificia: eſtque cùm ad delectationem vitæ tùm ad medelam aptiſſimus. Hæc igitur is mons habet. Addit poſt hæc & alia quædam; ad quorum finem ita concludit:* Τοιαῦται μὲν αἱ Βαΐαι (οὕτω γὰρ ὁ χῶρος καλεῖται) τυγχάνουσιν. Id eſt: *Talis igitur Baiarum (id quidpe loco nomen eſt) natura eſt.* Sed relictis tandem fabulis, ad res ipſas pergamus.

Livius lib. XXIIII ita tradit: *Hannibal, Numidis Hiſpaniſque ad præſidium ſimul caſtrorum ſimul Capuæ relictis, cum cætero exercitu ad lacum Averni per ſpeciem ſacrificandi, re ipsâ, ut tentaret Puteolos; deſcendit.* Ergo heic numen aliquod cultum fuit eo tempore. Ego nullum aliud reperio, quàm quod jam inde Homero memoratum fuit ſuprà dicto Odyſséæ lib. x his verbis:

Ἀλλ' ὁπότ' ἂν δὴ νηῒ δι' ὠκεανοῖο περήσῃς,
Ἔνθ' ἀκτή τε λάχεια καὶ ἄλσεα Περσεφονείης,
Νῆα μὲν αὐτοῦ κέλσαι ἐπ' ὠκεανῷ βαθυδίνῃ.

Hoc eſt:

Aſt quando jam nave per oceanum transmiſeris;
Vbi litus tenue & nemora Proſerpinæ;
Navem illic ſiſte in Oceano profundorum vorticum.

Hinc & Virgilius Aeneid. lib. VI; ubi ita Aeneas adloquitur Sibyllam:

——— *Natique patriſque*
Alma, precor, miſerere. potes namque omnia. nec te
Nequidquàm lucis Hecate præfecit Avernis.

Et paullo pòſt; ubi Sibylla reſpondet:

——— *Latet arbore opacâ*
Aureus & foliis & lento vimine ramus,
Iunoni infernæ dictus ſacer. hunc tegit omnis
Lucus, & obſcuris claudunt convallibus umbræ.

Et Ovidius Μεταμορφ. lib. XIIII; eamdem de Aeneâ fabulam enarrans:

——— *Dixit: & auro*
Fulgentem ramum ſilvâ Iunonis Avernæ
Monſtravit.

Feſtus: *Hecate, Diana: eadem putabatur & Luna & Proſerpina.* Hac de re lege cap. XXVII libri primi Germaniæ noſtræ. Porrò Lycophron:

Βαίου δ' ἀμείψας τοῦ κυβερνήτου τάφον
Καὶ Κιμμέρων ἔπαυλα κ' Ἀχερουσίαν
Ῥόχθοισι κυμαίνουσαν οἴδματος χύσιν.
Ὄσσαν τε καὶ λέοντος ἀτραποὺς βοῶν
Χωστάς, ὀβελμοῦς τ' ἄλσος οὐδαίας κόρης.

Hoc eſt:

Tum Baii transientis gubernatoris ſepulcrum,
Et Cimmeriorum domicilia, Acheruſiamque
Procellis fluctuantem undæ effuſionem;
Oſſamque: & Leonis boum vias
Adgeſtas; Proſerpinæque nemus, infernæ puellæ.

Diodorus lib. IIII: Ὁ δ' Ἡρακλῆς ἐκ τοῦ Φλεγραίου πεδίου κατελθὼν ἐπὶ τὴν θάλατταν, κατεσκεύασεν ἔργα περὶ τὴν Ἄορνον ὀνομαζομένην λίμνην, ἱερὰν δὲ Περσεφόνης. Id eſt: *Hercules,*

relicto Phlegræo campo ad mare digreſſus, opera quædam circa Avernum lacum, qui Proſerpinæ ſacer habetur, ſtruxit. Huic igitur Proſerpinæ ſacrificare ſe velle ſimulabat Hannibal. Qua verò lacus parte cùm NEMVS tùm TEMPLVM PROSERPINAE fuerit, incertum eſt. nec conſtat, an ad Auguſti usque tempeſtatem, quam juſſu eius Agrippa ſilvas excideret, exſtiterit: niſi quòd ſimulacrum quoddam heic tum fuerit, de quo mox plura intelligemus.

PORTVS IVLIVS.

Cæterùm occaſionem excidendi ſilvas Agrippa habuit, quòd, quum Auguſtus Sex. Pompeium, Magni filium, Siciliam tunc cum exercitu & claſſe tenentem, debellare vellet, PORTVM ille heic fecit, quem IVLIVM adpellavêre. Caſſiodorus in Chronico: *M. Agrippa & L. Caninius. His conſulibus lacus Lucrinus in portum converſus eſt.* Conſules hi fuêre anno Vrbis IↃCCXVI, ante natum Ieſum XXXVII. Virgilius Γεωργικῶν lib. II:

An memorem portus, Lucrinoque addita clauſtra,
Atque indignatum magnis ſtridoribus æquor;
Iulia quà ponto longè ſonat unda refuſo,
Tyrrhenusque fretis immittitur æſtus Avernis?

Ac hæc ita Servius: *In Baiano ſinu Campaniæ contra Puteolanam civitatem lacus ſunt duo, Avernus & Lucrinus; qui olim propter copiam piſcium vectigalia magna præſtabant. ſed quum maris impetus plerumque irrumpens exinde piſceis excluderet, & redemptores gravia damna paterentur, ſupplicarunt ſenatui. & profectus C. Iulius Cæſar, ductis brachiis excluſit partem maris, quæ anteà infeſta eſſe conſueverat: reliquitque breve ſpacium per Avernum, quà & piſcium poſſet copia intrare, & fluctus non eſſent moleſti. quod opus Iulium dictum eſt.* En tibi egregium veri ac nativi grammatici exemplum. cui generi rarò cura eſt, ipſos rerum geſtarum ſcriptores inſpicere. An non disertè portum iſtic Virgilius in Lucrino Avernoque lacu memorat? Alius poëtæ commentator Philargyrus ad eumdem locum rectiùs ita tradit: *Agrippa in ſecundò Vitæ ſuæ dicit, excogitaſſe ſe, ut ex Lucrino lacu portum faceret. Verùm huius gloria Auguſto ceſſit. Indignatum autem ideò dixit [poëta,] quia, quo tempore in Lucrinum lacum mare immiſſum eſt, deinde terra effoſſa, contigit inter ipſum Lucrinum & Avernum, ut duo lacus miſcerentur; & tanta tempeſtas orta eſt, ut prodigii loco habita ſit; ac nunciatum ſit, ſimulacrum Averni ſudaſſe. propter quod pontifices ibi piacularia ſacra fecerunt.* Svetonius in Auguſto, cap. XVI: *Bellum Siculum inchoavit in primis: ſed diu traxit, intermiſſum ſæpius, modò reparandarum claſſium cauſâ, modò pace factâ; flagitante populo ob interclusos commeatus famemque ingraveſcentem. donec navibus ex integro fabricatis, ac* XX *ſervorum millibus manumiſſis & ad remum datis; portum Iulium apud Baias, immiſſo in Lucrinum & Avernum lacum mari, effecit. in quo quum hieme totâ copias exercuiſſet. Pompeium inter Mylas & Naulochum ſuperavit.* Ergo huc etiam ſpectat illud Virgilii Aeneid. lib. VIIII:

Qualis in Euboico Baiarum litore quondam
Saxea pila cadit, magnis quàm molibus antè
Conſtructam jaciunt ponto.

Velleius Paterculus lib. II; de eodem loquens Auguſto: *Aedificandis navibus, contrahendoque militi ac remigi, navalibusque adſveſcendo certaminibus atque exercitationibus, præfectus eſt M. Agrippa. Hic in Averno ac Lucrino lacu ſpecioſiſſimâ claſſe fabricatâ, quotidianis exercitationibus militem remigemque ad ſummam & militaris & maritimæ rei perduxit ſcientiam.* Dio lib XLVIII: Ὁ δὲ Καῖσαρ τῷ Ἀγρίππᾳ τοῦ ναυτικοῦ παρασκευὴν ἐγχείρισε. μετεπέμψατο γὰρ αὐτὸν, καὶ ἐκποιῆσαι ἐξασκῆσαί τε τὸ ναυτικὸν ἐκέλευσε. καὶ ὃς δὴ τὸ ναυτικὸν πάνυ προθύμως ἐξειργάσατο. Ἐγίγνετο μὲν ἐν πάσῃ τῇ παραθαλασσίῳ Ἰταλίᾳ τὰ σκάφη. ὡς δ᾽ οὐδεὶς αἰγιαλὸς ἐγκαθορμίσασθαι αὐτοῖς ἀσφαλὴς εὑρίσκετο, (ἀλίμενα γὰρ ἔτι καὶ τότε τὰ πλείω τῆς ἠπείρου ταύτης ἦν) ἔργον μεγαλοπρεπὲς καὶ ἐνενόησε καὶ ἐξεποίησεν. Ἐν τῇ Κύμῃ τῇ Καμπανίδι χωρίον τι μεταξὺ Μισηνοῦ καὶ Πουτεόλων μηνοειδὲς θάλασσαν τελματώδη κολπώδη ἔχει. ἡ μὲν γὰρ ἔξω τε καὶ πρὸς ταῖς πόλεσίν ἐστιν· ἡ δ᾽ ὀλίγῃ διαφυῇ ἀπ᾽ αὐτῆς διείργεται· ἄλλη ἐν αὐτῷ τῷ μυχῷ λιμνώδης ὁρᾶται. καὶ καλεῖται αὕτη μὲν Ἀουρνὶς, ἡ δὲ μέση Λουκρινίς· ἡ γὰρ ἔξω τοῦ Τυρσηνικοῦ οὖσα ἐς ἐκεῖνο καὶ τὴν ἐπωνυμίαν τελεῖ. Ἐν δὴ τῇ θαλάσσῃ τῇ ἐντὸς ἑκατέρας στενοῖς τότε ἔσπλοις τὸ διεῖργον τὴν Λουκρινίδα ἀπὸ τοῦ πελάγους ἐπ᾽ ἀμφότερα παρ᾽ αὐτὴν τὴν ἤπειρον ὁ Ἀγρίππας συντρήσας, λιμένας ναυλοχωτάτους ἀπέδειξεν. Ἐργαζομένων δ᾽ αὐτῶν, εἰκὼν τις ὑπὲρ τῆς Ἀουρνίδος (εἴτ᾽ οὖν τῆς Καλυψοῦς, ᾗ τὸ χωρίον ἀνατιθέασιν, ἐς ὃ

καὶ τὸν

καὶ τὴν Ὀδυσσέα ἐσπλεῦσαι λέγουσιν, εἴτε καὶ ἑτέρας τινὸς ἡρωΐνης οὖσα) ἱδρῶτος, ὥσπερ τι σῶμα ἀνθρώπινον, ἀνεπλήσθη. Hoc eſt: *Cæſar Agrippæ rei navalis adparandæ curam demandavit. evocatum namque claſſi fabricandæ exercendæque præfecit. Igitur ille omni ſtudio in mandatum ſibi munus incumbit. At quoniam litus nullum in Italiâ erat, quò tutò illæ in ſtatione locari poſſent; (eo quidpe tempore pleræque eius continentis partes portum nullum habebant) opus præclarum & excogitavit Agrippa & perfecit. In Cumano Campaniæ agro locus quidam inter Miſenum & Puteolos in lunæ formam curvatus, treis habet ſinus maris; quorum unum, qui exterior prope ipſas urbeis eſt, Tyrrhenum vocant; ſecundum, exiguâ intercapedine à priore diremptum, Lucrinum; tertium in ipſo receſſu interiori lacus in morem effuſum, Avernum. Proinde Agrippa, in hoc ſinu duobus aliis interjecto; cuius aditus anguſti tunc erant; id interſtitium, quo Lucrinus à mari dirimitur, utrimque propter ipſam continentem perfodit: effecitque portus navium ſtationi opportuniſſimos. Ceterò, quum id opus fieret; ſuper Avernum lacum ſimulacrum quoddam (ſive id Calypſûs fuerit; cui ſacrum eum locum eſſe dicunt; quò etiam navi intraſſe Vlyſſem perhibent; ſive alius cuiusdam heroinæ) ſudore, tamquàm humanum corpus, repletum eſt.* Eumdem portum Horatius quoque innuit in carmine de Arte poëticâ, his verbis:

Debemur morti nos noſtraque: ſive receptus
Terrâ Neptunus claſſes aquilonibus arcet;
Regis opus: ſterilisve diu palus, aptaque remis,
Vicinas urbeis alit & grave ſentit aratrum:

Magnæ heic hodiéque moles ſub undis marinis conſpiciuntur, quà novus ille mons cinereus mari imminet.

Porrò poſt Lucrinum lacum ſequebatur *opidum* PVTEOLI plurali numero Latinis ferè auctoribus, exceptis poëtis, dictum; Græcis verò Δικαιάρχεια, ſive Δικαιαρχία, DICAEARCHIA; & contractè Δικαρχία, DICARCHIA: quo frequenter Latini uſi ſunt poëtæ; ut Græci etiam ſub Romanis imperatoribus ſæpè uſurparunt Πουτίολοι, ſive Ποτίολοι. Fama opidi apud auctores eſt celebratiſſima. Vulgari nunc vocabulo dicitur *Pozzuolo*. Plinius lib. III cap. V: *Lacus Lucrinus & Avernus; juxta quem Cimmerium opidum quondam. dein Puteoli colonia, Dicæarchia dicti.* Fortaſſe ſcripſerat; *Dicæarchia antè dicti.* Strabo lib. V; poſt deſcriptionem Lucrini Avernique lacus: Ἑξῆς δ' εἰσὶν αἱ περὶ Δικαιαρχίαν ἀκταὶ, καὶ αὐτὴ ἡ πόλις. ἦν δὲ πρότερον μὲν ἐπίνειον Κυμαίων, ἐπ' ὀφρύος ἱδρυμένον· κατὰ δὲ τὴν Ἀννίβα στρατείαν συνῴκισαν Ῥωμαῖοι, καὶ μετωνόμασαν Ποτιόλους ἀπὸ τῶν φρεάτων. οἱ δὲ ἀπὸ τῆς δυσωδίας τῶν ὑδάτων ἅπαν τὸ χωρίον ἐκεῖ μέχρι Βαιῶν καὶ τῆς Κυμαίας .... [deeſt aliquid] .... ὅτι θείου πλῆρές ἐστι καὶ πυρὸς καὶ θερμῶν ὑδάτων. Id eſt: *Sequuntur hinc litora circa Dicæarchiam, atque ipſa urbs. Fuit ea antiquitus navale Cumanorum, in ſupercilio litoris exſtructum. At ſub tempus Hannibalici belli Romani novis colonis frequentarunt: mutatoque nomine, Puteolos dixerunt à puteis. Alii à putore aquarum omnem hunc tractum ad Baias usque & Cumanum agrum,* ..... [deeſt nonnihil] *quòd ſulfuris ſit plenis ignisque & calidarum aquarum.* Feſtus: *Puteolos dictos putant ab aquæ calidæ putore. quidam à multitudine puteorum, earumdem aquarum gratiâ factorum.* Varro de Latinâ linguâ lib. IIII: *A puteis opidum Puteoli: quòd ſint circa eum locum aquæ frigidæ & calidæ multæ. niſi à putore potiùs: quòd putidus ſit odoribus ſæpè ex ſulfure & alumine.* Plinius lib. XXXI cap. II, quòd eſt de aquis: *Augent numerum deorum nominibus variis; urbeisque condunt: ſicut Puteolos in Campaniâ, Statiellas in Liguriâ, Sextias in Narbonenſi provinciâ.* Cæterùm opidani à Puteolis dicuntur auctoribus PVTEOLANI; ut mox infrà videbimus. Primos opidi conditores quod attinet, quia id, teſte Strabone, navale fuit Cumanorum; ab his conditum videri poterat. at Stephani epitomator ſic habet: Ποτίολοι, κτίσμα Σαμίων· ἥτις καὶ Δικαιάρχεια. Id eſt: *Puteoli, Samiorum opus: quæ & Dicæarchia dicitur.* Et divus Hieronymus in Euſebii Chronicor. lib. II ſic tradit: Olympiadis LXIIII anno IIII *Samii Dicæarchiam condiderunt; quam nunc Puteolos vocant.* Factum igitur hoc Tarquinio Superbo Romæ regnante; anno urbis CCXXXII, ante natum Ieſum IↃXXI. Poëta Statius etiam conditorem oſtendere voluit Dicæarchæum, ſeu contractè Dicarchæum. Silvar. lib. II carm. II:

Macte animo, quòd grata probas, quòd grata frequentas
Arva. nec invideant, quæ te genuêre Dicarchi
Mœnia.

Silvar. lib. III carm. I:

Tune, inquit, largitor opum, qui mente profuſâ
Tecta Dicarchæi pariter juvenemque repleſti
Parthenopen.

Silvar. lib. IIII carm. VIII:

Nec ſolùm feſtas ſecreta Neapolis aras
Ambiet, & ſocii portus, dilectaque mitis
Terra Dicarchæi.

Sed hoc fortaſſe ita poëta poëticâ licentia. Aliam adfert nominis rationem Feſtus grammaticus. *Dicæarchia*, inquit, *vocabatur, quæ nunc Puteoli; quòd ea civitas quàm juſtiſſimè regebatur.* A Romanis quando aucta ſit, oſtendit Livius lib. XXIIII. *Exitu*, inquit, *anni eius Q. Fabius ex auctoritate ſenatus Puteolos, per bellum cæptum frequentari emporium, communiit; præſidiumque impoſuit.* Annus is fuit poſt Romam conditam IↃXXXVIII, ante natum Ieſum CCXV: conſulesque fuêre Q. Fabius & Ti. Sempronio; anno belli Hannibalici IIII. Atque jam inde eo portu uſi ſunt Romani. Livius lib. XXVI; biennio pòſt, quàm Fabius communierat: *Eum exercitum Puteolis in naveis impoſitum Nero in Hiſpaniam transportavit.* Et lib. XXX: *Carthaginenſium legatos, de pace ad ſenatum venienteis, Puteolis viſos, inde terrâ venturos allatum eſt.* Fuit hinc portus totius inferi maris celeberrimus; maximè annonâ & mercibus Alexandrinis ex Aegypto eò convectis. Strabo lib. XVII: Ταύτῃ τὰ ἐκκομιζόμενα, ἐξ Ἀλεξανδρείας πλείω τῶν εἰσκομιζομένων ἐστί. γνοίη δ' ἄν τις ἔν τε τῇ Ἀλεξανδρείᾳ καὶ τῇ Δικαιαρχίᾳ γενόμενος, ὁρῶν τὰς ὁλκάδας ἔν τε τῷ κατάπλῳ καὶ ἐν ταῖς ἀναγωγαῖς, ὅσον βαρύτεραί τε καὶ κουφότεραι δεῦρο κἀκεῖσε πλέοιεν. *Exportari ex Alexandriâ plura hàc, quàm ex Italiâ importari, facilè animadvertat, qui Alexandriæ & Puteolis fuerit; obſervaveritque onerarias naveis & venienteis & discedenteis, quanto graviores levioresve ultro citroque navigent.* Svetonius in Auguſto, cap. XCVIII: *Fortè Puteolanum ſinum prætervehenti, vectores nautæque de navi Alexandrinâ, quæ tantùm quòd adpulerat, candidati coronatique & thura libantes, fauſta omina & laudes congeſſerant: Per illum ſe vivere, per illum navigare; libertateque atque fortunis per illum frui. Quâ re admodùm exhilaratus, quadragenos aureos comitibus diviſit; jusque jurandam & cautionem exegit à ſingulis, non aliò datam ſummam, quàm in emptionem Alexandrinarum mercium abſumpturos.* Seneca Epiſt. LXXVII: *Hodiè nobis Alexandrinæ naves adparuerunt, quæ præmitti ſolent, & nunciare ſequaturæ claſſis adventum. tabellarias vocant. Omnis in pilis Puteolorum turba conſiſtit; & ex ipſo genere velorum Alexandrinas, quamvis in magnâ turbâ navium, intelligit.* Sed ipſe portus Puteolanus ita deſcribitur à Strabone lib. V: Ἡ δὲ πόλις ἐμπορεῖον γεγένηται μέγιστον, χειροποιήτους ἔχουσα ὅρμους διὰ τὴν εὐφυΐαν τῆς ἄμμου. σύμμετρος γάρ ἐστι τῇ τιτάνῳ, καὶ κόλλησιν ἰσχυρὰν καὶ πῆξιν λαμβάνει. διόπερ τῇ χάλικι καταμίξαντες τὴν ἀμμοκονίαν, προβάλλουσι χώματα εἰς τὴν θάλατταν, καὶ κολποῦσι τὰς ἀναπεπταμένας ἠιόνας, ὥστ' ἀσφαλῶς ἐνορμίζεσθαι τὰς μεγίστας ὁλκάδας. Hoc eſt: *Vrbs ea emporium evaſit maximum; ſtationes habens navium manu ſtructas; naturâ arenæ eam commoditatem præſtante: quæ, calci proportione reſpondens, validam conglutinationem concretionemque recipit. itaque glaream cum cæmento ex calce & arenâ conflato admiſcentes, aggeres in mare producunt; ſinuantque litoris parteis maximè apertas: ita, ut ſubduci tutò poſſint maximæ onerariæ naves.* Plinius lib. XXXV cap. XIII: *Verùm & ipſius terræ ſunt alia ſegmenta. quis enim ſatis miretur peſſimam eius partem, ideoque pulverem adpellatum in Puteolanis collibus, opponi maris fluctibus; merſumque, protinus fieri lapidem unum, inexpugnabilem undis, & fortiorem quotidiè; utique, ſi Cumano miſceatur cæmento.* Seneca loco modo perſcripto *pilas* vocat: & vetus inſcriptio, quæ Puteolis hodiéque exſtat, ſic habet:

IMP·CAESAR·DIVI·HADRIANI·F
DIVI·TRAIANI·PARTHICI·NEPOS
DIVI·NERVAE·PRONEPOS·T·AELIVS
HADRIANVS·ANTONINVS·AVG
PIVS·PONT·MAX·TRIB·POT·II
COS·II·DESIG·III·P·P·OPVS
PILARVM·VI·MARIS·CONLAPSVM
A·DIVO·PATRE.SVO.PROMISSVM
RESTITVIT

Ex his pilis hodiéque XIII exſtant, ingenti magnitudine: ſeriesque earum ab opido, quâ occidentem æſtivum ſpectat, ad Lucrinum lacum verſus protenditur. Murus ſupernè iis per arcus incumbit veluti pons; in quem populus ad ſpectandas naveis procurrere poterat. De cætero PHAROS etiam fuit ad tam celebrem portum. Plinius lib. XXXVI cap. XII: *Magnificatur & alia turris, à rege facta in inſulâ Pharo, portum obtinente Alexandriæ. Vſus eius, nocturno navium curſui ignes oſtendere, ad prænuncianda vada portusque introitum. ſicut jam tales compluribus locis flagrant; ut Puteolis ac Ravennæ.* In ipſo mari an fuerit, ut illa apud *Centumcellas* in Etruriâ, & altera in *portu Auguſti* apud Tiberis oſtia, incertum eſt. Sed antequàm ab hoc portu diſcedamus, curæ pretium fuerit, de PONTE CALIGVLAE imperatoris dixiſſe, quem heic ſtruxit. Ac primum omnium errant immenſum illi, qui ipſas ſuprà dictas moleis eum pontem ſeu partem eius ſuperſtitem interpretantur. Svetonius in Caligulâ, cap. XVIIII: *Novum prætereà atque inauditum genus ſpectaculi excogitavit. nam Baiarum medium intervallum Puteolanas ad moleis trium millium & ſexcentorum ferè paſſuum ponte conjunxit; contractis undique onerariis navibus, & ordine duplici ad ancoras collocatis, ſuperjectoque aggere terreno, ac directo in Appiæ viæ formam. Per hunc pontem ultro citro commeavit biduo continenti. primo die phalerato equo, inſigniſque quercicâ coronâ & ſecuri & cetrâ & gladio aureâque chlamyde. poſtridie quadrigaris habitu curriculoque bijugi famoſorum equorum; præ ſe ferens Darîum puerum ex Parthorum obſidibus; comitante prætorianorum agmine, & in eſſedis cohorte amicorum.* Dio lib. LVIIII: Γάϊος δὲ ἐκείνης μὲν τῆς πομπῆς οὐδὲν προετίμησεν· οὐδὲ γὰρ οὐδὲ μέγα τι ἐνόμιζεν εἶναι ἵππῳ δι' ἠπείρου διελάσαι· διὰ δὲ τῆς θαλάσσης τρόπον τινὰ διιππεῦσαι ἐπεθύμησε, γεφυρώσας τὸ μεταξὺ τῶν τε Πουτεόλων καὶ τῶν Βαύλων. τὸ γὰρ χωρίον τοῦτο κατ' ἀντιπέραν τῆς πόλεως ἐστὶ, διέχον αὐτῆς σταδίους ἓξ καὶ εἴκοσι. πλοῖα δὲ ἐς τὴν γέφυραν τὰ μὲν ἠθροίσθη τὰ δὲ καὶ κατεσκευάσθη. οὐ γὰρ ἐξήρκεσε τὰ συλλεγῆναι δυνηθέντα ὡς ἐν βραχυτάτῳ, καίτοι πάντα ὅσα ἐνεδέχετο συναχθέντα. ἐζεύχθη δὲ οὐχ ἁπλῶς δίοδός τις, ἀλλὰ καὶ ἀναπαῦλαι ἐν αὐτῇ καὶ καταλύσεις, ὥστε καὶ ὕδωρ αὐταῖς πότιμον ἐπίρρυτον ἔχειν, ἐποιήθησαν. Ἐπειδή τε ἕτοιμα ἦν, τόν τε θώρακα τὸν Ἀλεξάνδρου, ὥς γε ἔλεγε, καὶ ἐπ' αὐτῷ χλαμύδα σηρικὴν ἁλουργῆ, πολὺ μὲν χρυσίον, πολλοὺς δὲ καὶ λίθους Ἰνδικοὺς ἔχουσαν, ἐπενέδυ· ξίφος τε παρεζώσατο, καὶ ἀσπίδα ἔλαβε, καὶ δρυῒ ἐστεφανώσατο. κἀκ τούτου τῷ τε Ποσειδῶνι καὶ ἄλλοις τισὶ θεοῖς Φθόνῳ τε θύσας (μὴ καὶ βασκανία τις αὐτῷ, ὡς ἔφασκε, γένηται) ἔς τε τὸ ζεῦγμα ἀπὸ τῶν Βαύλων ἐσέβαλε, παμπληθεῖς καὶ ἱππέας καὶ πεζοὺς ὡπλισμένους ἐπαγόμενος, καὶ σπουδῇ καθάπερ ἐπὶ πολεμίους τινὰς ἐς τὴν πόλιν ἐσέπεσε. κἀνταῦθα τὴν ὑστεραίαν, ἀναπαυσάμενος ὥσπερ ἐκ μάχης, ἀνεκομίσθη διὰ τῆς γεφύρας ἐφ' ἅρματος, χιτῶνα χρυσόπαστον ἐνδύς. ἦγον δὲ αὐτὸν οἱ ἀθληταὶ ἵπποι ἀξιονικότατοι. καὶ ἄλλα δὲ αὐτῷ πολλὰ, ὡς καὶ λάφυρα, συνηκολούθησε, καὶ Δαρεῖος, ἀνὴρ Ἀρσακίδης, ἐν τοῖς ὁμηρεύουσι τότε τῶν Πάρθων ὤν· οἵ τε φίλοι καὶ οἱ ἑταῖροι αὐτοῦ ἐπὶ ὀχημάτων ἐν ἐσθῆσιν ἀνθηραῖς ἐφέποντο, καὶ ὁ στρατὸς, καὶ ὁ λοιπὸς ὅμιλος, ἰδίως πως ἕκαστον κεκοσμημένοι. καὶ (ἔδει γὰρ αὐτὸν, οἷα ἔν τε στρατείᾳ τοιαύτῃ, καὶ ἐπὶ νίκῃ τηλικαύτῃ, καὶ δημηγορῆσαί τι) ἀνέβη τε ἐπὶ βῆμα, ἐπὶ πλοίων που καὶ αὐτὸ κατὰ μέσην που τὴν γέφυραν πεποιημένον. καὶ πρῶτον μὲν ἑαυτὸν, ὡς καὶ μεγάλων τινῶν ἔργων ἐπιχειρητὴν, ἀπεσέμνυνεν· ἔπειτα δὲ τοὺς στρατιώτας, ὡς καὶ πεπονηκότας καὶ κεκινδυνευκότας, ἐπῄνεσεν· ἄλλα τε καὶ αὐτὸ τοῦτο εἰπὼν, ὅτι πεζῇ διὰ τῆς θαλάσσης διέδραμον. καὶ χρήματά τε διὰ τοῦτο αὐτοῖς ἔδωκε, καὶ μετὰ τοῦτο αὐτός γε ἐπὶ τῆς γεφύρας, ὥσπερ ἐν νήσῳ τινὶ, καὶ ἐκεῖνοι ἐν ἑτέροις πλοίοις περιορμοῦντες, τό τε λοιπὸν τῆς ἡμέρας καὶ τὴν νύκτα πᾶσαν εἱστιάθησαν· πολλοῦ μὲν αὐτόθεν φωτὸς, πολλοῦ δὲ καὶ ἐκ τῶν ὀρῶν ἐπιλάμψαντος σφίσι. τοῦ γὰρ χωρίου μηνοειδοῦς ὄντος, πῦρ πανταχόθεν, καθάπερ ἐν θεάτρῳ τινὶ, ἐδείχθη· ὥστε μηδεμίαν αἴσθησιν τοῦ σκότους γενέσθαι. καὶ γὰρ τὴν νύκτα ἡμέραν, ὥσπερ που τὴν θάλασσαν γῆν, ποιῆσαι ἠθέλησεν. ἐμπλησθεὶς δὲ καὶ ὑπὲρ κορῆς καὶ σίτου καὶ μέθης γενόμενος, συχνοὺς μὲν τῶν ἑταίρων ἐς τὴν

θάλασσαν ἀπὸ τῆς γεφύρας ἔρριψε, συχνοὺς δὲ καὶ τῶν ἄλλων ἐν πλοίοις ἐμβόλους ἔχουσι περιπλεύσας κατέδυσεν, ὥστε καὶ ἀπολέσθαι τινάς. οἱ γὰρ πλείους, καίπερ μεθύοντες, ἐσώθησαν. αἴτιον δὲ, ὅτι καὶ λειοτάτη καὶ στασιμωτάτη ἡ θάλασσα, καὶ ἐν ᾧ ἡ γέφυρα ἐζεύχθη, καὶ ἐν ᾧ τὰ ἄλλα ἐποιήθη, ἐγένετο. καί τι καὶ ἀπὸ τούτου ἐγκαυχώθη, λέγων, ὅτι καὶ ὁ Ποσειδῶν αὐτὸν ἐφοβήθη. ἐπεὶ ἔς γε τὸν Δαρεῖον καὶ τὸν Ξέρξην οὐδὲν ὅ τι οὐκ ἀπέσκωπτεν, ὡς καὶ πολλαπλάσιον σφῶν μέτρον τῆς θαλάσσης ζεύξας. Τῆς μὲν δὴ γεφύρας ἐκείνης τοῦτο τὸ τέλος ἐγένετο, καὶ αἰτίαν καὶ αὐτὴ θανάτου πολλοῖς παρέσχεν. ἐξαναλωθεὶς γὰρ ἐς αὐτὴν, πολλῷ πλείοσι διὰ τὰς οὐσίας ἐπεβούλευσεν. Hoc eſt: *Caius, rem haud magnam eſſe cenſens, ſi equo per continentem terram inveheretur, orationem eam ſprevit. at per mare modo quodam vehi intendit; ponte injecto ei maris parti, quæ Puteolos Baulosque intereſt. Hic locus ex adverſo eſt dictæ urbis, millibus tribus & paſſibus 10 diſitus. Ad eum pontem collectæ ſunt partim naves, partim fabricatæ: quum, quæ in tantâ celeritate contractæ eſſent, non ſufficerent; quamquàm omnibus, quæ haberi poterant, conquiſitis. unde & fames vehemens Italiam ac maximè Romam invaſit. Pons verò non tantùm transitus causâ paratus fuit: ſed etiam ſtationes ad quieſcendum & diverſoria in eo effecta ſunt; quibus ipſis aqua dulcis adfluebat. Omnibus perfectis; thoracem, qui Alexandri fuerat (ſic enim perhibebat) & ſupra eum chlamydem ſericam purpurei coloris, multo auro multisque gemmis Indicis ornatam, induit: gladioque ſe adcinxit; & clypeum ſumpſit; quericicâ coronâ capiti impoſitâ. tum re ſacrâ Neptuno ac diis aliis factâ; Livori etiam: ne qua, ut aiebat, invidiâ premeretur; pontem à Baulis ingreſſus eſt; plurimos equites peditesque armatos ſecum ducens: ac in urbem, quaſi in hoſteis, irruit. Ibi quum quieti die inſequenti ſe dediſſet, quaſi à prœlio feſſus; per ipſum pontem curru revectus eſt; tunicâ auro intertextâ amictus, & ab equis latus, qui in certaminibus victoriam plurimùm obtinuerant. tùm verò alia multa, ſpoliorum inſtar, eum ſubſequebantur, tùm etiam Darius Arſacides; unus ex obſidibus, qui tunc à Parthis aderant. comitabantur hinc eum & amici in curribus, veſtibus floridis: tum exercitus ac reliqua multitudo; ſinguli peculiariter ornati. Et, quia opus erat, (utpote tantâ expeditione factâ, ac tantâ victoriâ partâ) concionem habere; ſuggeſtum conſcendit, in medio pontis navibus impoſitum. Ac primò ſe, ut eximia conatum, jactavit: dein milites, ut periclitatos fatigatosque, laudavit: hoc inter alia gloriatus; ſe pedibus mare percurriſſe. Congiario deinde dato, mox ipſe in ponte, tamquàm in inſulâ quadam, reliqui in aliis navibus ſtationem habentes, diem reliquum totamque noctem epulati ſunt: multo ex ponte igni, multo ex montibus adfulgente. namque loco hoc Lunæ in formam curvato, undique ignis, veluti in theatro quodam, adparebat: ita, uti omnem tenebrarum ſenſum eriperet. quidpe noctem quoque in diem, ut mare in terram, convertere volebat. Poſtquàm ad ſatietatem usque cibo ac potu ſeſe ingurgitavit; multos amicorum de ponte in mare projecit; multòs ex aliis, navibus roſtratis circumvectus, ſubmerſit: ita, uti nonnulli perirent; plerisque tamen, quamquam ebriis, evadentibus. cuius rei cauſa erat, quòd intereà, dum pons jungeretur, cæteraque fierent, mare placidiſſimum ac minimè commotum eſſet. Cæterùm hoc ipſo inflatus; Neptuno ſe metum incuſſiſſe, dixit: Darîo ac Xerxe non niſi ludibrii cauſa memoratis: quia longè plus maris ipſe ponte inſtruxiſſet. Hic tandem finis fuit pontis illius qui & ipſe multis cauſa necis fuit. quidpe pecuniâ abſumptâ, multo jam pluribus propter opes exitum ſtruxit Caius.* De eodem ponte paucis ſic tradit Ioſephus Antiquitat. Iudicar. lib. xviiii cap. 1: Καὶ ἄλλα ἔπρασσε μανίας οὐδὲν ἀπολελειμμένος, ἐπεὶ καὶ ἀπὸ Δικαρχίας τῆς πόλεως ἐν Καμπανίᾳ κειμένης εἰς Μισηνοὺς, ἑτέραν πόλιν ἐπιθαλάσσιον, καὶ τὴν διάβασιν δεινὸν ἡγούμενος τριήρει περαιοῦν, καὶ ἄλλως ἐπιβάλλειν ἡγούμενος αὐτῷ δεσπότῃ ὄντι τῆς θαλάσσης ταὐτὰ καὶ ὁποῖα καὶ παρὰ γῆς ἀπαιτεῖν, ἀπ' ἄκρων ἐπ' ἄκρα σταδίους τριάκοντα μέτρον τῆς θαλάσσης, καὶ εἴσω τὸν κόλπον ἀπολαβὼν πάντα, ἤλαυνεν ἐπὶ τῇ γεφύρᾳ τὸ ἅρμα. θεῷ γὰρ ὄντι τοιαύτας ποιεῖσθαι καλῶς ἔχειν τὰς ὁδούς. Id eſt: *Aliis etiam operibus ſuam declaravit inſaniam. quidpe à Puteolis, Campaniæ urbe, ad Miſenum usque, & ipſum Campaniæ opidum maritimum, gravatus triremi trajicere; & alioqui ad ſuam dominationem pertinere exiſtimans; ſi à mari eadem, quæ à terrâ, obſequia exigeret; ab uno promontorio ad alterum per quatuor millia paſſuum ponte juncto medio ſinus ſpacio, curru vectus eſt. id enim demum iter dignum eſſe maieſtate ſui numinis.* Ergo tres iſti varii auctores treis varios memorant locos, ad quos pons iſte à Puteolis perductus fuerit: Ioſephus *Miſenum*; Svetonius *Baias*; Dio *Baulos*. Verùm, quum omnium curatiſſimè hoc Caligulæ factum deſcribat Dio; haud levis ratio eſt, cur huic de *Baulis* potiùs credatur, quàm illis de *Miſeno* atque *Baiis*. Neque illorum tamen ignorantia temerè culpanda. quidpe, quum

quum villa tantùm Bauli forent; cóque paullo obſcuriore famâ; proxima hinc inde ei opida nominare maluerunt. Certè Dioni adſtipulatur auctor ἀνώνυμος Olympiadum; qui ita habet: Ὀλυμπιάδος σδ΄ ἔτει γ΄ Γάϊος τὸ μεταξὺ τῶν Πυτιόλων καὶ Βαύλων ἐγεφύρωσε. Id eſt: *Olympiadis* CCIIII *anno* III *Caius intervallum inter Puteolos & Baulos ponte junxit*. De ſpacio trium millium & quingentorum ſive ſexcentorum paſſuum, vel, ut Ioſephus habet ad Miſenum usque, miror omneis erraſſe: quum id non niſi terreſtri itinere, quod lunatum eſt, conveniat. Nec eſt, quod objicere quis heic velit, nonnihil terræ huic ſinui, recedente mari, poſt à additum: quando Puteoli hodiéque in eodem promotorio ſiti ſunt, in quo ab initio conditos tradit ſuprà ſcripto loco Strabo, molesque eis, ut olim, etiamnunc conjunctæ; in Baiano autem litore mare multa, quæ nunc ſub undis cernuntur, abſorbuit. Verùm hactenus de *portu Puteolano*, deque *ponte* in eo ab C. Caligulâ per ſummam inſaniam ſtructo, poſtquàm abundè dictum, ad reliqua nunc ipſius urbis perſequenda pergamus. *Colonia* Romanorum facta eſt poſt bellum Punicum ſecundum. Livius lib. XXXII: *C. Atilius, tribunus plebis, tulit, ut* V *coloniæ in oram maritimam deducerentur; duæ ad oſtia fluminum Vulturni Liternique, una Puteolos, una ad caſtrum Salerni. his Buxentum adjectum. tricenæ familiæ in ſingulas colonias jubebantur mitti*. Et lib. XXXIIII, P. Scipione Africano & Ti. Sempronio Longo conſulibus anno poſt urbem Romam conditam IϽLVIII, ante Chriſtum natum CXCV: *Coloniæ civium Romanorum eo anno deductæ ſunt, Puteolos, Vulturnum, Liternum: treceni homines in ſingulas: Item Salernum Buxentumque coloniæ civium Romanorum deductæ ſunt*. At poſtmodùm *municipium* evaſit. Cicero in oratione pro M. Cœlio: *Quod eſt objectum, municipibus eſſe adoleſcentem non probatum ſuis: nemini umquàm præſenti Puteolani maiores honores habuerunt, quàm abſenti M. Cœlio*. Auguſtus tamen poſteà *coloniam* iterum deduxit. Frontinus in libro de Coloniis: *Puteoli, colonia Auguſta. Auguſtus deduxit*. Sed & tertiam Nero. Tacitus Annal. lib. XIIII: *At in Italiâ vetus opidum Puteoli jus coloniæ & cognomentum à Nerone adipiſcuntur*. Poſtremò Feſtus inter præfecturas connumerat.

Cæterùm SINVS, in quo ſitum eſt opidum Puteoli, cognominatus inde eſt PVTEOLANVS. Svetonius in Auguſto, cap. XCVIII: *Tunc Campaniæ orâ proximisque inſulis circuitis, Caprearum quoque receſſui quatriduum impendit. Fortè Puteolanum ſinum prætervehenti, vectores nautæque de navi Alexandrinâ, quæ tantùm quòd adpulerat, candidati coronatique & thura libantes, fauſta omina & laudes congeſſerant*. Sex. Aurel. Victor in Caligulâ, de ponte eius loquens: *In ſpacio trium millium, quod in ſinu Puteolano inter moleis jacet, duplici ordine naveis contexuit*. Verùm quibus finibus incluſus fuerit hic ſinus, haud facile oſtenſu eſt. Mela lib. II cap. IIII ſic tradit: *Pæſtanus ſinus, Pæſtum opidum, Silarus amnis, Picentia, Petræ quas Sirenes habitavere, Minervæ promontorium; opima Lucaniæ loca. Sinus Puteolanus, Surrentum, Herculaneum, Veſavii montis adſpectus, Pompeii, Neapolis, Puteoli, lacus Lucrinus & Avernus, Baiæ, Miſenum, Cumæ, Liternum, Vulturnus amnis, Vulturnum opidum; amœna Campaniæ litora*. Quàm diſertiſſimè Puteolani ſinus finem ſtatuit ad Minervæ promontorium, quod & *Surrentinum* ab opido *Surrento*, initium non indicat. At de fine negat præſcriptus Svetonius: qui haud obſcuris verbis Puteolanum ſinum circa Puteolos tantùm vult conſiſtere. Plinius, nimio brevitatis ſtudio, ut credo, aut nimiâ feſtinatione, haud modicè heic ineptit. Verba eius lib. III cap. VI hæc ſunt: *In Puteolano ſinu Pandataria, Prochyta, Aenaria, Homero Inarime dicta Græcis Pithecuſa*. Certè harum inſularum nulla in Puteolano ſita eſt ſinu; ſed Prochyta & Aenaria Miſeno promontorio extra ſinum objacent; Pandataria ultra Miſenum versùs Latium poſita. Ego ſic exiſtimo: *Puteolanum ſinum* à quibusdam protenſum fuiſſe à Miſeno promontorio ad promontorium, quod, medium ferè inter Puteolos & Neapolim, contra complureis exiguas inſulas in mare procurrit, quorum duæ maximæ vulgaribus vocabulis nunc dicuntur *Niſita* & *Gaiola*. In huius ſinus fermè medio flexu ſitum eſt opidum *Puteoli*, in quodam promontorio, quod cum Miſeno promontorio *Baianum* includebat *ſinum*; partem alteram univerſi *ſinus Puteolani*. De cætero hunc Puteolanum ſinum poëticâ licentiâ Statius adpellavit Gauranum, ab Gauro monte ei imminente; Silius verò Phlegræum, ab Phlegrâ ſeu Phlegræo campo, ſuprà Puteolos ſito. Statius Silvar. lib. IIII carm. III:

Gaudens Euboicæ domum Sibyllæ,
Gauranosque ſinus & æſtuanteis
Septem montibus admovere Baias.

Silius lib. VIII:

——— Illic, quos ſulfure pingues
Plegræi legêre ſinus, Miſenus, & ardens
Ore gigantéo ſedes Ithaceſia Baii.

GAVRVS mons.

At ipſe GAVRVS MONS medio itinere inter Puteolos atque Lucrinum lacum celſo vertice paullum à mari remotus eſt. Memoratur Ciceroni, Livio, Plinio, Silio, Lucano, Statio, Floro, Sidonio, & aliis. Livius lib. VII: *Conſules ambo cum duobus ab Vrbe exercitibus profecti, Valerius in Campaniam, Cornelius in Samnium, ille ad montem Gaurum, hic ad Saticulam, caſtra ponunt.* Cicero oratione primâ de lege agrariâ contra Rullum ad populum: *Hæc lege tribunitiâ decemviri vendent. Accedet eò mons Gaurus: accedent ſalicta ad Minturnas. adjungetur etiam illa via vendibilis Herculanea.* Florus lib. I cap. XVI: *Heic illi nobiles portus, Caieta, Miſenus, & tepentes fontibus Baiæ. Lucrinus & Avernus, quædam maris otia. Heic amicti vitibus montes, Gaurus, Falernus, Maſſicus, & pulcherrimus omnium Veſuvius.* Plinius lib. III cap. V: *Opidum Sinueſſa; extremum in adjecto Latio. Hinc felix illa Campania eſt. Ab hoc ſinu incipiunt vitiferi colles, & temulentia nobilis ſucco, per omneis terras inclyto; & ſummum Liberi patris cum Cerere certamen. Hinc Setini, & Cæcubi obtenduntur agri. his junguntur Falerni, Caleni. dein conſurgunt Maſſici, Gaurani, Surrentinique montes.* Credo, ex his tribus auctoribus nonnullos hauſiſſe errorem, uti Gaurum montem in Maſſico poſuerint, ad Lirim amnem & Sinueſſam opidum. Alios igitur audiamus. Silius lib. VIII:

Illic Nuceria & Gaurus navalibus apta,
Prole Dicarchæâ; multo cum milite Graia
Illic Parthenope.

Sidonius Apollinaris Carm. V:

——— Sic Barchæus opimam
Hannibal ad Capuam periit, quum fortia bello
Inter delicias mollirent corpora Baiæ.
Et, ſe Lucrinas quà vergit Gaurus in undas,
Brachia Maſylus jactaret nigra natator.

Lucanus lib. II:

——— Vel ſi convulſo vertice Gaurus
Decidat in fundum penitus ſtagnantis Averni.

Plinius lib. XIIII cap. VI; quod eſt de generoſis vinis: *Certant Maſſica aquè ex monte Gaurano Puteolos Baiasque proſpectantia.* Nempe vites ex Maſſico monte in Gaurum translatæ. Sidonius Carm. XVIII:

Si quis Avitacum dignaris viſere noſtram,
Non tibi diſpliceat, ſi, quod habes, placeat.
Aemula Baiano tolluntur culmina cono;
Parque cothurnato vertice fulget apex.
Garrula Gauranis plus murmurat unda fluentis,
Contigui collis lapſa ſupercilio.
Lucrinum dives ſtagnum Campania nollet,
Aequora ſi noſtri cerneret illa lacus.

Columella Ruſticar. rer. lib. I cap. V: *Proxima fluens aqua è montibus oriunda; ſi per ſaxa præceps devolvitur; ut eſt in Gaurceno* [ſcribe, *in Gaurano*] *Campaniæ.* Ioannes Stobæus Sermone XCVIII; qui eſt de Morbis & moleſtiarum in iis ſolutione; ex Heliodori ſpectaculis Italicis:

Ἰταλίης ὃ πολλὸν ὑπερεσείχουσι κολώνην
Γαυρέην, χώρη τις ὁδιτάων ἐπὶ λαιὰ
Κέκλιται, δεργήεσσα, χιονώδης· ἐκ δέ οἱ ὕδωρ
Ἀΐσσει μαλὰ πικρὸν ἀναπνεῦσαι πιέειν τε·
Κεῖνο πολυστάφυλοι περιναιέται ἀνέρες ὕδωρ.
Ὅσσων ἄλκαρ ἔχουσιν.

Hoc

Hoc eſt:

Italiæ qui non procul præterit collem
Gaurum, locus quidam ad lævam viatoribus
Inclinat, ſplendidus, nivoſus: unde aqua
Amara tum odore tum potu profluit.
Hanc locupletes vineis viri adcolæ aquam
Vſurpant medicandis oculis.

Plinius lib. XVIII cap. XI: *Finiuntur Leboriæ viâ ab utroque latere conſulari, quæ à Puteolis & quæ à Cumis Capuam ducit.* Huius viæ à Puteolis Capuam versùs tendentis magnæ etiamnunc apud Puteolos conſpiciuntur reliquiæ; ac deinde longo tractu propter eam ab utroque latere antiqua ſepulcreta. vulgò nunc vocatur incolis Via Campana. Hæc igitur via lævo ſuo latere à Puteolis adſcendit propter Gaurum montem; quod innuunt verſus iſti. Mons ipſe nunc vulgò dicitur Monte Barbaro; ut olim adprimè vitifer, ſic hodiè totus ſterilis.

Porrò inter hunc montem & opidum Puteolos CICERONIS fuit VILLA in litore; quod ille PVTEOLANVM ſuum adpellavit, & poſteà ACADEMIAM: quum aliam villam, ad Lucrinum lacum in collibus ſitam, vocaret CVMANVM ſuum. Cicero ad Atticum lib. X epiſt. IIII: *Quum hoc ſcripſiſſem, à Curione mihi nunciatum eſt, eum ad me venire. venerat enim is in Cumanum veſperi.* Mox: *Præteriit villam meam Curio; juſſitque mihi nunciari, mox ſe venturum: cucurritque Puteolos, ut ibi concionaretur. Concionatus eſt. rediit. fuit ad me ſanè diu.* Nempe in Puteolano; quod prætererat à Cumano Puteolos properans. Ad Atticum lib. XIIII epiſt. VII: *Ego, è Formiano exiens* XVII *Kal. ut inde altero die in Puteolanum, ſcripſi hæc.* Epiſt. X: *Octavius Neapolim venit* XIIII *Kalendas. ibi eum Balbus manè poſtridiè: eodemque die mecum in Cumano.* Epiſt. XIII: *Septimo denique die literæ mihi redditæ ſunt, quæ erant à te* XIII *Kal. datæ: quibus quæris, atque etiam me ipſum neſcire arbitraris, utrùm magis tumulis proſpectuque, an ambulatione ἁλιτενεῖ delecter. Eſt mehercule, ut dicis, utriusque loci tanta amœnitas, ut dubitem, utra anteponenda ſit.* En, ut diſertè teſtatur, ex duabus iſtis villis alteram in tumulis ſitam eſſe, alteram in litore: quam fuiſſe Puteolanam, mox videbimus. Eiusdem libri XIIII epiſt. XVII: *Piliæ noſtræ villam totam, & quæ in villâ ſunt, trado, in Pompeianum ipſe proficiſcens.* Epiſt. XVIII: *Quinto Non. conſcendens ab hortis Cluvianis in phaſelum epiſcopum, has dedit literas; quum Piliæ noſtræ villam ad Lucrinum villicosque procuratores tradidiſſem. Ipſe autem eo die in Pæti noſtri tyrotarichum imminebam, perpaucis diebus in Pompeianum, poſt in hæc Puteolana & Cumana regna renavigare. O loca cæteroqui valdè adpetenda; interpellantium autem multitudine pænè fugienda?* Epiſt. XVIIII: *In Pompeianum veni* V *Nonas Maias, quum pridiè, ut antè ad te ſcripſi, Piliam in Cumano collocaviſſem.* Lib. XV epiſt. I: *Heri dederam ad te literas, exiens è Puteolano; diverteramque in Cumanum. ibi pænè valentem videram Piliam.* Ex hactenus citatis apertè patet. *Cumanum* hoc *Ciceronis* fuiſſe *ad Lucrinum lacum in tumulis.* Hi poſteà ortu Cinerei montis obruti fuêre; aut terræ motibus hauſti. De Puteolano, quod in litore erat, ita tradit Plinius lib. XXXI cap. II: *Oculis medentur aquæ Ciceronianæ.* Nempe, hæ ſunt illæ, de quibus verſus illi apud Stobæum teſtantur, ad lævam prædictæ viæ eſſe aquas, quæ medentur oculis. Pergit Plinius: *Digna memoratu villa eſt, ab Averno lacu Puteolos tendentibus impoſita litori: celebrata porticu ac nemore. quam & vocabat M. Cicero Academiam, ab exemplo Athenarum ibi compoſitis voluminibus eiusdem nominis. in qua & monumentum ſibi inſtauraverat: ceu verò non & in toto terrarum Orbe feciſſet. Huius in parte primâ, exiguo poſt obitum ipſius Antiſtio Vetere poſſidente, eruperunt fontes calidi, perquàm ſalubres oculis; celebrati carmine Laureæ Tulli; qui fuit libertus. Ponam ipſum carmen; dignum ubique, non ibi tantùm legi.*

Quo tua, Romanæ vindex clariſſime linguæ,
Silva loco meliùs ſurgere juſſa viret;
Atque Academiæ celebratam nomine villam
Nunc reparat cultu ſub potiore. Vetus:
Heic etiam adparent lymphæ non antè repertæ;
Languida quæ infuſo lumina rore levant.

Nimirum

Nimirum locus ipſe ſui Ciceronis honori
Hoc dedit, hac fonteis quum patefecit ope;
Vt, quoniam totum legitur ſine fine per Orbem,
Sint plures, oculis quæ medeantur aquæ.

Meminit ipſe Cicero huius Academiæ ad Atticum lib. I epiſt. III, his verbis: *Quod ad me de Hermathenâ ſcribis, per mihi gratum eſt ornamentum Academiæ proprium meæ: quòd & Hermes commune omnium & Minerva ſingulare eſt eius gymnaſii inſigne. Quare velim, ut ſcribis, cæteris quoque rebus quamplurimis eum locum ornes.* Plinius mirificè ſitum eius innuit: *Ab Averno lacu Puteolos tendentibus impoſita litori.* Quaſi *Averno* fuiſſet propior, quam *Puteolis*. Qua ſanè re noviſſimis horum locorum deſcriptoribus Italis vehementer, uti jam non magnam villam, ſed urbem quaſi ingentem, à Puteolis ferè incipientem ad Avernum usque protenderint. Multo igitur rectiùs ſuprà dictus Heliodorus apud Stobæum: tum ipſe Cicero; qui inter Lucrinum lacum ponit & Puteolos. Heliodoro adſtipulantur Philoſtratus & Aelius Spartianus. Ille Vitâ Apollonii lib. VII cap. IIII: Ἀφίκετο ἐς Δικαιαρχίαν. Id eſt: *Profectus eſt Puteolos.* Et initio cap. V: Ἄγει δὲ αὐτὸν, εἰπὼν ταῦτα, ἐς τοῦ Κικέρωνος τοῦ παλαιοῦ χωρίον. ἔστι δὲ τοῦτο πρὸς τῷ ἄστει. Hoc eſt: *His dictis, in priſci Ciceronis prædium eum deduxit; quod eſt apud urbem.* Aelius Spartianus in Hadriano: *Sepultus eſt in villâ Ciceronianâ Puteolis.* Et poſteà: *Templum ei Antoninus pro ſepulcro apud Puteolos conſtituit.* Oſtentant hodiéque incolæ reliquias huius villæ; ſed paullum à mari remotas: quum litus hoc eruptione Cinerei montis magnâ parte oppletum dicant.

Forvm Vvlcani, *locus.*

Supra urbem Puteolos, ad ortum Solis æſtivi versùs, locus eſt, qui antiquitus à naturâ ſuâ dicebatur Forvm Vvlcani. Strabo lib. V; poſt Puteolorum deſcriptionem: Ὑπέρκειται δὲ τῆς πόλεως εὐθὺς ἡ τοῦ Ἡφαίστου ἀγορὰ, πεδίον περικεκλεισμένον διαπύροις ὀφρύσι, καμινώδεις ἐχούσαις ἀναπνοὰς πολλαχοῦ καὶ βρομώδεις ἱκανῶς. τὸ δὲ πεδίον θείου πλῆρές ἐστι συρτοῦ. Hoc eſt: *Vrbi protinus imminet Forum Vulcani; campus undique ignitis incluſus ſuperciliis; quæ paſſim tamquàm è caminis incendia magno cum murmure exſpirant. campus ipſe ſulfure tractili eſt plenus.* Locus is hodiéque ab eodem rei argumento vulgò incolis dicitur *La Solfatura*. habetque paſſim lacunas calidorum fontium; qui inſtar bullientis aheni perpetuò fervent, aquasque igne ac ſulfure mixtas ad VI ſæpè cubitorum altitudinem eructant. Eumdem locum Silius quoque perquàm eleganter curatéque deſcribit lib. XII, his verſibus:

——— *Tum ſulfure & igni*
Semper anhelanteis coctoque bitumine campos
Oſtentant. Tellus atro exundante vapore
Suſpirans, uſtisque diu calefacta medullis
Aeſtuat, & Stygios exhalat in aëra flatus.
Parturit, & tremulis metuendum exſibilat antris,
Interdumque cavas luctatus rumpere ſedeis
Aut exire foras, ſonitu lugubre minaci
Mulciber immugit; lacerataque viſcera terræ
Mandit, & exeſos labefactat murmure monteis.
Tradunt, Herculeâ proſtratos mole gigantes
Tellurem injectam quatere; & ſpiramine anhelo
Torreri latè campos: quotiesque minantur
Rumpere compagem impoſitam, expalleſcere cœlum.

Phlegraevs *campus.*

Ergo Forum hoc Vulcani Phlegraevs etiam erat Campvs. in hoc quidpe veteres fabulati ſunt Herculem viciſſe gigantes. Plinius ſanè ſic intellexit lib. III cap. V. *Cumæ*, inquit, *Miſenum, portus Baiarum, Bauli, lacus Lucrinus & Avernus; dein Puteoli colonia; Dicæarchia antè dicti: poſtque Phlegræi campi: Acheruſia palus, Cumis vicina: litore autem Neapolis.* Strabo dicto lib. V antè; ubi rationem nominis Puteolorum reddit: Οἱ δὲ ἀπὸ τῆς δυσωδίας τῶν ὑδάτων ἅπαν τὸ χωρίον ἐκεῖ μέχρι Βαιῶν καὶ τῆς Κυμαίας .... [deeſt aliquid] ὅτι θείου πλῆρές ἐστι καὶ πυρὸς καὶ θερμῶν ὑδάτων. Τινὲς δὲ καὶ Φλέγραν διὰ τοῦτο τὴν Κυμαίαν νομίζουσι κληθῆναι, καὶ τῶν πεπτωκότων γιγάντων τὰ κεραύνια τραύματα ἀναφέρειν τὰς τοιαύτας προχοὰς τοῦ πυρὸς καὶ τοῦ ὕδατος. Hoc eſt: *Quidam à putore aquarum totam iſtam regionem ad Baias usque & agrum Cumanum* ...... [deeſt aliquid] *quòd ſulfuris ſit plena, & igni calidisque aquis referta. Nonnulli ab id ipſum Cumanum agrum*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

agrum Phlegram cenſent adpellari ; & gigantum ibi occiſorum fulminibus inflicta vulnera ignem huiusmodi aquasque ebullire. Et eodem libro anteà : Κτίσαι δὲ τὴν Κύμην Χαλκιδεῖς δοκοῦσι. Πρότερον μὲν οὖν ηὐτύχει· καὶ τὸ Φλεγραῖον καλούμενον πεδίον, ἐν ᾧ τὰ περὶ τοὺς γιγάντας μυθεύουσιν, οὐκ ἄλλοθεν, ὡς εἰκὸς, ἀλλ' ἐκ τοῦ περιμάχητον τὴν γῆν εἶναι δι' ἀρετήν. Hoc eſt : *Conditæ putantur Cumæ à Chalcidenſibus. Atque ab initio quidem urbs ea fortunata fuit. & quæ de Phlegræo campo fabulantur, ac re ibi cum gigantibus geſtâ, haud aliunde videntur orta, quàm quòd eam regionem ob ſoli præſtantiam multi ſibi certatim vindicaverint.* Certè Phlegræi campi nomen & res illic cum gigantibus geſtæ ab crebris ignibus & calidarum aquarum fontibus originem accepêre. Straboni tamen patrocinari videtur Plinius lib. XVIII cap. XI. *Quantum autem univerſas terras campus Campanus antecedit, tantum ipſum pars eius, quæ* LEBORIAE *vocantur : quem Phlegræum Græci adpellant. Finiuntur Leboriæ via ab utroque latere conſulari, quæ à Puteolis & quæ à Cumis Capuam ducit.* Mira quidem definitio. ſed hoc voluit : Leborias eſſe inter Capuam & Puteolos, ab utroque latere viæ conſularis, quæ inter ea opida ſtrata erat At poſtquàm ex collibus ab Cumis vel Puteolis proficiſcens deſcenderis, unus continuus inde Capuam usque eſt campus planus, ſine ullis calidis fontibus aut ignium flagratione. qui tractus propriè Leboriæ adpellabatur, ſive LEBORINVS CAMPVS. Plinius lib. XVII cap. IIII : *Inter argumenta ſtipulæ craſſitudo eſt ; tanta alioquin in Leborino Campaniæ nobili campo, ut ligni vice utantur.* Lib. III cap. V : *Opidum Sinueſſa ; extremum in adjecto Latio. hinc felix illa Campania eſt. Ab hoc ſinu incipiunt vitiferi colles & temulentia nobilis, ſucco per omneis terras inclyto : atque, ut veteres dixêre, ſummum Liberi patris cum Cerere certamen. hinc Setini & Cæcubi obtenduntur agri. his junguntur Falerni, Caleni. dein conſurgunt Maſſici, Gaurani, Surrentinique montes. Ibi Leborini campi ſternuntur ; & in delicias alicæ politur meſſis.* At notandum heic, pleraque exemplaria habere, *Laboriæ, Laborinus campus, Laborini campi.* quod ferè omneis hodiè maximè probare ac defendere video : ſcilicet, quia ab eo hodierna Campaniæ adpellatio vulgaris *Terra di Lavoro.* dictumque olim volunt Laborinum campum, quia fructum ſine ullo colentium labore reddebat. Ridicula ſanè vocabuli originatio atque analogia. In Chronico Caſſinenſi frequenter idem memoratur vocabulum ; ſed conſtanter ubique *Liburia :* & in Hiſtoriæ Miſcel. lib. XVI ſic eſt : *Cumanos, Puteolanos, & alios plurimos in Liguriâ degenteis.* vitioſè quidem, ab verò *in Liburiâ.* quod ſanè vocabulum longè propiùs ad *Leborias* accedit, quàm ad *Laborias.* Sed de Leborino campo hæc ſufficiant. redeamus ad Phlegræum campum. Ergo is ex iſto Plinii teſtimonio ad Capuam usque pertinuit. At Diodorus etiam ad loca usque circa Veſuvium montem extendit. Verba eius lib. IIII hæc ſunt : Ὁ δ' οὖν Ἡρακλῆς ἀπὸ τοῦ Τιβέρεως ἀναζεύξας, καὶ διεξιὼν τὴν παράλιον τῆς νῦν Ἰταλίας ὀνομαζομένης, κατήντησεν εἰς τὸ Κυμαῖον πεδίον· ἐν ᾧ μυθολογοῦσιν, ἄνδρας τῇ τε ῥώμῃ προέχοντας καὶ ἐπὶ παρανομίᾳ διωνομασμένους ὀνομάζεσθαι γίγαντας. ὠνόμασται δὲ καὶ τὸ πεδίον τοῦτο Φλεγραῖον, ἀπὸ τοῦ λόφου τοῦ τὸ παλαιὸν ἄπλετον πῦρ ἐκφυσῶντος, παραπλησίως τῇ κατὰ τὴν Σικελίαν Αἴτνῃ· καλεῖται δὲ ὁ τόπος Οὐέσβιος· ἔχων πολλὰ σημεῖα τοῦ κεκαῦσθαι κατὰ τοὺς ἀρχαίους χρόνους. Hoc eſt : *Hercules, motis à Tiberi caſtris, maritimos eius, quæ nunc vocatur Italia, tractus percurrens, in Cumanum deſcendit campum : ubi homines roboris immanitate, & atrocitate facinorum infameis, quos giganteis nominant, egiſſe fabulantur. Phlegræus quoque campus adpellatur locus is, à colle, qui, Aetnæ inſtar Siculæ, magnam vim ignis quondam eructans, nunc vocatur Veſuvius ; multa inflammationis veteris ſigna habens.* Ergo tota Campaniæ planities *Phlegræus* adpellabantur *campus.* quod ſanè Polybius quoque teſtatur lib. II ; ubi de antiquâ Etruſcorum agit ſede Circumpadanâ. Ταῦτα γε τὰ πεδία, inquit, τὸ παλαιὸν ἐνέμοντο Τυρρηνοί. καθ' οὓς χρόνους καὶ Φλεγραῖά ποτε καλούμενα, τὰ περὶ Καπύην καὶ Νῶλαν. Id eſt : *Hos igitur campos quondam incoluêre Etruſci : quo tempore & circa Capuam atque Nolam Phlegræos quondam dictos poſſiderunt campos.* Et lib. III : Τὰ γὰρ πεδία τὰ κατὰ Καπύην ἐπιφανέστατα μέν ἐστι τῶν κατὰ τὴν Ἰταλίαν, καὶ διὰ τὴν ἀρετὴν καὶ διὰ τὸ κάλλος, καὶ διὰ τὸ πρὸς αὐτῇ κεῖσθαι τῇ θαλάττῃ, καὶ τούτοις τοῖς ἐμπορίοις χρῆσθαι, εἰς ἃ σχεδὸν ἁπάσης τῆς οἰκουμένης καταγρέχουσιν οἱ πλέοντες εἰς Ἰταλίαν. περιέχουσι δὲ καὶ τὰς ἐπιφανεστάτας καὶ καλλίστας πόλεις τῆς Ἰταλίας ἐν αὐτοῖς. τὴν μὲν γὰρ παράλιον αὐτῶν Σινυεσσανοὶ καὶ Κυμαῖοι καὶ Δικαιαρχῖται νέμονται, πρὸς δὲ τούτοις Νεαπολῖται, τελευταῖον δὲ τὸ τῶν Νουκερίνων ἔθνος. τῆς δὲ μεσογαίου, τὰ μὲν πρὸς τὰς ἄρκτους Καληνοὶ καὶ Τεανῖται κατοικοῦσι· τὰ δὲ πρὸς ἕω Νωλανοί. κατὰ μέσα δὲ τὰ πεδία κεῖσθαι συμβαίνει τὴν πασῶν ποτὲ μακαριωτάτην γεγονυῖαν πόλιν Καπύην.

LEBORIAE ſive LEBORINVS CAMPVS.

Καπύλω. Ἐπιδεικέστατος δὲ καὶ παρὰ τοῖς μυθογράφοις ὁ περὶ τούτων τῶν πεδίων λέγεται λόγος· προσαγορεύεται γὰρ καὶ ταῦτα φλεγραῖα, καθάπερ καὶ ἕτερα τῶν ἐπιφανῶν πεδίων· θεοὺς γε μὴν μάλιστα περὶ τούτων εἰκὸς εἰρηκέναι, διὰ τὸ κάλλος καὶ τὴν ἀρετὴν αὐτῶν. Hoc eſt: *Nam planities circa Capuam pars eſt Italiæ totius nobiliſſima. regio bonitate atque amœnitate præſtans. ad hoc, mari adjacens, & emporia habens, ad quæ ſolent adpellere, qui ex omnibus ferè Orbis partibus in Italiam navigant, urbeis præterea celeberrimas pulcherrimasque Italiæ continet. oram enim maritimam Sinueſſani, Cumani, atque Puteolani colunt: tum item Neapolitani; & noviſſimi omnium Nucerini. in mediterraneo, ad ſeptemtriones versùs ſunt Caleni & Teanenſes: ad ortum Nolani. in mediis his campis ſita eſt Capua; civitas, quæ omneis alias felicitate quondam ſuperabat. Eſtque adeò cum primis credibile, quòd in fabulis de hisce campis narratur. nam & hi quoque Phlegræi adpellati ſunt, ut alii præcipuâ bonitate inſignes. & ſanè de his potiſſimùm deos inter ſe certaſſe, veri ſimile eſt, propter eorum amœnitatem ac præſtantiam.* Hæc igitur veteres illi de *Phlegreis* Campaniæ campis fabulati ſunt. Nos verſus mare regredimur. Vltra Forum Vulcani, versùs eumdem Solis æſtivi ortum, locus vulgò hodiè adpellatur *Aſtrani*: natura autem eius eſt talis: Mons continuis jugis amphitheatri in ſpeciem convallem cingit, quæ paullatim ab ſummo ad imum fundum coarctatur. fundi ſolum ſulfureum eſt atque aridum; paſſim calidarum aquarum venis ſcatens. Hic ille locus eſt, quem Petronius Arbiter in carmine de Mutatione reipublicæ Romanæ innuit his verbis:

Eſt locus exciſo penitus demerſus hiatu,
Parthenopen inter magnæque Dicarchidos arva,
Cocytâ perfuſus aquâ. nam ſpiritus extra
Qui furit effuſus, funeſto ſpargitur æſtu.
Non hæc autumno tellus viret, aut alit herbas
Ceſpite lætus ager; aut verno perſona cantu
Mollia diſcordi ſtrepitu virgulta loquuntur:
Sed chaos & nigro ſqualentia pumice ſaxa
Gaudent ferali circumtumulata cupreſſu.
Has inter ſedeis Ditis pater extulit ora,
Buſtorum flammis & canâ ſparſa favillâ.

Apud ipſum mare inter Puteolos atque Neapolim, ad Pauſilypum usque montem, qui nunc vulgò dicitur *Poſilipo*, COLLES atque FONTES dicebantur à colore LEVCOGAEI. Plinius lib. XXXI cap. II: *Leucogæi fontes inter Puteolos & Neapolim oculis & vulneribus medentur.* Lib. XXXV cap. XV: *In Italiâ quoque invenitur ſulfur in Neapolitano Campanoque* [emenda, *Puteolano agro*, *collibus*, *qui vocantur Leucogæi. Quod ex cuniculis effoſſum, perficitur igni.* Lib. XVIII cap. XI; de alicâ: *Poſteà admiſcetur creta: quæ transit in corpus; coloremque & teneritatem adfert. Invenitur hæc inter Puteolos & Neapolim, in colle Leucogæo adpellato. In eodem reperitur & ſulfur: emicantque* [quid ſi fortè *emanantque?*] *fontes Oraxi* [alia exemplaria *Araxi*: utraque nihili vox, & quæ orationem imperfectam reddit] *oculorum claritati, & vulnerum medicinæ, dentiumque firmitati.*

CAP. III.

De cæteris CAMPANIAE *locis maritimis, inter* PVTEOLOS *& Minervæ promontorium.*

PRoxima igitur in litore à Puteolis eſt NEAPOLIS *urbs*, antè PARTHENOPE dicta, & priùs PHALERVM, ſi poëtis credimus. Plinius lib. III cap. V: *Puteoli colonia, Dicæarchia dicti: poſtque Phlegræi campi Acheruſia palus, Cumis vicina. litore autem Neapolis, Chalcidenſium & ipſa Parthenope à tumulo Sirenis dicta.* Ptolemæus: Ποτιόλοι, Νεάπολις. *Puteoli Neapolis.* Mela lib. II cap. IIII; adverſo litore ingrediens: *Neapolis*, *Puteoli*. Strabo lib. V: Νεάπολις· ὅπου δείκνυται μνῆμα τῶν Σειρήνων μιᾶς, Παρθενόπης. Id eſt: *Neapolis; ubi monumentum oſtenditur Parthenopes, unius Sirenum.* Stephani epitomator: Νεάπολις, πόλις Ἰταλίας διάσημος, ἐν ᾗ Παρθενόπη ἥρηται, μία τῶν Σειρήνων.

Σειρήνων. Id eſt: *Neapolis, urbs Italiæ illuſtris; in qua Parthenope excepta fuit, una ex Sirenibus.* Virgilius Γεωργικῶν lib. IIII:

Illo Virgilium me tempore dulcis alebat
Parthenope.

Dionyſius Περιηγητής·

Τῇ δ' ἔπι Καμπανῶν λιπαρὸν πέδον· ἧχι μέλαθρον
Ἁγνῆς Παρθενόπης, σταχύων βεβριθὸς ἀμάλλαις·
Παρθενόπης, ἣν πόντος ἑοῖς ὑπεδέξατο κόλποις.

Hoc eſt:

Poſt hanc autem Campanorum eſt pingue ſolum: ubi domicilium
Caſtæ Parthenopes, ſpicarum onuſtum manipulis:
Parthenopes, quam pelagus ſuis ſuſcepit ſinubus.

Silius lib. XII:

Sirenum dedit una ſuum & memorabile nomen
Parthenope muris Acheloias; æquore cuius
Regnavere diu cantus; quum dulce per undas
Exitium miſeris caneret non proſpera nautis.

Statius Silvar. lib. I carm. II:

At te naſcentem gremio mea prima recepit
Parthenope.

Silvar. lib. III car. V:

Noſtra quoque & propriis tenuis nec rara colonis
Parthenope.

Lycophron: Κτενεῖ δὲ κούρας Τηθύος παῖδας τριπλᾶς,
Οἴμας μελωδοῦ μητρὸς ἐκμεμαγμένας,
Αὐτοχθόνοις ῥιφαῖσιν ἐξ ἄκρας σκοπῆς
Τυρσηνικὸν πρὸς κῦμα δυπτούσας πτεροῖς,
Ὅπου λινεργὴς κλῶσις ἑλκύσει πικρά.
Τὴν μὲν Φαλήρου τύρσις ἐκβεβρασμένην
Γλάνις τε ῥείθροις δέξεται τέγγων χθόνα·
Οὗ σῆμα δωμήσαντες ἔγχωροι κόρης,
Λοιβαῖσι καὶ θύσθλοισι Παρθενόπην βοῶν
Ἔτεια κυδανοῦσιν, οἰωνὸν θεάν.

Hoc eſt:

Treis autem occîdet Tethyis nepteis virgines,
Canoræ matris cantus exprimenteis,
Spontaneis jactibus ex altâ ſpeculâ
In undam Tyrrhenam pennis urinanteis;
Quò lanificum trahet acerbum ſtamen.
Vnam quidam Phalêri arx expulſam fluctibus
Glanisque terram humectans excipiet.
Vbi templum incolæ exſtruentes puellæ,
Libaminibus Parthenopen & victimis boum
Quotannis honorabunt, volucrem deam.

Ad hæc ita commentatur Iſacius Tzetza: Φάληρος, τύραννος Σικελίας, ἔκτισε τὴν ἐν Ἰταλίᾳ Νεάπολιν, τοὺς ἐπιξενιζομένους πρὸς αὐτὸν δεινῶς κολάζων καὶ ἀναιρῶν. λέγει οὖν, τὴν Παρθενόπην ἐκεῖ ἐκπεσεῖν. Διόδωρος δὲ ὁ Σικελὸς καὶ ὁ Ὀππιανὸς τὴν Νεάπολιν ὑφ' Ἡρακλέους κτισθῆναι. καί φησιν ὁ Ὀππιανὸς ἐν τοῖς Κυνηγετικοῖς νέον πέδον Ἡρακλῆον, αὐτὴν τὴν Νεάπολιν λέγων. Id eſt: *Phalêrus, Siciliæ tyrannus, Neapolim in Italiâ condidit; hoſpites, qui ad eum divertebantur, horrendum in modum excruciatos interficiens. Ait igitur poëta, Parthenopen illic excidiſſe. At Diodorus Siculus atque Oppianus, ab Hercule Neapolim conditam tradunt. Oppianus etiam ait, Novum Herculeum; ipſam Neapolim innuens.* Stephani epitomator: Φάληρον, πόλις ἐν Ὀπικοῖς, εἰς ἣν ἐξεβράσθη Παρθενόπη ἡ Σειρὴν, ἣ καλεῖται Νεάπολις. Id eſt: *Phalêrum, urbs in Opicis; ad quam Parthenope Siren maris æſtu ejecta fuit.* Illud Iſacii de Phalêro Siciliæ tyranno mera eſt grammatici ingenii conjectatio figmentumque. nam Agrigentinorum in Siciliâ tyranno nomen fuit Phalaris. Diodorus verò nihil tale habet: niſi quòd lib. IIII, ut ſuprà oſtenſum, tradit, Hercu-

lem in litore Campaniæ ad Avernum lacum aggerem ſtruxiſſe, qui poſteà *via Herculea* dictus. quam ſanè rem & Oppianum ego credo innuere. Interim tamen alii auctores quoque varios Neapolitanæ urbis tradiderunt conditores. Stephani epitomator: Παρθενόπη, πόλις ἐν Ὀπικοῖς τῆς Ἰταλίας, κτίσμα Ῥοδίων. Hoc eſt: *Parthenope, urbs Italiæ in Opicis, Rhodiorum opus.* Marcianus Heracleenſis in Περιηγήσει·

> Καὶ Μασσαλιωτῶν Φωκέων τε Νεάπολις·
> Ἣν ἔκτισαν φυγόντες ἀπὸ τὰ Περσικὰ
> Οἱ Φωκαεῖς. Hoc eſt:
> *Tum Maſſilienſium Phocenſiumque Neapolis:*
> *Quam condiderunt fugientes Perſica arma*
> *Phocæenſes.*

Phocæa hæc Græciæ Aſiaticæ urbs fuit. Porrò Strabo lib. v: Μετὰ δὲ Δικαιαρχίαν ἐστὶ Νεάπολις Κυμαίων. ὕστερον δὲ καὶ Χαλκιδεῖς ἐπῴκησαν καὶ Πιθηκουσαίων τινὲς καὶ Ἀθηναίων· ὥστε καὶ Νεάπολις ἐκλήθη διὰ τοῦτο. Id eſt: *Poſt Puteolos eſt Neapolis Cumanorum. poſteà temporis Chalcidenſes quoque & Pithecuſanorum Athenienſiumque nonnulli immigrarunt. unde etiam Neapolis dicta.* Id eſt, *Nova urbs.* Aliam novæ adpellationis rationem adfert Philargyrus ad Virgilii Γεωργικῶν lib. IIII. *Lutatius*, inquit, *lib.* IIII *dicit, Cumanos incolas à parentibus digreſſos, Parthenopen urbem condidiſſe, dictam à Parthenope Sirenâ. cuius corpus poſtquàm ob locorum ubertatem amœnitatemque magis cœptum ſit; veritos* [*Cumanos,*] *ne Cumæam deſerent,* [fortè; *ne Cumam incolæ deſererent,*] *iniſſe conſilium Parthenopen diruendi. poſt etiam* [fortè, *poſteà autem*] *peſtilentiâ adfectos, ex reſponſo oraculi urbem reſtituiſſe; ſacraque Parthenopes cum magnâ religione ſuſcepiſſe: nomen autem Neapoli ob recentem reſtitutionem impoſuiſſe.* Maximè ridendum ignorantiâ ſuâ heic præbet Solinus: qui cap. VIII, *Parthenope*, inquit, *à Parthenopis Sirenis ſepulcro nominata: quam Auguſtus poſteà Neapolim eſſe maluit.* Ceu verò non centum annis ante imperium Auguſti Polybius eam adpellet Neapolim; ut ſuperiori capite in deſcriptione *Phlegræi campi* vidimus. Cæterùm primos eius conditores plerique tamen pronunciarunt Cumanos. Lutatium ac Strabonem audivimus. Marcianus Heracleenſis, quamquàm Maſſilienſeis Phocæenſeiſque primùm faciat; tamen ſtatim ita tradit:

> Ἐκ δὲ τῆς Κύμης, τῆς πρὸς Ἀόρνῳ κειμένης,
> Κτίσιν κατὰ χρησμὸν ἔλαβεν ἡ Νεάπολις.
> *A Cumâ, quæ apud Avernum ſita eſt,*
> *Condita ex oraculi reſponſo fuit Neapolis.*

Livius lib. VIII: *Palæpolis fuit haud procul inde, ubi nunc Neapolis ſita eſt. duabus urbibus populus idem habitabat. Cumis erant oriundi. Cumani Chalcide Euboicâ originem trahunt.* Velleius lib. I: *Nec multò pòſt Chalcidenſes orti Atticis, Hippocle & Megaſthene ducibus, Cumas in Italiâ condiderunt. Huius claſſis curſum eſſe directum alii columbæ antecedentis volatu ferunt, alii nocturno æris ſono; qualis Cerealibus ſacris cieri ſolet. Pars horum civium magno pòſt intervallo Neapolim condidit.* Statius ipſe Neapolitanus, unà cum Strabone ac Plinio ſuprà citatis, non à Cumis, ſed ab Chalcide Eubœæ inſulæ urbe originem deducit. Silvar. lib. II carm. II:

> *Omnia Chalcidicas turreis obverſa ſalutant.*

Silvar. lib. III carm. V, ad Claudiam uxorem:

> *Dic tamen, unde aliâ mihi fronte & nubila vultu?*
> *Anne quòd Euboicos feſſus remeare penateis*
> *Auguror, & patriâ ſenium componere terrâ?*

Silvar. lib. V carm. III:

> *Hei mihi, quòd tantùm patrias ego vertice frondeis,*
> *Solaque Chalcidicæ Cerealia dona coronæ,*
> *Te ſub teſte tali.*

Sed, quod caput rei eſt, prædicto Silvar. lib. III carm. V ita poſteà canit:

> *Noſtra quoque & propriis tenuis nec rara colonis*
> *Parthenope: cui mite ſolum trans æquora vectæ*
> *Ipſe Dionææ monſtravit Apollo columbæ.*

Hoc ſanè totam rem ſuſpectam reddidit; quum Cumanæ urbi id ab aliis adſcriptum fuerit. Planè igitur ſtatuendum, à Chalcide ortas eſſe Cumas, à Cumis Neapolim.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

In hanc poſtmodùm Campanorum quoſdam receptos fuiſſe, auctor eſt Strabo eodem lib. v: Ὕστερον δὲ, inquit, Καμπανῶν τινας ἐδέξαντο συνοίκους διχοστατήσαντες· καὶ ἠναγκάσθησαν τοῖς ἐχθίστοις ὡς οἰκειοτάτοις χρήσασθαι, ἐπειδὴ τοὺς οἰκείους ἀλλοτρίους ἔσχον. μηνύει δὲ τὰ τῶν δημάρχων ὀνόματα, τὰ μὲν πρῶτα Ἑλληνικὰ ὄντα, τὰ δ᾽ ὕστερα τοῖς Ἑλληνικοῖς ἀναμὶξ τὰ Καμπανικά. Πλεῖστα δ᾽ ἴχνη τῆς Ἑλληνικῆς ἀγωγῆς ἐνταῦθα σώζεται, γυμνάσιά τε καὶ ἐφηβιακὰ, φρατρία, καὶ ὀνόματα Ἑλληνικὰ, καίπερ ὄντα Ῥωμαίων. Νυνὶ δὲ πεντετηρικὸς ἱερὸς ἀγὼν συντελεῖται παρ᾽ αὐτοῖς, μουσικός τε καὶ γυμνικὸς, ἐπὶ πλείους ἡμέρας, ἐνάμιλλος τοῖς ἐπιφανεστάτοις τῶν κατὰ τὴν Ἑλλάδα. Ἐπιτείνουσι δὲ τὴν ἐν Νεαπόλει διαγωγὴν τὴν Ἑλληνικὴν οἱ ἐκ τῆς Ῥώμης ἀναχωροῦντες δεῦρο, ἡσυχίας χάριν τῶν ἀπὸ παιδείας ἐργασαμένων, ἢ καὶ ἄλλως διὰ γῆρας ἢ ἀσθένειαν ποθούντων ἐν ἀνέσει ζῆν. καὶ τῶν Ῥωμαίων δ᾽ ἔνιοι χαίροντες τῷ βίῳ τούτῳ, θεωροῦντες τὸ πλῆθος τῶν ἀπὸ τῆς αὐτῆς ἀγωγῆς ἐπιδημούντων ἀνδρῶν, ἄσμενοι φιλοχωροῦσι καὶ ζῶσιν αὐτόθι. Hoc eſt: *Deinde, obortis diſsidiis, Campanorum quoſdam in urbem civium loco receperunt. coactique ſunt, inimiciſſimos loco familiariſſimorum habere, cum ſuos ab ſe alienaſſent. cui argumento ſunt nomina magiſtratuum; principiò Græca. poſterioribus temporibus, Campanica Græcis permixta. Plurima tamen ibi etiam nunc Græcorum inſtitutorum ſuperſunt veſtigia: ut, gymnaſia, epheborum cœtus, curiæ, (ipſi fratrias vocant) & Græca nomina Romanis hominibus impoſita. Atque nunc ſacrum quinquennale certamen, muſicum ac gymnicum per aliquot dies agitur; ludis Græcorum nobiliſſimis æmulum. Vitæ autem modum Græcanicum ibi augent, qui Româ eò ſecedunt in otium; ſive qui ab ineunte ætate laboribus defuncti ſunt; ſive alioquin ob ſenectutem & imbecillitatem vitam cupiunt faciliorem degere. & Romanorum nonnulli, hoc vitæ genere gaudentes; ubi vident multitudinem hominum, qui eius inſtituti causâ ibi verſantur; lubentes locum eum amplectuntur; ibique victitant.* Græcos urbem ſemper habuiſſe colonos, etiam alii auctores teſtantur. Silius lib. XIII:

——— Multo cum milite Graia
Illic Parthenope.

Cicero oratione pro L. Cornelio Balbo: *Sacra Cereris ſummâ maiores noſtri religione confici cæremoniâque voluerunt. quæ quum eſſent adſumpta de Græciâ; & per Græcos ſemper curata ſunt ſacerdotes, & Græca omnia nominata. Sed quum illam, quæ Græcum illud ſacrum monſtraret & faceret, ex Græciâ deligerent; tamen ſacra pro civibus civem facere voluerunt: ut deos immortaleis ſcientia peregrina & externa mente domeſticâ & civili precaretur. Has ſacerdotes, video, ferè Neapolitanas aut Velienſium fuiſſe.* Livius lib. XXXV: *Quî enim magis Smyrnæi Lampſacenique Græci ſunt, quàm Neapolitani & Rhegini & Tarentini?* Dio lib. LX; de Claudio imperatore: Ἐπεὶ ἔν γε τῇ Νεαπόλει καὶ παντάπασιν ἰδιωτικῶς ἔζη. τά τε γὰρ ἄλλα Ἑλληνικῶς καὶ αὐτὸς καὶ οἱ συνόντες οἱ διητᾶτο· καὶ ἐν μὲν ταῖς τῆς μουσικῆς θεωρίαις ἱμάτιον καὶ κρηπῖδας, ἐν δὲ τῷ γυμνικῷ ἀγῶνι πορφυρίδα καὶ στέφανον χρυσοῦν ἐλάμβανε. Id eſt: *Neapoli ſanè omnino tamquàm privatus egit; quum ipſe ac familia eius Græco more viverent; ac in muſicis ludis ipſe pallium & ſoleas, gymnicis verò certaminibus purpuram & auream coronam geſtaret.* Tacitus Annal. lib. XV; de Nerone: *Non tamen Romæ incipere ſcenas auſus, Neapolim, quaſi Græcam urbem, delegit.* Philoſtratus Iconum lib. I, in Exordio: Ἡ δὲ πόλις Νεάπολις ἐν Ἰταλίᾳ ᾤκισται, γένος Ἕλληνες καὶ ἀστικοί. ὅθεν καὶ τὰς σπουδὰς τῶν λόγων Ἑλληνικοί εἰσι. Id eſt: *Sita autem urbs Neapolis eſt in Italiâ, Græci generis urbanique. unde etiam orationis ſtudio Græcanici ſunt.* De otio incolentium poëtæ maximè adnotarunt. Ovidius Μεταμορφώσεων lib. XV:

Herculeamque urbem Stabiosque, & in otia natam
Parthenopen.

Horatius Ἐπῳδῶν odâ V:

Et otioſa credidit Neapolis.

Silius lib. XII:

Nam molles urbi ritus, atque hoſpita Muſis
Otia, & exemptum curis gravioribus ævum.

Statius Silvar. lib. III carm. V:

Pax ſecura locis & deſidis otia vitæ,
Et numquàm turbata quies, ſomnique peracti.
Nulla foro rabies, aut ſtrictæ jurgia legis.
Morum jura viris: ſolum, & ſine faſcibus, æquum.

Liberalium etiam artium ſtudiis maximè floruiſſe urbem, teſtantur aliquot auctores. Columella Ruſticar. rer. lib. X:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Fontibus & Stabiæ celebres & Veſvia rura,
Doctaque Parthenope, Sebethide roſcida lymphâ.

Martialis lib. v epigr. LXXVIIII:

Et quas docta Neapolis creavit.

Hinc princeps quoque poëtarum Latinorum Virgilius ibidem ſtudiis literarum operatus eſt. unde illi verſus in fine Γεωργικῶν libri IIII:

Illo Virgilium me tempore dulcis alebat
Parthenope, ſtudiis florentem ignobilis otii.

Cæterùm quum PORTVS heic ſit capaciſſimus, eius oportunitatem captaſſe Hannibalem, auctor eſt Livius lib. XXIII. *Sub adventum*, inquit, *prætoris Romani Pœnus agro Nolano exceſſit; & ad mare proximè Neapolim deſcendit; cupidus maritimi opidi potiundi, quò curſus navibus tutus ex Africâ eſſet.* Sed notandum, ipſius urbis magnitudinem conſtrictam olim fuiſſe intra Megarim inſulam & SEBETHVM amnem: quorum hic nunc *Fiume della Maddalena*, paullum remotus ab mœnibus urbis; illa contra ipſam nunc ſita, ab impoſitâ arce *Caſtel dell' Ovo* vocatur. Columella dicto Ruſticar. rer. lib. x:

SEBETHVS amnis.

Doctaque Parthenope, Sebethide roſcida lymphâ.

Plinius lib. III cap. VI: *Inter Pauſilypum & Neapolim Megaris inſula.* Sebethus fluvius aliis etiam memoratur. Statius Silvar. lib. I carm. II:

At te naſcentem gremio mea prima recepit
Parthenope: dulcisque ſolo tu gloria noſtro
Reptaſti. nitidum conſurgat ad æthera tellus
Eubois; & pulchrâ tumeat Sebethos alumnâ.

Vibius Sequeſter in catalogo Fluminum: *Sebethos, Neapoli in Campaniâ.* Virgilius Aeneid. lib. VII:

Nec tu carminibus noſtris indictus abibis
Oebale; quem generaſſe Telon Sebethide nymphâ
Fertur; Teleboûm Capreas quum regna teneret.

Ad hæc Servius: *Oebalus filius eſt Telonis & nymphæ Sebethidis. hæc autem eſt juxta Neapolim. ſed Telon diu regnavit apud Capreas inſulam, contra Neapolim ſitam.*

PAVSILYPVM VILLA.

Porrò inter Neapolim atque Puteolos in litore, propiùs tamen Neapolim, fuit PAVSILYPVM VILLA VEDII POLLIONIS. Plinius lib. VIIII cap. LIII: *Aevi piſcium memorandum nuper exemplum accepimus. Pauſilypum villa eſt Campaniæ, haud procul Neapoli. in eâ Cæſaris piſcinis à Pollione Vedio conjectum piſcem, ſexageſimum poſt annum exſpiraſſe ſcribit Annæus Seneca: duobus aliis æqualibus eius ex eodem genere etiam tunc viventibus.* Dio lib. LIIII: Τοιοῦτος οὖν δή τις ὁ Οὐήδιος Πωλίων ὢν ἐτελεύτησεν· ἄλλοις τε πολλοῖς πολλὰ, καὶ τῷ Αὐγούστῳ τοῦ τε κλήρου συχνὸν μέρος, καὶ τὸ Παυσίλυπον τὸ χωρίον, τὸ μεταξὺ τῆς τε Νέας πόλεως καὶ τῶν Ποτιόλων ὂν, καταλιπών. Id eſt: *Talis igitur erat Vedius Pollio; qui tum moriens multis multa legavit; Auguſto autem magnam hereditatis partem, & Pauſilypum, villam Neapolim Puteolosque inter ſitam.* Nomen ei Græcâ linguâ quæſitum ab amœnitate loci, quæ λύπην παύει, *animi mœrorem ſedat.* ſic quidpe παυσίλυπος ἄμπελος vocatur cuidam poëtæ apud Athenæum lib. II; id eſt, *mœroris ſedatrix vitis:* quòd vino exhilarentur animi hominum, & Plutarchus ille, qui de Fluminibus ſcripſit, ita tradit: Γεννᾶται δ' ἐν τῷ Στρυμόνι λίθος Παυσίλυπος καλούμενος· ὃν ἐὰν εὕρῃ τις πενθῶν, παύεται παραχρῆμα τῆς κατεχούσης αὐτὸν συμφορᾶς. Hoc eſt: *Gignitur in Strymone lapis quem Pauſilypum vocant. hunc ſi quis adfectus mœrore reperiat; ſtatim mœrore liberatur.* Cæterùm hodiéque mons apud Neapolim verſùs Puteolos litori imminens, vulgò vocatur incolis *Paſilipo monte*; locus etiam nunc vario amœnitatis genere celebratiſſimus.

CRYPTA NEAPOLITANA.

Mons hic, arduus tranſituque difficilis, quum iter inter Neapolim atque Puteolos impediret, cuniculo perforatus eſt: unde ea via adpellata eſt CRYPTA NEAPOLITANA. Strabo lib. V; ubi Neapolim deſcribit: Ἔστι δὲ καὶ ἐνθάδε διῶρυξ κρυπτή, τοῦ μεταξὺ ὄρους τῆς τε Δικαιαρχίας καὶ τῆς Νεαπόλεως ὑπεργασθέντος ὁμοίως, ὥσπερ ἐπὶ τὴν Κύμην, ὁδοῦ τε ἀνοιχθείσης ἐναντίοις ζεύγεσι πορευτῆς ἐπὶ πολλοὺς σταδίους. Hoc eſt: *Eſt & heic cuniculus occultus, monte, qui eſt inter Puteolos atque Neapolim, conſimili modo effoſſo, ut ille verſùs Cumas.* De eâdem cryptâ ita ſcribit Seneca Epiſt. LVII: *Quum Baiis deberem Neapolim repetere, facilè credidi tempeſtatem eſſe; ne iterum navem experirer.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Sed tantum luti totâ viâ fuit, ut poſſem videri nihilo minùs navigaſſe. totum athletarum fatum mihi illo die perpetiendum fuit. à ceromate nos haphe excepit in cryptâ Neapolitanâ. Nihil illo carcere longius: nihil illis faucibus obſcurius. quæ nobis præſtant, non ut per tenebras videamus; ſed ut ipſas. Ceterùm, etiamſi locus haberet lucem; pulvis auferret, in aperto etiam res gravis & moleſta: quid illic? ubi in ſe volutatur; &, quum ſine ullo ſpiramento ſit incluſus, in ipſos, à quibus incitatus eſt, recidit. Duo incommoda inter ſe contraria ſimul pertulimus. Aliquid tamen mihi illa obſcuritas, quod cogitarem, dedit. Senſi quemdam ictum animi, & ſine metu mutationem: quam inſolita rei novitas ſimul ac fœditas fecerat. Exiguo pôſt: *Senſi ergo, ut dicebam, quamdam, non quidem perturbationem, ſed mutationem. rurſus, ad primum conſpectum redditæ lucis, alacritas incogitata rediit & injuſſa.* Petronius Arbiter: *Satis conſtat, eos, niſi inclinatos, non ſolere transire cryptam Neapolitanam.* Ergo Senecæ tempore nulla heic fuêre ſpiracula, quæ pulverem emitterent, lucem verò intromitterent. At Strabonis ævo fuêre complura. τὰ δὲ φῶτα, inquit, ἐκ τῆς ἐπιφανείας τοῦ ὄρους, πολλαχόθεν ἐκκοπεισῶν θυρίδων, διὰ βάθους πολλοῦ κατάγεται. Id eſt: *Lumen à ſuperficie montis, exciſis paſſim feneſtris, ad juſtam ſatis altitudinem demittitur.* Hæ igitur feneſtræ Senecæ ætate obſtructæ fuerint neceſſum eſt. Alfonſum Primum, regem Neapolitanorum, poſteà alias de novo aperuiſſe, ſive collapſas priores inſtauraſſe, teſtantur eius ævi hiſtoriæ. Poſt hunc Carolus etiam Quintus eamdem cryptam laxiorem ſimul & altiorem fieri curaſſe fertur. Exſtat etiam nunc; quotidiéque frequentatur; longitudine circiter IↃCC paſſuum: quamvìs vulgò incolæ CIↃ numerent. quibus vulgari adpellatione hodiéque dicitur *La Grotta di Napoli.*

At medio fermè itinere inter Neapolim & Puteolos, regione lacus, qui vulgò incolis dicitur *Il Lago d'Agnano*, L. LVCVLLI fuit VILLA, cum PISCINA memorabili. LVCVLLI VILLA & PISCINA. Plinius lib. VIIII cap. LIIII: *Eâdem ætate prior Licinius Murena reliquorum piſcium vivaria invênit. cuius deinde exemplum nobilitas ſequuta eſt; Philippi, Hortenſii. Lucullus, exciſo etiam monte juxta Neapolim, maiore impendio, quàm villam ædificaverat, euripum & maria admiſit. qua de causâ Magnus Pompeius Xerxem togatum eum adpellabat. Tricies* HS *piſcinæ defuncto illo veniêre piſces.* M. Varro Ruſtic. rer. lib. III cap. XVII: *Ad Neapolim L. Lucullus poſteaquàm perfodiſſet montem, ac maritima flumina immiſiſſet in piſcinas, quæ reciprocè fluerent, ipſi Neptuno non cederet de piſcatu. factum eſſe enim, ut amatos piſceis ſuos videatur propter æſtus eduxiſſe in loca frigidiora; ut Apuli ſolent pecuarii facere; qui propter calores in monteis Sabinos pecus ducunt.* Plutarchus in vitâ Luculli: Καὶ νῦν ἐπίδοσιν τοιαύτην τῆς τρυφῆς ἐχούσης, οἱ Λουκουλλιανοὶ κῆποι τῶν βασιλικῶν ἐν τοῖς πολυτελεστάτοις ἀριθμοῦνται. τὰ δ᾽ ἐν τοῖς παραλίοις καὶ περὶ Νέαν πόλιν ἔργα, λόφους ἀνακρεμαννύντος αὐτοῦ μεγάλοις ὀρύγμασι, καὶ τροχοὺς θαλάσσης, καὶ διαδρομὰς ἰχθυοτρόφους τοῖς οἰκητηρίοις περιελίσσοντος, καὶ διαίτας ἐναλίους κτίζοντος, ὁ Στωϊκὸς Τουβέρων θεασάμενος Ξέρξην αὐτὸν ἐκ τηβέννου προσηγόρευσεν. Id eſt: *Quin nunc etiam ita gliſcente luxu, horti Lucullıani inter principum ſumptuoſiſſimos habentur. Opera eius maritima & ad Neapolim, ubi tumulos ſuſpendit magnis foſſionibus & euripis, & vivis piſculentis ædificia ſua circumjecit, diætas maritimas exſtruxit, quum Tubero Stoicus contemplatus eſſet, adpellavit eum Xerxem togatum.* De hac villâ atque piſcinâ ita tradit Blondus in Italiæ deſcriptione: *Locus eſt medio inter Puteolos & Neapolim ſpacio, famâ apud veteres celebratus. namque villa, quam Plutarchus tradit L. Lucullum habuiſſe prope Neapolim, & apud eam montem excidiſſe atque ita excavaſſe, ut mare introduceret, ea eſt, cuius ruinæ ingentes balneo ſupereminent Agnani dicto. Qui rerum huiusmodi magnarum ingenio viribusque factarum peritiam habent, facillimè ſciſſuram prævident; intelliguntque manu factam; unde defoſſus rejectusque mons viam præbuit, nunc etiam levi operâ reparabilem: qua mare nunc Agnani ita impleret, ut ad villæ muros porticusque navigari poſſet.* Rectè Blondus quidem dixit, Medio inter Puteolos & Neapolim ſpacio ruinas iſtius villæ exſtare. rectè item antiqui illi auctores omnes montem à Lucullo *apud Neapolim* perfodiſſe tradiderunt. nam eo intervallo à Neapoli per cryptam Puteolos verſùs tendentibus ſita erat villa. euripi autem oſtium in litore erat inter cryptæ os & locum, qui vulgò nunc dicitur incolis *Mergolino.*

At poſterioribus temporibus opidulum heic apud viam Luculli exſtructum, ſeu, ut illo ævo adpellabant, caſtellum, quod inde cognominatum LVCVLLANVM.

Iornandes de Regnorum ſucceſſione; item de Rebus Gothicis: *Odoacer Auguſtulum imperatorem, de regno pulſum, in Lucullano, Campaniæ caſtello, exſilii pœnâ damnavit.* Caſſiodorus Variar. lib. VIII epiſt. XXV: *Hinc eſt, quòd divinæ memoriæ avum noſtræ clementiæ domum in caſtro Lucullano poſitam, obſequiorum tuorum ſedulitate provocatum, conſtat voluiſſe largiri.* Martyrologium Romanum; de S. Severino: *Eius corpus apud Lucullanum, prope Neapolim, divinitus delatum: inde poſteà ad monaſterium S. Severini translatum eſt.* Martyrologium ſanctorum Soſii & Ianuarii, auctore Ioanne, diacono S. Ianuarii; qui S. Soſii translationi interfuit: *Cruentiſſimis itaque ſatellitibus omni ſolicitudine ſuorum juſſa dominorum adimplere ſtudentibus, licèt omnis Campania, imò totus adflictaretur mundus; tamen in opido Miſenatium potiſſima incubuerat perſequutio: quia illic celebris paganorum frequentabatur occurſus propter vatis Sibyllæ ſepulcrum, haud inde longè diſcretum.* Cap. V, VIII, XI, narrat, ut Puteolis in vincula conjecti ſunt. & cap. XIIII ibidem capite plexos refert. ubi tandem ita pergit: *Beatiſſimum Soſium Levitam cives ſui Miſenates tollentes, in mirifica collocaverunt eccleſia; de qua poſt multorum annorum curricula Neapolim translatus.* Cap. XV: *Poſt everſionem Lucullani opidi, quum memoratus abbas Ioannes corpus S. Severini meruiſſet adipiſci; cœpit ſeſe omnibus præparare impenſis, ut ad honorem eius baſilicam camerato poſſet ædificare labore. ac pro hoc dum ubique ſolicitus inveſtigaret, ſicubi tanto operi competentem valeret invenire materiem; ad Miſenate direxit caſtellum. nam LX evolutos jam penè per annos ab Iſmaëlitis erat demolitum opidum illud & ad ſolum usque proſtratum. Inveniunt ſepulcrum S. Soſii.* Cap. XXI narrat, ut corpus eius abstulerint. *Nos ratem*, inquit, *adſcendimus; & cum ingenti tripudio cœpimus tranquilliſſimum navigare per æquor; ubi nobis accidit haud ſilendum miraculum. nam, quum litus Averni tuto curſu præteriſſemus; & oris Puteolanis jam ſucceſſiſſemus; ſubitò nimboſus turbo adſurgit.* Mox: *Tanta conſequuta eſt tranquillitas, ut jam pacatum per fretum litori ſcafam adpuliſſemus.* Cap. XXII: *Rejectis itaque celeriter in ipsâ puppi, quæ neceſſaria erant, ire perreximus. Sed, quia propter innumerabilem diverſæ condicionis & ætatis occurſum eodem die Neapolim attingere nequivimus; Lucullanum ſumus ingreſſi caſtellum; quamquàm everſum.* Paullo pôſt: *Manè igitur facto, Stephanus epiſcopus & Gregorius conſul cum omni populo ſanctis occurrerunt exſequiis.*

CHARONEA SCROBS.

Cæterùm è Cryptâ Neapolitanâ adventantibus ad dextram lacus Aniani ripam exigua quædam ſub monte eſt ſpecus, ſemicarinæ in ſublime erectæ ſpecie: in quam homo mediocris etiam ſtaturæ non niſi inclinatus intraverit, ad treis circiter paſſus. in intimo eius receſſu humus veluti in ſcrobem excavata eſt; unde letalis exit ſpiritus cum quodam colore. de hac ſpecu ita tradit Plinius lib. II cap. XCIII: *Spiritus letales alibi aut ſcrobibus emiſſis, aut ipſo loci ſitu mortiferi: alibi volucribus tantùm; ut Soracte vicino Vrbi tractu: alibi præter hominem cæteris animantibus: nonnumquàm & homini: ut in Sinueſſano agro & Puteolano. Spiracula vocant; alia Charoneas ſcrobes, mortiferum ſpiritum exhalanteis.* Hodiè frequentiſsima huius rei experimenta peregrinantibus exhibent incolæ in canibus: quos ubi immiſſos paullo diutius illic detineant, exanimatos inde extrahunt. quòd ſi verò maturè inde extrahant; exanimati quidem eſſe videntur: at ſi ſtatim in proximum lacum projiciantur, rurſus ſeſe colligunt. In Turcis etiam quibusdam captivis & ad triremeis condemnatis experimentum factum eſt: qui ipſi protinus exanimati fuêre. At contrà alii homines incolumes ingreſſi ſatisque diu illic morati ſunt. unde patet, ſpiritum hunc letalem aliàs intentiorem eſſe. Hodiè locus vulgò vocatur, *La Grotta del cane*.

PALAEPOLIS *opidum.*

Porrò ab alterâ parte urbis Neapolis, trans Sebethum amnem fuit antiquiſſimis temporibus *opidum* in litore, PALAEPOLIS Græcis cultoribus dictum, Livius lib. VIII: *Palæpolis fuit haud procul inde, ubi nunc Neapolis eſt. duabus urbibus populus idem habitabat. Cumis erant oriundi.* Mox de eâdem Palæpoli: *Hæc civitas cùm ſuis viribus, tùm Samnitium infidâ adversùs Romanos ſocietate freta, multa hoſtilia adversùs Romanos, agrum Campanum Falernumque incolenteis, fecit. Igitur, L. Cornelio Lentulo, Q. Publio Philone iterum conſulibus, fæcialibus Palæpolin ad res repetendas miſſis, quum relatum eſſet à Græcis, gente linguâ magis ſtrenuâ quàm factis ferox reſponſum; ex auctoritate patrum populus Palæpolitanis bellum fieri juſſit.* Poſteà: *Publius, inter Palæpolim Neapolimque loco opportunè capto, diremerat hoſtibus ſocietatem auxilii mutui, qua, ut quis-*

que locus premeretur, inter ſe uſi fuerant. Et aliquanto pòſt; de bello Samnitico loquens: *Hoc bello tam proſperè commiſſo, alteri quoque bello, quo Græci obſidebantur, jam finis aderat. nam, præterquàm quòd interſeptis munimentis hoſtium pars parti abſciſſa erat, fœdiora aliquanto intra muros iis, quibus hoſtis territabat, patiebantur.* Haud multo pòſt: *Poſtremò leviſſimum malorum deditio ad Romanos viſa. Charilaus & Nymphius, principes civitatis, communicato inter ſe conſilio, parteis ad rem agendam diviſêre; ut alter ad imperatorem Romanorum transfugeret; alter ſubſiſteret ad præbendam opportunam conſilio urbem.* Nolanorum Samnitiumque præſidium Palæpolitanos intra urbem recepiſſe, jam anteà auctor memoravit. ergo ita deinde de traditione urbis pergit: *Eodem tempore & Nymphius prætorem Samnitium arte adgreſſus perpulerat, ut, quoniam omnis Romanus exercitus aut circa Palæpolim aut in Samnio eſſet; ſineret ſe claſſe circumvehi ad Romanum agrum. non oram modò maris, ſed ipſi Vrbi propinqua loca depopulaturum. ſed, ut falleret, nocte proficiſcendum eſſe; extemplóque naveis deducendas. quod quò maturiùs fieret, omnis juventus Samnitium, præter neceſſarium urbis præſidium ad litus miſſa. ubi dum Nymphius in tenebris, & multitudine ſemet ipsâ impediente, ſedulò aliis alia imperia turbans, terit tempus; Charilaus ex compoſito ab ſociis in urbem receptus, quum ſumma urbis Romano milite impleſſet; tolli clamorem juſſit. ad quem Græci, ſigno accepto à principibus, quievêre. Nolani per averſam partem urbis viâ Nolam ferente effugiunt.* Patet ex his univerſis ac ſingulis, propinquam fuiſſe Palæpolim Neapoli in litore, ad orientem Solem verſùs. ideò namque Nymphius ait, ſe velle caſtra Romanorum, quæ inter utramque erant urbem, nocte cum claſſe circumvehi ad Romanum agrum & loca urbi Romæ propinqua depopulanda. tum Nolani rectè per averſam urbis partem viâ ferente Nolam, quæ rectâ ſupra Palæpolim ſita erat, effugerunt. Cæterò quàm propinqua fuerit Neapoli Palæpolis, cuius aliàs nulla exſtat mentio, haud facilè diſpicio; quum omne hoc litus VI millium paſſuum inter Neapolim & Herculanium (vulgò nunc locum vocari *Torre di Greco*, mox infrà videbimus) claſſi illius ævi ſatis ſit opportunum. Colligere tamen libet ex eâ vicinitate, quam Livius memorat, fuiſſe medio ſitu inter Neapolim & Herculanium, & ipſum antiquiſſimum opidum.

Intra iſtius antiquæ urbis Palæpolis locum P. VIRGILII MARONIS fuiſſe MONVMENTVM, quod nunc ab alterâ urbis Neapolitanæ parte in Pauſilypo monte, ſuper ingreſſum cryptæ Neapolitanæ, monſtratur, ex Statio diſco. Servius in vitâ poëtæ: *Periit Tarenti, in Apuliæ civitate. nam dum Metapontum cupit videre; valetudinem ex Solis ardore contraxit.* Sepultus eſt autem Neapoli. Divus Hieronymus in Euſebii Chronicor. lib. II: *Virgilius Brunduſii moritur, Sentio Saturnino & Lucretio Cinnâ conſulibus. Oſſa eius Neapolim translata, in ſecundo ab urbe milliario ſepeliuntur, titulo iſtiusmodi ſupraſcripto, quem moriens ipſe dictaverat:* VIRGILII *monumentum.*

Mantua me genuit; Calabri rapuêre: tenet nunc
Parthenope. cecini paſcua, rura, duces.

Donatus: *Voluit ſua oſſa Auguſtus Neapolim transferri; ubi diu vixerat.* Mox: *Translata igitur juſſu Auguſti eius oſſa Neapolim fuêre; ſepultaque viâ Puteolanâ, intra lapidem ſecundum.* Hæc quidem ſic iſte adfirmat. at longè vetuſtior auctor Statius Silvar. lib. IIII carm. IIII ad Marcellum ſiç canit:

——— *En egomet ſomnum & geniale ſequutus*
Litus, ubi Auſonio ſe condidit hoſpita portu
Parthenope, tenueis ignaro pollice chordas
Pulſo; Maroneique ſedens in margine templi,
Sumo animum, & magni tumulis adcanto magiſtri.

Et paullo pòſt:

Hæc ego Chalcidicis ad te, Marcelle, ſonabam
Litoribus, fractas ubi Veſbius egerit iras.

En, ut diſertè teſtatur, ſub *Veſbio*, ſive *Veſuvio* monte, qui ab orientali urbis parte eſt, Virgilii fuiſſe monumentum, cum templo adpoſito. Ex intervallo igitur duorum millium paſſuum, apud eum vicum fuiſſe deprehenditur, qui vulgò incolis vocatur *S. Giovanni di Tiduccio*; inter Neapolim & Veſuvium montem in litore poſitus. Notandum autem maximè, quòd Statius ait, ſe *litus ſequutum*, & in *litore magni tumulis adcantaſſe magiſtri; ſedentem in margine templi* eius: non verò per juga

montium reptaſſe. Quin via Puteolana non per jugum montis, neque per litus tendebat; ſed introrſus per cryptam Neapolitanam. Haud dubiè igitur jam Donati tempore deſtructum fuit hoc poëtæ monumentum. Meminit eius Martialis quoque lib. XI epigram. XLVIIII:

Silius hæc magni celebrat monumenta Maronis;
Iugera facundi qui Ciceronis habet.
Heredem dominumque ſui tumulique larisque
Non alium mallet nec Maro nec Cicero.

Et epigram. LI:

Iam prope deſertos cineres & ſancta Maronis
Nomina qui coleret, pauper & unus erat.
Silius Arpino tandem ſuccurrit agello;
Silius & vatem non minùs ipſe tulit.

Ergo ultra Maronis monumentum ſequebatur in eodem litore HERCVLANEVM ſive HERCVLANIVM *opidum*; & ultra hoc paullùm à mari remotum POMPEII *opidum*. Florus lib. I cap. XVI: *Vrbes ad mare, Formiæ, Cumæ, Puteoli, Neapoli, Herculaneum, Pompeii.* Velleius lib. II: *Munatius Magius Acculanenſis Herculaneum ſimul cum T. Didio cepit; Pompeios cum L. Sullâ oppugnavit.* Plinius lib. III cap. V: *Litore autem Neapolis, Herculanium, Pompeii; haud procul ſpectante monte Veſuvio, adluente verò Sarno amne.* Malè atque imperitè Mela; qui Pompeiis Herculaneum poſtpoſuit. Lib. II cap. IIII, adverſo litore incedens, *Surrentum*, inquit, *Herculaneum Veſuvii montis adſpectus, Pompeii, Neapolis.* Strabo lib. V; poſt deſcriptionem Neapolis: Ἐχόμενον δὲ φρούριόν ἐστι τὸ Ἡράκλειον, ἐκκειμένην εἰς τὴν θάλατταν ἄκραν ἔχον, καταπνεομένην Λιβὶ θαυμαστῶς, ὥστ᾽ ὑγιεινὴν ποιεῖν τὴν κατοικίαν. Ὄσκοι δ᾽ εἶχον καὶ ταύτην καὶ τὴν ἐφεξῆς Πομπηΐαν, ἣν παραρρεῖ ὁ Σάρνος ποταμός. εἶτα Τυρρηνοὶ καὶ Πελασγοί· μετὰ ταῦτα δὲ Σαμνῖται· καὶ οὗτοι δ᾽ ἐξέπεσον ἐκ τῶν τόπων. Νώλης δὲ καὶ Νουκερίας καὶ Ἀχέρρων ἐπίνειόν ἐστιν ἡ Πομπηΐα, τῷ Σάρνῳ ποταμῷ καὶ δεχομένῳ τὰ φορτία καὶ ἐκπέμποντι. Ὑπέρκειται δὲ τῶν τόπων τούτων ὄρος τὸ Οὐεσούϊον. Hoc eſt: *Neapolim protinus ſequitur Herculaneum caſtellum: promontorium habens in mare projectum; quod Africo mirum in modum perflatur: ita, uti ſalubris inde reddatur habitatio. Hoc, ſimulque proximè ſequens opidum Pompæam, quod Sarnus præterfluit, amnis, tenuerunt olim Oſci; dein Tyrrheni atque Pelaſgi; poſteà Samnites: qui & ipſi inde expulſi ſunt. Eſt autem Pompæa Nolæ ac Nuceriæ & Acerrarum commune navale; Sarno amne merceis ſimul excipiente ſimulque emittente. Cæterùm ſupra hæc loca ſitus eſt Veſuvius mons.* Tabula itineraria iter refert tale:

Neapoli	
Herclanium	XI.
Oplontis	VI.
Pompeîs	III.
Nuceria	XII.

Heic XX poſita ſunt millia inter Neapolim & Pompeios. ex quibus XI obtinet intervallum inter Neapolim & Herculaneum. hinc porrò ad Pompeios ſunt VIIII. At millia dicto intervallo à Neapoli ad Sarnum & opidum ei impoſitum, cui vulgare vocabulum *Scafáti*, quà iter eſt Nuceriam verſùs, vulgò hodiè numerantur XVI tantùm. Medium itineris ſtatuunt Neapolitani ad vicum, cui vulgarem adpellationem eſſe dixi *Torre di Greco*. ipſi verò huius loci incolæ hinc Neapolim computant per unum atque alterum intervallum millia VI cum duabus tertiis. At ego re verâ juſta millia VI intervallum id obtinere deprehendi. ſcilicet duo à Neapoli ad ſuprà dictum locum *S. Giovanni di Teduccio*. hinc III exigua ad *Reſinam* vicum. inde unum ſatis magnum ad *Torre di Greco*. Vitiatum igitur in Tabulâ itinerariâ numerum XI millium corrigo in VI. In *promontorio*, ſive in edito loco ſitum fuiſſe Herculaneum, Siſenna, antiquus Romanarum rerum auctor, teſtatur apud Nonium Marcellum; cuius hæc ſunt verba: *Fluvius, maſculini generis plerumque. feminini, ut amnis, Siſenna Hiſtoriar. lib.* IIII: *Quod opidum tumulo in excelſo loco propter mare parvis mœnibus inter duas fluvias infra Veſuvium collocatum.* Idem eodem: *Transgreſſus fluviam, quæ ſecundùm Herculaneum ad mare pertinebat.* Ipſe vicus *Torre del*

Greco hodiéque in promontoriolo ſitum eſt. quod longiùs in mare porrectum fuiſſe certum eſt, antequàm Veſuvii maximè memorandum illud incendium, quo Plinius interiit, ſinum promontorio ab oriente hiberno adjacentem cineribus ſaxisque opplevit; ut infrà videbimus. POMPEIOS apud ipſam Sarni ripam ſitos fuiſſe, diſertis teſtantur verbis Strabo, Plinius, ac Statius: quorum duos priores ſuprà audivimus. Statius Silvar. lib. I carm. II ita canit:

Nec Pompeiani placeant magis otia Sarni.

Non ad ipſum fuiſſe amnis oſtium, vel ex unâ ſatis adparet Tabulâ itinerariâ; quæ infra Pompeios aliud habet iter per litus huiusmodi:

Herclanium	
Oplontis	VI.
Stabios	III.
Nuceria	XII.

Eadem Tabula à Pompeiis etiam ad Stabias III habet millia paſſuum. qua ratione tria iſta loca, *Pompeii*, *Stabiæ*, & *Opulenti* (ſic ſcribendum cenſeo) in triangulo conſtituuntur. Ab *Herculanio ad Opulentos* referuntur quidem VI millia: hinc verò *Pompeios* III: totidemque ad *Stabios*; ut antè dictum. Hodiè ab Herculanio, ſive ab *Torre del Greco* IIII ſunt juſta millia ad locum, cui vulgaris adpellatio *Torre della Nuntiata*: hinc ad *Caſtello à mare di Stabia* totidem: totidemque iterum à *Torre della Nuntiata ad Scafáti*: hinc paullo amplius ad *Caſtel à mar di Stabia*. Vnde manifeſtiſſimis jam liquet documentis Pompeios nunc eſſe opidulum *Scafáti*; Opulentos verò *Torre di Nuntiata*. Ergo ſitus horum opidorum poſtquàm indagati ſunt, de origine etiam eorum quid veteres tradant auctores, videamus. Solinus cap. VIII: *Quis ignorat, conditos ab Hercule in Campaniâ Pompeios; quà victor ex Hiſpaniâ pompam boum duxerat?* Dionyſius Halicarnaſſenſis lib. I: Ἡρακλῆς ἐπειδὴ τά τε κατὰ τὴν Ἰταλίαν ἅπαντα, ὡς ἐβούλετο, κατεστήσατο, καὶ ὁ ναυτικὸς στρατὸς αὐτῷ σῶος ἐξ Ἰβηρίας ἀφίκετο, θύσας τοῖς θεοῖς τὰς δεκάτας τῶν λαφύρων, καὶ πολίχνην ἐπώνυμον αὐτοῦ κτίσας, ἔνθα ὁ στόλος αὐτῷ ἐναυλοχεῖτο, ἣ καὶ νῦν ὑπὸ Ῥωμαίων οἰκουμένη, καὶ Πομπηΐας ἐν μέσῳ κειμένη Νεαπόλεώς τε, λιμένας ἐν παντὶ καιρῷ βεβαίους ἔχουσα, ἀπῆρεν εἰς Σικελίαν. Hoc eſt: *Hercules compoſitis ex animi ſententiâ rebus Italicis; & recepto incolumi ex Hiſpaniâ exercitu navali; ac decimis ſpoliorum in deorum ſacrificia impenſis; opidulo item de ſuo nomine condito, ubi claſſis eius ſtationem habebat; quod nunc etiam à Romanis habitatur, inter Pompeias & Neapolim, tutos omni tempore portus habens: trajecit in Siciliam.* Hæc de Hercule quamvìs meræ ſint fabulæ; tamen antiquitas locorum inde adparet. Portus iſti apud Herculanium haud dubiè ab utroque ſuprà dicti promontorii fuêre latere. Opidum ipſum fuiſſe exiguum, ex tribus auctoribus, Siſennâ, Dionyſio, ac Strabone intelleximus. At contrà *celebrem* vocat *urbem* Pompeios Seneca Natural. quæſt. lib. VI cap. I. Plinio autem dicitur *municipium* lib. II cap. LI: *Pompeiano ex municipio M. Herennius decurio ſereno die fulmine ictus eſt.* Tacito ſub Nerone imperatore *colonia* eſt Annal. lib. XIIII. *Sub idem*, inquit, *tempus levi contentione atrox cædes orta inter colonos Nucerinos Pompeianosque, gladiatorio ſpectaculo.* Ergo à *Pompeiis* opidani dicebantur POMPEIANI. Ab Herculaneo autem erant HERCVLANENSES. Seneca dicto Natural. quæſt. lib. VI cap. I: *Pompeios, celebrem Campaniæ urbem, in quam ab alterâ parte Surrentinum Stabianumque litus, ab alterâ Herculanenſe conveniunt, deſediſſe terræ motu audivimus.* Paullo pòſt: *Nam & Herculanenſis opidi pars ruit.* Ipſum opidum Ovidius metri cauſa dixit Herculeam urbem, Μεταμορφώσεων lib. XV, his verſibus:

Inde legit Capreas promontoriumque Minervæ,
Et Surrentino generoſos palmite colleis,
Herculeamque urbem, Stabiasque, & in otia natam
Parthenopen.

Apud Ciceronem ad Atticum lib. VII epiſt. III corruptum in vulgatis exemplaribus legitur vocabulum *Herculanum*, pro *Herculanium*, ſive *Herculaneum*. De reliquo, Columellæ lib. X POMPEIANA memoratur PALVS & SALINAE HERCVLANENSES. Verba eius hæc ſunt:

AD OPVLENTOS, *locus.*

SALINAE *Herculanenſes.* PALVS *Pompeiana.*

Fontibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Fontibus & Stabiæ celebres, & Veſvia rura,
Doctaque Parthenope, Sebethide roſcida lymphâ:
Quæ dulcis Pompeia palus, vicina ſalinis
Herculeis.

Hodiéque inter *Scafáti* & oſtium Sarni amnis & *Torre di Nuntiata* paluſtria ſunt loca. *Salinæ* à qua parte opidi *Herculanei* fuerint, incertum eſt. Sed ne hoc quidem conſtat; quo ſitu Ciceronis fuerit apud Pompeios villa, quod ille POMPEIANVM ſuum frequentiſſimè memorat in Epiſtolis; maximè ad Atticum.

POMPEIANVM *Ciceronis.*

SARNVS *amnis.*

Ipſe hinc SARNVS *fluvius* hodiéque adcolis vocatur *Sarno:* & inferiore ſui parte communi impoſiti opidi vocabulo *Scafáti*, ſive *Scafáto:* quaſi à ſcapharum trajectu. Memoratur, præter jam dictos Strabonem & Plinium ac Statium, Virgilio quoque, Lucano, Silio, Svetonio, Ptolemæo, Oroſio, Vibio. Ptolemæus: Ποτίολοι, Νεάπολις, Σάρνου ποταμοῦ ἐκβολαὶ, Σούρεντον. Id eſt: *Puteoli, Neapolis, Sarni amnis oſtium, Surrentum.* Svetonius de Claris oratoribus cap. IIII: *In fontem fluminis Sarni.* Virgilius Aeneid. lib. VII:

——— *Patriis ſed non & filius arvis*
Contentus; latè jam tum ditione premebat
Sarraſteis populos, & quæ rigat æquora Sarnus.

Silius lib. VIII:

Sarraſteis etiam populos totasque videres
Sarni mitis opes.

Lucanus lib. II; ubi flumina recenſet, quæ Apenninus mons fundit:

——— *Delabitur inde*
Vulturnusque celer, nocturnæque editor auræ.

Ad Virgilii locum ita commentatur Servius: *Sarraſteis populos. Populi Campaniæ ſunt, à Sarno fluvio. Conon in eo libro, quem de Italiâ ſcripſit, quosdam Pelaſgos aliosque ex Peloponneſo convenas ad eum locum Italiæ veniſſe, dicit; cui nullum anteà nomen fuerit; & flumini, quem adcolerent, Sarno nomen impoſuiſſe ex adpellatione patrii fluminis; & ſe Sarraſteis adpellaſſe. Hi inter multa opida Nuceriam condiderunt.* Nulli huc alii venêre *Pelaſgi*, quàm qui cum Etruſcis *Tyrrheniam* inter Arnum Tiberimque & mare inferum incoluerunt, XII principatibus diſtinctam; ut ſuprà lib. II cap. I oſtenſum. unde illud ſuprà ſcriptum Strabonis de Herculaneo & Pompeiis: Ὄσκοι δὲ εἶχον· εἶτα Τυῤῥηνοὶ καὶ Πελασγοί. Id eſt: *Tenuerunt Oſci: dein Etruſci & Pelaſgi.* Aliam igitur adfert vocabuli originem Vibius Sequeſter in catalogo Fluminum. *Sarnus*, inquit, *Nuceriæ, ex Saro monte oriens, per Campaniam decurrens.* Si monti, ex quo amnis profluit, antiquum nomen fuit Sarus, ſive Sarrus; certè ab hoc potiùs eius tractus incolæ dicti fuêre Sarraſtes, quàm à flumine. Verùm admodùm ambiguum, ſanum ſatis in Vibii exemplaribus id ſit vocabulum, an corruptum. nam hodiè idem monti cum amne eſt nomen. Oroſii ſumma ignorantia heic notetur; qui hunc Campaniæ *Sarnum* cum Etruriæ Arno confudit. Verba eius lib. IIII cap. XV hæc ſunt: *Hannibal ſciens, Flaminium conſulem ſolum in caſtris eſſe; quò celeriùs imparatum obrueret, primo vere progreſſus, arripuit propiorem, ſed paluſtrem viam. & tum fortè Sarnus latè redundans, pendulos & diſſolutos campos reliquerat; de quibus dictum eſt;*

——— *Et quæ rigat æquora Sarnus.*

Hic ſanè turpis atque craſſus eſt geographiæ error. Apud Procopium ut innumera alia regionum, gentium, urbium, amnium, montium, hominumque propria nomina paſſim legantur corrupta; ſic *Sarni* etiam vocabulum vitiatum legitur Gothicar. rer. lib. IIII Δράκων, *Draco*. Deſcripto Veſuvio monte, ſic porrò pergit: Κατὰ τούτου δὴ τοῦ Βεσβίου τὰ πρόποδα ὕδατος πηγαὶ πότιμοι εἰσί, καὶ ποταμὸς ἀπ' αὐτῶν πρόεισι Δράκων ὄνομα, ὃς δὴ ἄγχιστά πη τῆς Νουκερίας πόλεως φέρεται. Τούτου τοῦ ποταμοῦ ἑκατέρωθεν ἐστρατοπεδεύσαντο ἀμφότεροι τότε: Ἔστι δὲ ὁ Δράκων τὸ μὲν ῥεῦμα βραχὺς, οὐ μέντοι ἐσβατὸς οὔτε ἱππεῦσιν οὔτε πεζοῖς, ἐπεὶ ἐν στενῷ ξυνάγων τὸν ῥοῦν, τήν τε γῆν ἀποτεμνόμενος ὡς βαθύτατα, ἑκατέρωθεν ὥσπερ ἀποκρεμαμένας ποιεῖται τὰς ὄχθας. Καταλαβόντες δὲ τοῦ ποταμοῦ τὴν γέφυραν Γότθοι, αὐτῆς ἐστρατοπεδεύσαντο ἄγχιστα. * — *. Οἱ δὴ Γότθοι περίφοβοι γενόμενοι, καὶ πιεζόμενοι ἀναγκαίων τῇ ἀπορίᾳ, ἐς ὄρος ἄγχιστα ὂν καταφεύγουσιν, ὅπερ Ῥωμαῖοι Γάλακτος ὄρος τῇ Λατίνων καλοῦσι φωνῇ. Hoc eſt: *Ad radicem huius Veſuvii montis fontes ſunt aquæ potabilis; amniſque ab iis profluit nomine Draco; qui propè Nuceriam labitur. ad utramque*

huius

huius amnis ripam utrique tunc caſtra habebant. Eſt autem Draco flumine quidem brevis; at neque equitibus neque peditibus pervius. ſiquidem in arctum contrahens flumen, & humum profundè ſecans; utrimque præruptas efficit ripas. Gothi itaque occupato amnis ponte, quamproximè eum caſtra poſuerunt. Aliquanto pòſt: *Gothi metu perculſi, & rerum neceſſariarum penuriâ preſſi, in proximum montem confugerunt, quem Romani Lactarium vocant.* Intellexiſſe heic Procopium Sarnum amnem, tribus documentis clarè patet. primùm, quòd fonteis amnis, de quo loquitur, κατὰ πρόποδα ait eſſe Veſuvii montis. dein, quòd amnem tradit prope Nuceriam fluere: quod ſuprà citatus Vibius etiam adfirmat de *Sarno*. tum, quòd Lactarium montem ei adponit. quæ omnia uni cummaximè conveniunt *Sarno*. namque *Lactarium* montem eſſe eum, in quo nunc opidum ſitum eſt vulgari vocabulo *Latteri*, pòſt oſtendam. Inter hunc verò montem & Veſuvium nullus alius eſt amnis. Ipſe autem *Sarnus* Nuceriam ab ſeptemtrionibus intra mille paſſus præterfluit. Aquam etiam eius non tantùm potabilem, ſed ſvaviſſimam expertus ſum. profunditatem item & ripas præruptas, quas amnis ad innatas usque herbas æquat, qualeis Procopius deſcribit. Fonteis quum habeat complureis; alii eorum ſunt κατὰ τὰ πρόποδα τοῦ Βεσβίου, in Sarno monte; alii altiùs oriuntur. ad opidum *S. Severini*: unde opida Cavam & Nuceriam amnis lævâ ripâ præterlabitur. Certum igitur eſt, ſcripſiſſe Procopium Σάρνος, non Δράκων.

Porrò Pompeiis Herculaneoque opidis ex proximo imminet ſæpè jam dictus VESVVIVS *mons*, admodùm excelſus, & biceps; crebris incendiis maximè clarus. VESVVIVS *mons.* Plinius lib. III cap. V: *Neapolis, Herculanium, Pompeii; haud procul ſpectante monte Veſuvio.* Mela lib. II cap. IIII: *Surrentum, Herculaneum, Veſuvii montis adſpectus, Pompeii, Neapolis.* Strabo lib. V; poſt deſcriptionem dictorum opidorum: ὑπέρκειται δὲ τῶν τόπων τούτων ὄρος τὸ Οὐεσούϊον. *Imminet his locis Veſuvius mons.* Verùm ipſum nomen montis variè apud auctores mutatum legitur. Galenus de Methodo medendi lib. V: ὃν λόφον ἔν τε τοῖς συγγράμμασιν οἱ παλαιοὶ Ῥωμαῖοι καὶ τῶν νῦν οἱ ἀκριβέστεροι Βεσούβιον ὀνομάζουσι· τὸ δ' ἔνδοξόν τε καὶ νέον ὄνομα τοῦ λόφου Βέσβιον. Id eſt: *Quem montem in monimentis ſuis veteres Romani, & item qui nunc adcuratiùs loqui volunt, Veſuvium vocant. at celebre nunc & novum nomen eſt Veſuvius.* Primùm quidem Romani fecêre VESEVVS. Lucretius lib. VI:

Qualis apud Cumas locus eſt montemque Veſevum.

Virgilius Γεωργικῶν lib. II:

Talem dives arat Capua, & vicina Veſevo
Ora jugo.

Flaccus Ἀργοναυτικῶν lib. IIII:

Sic ubi prærupti tonuit quum fortè Veſevi
Heſperiæ lethalis apex.

Silius lib. XII:

Monſtrantur Veſeva juga.

Statius Silvar. lib. IIII carm. VIII:

Tertia jam ſoboles procerum tibi nobile vulgus
Creſcit, & inſani ſolatur damna Veſevi.

Auſonius Idyllio X:

Perque vaporiferi graditur vineta Veſevi.

Svetonius in Tito, cap. VIII: *Quædam ſub eo fortuita ac triſtia acciderunt; ut conflagratio Veſevi montis in Campaniâ.* Mox: *Bona oppreſſorum in Veſevo, quorum hæredes non exſtabant, reſtitutioni adflictarum civitatum attribuit.* At Græci videntur poſteà tertiam illam formationem feciſſe Βέσβιος, VESBIVS, ſive VESVIVS. quam inter Romanos auctores poëtæ maximè uſurparunt. Columella lib. X:

Fontibus & Stabiæ celebres, & Veſvia rura.

Silius lib. XVII:

Evomuit paſtos per ſæcula Veſvius igneis.

Statius Silvar. lib. IIII carm. IIII:

Hæc ego Chalcidicis ad te, Marcelle, ſonabam
Litoribus, fractas ubi Veſbius egerit iras.

Martialis

Martialis lib. IIII epigr. XLIIII:

Hic eſt pampineis viridis modò Veſuvius umbris.

At apud Procopium in Gothicar. rer. lib. II, quum viderem quater, libro verò IIII bis ſcriptum eſſe Βέβιος, BEBIVS, diu ſuſpicabar, vitiatum id eſſe vocabulum à vero Βέσβιος, donec apud Anaſtaſium Bibliothecarium in vitâ Benedicti II hæc inveni: *Mons Bebius, qui eſt in Campaniâ, menſe Martio eructavit.* Et item apud Monachum Altiſſiodurenſem in Chronico: *Mons Bebius ruptus in vertice.* Sed hactenus de nomine montis ſatis. Hodiè vulgò incolis vocatur *Monte di Somma*, ab opidulo ad radices poſito. Naturam eius deſcribit Strabo lib. V: Ὑπέρκειται δὲ, inquit, τῶν τόπων τούτων ὄρος τὸ Οὐεσούβιον, ἀγροῖς περιοικούμενον παγκάλοις, πλὴν τῆς κορυφῆς. αὕτη δ᾽ ἐπίπεδος μὲν πολὺ μέρος ἐστὶν, ἄκαρπος δ᾽ ὅλη. Id eſt: *Supra hæc locus ſitus eſt Veſuvius mons, agris circumcultus optimis, excepto vertice; qui magnâ ſui parte planus quidem, at totus ſterilis eſt.* Xiphilinus ex Dione: Καὶ αὐτοῦ τὰ μὲν ἄκρα καὶ δένδρα καὶ ἀμπέλους πολλὰς ἔχει· ὁ δὲ κύκλος ἀνεῖται τῷ πυρὶ, καὶ ἀναδίδωσι τῆς μὲν ἡμέρας καπνὸν, τῆς δὲ νυκτὸς φλόγα. Id eſt: *Extrema eius arbores habent & multam vitim. ambitus verò igni expoſitus eſt: & interdiu fumum, noctu flammam emittit.* Procopius Gothicar. rer. lib. II: Τὰ κάτω μὲν ἀμφιλαφὲς κύκλῳ, τὰ ὕπερθεν δὲ κρημνῶδές τε καὶ δεινῶς ἄγριον· ἐν δὲ τῇ ὑπερβολῇ σπήλαιον κατὰ μέσον μάλιστα βαθὺ φαίνεται· ὥστε εἰκάζειν αὐτὸ ἄχρι καὶ ἐς τὰ ἔσχατα τοῦ ὄρους διήκειν. καὶ πῦρ ἐνταῦθα ὁρᾶν πάρεστιν, ἤν τις ὑπερκύψαι τολμήσειε. καὶ χρόνῳ μὲν τῷ ἄλλῳ ἡ φλὸξ ἐφ᾽ ἑαυτὴν στρέφεται, πράγματα οὐδενὶ παρεχομένη τῶν ταύτῃ ἀνθρώπων· ἐπειδὰν δὲ κτύπον τινὰ μυκηθμῷ ἐμφερῆ τὸ ὄρος ἀφίῃ, κόνεως μέγα τι χρῆμα οὐ πολλῷ ὕστερον ἐκ τοῦ ἐπὶ πλεῖστον ἀνίησι. καὶ ἢν μέν τινα ὁδῷ τὸ κακὸν τοῦτο βαδίζοντα λάβῃ, τοῦτον δὴ τὸν ἄνθρωπον οὐδεμιᾷ μηχανῇ βιώσεσθαί ἐστιν. ἢν δὲ οἰκίαις ἐπιπέσοι, πίπτουσι καὶ αὐταὶ, τῷ τῆς κόνεως πλήθει ἀχθόμεναι. ἀνέμου δὲ σκληροῦ ἐπιπεσόντος, αἰέναι μὲν αὐτὴν ξυμβαίνει ἐς ὕψος μέγα, ὡς μηκέτι ἀνθρώπῳ ὁρατὴν γίνεσθαι. Hoc eſt; *Inferiora eius denſis arboribus undique opaca ſunt. ſuperiora prærupta, mirumque in modum aſpera. In ipſo verò vertice altiſſimum eſt in medio antrum; ita, uti veri ſit ſimile, ad ima montis penetrare. Atque ignem heic videre licet; ſi quis prolato capite introſpicere audeat. Alio equidem tempore flamma in ſe ipſam vertitur; nihil moleſtiæ adcolis faceſſens. ubi verò ſonitum quemdam mugitui ſimilem mons edidit: non multo pòſt ingentem favillæ vim per multum tempus emittit. quod quidem malum ſi in aliquem illac iter facientem incidat; nulla ei conſervandæ vitæ ratio ſit reliqua. ſi verò in domos incidat; etiam illæ pulveris vi oppreſſæ corruunt. Aſpero vento incidente, pulverem in tantam altitudinem tolli contingit, ut oculorum proſpectum ſuperet.* Et Gothicar. rer. lib. IIII: Ὁπηνίκα δὲ ξυνενεχθείη ἐν τῷ ὄρει τῷδε τὴν κόνιν ἐρεύγεσθαι, καὶ πέτρας ἀποτεμνομένη ἀπὸ τῶν τοῦ Βεβίου ἐσχάτων ἡ φλὸξ ὑπὲρ τὴν κορυφὴν τοῦ ὄρους τούτου μετεωρίζειν, τὰς μὲν βραχείας, τὰς δὲ μεγάλας κομιδῆ οὔσας, ἐνθένδε τε αὐτὰς ἀποπεμπομένη ὅπη τύχοι διασκεδάννυσθαι. Ῥεῖ δὲ καὶ ῥύαξ ἐνταῦθα πυρὸς, ἐκ τῆς ἀκρωρείας καθήκων ἄχρι ἐς τοῦ ὄρους τὸν πρόποδα, καὶ ἔτι πρόσω, ἅπερ ἅπαντα καὶ κατὰ τὴν Αἴτνην γίνεσθαι πέφυκεν. ὄχθας δὲ ποιεῖται ὑψηλὰς ἑκατέρωθεν ὁ τοῦ πυρὸς ῥύαξ, τὰ ἔνερθεν τέμνων. καὶ φερομένη μὲν ἐπὶ τοῦ ῥύακος τὰ πρῶτα ἡ φλὸξ, καιομένῃ εἰκάζεται ὕδατι ἐκρεῖ· ἐπειδὰν δὲ αὐτὴν ἀποσβεσθῆναι ξυμβαίνῃ, ἀναστέλλεται μὲν τῷ ῥύακι ὁ δρόμος εὐθὺς, ἐπιπρόσθεν τε ὁ ῥοῦς οὐδαμῆ πρόεισι· τὸ δὲ ὑφιζάνον τούτου δὴ τοῦ πυρὸς πηλὸς φαίνεται σποδιᾷ ἐμφερής. Hoc eſt: *Quoties autem pulveris eructatio contingit, etiam ſaxa præcidens flamma ab imis montis partibus, ſupra verticem in ſublime effert atque propellit, nonnulla quidem parva, quædam verò admodùm ingentia; atque inde emiſſa in diverſas parteis diſpergit. Fluit etiam inde rivus ignis, è ſummitate montis pertingens ad radices usque, & ultra: quemadmodùm in Aetnâ fieri ſolet. Ripas verò utrimque altas hic rivus facit, inferiora ſecans. Flamma, quæ primùm fertur in rivo, ardenti aquæ effluxui ſimilis eſt. ubi verò flamma exſtincta eſt; ſiſtitur quidem ſtatim rivi curſus; fluxusque nequaquàm ultra procedit. quod autem ex igni ſubſidit, limus adparet favillæ ſimilis.* Incendia eius crebra fuêre variis temporibus. Diodorus lib. IIII: Ὠνομάσθη δὲ καὶ τὸ πεδίον τοῦτο Φλεγραῖον, ἀπὸ τοῦ λόφου τοῦ παλαιὸν ἄπλετον πῦρ ἐκφυσῶντος· καλεῖται δὲ ὁ τόπος Οὐέσβιος, ἔχων πολλὰ σημεῖα τοῦ κεκαῦσθαι κατὰ τοὺς ἀρχαίους χρόνους. Hoc eſt: *Phlegræus quoque adpellatur hic campus, à colle, qui magnam vim ignis quondam eructavit; vocatur autem Veſuvius; multa veteris inflammationis ſigna habens.* Strabo lib. V: Ἔστι δ᾽ ὄρος τὸ Οὐεσούβιον ἀγροῖς περιοικούμενον παγκάλοις, πλὴν τῆς κορυφῆς. αὕτη δ᾽ ἐπίπεδος μὲν πολὺ μέρος ἐστὶν, ἄκαρπος δ᾽ ὅλη, ἐκ δὲ τῆς ὄψεως τεφρώδης, καὶ κοιλάδας φαίνει σηραγγώδεις πετρῶν αἰθαλωδῶν κατὰ τὴν χρόαν, ὡς ἂν ἐκβεβρωμένων ὑπὸ πυρός· ὥστε τεκμαίροιτ᾽ ἄν τις, τὸ χωρίον τοῦτο καίεσθαι πρότερον, καὶ ἔχειν κρατῆρας πυρὸς·

σβεσθῆναι

σβεσθῆναι δὲ, ἐπιλιπούσης τῆς ὕλης. Hoc eſt: *Veſuvius mons agris circumcultus eſt optimis, excepto vertice; qui magnâ quidem ſui parte planus, at totus ſterilis eſt: conſpectu verò cinereus, cavernasque oſtendens fiſtularum & lapidum colore fuliginoſo plenas: utpote ab igni exeſorum: uti conjecturam facere queas, hunc locum arſiſſe quondam; ignisque habuiſſe crateras: dein, materiâ deficiente, fuiſſe reſtinctum.* Ergo horum duorum auctorum tempore Veſuvius non ardebat. eaque inflammatio, quæ ante eorum ætatem facta, adeò tum erat antiqua, uti jam temporis nulla conſtaret ratio: nec facti quidem; niſi cinerum ſaxorumque indicia. At poſt eos, in principatu Titi Veſpaſiani ingens illud atque horrendum accidit incendium, quo Plinius, Naturalis hiſtoriæ ſcriptor, interiit: cuius complures meminêre auctores: in primis autem à Plinio Iuniore in epiſt. XVI libri VI ad Tacitum, tum à Dione, ut epitomator eius refert Xiphilinus, copioſiſſimis verbis deſcriptum eſt. nos pauca quædam ex hoc excerpemus: Καὶ τέφρα, inquit, ἀμύθητος ἐφυσήθη, καὶ τήν τε γῆν τήν τε θάλασσαν καὶ τὸν ἀέρα πάντα κατέσχε. καὶ πολλὰ μὲν καὶ ἄλλα, ὥσπερ καὶ ἔτυχε, καὶ ἀνθρώποις καὶ χώραις καὶ βοσκήμασιν ἐλυμήνατο, τοὺς δὲ δὴ ἰχθύας τά τε ὄρνεα πάντα διέφθειρε· καὶ προσέτι καὶ πόλεις δύο ὅλας, τό τε Ἡρκουλάνεον καὶ τοὺς Πομπηίους, ἐν θεάτρῳ τοῦ ὁμίλου αὐτῆς καθημένου, κατέχωσε. τοσαύτη γὰρ ἡ πᾶσα κόνις ἐγένετο, ὥστ᾽ ἀπ᾽ αὐτῆς ἦλθε μὲν καὶ ἐς Ἀφρικὴν καὶ Συρίαν καὶ ἐς Αἴγυπτον, ἐσῆλθε δὲ καὶ ἐς Ῥώμην, καὶ τόν τε ἀέρα τὸν ὑπὲρ αὐτῆς ἐπλήρωσε, καὶ τὸν ἥλιον ἐπεσκίασε. Hoc eſt: *Tum ineffabilis copia cineris, à vento egeſta, terram pariter ac mare atque omnem aërem occupavit. quæ res multa damna, ut cuique ſors tulit, importavit; non ſolùm hominibus & agris ac pecoribus; ſed etiam piſceis volucresque omneis peremit: duasque inſuper urbeis, Herculaneum & Pompeios, huius populo ſedente in theatro, penitus obruit. Ac tanta fuit vis cinerum, ut inde in Africam usque & Syriam Aegyptumque pervenerit; introieritque etiam Romam; eiusque aërem oppleverit, ſolemque obſcuraverit.* Aliam ingentem cladem hæc loca XVI annis antè accepiſſe, teſtis eſt Seneca Natural. quæſt. lib. VI cap. II: *Pompeios*, inquit, *celebrem Campaniæ urbem, deſediſſe terræ motu, vexatis quæcumque adjacebant regionibus, audivimus: & quidem diebus hibernis: quos vacare à tali periculo, maiores noſtri ſolebant promittere. Nonis Februariis fuit motus hic, Regulo & Virginio conſulibus; qui Campaniam numquàm ſecuram huius mali, indemnem tamen, & toties defunctam metu, magnâ ſtrage vaſtavit. nam & Herculanenſis opidi pars ruit: dubiéque ſtant, etiam quæ relicta ſunt. Et Nucerinorum colonia, ut ſine clade, ita non ſine querela eſt. Neapolis quoque privatim multa, publicè nihil amiſit; leviter ingenti malo perſtricta.* At poſt ingentem illam ſub Tito imperatore Veſuvii eruptionem perpetuò mons arſit, crebraque incendia facta ſunt; quæ paſſim auctores adnotarunt: ut Plutarchus in libro de Pythiæ oraculis; & item in libro de his, qui ſerò à numine puniuntur: Procopius Gothicar. rer. lib. II: Caſſiodorus Variar. lib. IIII, epiſt. L: & hinc alii. Atque hæc de Veſuvio.

Vltra Veſuvium montem & Sarnum amnem fuit *opidum* STABIAE plurali numero dictum. Locus eius nunc vocatur *Caſtel à mar di Stabia*; epiſcopali dignitate inſignis. Memoratur Ovidio, Columellæ, Plinio, Silio, Galeno. Ovidius Μεταμορφώσεων lib. XV: STABIAE *opidum.*

Inde legit Capreas, promontoriumque Minervæ,
Et Surrentino generoſos palmite colleis,
Herculeamque urbem, Stabiasque, & in otia natam
Parthenopen.

Columella Ruſt. rer. lib. X:

Fontibus & Stabiæ celebres, & Veſvia rura.

Silius lib. IIII:

Irrumpit Cumana ratis; quam Corbulo ductor
Lætaque complebat Stabiarum litore pubes.

Plinius lib. III cap. V: *In Campano agro Stabiæ opidum fuêre, usque ad Cn. Pompeium & L. Carbonem conſules, pridiè Calend. Maii: quo die L. Sylla legatus bello Sociali id delevit. quod nunc in villas abiit.* Neſcio, Plinius erraverit, an exſcriptores mendum ei adſperſerint. nullum quidpe bello Marſico reperio Carbonem conſulem. & eius belli anno ſecundo conſulatum geſſit cum Cn. Pompeio Strabone L. Porcius Cato. Porrò Galenus de Methodo medendi lib. V: Τετάρτῃ δ᾽ ὕστερον ἡμέρᾳ

πλέων, ἐν ταῖς Σταβίαις γίγνεται. καὶ κέχρηται τῷ γάλακτι θαυμαστήν τινα δύναμιν ὄντως ἔχοντι, καὶ οὐ μάτην ἐπαινουμένῳ. Καί μοι δοκεῖ καιρὸς ἥκειν εἰπεῖν τι περὶ γάλακτος χρήσεως, οὐ τοῦ κατὰ τὰς Σταβίας μόνον, ἀλλὰ καὶ τοῦ ἄλλου παντός. Τῷ μὲν οὖν ἐν ταῖς Σταβίαις γάλακτι πολλὰ συνετέλεσεν εἰς ἀρετήν· αὐτό τε τὸ χωρίον, ὑψηλὸν ὑπάρχον αὐτάρκως· ὅ τε πέριξ ἀὴρ ξηρός, ἥ τε νομὴ τοῖς ζώοις χρηστή· ὕψος μὲν τοῦ λόφου μέτριον· ὁδὸς δ᾽ ἐπ᾽ αὐτὸν ἀπὸ τῆς θαλάττης εἰς τριάκοντα στάδια, καί τι πλέον οὐ πολλῷ. τὸ δὲ χωρίον αὐτό, τὸ ἐπὶ τῇ θαλάττῃ, αἱ Σταβίαι, κατὰ τὸν πυθμένα τοῦ κόλπου μάλιστά ἐστι, τοῦ μεταξὺ Συρέντου τε καὶ Νεαπόλεως, ἐν τῇ πλευρᾷ μᾶλλον τῇ κατὰ Συρεντόν. αὕτη δὲ ἡ πλευρὰ πᾶσα λόφος ἐστὶν εὐμεγέθης, μακρός, εἰς τὸ Τυρρηνικὸν ἐξήκων πέλαγος. ἐγκέκλιται δ᾽ ἠρέμα πρὸς τὴν δύσιν ὁ λόφος οὗτος. συνάπτει δ᾽ αὐτῷ κατὰ τὸν μυχὸν τοῦ κόλπου λόφος ἕτερος οὐ μικρός, ὃν ἔν τε τοῖς συγγράμμασιν οἱ παλαιοὶ Ῥωμαῖοι καὶ τὸ νῦν οἱ ἀκριβέστεροι Βεσούβιον ὀνομάζουσι· τὸ δ᾽ ἔνδοξόν τε καὶ νέον ὄνομα τοῦ λόφου Βέσβιον, ἅπασιν ἀνθρώποις γνώριμον, διὰ τὸ κάτωθεν ἀναφερόμενον ἐκ τῆς γῆς ἐν αὐτῷ πῦρ· ὅ μοι δοκεῖ καὶ αὐτὸ μεγάλα συντελεῖν εἰς ξηρότητα τῷ πέριξ ἀέρι. Hoc eſt: *Quarto tandem die navi Stabias pervênit. uſusque eſt lacte, quod mirandam ſanè vim habet, nec ſine causâ prædicatur. de cuius uſu aliquid dicere oblatum nunc tempus videtur. nec de eo tantùm, quod apud Stabias habetur; verùm etiam de omni alio. Itaque lacti Stabiano ad præſtantiam multa concurrunt: locus ipſe ſatis excelſus; aër illi circumfuſus ſiccus; & paſcua pecoribus ſalubria. Altitudo collis mediocris, ad* IIII *millia paſſuum à mari. Opidulum autem ipſum Stabiæ apud mare, in intimo maximè ſinu ſitum eſt inter Surrentum & Neapolim: magis tamen in latere Surrentino. Cæterùm totum hoc latus eſt collis ſatis magnus & longus, in Tyrrhenum usque protenſus mare. Inflectitur autem leviter in occaſum versùs. Conjungitur illi in intimo ſinu alter collis, non parvus; quem & veteres Romani in monimentis ſuis, & item qui nunc adcuratiùs loqui volunt, Veſuvium vocant. at celebre nunc & novum nomen eſt Veſvius; omnibus mortalibus notum, propter ignem, qui ex terrâ in ſublime emittitur. quod & ipſum mihi videtur haud parum ad circumfuſi aëris ſiccitatem conferre.* In vulgatis equidem Galeni exemplaribus vocabulum Σταβίαι corruptum ubique legitur, ταῖς Ταβίαις, τὰς Ταβίας, αἱ Ταβίαι· quod etiam interpres ita in verſione Latinâ poſuit. At mendum heic incurioſo librario facilè inde naſci potuit, quòd in ταῖς Σταβίαις & τὰς Σταβίας, concurrebant duo σ. alterum in fine articuli, in ipſius loci nomine alterum. Corruptis autem obliquis caſibus; facilè idem vitium in rectum quoque tranſiit. Stabias Galenum voluiſſe, adcuratiſſima topographia indicat. in qua omnia Stabiarum loco quàm exactiſſimè conveniunt. Sed dum hæc ſcribo, mittit ad me (miſit autem, quia pridiè valetudinis inſpiciendæ causâ me conveniens, intellexerat, poſtridiè me de Stabiis ſcripturum) mittit, inquam, CL. V. Aelius Everhardus Vorſtius, medicinæ in almâ Lugdunenſi ad Rhenum Academiâ profeſſor primarius, exemplar, quod, à magno Ioſepho Scaligero ei legatum, doctiſſimus vir, Martinus Gregorius Turonenſis, medicus, Venetiis & Romæ cum manuſcriptis contulerat. in cuius marginibus ubique pro Ταβίαι, Ταβίας, Ταβίαις, ſcriptum eſt, Σταβίαι, Σταβίας, Σταβίαις. De cætero miror, nomen montis apud Stabias, quem tam exactè deſcribit, Galenum aut ignoraſſe, aut reticuiſſe. niſi fortè nomen peculiare tunc nondum habuerit. quod Procopio in ſuprà citato Gothicar. rer. lib. IIII; ubi Sarnum flumen deſcribit; Τὸ Γάλακτος ὄρος dicitur; id eſt, LACTIS MONS. apud Caſſiodorum verò Variar. lib. XI epiſt. X, LACTARIUS MONS. Verba iſtius hæc ſunt: *Quum rerum Domini clementia de famuli ſui David ſalute cogitaret: remedia Lactarii montis eum juſſit expetere: ut, cui medela humana nil profuit, vulgati loci beneficium ſubveniret.* Exiguo pòſt: *Huic igitur ferociſſimæ paſſioni beneficium montis illius divina tribuerunt. ubi aëris ſalubritas cum pinguis arvi fœcunditate conſentiens, herbas producit dulciſſimâ qualitate conditas: quarum paſtu vaccarum turba ſaginata, lac tantâ ſalubritate conficit, ut, quibus medicorum tot conſilia neſciunt prodeſſe, ſolus videatur potus ille præſtare; reddens priſtino ordini reſolutam paſſionibus vim naturæ. replet membra vacuata; vireis effœtas inſtaurat; & fomento quodam reparabili ægris ita ſubvenit, quemadmodùm ſomnus labore fatigatis. Hæc itaque armenta in tam abundanti pabulo exhauſta videre, miraculum eſt: ut humor ille lacteus non præſtet origini ſuæ, qui corpora mortalium probatur læſa reficere. miroque modo herbis animalia non proficiunt, unde hominum nemora pingveſcunt. Exiles per dumeta diſcurrunt montium. tenues videntur; &, inſtar eius, cui medentur, ſuſtinent paſſiones. Lac autem tam pingue, ut hæreat digitis, quum exprimatur in vaſis.* Opidum hodiè

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

epiſcopale ſuſtinet Lactarius mons vulgari vocabulo *Letteri*, haud dubiè ab antiquâ illa montis adpellatione tracto. ad quod opidum à *Caſtel à mare*, ſive ab mari ipſo, juſta ſunt paſſuum millia IIII; id eſt, τεἀάκοντα ϛάδια. Pars verò eſt Lactarius mons maioris altiorisque montium jugi; quod ab opido usque *Cava* ex ortu ſolſtitiali in occaſum brumalem ad Minervæ procurrit promontorium. quam rem Galenus his expreſſit verbis: Αὕτη δὲ ἡ πλευρὰ πᾶσα λόφος ἐστὶν εὐμεγέθης, μακρὸς, εἰς τὸ Τυῤῥηνικὸν ἐξήκων πέλαγος. Hoc eſt: *Totum autem hoc latus mons eſt ſatis magnus & longus, in Tyrrhenum usque protenſus mare.* At in eo erravit idem Galenus, quòd hunc montem contingere ait Veſuvium montem. quidpe Sarnus amnis intercedit cum valle duo millia paſſuum latâ. neque verò ulli alii connectitur monti Veſuvius. ſed undique diſcretus ac planitie cinctus conſpicitur. Peius tamen erraſſe cenſeo Procopium. qui, quamvìs Lactarium montem memorat Gothicar. rer. lib. IIII; tamen lib. II in Veſuvium montem medicos miſiſſe tabe laboranteis, adfirmat. Galeno & Caſſiodoro accedit etiam Symmachus lib. VI epiſt. XVII. *Stabias*, inquit, *ire deſiderant, ut reliquias longæ ægritudinis armentali lacte depellant.* Quid Symmachi tempore, annis circiter CCCLXXX poſt natum Chriſtum, Stabiæ fuerint; villarum quidam numerus, ut Plinii tempeſtate, opidulum, an vicus, incertum eſt. Annis CL pòſt, ſub Iuſtiniano imperatore fuiſſe vicum, teſtis eſt Hiſtoria miſcellanea; quæ lib. XVI ſic habet: *Beliſarius verò à papa Silverio acriter increpatus, cur tanta ac talia homicidia Neapoli perpetraſſet, tandem correptus ac pœnitens, rurſus proficiſcens Neapolim, & videns domus civitatis depopulatas ac vacuas; tandem reperto conſilio recuperandi populi, colligens per diverſas villas Neapolitanæ civitatis viros ac mulieres, domibus habitaturos immiſit: id eſt, Cumanos, Puteolanos, & alios plurimos in Liguriâ degenteis & Plaia & Sola & Piſcinula & Locotroccla & Summa, aliisque villis: necnon Nolanos & Surrentinos & de villâ, quæ Stabii dicitur.* Vocabulo villæ utitur more ſui ævi pro vico: ut hodiéque fit per omnem Europam ab iis, qui Latinobarbarè loquuntur aut ſcribunt.

Porrò poſt Stabias extremum Campano in litore ſub ſuprà dicto montis jugo eſt SVRRENTVM *opidum* perantiquum: quod etiam nunc vulgò incolis dicitur *Sorrento*. Memoratur Ennio, Diodoro, Straboni, Melæ, Silio, Plinio, Statio, Tacito, Svetonio, Frontino, Ptolemæo, Dioni, Tabulæ itinerariæ. Plinius lib. III cap. V: *Herculanium, Pompeii; haud procul ſpectante monte Veſuvio, adluente verò Sarno amne: ager Nucerinus; & VIIII millia paſſuum à mari ipſa Nuceria: Surrentum, cum promontorio Minervæ, Sirenum quondam ſede.* Mela lib. II cap. IIII, adverſo litoris ordine: *Minervæ promontorium, ſinus Puteolanus, Surrentum, Herculaneum.* Tabula itineraria: SVRRENTVM.

Stabios
Surrento
Templ. Minervæ.

Ptolemæus: Νεάπολις. Πικεντίνων ὁμοίως παρὰ τὸ Τυῤῥηνικὸν πέλαγος, Σάρνου ποταμοῦ ἐκβολαὶ, Σούρεντον. Id eſt: *Neapolis. tum Picentinorum apud Tuſcum mare, Sarni amnis oſtium, Surrentum.* Hoc quidem falſò atque imperitè ſic tradidit Ptolemæus; niſi auctoritas eius plus valeat, quàm reliquorum ſcriptorum omnium; qui Picentini agri initium ſtatuunt poſt Minervæ promontorium; ut infrà ſuo loco videbimus. Strabo lib. V: Συνεχὲς δέ ἐστι τῇ Πομπηΐᾳ τὸ Σύρεντον τῶν Καμπανῶν· ὅθεν πρόκειται τὸ Ἀθήναιον ἀκρωτήριον. Id eſt: *Pompeiis conterminum eſt Surrentum Campanorum: unde Minervæ prominet promontorium.* Vulgata equidem Strabonis exemplaria habent Συρρέντιον· at Surrentum illum intellexiſſe, ex cæteris auctoribus, tum hodierno urbis ſitu, patet. Quomodò ipſe ſcripſerit Strabo, haud facilè dixerim: quum eodem libro ante Συρεντῖνος ſit οἶνος, *Surrentinum vinum:* libro verò primo ipſum opidum geminato ρ, Σύῤῥεντον· ut & apud Diodorum legitur lib. V, & Dionem fine libri LII. Ptolemæus habet diphthongum ου cum unico ρ, Σούρεντον. ſed diphthongum ex Romanorum deſumpſit ſcriptione; ut in plerisque Italiæ vocabulis. De cætero Σύῤῥεντον Græcorum omnium maximè ego probaverim; quia inde Latini ſuum formaverunt *Surrentum*. in qua voce prima ſyllaba illis ſemper longa eſt: ita, uti inde alterum *r* minimè

minimè expungere poſſis. Quin à Sirenum nomine opidi vocabulum deductum eſſe, maximè credibile eſt; quando illæ circa hæc loca ſedem habuiſſe feruntur. In harum autem nomine prima ſyllaba itidem longa eſt; Græcis dipthongo ει. Quod de origine adpellationis opidi dixi, apertè adfirmat Statius Silvar. lib. II carm. II; quo Pollii celebrat Surrentinum; his verſibus:

Eſt inter notos Sirenum nomine muros,
Saxaque Tyrrhenæ templis onerata Minervæ,
Celſa Dicarchæi ſpeculatrix villa profundi.

Coloniam aliquando Romanorum huc fuiſſe deductam, teſtatur Frontinus in catalogo Coloniarum. *Surrentum*, inquit, *opidum muro ductum. Ager eius ex occupatione tenebatur à Græcis, ob conſecrationem Minervæ. ſed circa monteis Surrentinos limitibus Auguſtanis pro parte eſt adſignatus.*

Cæterùm SVRRENTINI COLLES, qui opido imminent circumjacentque, vini præſtantiâ maximè celebrabantur. Ovidius Μεταμορφώσεων lib. XV:

Inde legit Capreas promontoriumque Minervæ,
Et Surrentino generoſos palmite colleis.

Statius Silvar. lib. III carm. V:

Caraque non molli juga Surrentina Lyæo.

Martialis lib. XIII epigram. CX:

Surrentina bibis? nec myrrhina picta nec aurum
Sume. dabunt calices hæc tibi vina ſuos.

Columella Ruſt. rer. lib. III cap. II; de vite Amineâ loquens: *Campaniæ celeberrimos Veſuvii colleis Surrentinosque veſtit.* Strabo lib. V; ubi nobiliſſima Campaniæ vina enumerat: Ἤδη δὲ καὶ ὁ Συρρεντῖνος ἐνάμιλλος καθίσταται τούτοις, νεωστὶ πειραθεὶς ὅτι παλαίωσιν δέχεται. Id eſt: *Iam verò & Surrentinum his non cedit. quod ætatem ferre poſſe, nuper eſt exploratum.* Plinius lib. XIIII cap. VI: *Ad tertiam palmam variè venêre Albana vina, Vrbi vicina, prædulcia, ac rara in auſtero. item Surrentina; in vicineis tantùm naſcentia; convaleſcentibus maximè probata propter tenuitatem ſalubritatemque. Tiberius Cæſar dicebat, conſenſiſſe medicos, ut nobilitatem Surrentino darent: alioquin eſſe generoſum acetum: C. Cæſar, qui ſucceſſit illi, nobilem vappam.*

MINERVAE promontorium; *quod &* SIRENVSARVM, *&* SVRRENTINVM.

Surrentum igitur proximè ſequitur MINERVAE PROMONTORIVM, Græcis Ἀθήναιον ἀκρωτήριον dictum. Memoratur Ovidio, Livio, Straboni, Melæ, Plinio, Statio, Tacito. Ovidium paullo antè audivimus. Livius lib. XL: *Inter duumviros ita diviſa tuenda denis navibus maritima ora, ut promontorium iis Minervæ velut cardo in medio eſſet. alter in dextram partem usque ad Maſſiliam, lævam altèr usque ad Barium tueretur.* Lib. XLII: *In Campaniâ ad Minervæ promontorium.* Mela lib. II cap. IIII: *Minervæ promontorium, ſinus Puteolanus, Surrentum.* Plinius: *Surrentum, cum promontorio Minervæ, Sirenum quondam ſede.* Tabula itineraria: *Surrento. Templ. Minervæ.* Strabo lib. V: Σύρρεντον τῶν Καμπανῶν, ὅθεν πρόκειται τὸ Ἀθήναιον, ὅ τινες Σειρηνουσσῶν ἀκρωτήριον καλοῦσιν. ἔστι δ᾽ ἐπ᾽ ἄκρῳ μὲν Ἀθηνᾶς ἱερὸν, ἵδρυμα Ὀδυσσέως. διάπλους δ᾽ ἐνθένδε βραχὺς εἰς Καπρέας νῆσον. Hoc eſt: *Surrentum Campanorum: unde prominet Minervæ promontorium; quod & Sirenuſarum promontorium quidam vocant. In ſummo eſt fanum Minervæ, ab Vlyſſe conditum. Hinc ad Capreas inſulam brevis eſt trajectus.* Seneca Epiſt. LXXVII: *Quum intravêre Capreas & promontorium, ex quo*

Alta procelloſo ſpeculatur vertice Pallas.

SIRENVSARVM promontorium unde dictum, oſtendit continuò pòſt Strabo. Κάμψαντι δὲ τὴν ἄκραν, inquit, νησῖδές εἰσιν ἔρημοι πετρώδεις, ἃς καλοῦσι Σειρηνούσας. Id eſt: *Promontorium ubi circumflexeris, inſulæ occurrunt deſertæ atque ſaxoſæ, quas Sirenuſas adpellant.* Idem auctor lib. I, de eodem promontorio loquens: Ἀγκὼν τις ἔκκειται μακρὸς καὶ στενὸς ἀπὸ τῆς κατὰ Σύρρεντον χωρίων ἐπὶ τὸν κατὰ Καπρέας πορθμὸν, ἐπὶ θάτερα μὲν τῆς ὀρεινῆς, τὸ τῶν Σειρήνων ἱερὸν ἔχων, ἐπὶ θάτερα δὲ, πρὸς τῷ Ποσειδωνιάτῃ κόλπῳ, νησίδια τρία προκείμενα, ἔρημα, πετρώδη, ἃ καλοῦσι Σειρηνούσας· ἐπ᾽ αὐτῷ δὲ τῷ πορθμῷ τὸ Ἀθήναιον, ὥσπερ ὁμωνυμεῖ καὶ ὁ ἀγκὼν αὐτός. Id eſt: *A locis Surrento vicinis cubito ſimilis quidam terræ flexus excurrit usque ad fretum, quod eſt juxta Capreas. ab altero huius jugi latere Sirenum eſt fanum: ab altero, quod Poſidoniatem ſpectat ſinum; tres exiguæ ſunt inſulæ,*

deſertæ

deſertæ atque ſaxoſæ, quæ vocantur Sirenuſæ. in ipſo trajectu, Minervæ eſt templum; à quo cognomen accepit ipſe cubitus. Ergo MINERVAE TEMPLVM in extremo ſitum fuit promontorio, excelſo loco; quod ſuprà ſcriptus verſus apud Senecam teſtatur: cui adſtipulatur Statius Silvar. lib. v carm. III:

MINERVAE *templum.*

——— Quos è vertice Surrentino
Mittit Tyrrheni ſpeculatrix virgo profundi.

Ergo SVRRENTINVM etiam adpellatum fuit hoc promontorium. Tacitus Annal. lib. IIII: *Capreas ſe in inſulam abdidit, trium millium freto ab extremis Surrentini promontorii disjunctam.* SIRENVM igitur *templum* ab dextro huius promontorii fuit latere; haud dubiè non procul ab ipſo extremo promontorii excurſu. Ariſtoteles in Admirandis obſcurè quidem promontorium hoc apud Sirenuſas inſulas deſcribit: pergit autem ita de Sirenum templo: Ἐν ᾧ καὶ νεὼς αὐτῶν ἵδρυται, καὶ τιμῶνται καθ᾽ ὑπερβολὴν ὑπὸ τῶν περιοίκων θυσίαις ἐπιμελῶς. Id eſt: *In quo etiam templum earum ſitum eſt; coluntur que impensè ſacrificiis ab adcolis.* Strabo prædicto lib. v: Ἐκ δὲ τοῦ πρὸς Σύρρεντον μέρους, ἱερόν τι δείκνυται, καὶ ἀναθήματα παλαιὰ τιμώντων τῶν πλησίον τόπων. Id eſt: *Ab eâ parte, quæ Surrentum proſpectat, templum quoddam monſtratur, atque donaria vetuſta eorum, qui vicinum locum venerati ſunt.*

SIRENVM *fanum.*

Porrò inter extremum promontorii in mare excurſum & opidum Surrentum fuit ad litus POLLII cuiusdam villa, cuius celebritatem decantat Statius Silvar. lib. II carm. II; cuius hoc eſt initium:

Eſt inter notos Sirenum nomine muros
Saxaque Tyrrhenæ templis onerata Minervæ
Celſa Dicarchei ſpeculatrix villa profundi:
Quà Bromio dilectus ager; colleisque per altos
Vritur & prælis non invidet uva Falernis.

Apud litus fuiſſe, patet ex paullo pôſt ſequentibus, quæ ita habent:

——— Placido lunata receſſu
Hinc atque hinc curvas prorumpunt æquora rupeis.
Dat natura locum: montique intervenit unum
Litus; & in terras, ſcopulis pendentibus, exit.

Et aliquanto pôſt:

Quum jam feſſa dies, & in æquora montis opaci
Vmbra cadit; vitreoque natant prætoria ponto.

Atque hactenus omnis Campaniæ ora maritima ab *Sinueſſâ* opido ad Minervæ usque promontorium ſummâ curâ nobis explicata eſt. Hinc jam Picentinorum incipit litus: de quo poſteà dicetur. Strabo de eâdem orâ proximè dictis ſubnectit iſta: Μέχρι μὲν δεῦρο ἔχει τέλος ὁ κόλπος ὁ Κρατὴρ προσαγορευόμενος, ἀφοριζόμενος δυσὶν ἀκρωτηρίοις, τῷ τε Μισηνῷ καὶ τῷ Ἀθηναίῳ. ἅπας δ᾽ ἐστὶ κατεσκευασμένος, τοῦτο μὲν ταῖς πόλεσιν, ἃς ἔφαμεν, τοῦτο δὲ ταῖς οἰκοδομίαις καὶ φυτείαις, αἳ μεταξὺ συνεχεῖς οὖσαι, μιᾶς πόλεως ὄψιν παρέχονται. Hoc eſt: *Hactenus finitur ſinus, qui Crater adpellatur; duobus promontoriis incluſus, Miſeno atque Minervæ. Totus autem adornatus eſt, tùm iis, quas diximus urbibus, tùm villis atque plantis; ita continenter inter eas junctis, uti unius urbis faciem præbeant.* Tacitus Annal. IIII: *Proſpectabat pulcherrimum ſinum, antequàm Veſuvius mons ardeſcens faciem loci verteret.*

Sed ipſe etiam ſinus, in quem Campaniæ hoc litus inter duo promontoria, Miſenum & Minervæ, curvatur, dicendus erat. Κρατὴρ, CRATER adpellatur Straboni; ut modò intelleximus. Idem auctor eodem lib. v antè: Ἔστι δ᾽ ἀπὸ τῆς Σινουέσσης ἐπὶ μὲν τῆς ἑξῆς παραλίαν κόλπος εὐμεγέθης μέχρι Μισηνοῦ· κἀκεῖθεν ἄλλος κόλπος πολὺ μείζων τοῦ προτέρου, καλοῦσι δ᾽ αὐτὸν Κρατῆρα, ἀπὸ τοῦ Μισηνοῦ μέχρι τοῦ Ἀθηναίου δυοῖν ἀκρωτηρίοιν κολπούμενον. Id eſt: *A Sinueſſâ verſus reliquam oram ſinus eſt ad Miſenum usque juſtæ magnitudinis. atque inde alius, priore illo multo maior, quem Craterem vocant, inter duo promontoria Miſenum Minervæque protenſus.* At idem ſinus ab initio à potentiâ tunc florente per omnem Campaniam urbe Cumis dictus eſt CVMANVS SINVS. Strabo lib. I: Τὰς γοῦν Σειρῆνας οἱ μὲν ἐπὶ τῆς Πελωριάδος καθιδρύουσιν, οἱ δὲ ἐπὶ τῶν Σειρηνουσσῶν· εἶναι δ᾽ αὐτὰς σκόπελον τρικόρυφον, διείργοντα τὸν Κυμαῖον καὶ Ποσειδωνιάτην κόλπον. Id eſt: *Sirenas ab aliis collocari ad Pelorum promontorium, ab aliis verò apud Sirenuſas. eſſe*

SINVS CAMPANVS; *qui olim* CVMANVS, *& posteà* PVTEOLANVS, *& item* CRATER *dictus eſt.*

autem eas ſcopulum tricipitem, qui Cumanum ſinum à Poſidoniate diſtingvat. Et paullo pòſt: Ἀλλ᾽ ὅτι ἐν τούτῳ τῷ κόλπῳ, τῷ ὑπὸ Ἐρατοσθένους λεχθέντι Κυμαίῳ, ὃν ποιοῦσι αἱ Σειρηνοῦσαι, καὶ ἡ Νεάπολις ἵδρυται, βεβαιοτέρως πιστεύομεν τὸ περὶ τούτους τοὺς τόπους γεγονέναι τὰς Σειρῆνας. Id eſt: *At quia eo in ſinu, quem Eratoſthenes Cumanum adpellat, etiam ſita eſt Neapolis; ideò firmiùs credimus, circùm ea loca fuiſſe Sirenas.* Ariſtoteles in Admirandis: Φασὶ, τὰς Σειρηνούσας νήσους κεῖσθαι μὲν ἐν τῇ Ἰταλίᾳ περὶ τὸν πορθμὸν ἐπ᾽ αὐτῆς τῆς ἄκρας, ὃς κεῖται πρὸ τοῦ πεπλωκότος τόπου καὶ διακυμαινομένου τοῖς κόλποις, τόν τε περιέχοντα τὴν Κύμην καὶ τὸν διειληφότα τὴν καλουμένην Ποσειδωνίαν. Hoc eſt: *Aiunt, Sirenuſas inſulas ſitas eſſe in Italiâ, in ipſo promontorio, circa fretum, quod ſitum eſt ante porrectum in mare locum, quodque fluctibus concitatur Cumani ſimul & Poſidoniatis ſinus.* Mirificè inſulas cum ipsâ continenti confudit. tum in ſequentibus verbis, quæ ſuprà ad Minervæ promontorium citata ſunt, ipſas Sirenas cum inſulis: quum illarum templum referat, quod erat in Minervæ promontorio. At poſtquàm Cumanæ urbis claritas exſtincta, *Puteolique* emporium ſub Romano imperio in maximam totius Campani litoris celebritatem evectum eſt; ab hoc jam PVTEOLANVS dici cœpit SINVS; ſi Melæ Statioque credimus. Mela lib. II cap. IIII: *Pæſtanus ſinus, Pæſtum opidum, Silarus amnis, Petræ quas Sirenes habitavêre, Minervæ promontorium, ſinus Puteolus, Surrentum, Herculaneum.* Statius Silvar. lib. II carm. II; quo Pollii celebrat villam Surrentinam:

Eſt inter notos Sirenum nomine muros
Saxaqe Tyrrhenæ templis onerata Minervæ
Celſa Dicarchæi ſpeculatrix villa profundi.

Verùm alios *Puteolanum ſinum* tantùm circa Puteolos intellexiſſe, ſuperiori capite ad expoſitionem huius opidi oſtenſum eſt. At Plinio lib. II cap. LXXXVIII CAMPANVS adpellatur SINVS. *Sic & Pithecuſas,* inquit, *in Campano ſinu ferunt ortas.*

CAP. IIII.

De INSVLIS Campano *litori objacentibus.*

AENARIA inſula; *quæ &* INARIME *&* PITHECVSAE.

PROCHYTA inſula.

Litore Campaniæ hactenus explicato, inſulæ quoque ei objacentes dicantur. Miſeno igitur promontorio objecta eſt AENARIA INSVLA; Homero, ut ait Plinivs, INARIME dicta, & Græcis aliis PITHECVSA, ſeu plurali numero PITHECVSAE. Sed inter hanc & ipſum promontorium eſt multo minor PROCHYTA; quæ pars quondam fuiſſe putatur *Pithecuſarum:* ſic dicta Græco vocabulo, quia ab illâ profuſa ſive avulſa fuit. Plinius lib. III cap. VI: *In Puteolano ſinu Pandataria, Prochyta; non ab Aeneæ nutrice, ſed quia profuſa ab Aenariâ erat. Aenaria ipſa à ſtatione navium Aeneæ; Homero Inarime dicta; Græcis Pithecuſa; non à ſimiarum multitudine, ut aliqui exiſtimavêre; ſed à figlinis doliariorum.* Strabo lib. V: Τοῦ μὲν οὖν Μισηνοῦ πρόκειται νῆσος ἡ Προχύτη, Πιθηκουσῶν δ᾽ ἐστὶν ἀπόσπασμα. Id eſt: *Ante Miſenum Prochyta jacet inſula, pars à Pithecuſis avulſa.* At lib. I ita tradit: Οἱ δὲ καὶ τὴν Λέσβον τῆς Ἴδης ἀπερρῶχθαι πεπιστεύκασι· καθάπερ τὴν Προχύτην καὶ τὰς Πιθηκούσσας τοῦ Μισηνοῦ, τὰς δὲ Καπρέας τοῦ Ἀθηναίου. Id eſt: *Alii Leſbum ab Idâ abruptam credunt: ut Prochytam & Pithecuſam ab Miſeno, Capreas ab Minervæ promontorio.* Et lib. VI: Καὶ γὰρ ἡ Προχύτη καὶ αἱ Πιθηκοῦσαι ἀποσπάσματα ἠπείρου καὶ αἱ Καπρέαι. Id eſt: *Nam & Prochyta & Pithecuſæ & Capreæ partes continentis ſunt avulſæ.* Multo aliter Plinius lib. II cap. LXXXVIII: *Ante nos & juxta Italiam inter Aeolias inſulas, item juxta Cretam, emerſit è mari* CIↃIↃ *paſſuum, unà cum calidis fontibus; altera Olympiadis* CXLIII *anno tertio; in Tuſco ſinu flagrans hæc violento cum flatu. Sic & Pithecuſas in Campano ſinu ferunt ortas.* Nomen antiquum etiamnum, quamvìs vitiatum, ſervat *Prochyta*; vulgò incolis *Procita* & *Procida* dicta. At *Pithecuſa* vulgare hodiè vocabulum habet *Iſchia*. Cæterùm Plinius equidem disertè unam eamdemque inſulam facit *Aenariam, Inarimen,* & *Pithecuſam.* Verùm quamquàm *Aenaria* poſſit eſſe eadem *Inarime*; tamen hanc aliam faciunt à *Pithecuſis* Ovidius, Livius, ac Mela. Ovidius Μεταμορφώσεων lib. XIIII:

— *Orba-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

——— *Orbataque præſide pinus*
Inarimen Prochytenque legit, ſterilique locatas
Colle Pithecuſas, habitantum nomine dictas.

Livius lib. VIII: *Cumani ab Chalcide Euboicâ originem trahunt. Claſſe, qua advecti ab domo fuerant, multum in orâ maris eius, quod adcolunt, potuêre. Primò in inſulas Aenariam & Pithecuſas egreſſi. dein in continentem auſi ſedem transferre.* Mela lib. II cap. VII: *Pithecuſa, Leucothea, Aenaria.* Apud Appianum tamen Civil. bellor. lib. V ita legitur: Ἀφικόμενος δὲ ὁ Λίβων, ἐς νῆσον ὡρμίσθη τὰς Πιθηκούσας, ἣ νῦν ἐστιν Αἰναρία. Hoc eſt: *Iter igitur ingreſſus Libo, ad inſulam Pithecuſas adpulit; quæ nunc eſt Aenaria.* Sic quam inſulam *Pithecuſas* Strabo ait Auguſtum Cæſarem Neapolitanis dediſſe pro *Caprearum* poſſeſsione, Svetonius vocat *Aenariam*. Strabo lib. V: Νεαπολῖται δὲ καὶ τὰς Καπρέας κατέσχον. πολέμῳ δὲ ἀποβαλόντες τὰς Πιθηκούσας, ἀπέλαβον πάλιν, δόντος αὐτοῖς Καίσαρος τοῦ Σεβαστοῦ, τὰς δὲ Καπρέας ἴδιον ποιησαμένου κτίσμα, [lege κτῆμα,] καὶ κατοικοδομήσαντος. Hoc eſt: *Capreas quoque Neapolitani tenuêre. quum verò per bellum amiſiſſent Pithecuſas; has iis Auguſtus Cæſar reddidit; Capreas propriam ſibi faciens poſſeſſionem; villiſque inſtruens.* Svetonius in Auguſto, cap. XCII: *Apud inſulam Capreas veterrimæ ilicis demiſſos jam ad terram langventeiſque ramos convaluiſſe adventu ſuo, adeò lætatus eſt, ut eas cum republicâ Neapolitanorum permutaverit, Aenariâ datâ.* Præter ſuprà ſcriptum Ovidium, reliqui poëtæ duas tantùm heic inſulas Inarimen & Prochytam memorant. Virgilius Aeneid. lib. VIIII:

Tum ſonitu Prochyta alta tremit, durumque cubile
Inarime, Iovis imperiis impoſta Typhœo.

Silius lib. VIII:

Non Prochyte, non ardentem ſortita Typhœa
Inarime.

Lib. XII: *Adparet Prochyte ſævum ſortita Mimanta:*
Adparet procul Inarime; quæ turbine nigro
Fumantem premit Iapetum, flammaſque rebelli
Ore ejectantem.

Lucanus lib. V:

——— *Campana fremens ceu ſaxa vaporat*
Conditus Inarimes æternâ mole Typhoëus.

Statius Silvar. lib. II carm. II:

Hæc videt Inarimen; illi Prochyta aſpera paret.

Claudianus de Raptu Proſerpinæ lib. III;

An cœlum Titanes habent? quæ talia vivo
Auſa tonante manus? rupitne Typhoëa?

Sed videamus tandem deſcriptionem Inarimes ſive Pithecuſarum apud Strabonem dicto lib. V. Πιθηκούσας δὲ, inquit, Ἐρετριεῖς ᾤκησαν καὶ Χαλκιδεῖς. εὐτυχήσαντες δὲ διὰ εὐκαρπίαν καὶ διὰ τὰ χρυσεῖα, ἐξέλιπον τὴν νῆσον [fortè deeſt Χαλκιδεῖς, quos Cumas hinc condidiſſe teſtatur ſuprà ſcripto lib. VIII Livius] κατὰ στάσιν. ὕστερον δὲ καὶ [fortè adſcribendum Ἐρετριεῖς] ὑπὸ σεισμῶν ἐξελαθέντες, καὶ ἀναφυσημάτων πυρὸς καὶ θαλάσσης καὶ θερμῶν ὑδάτων· ἔχει γὰρ τοιαύτας ἀποφορὰς ἡ νῆσος. ὑφ' ὧν καὶ οἱ πεμφθέντες παρὰ Ἱέρωνος, τοῦ τυράννου τῶν Συρακουσίων, ἐξέλιπον τὸ κατασκευασθὲν ὑφ' ἑαυτῶν τεῖχος καὶ τὴν νῆσον· ἐπελθόντες δὲ Νεαπολῖται κατέσχον. ἐντεῦθεν καὶ ὁ μῦθος, ὅτι φασὶ τὸν Τυφῶνα ὑποκεῖσθαι τῇ νήσῳ ταύτῃ, στρεφόμενον δὲ τὰς φλόγας ἀναφυσᾶσθαι καὶ τὰ ὕδατα, ἔστι δ' ὅτε καὶ νησίδας ἐχούσας ζέον ὕδωρ. Τίμαιος δὲ περὶ τῶν Πιθηκουσῶν φησιν, ὑπὸ τῶν παλαιῶν πολλὰ παραδοξολογεῖσθαι· μικρὸν δὲ πρὸ ἑαυτοῦ τὸν Ἐπωπέα λόφον, ἐν μέσῃ τῇ νήσῳ, τιναχθέντα ὑπὸ σεισμῶν ἀναβαλεῖν πῦρ, καὶ τὸ μεταξὺ αὐτοῦ καὶ τῆς θαλάσσης ἐξῶσαι πάλιν τυφωνοειδῶς εἰς τὴν νῆσον, καὶ ἐπὶ τρεῖς τῆς θαλάσσης ἀναχωρῆσαι σταδίους· ἀναχωρήσασαν δ' οὐ πολὺ, ὑποστρέψαι, καὶ τῇ παλιρροίᾳ κατακλύσαι τὴν νῆσον· καὶ γενέσθαι σβέσιν τοῦ ἐν αὐτῇ πυρός· ἀπὸ δὲ τοῦ ἤχου τοὺς ἐν τῇ ἠπείρῳ φυγεῖν ἐκ τῆς παραλίας εἰς τὴν ἄνω Καμπανίαν. Δοκεῖ δὲ τὰ θερμὰ ὕδατα ἐνταῦθα θεραπεύειν τοὺς λιθιῶντας. Id eſt: *Pithecuſas Eretrienſes incoluerunt atque Chalcidenſes. Quum autem ob agri fertilitatem atque auri metalla rebus uterentur proſperis; ſeditione obortâ, inſulam [Chalcidenſes] deſeruerunt. mox etiam [Eretrienſes] terræ motibus exturbati, igniſque & maris & calidarum aquarum eruptione. patitur enim inſula huiuſmodi eructationes. propter quas etiam miſſi eò ab Hierone, Syracuſanorum tyranno, & ipſi mœnia ab ſe exſtructa unà cum inſulâ deſeruerunt.*

runt. quam inde Neapolitani occuparunt. Atque hinc fabula eſt, Typhonem ſub hac jacere inſulâ: obverſuque corporis flammas exſpirare & aquas; quandoque etiam inſulas minutas, ferventem habenteis aquam. Timæus de Pithecuſis tradit, multa de iis fidem excedentia perhibuiſſe veteres. at paullo ante ſuam ætatem mediâ in inſulâ Epopeum collem, motu terræ concuſſum, igneis evomuiſſe: & quod terræ inter eum & mare erat, rurſum ad mare perpuliſſe: terramque in cineres verſam, rurſum violento turbine ad inſulam acceſſiſſe, tribusque inde in altum mare receſſiſſe ſtadiis: paullo pòſt rurſum ad terram dediſſe impetum; marisque refluxu inſulam inundaſſe: ignemque hoc pacto in eâ exſtinctum. fragore autem perculſos mortaleis, qui continentem incolebant, ab orâ maritimâ in interiora Campaniæ profugiſſe. Ceterùm hæ aquæ calidæ creduntur calculo laborantibus remedium adferre. Hæc ſanè cuncta & *Inarimæ* dictorum poëtarum inſulæ & hodiernæ *Iſclæ* quàm maximè conveniunt. in huius quidpe medio MONS ille conſpicitur EPOPEVS. hæc item *fertilitatem agrorum & auri metalla* habet; quæ ab Genuenſibus primùm detecta anno à nato Ieſu CIↃCCCCLXV vulgò creduntur. tum aquis calidis ſcatet quàm plurimis: quarum quæ *Bagni Furnelli* dicuntur, & item *Gurgitelli*, calculo laborantibus ſaluberrimæ ſunt. & quum ſulfure omnia loca ſubterranea ſint plena; anno Chriſti CIↃCCCI erumpens latéque graſſans ignis magnam inſulæ partem depopulatus eſt, duravitque id incendium ad duos menſeis; multis exanimatis hominibus pecoribusque: ita, uti reliqui incolæ coacti fuerint in proximas inſulas continentisque urbeis confugere. Iulius Obſequens in libro de Prodigiis: *L. Marcio, Sex. Iulio conſulibus Aenariæ terræ hiatu flamma exorta in cœlum emicuit.* Conſules hi fuêre anno urbis Romæ IↃCLXII. Plinius lib. II cap. LXXXVIII: *Sic & Pithecuſas in Campano ſinu ferunt ortas. mox in his montem Epopon, quum repente flamma ex eo emicuiſſet, campeſtri æquatum planitie. In eâdem & opidum hauſtum profundo: alioque motu ſtagnum emerſiſſe: & alio, provolutis montibus, inſulam exſtitiſſe Prochytam.* At aliter de *Epopeo* monte ſenſit cum Timæo Strabo: nempe, non ipſum, ſed quod terræ inter eum & mare erat, in mare ejectum fuiſſe. tum hodiè eumdem montem ἐν μέσῃ τῇ νήσῳ exſtare videmus. Opidum an poſteà iterum exſtructum fuerit, neſcio. Scylax tamen Hierone Syracuſano & Timæo poſterior auctor, ita habet: Ὀλσκῶν δὲ ἔχονται Καμπανοί καὶ εἰσὶ πόλεις Ἑλληνίδες αὗται ἐν τῇ Καμπανίᾳ, Κύμη, Νεάπολις. κατὰ ταύτας ἐστὶ νῆσος καὶ πόλις Ἑλληνίς. Id eſt: *Poſt Volſcos ſequuntur Campani. ſuntque urbes in Campaniâ Græcæ Cuma & Neapolis. juxta has eſt inſula Pithecuſa cum opido Græco.* Sed ex hactenus allatis manifeſtò jam liquet, *Iſclam* inſulam eſſe veterum Pithecuſam, alio nomine Romanis Aenariam dictam; eamdemque poëtis Inarimen. Videamus nunc, ecquo pacto Ovidium Liviumque & Melam cum rei veritate conciliare poſſimus. Verba Ovidii hæc erant Μεταμορφώσεων lib. XIIII:

——— Orbataque præſide pinus
Inarimen Prochytenque legit, ſterilique locatas
Colle Pithecuſas.

Primùm miror, treis eum heic memorare inſulas, ubi duæ tantùm ſunt; conſentientibus in id tot ſuprà ſcriptis auctoribus. Deinde, quòd Pithecuſas *ſterilem* adpellat *collem*, id manifeſtò falſum eſt; quum & hodiè de variâ huius inſulæ fertilitate conſtet, & olim teſtatus ſit Strabo. Ergo hoc epitheton magis in Prochyten convenit: de qua ita Statius Silvar. lib. II carm. II:

Hæc videt Inarimen; illi Prochyta aſpera paret.

Et Iuvenalis Satyrâ III:

——— Ego Prochytam propono Saburræ.
Nam quid tam miſerum, tam ſolum vidimus, ut non
Deteriùs credas horrere incendia, lapſus
Tectorum adſiduos, ac mille pericula ſævæ
Vrbis.

Scholiaſtes vetus in Pindari Pythior. oden I: φαίνεται δ' οὐχ ἡ Κύμη πῦρ ἀναδιδοῦσα, ἀλλ' ἡ καλουμένη Προχύτη, [vulgò mendosè Προσύλη.] ἣν καὶ Πιθηκούσας ὀνομάζουσι. συμβαίνουσι γὰρ αὐτόθι κυμάτων ἐξαισίων κινήσεις, καὶ ἀνέμων σφοδροτάτων ἐπιπνοίαι, καὶ πυρὸς καταφλέξεις. καὶ μυθολογεῖται ὑποκεῖσθαι τὸν Τυφῶνα. Id eſt: *At verò non Cumæ ignem emittunt, ſed quæ vocatur Prochyta, & alio nomine Pithecuſæ. accidunt heic enim immanes fluctuum commotiones, ventorumque violentiſſimorum flatus, & ignis inflammationes. ac fabulantur,*

EPOPEVS mons.

tur, ſubjectum huic loco eſſe Typhonem. Vt heic ſcholiaſtes, ita jam olim nomina iſta duarum inſularum, *Pithecuſarum* & *Prochytæ*, nonnullos inter ſe confudiſſe, ex Ovidio Livioque colligo. adpellaſſe autem eos *Prochyten Pithecuſas*; quum *Pithecuſas* vocarent *Aenariam*; ut, præter ſuprà citatos auctores, habet Cicero ad Atticum lib. x epiſt. xv; & Plinius lib. II cap. CIII, lib. XVI cap. XXXIII, lib. XXXI cap. II, & lib. XXXII cap. XI. Apud Plutarchum in Mario corruptum id eſt vocabulum in Ἠ'ναρία, *Enaria*. Cæterùm de Plinio miror, quòd is ſuprà dicto lib. III cap. VI tam audacter adfirmaverit, *Homero Inarimen dictam*; quum ipſius poëtæ verba Iliad. lib. II hæc ſint:

Γαῖα δ' ὑπεστονάχιζε, Διῒ ὡς τερπικεραύνῳ
Χωομένῳ, ὅτε ἀμφὶ Τυφωέϊ γαῖαν ἱμάσσῃ
Εἰν Ἀρίμοις, ὅθι φασὶ Τυφωέος ἔμμεναι εὐνάς.

Hoc eſt:

Terra autem reſonabat, ſicut Iovi fulmine gaudenti
Irato, quando circa Typhoëum terram verberat
In Arimis; ubi Typhoëi aiunt eſſe cubile.

Ad iſtos verſus ita diſſerit Strabo lib. XIII: Ἄλλοι δ' ἐν Κιλικίᾳ, τινὲς δ' ἐν Συρίᾳ πλάττουσι τὸν μῦθον· οἱ δ' ἐν Πιθηκούσαις· οἳ καὶ τοὺς πιθήκους φασὶ παρὰ τοῖς Τυρρηνοῖς ἀρίμους καλεῖσθαι. Id eſt: *Fabulam hanc alii in Ciliciam, in Syriam alii rejiciunt; alii in Pithecuſas: qui etiam adfirmant*, πιθήκους, id eſt, *ſimias*, *Etruſcâ linguâ arimos dici*. Sanè quiscumque primus iſtas voces, Εἰν Ἀρίμοις, compoſuit quaſi in unum inſulæ vocabulum Inarime, (ſive Virgilius, ſive alius quis ante eum poëta) audacter licentiâ ſuâ poëticâ uſus eſt. cuius rei haud facilè par in omni antiquitate reperias.

Porrò in ipſo Puteolano ſinu, haud procul Puteolis, verſùs ortum Solis hiberni, inſula exigua à magnitudine ſua Græcis dicta eſt Νησὶς· quod nomen etiam apud Romanos perpetuò obtinuit NESIS: hodiéque vulgò dicitur *Niſita*. Cicero ad Atticum lib. XVI epiſt. I: *Nonis Quintilibus veni in Puteolanum. poſtridie iens ad Brutum in Neſidem, hæc ſcripſi*. Epiſt. II: *Bruto tuæ literæ gratæ erant. fui enim apud illum multas horas in Neſide*. Epiſt. III: *Brutus erat in Neſide etiamnum*. Epiſt. IIII: *Vel fortaſſe hodie in Neſida*. Plinius lib. XVIIII cap. VIII; de aſparago: *Quod in Neſide Campaniæ inſulâ ſponte naſcitur, longè optimum exiſtimatur*. Seneca Epiſt. LIII: *Sed putabam, tam pauca millia à Parthenope tuâ usque Puteolos ſurripi poſſe. itaque, quò celeriùs evaderem, protinus per altum ad Neſida direxi; præciſurus omneis ſinus*. Lucanus lib. VI; NESIS inſula.

—— Tali ſpiramine Neſis
Emittit Stygium nebuloſis aëra ſaxis:
Antraque lethiferi rabiem Typhonis anhelant.

Statius Silvar. lib. II carm. II:

——— Inde malignum
Aëra reſpirat pelago circumflua Neſis.

Et Silvar. lib. III carm. I:

Spectat & Icario nemoroſus palmite Gaurus;
Silvaque, quæ fixam pelago Neſida coronat.

Admodùm parva memoratur hinc Plinio, prope Neapolim olim ſitam, lib. III cap. VI. *Inter Pauſilypum & Neapolim Megaris*. Hinc epitomator eius Martianus Capella lib. VI: *Megaris in Neapolitano*. Nulla hoc ſitu alia eſt inſula, quàm quæ ad ipſam urbem arcem ſuſtinet vulgò *Caſtel dell' Ovo* dictam. Hæc haud dubiè eadem eſt, quæ Statio dicitur MEGALIA dicto Silvar. lib. II carm. II; quo Pollii deſcribitur *villa Surrentina*, his verſibus: MEGARIS inſula; quæ & MEGALIA.

Atque omni proprium thalamo mare, transque jacentem
Nerea, diverſis ſervit ſua terra feneſtris.
Hæc videt Inarimen; illi Prochyta aſpera paret:
Armiger hac magni patet Hectoris; inde malignum
Aëra reſpirat pelago circumflua Neſis:
Inde vagis omen felix Euplæa carinis:
Quæque ferit curvos exerta Megalia fluctus, EVPLOEA & LIMON inſulæ.
Angitur: & domino contra recubante, proculque
Surrentina tuus ſpectat prætoria Limon.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

EVPLOEA hæc INSVLA, & item LIMON, memorantur ei quoque dicto Silvar. lib. III carm. I; ubi *Herculem Surrentinum* deſcribit in eâdem Pollii villâ. Verba eius hæc ſunt:

Spectat & Icario nemoroſus palmite Gaurus,
Silvaque, quæ fixam pelago Neſida coronat:
Et placidus Limon numenque Euplœa carinis:
Et Lucrina Venus: Phrygioque à vertice Graias
Addiſcis Miſene tubas: ridetque benigna
Parthenope.

Ex utroque loco diſertè patet, utramque inſulam in Puteolano fuiſſe ſinu, circa *Neſida*. At inter hanc & proximum continentis promontorium tres jacent exiguæ inſulæ. ex quibus maxima & exterior, verſus orientem, vulgari nunc vocabulo *La Gaiola* dicta, haud dubiè antiquorum illa eſt *Euplœa*. nam naves Alexandrinæ, ex Aegypto Puteolos petentes, quum ad hanc pervenirent, aut hanc conſpicerent; felici ſe navigatione uſas, ſummè lætabantur. unde inſulæ nomen inditum. Ex reliquis duabus una fuit LIMON: fortè Neſidi proxima. Dominum eius Pollium pronunciat Statius.

CAPREAE *inſula.*

Porrò contra Minervæ promontorium à tribus millibus paſſuum eſt INSVLA itidem pluralis numeri vocabulo CAPREAE Latinis auctoribus dicta; & eodem modo Straboni Græcis literis Καπρέαι. Ptolemæo autem ſingulari numero eſt Καπρέα, *Caprea*: reliquis hinc Græcis Καπρίαι, *Capriæ*, & Καπρία, *Capria*. Hodiéque vulgò vocatur *Capri*. De hac ita Dio lib. LII: Καὶ τὴν Καπρίαν παρὰ τῶν Νεαπολιτῶν, ὧν τὸ ἀρχαῖον ἦν, ἀντιδόσει χώρας ἠλλάξατο. κεῖται δὲ οὐ πόρρω τῆς κατὰ Σύρρεντον ἠπείρου· χρηστὸν μὲν οὐδέν. ὄνομα δὲ καὶ νῦν ἔτι διὰ τὴν Τιβερίου ἐνοίκησιν ἔχουσα. Id eſt: *Capriam quoque à Neapolitanis, quorum antiquitus erat, permutatione agri redemit. Sita autem eſt haud procul à Surrentinâ continente: ad nullam quidem rem utilis; nobilis tamen hodiéque ob Tiberii inibi commorationem.* Contrà ſanè tradit Statius Silvar. lib. III carm. I:

——— *Dites Capreæ virideſque reſultant.*

Et Strabo lib. V: Αἱ δὲ Καπρέαι δύο πολίχνας εἶχον τὸ παλαιόν, ὕστερον δὲ μίαν. Id eſt: *Capreæ antiquitus duo habebant opidula: poſteà verò modò unum.* Hodiéque duo habet opidula; quorum maius idem cum inſulâ nomen habet *Capri*. Eſt autem inſula nemoribus & apricis locis domeſticarumque arborum fructibus undique cincta; aëris temperie & piſcatu maximè nobilis. Hinc tam frequentes in eam ſeceſſus imperatorum Augusti atque Tiberii. Svetonius in Auguſto, cap. XCII: *Apud inſulam Capreas veterrimæ ilicis demiſſos jam ad terram langventeisque ramos convaluiſſe adventu ſuo, adeò lætatus eſt, ut eas cum republicâ Neapolitanorum permutaverit, Aenariâ datâ.* Idem tradere Strabonem lib. V, ſuprà ad Aenariam inſulam intelleximus. ubi addit, villis Capreas tunc inſtruxiſſe Auguſtum. Porrò Svetonius in eodem Auguſto, cap. XCVIII: *Tunc Campaniæ orâ proximiſque inſulis circuitis, Caprearum quoque ſeceſſui quatriduum impendit; remiſſo ad otium & omnem comitatem animo.* Paullo pòſt: *Spectavit adſiduè & exercenteis ephebos; quorum aliqua adhuc copia ex vetere inſtituto Capreis erat.* In Tiberio, cap. XL: *Peragratâ Campaniâ, Capreas ſe contulit; præcipuè delectatus inſulâ, quòd uno parvoque litore adiretur, ſæpta undique præruptis immenſæ altitudinis rupibus & profundo maris.* Hinc Iuvenalis Satyrâ X; de Seiano loquens:

——— *Tutor haberi*
Principis, anguſtâ Caprearum in rupe ſedentis,
Cum grege Chaldæo.

Plinius lib. III cap. VI: *A Surrento* VIII *millibus paſſuum diſtantes, Tiberii principis arce nobiles, Capreæ, circuitu* XL *millia paſſuum.* Tacitus Annal. lib. IIII; de eodem Tiberio: *At Cæſar, dedicatis per Campaniam templis, peroſus municipia & colonias omniaque in continenti ſita, Capreas ſe in inſulam abdidit, trium millium freto ab extremis Surrentini promontorii dijunctam. Solitudinem eius placuiſſe maximè, crediderim: quoniam importuoſum circà mare, & vix modicis navigiis pauca ſubſidia. neque adpulerit quiſquam, niſi gnavo cuſtode. Cœli temperies hieme mitis, objectu montis, quo ſæva ventorum arceantur. æſtas in Favonium obverſa, & aperto circùm pelago peramœna. ſpectabatque pulcherrimum ſinum, antequàm Veſuvius mons ardeſcens faciem loci verteret. Græcos ea tenuiſſe, Capreaſque Thelebois habitatas, fama tradit. Sed tum Tiberius* XII *villarum*

rum nominibus & molibus inſederat: quanto intentus olim ad publicas curas, tanto occultior in luxus & malum otium reſolutus. Adparet ſatis clarè ex hac oratione, opidum tunc in inſulâ fuiſſe nullum: *villas* autem iſtas XII ſplendidi atque immenſi fuiſſe operis; quòd *moleis* eas adpellat Tacitus. Doctiſſimi Lipſii opinioni accedo; qui eis villis nomina fuiſſe cenſet XII deorum: quia ex iis una IOVIS VILLA memoratur Suetonio. Verba huius in Tiberio cap. LX hæc ſunt: *In paucis diebus, quàm Capreas attigit, piſcatori, qui ſibi ſecretum agenti grandem mullum inopinanter obtulerat, perfricari eodem piſce faciem juſſit; territus, quòd is à tergo inſulæ per aſpera & devia erepſiſſet ad ſe.* Et cap. LXV: *Verùm & oppreſsâ conjuratione Seiani, nihilo ſecurior aut conſtantior, per* VIIII *proximos menſeis non egreſſus eſt villâ, quæ vocatur Iovis.* Hæc igitur omnium reliquarum princeps & maxima. unde Plinio ſuprà ſcripto lib. III cap. VI ARX vocatur *Tiberii*. De cætero, PHAROS etiam fuit inſula erecta, ut in Puteolano portu, ad dirigendos Alexandrinarum navium nocturnos curſus. Svetonius in Tiberio, cap. LXXIIII: *Et ante paucos, quàm obiret, dies, turris Phari terræ motu Capreis concidit.* Inſtauratam rurſus fuiſſe, adparet ex his Statii verſibus Silvar. lib. III carm. V:

IOVIS VILLA; quæ & ARX Tiberii.

Teleboûmque domos; trepidis ubi dulcia nautis
Lumina noctivagæ tollit Pharus æmula Lunæ.

TELEBOAS quondam Capreas habitaſſe inſulam, præter Statium atque Tacitum, Virgilius quoque teſtatur Aeneid. lib. VII:

Nec tu carminibus noſtris indictus abibis
Oebale, quem generaſſe Telon Sebetide nymphâ
Fertur, Teleboûm Capreas quum regna teneret
Iam ſenior.

Hinc *Telonis inſula* dicitur Silio lib. VIII:

Non Prochyte, non ardentem ſortita Typhœa
Inarime, non antiqui ſaxoſa Telonis
Inſula.

At unde *Græci* hi incolæ in inſulam hanc advenerunt? Apollodorus de Diis lib. II: Τάφιος ᾤκισε Τάφον, καὶ τοὺς λαοὺς Τηλεβόας ἐκάλεσεν, ὅτι τηλοῦ τῆς πατρίδος ἔβη. Id eſt: *Taphius condidit Taphum; & populos Teleboas adpellavit; quòd procul à patriâ profectus erat.* Scholiaſtes in Apollonii Ἀργοναυτικῶν lib. I: Ἡ Τάφος νῆσός ἐστι μία τῶν Ἐχινάδων, ἣν ᾤκησαν Τηλεβόαι, οἱ πρότερον τὴν Ἀκαρνανίαν οἰκοῦντες. Id eſt: *Taphus inſula ex una ex Echinadibus, quam inhabitarunt Teleboæ; qui primùm Acarnaniam incoluerunt.* Et mox poſteà: Τηλεβόαι οὖν οἱ Τάφιοι, ἤτοι, ὅτι τῆλε οἰκοῦντες, ἀπὸ Ἄργους τὰς βοῦς ἀπήλασαν, ἢ ἀπὸ Τηλεβόου, τοῦ Πτερέλα τοῦ βασιλέως υἱοῦ, οὗ ἀδελφὸς Τάφιος, ἀφ' οὗ καὶ ἡ νῆσος. Hoc eſt: *Teleboæ igitur iidem ſunt Taphii: ſic dicti, aut, quòd longiùs habitantes ab Argo boves abegerint; aut à Teleboo, Pterelæ regis filio; cuius frater erat Taphius; à quo inſula dicta.* Quando in *Capreas* commigraverint, nuſquàm adnotatum eſt.

Cæterùm Capreis juxtà atque Minervæ promontorio contermini ſunt SIRENVM SCOPVLI ſive SAXA; quæ Græcis Σειρηνοῦσαι νῆσοι, SIRENVSAE INSVLAE dictæ ſunt. Strabo lib. V: Κάμψαντι δὲ τὴν ἄκραν νησίδες εἰσὶν ἔρημοι πετρώδεις, ἃς καλοῦσι Σειρηνούσας. Hoc eſt: *Promontorium ubi circumflexeris, exiguæ occurrunt inſulæ deſertæ atque ſaxoſæ, quas Sirenuſas vocant.* Vulgata equidem exemplaria habent Σειρῆνας. at Σειρηνούσας eſſe legendum patet ex Strabonis lib. I; ubi vocabulum id aliquoties repetitur. & apud Ariſtotelem in Admirandis ſic eſt: Φασὶ, τὰς Σειρηνούσας νήσους κεῖσθαι ἐν τῇ Ἰταλίᾳ. Id eſt: *Aiunt, Sirenuſas inſulas apud Italiam ſitas eſſe.* Ptolemæus: Ἐν δὲ τῷ Τυῤῥηνικῷ πελάγει Σειρηνοῦσαι νῆσοι. Id eſt: *In Tuſco mari Sirenuſæ ſunt inſulæ.* Strabo dicto lib. I: Τὰς γοῦν Σειρῆνας οἱ μὲν ἐπὶ τῆς Πελωριάδος καθιδρύουσι, τοὺς δὲ ἐπὶ τῶν Σειρηνουσσῶν. * · *. Ἀγκὼν τις ἔγκειται μακρὸς καὶ στενὸς ἀπὸ τῶν κατὰ Σύῤῥεντον χωρίων ἐπὶ τὸν κατὰ Καπρέας πορθμὸν, ἐπὶ θάτερα μὲν τῆς ὀρεινῆς τὸ μὲν Σειρήνων ἱερὸν ἔχων, ἐπὶ θάτερα δὲ, πρὸς τῷ Ποσειδωνιάτῃ κόλπῳ, νησίδια τρία προκείμενα, ἔρημα, πετρώδη, ἃ καλοῦσι Σειρηνούσας. Hoc eſt: *Sirenas alios ad Pelorum promontorium collocare, alios in Sirenuſis.* Exiguo pòſt: *A locis Surrento vicinis cubito ſimilis quidam terræ flexus excurrit verſùs fretum, quod eſt juxta Capreas. ab altero huius jugi latere Sirenum eſt templum; ab altero, quod Poſidoniatem proſpectat ſinum, tres exiguæ ſunt inſulæ, deſertæ atque ſaxoſæ; quæ vocantur Sirenuſæ.* Plerique equidem poëtæ, Græci pariter ac Latini, ad Siciliam Sire-

num ſedem locarunt. at antiquiſſimus ſcriptorum Homerus, Odyſſéæ lib. XII ad Italiam, inter Circæum montem & Scyllam fretumque Siculum poſuit. Sed quænam hæ Sirenes fuerint, inter alios complureis auctores ita refert Hyginus Μυθολογικῶν cap. CXXV; quo Odyſſéa Homeri in epitomâ narratur: *Tum ad Sirenas, Melpomenes Muſæ & Acheloi filias, venit: quæ partem ſuperiorem mulicbrem habebant, inferiorem autem gallinaceam. horum fatum fuit, tam diu vivere, quàm diu earum cantum mortalis audiens nemo prætervectus eſſet. Vlyſſes, monitus à Circe, ſociis cerâ aureis obturavit; ſeque ad arborem malum conſtringi juſſit; & ſic prætervectus eſt.* Et cap. CXLI; de eiſdem Sirenibus: *His reſponſum erat, tam diu eas victuras, quàm diu cantanteis eas audiens nemo eſſet prætervectus. quibus fatalis fuit Vlyſſes. aſtutiâ enim ſuâ quum prætervigaſſet ſcopulos, in quibus morabantur, præcipitarunt ſe in mare. Nomina earum memorantur, Parthenope, Leucoſia, Ligéa.* Sedes earum, id eſt, Sirenuſæ inſulæ, cùm huic Hygino, tùm aliis Latinis auctoribus, *Sirenum* vocantur *ſcopuli*. Virgilius fine Aeneid. libri V:

Iamque adeò ſcopulos Sirenum advecta ſubibat;
Difficileis quondam, multorumque oſſibus albos.

Ovidius Μεταμορφώσεων lib. XIIII; eamdem Aeneæ narrans navigationem:

——— *Et Hippotadæ regnum, terraſque calenti*
Sulfure fumanteis, Acheloidumque relinquit
Sirenum ſcopulos: orbataque præſide pinus,
Inarimen Prochytenque legit.

Mela lib. II cap. IIII: *Pæſtanus ſinus, Pæſtum opidum, Silarus amnis, Picentia, Petræ quas Sirenes habitavêre, Minervæ promontorium.* An ſingulæ ſingulas habitavêre petras, ſingulæque ſuos in inſulâ ſuâ cecinerunt prætervigantibus cantus? Hoc, mirum, fabulatores non addidiſſe. At quas triſteis illæ ſibi elegerunt ſedeis in ſcopulis ſaxoxis atque deſertis? Non placuit hoc antiquo in primis poëtæ Apollonio: qui Ἀργοναυτικῶν lib. IIII ita canit:

——— Αἶψα δ' νῆσον
Καλὴν ἀνθεμόεσσαν ἐσέδρακον, ἔνθα λίγειαι
Σειρῆνες σίνοντ' Ἀχελωΐδες, ἡδείῃσι
Θέλγουσαι μολπῇσιν, εἴ τις παρὰ πεῖσμα βάλοιτο.

Hoc eſt: ——— *Statim autem ad inſulam*
Amœnam floridamque pervenerunt; ubi canoræ
Sirenes nocent Acheloides, ſvavibus
Demulcentes cantibus, ſi quis huc adpellat.

Atque hoc ab ipſo habuiſſe Homero mihi videtur Apollonius. apud Homerum quidpe Odyſſéæ lib. XII Vlyſſes de Circes præceptis ita narrat ſociis:

Σειρήνων μὲν πρῶτον ἀνώγει θεσπεσιάων
Φθόγγον ἀλεύασθαι, καὶ λειμῶν' ἀνθεμόεντα.
Sirenum quidem primùm jubet divinarum
Vocem evitare & pratum floridum.

At ubi hæc inſula amœna cum florido prato? Servius ad finem Aeneid. libri I: *Sirenes, ſecundùm fabulam, tres, in parte virgines fuerunt, parte volucres, Acheloi fluminis & Calliopes muſæ filiæ. harum una voce, altera tibiis, alia lyrâ canebat. & primò juxta Pelorum, pòſt in Capreis inſulis habitaverunt.* Certè Lycophron & Dionyſius Περιηγητὴς non complureis earum, ſed unam tantùm agnoſcunt petram. Dionyſius, ubi Parthenopen urbem memoravit:

Πρὸς δ' νότον, μάλα πολλὸν ὑπὲρ Σειρηνίδα πέτρην,
Φαίνονται προχοαὶ Πικεντίνου Σιλάροιο.
Porrò ad auſtrum, longè ultra Sireniden petram,
Adparent fluenta Picentini Silari.

Lycophron, de Vlyſſe loquens:

Κτενεῖ δ' κούρας Τηθύος παῖδας τριπλᾶς,
Οἴμας μελῳδοῦ μητρὸς ἐκμεμαγμένας,
Αὐτοχθόνοις ῥιφαῖσιν ἐξ ἄκρας σκοπῆς
Τυρσηνικὸν πρὸς κῦμα δυπτούσας πτεροῖς·
Ὅπου λινεργὴς κλῶσις ἑλκύσει πικρά.

Hoc eſt:

Treis autem occîdet Tethyis nepteis virgines,
Canoræ matris cantus exprimenteis,
Spontaneis jactibus ex altâ ſpeculâ
In undam Tyrrhenam pennis urinanteis;
Quò lanificum trahet acerbum ſtamen.

Sed hi fortaſſe intellexêre Surrentinum promontorium; in quo fuit Sirenum templum; ut ſuperiore capite intellectum. & Plinius disertè lib. III cap. V: *Surrentum, cum promontorio Minervæ, Sirenum quondam ſede.* Sic ſcilicet omnes Græcorum fabulæ variæ ſunt atque incertæ. Cæterùm nos hactenus omneis Campano litori objacenteis inſulas expoſuimus.

Cap. V.

De mediterraneis Campaniae *locis.*

Litore Campaniae inſulisque ei objacentibus ſummâ curâ hactenus expoſitis, ordo inſtitutus poſtulat, uti nunc etiam mediterranea eius dicantur.

Primus igitur poſt Auruncos ſeu novum Latium occurrit Massicvs mons; vulgò hodiè vocatur à caſtello, extremo eius apud mare impoſito, *Monte di Dragone*. Eſt autem id montis jugum, quod Savonis amnis dextram proſequitur ripam. Memoratur Ciceroni, Livio, Plinio, Silio, Statio, Floro. Cicero contra Rullum de Lege agrariâ oratione primâ: *Etenim quantulum intereſt, utrum in Maſſici radices, an in Italiam aliò deducamini?* Silius lib. IIII:

Fit ſocius lethi conjectâ Maſſicus haſtâ,
Vitiferi ſacro generatus vertice montis,
Et Liris nutritus aquis.

Livius lib. XXII: *Vsque ad aquas Sinueſſanas populatio ea pervênit. ingentem cladem, fugam, terroremque longiùs Numidæ fecerunt.* Mox: *Vt verò ad Vulturnum flumen caſtra ſunt poſita; exurebaturque amœniſſimus Italiæ ager, villæque paſſim incendiis fumabant; per juga Maſſici montis Fabio ducente; propè de integro eſt orta ſeditio; ac duces ſeditionis accenſi quidam. fuerat enim ſilentium per paucos dies: quia, quum celeriùs ſolito ductum agmen fuiſſet; feſtinari ad prohibendam populationibus Campaniam, crediderant. ut verò in extrema juga Maſſici montis ventum eſt; hoſteſque ſub oculis erant; Falerni agri colonorumque Sinueſſæ tecta urentes; nec ulla erat mentio pugnæ: Spectatumne huc, inquit Minucius, ad rem fruendam oculis, ſociorum cædeis & incendia, vénimus?* Martialis lib. III epigram. CXI:

De Sinueſſanis venerunt Maſsica prœlis.

Sinueſſæ rudera hodiéque conſpici ſub marinis undis ad caſtellum Montis Draconis, ſuprà cap. X docui. Cæterùm nobili *vino*, quod heic gignebatur, maximè celebratur *Maſſicus* mons. Silium eâ de re modò audivimus. Virgilius Γεωργικῶν lib. II:

——— *Bacchi Maſſicus humor.*

Horatius Carm. lib. I odâ I:

Eſt, qui nec veteris pocula Maſſici,
Nec partem ſolido demere de die
Spernit.

Martialis lib. I epigram. XXVII:

Teſta ſed antiqui felix ſiccatur Opimî:
Egerit & nigros Maſſica cella cados.

Lib. III epigram. XXVI:

Maſſica ſolus habes, & Opimî Cæcuba ſolus.

Statius Silvar. lib. IIII carm. III:

Atque echo ſimul hinc & inde fractam
Gauro Maſſicus uvifer remittit.

Silius lib. VII:

Vitiferis latè florebat Maſſicus arvis;
Miratus nemora & fulgenteis Sole racemos.
It montis decus. atque ex illo tempore dives
Tmolus, & ambroſiis Arviſia pocula ſuccis,
Ac Methymna ferax, Latiis ceſſère Falernis.

Falernum vinum heic cum Maſſico pro uno eodemque accepiſſe videtur. ſcilicet, quia Falernus ager Maſſico monti erat conterminus; ut mox infrà patebit. Hinc poſteriori tempore Maſſicus etiam FALERNVS MONS adpellatus eſt. Florus lib. I cap. XVI: *Heic amicti vitibus montes, Gaurus, Falernus, Maſſicus.* Certè nullus alius ad Falernum agrum eſt mons, niſi qui Maſſicus dicebatur. Philargyrus in præſcriptum Virgilii locum: *Vinum à montibus Falernis, qui Maſſici dicuntur.* Martialis lib. XII epigram. LVII:

Nec in Falerno monte maior autumnus.

FALERNVS *ager.*

A Maſsico igitur monte incipiebat FALERNVS AGER: protendebaturque ad Vulturnum usque flumen. Livius lib. X: *Tum de præſidio regionis depopulatæ ab Samnitibus agitari cœptum. Itaque placuit, ut duæ coloniæ circa Veſcinum & Falernum agrum deducerentur: una, ad oſtium Liris fluvii; quæ Minturnæ adpellata: altera in ſaltu Veſcino, Falernum contingente agrum; ubi Sinope dicitur Græca urbs fuiſſe; Sinueſſa deinde ab colonis Romanis adpellata.* Ad extremum Maſſici montis versùs mare excurſum fuiſſe Sinueſſam, paulo antè intelleximus. ibidemque ex Livio cognovimus, Maſsico monte, quo latere Campaniam ſpectat, ſubjectum fuiſſe Falernum agrum. Idem auctor eodem lib. XXII poſteà: *Hac per exploratores relatâ famâ Fabio; quum ſatis ſciret, per eaſdem anguſtias, quibus intraverat Hannibal Falernum agrum, rediturum; Calliculam montem & Caſilinum occupat modicis præſidiis. quæ urbs Vulturno flumine dirempta, Falernum à Campano agro dividit.* Certè non tam urbs, quàm ipſum flumen, ad hoc muneris commoda erat. Sed interim tamen urbs in medio Falerni Campanique agri poſita erat. quod voluit indicare Livius. Cæterùm Plinius non à Maſsico monte, ſed ab vicino amne Savone, qui hodiéque nomen retinet, initium *Falerni agri* ſtatuit. ſic enim ait lib. XIIII cap. VI; ubi de vinis generoſis diſſerit: *Secunda nobilitas Falerno agro erat: & ex eo maximè Fauſtiani. Falernus ager à ponte Campano, lævâ petentibus Vrbanam coloniam Syllanam, nuper Capuæ contributam, incipit: Fauſtianus autem circiter* IIII *milliaria à vico prope Cedias: qui vicus à Sinueſſa* VI *millia abeſt.*

FAVSTIANVS *ager.*

Quidam ita diſtingvunt: Summis collibus *Gauranum* gigni; mediis *Fauſtianum*; imis *Falernum.* Ad *Savonem* amnem fuiſſe iſtum *Campanum pontem*, in viâ conſulari, quæ à Capuâ ducebat Sinueſſam, infrà hoc capite oſtendetur. Pars igitur Falerni agri fuerit FAVSTIANVS AGER dictus, circa Sinueſſam urbem. Columellæ neſcio an pars *Falerni* MASSICVS AGER dicatur. Verba eius Ruſt. rer. lib. III cap. VIII hæc ſunt: *Neque enim dubium eſt, Maſſici Surrentinique & Albani atque Cæcubi agri viteis omnium, quas terra ſuſtinet, in nobilitate vini principes eſſe.* Silius lib. VI:

Heic verò intravit poſtquàm uberis arva Falerni
(Dives ea, & numquàm tellus mentita colono)
Addunt frugiferis inimica incendia ramis.
Haud fas, Bacche, tuos tacitu transmittere honores;
Quamquàm magna incepta vocant. memorabere ſacri
Largitor laticis. gravidæ cui nectare vites
Nulli dant prælis nomen præferre Falernis.

AMINEI *populi.*

Cæterùm AMINEI quidam *populi* dicuntur quondam habitaſſe Falernum agrum. Macrobius Saturnalior. lib. II cap. XVI: *Vvarum iſta ſunt genera: Amineá; ſcilicet à regione: nam Aminéi fuerunt, ubi nunc Falernum eſt. aſinuſca, atruſca, albiverus.* Virgilius tamen videtur Aminéam vitem extra Falernum agrum cenſere Γεωργικῶν lib. II, his verbis:

Purpureæ, Preciæque, & quo te carmine dicam
Rhætica? nec cellis ideò contende Falernis.
Sunt & Aminéæ vites, firmiſſima vina.

STELLATIS *ager*, ſeu *campus.*

Porrò claudebat à ſeptemtrionibus Falernum agrum CALLICVLA MONS; ultra quem ſtatim erat STELLATIS AGER ſive CAMPVS. Livius lib. XXII: *Averſusque ab*

itinere

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

itinere Hannibal, per Aliſanum, Calatinum & Calenum agrum in campum Stellatem deſcendit. ubi quum montibus fluminibusque clauſam regionem circumſpexiſſet; vocatum ducem percunctatur, ubi terrarum eſſet. quum is, Caſilini eo die manſurum eum, dixiſſet; tum demum cognitus eſt error; & Caſinum longè inde aliâ regione eſſe. virgisque cæſo duce, & ad reliquorum terrorem in crucem ſublato, caſtris communitis, Maharbalem cum equitibus in agrum Falernum prædatum dimiſit. Vsque ad aquas Sinueſſanas populatio ea pervênit. ingentem cladem, fugam, terroremque latiùs fecerunt. Vt verò ad Vulturnum flumen caſtra ſunt poſita; exurebaturque amœniſſimus Italiæ ager; villæque paſſim incendiis fumabant; per juga Maſſici montis Fabio ducente: prope de integro eſt orta ſeditio. Aliquanto pôſt: *Obſtinatus tamen Fabius eodem conſiliorum tenore, æſtatis reliquum extraxit: ut Hannibal, deſtitutus ab ſpe ſummâ adpetiti certaminis, jam hibernis locum circumſpectaret: quia ea regio præſentis erat copiæ, non perpetuæ: arbuſta vineæque, & conſita omnia magis amœnis, quàm neceſſariis fructibus. Hac per exploratores relatâ famâ Fabio; quum ſatis ſciret, per easdem anguſtias, quibus intraverat Falernum agrum, rediturum; Calliculam montem & Caſilinum occupat modicis præſidiis. quæ urbs Vulturno flumine dirempta, Falernum à Campano agro dividit. ipſe jugis iisdem exercitum reducit: miſſo exploratum cum CCCC equitibus ſociorum L. Hoſtilio Mancino.* Aliquanto pôſt: *Nec Hannibalem fefellit, ſuis ſe artibus peti. itaque quum per Caſilinum evadere non poſſet; petendique montes, & jugum Calliculæ ſuperandum eſſet: necubi Romanus incluſum vallibus agmen adgrederetur; ludibrium oculorum ſpecie terribile ad fruſtrandum hoſtes commentus, principio noctis furtim ſuccedere ad monteis ſtatuit.* Nempe quum per Caſilini pontem Vulturnum tranſire nequiret, reſtabat altera illa via per *Calliculæ* montis anguſtias in Stellatem Calenumque agrum; qua viâ venerat. Haud multo pôſt ita pergit Livius: *Intereà toto agmine Hannibal traducto per ſaltum, & quibusdam in ipſo ſaltu hoſtium oppreſſis, in agro Aliſano poſuit caſtra. Hunc tumultum ſenſit Fabius. cæterùm & inſidias eſſe ratus, & ab nocturno utique abhorrens certamine, ſuos munimentis tenuit. luce primâ ſub jugo montis prœlium fuit.* Mox: *Ita haudquaquàm pari certamine digreſſi, Hiſpani ferè omnes incolumes, Romani aliquot ſuis amiſſis, in caſtra contendunt. Fabius quoque movit caſtra. transgreſſusque ſaltum, ſuper Aliſas loco alto ac munito conſedit.* Eſt igitur Callicula mons id jugum, quod ab Maſſico monte & Savone amne ſupra opidum *Carinola* & locum *Torre di Francoleſe* verſùs Vulturnum flumen tendit. juxta Savonis lævam ripam puto ſaltum, id eſt, anguſtias tranſiſſe Hannibalem. Et haud procul fuiſſe Maſſico monte hunc ſaltum, diſertè patet ex Livii narratione. Vltra hunc igitur *Calliculam* montem eſt ille *Stellatis ager; clauſus montibus fluminibusque:* nempe Vulturno & Savone. inde ſequebatur *Calenus ager*, circa opidum *Cales*; quod nunc vulgò eſt *Calvi*. Cæterùm apud Polybium lib. III, in eâdem hiſtoriâ Hannibalicâ mons hic *Callicula* vocatur primo loco Ἐριβανὸς, & mox Ἐριβιανὸς λόφος, id eſt, *Eribanus*, & *Eribianus mons*. Verba illic, poſt Campaniæ ſitus urbiumque compendioſam deſcriptionem, hæc ſunt: Ἅμα δὲ τοῖς προειρημένοις ὀχυρὰ δοκεῖ καὶ δυσέμβολα τελέως εἶναι τὰ πεδία. τὰ μὲν γὰρ θαλάτῃ, τὸ δὲ πλέον ὄρεσι μεγάλοις πάντῃ καὶ συνεχέσι περιέχεται· δι' ὧν εἰσβολαὶ τρεῖς ὑπάρχουσι μόνον ἐκ τῆς μεσογαίου στεναὶ καὶ δύσβατοι· μία μὲν ἀπὸ τῆς Σαυνίτιδος, δευτέρα δ' ἡ ἀπὸ τοῦ Ἐριβανοῦ, ἡ δὲ καταλοιπος ἀπὸ τῶν κατὰ τοὺς Ἱρπίνους τόπων. Hoc eſt: *Accedit ad ea, quæ diximus, quòd naturâ ſuâ hæc loca ſunt munita; & in hos campos aditus eſt difficillimus. cinguntur enim aliquâ ex parte mari, ex maiore verò montibus ubique magnis atque continuis: per quos venientibus è mediterraneis tres dumtaxat viæ patent; eæque anguſtæ & difficiles. una eſt, qua venitur è Samnio: altera, ab Eribano: reliqua, è regione Hirpinorum.* Prima harum eſt ea, qua à Benevento per Caudinas anguſtias ad Calatiam & Capuam ducebat; altera eſt, quâ ab *Ariano* opido per Sabati fluvii vallis anguſtias itur ad *Abellinum* opidum & Neapolim. tertia eſt illa per *Eribanum* ſive *Calliculum* montem. Pergit igitur paullo pôſt ita Polybius: Ἀννίβας μὲν οὖν τοιούτοις χρησάμενος λογισμοῖς, καὶ διελθὼν ἐκ τῆς Σαυνίτιδος τὰ στενὰ κατὰ τὸν Ἐριβιανὸν καλούμενον λόφον, κατεστρατοπέδευσε παρὰ τὸν Ἄθυρνον ποταμὸν, ὃς σχεδὸν δίχα διαιρεῖ τὰ προειρημένα πεδία. καὶ τὴν μὲν παρεμβολὴν ἐκ τοῦ πρὸς τὴν Ῥώμην μέρους εἶχε· ταῖς δὲ προνομαῖς πᾶν ἐπιτρέχων ἐπόρθει τὸ πεδίον ἀδεῶς. Et aliquanto pôſt: Φάβιος δὲ καὶ κατανοῶν αὐτοῦ τὴν ἐπιβολὴν, ὅτι προχειρίζεται ποιεῖσθαι τὴν ἐπάνοδον, ἥπερ ἐποιήσατο καὶ τὴν εἴσοδον, καὶ θεωρῶν τοὺς τόπους στενοὺς ὄντας καὶ καθ' ὑπερβολὴν εὐφυεῖς πρὸς ἐπίθεσιν· ἐπ' αὐτῆς μὲν τῆς διεκβολῆς περὶ τετρακισχιλίους ἐπέστησε· αὐτὸς δὲ τὸ πολὺ μέρος ἔχων τῆς δυνάμεως, ἐπί τινα λόφον ὑπερδέξιον πρὸ τῶν

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

στενῶν κατεστρατοπέδευσε. Παραγινομένων δὲ τῶν Καρχηδονίων, καὶ ποιησαμένων τὴν παρεμβολὴν ἐν τοῖς ἐπιπέδοις, ὑπ' αὐτὴν τὴν παρωρείαν, τὴν μὲν λείαν αὐτῶν ἤλπιζεν ἀδηρίτως περισυρεῖν, ὡς δὲ τὸ πολὺ καὶ τοῖς ὅλοις πέρας ἐπιθήσειν διὰ τὴν τῶν τόπων εὐκαιρίαν. Hoc eſt: *Hæc igitur cogitans Hannibal; poſtquàm è Samnio eius montis, quem Eribanum vocant, fauces tranſiſſet; propter amnem Athurnum, qui medios ferè prædictos campos ſecat, ab eo latere, quod Romam ſpectat, caſtra communivit: unde ſine periculo campum eum omnem populationibus devaſtabat.* Et aliquanto pòſt: *Fabius ſimul conſilium Pœni animadvertens; quòd eâdem, qua intraverat, viâ regredi cogitabat; ſimulque anguſtias locorum ad inſidias factorum animo reputans:* IIII *ſuorum millia arctum illum tranſitum inſidere juſſit. ipſe cum magnâ exercitus parte in monte quodam, qui anguſtiis illis imminebat, conſedit. Quum adveniſſent Pœni, & in æquo ſub ipſas montis radices caſtra poſuiſſent; prædam quidem ſine ullo diſcrimine ſe averſurum Romanus ſperabat; ſed, ſi fortuna magis ſecunda adſpiraret, etiam univerſo bello in tantâ locorum opportunitate finem impoſiturum.* Narrat hinc eaſdem, quas Livius, arteis, quibus per anguſtias incolumem traduxit Hannibal exercitum: tandemque finit in hæc verba: Ἀννίβας μὲν οὖν τοιαύτην ἐκ τοῦ Φαλέρνου ποιησάμενος ἔξοδον, λοιπὸν ἤδη στρατοπεδεύων ἀσφαλῶς, κατεσκέπτετο καὶ προὐνοεῖτο περὶ τῆς χειμασίας. Id eſt: *Hannibal hoc modo ex agro Falerno egreſſus, caſtris in tuto locatis, locum hibernis circumſpectabat.* Ex his igitur clarè & apertè perſpicitur, eumdem intelligere montem Polybium, quem Livius; nempe Calliculam. At quàm immenſum diſcrimen inter nomina? Quum ferè omnia opidorum Campaniæ nomina ibidem antè corrupta ſint, ac mirificè vitiata; ὁ Ἄθυρνος etiam ποταμὸς eſſe debeat Ἄλθυρνος, ut ſuprà cap. XII oſtenſum: ne hanc quidem vocem eſſe probam credibile eſt. Scripſerit autem Polybius τὴν Καλικῶλαν, ut Livius habet; an aliud quoddam vocabulum huic ſimile; haud facilè dixerim.

Capva, urbs maxima & pulcherrima, poſteà colonia *&* municipium.

Sed jam tempus eſt, urbes Campaniæ uti dicantur. In his nobis prima ſit Capva, Græcis Καπύη, totius quondam Campaniæ *μητρόπολις*, ut inquit Strabo lib. V, κεφαλὴ τῷ ὄντι κατὰ τὴν ἐτυμότητα τοῦ ὀνόματος· id eſt; *gentis caput; & re ipſâ exſiſtens, quod nomine eius ſignificatur.* τὰ γὰρ ἄλλα πολίχνια νομίζοιτ' ἂν κατὰ σύγκρισιν, πλὴν Τεάνου Σιδικίνου· hoc eſt: *reliqua enim cum illâ ſi conferas, opidula videbuntur eſſe; excepto Teano Sidicino.* Florus lib. I cap. XVI: *Vrbes ad mare, Cumæ, Puteoli, Neapolis, Herculaneum, Pompeii; & ipſa caput urbium Capua; quondam inter treis maximas, Romam Carthaginemque numerata.* Verùm de eius nominis etymologiâ abundéque ſuprà cap. XI dictum: ubi de nomine atque origine gentis *Campanorum* actum. Livium tamen haud abs re heic citavero. Is lib. IIII ita ſcribit: *Creati conſules ſunt C. Sempronius Atratinus, Q. Fabius Vibulanus. Peregrina res, ſed memoriâ digna, traditur eo anno facta. Vulturnum, Etruſcorum urbem, quæ nunc Capua eſt, ab Samnitibus captam; Capuamque ab duce eorum Capye, vel, quod propius vero eſt, à campeſtri agro adpellatam. Cepêre autem; priùs bello fatigatis Etruſcis, in ſocietatem urbis agrorumque recepti; deinde feſto die gravatos ſomno epulisque incolas veteres, novi coloni nocturnâ cæde adorti.* Velleius lib. I: *Quidam, huius temporis tractu, aiunt, à Tuſcis Capuam Nolamque conditam; ante annos ferè* IↃCCCXXX. *quibus ego adſenſerim.* Ergo Capua XLVIII annis antè condita fuit, quàm Roma à Romulo. nam Velleius compoſuit dedicavitque has ſuas hiſtorias M. Vinicio Quartino; quum is conſul eſſet cum C. Caſſio Longino, anno urbis Romæ IↃCCLXXX. Addit Velleius: *Sed M. Cato quantum differt! qui dicat, Capuam ab eisdem Tuſcis conditam, ac ſubinde Nolam. ſtetiſſe autem Capuam, antequàm à Romanis caperetur, annis circiter* CCLX. Quod ſi ita eſt: quum ſint à Capuâ captâ anni CCXL; ut condita eſt, anni ſunt ferè IↃ. Ego (pace diligentiæ Catonis dixerim) vix crediderim, tam maturè tantam urbem creviſſe, floruiſſe, concidiſſe, reſurrexiſſe. Antiquum illud nomen ab Tuſcis inditum haud dubiè fuit Altvrnvm; ut ipſius fluminis præfluentis Vulturni ab initio fuit vocabulum: quod poſteà Romani formarunt Vulturnum; ut ſuprà cap. XII oſtenſum. Cæterùm *opidani à Capuâ* non dicebantur *Capuani*; qua quidem formatione inferioris ævi ſcriptores uſi ſunt; ſed Campani. Innumera huius rei exempla paſſim apud auctores leguntur; maximè apud Livium. M. Varro de Latinâ lingvâ lib. VIIII: *Secunda diviſio eſt de his verbis, quæ declinari poſſunt: quòd alia ſunt à voluntate, alia à naturâ. Voluntaria declinatio refertur ad conſvetudinem: naturalis ad rationem. Quare proinde ac ſimile conferri non oportet; ac dicere, ut ſicut à Româ Romanus: ſic ex Capuâ dici oportere Capuanus. quod in conſvetudine vehementer nutat.* Iam antiquiſſimis inde temporibus urbem fuiſſe ampli-

amplitudine, pulcritudine, atque opibus florentiſſimam, ex Livio diſcimus. is enim lib. VII, in conſulatu M. Valerii Corvini III & A. Cornelii Coſsi, anno urbis Romæ CCCCXI, ſic tradit: *Adverſoque prœlio Campani intra mœnia compulſi, quum, robore juventutis ſuæ acciſo, nulla propinqua ſpes eſſet, coacti ſunt ab Romanis petere auxilium.* Mox; in oratione legatorum: *Campani non urbis magnitudine, non agri ubertate ulli populo, præterquam vobis cedentes, haud parva acceſſio bonis rebus veſtris in amicitiam venîmus veſtram.* Et poſteà: *Sed cupiditas explenda eſt. ea ad oppugnandam Capuam rapit. Aut delere urbem pulcherrimam, ut ipſi poſſidere cupiunt.* Addit poſteà Livius in eâdem hiſtoriâ: *Vrbs maxima opulentiſſimaque Italiæ.* Cicero in oratione II ad populum contra Rullum: *Romam in montibus poſitam & convallibus, cœnaculis ſublatam atque ſuſpenſam, non optimis viis, anguſtiſſimis ſemitis, præ ſuâ Capuâ, planiſſimo in loco explicatâ, præ illis viis ac præ illis ſemitis ſuis irridebunt atque contemnent.* Sed magnas illas opes ingens ſtatim ſequuta eſt luxuria atque ſuperbia. Livius ſuprà dicto lib. VII: *Campani magis nomen ad præſidium ſociorum, quàm vires, quum attuliſſent, fluentes luxu ab duratis uſu armorum in Sidicino pulſi agro, in ſe deinde molem omnem belli verterunt.* Et poſteà: *Ille præpotens opibus populus, luxuriâ ſuperbiâque clarus.* Et aliquanto pôſt: *Campanos haud dubiè magis nimio luxu fluentibus rebus mollitiâque ſuâ, quàm virtute hoſtium, victos eſſe.* Et lib. XXIII: *Hannibal Capuam flectit iter, luxuriantem longâ felicitate atque indulgentiâ fortunæ; maximè tamen inter corrupta omnia licentiâ plebis, ſine modo libertatem exercentis.* Et poſteà: *Prona ſemper civitas in luxuriam; non ingeniorum modò vitio; ſed adfluenti copiâ voluptatum, & illecebris omnis amœnitatis maritimæ terreſtriſque: tum verò ita obſequio principum & licentiâ plebis laſcivire, ut nec lubidini nec ſumptibus modus eſſet.* Cicero oratione primâ ad populum contra Rullum: *Campani ſemper ſuperbi bonitate agrorum & fructuum magnitudine. Ex hac copiâ atque omnium rerum adfluentiâ nata ſunt, primùm illa arrogantia, qua à maioribus noſtris alterum Capua conſulem poſtulavit: deinde ea luxuries, quæ ipſum Hannibalem, armis etiam tum invictum, voluptate vicit.* Hinc vici duo in urbe maximè infames fuêre: quorum alteri vocabulum ALBANA, alteri SEPLASIA. Valer. Maximus lib. VIIII cap. I: *At Campana luxuria perquàm utilis civitati noſtræ fuit. invictum enim armis Hannibalem illecebris ſuis complexa, vincendum Romano militi tribuit. Illa vigilantiſſimum ducem, illa exercitum acerrimum dapibus largis, abundanti vino, unguentorum fragrantiâ, Veneris uſu laſciviore, ad ſomnum & delicias evocavit. ac tum demum fracta & contuſa Punica feritas eſt, quum Seplaſia & Albana caſtra eſſe cœperunt.* Feſtus: *Seplaſia, forum Capuæ, in quo plurimi unguentarii erant.* Non erat *forum.* Antiquior Feſto auctor Aſconius Pedianus in orationem Ciceronis contra L. Piſonem: *Dictum eſt in diſſuaſione legis Agrariæ ad populum, plateam eſſe Capuæ, quæ Seplaſia adpellatur; in qua unguentarii negotiari ſint ſoliti.* Alter ille vicus *Albana* videtur ab æde *Albâ*, quæ fuit in urbe, nomen traxiſſe. Livius lib. XXXII: *De cœlo tacta erant Capuæ murus & turres & ædes quæ Alba dicitur.* Et lib. XL: *Eadem tempeſtas ædem Iovis Tarracinæ, ædem Albam Capuæ decuſſit.* Cicero in dictâ oratione I ad populum contra Rullum: *Iam verò qui metus erat tunicatorum illorum, & in Albanâ, & Seplaſiâ, quæ concurſatio percunctantium, quid prætor edixiſſet?* Superbiæ Campanorum haud poſtremum exemplar eſt, quod Valer. Maximus refert lib. VIIII cap. V his verbis: *Inſolentiæ verò inter Carthalinienſem & Campanum ſenatum quaſi æmulatio fuit. ille enim ſeparato à plebe balneo lavabatur; hic diverſo foro utebatur. quem morem Capuæ aliquamdiu retentum, C. quoque Gracchi oratione in Plautium patet.* Cæterùm quum dicto bello Punico ſecundo ad Hannibalem deſciviſſet Capua, poſteà verò à Romanis iterum in poteſtatem redigeretur acerrimâ obſidione; factum Campanis id, quod Livius refert lib. XXVI his verbis: *Ad LXXX principes ſenatus interfecti: CCC fermè nobiles Campani in carcerem conditi: alii, per ſociorum Latini nominis urbeis in cuſtodias dati, variis caſibus interierunt. multitudo alia civium Campanorum venundata. De urbe agroque reliqua conſultatio fuit: quibusdam delendam cenſentibus urbem prævalidam, propinquam, inimicam. cæterùm præſens utilitas vicit. nam propter agrum, quem omni fertilitate terræ ſatis conſtabat primum in Italiâ eſſe, urbs ſervata eſt; ut eſſet aliqua aratorum ſedes. urbi frequentandæ multitudo incolarum libertinorumque & inſtitorum opificumque retenta. ager omnis & tecta publica populi Romani facta. Cæterùm habitari tantùm tamquàm urbem Capuam frequentarique placuit. corpus nullum civitatis nec ſenatus nec plebis concilium nec magiſtratus eſſe. ſine conſilio publico, ſine imperio multitudinem, nullius rei inter ſe ſociam,*

ad conſenſum inhabilem fore. præfectum ad jura reddenda ab Româ quotannis miſſuros. Ita ad Capuam res compoſitæ; conſilio ab omni parte laudabili. ſeverè & celeriter in maximè noxios animadverſum. multitudo civium diſſipata in nullam ſpem reditus. non ſævitum incendiis ruinisque in tecta innoxia murosque. & cum emolumento quæſita etiam apud ſocios lenitatis ſpecies incolumitate urbis nobiliſſimæ opulentiſſimæque. cuius ruinis omnis Campania, omnes qui Campaniam circa adcolunt populi, ingemuiſſent. De eâdem re copioſiùs agit Cicero in dictâ oratione I ad populum contra Rullum: *In id*, inquit, *opidum homines nefarii rempublicam noſtram transferre conantur, quo in opido maiores noſtri nullam omnino rempublicam eſſe voluerunt. Qui treis ſolùm urbeis in terris omnibus, Carthaginem, Corinthum, Capuam, ſtatuerant poſſe imperii gravitatem ac nomen ſuſtinere. Deleta Carthago eſt: quòd cùm hominum copiis, tùm ipsâ naturâ ac loco, ſuccincta portubus, armata muris, excurrere ex Africâ & imminere fructuoſiſſimis inſulis populi Romani videbatur. Corinthi veſtigium vix relictum eſt. erat enim poſita in anguſtiis atque in faucibus Græciæ ſic, ut terra clauſtra locorum teneret, & duo maria maximè navigationi diverſa penè conjungeret; quum pertenui diſcrimine ſepararentur. Has, quæ procul erant à conſpectu imperii, non ſolùm adflixerunt; ſed etiam, ne quando recreatæ exſurgere atque erigere ſe poſſent, funditus, ut dixi, ſuſtulerunt. De Carthagine multum eſt & diu conſultum. Exſtant literæ, Quirites, publicæ: ſunt ſenatusconſulta complura. Statuerunt homines ſapientes; ſi agrum Campanis ademiſſent; magiſtratus, ſenatum, publicum ex illâ urbe conſilium ſuſtuliſſent; imaginem reipublicæ nullam reliquiſſent; nihil fore, quòd Capuam timeremus. Itaque hoc perſcriptum in monumentis veteribus reperietis: Vt eſſet urbs, quæ res eas, quibus ager Campanus coleretur, ſuppeditare poſſet; ut eſſet locus comportandis condendisque fructibus; ut aratores, cultu agrorum defeſſi, urbis domiciliis uterentur; idcircò illa ædificia non eſſe deleta. Videte, quantum intervallum ſit interjectum inter maiorum noſtrorum conſilia & inter iſtorum hominum dementiam. Illi Capuam receptaculum aratorum, nundinas ruſticorum, cellam atque horreum Campani agri eſſe voluerunt. hi, expulſis aratoribus, effuſis ac diſſipatis fructibus veſtris, eamdem Capuam ſedem novæ reipublicæ conſtituunt.* Mox: *Majores noſtri arbitrabantur, Corintho & Carthagini etiamſi ſenatum & magiſtratum ſuſtuliſſent, agrumque civibus ademiſſent, atque* ..... [deſunt nonnulla] .... *qui antè omnia commutarent, quàm nos audire poſſemus. heic verò in oculis ſenatus populique Romani nihil poſſe exſiſtere, quod non antè exſtingvi atque opprimi poſſet, quàm planè exortum ac natum eſſet.* Aliquanto pòſt: *Itaque illam Campanam arrogantiam atque intolerandam ferociam ratione & conſilio maiores noſtri ad inertiſſimum & deſidioſiſſimum otium perduxerunt. ſic & crudelitatis infamiam effugerunt; quòd urbem ex Italiâ pulcherrimam non ſuſtulerunt: & multum in poſterum providerunt; quòd nervis urbis omnibus exſectis, urbem ipſam ſolutam ac debilitatam reliquerunt.* Voluiſſe tunc Rullum coloniam deduci Capuam, eadem oratione antè reſtatur Cicero. *At enim*, inquit, *ager Campanus hac lege dividetur, Orbis terræ pulcherrimus: & Capuam colonia deducetur, urbem ampliſſimam atque ornatiſſimam.* Deductam fuiſſe, cùm ipſe, tum alii teſtantur auctores. Ipſe in oratione pro P. Sextio: *Qua de causâ & tum conventus ille Capuæ huic apud me P. Sextio maximas gratias egit; & hoc tempore iidem homines, nomine mutato, coloni decurionesque beneficium P. Sextii teſtimonio declarant.* Ad Atticum lib. VII, cap. XIIII: *Me Pompeius Capuam venire voluit, & adjuvare delectum: in quo parum prolixè reſpondent Campani coloni.* C. Iul. Cæſar de Bello civili lib. I: *Capuæ primùm ſeſe confirmant & colligunt; delectumque colonorum, qui lege Iuliâ Capuam deducti erant, habere inſtituunt.* Velleius lib. II: *In hoc conſulatu [Cæſaris & Bibuli] Cæſar legem tulit, ut ager Campanus plebei divideretur; ſvaſore legis Pompeio. ita circiter* XX *millia civium eò deducta: & jus ab his reſtitutum poſt annos circiter* CLII, *quàm bello Punico ab Romanis Capua in formam præfecturæ redacta erat.* Idem tradunt Svetonius in Cæſare, cap. XX, Dio lib. XXXVIII, & Appianus Civil. bellor. lib. II. In imperio Neronis auctam fuiſſe novis colonis, auctor eſt Tacitus Annal. XIII. *Capua*, inquit, *atque Nuceria additis veteranis firmatæ ſunt.* At Hiſtor. lib. III *municipium* adpellat. *A quibus*, inquit, *municipia coloniæque impulſæ, præcipuo Puteolanorum in Veſpaſianum ſtudio, contrà Capua Vitellio fida, municipalem æmulationem bellis civilibus miſcebant.* Verùm de origine ac ſtatu conditioneque huius urbis poſtquàm ſatis diſſertum, ſitus eius etiam indicetur. Eſt equidem hodiè eo nomine urbs in ipsâ amnis Vulturni ripâ ſiniſtrâ. at veterem illam Capuam duobus ampliùs milliaribus à novâ iſtâ verſùs orientem poſitam fuiſſe,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

fuiſſe, prope locum, qui nunc vulgò dicitur *S. Maria di Capoa*, & item *S. Maria delle gratie*, ingentes ruinæ portarum, theatri, templorum, columnarum, aliarumque molium, quæ iſtic viſuntur, manifeſtè teſtantur. Huc adde antiqua Itineraria, quæ ſic habent:

Sinueſſa		*C. Sinueſſa*	
Ad ponte Campano	...	*Ponte Campano*	IX.
Vrbanis	III.	|	
Ad nonum	III.	*Ad Octavum*	IX.
Caſilini	VI.	|	
Capuæ	III.	*Capua*	VIII.

Aſconius Pedianus in Ciceronis orationem III contra Verrem: *Eminus eſt Vulturnus Capuâ tria millia paſſuum.* Valerius Maximus lib. VII cap. VI: *Itaque Campanæ urbis, quæ Punicam feritatem deliciis ſuis cupidè fovit, in propinquo ſitum Caſilinum modò rarâ virtute clarum, perſeverantis amicitiæ pignore impios oculos verberavit.* Ergo Caſilinum in conſpectu fuit Capuæ. Strabo lib. V: Γνωριμώταται δ' εἰσὶ τῶν ὁδῶν ἥ τε Ἀππία καὶ ἡ Λατίνη καὶ ἡ Οὐαλερία. μέση δ' αὐτῶν ἡ Λατίνη, ἡ συμπίπτουσα τῇ Ἀππίᾳ κατὰ Κασιλῖνον πόλιν, διέχουσαν Καπύης ἐννεακαίδεκα σταδίους. Id eſt: *Nobiliſſimæ viarum ſunt, Appia, Latina, Valeria. media autem earum eſt Latina; in Appiam incidens apud Caſilinum opidum, quod abeſt à Capuâ* XVIIII *ſtadia.* Id eſt, duo millia & CCCLXXV paſſus. Poſteà: Κασιλῖνον δ' ἵδρυται ἐπὶ τῷ Οὐολτούρνῳ ποταμῷ. Hoc eſt: *Situm eſt Caſilinum ad Vulturnum amnem.* Hodiè equidem vulgò duo tantùm numerant incolæ milliaria à novâ Capuâ ad prædictam divam Mariam. at circa celebriores urbeis atque colonias municipiaque minutiora dimenſos eſſe veteres Romanos millia paſſuum, paſſim apud auctores innumeris exemplis patet. CASILINVM *colonia.*

CASILINVM igitur *opidum* fuit, ubi nunc eſt Capua nova: ſed ad utramque ripam. Livius lib. XXII: *Fabius Caſilinum occupat modicis præſidiis. quæ urbs Vulturno flumine dirempta, Falernum à Campano agro dividit.* Et lib. XXIII: *Caſilinum eo tempore quingenti Prænestini habebant.* Mox: *Interfectis nocte opidanis, partem urbis, quæ citra Vulturnum eſt (eo enim dividitur amne) occupavêre.* Huc etiam coloniam à Julio Cæſare fuiſſe deductam, teſtantur Cicero & Appianus. Cicero Philippicâ II ita Antonium adloquitur: *Deduxiſti coloniam Caſilinum, quò Cæſar antè deduxerat.* Et mox: *Tu, inſolentiâ elatus, omni auſpiciorum jure turbato, Caſilinum coloniam deduxiſti, quò erat paucis annis antè deducta.* Ad Atticum, lib. XVI, epiſt. VI: *Octavianus veteranos, qui Caſilini & Calatiæ ſunt, perduxit ad ſuam ſententiam.* Idem tradit Appianus Bellor. Civil. lib. III. *Quâ clade poſteà attritum fuerit opidum, neſcio.* ſic quidpe Plinius lib. III, cap. V: *Sunt & morientis Caſilini reliquiæ.* Opidani inde ſunt apud Ciceronem Rhetoricor. lib. II CASILINENSES. at Valerio Maximo, dicto lib. VII, cap. VI, CASILINATES.

At opido Caſilino planè exſtincto, pons tamen heic ſuper Vulturnum manſit: ut in publicâ celeberrimâque viâ. ipſi verò amni nomen opidi inditum eſt CASILINVS. Vibius Sequeſter in Fluminum catalogo: *Caſilinum, Campaniæ: ex quo opidum.* Contrarium erat verum. Agathias lib. II; de Butilino, Francorum rege, loquens: Καὶ τοίνυν ἀφικόμενος ἐς Καμπανίαν, στρατοπεδεύεται οὐ πόρρω Καπύης τῆς πόλεως, ἀμφὶ τὰς ὄχθας τοῦ Κασουλίνου ποταμοῦ· ὃς δὴ ῥέων ἐκ τοῦ ὄρους τοῦ Ἀπεννίνου, καὶ ἀνὰ τὰ ἐκείνῃ πεδία περιελιττόμενος, ἐς τὴν Τυρρηνικὴν φέρεται θάλατταν. Id eſt: *In Campaniam quum veniſſet, caſtra haud procul à Capuâ urbe poſuit, ad ripas Caſulini fluminis: quod ex Apennino monte profluens, & per campos circumjacenteis flexuosè labens, in Etruſcum effunditur mare.* Conſtantinus Porphyrogenitus in Thematum imperii orientalis lib. II, themate XI: Τὸν δὲ Βουτελῖνον κατεπολέμησεν ὁ Ναρσῆς παρὰ τὸν ποταμὸν Κασουλῖνον. Id eſt: *Butelinum debellavit Narſes apud flumen Caſulinum.* Chronicon Caſinenſe lib. I, cap. XXXIII: *His temporibus quum ob commorantium facinora Capua, quæ & Sicopolis, antè fermè* XV *annos in monte Triſiſco ædificata, ſæpius igne cremaretur, conſilio habito, Lando comes & Landolfus epiſcopus, cum cæteris propinquis ſuis, illam apud pontem Caſulini, ſicut hodiè cernitur, condiderunt.* Narrantur hæc inter annum Chriſti IↃCCCLI & IↃCCCLVI. Prædictus Conſtantinus in libro de Adminiſtrando imperio, cap. XXVII: CASILINVS *fluvius; idem qui Vulturnus.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Ἡ δὲ Κάπυα ἦν πόλις ὑπερμεγέθης· καὶ ἑάλω ὑπὸ τῶν Οὐανδίλων, ἤτοι τῶν Ἀφρικῶν· καὶ κατέλυσαν αὐτήν. ἐρημοκάστρου δὲ οὔσης, ᾤκουν ἐν αὐτῇ Λογγόβαρδοι. καὶ πάλιν τῶν Ἀφρικῶν ἐπερχομένων κατ' αὐτὴν, ᾠκοδόμησεν ἐπίσκοπος Λανδοῦλφος κάστρον εἰς τὴν γέφυραν τοῦ ποταμοῦ, καὶ ἐπωνόμασεν αὐτὸ Καπάντην. Id eſt: *Capua erat urbs ingens. capta verò à Vandilis, ſive Africis, deſtructa eſt. Atque ita quum deſerta jaceret, inhabitarunt eam Longobardi. Mox Africis rurſum ingruentibus, Landolfus epiſcopus ad pontem fluminis caſtrum erexit, quod Capanten adpellavit.* Omnino credo, corruptum hoc eſſe vocabulum. quomodò autem ipſe ſcripſerit Conſtantinus, haud facilè divinaverim.

Porrò PONS ille CAMPANUS, duobus Itinerariis ſuprà ſcriptis memoratus, & item Plinio lib. XIIII cap. VI, ex intervallis itineris deprehenditur fuiſſe in *Savone* amne, qui vulgò nunc nomen id retinet. Plinii verba hæc ſunt: *Falernus ager à ponte Campano, lævâ petentibus Urbanam coloniam Syllanam, nuper Capuæ contributam, incipit.* Ergo P. Sylla novum heic ab ſiniſtrâ Savonis ripâ exſtruxit opidum, in quod coloniam deduxit, quæ adpellabatur COLONIA URBANA SYLLANA. Sed ea poſteà transducta eſt Capuam. Locus tamen, ſive opidulum, poſteriore etiam ævo nomen retinuit AD URBANAS, tria millia paſſuum à ponte Campano verſûs Caſilinum diſtans; ut teſtatur ſuprà ſcripta Tabula itineraria. Cæterùm Pons Campanus Horatio quoque memoratur lib. I Satyrâ V:

Proxima Campano ponti quæ villula, tectum
Præbuit, & parochi, quæ debent, ligna ſalemque.
Hinc muli Capuæ clitellas tempore ponunt.

AD NONUM, *locus.*

Locus prætereà in eodem Tabulæ itinere AD NONUM dicebatur, ſcilicet LAPIDEM, ab urbe Capuâ; VI millibus à Caſilino. Hieroſolymitano itinerario eſt ad OCTAVUM; jam tum immutatâ milliarium computatione, quia anteà admodùm exigua erant.

TIFATA *mons.*

Porrò antiquæ Capuæ imminebat montium jugum, quod plurali numero TIFATA dicebatur. Silius lib. XII, de Hannibale:

——— *Arduus ipſe*
Tifata invadit propior, quà mœnibus inſtat
Collis, & è tumulis ſubjectam deſpicit urbem.

Mox ipſe Hannibal: ——— *Capuâque vidente*
Terga dabo? an reſidens vicini vertice montis
Exſcindi ante oculos patiar ſocialia tecta?

Et lib. XIII:

Tifata umbrifero generatum monte Calenum
Nutrierant.

Livius lib. VII: *Tifata, imminenteis Capuæ colleis, quum præſidio firmo occupaſſent, deſcendunt inde quadrato agmine in planitiem, quæ Capuam Tifataque interjacet. ibi rurſus acie dimicatum.* Et lib. XXIII: *Hannibal retro ſupra Tifata ſe recepit.* Mox: *Ad Tifata redit.* Et deinde: *Quibus ne incepta procederent, inter Capuam caſtraque Hannibalis, quæ in Tifatis erant, traducto exercitu, Fabius ſuper Veſuvium in caſtris Claudianis conſedit.* Et lib. XXVI: *Hannibal, magnâ parte impedimentorum relictâ in Brutiis, in Campaniam contendit. in valle occultâ poſt Tifata montem, imminentem Capuæ, conſedit.* Eſt igitur mons Tifata id jugum, quod, ab Vulturno amne in ortum Solis brumalis tendens, Capuæ ruinis, opidoque Caſertæ, & vicis Mataloni, Arienzoque imminet. Meminit eius montis etiam Velleius lib. II: *Creſcebat interim*, inquit, *in dies Sullæ exercitus; confluentibus ad eum optimo quôque & ſanctiſſimo. Felici deinde circa Capuam eventu Scipionem Norbanumque conſules ſuperat.* Et paullo pòſt: *Poſt victoriam, quà deſcendens montem cum C. Norbano concurrerat, Sulla grateis Dianæ, cuius numini regio illa ſacrata eſt, ſolvit.* Apud Plutarchum in Syllâ ita ſcriptum eſt: Μικρὸν δὲ πρὸ τῆς διαβάσεως, ἐν Καμπανίᾳ περὶ τὸ Ἥφαιον ὄρος ἡμέρας ὤφθησαν δύο τράγοι μεγάλοι συμφερόμενοι, καὶ πάντα δρῶντες καὶ πάσχοντες, ἃ συμβαίνει μαχομένοις ἀνθρώποις. καὶ μετ' οὐ πολὺν χρόνον ἐν τῷ τόπῳ τούτῳ Μαρίου τοῦ νέου καὶ Νορβανοῦ τοῦ ὑπάτου μεγάλας δυνάμεις ἐπαγαγόντων, ὁ Σύλλας, οὔτε τάξιν ἀποδοὺς, οὔτε λοχίσας τὸ οἰκεῖον στράτευμα, ῥώμῃ δὲ προθυμίας κοινῆς καὶ φορᾷ τόλμης ἀποχρησάμενος, ἐτρέψατο τοὺς πολεμίους, καὶ κατέκλεισεν εἰς Καπύην πόλιν τὸν Νορβανὸν, ἑπτακισχιλίους ἀποκτείνας. Hoc eſt: *Paullo antè, quàm trajiceret, in Campaniâ circa Hephæum montem hirci duo interdiu viſi ſunt confligere; omniaque facere ac pati,*

pati, quæ viri in pugnâ ſolent. Nec multo pòſt, quum Marius junior & conſul Norbanus eo loco exercitus haberent ingenteis; Sylla, non acie inſtructâ, non compoſitis ordine copiis ſuis, communis ardore alacritatis atque impetu uſus audaciæ militum ſuorum, profligavit hoſteis; cæſisque VII *millibus, Norbanum incluſit mœnibus Capuæ.* En, diſertè Plutarchus ait, in eo ipſo loco commiſſum fuiſſe inter Syllam & Norbanum prœlium, ubi paullo antè duo hirci viſi erant inter ſe pugnare. at Velleius dicit, *deſcendentem Tifata montem Syllam cum Norbano concurriſſe.* quidni igitur corruptum iſtud, & nusquàm alibi lectum, vocabulum montis apud Plutarchum corrigam in τὸ Τίφατον ὄρος, *Tifatus mons?* Apud Appianum quoque Bellor. civil. lib. I in eâdem hiſtoriâ mendum eſt; ſed in alio vocabulo: cui tamen purgando opportuniſſimus heic datur locus. Verba illic hæc ſunt: Πρώτη μὲν ἀμφὶ Κανύσιον τοῖς αὐθυπάτοις πρὸς Νωρβανὸν ἐγίγνετο μάχη· καὶ θνήσκουσι Νωρβανοῦ μὲν ἑξακισχίλιοι, τῶν δ' ἀμφὶ τὸν Σύλλαν ἑβδομήκοντα. Id eſt: *Primum prælium cum Norbano proconſules conſeruerunt ad Cannſium. ubi cæſa ſunt ex Norbani exercitu* VI *millia.* En, quid monſtri? quod alii illi in Campaniâ apud Tifata & Capuam factum tradunt, hic in Apuliam usque transfert. Eutropius lib. V: *Sylla in Italiam trajecit; bellum civile geſturus adversùs Norbanum & Scipionem conſules. & primo prælio contra Norbanum dimicavit, non longè à Capuâ. tum* VII *millia eius cecîdit.* Florus lib. III cap. XXI: *Primùm apud Capuam ſub amne Vulturno ſigna concurrunt: & ibi ſtatim Norbani fuſus exercitus.* Iul. Obſequens in libro de Prodigiis: *L. Scipione C. Norbano conſulibus, per Syllana tempora inter Capuam & Vulturnum ingens ſignorum ſonus armorumque horrendo clamore auditus; ita, ut viderentur duæ acies concurrere per plures dies.* Audacter igitur jam ex his, apud Appianum corrigo Κανύσιον in Κασιλῖνον, *Caſilinum.*

DIANAE templum.

Cæterùm Velleius prædicto loco ita pergit: *Poſt victoriam, qua deſcendens montem Tifata cum C. Norbano concurrerat, Sulla grateis Dianæ, cuius numini regio illa ſacrata eſt, ſolvit. aquas ſalubritate in medendis corporibus nobileis, aut potiùs agros omneis addixit deæ.* Huius gratæ religionis memoriam inſcriptio, templi adfixa poſti, hodiéque teſtatur æreâ tabulâ. In Tabulâ itinerariâ ſupra Capuæ urbis figuram nomenque conſpicitur mons depictus, ab occaſu in ortum porrectus; & ſuprà extremitatem eius orientalem ſignum templi cum hac inſcriptione; *Iovis Tifatinus.* haud occidentali extremitate aliud eſt templi ſignum, cum hoc titulo; *Addiana.* & ſupra utriusque templi inſcriptiones ſcriptum eſt, *Caſtra aniba.* Legendum eſſe priore loco IOVIS TIFATINVS; altero, AD DIANAM; poſtremo ſeu ſupremo, CASTRA HANNIBALIS; ex hactenus allatis liquidiſſimè patet. Iovis autem iſtic dici nominativo caſu, pro Iupiter, ſuprà in Vmbriâ ad Iguvium opidum docui. Locus igitur in Tifatis, ubi Hannibal caſtra habuit, ad aliquot ſæcula nomen inde ſervavit. Cæterùm DIANAE hoc TEMPLVM Pauſaniæ quoque memoratur in Eliacis. Τοῦτο, inquit, οὐκ ἀκοὴν γράφω, θεασάμενος δὲ ἐλέφαντος ἐν γῇ τῇ Καμπανῶν κρανίον ἐν Ἀρτέμιδος ἱερῷ. σταδίους δὲ ὡς τριάκοντα ἀπέχει μάλιστα Καπύης τὸ ἱερόν. Id eſt: *Hoc ego non auribus, ſed ipſis acceptum oculis ſcribo: quum elephanti cranium viderim in Dianæ templo; quod* XXX *ſtadia ab Capuâ abeſt.* Tot ſtadia eo ſæculo conficiebant millia paſſuum IIII. at Tabula itineraria III tantùm habet. Eſt autem idem locus, de quo ita Chronicon Caſinenſe lib. II cap. LXVII: *Recipiens unam autem prope Capuam, loco, qui Baniolum dicitur.* Hodiéque vocatur locus *Bagnoli.*

IOVIS TIFATINI templum.

CASTRA HANNIBALIS, locus.

CALES colonia.

Porrò ultra Caſilinum & Stellatem agrum eſt opidum vulgari nunc vocabulo *Calvi*, epiſcopali ſede nobile. id antiquitus dicebatur CALES, plurali numero. Ptolemæus: Καμπανῶν μεσόγειοι, Οὐέναφρον, Τέανον, Σύεσσα, Καλῆς, Κασιλῖνον. Id eſt: *Campanorum mediterraneæ urbes ſunt, Venafrum, Teanum, Sueſſa, Cales, Caſilinum.* Cicero oratione primâ ad populum contra Rullum: *Labicos, Fidenas, Collatiam, ipſum herculè Lanuvium, Ariciam, Tuſculum cum Calibus, Teano, Neapoli, Puteolis, comparabunt.* Ad Atticum lib. VIII epiſt. XV: *Itaque tum Caleis proceſſi.* Mox: *Quum Calibus eſſem.* Livius lib. XXII: *Cæteri effuſo curſu Cales perfugerunt.* Lib. XXIIII: *Calibus cretâ pluiſſe, nunciabatur.* Valerius Maximus lib. III cap. VIII: *E veſtigio Caleis transgreſſus.* Tacitus Annal. lib. VI: *Vinicio opidanum genus. Calibus ortus.* Virgilius Aeneid. lib. VII:

——— Vertunt felicia Baccho
Maſſica qui raſtris; & quos de collibus altis

Aurunci miſère patres, Sidicinaque juxta
Aequora; quique Caleis linquunt.

Silius lib. VIII:

Nec cedit ſtudio vicinus ſangvine miles,
Quem genuère Cales: non parva conditor urbis
(Vt fama eſt) Calais; Boreæ quem rapta per auras
Orithyia vago Geticis nutrivit in antris.

Haud illepidè poëta ex ſimilitudine quadam vocabulorum fabuloſum urbi conditorem confinxit. Idem neſcio cur lib. XII eam ſingulari numero adpellavit; nullâ metri ratione adactus, in his verbis:

Threiciamque Calen; veſtras à nomine nati
Orithyia domos.

Antiquitatem opidi Virgilius etiam indicare voluit, dum id Aeneæ rebus admiſcet. Fuiſſe haud poſtremæ notæ urbem, auctor eſt Strabo lib. V; ubi, opidis in viâ Latinâ enumeratis, poſt Aquinum Caſinumque & Teanum Sidicinum, ſic pergit: Καὶ ἡ ἐφεξῆς ἡ τῶν Καλλωῶν πόλις, καὶ αὕτη ἀξιόλογος, συνάπτουσα τῷ Κασιλίνῳ. Id eſt: *Et quæ ſequitur inde Calenorum, & ipſa illuſtris, Caſilino propinqua.* Tabula itineraria:

Aquinum	
Caſinum	VIIII.
Ad flexum	VIII.
Teano Scedicino	VIIII.
Cale	III.
Caſilino	VII.

Coloniam à Romanis deductam fuiſſe anno urbis Romæ CCCCXX, ante natum Ieſum CCCXXXIII, auctores ſunt Livius & Velleius. Livius lib. VIII: *Conſules creati ſunt T. Veturius, Sp. Poſthumius. Etſi belli pars cum Sidicinis reſtabat; tamen, ut beneficio prævenirent deſiderium plebis, de coloniâ deducendâ Caleis retulerunt. factumque ſenatus conſultum, ut duo millia quingenti homines eò ſcriberentur.* Velleius lib. I: *Sp. Poſtumio, Veturio Calvino, conſulibus, Caleis deducta colonia.* Hinc Livio lib. XXVII & XXVIIII inter alias Italiæ colonias connumeratur. Coloni inde nominantur CALENI.

CALATIA, *colonia.*

A Calibus verſùs ortum Solis eſt CALATIA perantiquum opidum; vulgò nunc *Caiazzo* dictum; epiſcopali dignitate clarum. Livius lib. VIIII: *Qui captæ decus Nolæ ad conſulem trahunt, adjiciunt, Atinam & Calatiam ab eodem captas.* Et eodem libro poſteà: *Calatia & Sora expugnata.* In eâdem hac hiſtoriâ apud Diodorum lib. XX vocabulum id diſcerptum legitur atque abalienatum, obliquo caſu, καὶ Ἀτίαν. Porrò Livius lib. XXVI: *Quique magiſtratus Capuæ, Atellæ, Calatiæ, geſſiſſent.* Lib. XXIII: *Marcellus à Canuſio Calatiam petit.* Silius lib. XI:

Iamque Atella ſuas, jamque & Calatia abegit,
Fas ſuperante metu, Pœnorum in caſtra cohorteis.

Exiguum fuiſſe opidum, oſtendit idem poëta lib. VIII:

——— *Nec parvis aberat Calatia muris.*

Opidani inde dicebantur CALATINI. Livius dicto lib. XXII: *Defecêre autem Pœnos hi populi; Atellani, Calatini, Hirpini.* Lib. XXVI: *Omnes Campani, Atellani, Calatini.* Et eodem libro poſteà: *Campanos omneis, Atellanos, Calatinos.* Apud Plinium igitur lib. III cap. V corruptum opidi vocabulum eſt plurali numero *Galatiæ.* De cætero *coloniam* huc deduxiſſe C. Iul. Cæſarem, auctor eſt Appianus. unde Cicero ad Atticum lib. XVI epiſt. VI: *Octavianus veteranos, qui Caſilini & Calatiæ ſunt, perduxit ad ſuam ſententiam.* Ipſe Appianus Bellor. civil. lib. III: Ὁ δὲ Καῖσαρ Ὀκτάβιος ἐς Καμπανίαν ᾔει, πείσων τὰς πόλεις οἱ στρατεύεσθαι, τὰς ὑπὸ τοῦ πατρὸς ᾠκισμένας· καὶ ἔπεισε Καλατίαν πρώτην, ἐπὶ δ' ἐκείνῃ Κασιλῖνον. Id eſt: *Cæſar Octavius in Campaniam proficiſcebatur, uti opida, in quæ pater eius colonias deduxerat, ad ſua ſigna pertraheret. effecitque primùm in Calatiâ; deinde in Caſilino.*

TEANVM SIDICINVM, *colonia.*

Cæterùm ultra Cales in viâ Latinâ, ut ſuprà intelleximus, erat TEANVM SIDICINVM *opidum*: quod vulgò nunc vocatur *Tiano*. Id miror; exſcriptores Latinorum

norum auctorum ferè ubique per Græcam vocabulum hoc ſcripſiſſe literam Θ, Theanum; quum ipſi Græci auctores, Polybius, Strabo, Appianus, Ptolemæus, ſimplex T habeant, Τέανον. Cognominabatur autem opidum Sidicinum à populis Sidicinis, qui quondam tenuêre, ad diſcrimen Teani Apuli in Apuliâ. & quum ab hoc *Teano* opidani dicti ſint Teanenſes: teſte Livio lib. VIIII; illi in Campaniâ vocabantur, ad diſcrimen illorum, cognomine ſuo SIDICINI. Cicero ad Atticum lib. VIII cap. XIII: *Ego Capuam veni eo ipſo die, quo tu Teano Sidicino es profectus.* Epiſt. XV: *Quum Teanum Sidicinum veniſſem.* Livius lib. XXII: *Ipſe, legione claſſis cum tribuno militum Teano Sidicino præmiſſâ, paucos poſt dies Canuſium magnis itineribus contendit.* Cicero Philippicâ II: *Quid ego illas iſtius minas contumeliasque commemorem, quibus invectus eſt in Sidicinos?* De magnitudine ſplendoreque huius urbis ita tradit Strabo lib. V: Ἐν δὲ τῇ μεσογαίᾳ Καπύη μέν ἐστιν ἡ μετρόπολις, κεφαλὴ τῷ ὄντι κατὰ τὴν ἐτυμότητα τοῦ ὀνόματος. τὰ γὰρ ἄλλα πολίχνια νομίζοιτ᾽ ἂν κατὰ τὴν σύγκρισιν, πλὴν Τεάνου Σιδικίνου. καὶ γὰρ αὕτη ἀξιόλογος. Id eſt: *In mediterraneo eſt Capua, gentis caput; re verâ id exſiſtens, quod nomine eius ſignificatur. nam reliqua opidula tantùm eſſe dixeris, ſi cum illa comparentur: excepto Teano Sidicino, quod & ipſum nobile atque illuſtre.* Plinio lib. III cap. V colonia eſt. *Intus*, inquit, *coloniæ, Capua, Sueſſa, Venafrum, Teanum, Sidicinum cognomine.* Frontinus in libro de Colonijs: *Teanum Sidicinum colonia, deducta à Cæſare Auguſto.*

In confinio Sidicini Calenique agri Strabo eodem lib. V DVO refert TEMPLA FORTVNAE: Πρὸς δὲ ταῖς ῥηθείσαις, inquit, ἔτι καὶ αὗται Καμπανικαὶ πόλεις εἰσί, Καλῆς τε καὶ Τέανον· ἃς διορίζουσιν αἱ δύο Τύχαι, ἐφ᾽ ἑκάτερα ἱδρυμέναι τῆς Λατίνης ὁδοῦ. Id eſt: *Præter jam dictas, hæ quoque ſunt Campanæ urbes, Cales atque Teanum. quas diſtingvunt duæ Fortunæ, quarum templa ab utroque viæ Latinæ latere ſunt locata.* DVAE FORTVNAE.

Porrò in Tabulâ itinerariâ iter notatur tale:

Caſino	
Ad flexum	VIII.
Teano Sedicino	VIIII.

Locus iſte AD FLEXVM, medio fermè itinere inter Caſinum & Teanum, unde nomen habuerit, à fluminis an montis alicuius circumflexu, incertum eſt.

Infra Teanum verſùs occaſum Solis hiberni eſt SVESSA *opidum*, cognomine AVRVNCA ſive AVRVNCORVM; ad diſcrimen Sueſſæ Pometiæ ſive Pometiorum; quæ erat in Volſcis. At quia illa Pometia jam inde ab Tarquinio Superbo everſa; plerumque hæc in Auruncis ſimpliciter auctoribus dicitur Sueſſa, ſine cognomine. Plinius lib. III cap. V: *Intus coloniæ, Capua, Aquinum, Sueſſa, Venafrum.* Silius lib. VIII: SVESSA AVRVNCA, *colonia & municipium.*

——— Nec, monte nivoſo
Deſcendens, Atina aberat; detritaque bellis
Sueſſa; atque à duro Fruſino haud imbellis aratro.

Antiquum epigramma:

Hic nunc Campanas moderator ſublevat urbeis,
Vnde ergo & populi ſtatuam tribuêre Sueſſæ.

Vulgò nunc vocatur *Seſſa*. De origine eius ita Livius lib. VIII: *C. Sulpicio Longo, P. Aelio Pæto, conſulibus, inter Sidicinos Auruncosque bellum ortum. Aurunci, à T. Manlio conſule in deditionem accepti, nihil deinde moverant. eò petendi auxilii à Romanis cauſa juſtior fuit. Sed priusquàm conſules ab Vrbe exercitum educerent, fama adfertur, Auruncos metu opidum deſeruiſſe; profugosque cum conjugibus ac liberis, Sueſſam communiſſe, quæ nunc Aurunca adpellata: mœnia antiqua eorum urbemque ab Sidicinis deletam.* Factum hoc anno urbis Romæ CCCCXVII; ante natum Ieſum CCCXXXVI. Coloniam Romanorum factam ſub L. Papirio Curſore V & C. Iunio Bubulco, iterum conſulibus, id eſt, anno urbis Romæ CCCCXLI, ante natum Ieſum CCCXII, teſtatur idem Livius lib. VIIII: *Sueſſa*, inquit, *& Partia eodem anno coloniæ deductæ ſunt. Sueſſa Auruncorum fuerat.* Item Velleius lib. I; qui tamen in alios rejicit conſules. *Et poſt triennium*, inquit, *Tarracinam deducta colonia. interpoſitoque quadriennio Luceria. ac deinde, interjecto triennio, Sueſſa Aurunca.* Ciceronis tempore fuiſſe municipium, ipſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

ipſe teſtatur in Philippicâ XIII. *Prorupit*, inquit, *ſubitò Brunduſium: ut inde agmine quadrato ad Vrbem accederet. lautiſſimum opidum, nunc municipium, honeſtiſſimorum quondam colonorum, Sueſſam, fortiſſimorum militum ſangvine implevit.* Opidani inde erant SVESSANI. nam apud M. Catonem de Re ruſticâ cap. XXII eſt, *in Sueſſano.* Apud Livium lib. XXVI, ubi iter Hannibalis à Capuâ Romam verſùs deſcribit, mendum eſt ingens in his verbis: *Hannibal, quo die Vulturnum eſt transgreſſus, haud procul à flumine caſtra poſuit. poſtero die præter Caleis in agrum Sidicinum pervenit. ibi diem unum populando moratus, per Sueſſulam Alifanumque & Caſinatem agrum viâ Latinâ ducit.* Quid malum ille, qui jam in Sidicinum agrum pervenerat, per Sueſſulam, opidum longè retro inter Capuam & Nolam ſitum, Alifanum petiit agrum? Corrigo audacter, *per Sueſſanum Alifanumque & Caſinatem agrum.*

VENAFRVM *colonia.*

Extremum tandem ad ſeptemtriones verſùs Campaniæ *opidum* fuit VENAFRVM; vulgò nunc, in dextrâ Vulturni ripâ, *Venafri* dictum. Olim utrique ripæ, fuiſſe impoſitum, auctor eſt Strabo dicto lib. V: Ῥεῖ δ' ὁ Οὐόλτουρνος, inquit, διὰ Οὐενάφρου. Id eſt: *Labitur Vulturnus per Venafrum.* Meminit eius Cato de Re ruſticâ cap. CXXXV, CXXXVI, CXLVI. Cicero item ad Atticum lib. VII ep. XIII. *Pompeius*, inquit, *ab Teano Larinum profectus eſt ad* VIII *Kalend. eo die manſit Venafri.* Ptolemæus: Οὐέναφρον, Τέανον, Σούεσσα. *Venafrum, Teanum, Sueſſa.* Opidani inde dicebantur VENAFRANI. Cicero in oratione pro Cn. Plancio: *Totus ille tractus celeberrimus, Venafranus, Alifanus.* Horatius Carm. lib. III odâ V:

Tendens Venafranos in agros.

Coloniam huc aliquando deductam, auctor eſt Plinius dicto lib. III cap. V. *Intus*, inquit, *coloniæ, Capua, Sueſſa, Venafrum.* De cætero præſtantia olei Venafrani paſſim ab auctoribus celebratur. Strabo dicto lib. V; ubi de Campaniæ fertilitate diſſerit: Ὡς δ' αὔτως δ' ἐλαιός ἐςι καὶ πᾶσα ἡ περὶ τὸ Οὐέναφρον ὅμορον τοῖς πεδίοις ὄν. Id eſt: *Conſimiliter & olei ferax eſt totus Venafranus tractus, prædictis campis contiguus.* Plinius lib. XV cap. II; quod eſt de oleo: *Principatum in hoc quoque bono obtinuit Italia toto Orbe; maximè agro Venafrano.* Hinc Iuvenalis Satyrâ V:

Ipſe Venafrano piſcem perfundit. at hic, qui
Pallidus offertur miſero tibi caulis, olebit
Laternam.

Et Martialis lib. XII epigram. LXIIII:

Vncto Cordula lætior Venafro.

Et lib. XIII epigram. XCVIII:

Hoc tibi Campani ſudavit bacca Venafri.
Vngventum, quoties ſumis, & iſtud olet.

Atque hactenus mediterraneas Campaniæ urbeis, quæ ſunt ab dextrâ Vulturni ripâ, expoſuimus. nunc eas quoque dicemus, quæ ab ſiniſtrâ ripâ ſitæ ſunt verſùs orientem.

ACERRAE, *municipium & colonia.*

Heic igitur antiquum *opidum* plurali numero ACERRAE Latinis dictum, Græcis verò Ἀχέῤῥαι, vulgò hodiéque vocatur *Acerra*; vel ſimplicitate vulgi, primam literam præpoſitionem eſſe exiſtimantis, *Cerra*. Situm eſt ad *Clanim* ſive *Clanium* fluvium; quem ſuprà cap. XII deſcripſi. unde Virgilius Γεωργικῶν lib. II:

Talem dives arat Capua, & vicina Veſevo
Ora jugo, & vacuis Clanius non æquus Acerris.

Silius lib. VIII:

Alifæ, & Clanio contemptæ ſemper Acerræ.

Ad Virgilium ita Servius: *Acerræ civitas eſt Campaniæ; quam Clanius præterfluit fluvius: cuius frequens inundatio eam exhaurit. unde ait, vacuis; id eſt, infrequentibus.* Vibius Sequeſter in Fluminum catalogo: *Clanius eſt apud Acerras in Campaniâ. qui quum creverit, meditatur peſtem terræ.* Livius lib. XXIII: *Hannibal, ſpe potiundæ Nolæ ademptâ, Acerras receſſit.* Mox: *Pœnus Acerras primùm ad voluntariam deditionem conatus perlicere. poſteaquàm obſtinatos vidit; obſidere inde atque oppugnare parat.* Opidani inde Plinio lib. III cap. V, & Priſciano lib. II, item Feſto, ACERRANI. Sed & ipſe Livius proximè dictis hæc continuat: *Cæterùm Acerranis plus animi, quàm virium, erat.* Iam antiquiſſimis temporibus municipium Romanorum eſſe factum, auctor eſt idem Livius lib. VIII. *L. Cornelio iterum*, inquit, *& Cn. Domitio conſulibus,*

Romani

Romani facti Acerrani; lege ab L. Papirio prætore latâ, qua civitas ſine ſuffragio daretur. Annus hic fuit poſt Romam conditam CCCCXXII: ante Chriſtum natum CCCXXXI. Poſtmodùm etiam colonia facta. Frontinus in libro de Coloniis: *Acerra, muro ducta colonia. divus Auguſtus deduci juſſit.*

SVESSVLA colonia.

Haud procul Acerris erat antiquiſſimum itidem *opidum* SVESSVLA. cuius locus nunc etiam vulgò vocatur *Caſtel di Seſſola*. ubi antiqui opidi quædam adhuc viſuntur ruinæ. Tabula itineraria:

Capua
Sueſſula VIIII.
Nola VIIII.

Strabo lib. V: Καὶ ἔτι Σουέσσουλα καὶ Ἀτέλλα καὶ Νῶλα καὶ Νουκερία καὶ Ἀχέρραι καὶ Ἄβελλα. Id eſt: *Prætereáque Sueſſula, Atella, Nola, Nuceria, Acherra, & Abella.* Opidani inde Plinio ſunt lib. III. SVESSVLANI; ut & Livio: qui lib. VII ita habet: *Tertia pugna ad Sueſſulam commiſſa eſt.* Poſteà: *Campanorum deinde Sueſſulanorumque auditæ legationes.* Et lib. VIII: *Campanis equitibus civitas ſine ſuffragio data. Cumanos Sueſſulanosque eiusdem juris conditionisque, cuius Capuam, eſſe placuit.* Frontino in libro de Coloniis eſt colonia. *Sueſſula*, inquit, *opidum muro ductum. colonia lege Sullanâ eſt deducta.*

TREBVLA opidum.

Eodem tractu, ad dextram Clanis ripam fuit & TREBVLA *opidum*, Livio ſic dictum; Ptolemæo autem Τρίβουλα, *Tribola*. niſi ab exſcriptoribus fortè η vitiatum ſit in ι. Ex Livio videtur eo loco fuiſſe, ubi nunc celebris conſpicitur vicus, medio ſitu inter ruinas Capuæ & Sueſſulæ, vulgari vocabulo *Trentola*. Livius lib. XXIII: *Marcellus à Canuſio Calatiam petit. atque Vulturno amne trajecto, per agrum Satriculanum Trebianumque ſuper Sueſſulam per monteis Nolam pervênit. Hannibal tum tenebat Capuam cum exercitu.* At legendum eſſe *Trebulanumque*, ex eodem libro patet. ſic enim poſteà ſcriptum eſt: *Circa Capuam, transgreſſo Vulturnum Fabio, poſt expiata tandem prodigia, ambo conſules rem gerebant. Combulteriam & Trebulam & Auſticulam urbeis, quæ ad Pœnum defecerant, Fabius vi cepit; præſidioque in iis Hannibalis Campani permulti capti. Et Nolæ, ſicut priore anno, ſenatus Romanorum, plebs Hannibalis erat; conſiliaque occulta de cæde principum & proditione urbis inibantur. quibus ne incœpta procederent, inter Capuam caſtraque Hannibalis, quæ in Tifatis erant, traducto exercitu, Fabius ſuper Veſuvium in caſtris Claudianis conſedit. inde M. Marcellum cum iis copiis, quas habebat, Nolam in præſidium miſit.* Vt ſuprà *Trebulanum* in *Trebianum*, ſic heic *Saticulam* in *Auſticulam* malè curioſus exſcriptor vitiavit. dein pro voce *Veſuvium* ipſum ſcripſiſſe Livium *Sueſſulam*, ex præcedentibus patet; ubi ita ſcriptum eſt: *Marcellus cum omni profectus Nolâ, ſuprà Sueſſulam poſitis caſtris conſedit.* Et poſteà: *Inde exercitibus ita decretum eſt, ut duabus legionibus urbanis Ti. Sempronius conſul Caleis ad conveniendum diem ediceret. inde ſex legiones in caſtra Claudiana ſupra Sueſſulam deducerentur.* Ac deinde: *M. Claudius proconſul ad eum exercitum, qui ſupra Sueſſulam Nolæ præſideret, miſſus.* Atque iterum: *Q. Fabius frumentum ab Nolâ Neapolique in ea caſtra convexit, quæ ſuper Sueſſulam erant.* Et rurſus: *Id pabulum Fabius convexit in Claudiana caſtra ſuper Sueſſulam.* Ex his igitur tot locis clariſſimè jam patet, vitiatum vocabulum *Veſuvium* eſſe ex genuino *Sueſſula*. At ſi exſcriptor hoc tam fœdum committere potuit mendum; quid jam mireris de aliis illis vocibus, *Trebianum* & *Auſticulam*. Opidani inde dicebantur TREBVLANI. inde Ciceronis etiam villa in huius opidi agro TREBVLANVM adpellabatur; quam paſſim in Epiſtolis memorat. Plinio lib. III cap. V in primâ Italiæ regione, quæ Latium complectebatur & Campaniam, ſunt TREBVLANI cognomine BALINIENSES. fortè ad diſcrimen alterius Trebulæ, quam in Sabinis commemoravimus.

SATICVLA, colonia.

Alterius equidem illius opidi vocabulum in vulgatis Livii exemplaribus, lib. VII, VIIII, & ſuprà ſcripto XXIII *Satricula* ſcriptum eſt: & item inde opidani lib. XXVII *Satriculani*. Verùm ex quibusdam tamen aliis exemplaribus citari video SATICVLA. quod verum germanumque eſſe loci nomen, ex aliis perſpicitur auctoribus. Virgilius Aeneid. lib. VII: ——— *Vertunt felicia Baccho*
Maſſica qui raſtris; & quos de collibus altis

Aurunci misère patres, Sidicinaque juxta
Aequora: quique Cales linquunt: amniſque vadoſi
Adcola Vulturni; pariterque Saticulus aſper.

Ad quæ ita Servius: *Saticulus aſper, Campaniæ populus. aſper; moribus.* Priſcianus lib. II: *Saticulus Saticulanus; Tuſculus Tuſculanus.* Stephani epitomator: Σατίκολα, πόλις Ἰταλίας. τὸ ἐθνικὸν Σατικολανός. Id eſt: *Saticula opidum Italiæ. gentile inde* SATICVLANVS. Sed apud Livium lib. VIIII quum ſæpiſſimè ſit *Satricula:* & ſemel opidani eius *Satriceni:* apud Diodorum lib. XVIIII, in eâdem hiſtoriâ, eſt Σατίκολα, *Saticula.* quod malè peritus interpres & ipſum corrupit in *Satriculam* ex Livio. Sed huius vocabuli corruptio haud dubiè exſcriptoribus nata eſt ex Volſcorum opidi nomine *Satrico.* quod & ipſum ſæpiùs memoratur Livio, lib. II, VI, VII, VIII, XXVIII. Porrò Pompeius Feſtus: *Saticula opidum in Samnio captum eſt:* Livius lib. VII: *Conſules ambo cum duobus ab Vrbe exercitibus profecti, Valerius in Campaniam, Cornelius in Samnium, ille ad montem Gaurum, hic ad Satriculam, caſtra ponunt.* Factum hoc anno poſt Romam conditam CCCCXI, ante natum Ieſum CCCXLII. De cætero haud equidem ipſi Saticulani erant Samnites; ſed horum tum ſocii. Livius lib. VIIII: *Dictator L. Aemilius Satriculam oppugnare adortus, rebellandi cauſam Samnitibus dedit. Duplex inde terror illatus Romanis. hinc Samnis, magno exercitu coacto, ad eximendos obſidione ſocios, haud procul caſtris Romanorum caſtra poſuit: hinc Satriculani, magno cum tumultu patefactis repentè portis, in ſtationes hoſtium incurrerunt.* Inter Campaniæ populos diſertè eos refert præſcripto loco Virgilius. Et ipſe Livius lib. XXIII ita tradit: *Marcellus à Canuſio Calatiam petit. atque Vulturno amne trajecto, per agrum Saticulanum Trebulanumque ſuper Sueſſulam per monteis Nolam pervênit.* Patet ex his verbis, Saticulam fuiſſe eodem tractu cum Trebulâ ac Sueſſulâ ſub Tifatis monte; qui terminus erat ab hac parte inter Campaniam & Samnium. Situs igitur eius maximè quadrat in opidum, quod vulgò nunc dicitur *Caſerta,* in edito colle poſitum: medio itinere inter Capuæ Sueſſulæque ruinas dextrorſum; ex adverſo Trebulæ. Coloniam huc deductam eſſe L. Papirio Curſore V & C. Iunio Bubulco iterum Conſulibus, tradit Livius lib. VIIII: id eſt, anno poſt Romam conditam CCCCXLI; ante Ieſum natum CCCXII. Idem atteſtatur & Velleius lib. I; ſed intricatâ atque aliâ annorum computatione.

ATELLA, municipium & colonia.

Medio itinere inter Capuam atque Neapolim fuit perantiquum *opidum* ATELLA. Tabula itineraria:

Capua	
Atella	VIIII.
Neapoli	VIIII.

Eo ſitu hodiè eſt opidum *Averſa:* circa quod quædam antiquorum operum viſuntur ruinæ. in ipſo autem opido nigri ſilices viæ conſularis, quæ à Puteolis Capuam ferebat, teſte Plinio lib. XVIII cap. XI. Memoratur Ciceroni, Livio, Straboni, Silio, Ptolemæo, Stephani epitomatori, & præſcriptæ Tabulæ itinerariæ. Cicero oratione primâ ad populum contra Rullum: *Atellam, Cumas, Neapolim, Pompeios, Nuceriam, ſuis præſidiis devincient.* Strabo lib. V: Καὶ ἔτι Σεύεσσουλα καὶ Ἄτελλα καὶ Νῶλα. *Prætereáque Sueſſula & Atella ac Nola.* Ptolemæus: Καμπανῶν μεσόγειοι πόλεις, Καπύη, Ἄβελλα, Ἄτελλα. *Campanorum mediterraneæ urbes, Capua, Abella, Atella.* Silius lib. XI:

Iamque Atella ſuas, jamque & Calatia abegit,
Fas ſuperante metu, Pœnorum in caſtra cohorteis.

Opidani inde dicuntur Ciceroni, Livio, Plinio lib. III cap. V, & aliis ſcriptoribus ATELLANI. Livius lib. XXII: *Defecêre autem ad Pœnos hi populi; Atellani, Calatini, Hirpini.* Lib. XXVI: *Omnes Campani, Atellani, Calatini.* Et lib. XXVII: *Nucerini Atellam, quia id maluerant, Atellanis Calatiam migrare juſſis, traducti.* Antiquitas opidi apud Stephani epitomatorem exſtat. Ἄτελλα, inquit, πόλις Ὀπικῶν Ἰταλίας, μεταξὺ Καπύης καὶ Νεαπόλεως. τὸ ἐθνικὸν Ἀτελλανός, ὡς Πολύβιος ἐννάτῃ. Id eſt: *Atella, opidum Opicorum in Italiâ, inter Capuam & Neapolim. gentilitium inde Atellanus; teſte Polybio lib.* VIIII. Livius lib. VII: *Poſtquàm lege hac fabularum ab riſu ac ſoluto joco res avocabatur, & ludus in artem paullatim verterat; juventus, hiſtrionibus fabellarum*

actu relicto, ipſa inter ſe more antiquo ridicula, intexta verſibus, jactitare cepit: quæ inde exodia poſteà adpellata: conſertaque fabellis potiſſimùm Atellanis ſunt. quod genus ludorum ab Oſcis acceptum, tenuit juventus; nec ab hiſtrionibus pollui paſſa eſt. eò inſtitutum manet, ut actores Atellanorum nec tribu moveantur, & ſtipendia, tamquàm expertes artis ludicræ, faciant. Tacitus Annal. lib. IIII: *Oſcum quoddam ludicrum, leviſſimæ apud vulgus oblectationis, eò flagitiorum & virium veniſſe, ut auctoritate patrum coërcendum ſit. Pulſi tum hiſtriones Italiâ.* De cætero, *municipium* aliquando *Atellam* fuiſſe Romanorum, auctor eſt Cicero Familiar. lib. XIII epiſt. VII: *Loquutus ſum, inquit, tecum de agro vectigali municipii Atellani, qui eſſet in Galliâ.* Mox: *Et primùm velim exiſtimes, quod res eſt; municipii fortunas omneis in iſto vectigali conſiſtere.* Poſteà etiam *colonia* fuit. Frontinus in libro de Coloniis: *Atella muro ducta colonia; deducta ab Auguſto.*

Porrò ultra fonteis Clanis amnis ad monteis eſt ABELLA opidum: quod vulgò nunc dicitur *Avella vecchia*, id eſt, *Abella vetus*: ad diſcrimen novæ, quæ propè ſita eſt. Sed in vulgatis auctorum exemplaribus plerumque opidi vocabulum perſcriptum eſt AVELLA. Ex Ptolemæo tamen, qui Romanorum ferè ubique per Italiam ſequitur vocabulorum formationes, collegerim, Abella pronunciaſſe Romanos. habet enim unà cum Strabone Ἄβελλα· alioquin ſcripturus erat Ἀὐέλλα. Apud Virgilii Aeneid. lib. VII jam inde antiqui grammatici capite nomen hoc detruncarunt in hunc modum: *Abella, municipium & colonia.*

Et quos maliferæ deſpectant mœnia Bellæ.

Ad hæc ita Servius: *Multi Nolam volunt intelligi. & dicunt, iratum Virgilium nomen eius mutaſſe propter ſibi negatum hoſpitium. & ita apertè noluiſſe dicere; ſed oſtendere per periphraſin. nam illic Punica mala naſcuntur. ut nunc Bella pro Nola. Alii volunt accipi, ut ſit ſynalœpha; & legatur; Mœnia Abellæ.* Certè Silius, qui perpetuus Virgilii eſt imitator, & urbium, quas ille memorat, curioſiſſimus in ſuum poëma inſertor, non *Bella* habet, ſed *Abella*, lib. VIII hoc verſu:

Surrentum, & pauper ſulci Cerealis Abella.

De origine opidi ita tradit Trogi epitomator Iuſtinus lib. XX: *Iam Nolani, Abellani, nonne Chalcidenſium coloni ſunt?* Poſterioribus temporibus coloniam factam, auctor eſt Frontinus. *Abellam*, inquit, *municipium coloni vel familia imperatoris Veſpaſiani juſſu acceperunt. poſteà ager eius in jugeribus militi eſt adſignatus.* Opidani Plinio dicuntur lib. III cap. V ABELLANI.

Ab Abellâ Neapolim euntibus occurrit perantiqua itidem *urbs* NOLA, vocabulo Græcis auctoribus, niſi ſi quorum exemplaria vitiata ſunt, per ω ſcripto, Νῶλα. *Nola, municipium & colonia.* Hodiè, ferè omnis deſerta, ſine mœnibus, idem nomen ſervat. Memoratur Polybio, M. Catoni, Ciceroni, Livio, Velleio, Straboni, Dioſcoridi, Plinio, Tacito, Svetonio, Appiano, Ptolemæo, & aliis. Opidani inde ſunt Livio XXIII & Iuſtino lib. XX NOLANI. De ſitu opidi ita canit Silius lib. XII:

Campo Nola ſedet, crebris circumdata in orbem
Turribus; & celſo facilem tutatur adiri
Planitiem vallo.

Et Livius lib. XXIII: *Et ſunt omnia campi circa Nolam.* Exiguo pòſt: *Expugnate Nolam, campeſtrem urbem; non flumine non mari ſeptam.* De origine eius varium eſt apud auctores certamen. Silius dicto lib. XII:

Hinc ad Chalcidicam transfert citus agmina Nolam.

Iuſtinus dicto lib. XX: *Iam Nolani, Abellani, nonne Chalcidenſium coloni ſunt?* Negat hoc Livius lib. VIII; ubi de Neapolitanorum Palæpolitanorumque obſidione narrat: *Tarentinorum juventutem Græci Græcos, haud minùs per quos Samniti Nolanoque, quàm ut Romanis hoſtibus reſiſterent, exſpectabant.* Item Dionyſius Halicarnaſſenſis in eâdem hiſtoriâ. cuius verba Excerpta legationum hæc referunt: Ἔτυχον δὲ κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον ἀφιγμένοι πρὸς τοὺς Νεαπολίτας πρέσβεις ὑπὸ Ταραντίνων ἀποσταλέντες, καὶ ἕτεροι ὑπὸ Νωλανῶν ὁμόρων ὄντων, καὶ σφόδρα τοὺς Ἕλληνας ἀσπαζομένων, τἀναντία τοὺς Νεαπολίταις ἀξιώσοντες. Id eſt: *Accidit autem, ut eodem tempore à Tarentinis legati miſſi eſſent, ſimulque alii à Nolanis; populo finitimo & Græcæ gentis ſtudioſiſſimo; contrarium à Neapolitanis petituri.* Hinc Velleius lib. I: *Quidam, huius temporis*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

tractu aiunt, à Tuſcis Capuam Nolamque conditam, ante annos ferè IↃCCCXXX. *quibus equidem adſenſerim*. Ergo Nola XLVIII annis antè condita fuit, quàm Roma à Romulo. nam Velleius ſcripſit dedicavitque hoc opus ſuum M. Vinicio Quartino; quum is conſul eſſet Romæ cum C. Caſſio Longino, anno urbis IↃCCLXXXII. Apud Solinum cap. VIII ita ſcriptum eſt: *Conſtituta Nola à Tyriis*. Id fortaſſe ridiculum; quum Græci tantùm ex exteris gentibus colonias in Italiam deduxiſſe obſerventur. At Hecatæus, antiquus inter primos ſcriptor, antiquiorem adhuc facit Nolam. Stephani epitomator: Νῶλα, πόλις Αὐσόνων· Ἑκαταῖος Εὐρώπῃ. Id eſt: *Nola, urbs Auſonum; auctore Hecatæo in Europâ*. Auſonum nomen heic non fuit, niſi ante Græcorum Tuſcorumque immigrationem; ut ſuprà lib. III cap. VIIII oſtenſum. De cætero, coloniam poſteà factam, auctores ſunt Plinius atque Frontinus. Plinius lib. III cap. V: *Intus coloniæ, Capua, Sueſſa, Venafrum, Teanum Sidicinum, Nola*. Frontinus de Coloniis: *Nola, muro ducta colonia Auguſta. Veſpaſianus Auguſtus deduxit*. Feſto eſt municipium.

NVCERIA *cognomine* ALFATERNA, *colonia*.

Vltima Campanarum eſt NVCERIA *urbs*, trans Veſuvium montem in valle, quam Sarnus amnis inter Veſuvium & Lactarium montem efficit, ſita; vulgò hodiè *Nocera* dicta. Plinius lib. III cap. V: *Herculanium, Pompeii; haud procul ſpectante monte Veſuvio, adluente verò Sarno amne: ager Nucerinus; &* VIIII *millia paſſuum à mari ipſa Nuceria*. Ipſe ego à Pompeiis, ſive, ut nunc adpellatur, à *Scafati* opido, ad *Noceram* deprehendi millia paſſuum VI paullo ampliùs; & ab eodem *Scafati* opido ad mare & oſtium Sarni fermè III. Memoratur præterea Livio, Straboni, Silio, Lucano, Tacito, Appiano, Ptolemæo, Itinerariis Romanis, Procopio. Silius lib. VIII:

Illic Nuceria, & Gaurus navalibus aptus,
Prole Dicarchæâ; multo cum milite Graia
Illic Parthenope.

Lucanus lib. II:

Tu quoque commiſſæ nudatam deſeris arcem,
Scipio, Nuceriæ.

Opidani inde dicebantur NVCERINI; auctore Polybio lib. III. & Livius lib. XXVII ita ait: *Nucerini Atellam, quia id maluerant, Atellanis Calatiam migrare juſſis, traducti*. Origo opidi licèt non adnotata ſit; tamen antiquitas eius inde adparet, quòd jam inde in primâ decade hiſtoriarum ſuarum eius meminit Livius. Lib. VIIII ita ſcribit: *Per idem tempus classis Romana in Campaniam acta; quum adpulſa Pompeios eſſet, ſocii inde navales ad depopulandum agrum Nucerinum profecti*. Et poſteà: *Conſules partiti provincias. Etruria Decio, Samnium Fabio evênit. Is profectus ad Nuceriam. Alifateis, jam tum pacem petenteis, quòd uti eâ, quum daretur, noluiſſent, aſpernatus, oppugnando ſubegit*. Mira ſanè admodùm res: Fabium, uti *Alifas*, Samnii opidum, oppugnaret, longè hinc ad Nuceriam, extremam Campaniæ in mediterraneis urbem, profectum. Sed mendum heic indicat Diodorus lib. XVIIII his verbis: Οἱ δὲ τὴν Νουκερίαν τὴν Ἀλφατέρναν καλουμένην οἰκοῦντες, πεισθέντες ὑπό τινων, τῆς μὲν Ῥωμαίων φιλίας ἀπέστησαν, πρὸς δὲ τοὺς Σαμνίτας συμμαχίαν ἐποιήσαντο. Hoc eſt: *Nuceriæ, quæ Alfaterna dicitur, incolæ, ſvaſu quorumdam inducti, amicitiâ Romanorum deſertâ, in Samnitium ſocietatem ſe contulerunt*. Hinc apud Plinium lib. III cap. V ſunt *Alfaterni*, opido Nuceriâ jam antè memorato eodem capite. Ergo apud Livium etiam legas *Alfaternos*. Sigonius teſtatur, in veteri exemplari ſe reperiſſe ita: *Is profectus ad Nuceriam Alphaternam, jam tum pacem petenteis*. & Franciſcus verò Modius adfirmat, in membranis Fuldenſibus ſic eſſe; *Is profectus ad Nuceriam Alphaternamque, jam tum pacem petenteis*. Vnam intelligi debere urbem, diſerta teſtantur verba. Tum *Alfaternos* ſcribendum eſt, ſi orationi ſuus ſenſus conſtare debet. NVCERIA igitur hæc cognominata fuit ALFATERNA, & opidani eius NVCERINI ALFATERNI, ad diſcrimen *Nuceriæ Camellariæ*, quæ eſt in Vmbriâ. Appianus Bellor. civil. lib. IIII: ubi narrat, præcipuas Italiæ urbeis ab triumviris militibus fuiſſe deſtinatas ad colonias deducendas, hanc noſtram etiam *Nuceriam* inter eas connumerat. *Coloniam* deductam fuiſſe, ex Tacito adparet. is quidpe Annal. lib. XIII in principatu Neronis ita ſcribit: *Coloniæ Capua atque Nuceria additis veteranis confirmatæ ſunt*. Et lib. XIIII: *Sub idem tempus levi contentione*

tione

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

tione atrox cædes orta inter colonos Nucerinos Pompeianosque, gladiatorio ſpectaculo. Ab Auguſto imperatore primùm deducta eſt, cognominataque NVCERIA CONSTANTIA. Frontinus in libro de Coloniis: *Nuceria Conſtantia, muro ducta colonia, deducta juſſu imperatoris Auguſti.*

Porrò iter inter Nuceriam & Nolam in Tabulâ itinerariâ deſcribitur tale:

TEGIANVM, *opidum.*

Nuceria	
Ad teglanum	VIIII.
Nola.	V.

Suſpectam quemvis puto habiturum hanc vocem *Teglanum*, ut corruptam. Neapoli inſcriptio lapidis exſtat huiusmodi: CVR · REIP · TEGIANENSIVM. Ergo opidum fuit in Campaniâ TEGIANVM. quod vocabulum, levi lapſu ex *i* in *l*, exſcriptor Tabulæ corrupit in *Teglanum*. Ex Tabulæ intervallis deprehenditur fuiſſe eo tractu, quo nunc celebris conſpicitur vicus inter Veſuvium montem & Nolam vulgari vocabulo *Parma*, ſive *Palma*. Tabula refert ut locum haud magni momenti. eò miror, tanti aliquando fuiſſe ſplendoris, uti municipii vel coloniæ dignitatem meruerit: utique, quum nulli umquàm alii auctori memoratum ſit. Quapropter facilè ſuſpicer, adulterinam eam eſſe inſcriptionem; ut aliæ innumeræ reperiuntur per univerſam Italiam.

VERESIS, *opidum ſeu caſtellum.*

De reliquo, ſub radicibus Veſuvii montis fuit perantiquum *opidum* ſeu *caſtellum* VERESIS, Ciceroni, Livio, Valer. Maximo, & Auctori de Viris illuſtribus memoratum. quamquàm hic falſò id faciat fluvium. Verba eius in P. Decio patre hæc ſunt: *Conſul bello Latino, collegâ Manlio Torquato, poſitis apud Veſerim fluvium caſtris, quum utrique conſuli ſomnium obveniſſet, eos victores futuros, quorum dux in prœlio cecidiſſet: tum collato cum collegâ ſomnio conveniſſet, ut, cuius cornu in acie laboraret, dis ſe Manibus voveret: inclinante ſuâ parte, ſe & hoſteis per Valerium pontificem dîs Manibus devovit. impetu in hoſteis facto, victoriam ſuis reliquit.* Et in T. Manlio Torquato: *Latinos apud Veſerim fluvium Decii collegæ devotione ſuperavit.* Eadem hiſtoria refertur à Cicerone, Livio, & Valer. Maximo. ex quibus audacter contenderim, fluvium in Italiâ eo vocabulo exſtitiſſe planè nullum. Valerius lib. I cap. VII: *Illud etiam ſomnium magnæ & admirationis & clari fuit exitus, quod eâdem nocte duo conſules, P. Decius Mus & T. Manlius Torquatus, Latino bello, non procul à Veſuvii montis radicibus poſitis caſtris, viderunt.* Et lib. VI cap. IIII: *Manlius Torquatus, ſtirpis eius, qui Latinos apud Veſerim inclytâ pugnâ fuderat.* Cicero de Officiis lib. III: *T. Manlius: cuius tertio conſulatu Latini ad Veſerim fuſi & fugati.* Et de Finibus bonorum & malorum lib. I: *Ita prorſus exiſtimo: neque eum Torquatum, qui hoc primus cognomen invenerit, aut torquem illum hoſti detraxiſſe, ut aliquam ex eo perciperet corporis voluptatem; aut cum Latinis tertio conſulatu conflixiſſe apud Veſerim propter voluptatem.* Livius lib. VIII: *Conſules ad Capuam, quò jam Latini ſociique convenerant, caſtra locant. ibi in quiete utrique conſuli eadem dicitur viſa ſpecies viri maioris, quàm humano habitu, auguſtiorisque, dicentis: Ex unâ acie imperatorem, ex alterâ exercitum diis Manibus deberi. utrius exercitus imperator legiones hoſtium ſuperque eas ſe devoviſſet, eius populi partisque victoriam fore.* Et poſteà: *Pugnatum eſt haud procul radicibus Veſuvii montis; quà via ad Veſerim ferebat.* Et poſtquàm pugnatum: *Latini ex fugâ ſe Minturnas contulerunt. caſtra ſecundùm prœlium capta: multique mortales ibi vivi oppreſſi; maximè Campani.* Et lib. X: *Devotus inde eâdem precatione, eodemque habitu, quo pater P. Decius ad Veſerim bello Latino ſe juſſerat devoveri.* Quum caſtra Romanorum fuerint ad Capuam, victique Latini retro ad Minturnas fugerint; pugnatum haud dubiè ab eâ Veſuvii parte fuit, quæ Capuam ſpectat. at inter Capuam & Veſuvium fluvius omnino eſt nullus, niſi quorum nomina vel ipsâ antiquitate, ut ſuprà intellectum, clariſſima ſemper exſtiterunt; apud Acerras *Clanis*, apud Neapolim *Sebethus*. ab alterâ montis parte eſt *Sarnus*; & ipſe hoc nomine jam inde antiquis temporibus clarus. Omnino ergo concludo; non flumen, ſed caſtellum aliquod aut opidum fuiſſe VESERIM, ſub radicibus Veſuvii montis; ad quod via ducebat publica ab urbe celeberrimâ Capuâ. Atque hinc eſt, quòd nemo præſcriptorum auctorum, præter illum, de Viris illuſtribus, Ve-

ſerim adpellaverit fluvium aut amnem. Neque verò in flumen aliquod certa aliqua via duci poterat. Sed caput disputationis eſt, quòd heic fluvius, præter prædictos, eſt nullus.

Atque hactenus celeberrimæ nobiliſſimæque totius Italiæ regionis Campaniæ loca fluminaque, quæ antiquis memorantur auctoribus, ſummâ, quantum fieri potuit, curâ, explicuimus.

Cap. VI.

De Picentinis.

Campaniæ poſt Minervæ promontorium continuabantur Picentini populi, ad Silarum usque amnem, Lucaniæ terminum; Picentium, ſuperum adcolentium mare, avulſa pars, à Romanis huc traducta. Plinius lib. III cap. V: *A Surrento ad Silarum amnem* XXX *millia paſſuum ager Picentinus fuit Tuſcorum; templo Iunonis Argivæ, ab Iaſone condito, inſignis.* Strabo ſub finem libri V: Μετὰ δὲ τὴν Καμπανίαν καὶ τὴν Σαμνῖτιν μέχρι τῶν Φρεντανῶν, ἐπὶ μὲν τῇ Τυρρηνικῇ θαλάττῃ, τὸ τῶν Πικεντίνων ἔθνος οἰκεῖ, μικρὸν ἀπόσπασμα τῶν ἐν τῷ Ἀδρίᾳ Πικεντίνων, ὑπὸ Ῥωμαίων μετῳκισμένον εἰς τὸν Ποσειδωνιάτην κόλπον, ὃς νῦν Παιστανὸς καλεῖται. * . * . Διήκουσι δ' οἱ Πικέντες μέχρι τοῦ Σιλάριδος ποταμοῦ, τοῦ ὁρίζοντος ἀπὸ ταύτης τῆς χώρας τὴν ἀρχαίαν Καμπανίαν. Hoc eſt: *Poſt Campaniam atque Samniam usque ad Frentanos litus Etruſci maris adcolit Picentina gens, Picentinorum, qui ad Hadriaticum mare incolunt, avulſa particula, traducta à Romanis ad ſinum Poſidoniatem, qui nunc Pæſtanus vocatur.* Paullo pòſt: *Pertingunt autem Picentes ad Silarim usque amnem; qui ab hac regione veterem Campaniam diſterminat.* En, quid heic monſtrorum imperitus exſcriptor formavit? Silarus amnis Picentinorum regionem ſeparat à *veteri Campaniâ.* ergo hæc fuit ultra Silarum; ubi omnes pariter auctores ponunt *Lucaniam.* Item: poſt Picentinorum regionem, id eſt, trans Silarum fuêre Frentani. at hos omnes ſcriptores ad Hadriaticum ponunt mare, inter Picenteis & Apuliam; ut infrà cap. VIII videbimus. Audiverat igitur hic exſcriptor, Picentes apud Hadriaticum mare protenſos fuiſſe usque ad Frentanos. id ille poſteà per immanem errorem de Picentinis heic apud Etruſcum mare perſcripſit. Scribendum autem erat μέχρι τῶν Λευκανῶν· *usque ad Lucanos.* Verùm duabus vocibus iſtis ἀρχαίαν Καμπανίαν nondum video quid faciendum. Videtur tamen hoc Strabo voluiſſe; antequàm *Picentini* huc deducerentur, *Campanos* incoluiſſe hunc agrum ad Silarum usque. Ante Campanos *Tuſci* eum tenuêre cum reliquâ Campaniâ; ut ſuprà ex Plinio intelleximus. Includebantur igitur Picentini ab unâ parte mari infero: ab alterâ, quâ *Campani* erant contermini, jugo illi, quod à Minervæ promontorio introrſus protenditur ad opidum usque *Cavam.* hinc lineâ, juxtà Sarni & Caloris amnium fonteis ad Apenninum ductâ, primùm ab *Samnitibus*, dein ab *Hirpinis* ſejungebantur. à tertiâ parte ipſo Apennino ab iisdem Hirpinis discernebantur. ab reliquâ parte, quâ *Lucanos* conterminos habebant, erat Silarus amnis. Ptolemæus heic haud modicè erravit; dum Picentinorum regionem à Sarno amne ad Silarum usque producit. Πικεντίνων, inquit, Σάρνου ποταμοῦ ἐκβολαί, Σούρρεντον, Σάλερνον. Λουκανῶν, Σιλάρου ποταμοῦ ἐκβολαί. Id eſt: *Picentinorum ſunt, Sarni fluminis oſtium, Surrentum, Salernum, Lucanorum Silari amnis oſtium.* At Mela, haud perinde diligens Italiæ deſcriptor, omnem Picentinorum regionem Lucaniæ attribuit. Lib. II cap. IIII, adverſo litore incedens, *Pæſtanus*, inquit, *ſinus, Pæſtum opidum, Silarus amnis, Picentia, Petræ quas Sirenas habitavêre, Minervæ promontorium; opima Lucaniæ loca.* De cætero deducti haud dubiè Picentini huc ex *Picentibus* fuêre, quum M'. Curius Dentatus conſul, cui collega fuit P. Cornelius Rufinus, anno urbis Romæ CCCCLXIII, Samniteis Sabinosque & alias hinc ad mare usque ſuperum genteis debellavit; ut ſuprà lib. II cap. VIII in Sabinis oſtenſum. Sed fines Picentinorum poſtquàm oſtenſi, opida eorum etiam indicentur. De his ita Strabo prædicto lib. V: τῶν δὲ Πικεντίνων ὑπῆρχε μητρόπολις Πικεντία· νυνὶ δὲ κωμηδὸν ζῶσιν, ἀπωθέντες ὑπὸ Ῥωμαίων διὰ τὴν πρὸς Ἀννίβαν κοινωνίαν. ἀντὶ δὲ στρατείας ἡμεροδρομεῖν καὶ γραμματοφορεῖν ἀπεδείχθησαν ἐν

τῷ τότε

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

τῷ τότε δημοσίῳ, καθάπερ καὶ Λευκανοὶ καὶ Βρέτιοι, κατὰ τὰς αὐτὰς αἰτίας. ἐπετείχισαν δ᾽ αὐτοῖς Σάλερνον Ῥωμαῖοι, φρουρᾶς χάριν, μικρὸν ὑπὲρ τῆς θαλάτης. Hoc eſt: *Picentinorum caput fuit Picentia. nunc verò per vicos habitant; à Romanis urbe expulſi, quòd Hannibali ſeſe conjunxiſſent. Loco autem militiæ adſignatum iis fuit, uti curſores ac tabellarii eſſent in eo reipublicæ ſtatu, quem tunc tenebant: quemadmodùm & Lucani atque Brutii, eamdem ob cauſam. Præſidii verò loco adversùm eos communiverunt Romani Salernum, haud procul à mari.* Hinc duo iſta tantùm memorat opida Plinius dicto lib. III cap. V. *A Surrento*, inquit, *ad Silarum amnem XXX millia paſſuum ager Picentinus fuit Tuſcorum; templo Iunonis Argivæ, ab Iaſone condito, inſignis. Intus opida, Salerni, Picentia.*

SALERNVM *opidum*, præter Strabonem & Plinium, memoratur etiam Horatio, Livio, Velleio, Silio, Lucano, Appiano, Ptolemæo, Itinerariis antiquis. Horatius lib. I epiſt. XV: SALERNVM *colonia.*

Quæ ſit hiems Veliæ, quod cœlum, Vala, Salerni.

Silius lib. VIII:

Ille & pugnacis laudavit tela Salerni.

Lucanus lib. II:

——— *Radensque Salerni*
Culta Siler

Vulgò etiam nunc urbs archiepiſcopali ſede clara dicitur *Salerno*; ſed in ipſo litore poſita: quum olim remota eſſet à mari, in montibus, quæ hodiernæ urbi imminent. Itineraria ſic habent:

Tabulæ:		Antonini:	
Nuceria		*Nuceria*	
Salerno	VIII.	*In medio Salerno ad Tanagrum*	XXX.

Hodiéque inter Nuceriam & Salernum juſta ſunt millia VIII. Coloniam Romanorum huc deductam fuiſſe, auctores ſunt Velleius atque Livius. Velleius lib. I: *Cn. Manlio Volſone & M. Fulvio Nobiliore conſulibus, Bononia deducta colonia: & poſt quadriennium Piſaurum ac Potentia: interjectoque triennio Aquileia & Graviſca: & poſt quadriennium Luca. eodem temporum tractu, quamquàm apud quosdam ambigitur, Puteolos Salernumque & Buxentum miſſi coloni.* Longè aliter Livius: qui ante omneis iſtas colonias Salernum Buxentumque deductas colonias tradit, anno VII poſt bellum Hannibalicum, in conſulatu P. Cornelii Scipionis Africani altero & Ti. Sempronii Longi. Verba eius lib. XXXIIII, in rebus dicti conſulatus, hæc ſunt: *Coloniæ civium Romanorum eo anno deductæ ſunt, Puteolos, Vulturnum, Liternum; triceni homines in ſingulas. item Salernum Buxentumque coloniæ civium Romanorum deductæ ſunt.* Hoc ſanè tempus magis quadrat in Strabonis narrationem; qui ait, expulſos fuiſſe à Romanis ſuâ urbe Picentinos, juſſosque vicatim habitare. præſidii autem loco contra eos communitum fuiſſe Salernum. Exſtitiſſe hanc coloniam temporibus bellorum civilium, teſtis eſt Appianus eorum bellorum lib. I. Πάπιος δὲ καὶ Σταβίας εἷλε καὶ Λίτερνον καὶ Σάλερνον, ἣ Ῥωμαίων ἀποικία ἦν. Id eſt: *Papius Stabias cepit & Liternum ac Salernum; quæ Romanorum erat colonia.* Poſterioribus etiam celebrem fuiſſe temporibus urbem, inde patet, quòd Tabula itineraria primariæ urbis ſigno depictam habet. Opidani inde dicebantur SALERNITANI. Plinius lib. XIII cap. III: *In Salernitanâ latebrâ.* Valer. Maximus lib. VI cap. VIII: *In regione Salernitanâ.*

Alterum hinc Picentinorum *opidum* PICENTIA, quod caput gentis fuit, teſte ſuprà ſcripto Strabone, memoratur prætereà Melæ, Plinio, Silio, Floro, Tabulæ, itinerariæ, & Stephani epitomatori. Silius lib. VIII: PICENTIA *opidum.*

——— *Nunc ſeſe oſtendere miles*
Leucoſiæ è ſcopulis, nunc quem Picentia Pæſto
Miſit.

Mela lib. II cap. IIII: *Pæſtum opidum, Silarus amnis, Picentia, Petræ quas Sirenes habitavêre, Minervæ promontorium.* Ergo maritimum fuit opidum Picentia? Negat Plinius; *Intus*, inquiens, *Salerni, Picentia.* negat Tabula itineraria; quæ itinera huiusmodi habet:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Salerno		*Salerno*	
Icentie	XII.	*Icentie*	XII.
Abellino	XII.	*Silarum ſl.*	VIIII.
Benevento	XVI.	*Nares Lucanas*	VIIII.
		Vico mendicolco	....
		Nerulos	XXVII.

Vtrumque iter in mediterranea ducit; alterum verſùs ſeptemtriones in Hirpinos, alterum versùs ortum hibernum in Lucanos. namque *Nerulos* nunc vocari *Epiſcopiam* ad ripam Siris amnis, qui nunc vulgò eſt *Sinno*, pòſt in Lucanis docebo. In primo quidem itinere Picentia ponitur medio ſitu inter Salernum & Abellinum. Verùm hoc falſum oportet ſit; quando ab eo loco non VIIII millia, ut eſt altero itinere, ad Silarum fluvium intercedunt, ſed XX ampliùs. numeri igitur illi XII corrupti ſunt: quæ corruptio Picentiæ locum immutavit. Ego equidem iter per oram maritimam à Salerno ad Silarum ter faciens, quamvìs diligentiſſimè de Picentiæ ſitu incolas percunctatus ſim, tamen nihil certi ex iis inveſtigare potui. tandem ubi Lugdunum redii, ex magno amico, cuius ſuprà in Campaniâ ad Stabias memini, Doct. Ael. Everhardo Vorſtio intellexi, iter eum quondam ab Tarentino ſinu cum illuſtriſſimo domino Fabricio Pignatello, marchione Cerchiaræ, cuius tum medicum ad ſeſqui annum egit, per interiora Italiæ Neapolim verſùs feciſſe: in eoque itinere incidiſſe in rudera antiqui opidi, inter opida, quibus vulgaria vocabula *Oliveto*, *Conturſi*, & *Campagna d'Evoli*, ſita; quibus hodiéque ab incolis nomen tribuatur *Vicenza*. diſtare autem eum locum à proximâ Silari ripâ IIII millia paſſuum. In Tabulâ itinerariâ *Picentiæ* nomen, ſeu, ut illic vitiatum eſt, *Icentie*, ſemel tantùm à Salerno perſcriptum eſt. inde verò lineæ deducuntur itinerariæ duæ: altera verſùs Abellinum & Beneventum; altera verſùs Lucaniam & Nerulos. Potuit igitur eſſe ſatis remota Picentia ab itinere, quod Salerno fert Abellinum. Corruptos eſſe numeros in tabulâ inter Salernum Picentiamque & Abellinum, jam anteà convici. quòd ſi verò is numerus utrimque geminetur; ita, uti & à Salerno ad Picentiam, & hinc ad Abellinum ponantur XXIIII millia; propiùs ad verum accedemus Picentiæ ſitum. Et rectè ſanè eadem Tabula à Picentiâ habet ad Silarum VIIII millia. tot enim circiter ſunt à dictis ruderibus ad ſuperiorem Silari ripam, quâ opidum ei adpoſitum vulgari vocabulo *Valvano*. Sed hic etiam vitiatus poteſt eſſe numerus: quum iter illud potuerit actum eſſe, non per montana, ſed per amœniſſimam Tanagri fluminis vallem, quæ vulgò dicitur *Val di Diano*. Sed de ſitu Picentiæ ſatis. Cæterùm quum Romani Picentinos inde expulerunt, aut non deletam fuiſſe, aut poſteà iterum inſtauratam, patet ex Flori lib. III cap. XVIII; quod eſt de Sociali bello. *Nec Hannibalis*, inquit, *nec Pyrrhi fuit tanta vaſtatio. ecce Ocriculum, ecce Grumentum, ecce Fæſulæ, ecce Carſeoli reſeratæ. Nuceria & Picentia cædibus, ferro, & igne vaſtantur.* Initium cepit hoc bellum anno urbis Romæ IƆCLXIII; ante natum Ieſum anno XC: duravitque V circiter annos. Tempore auctoris Tabulæ itinerariæ, quæ circa Iuliani imperatoris tempeſtatem, quadringentis ferè annis poſt natum Chriſtum confecta, exigui momenti fuiſſe locum, ex eo adparet, quòd nudum tantùm poſitum illic eſt nomen.

Marcina opidum.

Porrò Strabo fine dicti libri V ita tradit: Μεταξὺ δὲ τῶν Σειρηνουσσῶν καὶ τῆς Ποσειδωνίας Μαρκίνα Τυῤῥηνῶν κτίσμα, οἰκούμενον ὑπὸ Σαμνιτῶν. ἐντεῦθεν εἰς Πομπηΐαν διὰ Νουκερίας οὐ πλειόνων ἑκατὸν καὶ εἴκοσι σταδίων ἐστὶν ὁ ἰσθμός. Id eſt: *Inter Sirenuſas & Poſidoniam Marcina eſt, Etruſcorum opus, à Samnitibus habitata. Hinc per Nuceriam ad Pompeiam usque iſthmus eſt* CXX *haud ampliùs ſtadiorum.* Id eſt, *millium paſſuum* XV. At quàm mira hæc eſt loci deſignatio, inter Sirenuſas & Poſidoniam, id eſt, Pæſtum; quum ab eo loco ad Pompeios XV tantùm velit eſſe millia paſſuum? Sed ait, eum locum ad iſthmum eſſe, qui Pompeios usque extendatur. Id montis jugum, quod in Minervæ denique finitur promontorium: quodque partim aſperis partim planis locis ſuſtinet opida epiſcopalia, quibus vulgaria vocabula, *Maſſa*, *Vico*, *Caſtel à mar di Stabia*, *Letteri*, *Ravello*, *Scala*, *Grand*, *Minori*, & duas archiepiſcopaleis urbeis *Amalfi* & *Sorrento*, iſthmum habet à Nuceria ad opidum *Veteri* CIↃIↃ paſſus à Salerno diſſitum: quo veluti peninſula quædam dictum jugum efficitur. Iſthmus autem iſte eſt vallis XIII millium

millium paſſuum longitudine: in qua opidum tranſitur *Cava* poſt VI millia paſſuum à Nuceriâ. Ex iſthac igitur Strabonis deſcriptione MARCINA *opidum* id eſt, quod nunc dicitur vulgò *Veteri*: ipſo nomine antiquitatem ſuam indicans; ut multa alia loca per inferiorem Italiam. Tuſcorum ſive Tyrrhenorum ait Strabo eſſe opus. Plinius dicto lib. III cap. V, *A Surrento*, inquit, *ad Silarum amnem* XXX *millia paſſuum ager Picentinus fuit Tuſcorum, templo Iunonis Argivæ, ab Iaſone condito, inſignis.* An igitur heic Marcinæ fuit iſtud TEMPLVM IVNONIS ARGIVAE? De *Iaſone* fabulæ ſunt. Condiderunt autem templum hoc haud dubiè Græci homines, qui uni Iunonem Argivam colebant; nempe Tyrrheni Pelaſgi, qui quondam unà cum Tuſcis ſub unâ republicâ inter Arnum amnem, Apenninum montem, Tiberim fluvium, & mare inferum, vivebant; atque inde expeditione factâ, omnem Campaniam occupabant: ut ſuprà lib. II cap. I oſtenſum.

De reliquo, eſt hodie opidum, IIII millia paſſuum citra Silarum, vulgari vocabulo *Evoli*. id equidem haud dubitaverim, quin olim dictum fuerit plurali numero EBVRI: unde Plinio lib. III cap. XI opidani dicantur EBVRINI: quamquàm ille Lucaniæ eos tribuat, errore vicinitatis. ſic ſcilicet eodem capite Bantinos, Apuliæ, ut ſuo loco patebit, populos, eidem adſcripſit Lucaniæ. ſic eodem capite compluréis alios populos & opida per ſummam incuriam alienis adſignavit gentibus. EBVRI *opidum.*

CAP. VII.

De SAMNITIBVS; *quorum regio* SAMNIVM.

CAmpaniæ ab ſeptemtrionibus continuabatur SAMNIVM; cuius incolæ SAMNITES, Græcis Σαυνῖται, *Saunitæ*, dicti. Originem huius gentis oſtendimus ſuprà lib. III cap. VIIII; ubi de Auſonum gente diſſeruimus: qui poſteà dicti fuêre *Opici* & *Oſci*; ac tandem *Sabini*, & *Sabelli*: quorum deinde pars maxima *Samnites* vocati. Hinc Strabo lib. V: Ἔστι δὲ παλαιότατον γένος οἱ Σαβῖνοι, καὶ αὐτόχθονες. τούτων δ' ἄποικοι Σαμνῖται. Id eſt: *Sabinorum antiquiſſima eſt gens, & indigena. ab his originem duxêre Samnites.* Varro de Latinâ linguâ lib. VI: *Hoc enim à Sabinis orti Samnites tenuerunt.* SABELLI auctoribus crebrò adpellantur. Plinius lib. III cap. XII: *Samnitium, quos Sabellos, & Græci Saunitas dixêre, colonia Bovianum.* Virgilius Γεωργικῶν lib. II, de Italiâ loquens:

Hæc genus acre virûm, Marſos, pubemque Sabellam
Extulit.

Ad hæc ſic Philargyrus: *Hi ſunt, qui olim Auſones dicebantur. De Sabellis Varro in Agemodo ſic ait: Terra culturæ causâ attributa olim particulatim hominibus; ut Etruria Tuſcis, Samnium Sabellis.* Livius lib. VIII: *Alteri conſuli, Aemilio, ingreſſo Sabellum agrum, non caſtra Samnitium, non legiones usquàm oppoſitæ.* Lib. X: *Samnitium dux Gellius Egnatius pabulatum cum cohortibus paucis ierat.* Paullo pòſt: *Ibi interventu Gellii cohortiumque Sabellarum paullisper recruduit pugna.* Horatius lib. II Satyrâ I:

Nam Venuſinus arat finem ſub utrumque colonus:
Miſſus ad hoc, pulſis, vetus eſt ut fama, Sabellis,
Quò ne per vacuum Romano incurreret hoſtis.

Bellicoſiſſimam fuiſſe totius Italiæ gentem, & quæ Romanis maxima faceſſiit negotia, omnes Romanorum, in primis verò Livii, teſtantur hiſtoriæ. unde illud lib. X: *Superſunt etiam nunc Samnitium bella, quæ continua per quartum jam volumen annumque ſextum & quadrageſimum à M. Valerio, A. Cornelio, conſulibus, qui primi Samnio arma intulerunt, agimus. Et ne tot annorum clades utriusque gentis laboresque actos nunc referam; quibus nequiverint tamen dum illa pectora vinci: proximo anno Samnites in Sentinati agro, Pelignis, ad Tifernum, Stellatibus campis, ſuis ipſi legionibus miſti alienis, ab quatuor exercitibus, quatuor ducibus Romanis cæſi fuerant: imperatorem clariſſimum gentis ſuæ amiſerant; ſocios belli, Etruſcos, Vmbros, Gallos, in eâdem fortunâ videbant, qua ipſi erant; nec ſuis nec externis viribus ſtare jam poterant: tamen bello non abſtinebant.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

adeò ne infeliciter quidem defenſæ libertatis tædebat: & vinci, quàm non tentare victoriam, malebant. Florus lib. I cap. XVI: *Pro hac urbe,* [*Capuâ*] *iis regionibus* [*Campaniæ*] *populus Romanus Samniteis invaſit; gentem, ſi opulentiam quæris, aureis & argenteis armis, diſcolori veſte usque ad ambitum armatam: ſi inſidiarum fallaciam, ſaltibus ferè & montium fraude graſſantem: ſi rabiem & furorem, ſacratis legibus humaniſque hoſtiis in exitium Vrbis agitatam: ſi pertinaciam, ſexies rupto fœdere; cladibusque ipſis animoſiorem. Hos tamen L annis per Fabios & Papirios patres, eorumque liberos, ita ſubegit populus Romanus ac domuit, ita ruinas ipſas urbium diruit, ut hodiè Samnium in ipſo Samnio requiratur: nec facilè adpareat materia quatuor & viginti triumphorum.* Sed poſterioribus etiam temporibus, bello ſociali, & item civili Mariano ingens eorum adparuit in arma ardor. qua de re ita per compendium Strabo lib. V: Σαμνῖται δὲ πρότερον μὲν καὶ μέχρι τῆς Λατίνης τῆς περὶ Ἀρδέαν ἐξοδείας ποιούμενοι, μετὰ δὲ ταῦτα αὐτὴν τὴν Καμπανίαν πορθοῦντες, πολλὴν ἐκέκτηντο δύναμιν. νυνὶ δ᾽ ἐκπεπόνηνται τελέως ὑπό τε ἄλλων, καὶ τὸ τελευταῖον ὑπὸ Σύλλα, τοῦ μοναρχήσαντος Ῥωμαίων· ὅς, ἐπειδὴ πολλαῖς μάχαις καταλύσας τὴν τῶν Ἰταλιωτῶν ἐπανάστασιν, τούτους σχεδόν τι μόνους συμμένοντας ἑώρα καὶ ὁμοίως ὁμοροῦντας, ὥστε καὶ ἐπ᾽ αὐτὴν τὴν Ῥώμην ἐλθεῖν, συνέστη πρὸ τοῦ τείχους αὐτοῖς. καὶ τοὺς μὲν ἐν τῇ μάχῃ κατέκοψε, κελεύσας μὴ ζωγρεῖν· τοὺς δὲ ῥίψαντας τὰ ὅπλα περὶ τρισχιλίους ἄνδρας, ἢ τετρακισχιλίους, φασίν, εἰς τὴν δημοσίαν ἔπαυλιν, τὴν ἐν τῷ Μαρτίῳ κάμπῳ, καταγαγὼν εἷρξε. τρισὶ δὲ ὕστερον ἡμέραις ἐπιπέμψας στρατιώτας, ἅπαντας ἀπέσφαξε· προγραφάς τε ποιούμενος, οὐκ ἐπαύσατο πρὶν ἢ πάντας τοὺς ἐν ὀνόματι Σαμνιτῶν διέφθειρεν, ἢ ἐκ τῆς Ἰταλίας ἐξέβαλε. πρὸς δὲ τοὺς αἰτιωμένους τὴν ἐπὶ τοσοῦτον ὀργήν, ἔφη, καταμαθεῖν ἐκ τῆς πείρας, ὡς οὐδέποτ᾽ ἂν εἰρήνην ἀγάγοι Ῥωμαίων οὐδὲ εἷς, ἕως ἂν συμμένωσι καθ᾽ ἑαυτοὺς Σαμνῖται. Hoc eſt: *Samnites, quum quondam in Latium & ad Ardeam usque excurſiones feciſſent, deinde ipſam egiſſent tuliſſentque Campaniam, ad magnam pervenerunt potentiam. At hac tempeſtate planè ſunt confecti: cùm ab aliis, tùm poſtremùm à Sullâ: eo ſcilicet, qui ſolus rempublicam Romanam in ſuâ habuit manu. is enim quum multis prœliis Italicam rebellionem evertiſſet; Samniteis cernens ſolos propemodùm nondum diſſipatos, ita unanimiter bellum gerere, ut etiam ad ipſam Romam ducerent; ante urbis mœnia prœlium cum iis conſeruit: partimque in pugnâ eos delevit; edicto, ne quis Samnis vivus caperetur: reliquos, quum arma abjeciſſent, (ad III aut IIII millia virorum fuiſſe traduntur) in villam publicam, quæ eſt in Campo Martio, deductos incluſit: triduoque pòſt, immiſſis militibus, trucidavit univerſos. proſcriptionibusque inſtitutis, haud antè finem fecit, quàm, quidquid Samnitici erat nominis, aut occidiſſet, aut Italiâ expuliſſet. incuſantibusque tantam eius ſævitiam, reſpondit; Experientiâ ſe edoctum, neminem quemquam Romanorum pacem acturum, quàm diu Samnites inter ſe cohærerent.* Meritò igitur ac ſummo jure *belligeri* adpellantur Silio lib. X, his verſibus:

Paſſim ſigna jacent, quæ Samnis belliger, & quæ
Sarraſtes populi Marſique tulère cohortes.

Sed maximus eorum laudator eſt graviſſimus rerum ſcriptor Tacitus, in libro de Germaniâ: ubi Germanorum fortitudinem cum totius Orbis populis, à Romanis perdomitis, vel bello tentatis, comparat. *Sexcenteſimum*, inquit, *& quadrageſimum annum urbs noſtra agebat, quum primùm Cimbrorum audita ſunt arma, Cæcilio Metello ac Papirio Carbone conſulibus. ex quo ſi ad alterum imperatoris Traiani conſulatum computemus; ducenti fermè & decem anni colliguntur. tam diu Germania vincitur. medio tam longi ævi ſpacio multa invicem damna. non Samnis, non Pœni, non Hiſpaniæ Galliæve, ne Parthi quidem ſæpius admonuère. quidpe regno Arſacis acrior eſt Germanorum libertas.* Vnos nominavit ex totâ Italiâ Samniteis: quia hi uni quàm diutiſſimè ſimul pertinaciſsiméque morati ſunt Romanis Italiæ imperium. Sed de origine ac fortitudine gentis poſtquàm abundè dictum, fines agrorum nunc etiam oſtendantur.

Ab initio equidem Samnitium nomen finesque extendebantur ad Apulos usque & Lucanos. unde illud Horatii lib. II ſatyrâ I:

Nam Venuſinus arat finem ſub utrumque colonus:
Miſſus ad hoc, pulſis, vetus eſt ut fama, Sabellis,
Quò ne per vacuum Romano incurreret hoſtis.

At poſtmodùm bonâ parte Samnitium ab Samnitico nomine ſecedente, novo invento ſibi Hirpinorum vocabulo; pars terrarum haud modica, Apuliæ Lucaniæque contermina, Samnio abceſsit. Nos igitur utrosque populos ſeparatim dicemus.

Itaque

Itaque Samnitium fines fuêre ab occaſu, primùm, quà Volſcos conterminos habuêre, linea ab Sagri fluminis fontibus ad Vulturnum amnem, medio ſitu inter Aeſerniam & Venafrum opida ducta. hinc quà Campanis jungebantur, ipſe Vulturnus amnis, confluentem usque Iſcleri fluvii: inde porrò Tifata mons & ab eius extremo linea verſùs opidum *Abellinum*, in ripâ Sabati fluminis, qui in Vulturnum influit, ſitum, ducta. hinc ab ortu, quà Hirpini contermini fuêre, alia ducenda eſt linea à meridie in ſeptemtriones, ad Calorem amnem, prope Beneventum. inde alia ducatur linea, ex occaſu in ortum ad fontem Frentonis amnis; qui vulgò nunc dicitur *Fortore*. hinc ipſe Frento Samniteis ſeparat ab Apulis ad opidum usque vulgari adpellatione *Serra Capriola*. inde ab ortu æſtivo aliâ lineâ ad Sagrum amnem ductâ ab *Frentanis* discernebantur. hinc Sagrus eos incluſit ad fontem usque. in cuius adversâ ripâ erant *Peligni*; & circa fontem *Marſi*. unde illud Livii lib. VIIII: *Etruriam è Samnio per Marſos ac Sabinos petituri*. Ergo ager intra hos fineis ſitus SAMNIVM vocabatur. M. Varro de Latinâ lingvâ lib. IIII: *Oritur è Samnio Volturnus*. Cicero pro A. Cluentio: *Boviano totoque ex Samnio laudationes miſſæ ſunt*. Ad Atticum lib. VIII ep. XV: *Qui è Samnio Apuliâque veniebant*. Livius lib. VIII: *Samnium evaſtatum*. Lib. VIIII: *P. Sempronium conſulem cum exercitu brevi in Samnio fore*. Et ſic paſsim in reliquâ hiſtoriâ. At monendus heic lector; eumdem Livium paſsim etiam Samnium nominare extra præſcriptos fineis. ſed impropriè: quum ea fuerint loca, quæ Samnites extra Samnium ſuum vi vel perſvaſu in ſuam redegerunt poteſtatem. Vnum atque alterum exemplum ponam. Lib. VIIII: *In Samnio quoque, quia deceſſerat inde Fabius, novi motus exorti. Calatia & Sora, præſidiaque, quæ in iis Romana erant, expugnata*. Ex his Calatiam fuiſſe Campaniæ, ſuprà cap. V patuit: Soram verò Volſcorum fuiſſe, lib. III cap. VIII docui: Lib. X: *Conſules, Sp. Carvilius cum legionibus in Samnium profectus, Amiternum opidum de Samnitibus vi cepit: Papirius, novo exercitu ſcripto, Duroniam urbem expugnavit. Inde pervagati Samnium conſules, maximè depopulato Antiate agro, Carvilius ad Cominium, Papirius ad Aquiloniam, ubi ſumma rei Samnitium erat, pervênit*. Ecce, quàm propè Romæ admovet Samnium, ad Antium usque, Volſcorum gentis caput; ut dicto lib. III cap. VII oſtenſum. *Amiternum* autem fuiſſe Sabinorum, lib. II cap. VIIII docui. Atque hactenus de finibus Samnii ſatis diſſertum. nunc interiora eius, urbes ſcilicet, & alia loca, fluminaque exponantur. Incipiamus autem ab eâ regionis parte, quæ Volſcis ſive Novo Latio contermina eſt. uti inde ordine progrediundo, tandem ad Hirpinos perveniamus. Ac primùm quidem dicemus ea, quæ trans Apenninum ſunt.

Primùm igitur heic occurrit AVFIDENA *opidum*, ad Sagrum amnem ſitum, vulgari nunc vocabulo *Alſidena*. Memoratur Livio, Ptolemæo, Itinerariis Romanis. & Plinio lib. III cap. XII opidani inde ſunt Samnitium AVFIDENATES. Vetuſtiſſima eius memoria eſt apud Livium lib. X; in conſulatu L. Cornelii Scipionis & Cn. Fulvii Centumali; anno poſt Romam conditam CCCCLV; ante natum Ieſum CCXCVIII. *Cn. Fulvii*, inquit, *conſulis clara pugna in Samnio ad Bovianum haudquaquàm ambiguæ victoriæ fuit. Bovianum inde adgreſſus. nec ita multo pòſt Aufidenam vi cepit*. Apud Ptolemæum hæc ſunt: Καρακηνῶν, οἵ εἰσιν ὑπὸ τοὺς Φρεντανοὺς, Αὐφίδηνα. Id eſt: *Caracinorum, qui ſunt ſub Frentanis, Aufidena*. Sic ille extra Samnium ſingulari *Caracinorum* genti tribuit *Aufidenam*. Et eſt ſanè idem vocabulum, niſi quòd unâ literâ immutatum, apud Zonaram quoque: qui Annal. volumine II ſic habet: Λόλλιός τις ἀνὴρ Σαμνίτης, ὁμηρεύων ἐν Ῥώμῃ, καὶ ἐκδρὰς, δύναμιν συνελέξατο, καὶ καρτερὸν χωρίον τι ἐν τῇ οἰκείᾳ καταλαβὼν ἐλῄστευεν. ἐφ᾽ ὃν Κόϊντός τε Γάλλος καὶ Γάϊος Φάβιος στρατεύσαντες, αὐτὸν μὲν καὶ τοὺς σὺν αὐτῷ σύγκλυδας καὶ ἀόπλους τοὺς πλείονας ὄντας συνέσχον· χωρήσαντες δ᾽ ἐπὶ Καρικίνους, παρ᾽ οἷς τὴν λείαν ἐκεῖνοι ἀπέθεντο, πράγματα εἶχον. καὶ τέλος νυκτὸς ὑπ᾽ αὐτομόλων, ὑπερβάντες πῃ τοῦ τείχους, ἐκινδύνευσαν ἀπολέσθαι διὰ σκότος, οὐχ ὡς ἀσελήνου τῆς νυκτὸς οὔσης, ἀλλ᾽ ὅτι σφοδρότατα ἔνιφεν. ἐκφανείσης δὲ τῆς Σελήνης, ἀθρόον ἐκράτησαν τοῦ χωρίου. Hoc eſt: *Lollius quidam Samnis, Romæ obſes; dein fugâ elapſus, manu factâ, & munito ſuæ regionis caſtello occupato, latrocinia agitabat. Eum equidem unà cum ſuis, qui colluvies erant hominum & inermes, maiori ex parte Q. Gallus & C. Fabius comprehenderunt. at Caricinorum oppugnatio, apud quos prædam depoſuerant, difficilis fuit. tandem transfugarum operâ noctè ſuperato muro, in tenebris penè cæſi fuiſſent; non ob noctem illunem;*

ſed

AVFIDENA *opidum*.

ſed propter nivium procellas. quum autem luna illuxiſſet, confeſtim caſtellum expugnarunt. Verùm haud obſcurè heic unius caſtelli incolæ dicuntur CARICINI. quorum ipſum caſtellum haud dubiè dicebatur Καρίκιον, *Caricium*: ſcilicet, ſi ſine mendo ſit apud Zonaram id vocabulum.

TREVENTINVM, *opidum.* Porrò ultra Aufidenam eſt opidum ad Trinium flumen vulgari nunc vocabulo *Trivento*. id antiquitus videtur fuiſſe TREVENTINVM. nam Plinio dicto lib. III cap. XII inde dicuntur opidani Samnitium TREVENTINATES.

BOVIANVM, *colonia.* A Trevento verſùs meridiem ad radices Apennini montis fonteisque Tiferni amnis, eſt perantiqua urbs BOVIANVM; vulgò nunc *Boiano* dictum, epiſcopali dignitate clarum. Memoratur Livio, Straboni, Plinio, Silio, Frontino, Ptolemæo, Itinerariis Romanis. Græcè Ptolemæo ſcribitur Βοϊανον· at apud Strabonem eſt Βοΐανον. Apud Appianum Bellor. civil. lib. I corruptè Βυανον *opidum*, pro Βοϊανον. & τῶ Βυανῶν opidanorum, pro Βοϊανῶν. Sed ſcripſiſſe etiam Græcos Βοβίανον, colligere datur ex Frontino: ubi *Bobiani* memorantur *agri*: & item ex Tabulâ itinerariâ; ubi *Babiano*, pro *Bobiano*. In Antonini itinerario longè corruptiùs eſt *Bononia*. Silius lib. VIII ſic habet:

Qui Batulum Mucrasque colunt; Boviania quique
Exercent luſtra.

Antiquiſsima opidi memoria eſt apud Livium lib. VIIII, in conſulatu M. Petilii Libonis & C. Sulpicii Longi; anno urbis Romæ CCCCXXXVIIII; ante natum Ieſum CCCXIIII. *Ad* XXX *millia cæſa aut capta Samnitium, proditum memoriæ eſt. Conſules, egregiâ victoriâ partâ, protinus inde ad Bovianum oppugnandum legiones ducunt. ibique hiberna egerunt: donec ab novis conſulibus, L. Papirio Curſore quintùm, C. Iunio Bubulco iterum, nominatus dictator C. Petilius exercitum accepit. Is quum audiſſet, arcem Fregellanam ab Samnitibus captam; omiſſo Boviano, ad Fregellas pergit.* Et poſteà: *Inde victor exercitus Bovianum ductus. Caput hoc erat Pentrorum Samnitium longè ditiſſimum atque opulentiſſimum armis virisque. Ibi quia haud tantum irarum erat, ſpe prædæ milites adcenſi opido potiuntur. Minùs itaque ſævitum in hoſteis eſt. prædæ plus penè, quàm ex omni Samnio egeſtum.* Omnino mihi perſvadeo, ſcripſiſſe ipſum Livium; *Caput hoc erat gentis Samnitium.* Deductam huc aliquando coloniam Romanorum, patet ex Plinii dicto lib. III cap. XII. *Samnitium*, inquit, *colonia Bovianum*. Frontinus: *Bovianum opidum lege Iuliâ milites deduxerunt ſine colonis.* Neſcio, an locus ſatis ſanus.

TIFERNVM, *opidum.* Cæterò apud Livium eodem lib. VIIII poſteà ita ſcriptum eſt: *Eodem anno in campum Stellatem agri Campani Samnitium incurſiones factæ. Itaque ambo conſules in Samnium miſſi. Quum diverſas regiones, Tifernum Poſtumius, Bovianum Minucius, petiiſſent; Poſtumii priùs ductu ad Tifernum pugnatum.* Et lib. X: *Profecti conſules, quò expeditiores commeatus eſſent, & incertior hoſtis, quà venturum bellum foret: Fabius per Soranum, Decius per Sidicinum agrum, in Samnium legiones ducunt. Vbi in hoſtium fineis ventum eſt, uterque populabundus effuſo agmine incedit. explorant tamen latiùs, quàm populantur. igitur non fefellère ad Tifernum hoſtes, in occultâ valle inſtructi: quà ingreſſos Romanos ſuperiore ex loco adoriri parabant.* Et poſteà: *Ibi integræ vires ſiſtunt invehentem ſe jam Samnitem: & tempore improviſa ex montibus ſigna clamorque, non vero tantùm metu terruère Samnitium animos.* [Locus corruptus: aut ſaltem mutilus] *nam & Fabius, Decium collegam adpropinquare, exclamavit; & pro ſe quisque miles, adeſſe alterum conſulem, adeſſe legiones, gaudio alacres fremunt. terrorque, utilis Romanis, oblatus, fugæ formidinisque Samniteis implevit; maximè territos, ne ab altero exercitu integro intactoque feſſi opprimerentur. Samnitibus Appuli ſe ante prœlium conjunxiſſent, ni P. Decius conſul iis ad Maleventum caſtra objeciſſet.* Et eodem libro poſteà: *Volumnius in Samnio interim res gerit: Samnitiumque exercitum, in Tifernum montem compulſum, non deterritus iniquitate loci,* [*fundit*] *fugatque*. Poſteriore hoc loco licèt diſertè TIFERNVS nominetur MONS; tamen priore loco, qui eſt lib. VIIII, ita TIFERNVM cum *Boviano* memoratur, uti eiusdem generis rem fuiſſe, nemini dubium eſſe poſsit; id eſt, opidum. At quo ſitu id fuit? Haud dubiè circa Tifernum flumen: quod exiguum ſuprà *Bovianum* exortum, per Samniteis primùm, mox Frentanos, in ſuperum mare evolvitur; vulgari nunc vocabulo *Biferno*. Ex hoc igitur tractu circa Tifernum amnem colligo, opidum *Moliſe* eſſe antiquum illud *Tifernum* opidum. Huc jam rectè quadrat Fabii conſulis iter: qui per Soranum agrum, & proximum Aufidena-

tem,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

tem, profectus, rectà huc pervenit. Citra Maleventum, quod poſteà Beneventum adpellatum, fuiſſe Tifernum opidum, ex eo patet, quòd illic alter conſul, P. Decius, Apulis ad Tifernum tendentibus caſtra objecit. Hæc igitur ſunt opida Samnitium ultra Apenninum montem ſita.

AESERNIA *colonia.*

Citra Apenninum prima eſt AESERNIA, apud lævam Vulturni amnis ripam; vulgò nunc *Iſernia* dicta. Nomen eius antiquum apud pleroſque auctores Latinos ab exſcriptoribus corruptum eſt in ſimplicem vocalem *Eſernia*. atque ita quidem etiam apud Strabonem. Ptolemæus diſertè habet Αἰσερνία. & apud Appianum Bellorum civil. lib. I aliquoties corruptum legitur vocabulum Ἀζερνία, pro Αἰζερνία. in eâdem verò hiſtoriâ Excerpta legationum è Diodori lib. XXXVII habent Αἰσερνίας. tum inſcriptio etiam vetus bis habet, AESERN. Et longam fuiſſe primam ſyllabam, patet ex Silii lib. VIII, his verſibus:

Et quos aut Rufræ, aut quos Aeſernia, quosve
Obſcura incultis Herdonia miſit ab agris.

Opidani inde Plinio lib. III cap. XII AESERNINI. unde Livio etiam lib. XLIIII memoratur *Aeſernina cohors*. Fuiſſe *coloniam* Romanorum, auctores teſtantur. Paterculus lib. I: *Initio primi belli Punici Firmum & Caſtrum colonis occupata: & poſt annum Aeſernia*. Epitomator Livii lib. XVI: *Colonia Aeſernia deducta eſt. Res præthereà contra Pœnos & Volſcos proſperè geſtas continet*. Alia poſtmodùm eòdem deducta colonia. Frontinus: *Aeſernia colonia, deducta lege Iuliâ*.

ALLIFAE *opidum.*

Infrà Aeſerniam prope Vulturni ripam eſt ALLIFAE *opidum*; Diodoro, Livio, Silio, Ptolemæo, & Itinerariis Romanis memoratum. Vulgò nunc dicitur *Aliſi*. Silius lib. VIII:

Illic Parthenope, ac Pœno non pervia Nola;
Alliſæ, & Clanio contemptæ ſemper Acerræ.

Ergo rectè & apud auctores & in antiquis inſcriptionibus L geminatur; quando prima ſyllaba longa eſt. Prima opidi mentio fit apud Livium lib. VIII, C. Petilio & L. Papirio Curſore conſulibus; anno urbis Romæ CCCCXXVIII, ante natum Ieſum CCCXXV. *Eodem*, inquit, *tempore & in Samnio res proſperè geſta. tria opida in poteſtatem venerunt: Alliſæ, Calliſæ, Rufrium*. Lib. VIIII ita ſcribit: *C. Marcius Rutilius Alliſas de Samnitibus vi cepit*. Diodorus lib. XX: Ὁ δὲ Μάρκιος ἐπὶ τοὺς Σαμνίτας ἀναζεύξας, Ἀλλίφας πόλιν εἷλε κατὰ κράτος. Id eſt: *Marcius adversùs Samniteis profectus, Alliſas urbem vi cepit*. Opidani inde ſunt Plinio lib. III cap. V ALLIFANI. unde Ciceroni in oratione pro Cn. Plancio, *Alliſanus tractus*: & Livio lib. XXII *Alliſanus ager*.

TELESIA *colonia.*

Sequitur hinc TELESIA *opidum*; vulgò nunc *Teleſe*, haud procul confluenteis Vulturni Sabatique fluminum ſita, Straboni, Frontino, Ptolemæo, & Itinerariis Romanis memorata. Poſterioribus temporibus colonia fuit deducta. Frontinus de Coloniis: *Teleſia, muro ducta colonia; à triumviris deducta. Ager eius limitibus Auguſteis in nominibus eſt adſignatus*.

MALEVENTVM; *quod poſteà* BENEVENTVM, *colonia.*

Vltra Teleſiam eſt BENEVENTVM, antè MALEVENTVM adpellatum; vulgò nunc *Benivento* dictum, inter Sabati Caloriſque amnium confluenteis. Plinius lib. III cap. XI: *Hirpinorum colonia, una* [malim, *nunc*] *Beneventum, auſpicatiùs mutato nomine, quæ quondam adpellata Maleventum*. Livius lib. VIIII: *Omiſſo certamine, cæſi captique Samnites; niſi qui Maleventum, cui nunc urbi Beneventum nomen eſt, perfugerunt*. Et lib. X: *Samnitibus Apuli ſe ante prœlium conjunxiſſent, ni P. Decius conſul iis ad Maleventum caſtra objeciſſet*. Opidani inde erant BENEVENTANI. Livius lib. XXIIII: *Beneventani omnes turbâ effuſâ quum obviam ad portas exiſſent, complecti militeis, gratulari, vocare in hoſpitium*. Antiquitas urbis ex eo adparet, quòd conditorem ei Diomedem, Aetolorum regem, qui rebus Troianis interfuit, adfinxerint. Solinus cap. VIII: *Notum eſt, Arpos, & Beneventum, à Diomede conſtitutas*. Servius ad Virgilii Aeneid. lib. VIII: *Diomedes, poſtquàm reperit, irâ Veneris, à ſe vulneratæ, uxorem apud Argos cum Cillabaro, ut Lucilius, vel Cometâ, ut plerique tradunt, turpiter vivere; noluit reverti ad patriam; vel, ut dicitur, ab adulteris proturbatus. ſed tenuit parteis Apuliæ. &, edomitâ omni montis Gargani multitudine, in eodem tractu civitates plurimas condidit. nam & Beneventum, & Aequum Tuticum, ipſe condidit, & Arpos*. De cætero, coloniam Romani quondam deduxêre. Velleius lib. I: *Sempronio Sopho & Appio, Cæci filio, conſulibus, Ariminum &* Bene-

Beneventum coloni miſſi. Epitomator Livii lib. XV: *Coloniæ deductæ, Ariminum in Piceno, Beneventum in Samnio*. Annus hic fuit urbis Romæ CCCCLXXXV; ante natum Ieſum CCLXVIII. Haud dubiè tunc primùm mutato nomine dicta eſt Beneventum. At poſtmodùm alia rurſus deducta colonia. Frontinus: *Beneventum muro ducta colonia, Concordia dicta. Deduxit Nero Claudius Cæſar*.

CAVDIVM *opidum, &* CAVDINAE FVRCAE.

Porrò inter Beneventum & Calatiam, Campaniæ opidum in viâ Appiâ fuit CAVDIVM *opidum*. Strabo lib. V. Κεῖται δ' ἐπὶ τῇ ὁδῷ τῇ Ἀππίᾳ αὐτή τε Καπύη καὶ αἱ τῶν ἄλλων ἐπὶ Βρεντέσιον ἄγουσαι ἀπ' αὐτῆς, Καλατία καὶ Καύδιον καὶ Βενεούεντον. Id eſt: *Sitæ ſunt in viâ Appiâ cùm ipſa Capua, tùm aliæ, quæ Brundiſium inde ducunt, Calatia, Caudium, Beneventum*. In vulgatis equidem exemplaribus ſcriptum heic eſt mendosè Καλύδιον. at lib. VI idem opidi nomen, repetitur ſine mendo. τοὐντεῦθεν δ' ἤδη μέχρι τῆς Ῥώμης Ἀππία καλεῖται, διὰ Καυδίου καὶ Καλατίας καὶ Καπύας καὶ Κασιλίνου. Id eſt: *Hinc jam usque ad Romam Appia vocatur via, ducens per Caudium & Calatiam atque Capuam & Caſilinum*. Sed mirum dictu, quantâ oſcitantiâ etiam apud alios auctores vocabulum hoc ab exſcriptoribus ſit corruptum. namque apud Livium lib. VIIII quum primùm ſit *Caudina pax*, & haud multo pòſt *Caudium*; ſtatim ſequitur *per Furculas Claudinas*: quod haud multo pòſt legitur, *ad Furculas Caudinas*. deinde eſt *pax Claudina*. poſt quod ſequitur, *ſaltus Caudinos*. & poſt hoc, *apud Claudium*. hinc ter, *Caudium*; & poſteà, *ab Caudio*; poſt *Caudium*: & ita ſæpius in poſterum. Adparet hinc geographiæ ignorantia in dictis exſcriptoribus. qui quum neſcirent, utrum eorum verum eſſet vocabulum, utrumque inter ſe miſcuerunt. Apud Ptolemæum quoque eſt Κλαύδιον, *Claudium*. & apud Horatium etiam Satyrâ V libri I ſic legitur:

Hinc muli Capuæ clitellas tempore ponunt.
Hinc nos Cocceii recipit pleniſſima villa,
Quæ ſuper Claudî cauponas.

Ad hæc vetus commentator: *Pleniſſima. copioſiſſima: quæ eſt ſuprà Claudii cuiusdam cauponas*. En tibi veram genuinamque originem corruptionis huius vocabuli. ſcilicet à *Claudio* quodam locum adpellatum imperiti geographiæ grammatici iſti exiſtimavêre. Apud Plutarchum item in Parallelis ſic ſcriptum eſt: Κατὰ τὰς καλουμένας Φορούλας Κλαυδίνας· ἔστι δ' τόπος στενότατος. quod ita corrigendum: Κατὰ τὰς καλουμένας Φορκούλας Καυδίνας· ἔστι δὲ τόπος στενότατος. Id eſt: *Apud Furculas Caudinas: qui locus eſt anguſtiſſimus*. Sed ſitum nunc Caudii FVRCVLARVMque CAVDINARVM diſpiciamus. Itineraria antiqua ſic habent:

Tabulæ:		Hieroſolymitanum:		Antonini:	
Capua		*C. Capua*		*Capua*	
Calatiæ	VI.	|		|	
Ad novas	VI.	*Mu. Novas*	XII.	|	
Caudio	VIII.	*C. & Mu. Claudiis*	IX.	*Caudis*	XXI.
Benebento	XI.	*C. Benevento*	XII.	*Benevento*	XI.

Plerique hoc noſtro ævo Furcas Caudinas interpretantur eas anguſtias, quæ ſunt apud vicum vulgari vocabulo *Arpaia*, XIII millia à Benevento diſſitum. quibus ego primum huius opinionis auctorem fuiſſe judico Blondum in Italiâ ſuâ illuſtratâ. Verùm hoc iter ſtatim poſt III millia ab Arpaiâ Campaniæ viatores infert juxta Tifata montem versùs Capuam, per loca, quæ vulgò dicuntur, *Arienzo*, *Mataloni*; & hinc alia. Caudinæ verò anguſtiæ erant ab altero dicti montis latere, in viâ Appiâ; ut ex Strabone diſertè intelleximus. ferebatque id iter Calatiam, ultra Vulturnum ſitam. Sed audiamus Livium: qui Furcas Caudinas quàm diligentiſſimè deſcribit. is igitur initio libri VIIII ita tradit: *Sequitur hunc annum nobilis clade Romanâ Caudina pax, T. Veturio Calvino, Sp. Poſtumio, conſulibus. Samnites eo anno imperatorem C. Pontium, Herennii filium, habuerunt. Is, exercitu educto, circa Caudium caſtra quàm poteſt occultiſſimè locat. inde ad Calatiam, ubi jam conſules Romanos caſtraque eſſe audiebat, milites X, paſtorum habitu, mittit: pecoraque diverſos, alium alibi, haud procul Romanis paſcere jubet præſidiis. Vbi inciderint in prædatores; ut idem omnibus ſermo conſtet; legiones Samnitium in Apuliâ eſſe: Luceriam omnibus copiis circumſidere.*

nec

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

nec procul abeſſe, quin vi capiant. Mox: *Duæ ad Luceriam ferebant viæ: altera præter oram ſuperi maris; patens apertaque; ſed quanto tutior, tanto ferè longior: altera per Furculas Caudinas; brevior; ſed ita natus locus eſt: Saltus duo alti, anguſti, ſilvoſique ſunt, montibusque circa ſe perpetuis inter ſe juncti. jacet in eos ſatis patens clauſus in medio campus, herbidus aquoſusque: per quem medium iter eſt. ſed antequàm venias ad eum, intrandæ primæ anguſtiæ ſunt. & aut eadem, qua te inſinuaveris, retro via repetenda; aut, ſi ire porrò pergas; per alium ſaltum arctiorem impeditioremque evadendum. In eum campum viâ aliâ per cavam rupem Romani demiſſo agmine, quum ad alias anguſtias protinus pergerent; ſeptas dejectu arborum, ſaxorumque ingentium objacentem molem invenêre. Quum fraus hoſtilis adparuiſſet; præſidium etiam in ſummo ſaltu conſpicitur. Citati inde retro, quà venerant, pergunt repetere viam. eam quoque propter clauſam ſuo obice armisque inveniunt.* Mox: *Caſtra propter aquam vallo circumdant.* Deinde: *Quum pro ingenio quisque fremerent; alius, Per obices viarum; alius, Per adverſa montium, per ſilvas, quà ferri arma poterant, eamus; modò ad hoſtem pervenire liceat. alius, Quò aut quà eamus? num monteis moliri ſede ſuâ paramus? dum hæc imminebunt juga, quà tu ad hoſtem venies?* Poſteà: *Tum Pontius, debellatum eſſe, reſpondit. & quoniam ne victi quidem ac capti fortunam fateri ſcirent; inermes eum ſingulis veſtimentis ſub jugum miſſurum.* Ac deinde: *Primi conſules prope ſeminudi ſub jugum miſſi. tum, ut quisque gradu proximus erat, ita ignominiæ objectus. tum deinceps ſingulæ legiones. Circumſtabant armati hoſtes, exprobrantes eludentesque. gladii etiam plerisque intentati. & vulnerati quidam, necatique; ſi vultus eorum indignitate rerum acrior victorem offendiſſet. Ita traducti ſub jugum. & quod penè gravius erat; per hoſtium oculos quum ex ſaltu evaſiſſent, etſi, velut ab inferis extracti, tum primùm lucem adſpicere viſi ſint; tamen ipſa lux ita deforme intuentibus agmen omni morte triſtior fuit. Itaque quum ante noctem Capuam pervenire poſſent; incerti de fide ſociorum; & quòd pudor præpediebat, circa viam, haud procul Capuâ, omnium egena corpora humi proſtraverunt.* En, Livius ait, duas fuiſſe anguſtias in itinere Caudino; & inter eas campum ſatis patentem. at in illâ alterâ viâ, quæ à Benevento in Campaniam ducit, unæ tantùm ſunt, apud prædictum vicum Arpaiam. Sanè ex præſcriptâ Livii deſcriptione, ductuque itineris à Calatiâ verſùs Beneventum, tum ex numeris millium, quæ Itineraria hoc itinere habent, Caudinæ anguſtiæ ſive furcæ nullæ aliæ ſunt, quàm quas Iſclerus amnis apud opidum *S. Agathæ* medias ſecat, in Vulturnum flumen verſùs Calatiam contendens. ſequitur quidpe has primùm campus ille ſatis patens, dein alteræ anguſtiæ; quas Livius, à Calatiâ verſùs Caudium incedens, primas vocat. Apud Iſclerum igitur amnem in dicto campo caſtra Romani vallo circumdederant. Cæterùm Furcis Caudinis ipſum opidum CAVDIVM fuiſſe contiguum, ex pluribus Livii patet locis, quæ eodem lib. VIIII poſteà ſequuntur. *L. Livius*, inquit, *& Q. Melius, tribuni plebis, neque exſolvi religione populum aiebant, niſi omnia Samnitibus, qualia apud Caudium fuiſſent, reſtituerentur.* Mox: *Nihil ad Caudium humanis conſiliis geſtum eſt.* Poſteà: *Traditur fœcialibus cum cæteris Caudium ducendi.* Statim: *Ductusque ad Caudium exercitus.* Tandem: *Et illi quidem, forſitan & publicè, ſuâ certè liberati fide, ab Caudio in caſtra Romana inviolati redierunt.* Eutropius lib. X, in Ioviano imperatore: *Quin etiam legiones noſtræ ita apud Caudium ſub jugum miſſæ ſunt, ut nihil tamen finium traderetur.* Ex intervallo XI millium, quæ Tabula itineraria & Antoninus inter Caudium & Beneventum habent; vel XII millium, quæ Hieroſolymitanum itinerarium habet; certè opidum Aerola, poſitum in extremo jugi, quod Caudinas furcas ab ſiniſtrâ Iſcleri ripâ claudit, eſt vetus *Caudium*. Et non in planitie ipſâque Appiâ viâ fuiſſe id opidum, Horatii ſuprà ſcripti teſtantur verſus: ubi cauponas Caudii ponit in viâ Appiâ, his verbis:

Hinc nos Cocceii recipit pleniſſima villa,
Quæ ſuper eſt Caudî cauponas.
Tendimus hinc rectâ Beneventum.

Ait, Cocceii villam eſſe ultra Caudii cauponas.

De cætero alterum jugum montis, quod ſuprà dictas anguſtias atque valleis Iſcleri amnis ab dextrâ ripâ claudit, TABVRNVS vocabatur MONS. Gratius poëta in Cynegetico: TABVRNVS *mons.*

Nec ſævos miretur equos terrena Syene:
Scilicet & Parthis inter ſua mollia rura
Manſit honor: veniat Caudini in ſaxa Taburni,
Garganumve trucem, aut Ligurinas deſuper Alpeis:
Ante opus excuſſis cadet ungvibus.

Vulgò etiam nunc vocatur *Tabor*. Meminit eius Virgilius quoque Γεωργικῶν lib. II, his verſibus:

Neu ſegnes jaceant terræ, juvat Iſmara Baccho
Conſerere, atque oleâ magnum veſtire Taburnum.

Et Aeneid. lib. XII:

At veluti ingenti Silâ, ſummóve Taburno
Quum duo converſis inimica in prœlia tauri
Frontibus incurrunt.

Vibius Sequeſter in Montium catalogo: *Taburnus, Samnitium, Olivifer.*

Cæterùm ad confluenteis *Sabati* & *Caloris* amnium, de quibus plura dicemus in Hirpinis, ſitum eſſe Beneventum, jam antè dixi. haud procul ab urbe influit in Calorem ex Samnio TAMARVS *amnis*, vulgò nunc etiam Tamaro dictus. Antoninus:

Boviano	
Super Tamari fluvium	XVI.
Ad Equum Tuticum	XXII.

Aliud iter eodem tractu habet Tabula itineraria, quod eſt tale:

SAEPINVM *municipium & colonia.*

Adleſas	
Sepinum	VI.
Sirpium	XII.
Benebento	XVIII.

Hoc *Sepinum* opidum memoratur etiam Livio, Frontino ac Ptolemæo: & Plinio lib. III cap. XII opidani inde ſunt *Sepinates*. At Ptolemæo prima ſyllaba ſcribitur per diphthongum Σαίπινον, SAEPINVM. & ita eſt apud Frontinum in libro de Coloniis: & in antiquâ inſcriptione, MVNICIPES SAEPINAT. Apud alios igitur etiam auctores ſic reſtituendum eſt. Vulgò hodiè opidum circa fonteis Tamari dicitur *Supino*. Livius lib. X: *Conſilium inde habitum, quum jam tempus eſſet deducendi ab Samnio exercitus. optimum viſum, quò magis fractæ res Samnitium eſſent, & pertinaciùs & infeſtiùs agere cætera & perſequi.* Mox: *Itaque literis miſſis ad ſenatum populumque Romanum de rebus ab ſe geſtis; diverſi, Papirius ad Sæpinum, Carvilius ad Volanam, legiones ducunt.* Deductam poſteà fuiſſe *coloniam*, teſtis eſt Frontinus. *Sæpinum*, inquit, *opidum muro ductum. colonia ab imperatore Nerone Claudio eſt deducta.*

SIRPIVM *opidum.*

SIRPIVM opidum quo ſitu ponendum, neſcio; quando numeri abundant. propiùs tamen fuiſſe videtur Sæpinum, quàm Beneventum.

VOLANA, PALVMBINVM, HERCVLANEVM, *opida.*

Pergit porrò Livius præſcripto lib. X: *Papirius ad Sæpinum, Carvilius ad Volanam oppugnandam, legiones ducunt.* Paullo pòſt: *Carvilius Volanam & Palumbinum & Herculaneum ex Samnitibus ceperat.* Hæc opida, VOLANA, PALVMBINVM, & HERCVLANEVM, quibus ſitibus fuerint, planè incertum eſt.

COMBVLTERIA, FVLSVLAE, ORBITANIVM, *opida.*

Alius eſt Livii locus lib. XXIIII huiusmodi: *Fabius in Samnium ad populandos agros, recipiendasque armis, quæ defecerant, urbeis proceſſit.* Mox: *Opida vi capta, Combulteria, Teleſia, Compſa, Melæ, Fulſulæ, & Orbitanium.* Neque hæc tria, COMBVLTERIA, FVLSVLAE, ORBITANIVM, quibus locis fuerint, conſtat. *Compſa* erat Hirpinorum, partis Samnitium, caput.

Hæc igitur ſunt opida Samnii, veteribus memorata ſcriptoribus. De univerſis ita ſcribit Strabo lib. V: Καὶ γάρ τοι νυνὶ κῶμαι γεγόνασιν αἱ πόλεις· ἔνιαι δ' ἐκλελοίπασι τελέως, Βοϊανον, Αἰσερνία, Τελεσία, καὶ ἄλλαι τοιαῦται, ὧν οὐδεμίαν ἄξιον ἡγεῖσθαι πόλιν. ἡμεῖς δ'

ἐπέξιμεν

ἐπέξιμεν μέχρι τοῦ μετρίου διὰ τὴν τῆς Ἰταλίας δόξαν καὶ δύναμιν. Βενεουεντὸν δ᾽ ὅμως συνέστηκεν εὖ. Hoc eſt: *Itaque urbium nunc aliæ in vicos ſunt redactæ, aliæ prorſus abolitæ; Bovianum, Aeſernia, Teleſia, aliæque conſimiles: quarum nulla meretur inter urbeis referri. nos tamen mentionem earum fecimus ob gloriam Italiæ atque potentiam. Beneventum tamen benè adhuc habet.*

Reſtat nunc, uti Paulli Diaconi nugas imperitiamque indicemus. Is Langobard. rer. lib. II cap. XX ita ſcribit: *Quartadecima provincia eſt Samnium. in hac ſunt urbes, Teate, Aufidena, Aeſernia, & antiquitate conſumpta Samnium.* Nuſquàm certè in omni hiſtoriâ Romanâ reperitur aliquod opidum Samnium. Errorem hauſit Paullus ex Floro: qui lib. I cap. XVI ita ſcribit: *Hos tamen L annis per Fabios & Papirios ita populus Romanus ſubegit ac domuit, ita ruinas ipſas urbium diruit, ut hodiè Samnium in ipſo Samnio requiratur.* En, ut clarè heic de regione loquitur: ille autem opidum intellexit.

Cap. VIII.

De Hirpinis.

SAmnitium non tantùm contermini ab ortu Solis hiberni, ſed & conſangvinei adeóque pars fuêre HIRPINI. Strabo lib. V: Ἑξῆς δ᾽ εἰσὶν Ἱρπινοὶ, κᾀυτοὶ Σαμνῖται. τοὔνομα δ᾽ ἔσχον ἀπὸ τοῦ ἡγησαμένου λύκου τῆς ἀποικίας· ἵρπον γὰρ καλοῦσι οἱ Σαμνῖται τὸν λύκον. Hoc eſt: *Sequuntur Hirpini; & ipſi Samnites. Nomen à lupo, coloniæ ductore, acceperunt. hirpum quidpe adpellant Samnites lupum.* Hinc extremas verſùs Lucaniam Apuliamque Hirpinorum urbeis paſſim Livius Samnitibus tribuit. Quando primùm id eorum corpus nomenque exortum ſit, incertum eſt. Prima eorum mentio fit apud Polybium atque Livium, in hiſtoriâ belli Punici ſecundi: quod initium cepit P. Cornelio Scipione & Ti. Sempronio Longo conſulibus; anno poſt Romam conditam IↃXXXV; ante Ieſum natum CCXVIII. Polybius lib. III; ubi treis tantùm ait eſſe aditus ſeu vias ex mediterraneo in Campaniam: Μία μὲν ἀπὸ τῆς Σαυνίτιδος. * — * ἡ δὲ καταλοιπὸς ἀπὸ τῶν κατὰ τοὺς Ἱρπινοὺς τόπων. Id eſt: *Prima eſt, qua venitur è Samnio.* Et poſteà: *Reliqua ex Hirpinorum fert regione.* Livius lib. XXII; poſt cladem Cannenſem: *Defecêre autem ad Pœnos hi populi: Atellani, Calatini, Hirpini.*

Cæterùm limites eis circumduco hosce: Ab occaſu, quà Campani erant contermini, montium jugum, quod ſiniſtram Sabati fluminis ripam proſequitur. & ultra fontem amnis, lineam ad *Sarni* usque fontem. inde à meridie, quà *Picentinis* jungebantur, lineam aliam ad Silarum amnem & opidum *Valvano* ductam. inde ipſum Silarum; & à fonte eius lineam ad Aufidum flumen & opidum *Monte Verde* ductam. hinc ipſum flumen, & à flumine lineam incurvam ad Calorem usque amnem prope Beneventum: qua includantur opida *Cædognia* & *S. Agatha*. Opida, quæ his finibus incluſa fuêre, nunc ordine enarrabimus.

At priore loco dicendi erant fluvii, qui ex Hirpinis in Vulturnum defluunt; quique antiquis memorantur auctoribus. Primus eſt SABATVS *amnis*, vulgò nunc *Sabato* dictus. hunc jam antiquis temporibus id habuiſſe nomen, inde haud levi documento colligo, quòd populos ab eo Livius nominat Sabatinos. Lib. XXII: *Defecêre autem ad Pœnos, Atellani, Calatini, Hirpini.* Lib. XXVI: *Omnes Campani, Atellani, Calatini, Sabatini.* Et exiguo pòſt: *Campanos omneis, Atellanos, Calatinos, Sabatinos, liberos eſſe juſſerunt.* Videtur fuiſſe opidum apud fluvium, nomine SABATIVM; unde opidanos nominat SABATINOS. Quo ſitu fuerit, incertum eſt. conjicio tamen, fuiſſe inter duo opida, quæ vulgò vocantur *Terranuova* & *Prata*. SABATVS *amnis, &* SABATIVM *opidum.*

In Sabati dextram ripam, haud procul Benevento, influit CALOR *amnis*; Livio, Appiano, & Tabulæ itinerariæ memoratus. vulgò nunc vocatur *Calore*. Sed apud Appianum exſcriptores capite eum mutilarunt; uti illic nunc legatur Ἄλωρος obliquus caſus. Tabula itineraria: CALOR *amnis.*

Benebento
Nuceriola IIII.
Calor fl. VI.

Livius lib. XXIIII: *Ad Beneventum veluti ex compoſito parte alterâ Hanno ex Bruttiis cum magnâ peditum equitumque manu, alterâ Tib. Gracchus ab Luceriâ acceſſit. qui primò opidum intravit. deinde, ut Hannonem tria millia fermè ab urbe ad Calorem fluvium caſtra poſuiſſe, & inde agrum populari audivit; & ipſe egreſſus mœnibus, mille fermè paſſus ab hoſte caſtra locat.* Eamdem hiſtoriam refert Appianus in Hannibalicis rebus.

ABELLINVM *colonia.* Cæterùm ad Sabatum flumen eſt ABELLINVM *opidum*, vulgò nunc *Avellino* dictum. Memoratur Ptolemæo, Ἀβέλλινον, & item Frontino. Plinio lib. III cap. XI opidani ſunt *Hirpinorum* ABELLINATES. Frontinus de Coloniis: *Abellinum, muro ducta colonia lege Semproniâ.*

CALLIFAE *opidum.* Livius lib. VIII ita ſcribit: *Eodem tempore etiam in Samnio res proſperè geſta. tria opida in poteſtatem venerunt; Alliſæ, Calliſæ, Rufrium.* Ex his Alliſæ opidum ſuprà in Samnio expoſitum. CALLIFAE, ultra Abellinum & Fricentum opida, vulgò nunc dicitur *Cariſe*; exiguum opidulum.

RVFRIVM, *ſive* RVFRAE, *ſeu* RVFAE *opidum.* Rufrium Silio dicitur plurali numero *Rufræ* lib. VIII his verſibus:

Adfuit & Samnis: nondum vergente favore
Ad Pœnos: ſed nec veteri purgatus ab irâ:
Qui Batulum Mucrasque colunt; Boviania quique
Exercent luſtra: aut Caudinis faucibus hærent:
Et quos aut Rufræ, aut quos Aeſenia, quosve
Obſcura incultis Herdonia miſit ab agris.

At Virgilio ſunt ſine *r*, *Rufæ*, Aeneid. lib. VII, hoc verſu:

Quique Rufas Batulumque tenent, atque arva Celennæ.

Vtrum ex his duobus vocabulis, RVFRAE & RVFAE, magis genuinum ſit, haud temerè dixerim. Pro Silio tamen facere videtur Livius; qui aliâ formatione vocabuli, & ipſe RVFRIVM habet. At à Virgilii partibus rurſus ſtare videtur hodiernum loci nomen, quod eſt *Ruvo*. Eſt autem opidum epiſcopale, in extremis Hirpinorum finibus ultra Apenninum & Compſam ſitum.

BATVLVM, MVCRAE, CELENNA, *opida.* BATVLVM, MVCRAE, CELENNA, quibus ſitibus fuerint, minimè liquet.

TAVRASIVM *colonia.* Sed redeamus citra Apenninum. Ad Caloris dextram ripam eſt perantiquum *opidum* TAVRASIVM; vulgò nunc *Tauraſi* dictum. Opidani inde dicebantur TAVRASINI; ut mox videbimus. Plinius lib. III cap. XI; ubi *Hirpinorum* populos enumerat: *Ligures, qui cognominantur Corneliani, & qui Bæbiani. Hi ſcilicet poſteà tenuêre Tauraſium.* Livius lib. XL: *P. Cornelius & M. Bæbius in Apuanos Ligures exercitum induxerunt. Ligures, qui ante adventum in provinciam conſulum non exſpectaſſent bellum, improviſò oppreſſi, ad XII millia hominum dediderunt ſe. Eos, conſulto per literas priùs ſenatu, deducere ex montibus in agros campeſtreis, procul ab domo, ne reditus ſpes eſſet, Cornelius & Bæbius ſtatuerunt; nullum alium antè finem rati fore Liguſtini belli. Ager publicus populi Romani erat in Samnitibus, qui Tauraſinorum fuerat. in eum traducti ſunt publico ſumptu ad* XL *millia liberorum capitum, cum feminis puerisque. argenti data* CL *millia* HS; *unde in novas ædeis compararent, quæ opus eſſent. Agro dividendo dandoque iidem, qui traduxerant, Cornelius & Bæbius præpoſiti.* Et eodem libro poſteà: *Fulvius adortus à Piſis Apuanos; qui eorum circa Macram fluvium incolebant, in deditionem acceptos ad* VII *millia hominum, in naveis impoſuit, præter oram Etruſci maris Neapolim transmiſit, inde in Samnium traducti. ager iis inter populareis datus eſt.* Sunt ſanè ab utrâque Caloris ripâ latiſsimi campi, Beneventum usque. unde etiam pugnam Romani in iis conſeruerunt cum Pyrrho, Epirotarum rege; qui illic victus fugatuſque eſt; teſtibus, Plutarcho & Zonarâ, Latinisque auctoribus, Frontino, Floro, & Oroſio. quamquàm apud omneis hos vocabulum Tauraſini fœdè ab exſcriptoribus corruptum eſt in Aruſini & Auruſini. Plutarchus in Pyrrho: Ἀναλαβὼν δὲ τῶν Ταραντίνων τοὺς κρατίστους, εὐθὺς ἐπὶ Ῥωμαίους ἦγεν ἐν τῇ Σαυνίτιδι στρατοπεδεύοντας. τῶν δὲ Σαυνιτῶν τά τε πράγματα διέφθαρτο· καὶ τὸ φρόνημα ὑφεῖτο, κεκρατημένοι μάχαις πολλαῖς ὑπὸ τῶν Ῥωμαίων. Πάντας δὲ νείμας δίχα, τοὺς μὲν εἰς τὴν

Λευκανίαν ἔπεμψεν, ἀντιληψομένους τοῦ ἑτέρου τῶν ὑπάτων, ὡς μὴ βοηθοίη· τὴν δὲ ἦγεν αὐτὸς ἐπὶ Μάνιον Κούριον, περὶ πόλιν Βενέβεντον ἱδρυμένον ἐν ἀσφαλεῖ, καὶ περιμένοντα τὴν ἐκ τῆς Λευκανίας βοήθειαν. Hoc eſt: *Eductis ſecum Tarentinorum lectiſſimis, adversùs Romanos, qui caſtra habebant in Samnio, ſigna movit. Res acciſæ erant Samnitium: qui, compluribus prœliis à Romanis contuſi, animos fractos gerebant. Quidquid autem habebat Pyrrhus copiarum, in duas diviſit parteis. quarum unam in Lucaniam miſit, ad detinendum alterum conſulem, ne ſubvenire poſſet collegæ: alterum ipſe duxit contra M'. Curium; qui tuto loco circa Beneventum ſedebat; manens ex Lucaniâ auxilium.* Zonaras Annal. volumine II: Τῷ δ' ἑξῆς ἔτει Ῥωμαῖοι ἐστράτευσαν εἰς τὸ Σάμνιον καὶ Λευκανίδα· καὶ Βρεττίοις ἐπολέμησαν. * . * . Κακῶς δὲ πάσχοντες ἀπὸ Ῥωμαίων οἱ Σαμνῖται, ἐξαναστῆσαι τὸν Πύρρον ἐποίησαν. ἐλθὼν δὲ εἰς ἐπικουρίαν αὐτῶν, ἐτράπη. Hoc eſt: *Inſequenti anno Romani exercitum in Samnium & Lucaniam induxerunt; bellumquo Bruttiis intulerunt.* Mox: *Samnites malè à Romanis adfecti, Pyrrhum ad arma & bellum concitant. Is veniens in auxilium eorum, fugatus eſt.* Florus lib. I cap. XVIII; de eodem Pyrrho loquens: *Lucaniæ ſuprema pugna ſub Auruſinis, quos vocant campos.* Vt innumera alia habet σφάλματα, nimiâ feſtinatione aut brevitatis cupidine commiſſa; ſic heic etiam *Lucaniam* ſcripſit pro *Samnio*; quum utrumque nomen apud Romanarum rerum auctores legiſſet. Paullo aliter habet Oroſius lib. IIII cap. II. *Reverſum ex Siciliâ Pyrrhum Curius conſul excepit. tertiumque id bellum contra Epirotas apud Lucaniam in Aruſinis campis geſtum eſt.* Frontinus Strategem. lib. IIII cap. I: *Pyrrhus, Epirotarum rex, primus totum exercitum ſub eodem vallo continere inſtituit. Romani deinde, victo eo in campis Aruſinis, circa urbem Statuentum, caſtris eis potiti, & ordinatione notatâ; paullatim ad hanc usque metationem, quæ nunc effecta eſt, pervenerunt.* Alia heic exemplaria urbis nomen habent *Fatuentum*. Scribendum eſſe *Maleventum* ex præſcripto Plutarcho patet. qui Beneventum vocat urbem, quæ hoc Pyrrhi bello etiamdum Maleventum adpellabatur; ut ſuperiori capite intellectum. Ex commemoratione igitur huius urbis ſatis claret, legendum apud cunctos iſtos auctores, *In Tauraſinis campis.* De reliquo *coloniam* poſterioribus temporibus in opidum *Tauraſium* fuiſſe deductam, auctor eſt Frontinus in libro de Coloniis: *Ligures Bæbiani & Corneliani muro ducti triumvirali lege. Ager eius poſt bellum Auguſtanum veteranis eſt adſignatus.*

TAVRASINI *campi.*

Porrò ſuprà Tauraſium, ſub *Fricento* opido eſt dirus AMPSANCTVS LACVS; Ciceroni, Virgilio, Plinio, & Claudiano memoratus. Vulgò hodiéque dicitur adcolis *Mufiti*. Cicero de Divinatione lib. I: *Quid enim, non videmus, quàm ſunt varia terrarum genera? ex quibus & mortifera quædam pars eſt: ut eſt Ampſancti in Hirpinis.* Plinius lib. II cap. XCIII: *Terræ miracula dicamus. Spiritus letales alibi, aut ipſo loci ſitu mortiferi: alibi volucribus tantùm; ut Soracte, vicino Vrbis tractu: alibi præter hominem cæteris animantibus: nonnumquàm & hominibus; ut in Sinueſſano agro & Puteolano. ſpiracula vocant: alii Charoneas ſcrobes, mortiferum ſpiritum exhalanteis. item in Hirpinis Ampſancti ad Mephitis ædem lacum. quem qui intravère, moriuntur.* Ridiculum hoc ſanè. quis enim reperiatur, niſi mente tota captus, homo, qui aquas intrare velit, quæ aterrimo colore odoreque teterrimo, in medio lacus, qui triangulâ eſt formâ, circuitu modico, ad viri proceritatem ingenti cum fragore ebulliant? Sanè quum ad eum ego accederem, è longinquo, (nam ad mille paſſus odor eius occurrebat) nares ſummâ diligentiâ obturabam; ne quid mali contraherem. Claudianus eodem lacu, lib. II de Proſerpinæ raptu:

AMPSANCTVS *lacus.*

Tunc & peſtiferi pacatum limen Averni
Innocuæ tranſiſtis aves: flatumque repreſſit
Ampſanctus; tacuit fixo torrente vorago.

Virgilius eum ita deſcribit Aeneid. lib. VII:

Eſt locus Italiæ in medio, ſub montibus altis,
Nobilis, & famâ multis memoratus in oris;
Ampſancti valles. denſis hunc frondibus atrum
Vrget utrimque latus nemoris; medioque fragoſus
Dat ſonitum ſaxis & toto vertice torrens.

Italiæ in medio dixit; nempe inter ſuperum inferumque mare. De cætero *montes* heic nulli *alti*; niſi qui ſatis longè diſſiti, prædictum opidum Fricento ſuſtinent. Nec ſilvis circumdatus lacus: niſi quòd haud procul vallis, in ſeptemtriones producta,

ducta, utrimque nemoribus veſtiatur. At id in lacu maximè mirandum; quòd, quum aqua tantâ vi in tantam altitudinem eructetur, numquàm tamen lacus excreſcat; ſed aqua perpendiculariter in voraginem ſuam recidat. TEMPLVM deæ

MEPHITIS templum.

MEPHITIS juxtà fuiſſe ſitum, ſuprà ex Plinio intelleximus. Videtur dea Graveolentia fuiſſe. nam ita habet Virgilius Aeneid. lib. VII:

——— Lucosque ſub altâ
Conſulit Albuneâ; nemorum quæ maxima ſacro
Fonte ſonat, ſævamque exhalat opaca mephitim.

Et Perſius Satyrâ III:

Turgidus hic epulis atque albo ventre lavatur;
Gutture ſulfureas lentè exhalante mephites.

EQVVS TVTICVS, opidum.

Porrò ultra Fricentum, verſùs ſeptemtriones, eſt opidum epiſcopale, vulgari vocabulo *Ariano*, in edito colle ſitum. id antiquitus vocabatur EQVVS TVTICVS; id eſt, ut Hieroſolymitanum itinerarium interpretatur, EQVVS MAGNVS. Prolemæo ſimpliciter dicitur Τȣ́τικον, *Tuticum*. Itineraria ſic habent:

Antonini:		Antonini:		Hieroſolymitanum:		Tabulæ:	
Boviano		*Benevento*		*C. Benevento*		*Benevento*	
Super Tamari				*Mu. Vicus Fro novo*	X.	*Foro novo*	X.
fluvium	XVI.	*Equo Tutico*	XXI.	*Ma. Ad Equum Magnum*	XII.	*Equo Tutico*	XII.
Ad Equum Tuticum	XXII.			*Mu. Aquilonîs*	VIII.		
		Eſcas	XVIII.	*C. Aecas*	X.	*Aecas*	XVIII.
		Erdonias	XIX.	*C. Serdonîs*	XVIII.		
				Mu. Ad Vndecimum	XV.		
		Canuſio	XXVI.	*C. Canuſio*	XI.		

Ex his Aecæ hodiè dicitur *Accadia*, & Herdoniæ ſive Serdoniæ, *Cedogna*: de quibus mox dicam. Memoratur Equus Tuticus Ciceroni quoque ad Atticum lib. VI epiſt. I. *Scire vis*, inquit, *tuas ego quas acceperim. omneis ferè, quas commemoras; præter eas, quas ſcribis Lentuli pueris & Equo Tutico & Brundiſio datas*. Antiquiſſima videtur eſſe urbs. nam conditorem ei adfinxerunt Diomedem, Aetolorum regem; qui rebus Troianis interfuit. Servius ad Aeneid. lib. VIII de ipſo ſermonem habens, ita finit: *Nam & Beneventum & Equum Tuticum ipſe condidit*.

FORVM igitur NOVVM opidum in medio ferè fuit itinere inter Equum Tuticum & Beneventum.

TRIVICVM opidum.

Cæterùm ab Ariano verſùs ortum hibernum ab altero Apennini latere eſt antiquum *opidum* TRIVICVM; vulgò nunc *Trevico* dictum; epiſcopali dignitate inſignitum. Huius unus meminit Horatius lib. I ſat. V, his verſibus:

Tendimus hinc rectâ Beneventum.
Incipit ex illo monteis Apulia notos
Oſtentare mihi; quos torret Atabulus, & quos
Nunquàm erepſemus, niſi nos vicina Trivici
Villa recepiſſet.

A Trivico igitur verſùs ortum æſtivum eſt præſcriptorum Itinerariorum illud *opidum* AECAE, vulgò nunc *Accadia*, vicus prope opidum *S. Agata*. Opidani inde ſunt Plinio lib. III cap. XI AECANI. & ita ſunt in inſcriptione antiquâ, quæ hæc habet verba: CVR · REIP · AECANORVM.

HERDONIA, ſive CERDONIA, opidum.

Infra Aecas verſùs meridiem eſt HERDONIA *opidum*, vulgò nunc *Cedogna* dictum. Nomen eius antiquum, neſcio qua variatione, etiam CERDONIA dictum fuit; ut eſt apud Strabonem lib. VI. unde vulgare nunc vocabulum *Cedogna*. Opidum diſertè Samnitibus, quorum pars erant Hirpini, adſcribit Silius lib. VIII, his verſibus:

Adfuit & Samnis; nondum vergente favore
Ad Pœnos: ſed nec veteri purgatus ab irâ:
Qui Batulum Mucrasque colunt; Boviania quique
Exercent luſtra; aut Caudinis faucibus hærent;

Et

Et quos aut Rufræ, aut quos Aeſernia, quosve
Obſcura incultis Herdonia miſit ab agris.

At è diverſo Livius lib. xxv Apulis eam adſcribere videtur, in his verbis: *Cn. Fulvium prætorem Apuli legati nunciabant, primò, dum urbeis quasdam Apulorum, quæ ad Hannibalem deſciviſſent, oppugnaret, intentiùs rem geſſiſſe. poſteà nimio ſucceſſu & ipſum & milites prædâ impletos, in tantam licentiam ſocordiamque effuſos, ut nulla diſciplina militiæ eſſet. Hannibal, cùm ſæpè aliàs, tum paucis diebus antè expertus, qualis ſub inſcio duce exercitus eſſet, in Apuliam caſtra movit. Circa Herdoniam Romanæ legiones & prætor Fulvius erant.* Et aliquanto pòſt: *Hannibal ab Herdoniâ Tarentum duxerat legiones.* Verùm quum in confiniis Apuliæ fuerit Herdonia; Aſculo Apulo vi circiter millia paſſuum ab eo diſſito; neceſſariò non ſequitur ex Livii narratione, Herdoniam fuiſſe Apuliæ opidum. Principio lib. xxvii ita ſcribit idem Livius: *In Italiâ conſul Marcellus, Salapiâ per proditionem receptâ, Maroneam & Meles de Samnitibus vi cepit.* Mox: *Cæterùm nequaquàm inde tantum gaudii fuit, quanta clades intra paucos dies accepta eſt haud procul ab Herdoniâ urbe. Caſtra ibi Cn. Fulvius proconſul habebat, ſpe recipiundæ Herdoniæ: quæ poſt Canenſem cladem ab Romanis defecerat; nec loco ſatis tuto poſita, nec præſidiis firmata. Negligentiam inſitam ingenio ducis augebat ſpes ea, quòd labare iis adversùs Pœnum fidem ſenſerat, poſtquàm, Salapiâ amiſſâ, exceſſiſſe his locis Hannibalem in Bruttios auditum eſt. Ea omnia ab Herdoniâ per occultos nuncios delata Hannibali, ſimul curam ſociæ retinendæ urbis & ſpem fecère incautum hoſtem adgrediendi. Exercitu expedito; ita, ut famam quoque præveniret, magnis itineribus ad Herdoniam contendit. & quò plus terroris hoſti objiceret, acie inſtructâ adceſſit. Fit prœlium; quo Fulvius cum exercitu ſuo cæditur. itaque; Caſtris prædâque victor potitur. Herdoniam, quia & defecturam fuiſſe ad Romanos comperit: nec manſuram in fide, ſi inde abſceſſiſſet; multitudine omni Metapontum ac Thurios traductâ, incendit.* In Livii equidem vulgatis exemplaribus ubique penultima per *e* ſcripta eſt *Herdonea;* haud dubiè vitio exſcriptoris. neque enim ipſum Livium vocabulum variare voluiſſe puto. Apud Appianum in Rebus Hannibalicis, eâdem hiſtoriâ de Fulvio, eſt Ἑρδονία, *Herdonia*. Cæterùm opidani inde ſunt Plinio lib. iii cap. xi HERDONIENSES.

Porrò iter Itineraria antiqua habent huiusmodi:

Antonini:		Antonini:		Tabulæ:	
Equo Tutico		*Benevento*			
Eclano	xxiii.	*Eclano*	xv.	*Eclano*	
Subromula	xxii.	*Subromula*	xxii.	*Subromula*	xvi.
|		|		*Aquilonia*	xi.
Ponte Aufidi	xxii.	*Ponte Aufidi*	xxii.	*Ponte Aufidi*	vi.
Venuſio	xviii.	*Venuſia*	xix.	*Venuſiæ*	xviii.

Numeros intervallorum fœdè corruptos eſſe; & apud Antoninum haud modicè abundare, ipſe ego iter hoc inter Aufidum & Beneventum faciens expertus ſum. Opida iſta cuncta hodiéque exſtare judico; viâ directiſſimâ diſpoſita.

Primò AECVLANVM (ſic enim ſcribendum) hodiè vocatur *Fricento*, opidum episcopale; xx circiter millia à Benevento diſſitum. Memoratur præterea Ciceroni, Appiano, Ptolemæo. quorum hic ita: Ἱρπινῶν πόλεις, Ἀκουϊλωνία, Ἀβέλλινον, Αἰκουλᾶνον. *Hirpinorum urbes ſunt, Aquilonia, Abellinum, Aeculanum.* Appianus Bellor. civil. lib. i: Σύλλας δ' ἐς Ἱρπινοὺς μετεστρατοπέδευσε, καὶ προσέβαλε Αἰκουλάνον. Id eſt: *Sulla in Hirpinos exercitum duxit; & Aeculanum oppugnare cœpit.* Cicero ad Atticum lib. xvi epiſt. ii: *Sed quoniam extrudimur, Brunduſium cogito.* Mox: *Ego quum eum vidiſſem, v Kal. in Pompeianum cogitabam. indè Aeculanum. noſti reliqua.* Opidani inde Plinio dicebantur AECVLANENSES. namque inſcriptio antiqua ſic habet: R·P·AECLANENSIVM. Apud Velleium Paterculum lib. ii ita ſcriptum eſt: *Neque ego verecundiâ domeſtici ſangvinis gloriæ quidquam, dum verum refero, ſubtraham. quidpe multum Minatii Magii, atavi mei, Aſculanenſis, tribuendum eſt memoriæ. qui, nepos Decii Magni, Campanorum principis, celeberrimi, & fideliſſimi viri, tantam hoc bello [Marſico] Romanis fidem præſtitit, ut cum legione, quam ipſe in Hirpinis conſcripſerat, Herculaneum ſimul cum T. Didio caperet; Pompeios cum L. Sullâ oppugna-*

AECVLANVM *opidum.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

oppugnaret; Compſamque occuparet. Omnino reſcribendum heic, *Aeculanenſis*. nam in Hirpinis ait legionem eum conſcripſiſſe. ab Aſculo autem dicebantur opidani ASCVLANI.

ROMVLEA, *ſive* ROMVLA *opidum*.

Vocabulum alterius opidi *Subromula* dividendum eſt in SVB ROMVLA. ſic ſcilicet in eâdem Tabulâ eſt *Sublanubio*, pro *Sub Lanubio*. ſic Antoninus *Summurano*, pro *Sub Murano*. nam ea opida quum in editis locis ſint poſita; viæ ſub iis ferebantur. Eſt igitur Romula nunc *Biſaccia*, opidum epiſcopale, in edito Apennini montis colle poſitum, XII circiter millia ab Fricento diſſitum; pro quibus utroque itinere Antoninus habet XXII. Perantiquum eſt opidum. refertur enim Livio lib. X, in conſulatu L. Cornelii Scipionis & Cn. Fulvii Centumali; anno poſt Romam conditam CCCCLV; ante natum Chriſtum CCXCVIII. Sed dicitur illi ROMVLEA. P. Decius ita adloquitur milites ſuos: *Omnes Samnitium urbes, fortunæque in urbibus relictæ, veſtræ ſunt*. Mox: *Ad Romuleam urbem hinc eamus; ubi vos labor haud magnus, præda maior manet*.

AQVILONIA *opidum*.

Sequitur hinc poſt VI circiter millia paſſuum in eâdem viâ *Carbonara* opidulum, in altero Apennini latere poſitum. id haud dubiè eſt antiqua illa AQVILONIA; Livio, Ptolemæo, ac Tabulæ memorata. quidpe hinc rectè VI ſunt millia, & habet Tabula, ad opidum vulgari adpellatione *Monte Verde*, Aufidi ripæ adpoſitum: & hinc porrò itidem rectè XVIII millia Venuſiam usque; quæ Tabula ſimul & Antoninus habent. Apud hunc ſi iterum in utroque itinere inter *Romulam* & *Pontem Aufidi* alterum X demas; rectè XII millia hoc intervallo convenient. Cæterùm perantiqua & ipſa eſt urbs Aquilonia: ut cuius prima memoria apud Livium lib. X, in conſulatu L. Papirii Curſoris & C. Carvilii Maximi; anno urbis Romæ CCCCLX; ante natum Ieſum CCXCIII. *Sequitur*, inquit, *hunc annum & conſul inſignis L. Papirius Curſor, & bellum ingens, victoriaque de Samnitibus*. Mox: *Tum exercitus omnis Aquiloniam eſt indictus*. Ptolemæus; Ἱρπινῶν, Ἀκουϊλωνία. *Hirpinorum eſt Aquilonia*. Apud Plinium lib. III cap. XI: *Hirpinorum Aeculani, Aquiloni, Abellinates*. Mutilum vocabulum reſtitue in integrum, AQVILONIENSES.

COMPSA *opidum*.

Ad Aufidum, haud ita procul fontibus eius, ſitum eſt opidum antiquum COMPSA; vulgò nunc *Conza* dictum. Ptolemæus, cui Græcè ſcribitur Κώμψα, perperam Lucanis id attribuit. Sed in hoc vocabulo quum exſcriptores omitterent literam P; de cuius neceſſitate inter M & conſonanteis S & T, ſuprà lib. I cap. XX diſſerui; converſum id eſt in alius urbis. nam quum illi *Conſa* ſcripſiſſent; alii inde tandem fecêre *Coſa*: quo nomine celeberrima fuit urbs in Etruriâ. Livius lib. XXIII: *Hannibal poſt Cannenſem pugnam confeſtim ex Apuliâ in Samnium moverat; accitus in Hirpinos à Statio; pollicente, ſe Compſam traditurum. Compſanus erat Trebius; nobilis inter ſuos. ſed premebat eum Compſanorum factio, familiæ per gratiam Romanorum potentis. Poſt famam Cannenſis pugnæ, vulgatumqne Trebii ſermonibus adventum Hannibalis; quum Compſani urbe exceſſiſſent; ſine certamine tradita urbs Pœno; præſidiumque acceptum eſt*. Omnibus iſtis locis in vulgatis exemplaribus eſt, *Coſſa*, *Coſſanus*, *Coſſanorum*. ubi Sigonius teſtatur, vetus exemplar habere, uti ego perſcripſi. At quid heic iſte Statius; quum omnia poſteà agat Trebius? Menda heic quoque ſunt fœdiſſima. Ego legerim: *Accitus in Hirpinos à Trebio*. &: *ſed premebat eum Statiorum factio*. Opidani igitur dicebantur COMPSANI. Plinius lib. III cap. XI: *Hirpinorum Compſani*. Cæterùm, apud Velleium quoque legitur *Compſa* lib. II, in his verbis: *Milo, Compſam in Hirpinis oppugnans, ictusque lapide, tùm P. Clodio, tùm patriæ, quam armis petebat, pœnas dedit*. At ſolus hoc de Compsâ in Hirpinis in Milonis hiſtoriâ habet Velleius. Dio in Apuliâ eum interiiſſe ait lib. XLII: Καικίλιος δὲ, inquit, τοῦ Μίλωνος ἐκ τῆς Καμπανίας ἐκπεσόντος, καὶ ἐν Ἀπουλίᾳ φθαρέντος, ἐς τὴν Βρεττίαν ἦλθεν. Hoc eſt: *Cæcilius, Milone Campaniâ ejecto, atque in Apuliâ occiſo, in Bruttios ſe contulit*. At Cæſar, cuius tempore Milo interiit, tum divus Hieronymus, in Thurino agro id factum teſtantur. Hieronymus in Euſebiani Chronici lib. II: *M. Cælius prætor, & T. Annius Milo, exſules, oppreſſi ſunt, res novas in Thurino Bruttioque agro ſimul molientes*. Cæſar Belli civilis lib. III: *Cælius clàm nunciis ad Milonem miſſis, cum in Thurinum ad ſollicitandos paſtores præmiſit*. Mox: *Interim Milo, dimiſſis circùm municipia literis; ea, quæ faceret, juſſu atque imperio ſe facere Pompeii. Quos ex ære alieno laborare arbitrabantur, ſolicitabat. apud quos quum proficere*

nihil

nihil poſſet; quibusdam ſolutis ergaſtulis, Coſam in agro Thurino oppugnare cœpit. eò quum à Q. Pedio prætore cum legione ..... [deſunt nonnulla] ...... *lapide ictus eſſet ex muro, periit. Et Cœlius profectus, ut dictabat, ad Cæſarem, pervenit Thurios.* En; cui potiùs credam, Velleio, hoc tempore poſteriori homini; an Cæſari, æquali eius; & qui tum trans Hadriaticum ſinum in Macedoniâ circa Dyrrachium & Apolloniam agebat; ut ipſe narrat continuò antè. Apud hunc tamen etiam vocabulum *Coſam* vitiatum eſt ab exſcriptoribus ab genuino *Caſſanum*: quo nomine hodiéque in Thurino agro opidum eſt epiſcopale, x circiter millia à Thuriorum urbis loco. Et ne vanam inanemque hanc putes eſſe conjectationem; en, apud Plinium lib. II cap. LVI: *L. Paullo, C. Marcello, conſulibus, lanâ pluit circa caſtellum Cariſſanum: juxta quod poſt annum T. Annius Milo occiſus eſt.* Ex hoc vocabulo ſi mendoſam ſyllabam *ri* deleas, habes genuinum nomen *Caſſanum*. Ex hoc igitur vocabulo (quod ex *Cariſſano* fieri non poterat) facilè exſcriptores apud Cæſarem labi potuerunt in *Coſam*, celebre urbis nomen; & item apud Velleium in *Compſam*. Sed apud hunc, arbitror, quum loci eius literæ pleræque ita exoletæ eſſent, uti legi non poſſent; ſciolos grammaticos in proximam ſimilitudinem ſibique notum urbis claræ nomen repoſuiſſe. quumque ſcirent, hanc eſſe in *Hirpinis*; hæc quoque verba pro ſequentibus addidêre. Exoleta autem hoc loco fuiſſe verba, id documentum etiam fidem maximam facit, quòd tota præcedens de Cœlio narratio multis vocabulis mutila eſt. Omnino igitur Velleius etiam ſcripſit; *Milo Caſſanum in Thurino agro oppugnans.*

Porrò Plinius lib. III cap. XI ita ſcribit: *Hirpinorum Beneventum, Aeculani, Aquilonii, Abellinates, cognomine Protropi; Compſani, Caudini, Ligures, qui cognominantur Corneliani, & qui Bæbiani, Veſcellani, Deculani, Aletrini, Abellinates, cognomine Marſi, Atrani, Aecani, Alfellani, Atinates, Arpani, Borcani, Collatini, Corinenſes, & nobiles clade Romanorum Cannenſes; Dirini, Forentani, Genuſini, Herdonienſes, Hyrini, Larinates, cognomine Frentani, Metinates ex Gargano, Mateolani, Neritini, Matini, Rubuſtini, Silvini, Strapellini, Turmentini, Vibinates, Venuſini, Vlurtini.* En tibi exemplar diligentiæ Plinii. Quivis veteris Italiæ ignarus omneis hos populos pro *Hirpinis* acceperit. At heic Hirpinorum Lucanorumque & Apuliæ Calabriæque populi mirâ confuſione commiſti ſunt. At Livius multa paſſim decade I ac III opida Samnii, ſub quo comprehendit & Hirpinos, refert, quorum ſitus planè non liquet. Hactenus igitur de Hirpinis dictum.

CAP. VIIII.

De FRENTANIS.

SAmnitium hinc alia progenies fuêre ad ſuperum mare, inter Marrucinos & Apulos porrecti FRENTANI. Strabo lib. V: Ὑπὲρ δὲ τῆς Πικεντίνης Οὐηστινοί τε καὶ Μαρσοὶ καὶ Πελιγνοὶ καὶ Μαρρουκῖνοι, καὶ Φρεντανοὶ, Σαμνιτικὸν ἔθνος, τὴν ὀρεινὴν κατέχουσιν, ἐφαπτόμενοι μικρὰ τῆς θαλάτης. Id eſt: *Supra Picenum Veſtini & Marſi & Peligni ac Marrucini atque Frentani, qui Samnitica ſunt gens, montana tenent; exiguam oræ maritimæ partem attingentes.* Sanè Veſtini Marrucinique perexiguam litoris partem tenuêre. at *Frentani* ad LXXX millia paſſuum; ab Aterno flumine usque ad Frentonem amnem, qui vulgò nunc dicitur *Fortore*. quamquàm de Frentone termino auctores quidam apertè negant. Plinius lib. III cap. XI: *Flumen portuoſum Frento, Teanum Apulorum, itemque Larinum, Cliternia, Tifernus amnis. inde regio Frentana.* Et cap. XII: *Sequitur regio Quarta, gentium vel fortiſſimarum Italiæ. In orâ Frentanorum, à Tiferno flumen Trinium portuoſum: opida, Hiſtonium, Buca, Ortona, Aternus amnis.* Heic utrobique Tifernus amnis terminus conſtituitur Frentanis, qui vulgò nunc dicitur *Biferno*. In eamdem mentem tradit Mela lib. II cap. IIII. *Frentani*, inquit, *tenent Aterni fluminis oſtia; urbeis Bucam & Hiſtonium. Daunii autem Tifernum amnem; Cliterniam, Larinum, Teanum, opida; montemque Garganum.* Verùm ipſe Plinius eodem cap. XI *Larinates* memorat *cognomine Frentanos*. & Cicero in oratione pro A. Cluentio *Larinati*, ubi populos commemorat, qui Romam

ex his

ex his oris ad laudandum Cluentium venerant, *Frentanos* ponit primos. *Adſunt*, inquit, *Frentani, homines nobiliſſimi*. Hinc igitur diſco; ab initio quidem Frentanorum agrum dictum fuiſſe ad Frentonem usque amnem. poſteà verò Romanos terminum conſtituiſſe Tifernum; partem illam ad Frentonem usque Apulorum attribuiſſe nomini. At Cæſari, Belli civil. lib. I, Larinates, ceu ſingularis ſecretusque populus, inter Frentanos Apuliamque ponuntur. *Septem omnino*, inquit, *dies ad Corfinium commoratus Cæſar, per fineis Marrucinorum, Frentanorum, Larinatium, in Apuliam pervênit*. Cæterò, utrum Frentani, quum, digreſſi à Samnitibus, in hæc loca pervenerunt, nomen ſibi novum ab amne impoſuerint; an verò de ſuo nomine amnem adpellaverint, incertum eſt. Gentis nomen in plerisque auctorum exemplaribus exſcriptores corruperunt in Ferentani; reſpicientes haud dubiè celebris in Latio opidi vocabulum *Ferentinum*. Frentani, tribus ſyllabis, verum eſſe nomen, teſtantur metra Silii. Lib. VIII:

Marrucina ſimul Frentanis æmula pubes.

Et lib. XV:

Quà duri bello gens Marrucina, fidemque
Exuere indocilis ſociis Frentanus in armis.

Terminum igitur Frentani habuêre ab meridiè Frentonem amnem: ab ortu æſtivo mare ſuperum. ab occaſu Forum amnem, ad fontem usque. ab occaſu hiberno lineam à dicto fonte ad Frentonis ripam, quæ eſt medio itinere inter opida *Serra, Capriola* & *Tragonara*, ductam. Nunc igitur opida & flumina, quæ Frentanorum intra hos fineis fuerunt, ordine enarrabimus. ac primum ea, quæ ſunt in litore.

ORTONA *opidum*. Primum igitur ab Aterno amne & Marrucinis eſt ORTONA *opidum*; idem nomen nunc etiam ſervans. Memoratur Straboni, Melæ, Plinio, Ptolemæo, Tabulæ itinerariæ. Strabo lib. V: Μετὰ Ἄτερνον Ὄρτων, ἐπίνειον Φρεντανῶν. Id eſt: *Poſt Aternum eſt Orton, Frentanorum navale*. Ptolemæus falſò Pelignis tribuit; ut magnus turbator eſt Italiæ. Πελιγνῶν, inquit, Σάγρου ποταμοῦ ἐκβολαὶ, Ὄρτων. Id eſt: *Pelignorum, Sagri amnis oſtium, Orton*. Sic Græcâ formatione Græcis ſcribitur hoc nomen, ut & Ἄγκων, Δέρτων, Οὐήρων, Κρέμων. quæ omnia Romani formabant, *Ancona, Dertona, Verona, Cremona*. Porrò Plinius lib. III cap. XII: *Frentanorum à Tiferno flumen Trinium portuoſum: opida, Hiſtonium, Buca, Ortona; Aternus amnis.*

SAGRVS *amnis*. Sequitur hinc SAGRVS magnus *amnis*; vulgò nunc adcolis *Sangro* & *Sangvine* dictus. Strabo lib. V: Μεταξὺ δὲ Ὄρτωνος καὶ Ἀτέρνου ὁ Σάγρος ποταμὸς, ὁρίζων τοὺς Φρεντανοὺς ἀπὸ τῶν Πελιγνῶν. Hoc eſt: *Inter Ortonam & Aternum Sagrus eſt amnis, Frentanos à Pelignis diſterminans*. Hoc opidò quàm falſum: quum Sagrus ab alterâ parte Ortonæ ſit verſùs ortum ad XV millia paſſuum. Rectiùs igitur Ptolemæus: Ἱστώνιον, Σάγρου ποταμοῦ ἐκβολαὶ, Ὄρτων. *Hiſtonium, Sagri amnis oſtium, Ortona*. Nempe ab oriente incedit.

HISTONIVM *opidum*. Poſt Sagrum ſequitur ad XIIII millia paſſuum HISTONIVM; vulgò nunc *Guaſto d' Amone* dictum; elegans opidum. Tabula itineraria ſic habet:

Ortona	
Anxano	XI.
Annum	III.
Pallanum	IIII.
Iſtonium.	XII.

Millia ſunt in univerſum XXX: quæ probè huic intervallo conveniunt. Mela lib. II cap. IIII: *Frentani tenent Aterni fluminis oſtia; urbeis Bucam & Hiſtonium*. Plinius lib. III cap. XII: *A Tiferno flumen Trinium portuoſum, opida Hiſtonium, Buca, Ortona*. Ptolemæus: Φρεντανῶν Τιφέρνου ποταμοῦ ἐκβολαὶ, Βοῦκα, Ἱστώνιον. Id eſt: *Frentanorum Tiferni amnis oſtium, Buca, Hiſtonium.*

TRINIVS *fluvius*. Ab Hiſtonio ad VI millia paſſuum eſt TRINIVM flumen; uni Plinio loco proximè ſcripto memoratum. Nomen hodiè retinet, vulgò *Trigno* dictum.

BVCA *opidum*. Poſt Trinium ad V circiter millia paſſuum erat antiquum illud *opidum* BVCA: quod perperam Plinius inter Hiſtonium & Ortonam ponit dicto lib. III cap. XII. *Flumen*, inquit, *Trinium portuoſum; opida, Hiſtonium, Buca, Ortona*. Rectiùs Pto-

lemæus:

lemæus: Τιφέρνου ποταμοῦ ἐκβολαί, Βοῦκα, Ἱστώνιον. *Tiferni fluvii oſtium, Buca, Hiſtonium.* At ſitum eius nobis dabit Strabo. Is lib. v ita habet: Μετὰ δὲ Ἄπερνον Ὄρτων, ἐπίνειον Φρεντανῶν, καὶ Βοῦκα, καὶ αὐτὴ Φρεντανῶν, ὅμορος Τεάνῳ τῷ Ἀπούλῳ. Hoc eſt: *Poſt Aternum eſt Orton, Frentanorum navale; & Buca, ipſa quoque Frentanorum; contermina Teano Apulo.* Hoc de Teano falſum eſſe, ipſe teſtatur poſteà lib. vi: Εὐθὺς δ' ἀπὸ τοῦ Γαργανοῦ κόλπος ὑποδέχεται βαθύς· ἐν δὲ τῷ κόλπῳ λίμνη ἐστίν· ὑπὲρ δὲ τῆς λίμνης ἐν μεσογαίᾳ τὸ Ἄπουλον Τέανον. μετὰ δὲ τὴν λίμνην ἐπὶ τοὺς Φρεντανοὺς καὶ τὴν Βοῦκαν παράπλους ἐστί. σ' δ' εἰσὶν ἐφ' ἑκάτερα στάδιοι τῆς λίμνης, ἐπί τε τὴν Βοῦκαν καὶ τὸ Γάργανον. Hoc eſt: *A Gargano ſtatim profundus ſubſequitur ſinus. Ad eum ſinum lacus eſt: & ſuper eum Teanum Apulum. A lacu navigatur juxta litus ad Frentanos & Bucam. Vtrimque autem à lacu & ad Bucam & ad Garganum ſtadia ſunt* CC. Id eſt, millia paſſuum XXV. Ergo, ſi Teanum eſt ſuper lacum; ut re verâ eſt; Bucæ non potuit eſſe conterminum. Id autem ſpacium XXV millium paſſuum incidit in eum ſitum, quem ſuprà indicavi: v ſcilicet millia à Trinio flumine.

Tifernus amnis.

Sequitur porrò à Bucæ loco poſt x millia TIFERNVS *amnis*; vulgò *Biſerno* adcolis dictus. quod vocabulum in Chronico Caſſinenſe bis perſcriptum eſt, lib. II cap. XXVI & XXXIII. Memoratur fluvius antiquis ſcriptoribus, Melæ, Plinio, atque Ptolemæo. Mela lib. II cap. IIII: *Daunii autem [tenent] Tifernum amnem.* Plinius lib. III cap. XI: *Tifernus amnis. inde regio Frentana.* Et cap. XII: *A Tiferno flumen Trinium.* In Ptolemæi vulgatis exemplaribus vitiatum id nomen eſt in Φίτερνος· ut ibidem eſt Βοῦβα pro Βοῦκα.

Frento fluvius.

Vltimus hinc atque terminus Frentani agri ſequitur FRENTO *fluvius*; uni Plinio memoratus lib. III cap. XI. *Flumen*, inquit, *portuoſum Frento, Teanum Apulorum; itemque Larinum.* Opidum Teanum apud dextram fuit Frentonis ripam; ubi rudera eius hodiéque exſtant. erravit igitur heic Plinius; qui ab ſiniſtrâ id ponit ripâ: in Frentanorum agro. Dicitur autem *Frento* vulgò hodiè *Fortore*. Nec dubitare licet, hunc eſſe *Frentonem*; quando nullus alius eſt inter Tifernum & Garganum montem *portuoſus amnis*. Atque hæc ferè ſunt flumina & opida Frentanorum maritima, veteribus memorata ſcriptoribus. Nunc interiora etiam inſpiciamus.

Anxanum opidum.

Primum igitur ab Ortonâ, haud ita procul Sagri lævæ ripæ, eſt ANXANVM *opidum*; vulgò nunc *L'Anciano*, & *L'Anzano*. Sed articulum iſtum *Lo* jam dudum incolæ nomini opidi conglutinarunt; uti *Lanciano* & *Lanzano* dicant & ſcribant. Memoratur Ptolemæo & Tabulæ itinerariæ. Ptolemæus: Φρεντανῶν μεσόγαιοι πόλεις, Ἄγξανον, Λάρινον. *Frentanorum mediterranea opida, Anxanum, Larinum.* Plinio lib. III cap. XII opidani inde ſunt ANXANI. at ego judico dictos fuiſſe ANXANENSES. Plinium cap. XI & XII negligentiæ ſummæ plenum eſſe, ſuprà ad finem Hirpinorum expoſitionis oſtendi. Sic cap. XI ſunt ei opidani *Aeculani* & *Aquiloni*; pro *Aeculanenſes, Aquilonienſes*: quum opida eorum eſſent *Aeculanum* & *Aquilonia*.

Larinum opidum.

Ab dextrâ Tiferni ripâ eſt LARINVM *opidum*; vulgò nunc *Larina* dictum; ut Stephani etiam epitomator habet. Memoratur Melæ, Plinio, ac Ptolemæo, locis ſuprà recitatis. tum Ciceroni in oratione pro A. Cluentio; item ad Atticum lib. VII epiſt. XII & XIII. Opidani inde ſunt Ciceroni in dictâ oratione, & Cæſari Civilis belli lib. I, Livio lib. XXVII, Plinio lib. III cap. XI, LARINATES. & ſic Græcè Polybio lib. III Λαρινάται. Municipium fuiſſe, teſtatur Cicero in dictâ oratione pro Cluentio. *A. Cluentius*, inquit, *Aviti fuit pater huiusce, judices: homo; non ſolùm municipii Larinatis, ex quo erat; ſed etiam regionis illius & vicinitatis, virtute, exiſtimatione, nobilitate, facilè princeps.* Latis patuiſſe finibus oportet Larinatium agrum; ac fortaſſe à Tiferno ad Frentonem usque; quando tamquàm ſingularis habetur regio inter Frentanos & Apuliam Cæſari ac Livio. unde Polybio etiam lib. III Λαρινάτις vocatur χώρα· *Larinatis regio.* Cæſar de Civil. bel. lib. I: *Cæſar per fineis Marrucinorum, Frentanorum, Larinatium, in Apuliam pervênit.* Livius lib. XXVII: *Præmiſſi in agrum Larinatem, Marrucinum, Frentanum.*

Cliternia opidum.

At CLITERNIA *opidum*, Melæ lib. II cap. IIII, & Plinio lib. III cap. XI, memoratum, quo ſitu fuerit, minimè diſpicere queo: niſi fuerit eo loco, ubi nunc

opidulum ſine mœnibus, ædificiiſque ſemidirutis eſt, in quo pernoctavi, duo millia paſſuum à mari, VIII millia à Larino, quadringentos paſſus à Tiferni dextrâ ripâ diſſitum, vulgari adpellatione *Campo Marino*. nam uterque auctor & *Larino* & *Tiferno* id conjungit. Mela: *Daunii autem [tenent] Tifernum amnem; Cliterniam, Larinum, Teanum, opida.* Plinius: *Flumen portuoſum Frento, Teanum, itemque Larinum, Cliternia, Tifernus amnis.* Vterque hoc loco totum Frentanorum litus exponit; ut hactenus per ſingula opida id vidimus. Ex mediterraneo autem quaſi per compendium duo iſta opida, Teanum & Larinum, maritimis admiſcuêre. Hæc igitur ſunt Frentanorum opida maritima, quæ veteres adnotarunt ſcriptores.

CAP. X.

De IAPYGIA.

FRentanos ſequitur ea Italiæ pars, quæ Frentone amne, Hirpinorumque finibus & flumine Bradano marique cincta, à Romanis in tria nomina diſtingvebatur; *Apuliam*, *Calabriam*, & *Salentinos*. At Græcis, non tantùm antiquiſſimis, ſed poſterioribus etiam vocabatur Ἰαπυγία, IAPYGIA. Strabo lib. VI: Ἀντίοχος δὲ τὴν Ταραντίνην ἐκτὸς γῆς Ἰταλίας ὀνομάζει, Ἰάπυγας καλῶν. Id eſt: *Antiochus Tarentinum agrum extra Italiam ſub Iapygiæ nomine cenſet.* Appianus Bellor. civil. lib. I: Ἰουδακιλίῳ δὲ ἐν Ἰαπυγίᾳ προσετίθεντο Κανυσῖνοι καὶ Οὐενουσῖνοι, καὶ ἕτεραι πόλεις πολλαί. Id eſt: *Ad Iudacilium in Iapygiâ defecerunt Canuſini & Venuſini; tum & aliæ complures urbes.* Dionyſius Περιηγητής·

> Ἑξείης δ᾽ ἐπὶ τοῖσι Καλαβρικὸς ἤθεα γαίης,
> φῦλά τ᾽ Ἰαπύγων τετανυσμένα μέσφ᾽ Ὑρίοιο
> Παρραλίας.

Hoc eſt:

> *At deinceps poſt hos ſequitur Calabræ ſedes terræ,*
> *Gentesque Iapygum, extentæ usque ad Hyrium*
> *Maritimum.*

At nomen hoc unde habuerit *Iapygia*, Plinius indicat lib. III cap. XI. *Barion*, inquit, *ante Iapyx, à Dædali filio: à quo & Iapygia.* Solinus cap. VIII: *Quis ignorat, Iapygas ab Iapyge, Dædali filio, conditos?*

Cæterùm dicta IAPYGIA iisdem Græcis in treis diviſa fuit parteis. Polybius lib. III: Διελθὼν δὲ ὁ Ἀννίβας καὶ καταφθείρας τήν τε Πραιτουττιανὴν καὶ τὴν Ἀδριανὴν, ἔτι δὲ τὴν Μαρρουκίνην καὶ Φρεντανὴν χώραν, ὥρμησε ποιούμενος τὴν πορείαν ὡς ἐπὶ τὴν Ἰαπυγίαν· ἧς διῃρημένης εἰς τρεῖς ὀνομασίας, καὶ τῶν μὲν προσαγορευομένων Δαυνίων, τῶν δὲ Μεσσαπίων, εἰς πρώτην ἐνέβαλε τὴν Δαυνίαν. Id eſt: *Hannibal, ubi pertranſiit Prætutianum Hadrianumque agrum, nec non Marrucinorum Frentanorumque; in Iapygiam avertit iter. quæ regio quum tribus nominibus diſtincta ſit; quorum unum eſt Dauniorum, alterum Meſſapiorum; Hannibal primam petit Dauniam.* Scilicet, ut proximam à Frentanis. At quid hoc eſt, quod ait in tria nomina diviſam eſſe Iapygiam; heic verò duæ tantùm commemorantur? Vt pleraque apud Polybium Italiæ urbium, fluminum, & montium nomina ab imperitis exſcriptoribus corrupta ſunt; ita heic etiam per ſupinam oſcitantiam tertium Iapygum nomen omiſſum eſt. Scripſit igitur haud dubiè Polybius ſic: ἧς διῃρημένης εἰς τρεῖς ὀνομασίας, καὶ τῶν μὲν προσαγορευομένων Δαυνίων, τῶν δὲ Πευκετίων, τῶν δὲ Μεσσαπίων, εἰς πρώτην ἐνέβαλε τὴν Δαυνίαν. Id eſt: *Quæ regio quum tribus nominibus diſtincta ſit; quorum unum eſt Dauniorum, alterum Peucetiorum, tertium Meſſapiorum; primam petit Dauniam.* Ergo DAVNIA erat proxima Frentanis Hirpinisque. extima, à Tarento Brundiſioque, in peninſulâ, MESSAPIA. media inter utramque PEVCETIA. Hanc ſeparat à *Dauniâ* Plinius *Cerbalo* amne; qui vulgò dicitur *Cervaro*; apud Sipontum in mare effluens. Lib. III cap. XI: *Amnis*, inquit, *Cerbalus, Dauniorum finis.* Originem horum nominum indicare voluit Antoninus Liberalis in libro de Transformationibus. Λυκάονος τοῦ αὐτόχθονος ἐγένοντο παῖδες, Ἰάπυξ,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

ϖδὶ τ Ἀδρίαν.
αὐτοῖς τ ϛρατιᾶς
μχῇ, ϗ ὠνόμασαν
Τάραντ☉ ἄχρι
δὲ ϖδὶ τὴν ἐπι-
ιεον Δαύνιοι. Τὸ
Iapygem, Dau-
ad Hadriaticum
Maior pars exer-
uum & exerci-
mina feciſſent:
e ad extima Ita-
Peucetiis. ultra
: Meſſapiorum
itur Secunda re-
n ſinu, qui Ta-
CXXXVI millia
mittens. Græci
enotri fratre.
☉ εἰς Βρεντέσιον.
, τὸν ἰσθμὸν ποιεῖ
Σαλεντίνων κοινῶς
Peninſulæ for-
erreſtre iter in-
eninſulæ: quam
mune plerique
erbis: Συνεχὴς
ώρειοι κτ̀ μέρη,
ους. ὑπὲρ τούτους
ῦνοι. Οἱ δ᾽ ἐπι-
οίδικλοι λέγονται·
ci dixêre. In-
; quæ circa Ia-
iones ſunt Peu-
bros eſt, Apu-
ucetii. Plinius POEDICVLI
dolescentes toti- populi.
Rhudia, Egna-
mine: in qua
œdiculi per o-
Plinius. Cæte-
tem vocalem e
Appianum et-
imum lib. VII
ibendum, nul-

Meſſapia fuit,
III Helenum

Ovidius



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

opidulum ſine
millia paſſuum à
ripâ diſſitum, v
& *Tiferno* id c
niam, *Larinum*,
que Larinum, *Cl*
tus exponit; ut
quaſi per comp
re. Hæc igit
ſcriptores.

FRentanos ſe
bus & flumi
batur; *Apuliam*
ſed poſterioribu
ἢ τὴν Ταραντίνων
num agrum extr
Ἰουδακιλίῳ δὲ ἐν
eſt: *Ad Iudaci*
urbes. Dionyſi

Ἐξ
Φῦ
Πα

A
Ge
M.

At nomen hoc
quit, *ante Iapyx*
Iapygas ab Iapyg
Cæterùm di
lib. III: Διελθὼν
ρουκίνων καὶ Φρεντανῶ
εἰς τρεῖς ὀνομασία
βαλε τὴν Δαυνίαν.
nec non Marru
tribus nominibu
nibal primam pe
quod ait in tria
rantur? Vt ple
mina ab imperi
tantiam tertiun
bius ſic: ἧς δ᾽ ἡ
κελίων, τὴν δὲ Μεσ
nominibus diſtin
Meſſapiorum; *pr*
pinisque. extin
inter utramque
vulgò dicitur
inquit, *Cerbalus*
toninus Liberal

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Ἰάπυξ καὶ Δαύνιος καὶ Πευκέτιος. οὗτοι λαὸν ἀθροίσαντες, ἀφίκοντο τῆς Ἰταλίας παρὰ τὸν Ἀδρίαν. ἐξελάσαντες δὲ τοὺς ἐνταυθοῖ οἰκοῦντας Αὔσονας, αὐτοὶ καθιδρύθησαν. Ἦν δὲ τὸ πλέον αὐτοῖς τῆς στρατιᾶς ἔποικον, Ἰλλύριοι, Μεσσάπιοι. Ἐπεὶ δὲ τὸν στρατὸν ἅμα καὶ τὴν γῆν ἐμέρισαν τριχῆ, καὶ ὠνόμασαν ὡς ἑκάστοις ἡγεμὼν εἶχε, Δαυνίους καὶ Πευκετίους καὶ Μεσσαπίους· τὸ μὲν ἀπὸ Τάραντος ἄχρι πρὸς τὴν ἐσχατιὰν τῆς Ἰταλίας, ἐγένετο Μεσσαπίων· ἐν ᾗ πόλις Βρεντέσιον. τὸ δὲ παρὰ τὴν ἐκτὸς τοῦ Τάραντος, ἐγένετο Πευκετίων. ἐνδοτέρω δὲ τούτου τῆς θαλάσσης ἐπέπλεον Δαύνιοι. Τὸ σύμπαν ἔθνος ὠνόμασαν Ἰάπυγας. Id eſt: *Lycaon indigena filios habuit, Iapygem, Daunium, & Peucetium. hi, collectâ hominum multitudine, in Italiam ad Hadriaticum mare pervenerunt: pulſisque Auſonibus incolis, loca ea occuparunt. Maior pars exercitum eorum conſtituerat ex advenis, Illyricis atque Meſſapiis. Itaque quum & exercitum & agrum in treis diviſiſſent parteis; eisque de nominibus ducum nomina feciſſent; Dauniorum, Peucetiorum, & Meſſapiorum: quod à Tarento erat usque ad extima Italiæ, Meſſapiis obtigit: ubi eſt Brundiſium. quod ultra Tarentum erat, Peucetiis. ultra hos Daunii ſedeis fixerunt. Totam autem gentem Iapyges vocarunt.* At Meſſapiorum regio poſteà alia nomina accepit. Plinius lib. III cap. XI: *Connectitur Secunda regio; amplexa Hirpinos, Calabriam, Apuliam, Salentinos;* CCL *millium ſinu, qui Tarentinus adpellatur ab opido Laconum in receſſu hoc intimo ſito. abeſt* CXXXVI *millia paſſuum à Lacinio promontorio; adverſam ei Calabriam in peninſulam promittens.* Græci Meſſapiam à duce adpellavêre; antè Peucetiam, à Peucetio, Oenotri fratre. Strabo lib. VI: Ἔοικεν οὖν χερρονήσῳ τὸ περιπλεόμενον χωρίον ἐκ Τάραντος εἰς Βρεντέσιον. ἡ δ᾽ ἐκ Βρεντεσίου πεζευομένη ὁδὸς εἰς τὸν Τάραντα εὐζώνῳ μιᾶς ἐστὶν ἡμέρας, τὸν ἰσθμὸν ποιεῖ τῆς εἰρημένης χερρονήσου, ἣν Μεσσαπίαν τε καὶ Ἰαπυγίαν καὶ Καλαβρίαν καὶ Σαλεντίνην κοινῶς οἱ πολλοὶ προσαγορεύουσι· τινὲς διαιροῦσιν, ὡς ἐλέγομεν πρότερον. Id eſt: *Peninſulæ formam refert ea regio, quæ circumnavigatur à Tarento Brundiſium. at terreſtre iter inter has urbeis unâ die ab expedito confici poteſt, quâ iſthmus eſt dictæ peninſulæ: quam Meſſapiam & Iapygiam & Calabriam atque Salentinum agrum in commune plerique adpellant. alii tamen diſtingvunt; ut antè diximus.* Dixit ſuprà his verbis: Συνεχὴς δ᾽ ἐστὶν ἡ Ἰαπυγία. ταύτην δὲ καὶ Μεσσαπίαν καλοῦσιν οἱ Ἕλληνες. οἱ δ᾽ ἐπιχώριοι κατὰ μέρη, τὸ μέν τι Σαλεντίνους καλοῦσι, τὸ περὶ τὴν ἄκραν Ἰαπυγίαν, τὸ δὲ Καλάβρους. ὑπὲρ τούτους πρόσβοροι Πευκέτιοί εἰσι, καὶ οἱ Δαύνιοι κατὰ Ἑλλάδα διάλεκτον προσαγορευόμενοι. Οἱ δ᾽ ἐπιχώριοι πᾶσαν τὴν μετὰ Καλάβρους Ἀπουλίαν καλοῦσι. Τινὲς δὲ αὐτῶν καὶ Ποίδικλοι λέγονται· μάλιστα οἱ Πευκέτιοι. Id eſt: *Sequitur Iapygia: quam & Meſſapiam Græci dixêre. Incolæ verò regionem in parteis dividentes, unam earum Salentinos vocant; quæ circa Iapygium eſt promontorium: alteram Calabros. Supra hos versùs ſeptemtriones ſunt Peucetii, & qui Daunii Græcâ lingvâ dicuntur. Incolæ, quidquid poſt Calabros eſt, Apuliam vocant. Quidam etiam eorum* POEDICVLI *dicuntur; maximè Peucetii.* Plinius lib. III cap. XI: *Brundiſio conterminus Pœdiculorum ager. Novem adoleſcentes totidemque virgines ab Illyricis* XIII *populos genuêre. Pœdiculorum opida, Rhudia, Egnatia, Barion; amnes, Pactius, Aufidus. Hinc Apulia Dauniorum cognomine: in qua Salapia, Sipontum, Vria; amnis Cerbalus, Dauniorum finis.* Ergo Pœdiculi per omnem fuêre Peucetiam. Scilicet ſic ſæpiſſimè nimius breviator Plinius. Cæterùm vocabulum Pœdiculorum in exemplaribus Plinii per ſimplicem vocalem *e* ſcriptum legitur: ita ab exſcriptoribus haud dubiè vitiatum. Apud Appianum etiam Civil. bellor. lib. I eſt Πεδίκλους, pro Ποιδίκλους. Apud Val. Maximum lib. VII cap. VI ita ſcriptum eſt: *Ex Apuliâ quoque & Fidiculis. Pœdiculis* ſcribendum, nullum dubium eſſe poteſt. POEDICVLI *populi.*

Cæterùm SALLENTINORVM ager,, quorum dimidia peninſula Meſſapia fuit, à poëtis Latinis neſcio quousque extenditur. Virgilius Aeneid. lib. III Helenum in Epiro ita Aeneæ vaticinium reddentem introducit:

Has autem terras Italique hanc litoris oram,
Proxima quæ noſtri perfunditur æquoris æſtu,
Effuge. cuncta malis habitantur mœnia Graiis.
Heic & Nericii poſuerunt mœnia Locri;
Et Sallentinos obſedit milite campos
Lyctius Idomeneus. heic illa ducis Melibœi
Parva Philoctetæ ſubnixa Petilia muro.

Ovidius Metamorph. lib. xv:

. . . .
Navigat Ionium; Lacedæmoniumque Tarentum.
Præterit & Sybarim Sallentinumque Neæthum.

NEAETHVM, *flumen.* Flumen hoc *Neæthum*, vulgò nunc *Neto* adpellatur in Bruttiis; populo longè à Meſſapiâ diſsito.

Atque hactenus diviſionem *Apuliæ* expoſuiſſe ſufficiat.

Quæ hactenus præceſſerunt capita, auctor diligentiſſime, antequam excuderentur, recognovit, atque polivit. idem in ſequentibus præſtare quoque inſtituerat: ſed morte præventus, non potuit. quod te, benevole lector, ignorare noluimus.

CAP. XI.

De APVLIA.

APVLIAE *fines.* APVLIA igitur univerſa hisce incluſa fuit finibus: Ab ſeptemtrionibus Frentone amne (vulgò eſt *Fortore*) & mari ſupero, ad Brundiſium usque. à meridie, primùm ſuperiori capite memorato iſthmo inter Brundiſium & Tarentum: tum ſinu Tarentino, à Tarento ad *Bradanum* usque amnem. hinc ipſe Bradanus ad fontem usque à *Lucanis* eos ſeparabat. Ab occaſu hiberno lineâ ab dicto Bradani fonte ad Frentonis ductâ fontem ab Hirpinis diſtingvebantur.

Finibus Apuliæ indicatis, opida nunc eius atque flumina dicenda. ac quidem primo loco maritima. Geographi plerique heic ab oriente in occaſum procedunt. Plinius lib. III cap. XI: *Brundiſio conterminus Pædiculorum ager. opida eorum, Rhudia, Egnatia, Barium.* Ptolemæus: Ἀπουλῶν Πευκετίων, Ἐγνατία, Βάριον. *Apulorum Peucetiorum, Egnatia, Barium.* Mela lib. II cap. IIII; adverſo litore incedens: *Barium, Egnatia, & Ennio cive nobiles Rudiæ: & in Calabriâ Brundiſium.* Itineraria ſic iter referunt:

Tabulæ:		Antonini:		Antonini:		Hieroſolymitanum:	
Barium		*Varia*		*Barium*		*C. Beroes*	
Turris Cæſaris	XX.	*Turribus*	XXI.	*Arneſto*	XXII.	*Mu. Turris Iuliana*	XI.
Dertum	IX.	|		|		*Mu. Turres Aurelianas*	IX.
Egnatiæ	IX.	*Egnatiæ*	XVI.	*Egnatiæ*	XV.	*C. Leonatiæ*	XV.
Speluncis	XXI.	*Speluncas*	XX.	*Speluncis*	XXI.	*Mut. Ad Decimum*	X.
Brundiſî	XXVIII.	*Brundiſium*	XIX.	*Brundiſium*	XVIII.	*Mu. Speluncas*	XI.
						C. Brundiſî.	XIV.

BARIVM, *opidum.* Ex his BARIVM *opidum* vulgò nunc dicitur *Bari*; emporium in hoc litore celebre. Antiquiſſima eius memoria eſt apud Horat. lib. I Sat. V: qua iter ſuum deſcribit, à Româ per viam Appiam ad Brundiſium usque.

Inde Rubos feſſi pervenimus; utpote longum
Carpentes iter, & factum corruptius imbri.
Poſtera tempeſtas melior; via peior, adusque
Barî mœnia piſcoſi. dehinc Gnatia lymphis
Iratis exſtructa.
Brundiſium longæ finis chartæque viæque.

EGNATIA, *opidum.* Hinc EGNATIA inter Barium & Brundiſium nomen corruptum ſervat in turri ſpeculatrice, vulgò *Torre d' Anazzo*. Haud procul à litore rudera murorum viſuntur juxta viam publicam, agro circumjecto aridiſſimo. unde Horatius dicto modò loco:

——— Dehinc Gnatia, lymphis
Iratis exſtructa, dedit riſusque jocosque.
Dum flamma ſine, thura liqueſcere limine ſacro

Perſua-

Perſuadere cupit. credat Iudæus Apella;
Non ego. namque deos didici.

De eâdem ita tradit Plinius lib. II cap. CVII: *Reperitur apud auctores, in agro Salentino, opido Egnatiâ, impoſito ligno in ſaxum quoddam ibi ſacrum, protinùs flammam exſiſtere.*

Porrò TVRRIS illa CAESARIS Itinerariorum, TVRRIS IVLIANA fuit inter duo opida *Pugliano* & *Mola*.

[TVRRIS CAESARIS *locus*.]

Poſt duo millia paſſuum, Egnatiam euntibus fuit ARNESTVM, ille locus Antonini ARNESTVM. Is haud dubiè obſcuri fuit nominis, quia uni memoratur Antonino.

TVRRES IVLIANAE Itinerarii Hieroſolymitani ex numero millium paſſuum XV, quæ habet Egnatiam uſque, deprehenditur fuiſſe III millia citra opidum *Oſtuni*.

[TVRRIS IVLIANAE.]

Cæterùm, quod Mela Pliniuſque Rudias, Ennii poëtæ patriam, in hoc Apulo ponunt litore, inter Egnatiam & Brunduſium, is ingens eſt error: quum fuerint ultra Brunduſium in Calabriâ; ut infrà videbimus.

Porrò iter Tabula itineraria refert huiuſmodi:

Auſinum	
Bardulos	VI.
Turenum	VIIII.
Natiolum	VI.
Barium.	VIIII.

Ex his locis BARDVLI *opidum*, vulgò dicuntur *Barletta*; epiſcopali dignitate inſigne.

[BARDVLI *opidum*.]

TVRENVM *opidum* vulgò nunc eſt *Trani*; archiepiſcopali titulo ſublime.

[TVRENVM *opidum*.]

NATIOLVM *opidum* nunc eſt *Giovenaſſo*; & ipſum epiſcopali ſede clarum.

[NATIOLVM *opidum*.]

Sequitur poſt *Barlettam* AVFIDVS amnis; vulgò nunc *O'fanto*, & coaleſcente articulo *Lófanto* dictus. Memoratur Polybio, Livio, Virgilio, Straboni, Melæ, Silio, Plinio, Plutarcho; & aliis. Cannenſis pugna eum maximè nobilitavit.

[AVFIDVS *fluvius*.]

Reliquum hinc litus deſcribitur ita Plinio lib. III cap. XI: *Aufidus amnis. Hinc Apulia Dauniorum cognomine à duce Diomedis ſocero: in qua opidum Salapia, Hannibalis meretricio amore inclytum: Sipontum, Uria, amnis Cerbalus, Dauniorum finis: Portus Agaſus, promontorium Gargani*. Mela lib. II cap. IIII; adverſo litore incedens: *Daunii tenent Tifernum amnem, Cliterniam, Larinum, Teanum, opida montemque Garganum. Sinus eſt continuo Apulo litore incinctus, nomine Urias, modicus ſpacio, Extra, Sipuntum, vel, ut Graii dixêre, Sepyus; & flumen, quod, Canuſium attingens, Aufidum adpellant.*

Ex his SALAPIA *opidum* nomen adhuc ſervat in ruderibus, vulgò *Salpe* dicta. Memorat præter jam dictos geographos Livius & Appianus.

[SALAPIA *opidum*.]

SALAPINA PALVS memoratur Lucano lib. V his verſibus:

Brundiſium decimis jubet hanc attingere caſtris;
Et cunctas revocare rateis, quas avius Hydrûs,
Antiquuſque Taras ſecretaque litora Leucæ,
Quas recipit Salapina palus.

[SALAPINA *palus*.]

Hæc palus ſive lacus hodiéque exſtat, Aufidum flumen & Salapiam ferè contingens.

Porrò Itineraria iter habent tale:

Aufidum		*Aufidum*	
Salinis	XII.	*Salinis*	XI.
Anxano	XII.	|	
Siponto	VIIII.	*Siponto*	XV.

SALINAE iſtæ haud dubiè fuêre circa oſtium Cerbali amnis; ubi exiguus lacus dicitur *Lago Salſo*.

[SALINAE.]

Sequitur hinc proximè CERBALVS amnis, vulgò nunc dictus *Cervaro*. Is ille eſt,

[CERBALVS *amnis*.]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

eſt, de quo Strabo lib. VI: Μεταξὺ τῆς Σαλαπίας καὶ Σιπιοῦντος ποταμὸς πλωτὸς, δι' οὗ τὰ ἐκ Σιπιοῦντος κατάγεται. Id eſt: *Inter Salapium & Sipuntem amnis eſt navigabilis, quo merces de Sipunte devehuntur.*

SIPUNTUM *opidum.*

Ipſum hinc SIPUNTUM *opidum* vulgò adpellatur *Siponto*. Memoratur Livio, Straboni, Melæ, Lucano, Plinio, Ptolemæo, Itinerariis, & aliis. Sed apud pleroſque auctores ſcribitur SIPONTUM. De origine nominis ita refert Strabo lib. VI: Ὠνομάζετο δὲ Σηπιοῦς Ἑλληνικῶς ἀπὸ τῶν ἐκκυμαλιζομένων σηπιῶν. Id eſt: *Dictum fuit Sepiûs Græcè à ſepiis, quæ heic ejiciuntur.* Silius lib. VIII:

Quæſivit Calaber, ſubductâ luce repentè
Immenſis tenebris, & terram & litora Sipûs.

VRIA *opidum.*

Porrò apud Plinium ita legitur lib. III cap. XI: *Salapia, Sipuntum, Vria, amnis Cerbalus.* Turbavit fœdè ordinem litoris; quum modò intellexerimus, Cerbalum præcedere Sipontum; cui junctus eſt. Mela lib. II cap. II: *Daunii tenent montem Gargânum. Sinus eſt continuo Apulo litore incinctus, nomine Vrias, modicus ſpacio. Extrà* [*eſt*] *Sipuntum.* Ergo *opidum* VRIA fuit inter Sipontum & montem Garganum circa urbem Manfredoniam; & contra id SINUS VRIAS; in quem effunditur *Cerbalus* amnis.

GARGANUS mons.

Verberatur huius dextro latere GARGANUS *mons*, vulgò nunc *Monte di S. Angelo*. Strabo lib. VI, memoratis Salapiâ & Sipunto: Δείκνυται δὲ τῆς Δαυνίας περὶ λόφον, ᾧ ὄνομα Δρίων, ἡρῷα, τὸ μὲν Κάλχαντος, ἐπ' ἄκρᾳ τῇ κορυφῇ. Ἐναγίζουσι δὲ αὐτῷ μέλανα κριὸν οἱ μαντευόμενοι, ἐγκοιμώμενοι ἐπὶ τῷ δέρματι. Τὸ δὲ Ποδαλειρίου κάτω πρὸς τῇ ῥίζῃ, διέχον τῆς θαλάσσης ὅσον σταδίους ρ'· ῥεῖ δ' ἐξ αὐτοῦ ποτάμιον πανάκες πρὸς τὰς θρεμμάτων νόσους. Πρόκειται δὲ τοῦ κόλπου τούτου πελάγιον, ἀκρωτήριον, ἐπὶ τ' ἀνατεῖνον πρὸς τὰς ἀνατολὰς, Γάργανον. Id eſt: *Oſtenduntur in Dauniæ quodam colle, cui nomen Drium, ſacella: alterum Calchantis in ſummo vertice. ubi qui oraculum requirunt, arietem immolant nigrum, & pelli indormiunt. alterum Podalirii in imo ad radices collium, centum fere ſtadia à mari diſſitum. profluit autem ex eo rivus omnis generis morbos pecorum ſanans. Ante hunc ſinum eſt promontorium Garganum, ad* CCC *ſtadia in mare versùs ortum Solis procurrens.* Eadem refert Lycophron.

AGASUS portus.

Reliquum hinc litus ita deſcribit Plinius lib. III cap. XI: *Amnis Cerbalus, Portus Agaſus; promontorium montis Gargani: ambitu montis Gargani Portùs Garnæ; lacus Pantanus.* PORTUS iſte AGASUS vulgò dicitur *Porto Græco*.

GARNAE portus.

PORTUS iſte GARNAE quo ſitu ſit habendus, incertum eſt.

APENESTAE *opidum.*

Apud Ptolemæum ita ſcriptum eſt: Ἀπούλων Δαυνίων· Σαλαπία, Σηπιοῦς, Ἀπενέσται, Γάργανον ὄρος, καὶ παρὰ τὸν Ἀδρίαν κόλπον Ὕριον. Id eſt: *Apulorum Dauniorum, Salapia, Sipuntum, Apeneſtæ, Garganus mons; & juxta Hadriaticum ſinum Hyrium.* Strabo lib. VI, memorato Gargano monte: Κάμψαντι δὲ τὴν ἄκραν πολισμάτιον [ἐστι] Οὔριον. Id eſt: *Circumflexo promontorium occurrit opidulum Vrium.*

Iſtud etiam *opidum* APENESTAE quo loco fuerit, divinatu haud facilè eſt.

HURIUM *opidum.*

HURIUM *opidum* puto nunc eſſe illud opidum, quod ab altero latere Gargani dicitur vulgò *Rodia*. Atque hæc ferè ſunt maritima Apulorum opida, quæ antiquis auctoribus memorantur.

Contra litus Apulum & Garganum montem jacent inſulæ aliquot; DIOMEDEAE adpellantur antiquis. Strabo dicto lib. VI: Πρὸ τῆς ἄκρας τοῦ Γαργάνου αἱ Διομήδειοι νῆσοι. Id eſt: *Ante promontorium Gargani jacent Diomedeæ inſulæ.* Plinius lib. III cap. XXVI: *Contra Apulum Diomedéa inſula: conſpicua monumento Diomedis. & altera eodem nomine, à quibusdam Teutria adpellata.* Totidem refert & Strabo paullo antè. Ἐν δὲ πλησίον, inquit, θαλάττῃ δύο νῆσοι Διομήδειοι προσαγορευόμεναι· ὧν ἡ μὲν οἰκεῖται, τὴν δ' ἔρημον φασὶν εἶναι. ἐν ᾗ καὶ τὸν Διομήδην μυθεύουσι ἀφανισθῆναί τινες, καὶ τοὺς ἑταίρους ἀπορνιθωθῆναι, καὶ δὴ καὶ νῦν διαμένειν ἐκ μέρους, καὶ βίον τινὰ ζῆν ἀνθρώπινον, τάξει τε διαίτης καὶ τῇ πρὸς ἀνθρώπους ἡμερότητι τοὺς ἐπιεικεῖς, ἀπὸ δὲ κακούργων καὶ μιαρῶν φυγῇ. Hoc eſt: *In contermino mari duæ ſunt inſulæ Diomedeæ: quarum una colitur: alteram ferunt deſertam. in hac nonnulli fabulantur Diomedem diſparuiſſe; eiusque ſocios in aveis mutatos, partim adhuc ſupereſſe: & vitam agere humanæ ſimilem, ratione victus & comitate erga homines probos; fugâque flagitiorum.* De numero inſularum rectiùs Ptolemæus: Ἐν δὲ τῷ Ἰονίῳ πελάγει αἱ καλούμεναι Διομήδειαι νῆσοι ε'. Id eſt: *In Ionio mari Diomedeæ inſulæ* V. Tot quidpe hodiè noſcuntur, vocanturque vulgò ab omnium maximâ

L'Iſole

L'Iſole di Tremiti. Hæc maxima Tacito memoratur Annal. lib. IIII his verbis: *Per idem tempus Iulia mortem obiit. quam neptem Auguſtus convictam adulterii damnaverat; projeceratque in inſulam Trimerum, haud procul Apulis litoribus.* Neſcio, an exſcriptores genuinum vocabulum TRIMETVM corruperint in *Trimerum.*

CAP. XII.

De mediterraneis APVLIAE *locis.*

IN mediterraneis Apuliæ à Frentone amne primum *opidum* ſe offert TEANVM cognomine APVLVM, ad discrimen *Teani Sidicini* in Campaniâ. Strabo lib. VI: Εὐθὺς ἀπὸ τοῦ Γαργάνου κόλπος ὑποδέχεται βαθύς· ἐν δὲ τῷ λίμνη ἐστί. ὑπὲρ δὲ τῆς λίμνης ἐν μεσογαίᾳ τὸ Ἄπουλον Τέανον, ὁμώνυμον τῷ Σιδικίνῳ. Id eſt: *Protinus à Gargano profundus eſt ſinus. in eo lacus eſt; & ſupra eum in mediterraneo Teanum Apulum; eiusdem nominis cum Sidicino.* Ab lævo latere Gargani lacus ſunt duo, vulgaribus adpellationibus, *Lago di Varano* alter; alter, qui intimo ſinus receſſui proximus, *Lago de Leſina.* In intimum ſinus receſſum effunditur FRENTO *amnis.* Decem millia paſſuum ab oſtio eius & dicto lacu rudera exſtant antiqui opidi, prope ripam amnis. Hæc igitur ego Teanum fuiſſe arbitror.

[TEANVM *Apulum.* — GARGANI LACVS. — FRENTO *amnis.*]

Eodem tractu fuit *opidum* quod Livio, GERIO, Polybio Γερούνιον, GERVNIVM, Tabulæ itinerariæ GERONIVM dicitur. Polybius lib. III: Ὁ δὲ στρατηγὸς Ἀννίβας πυνθανόμενος διὰ τῶν κατασκόπων, πλεῖστον ὑπάρχειν σῖτον ἐν τῇ περὶ τὴν Λουκερίαν καὶ τὸ καλούμενον Γερούνιον χώρᾳ, πρὸς δὲ τὴν συναγωγὴν εὐφυῶς ἔχειν τὸ Γερούνιον· κρίνας ἐκεῖ ποιεῖσθαι τὴν παραχειμασίαν, προῆγε πρὸς αὐτό· ὁ τῆς Λουκερίας ἀπέχει διακόσια στάδια. *At dux Hannibal, audito ab exploratoribus, in agris circa Luceriam ac Gerunium magnam eſſe frumenti copiam; Geruniumque ad uſum horreorum opportunum eſſe locum: in eo tractu hibernare ſtatuit: protinusque eò ducit exercitum. Abeſt autem hoc opidum à Luceriâ millia paſſuum* XXV. Tractus atque intervallum docent, *Gerionem* fuiſſe id opidum, quod vulgò nunc dicitur *Tragonara.*

[GERIO *opidum.*]

LVCERIA *opidum* vulgò vocatur *Lucera.* Quæ nomina temporis ſucceſſu cum *Nuceria*, & *Nocera* (ut nunc etiam vulgò appellari ſolet) fuêre commutata. Opidum eſt, infra Teanum verſùs Auſtrum, ad flumen Cerbalum, ipſumque vulgari incolis vocabulo *Foggia* nominatur. Memoratur Polybio, Ciceroni, Cæſari, Livio, Dionyſio Halicarnaſſenſi, Straboni, Plinio, Frontino, Appiano, Stephano, Aethico. Stephanus ita habet: Λουκαρία, πόλις Ἰταλίας· Πολύβιος τρίτῳ. παρὰ δὲ Διονυσίῳ διὰ τοῦ ε γράφεται· οἱ οἰκοῦντες, Λουκερῖνοι. Id eſt: *Lucaria, urbs Italiæ; auctore Polybio, lib.* III. *apud Dionyſium verò per* e *ſcribitur; Incolæ, Lucerini.* Opidani equidem etiam Latinis ſcriptoribus, Livio, Priſciano, dicuntur LVCERINI. Cæterùm, an ſatis probo exemplari uſus ſit Stephanus, in quo ſcriptum fuit opidi nomen Λουκαρία, neſcio. ea certè, quæ nunc exſtant, Λουκερία, ſicut omnes alii auctores, habent. Verba Polybii, lib. III, hæc ſunt: Ὁ δὲ στρατηγὸς Ἀννίβας, πυνθανόμενος διὰ τῶν κατασκόπων, πλεῖστον ὑπάρχειν σῖτον ἐν τῇ περὶ τὴν Λουκερίαν καὶ τὸ καλούμενον Γερούνιον χώρᾳ, κρίνας ἐκεῖ ποιεῖσθαι τὴν παραχειμασίαν, προῆγε ἐπὶ τοὺς τόπους. Id eſt: *Imperator Annibal, ab ſpeculatoribus edoctus, Luceriæ ac Gerunii magnam frumenti eſſe copiam, in eo tractu hibernare ſtatuit; ad eaque loca ducit.* Cognomento *Apulam* dictam, ex Autore de viris illuſtribus, patet: cuius hæc ſunt in Sp. Poſthumio: *Nam ille* [Pontius Teleſinus, dux Samnitium] *transfugas miſit, qui Romanos docerent, Luceriam Apulam à Samnitibus obſideri.* Hinc in tabulâ itinerariâ, *Nucerie Apule.* Dicta autem *Apula*, (uti &, *Nuceria Saracenorum, Nocera degli Saraceni,*) ad discrimen Campaniæ, Vmbriæ, & Galliæ Cispadanæ Nuceriarum. Antiquiſſimam fuiſſe urbem, ut cui conditor adſcriberetur Diomedes, patet ex Strabonis lib. VI: Καὶ ἄλλα πολλά, inquit, δείκνυται τῆς Διομήδους ἐν τούτοις τοῖς τόποις δυναστείας σημεῖα. ἐν μὲν τῷ τῆς Ἀθηνᾶς ἱερῷ, τῆς ἐν Λουκερίᾳ, παλαιὰ ἀναθήματα. καὶ αὕτη δ' ὑπῆρξε πόλις ἀρχαία Δαυνίων· νυνὶ δὲ τεταπείνωται. Hoc eſt: *Et multa alia monſtrantur Diomedis in hac regione dominationis indicia. ut Luceriæ (quæ & ipſa vetuſta Dauniorum urbs, nunc humilis eſt) vetuſta donaria in templo Minervæ.* Proxima hinc ejus mentio eſt apud Livium, lib. VIIII, in conſulatu T. Veturii Calvini & Sp. Poſthumii;

[LVCERIA, *opidum.*]

humii; anno urbis Romæ cccc xxxii; ante natum Ieſum, cccxxi. ubi ita de Herennio, Samnitium duce, narrat: *Militeis decem paſtorum habitu mittit; pecoraque diverſos, alium alibi, haud procul Romanis paſcere jubet præſidiis. ubi inciderint in prædatores, ut idem omnibus ſermo conſtet; legiones Samnitium in Apuliâ eſſe; Luceriam omnibus copiis circumſidêre, nec procul abeſſe quin vi capiant.* Mox: *Haut erat dubium, quin Lucerinis opem Romanus ferret, bonis ac fidelibus ſociis. Duæ ad Luceriam ferebant viæ; altera præter oram ſuperi maris, patens apertaque; ſed quanto tutior, tanto ferè longior: altera, per Furculas Caudinas, brevior.* Captam poſteà fuiſſe à Samnitibus, infrà eodem libro patet. *Conſules*, inquit, *inter ſe partiti provincias, Papyrius in Apuliam ad Luceriam pergit; ubi equites Romani, obſides ad Caudium dati, cuſtodiebantur: Publius in Samnio ſubſtitit adverſùs Caudinas legiones. Diſtendit ea res Samnitium animos; quòd nec ad Luceriam ire, ne à tergo inſtaret hoſtis; nec manere, ne Luceria interim amitteretur, ſatis audebant. Poſt pugnam, quâ Samnites victi Luceriam profugerunt, ipſa Luceria à Romanis circumſidetur; tandemque capitur. Papyrio*, inquit Livius, *qui obſeſſor Luceriæ reſtiterat, brevi ad ſpem eventus reſpondit. nam inſeſſis omnibus viis, per quas commeatus ex Samnio ſubvehebatur, fame domiti Samnites, qui Luceriæ in præſidio erant, legatos miſêre ad conſulem Romanum, ut, receptis equitibus, qui cauſâ belli eſſent, abſiſteret obſidione. His Papyrius ita reſpondit: Debuiſſe eos Pontium, Herennii filium, quo autore Romanos ſub jugum miſiſſent, conſulere, quid victis patiendum cenſeret. Cæterùm, quoniam ab hoſtibus in ſe æqua ſtatui, quàm in ſe ipſi ferre maluerunt, nuntiare Luceriam juſſit; Arma, ſarcinas, jumenta, multitudinem omnem imbellem intro mœnia relinquerent. militem ſe cum ſingulis veſtimentis ſub jugum miſſurum; ulciſcentem illatam, non novam inferentem, ignominiam. Nihil recuſatum. ſeptem millia militum ſub jugum miſſa, prædaque ingens Luceriæ capta; receptis omnibus ſignis armisque, quæ ad Caudium amiſerant; &, quod omnia ſuperabat gaudia, equitibus recuperatis, quos pignora pacis cuſtodiendos Luceriam Samnites dederant. Haud ferme alia, mutatione ſubitâ rerum, clarior victoria populi Romani eſt: ſiquidem etiam Pontius, Herennii filius, Samnitium imperator, ut expiaret conſulum injuriam, ſub jugum cum cæteris eſt miſſus.* Apud Diodorum lib. xviiii ita ſcriptum eſt: Ἀθήνησι μὲν παρέλαβε τὴν ἀρχὴν Θεόφραστος. ἐν Ῥώμῃ δ' ὕπατοι κατεστάθησαν Μάρκος Πόπλιος [Ποιτίλιος] καὶ Γάϊος Σουλπίκιος. Hoc eſt: *Athenis ſummum magiſtratum gerente Theophraſto, Romæ conſules fuère M. Pætilius & C. Sulpicius.* Et poſteà: Κατὰ δὲ τὴν Ἰταλίαν Σαμνῖται μὲν μετὰ πολλῆς δυνάμεως ἐπῄεσαν, πορθοῦντες τὰς κατ' Ἰταλίαν πόλεων ὅσαι τοῖς ἐναντίοις συνηγωνίζοντο· οἱ ὕπατοι τῶν Ῥωμαίων μετὰ στρατοπέδου παραγενόμενοι, παραβοηθεῖν ἐπειρῶντο τοῖς κινδυνεύουσι τῶν συμμάχων. ἀντεστρατοπεδεύσαντο δὲ τοῖς πολεμίοις περὶ Κίνναν πόλιν, καὶ ταύτην μὲν εὐθὺς ἐῤῥύσαντο τῶν ἐπικειμένων φόβων. Μετ' ὀλίγας δ' ἡμέρας ἐκταξάντων ἀμφοτέρων τὰς δυνάμεις, ἐγένετο μάχη καρτερὰ, καὶ συχνοὶ παρ' ἀμφοτέρων ἔπεσον. τὸ δὲ τέλος οἱ Ῥωμαῖοι βιασάμενοι, κατὰ κράτος περιεγένοντο τῶν πολεμίων· ἐπὶ πολὺν δὲ τόπον χρησάμενοι τῷ διωγμῷ, πλείους τῶν μυρίων ἀνεῖλον. καὶ τῆς μάχης ἀγνοουμένης ἔτι, Καμπανοὶ μὲν καταφρονήσαντες τῶν Ῥωμαίων ἀπέστησαν· ὁ δὲ δῆμος εὐθὺς δύναμίν τε τὴν ἱκανὴν ἐξέπεμψεν ἐπ' αὐτοὺς, καὶ στρατηγὸν αὐτοκράτορα Γάϊον Μάνιον, καὶ μετ' αὐτοῦ, κατὰ τὸ πάτριον ἔθος, Μάνιον Φούλβιον ἵππαρχον. Hoc eſt: *In Italiâ Samnites opida Italiæ, quotquot ab adverſariorum partibus erant, incurſata populabantur. At Romani conſules cum exercitu illuc profecti, ut ſociis in periculo verſantibus ſuccurrerent, operam dabant. caſtrisque è regione hoſtium ad Cinnam poſitis, urbem ſtatim ab imminente terrore liberarunt. Paucisque diebus pòſt, explicatis utrimque aciebus, pugna vehemens conſeritur; &, plurimis utrimque proſtratis, tamdem Romani, vi perrumpentes, hoſtes profligant; & ad longum inſectati ſpacium, plus quàm decem millia occidunt. Interea, dum ignoratur hæc pugna, Campani, Romanorum contemptu inducti, rebellant. Confeſtim ergo populus validum contra illos exercitum mittit; dictatore C. Mænio; adjunctoque illi, pro more patrio, M. Fulvio, equitum magiſtro.* Nullum opidum Italiæ quum usquam legatur nomine *Cinna*; meritò de hac voce dubitare mihi liceat, fueritne aliquid nec ne. Vtique quum Livius lib. viiii, in rebus geſtis ejus anni, nihil niſi de Sorâ, & tribus Auſonum opidis à Romanis captis; deinde Luceriâ à Samnitibus captâ, ac mox à Romanis recuperatâ referat; cui ſtatim de Campanorum conjuratione ſubjicit: ſuſpicari liceret, ſcripſiſſe Diodorum, περὶ Λουκερίαν πόλιν, *circa Luceriam urbem*; niſi Livius traderet, Luceriam tum factam Samnitium, prodito hoſtibus Romanis præſidio: Diodorus verò ait, conſules Romanos urbem ab imminente terrore liberaſſe. At enimverò, ne hoc quidem mirum fuerit, quando & alia

paſſim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

paſſim Diodorus ab Livio diverſus tradit. & hanc ipſam Luceriam anno antè coloniam deductam à Romanis, prodit his verbis: Ἀθήνησι μὲν ἦρχε Νικόδωρος· ἐν Ῥώμῃ ὕπατοι ἦσαν, Λεύκιος Παπίριος τὸ τέταρτον, καὶ Κοΐντος Πόπλιος τὸ δεύτερον. Hoc eſt: *Nicodoro Athenis ſummum gerente magiſtratum; Romæ, L. Papirius quartùm, & Q. Publius ſecundùm, conſules erant.* Et poſteà: οἱ δὲ Ῥωμαῖοι φοβηθέντες, μὴ τὰ κατὰ τὴν Ἀπυλίαν πράγματα τελέως ἀποβάλωσιν, ἀποικίαν ἐξέπεμψαν εἰς Λυκείαν πόλιν ἐπιφανεστάτην τῶν ἐν τοῖς τόποις. Id eſt: *Romani veriti, ne prorſus jacturam facerent Apuliæ, Luceiam, clariſſimam locis illis urbem, colonos miſerunt.* Quum in Græcis exemplaribus vox Λυκερίαν vitiata legatur Λυκείαν, interpres ſic quoque vertit *Luceiam*. At quicquid de illâ ſit voce Κίνναν, ſatis diſertè ex ipſius Diodori liquet narratione, opidum id fuiſſe extra Samnium ſociorum Romani populi; quales tunc fuere Lucerini, ante coloniam deductam. Cæterò, COLONIAM fuiſſe Romanorum, Plinius, dicto lib. III, cap. XI, teſtis eſt. *Dauniorum*, inquit, *præter ſuprà dicta, coloniæ, Luceria, Venuſia; opida, Canuſium, Arpi.* Quando colonia deducta, Vellejus Paterculus, lib. I, oſtendere voluit. *Sp. Poſtumio*, inquit, *Veturio Calvino coſſ. Campanis data civitas, partique Samnitium, ſine ſuffragio. & eodem anno Cales deducta colonia. Interjecto deinde triennio, Fundani & Formiani in civitatem recepti; eo ipſo anno, quo Alexandria condita eſt. Inſequentibus conſulibus, Philone* [&] *Publio cenſoribus, Acerranis data civitas. & poſt triennium, Tarrocinam deducta colonia. interpoſitoque quadriennio, Luceria. ac deinde; interjecto triennio, Sueſſa Aurunca. & Saticula Interamnaque poſt biennium.* Conſulatum quo anno geſſerint Sp. Poſthumius & Veturius Calvinus, paullo antè dictum eſt. At Livius hæc longè aliter computat. Lib. VIII, in conſulatu T. Manlii Torquati & P. Decii Muris, qui ſexennio ante prædictos fuêre conſules, hæc ſcribit: *Equitibus Campanis civitas data.* Et biennio pòſt, in conſulatu L. Furii Camilli II, C. Mænii nepotis: *Campanis equitibus honoris causâ, quia cum Latinis rebellare noluiſſent, Fundanisque & Formianis, quòd per fineis eorum tuta pacataque ſemper fuiſſet via, civitas ſine ſuffragio data.* At VIII annis pòſt, L. Aemilio Mamerco, C. Plautio, coſſ. *Eodem*, inquit, *anno, Anxur, id eſt, Tarracinam, trecenti in coloniam miſſi ſunt.* Et triennio pòſt, IIII annis ante T. Veturium Calvinum, Sp. Poſthumium, coſſ. in conſulatu C. Petilii Libonis, L. Papyrii Curſoris: *Eodem*, inquit, *anno Alexandriam in Aegypto, proditam, conditam.* Tandem lib. VIIII, annis VII poſt T. Veturium Calvinum, Sp. Poſthumium, conſules, in conſulatu M. Petilii Libonis, C. Sulpicii Longi, anno urbis Romæ (ſi adjicias, quem præteriiſſe Livium chronologi arguunt) CCCCXXXVIIII; ante natum Ieſum CCCXIIII: *Eodem*, inquit, *anno, prodito hoſtibus Romano præſidio, Luceria Samnitium facta. nec diu proditoribus impunita res fuit. Haud procul inde exercitus Romanus erat. cuius primo impetu urbs ſita in plano capitur. Lucerini ac Samnites ad internecionem cæſi. eoque ita proceſſit, ut Romæ, quum de colonis mittendis Luceriam, conſuleretur ſenatus, multi delendam urbem cenſerent. Præter odium, quod exſecrabile in bis captos erat, longinquitas quoque abhorrere à relegandis tam procul ab domo civibus inter tam infeſtas genteis cogebat. Vicit tamen ſententia, ut mitterentur coloni. Duo millia & quingenti miſſi.* Hinc etiam lib. XXVII, inter colonias, qui Romanis bello Annibalico fida auxilia ſuppeditarunt, connumerantur *Lucerini*. Clara poſthinc eius memoria bello civili inter Pompeium ac Cæſarem. nam Pompeius ſibi hanc urbem belli ſedem delegerat; ut patet ex Epiſtolis Ciceronis, ad Atticum, lib. VII & VIII; ubi frequens eius mentio. Et apud Cæſarem, belli civilis commentario I: *Pompeius, iis rebus cognitis, quæ erant ad Corfinium geſtæ, Luceriâ proficiſcitur Canuſium; atque inde Brunduſium.* Ex quibus locis certò jam conſtare poteſt, in Appiani exemplaribus mendoſè ſcriptum eſſe vocabulum Νουκερία, pro Λουκερία, in eâdem hiſtoriâ. Verba eius, bellor. civil. lib. II, hæc ſunt: ὁ Πομπήϊος ἐς Νουκερίαν ἐκ Καπύης καὶ ἐκ Νουκερίας ἐς Βρεντέσιον ἠπείγετο. Id eſt: *Pompeius ad Nuceriam à Capuâ, & à Nuceriâ ad Brunduſium properabat.* Vide etiam Cic. divin. lib. II; Oroſium lib. VI, cap. XV; & transſcriptores eius, Paulum Diaconum, hiſtoriæ miſcellæ lib. VI; Franculfum, tomo I, lib. VII, cap. VIII. Corrigo igitur audacter, ἐς Λουκερίαν, &, ἐκ Λουκερίας.

LAMPE *opidum, quod &* ARGOS HIPPIVM, & ARGYRIPPA, & ARPI.

Ad idem cum Luceriâ flumen *Cerbalum* fuit opidum, cui vocabulum ab initio LAMPE fertur fuiſſe; dein ARGOS HIPPIVM; mox ARGVRIPPA, ſive unico P ARGYRIPA. ac tandem ARPI. Memoratur Lycophroni, Virgilio, Ovidio, Varroni, Martiali, Ciceroni, Livio, Straboni, Silio, Plinio, Appiano, Ptolemæo, Tabulæ

bulæ itinerariæ, Martiano Capellæ, Solino, Procopio, Cedrino, Stephano, Aethico, Iuſtino: Horatio etiam ſine nomine per περίφρασιν. Apud Stephanum de eius conditore leguntur iſta: Ἀργυρίππα, πόλις τῆς Δαυνίας, κατὰ τὸν Ἰόνιον κόλπον. Λυκόφρων· Ὁ δ' Ἀργυρίππαν Δαυνίων παγκληρίαν. Αὕτη Λάμπη ἐκαλεῖτο. Διομήδης μετὰ τὴν ἅλωσιν τῆς Ἰλίου ἐτείχισε, καὶ μετωνόμασεν Ἄργος Ἵππιον. Id eſt: *Argyrippa, opidum Dauniæ, ad Ionium mare. Lycophron: Alius Argyrippam, Dauniorum poſſeſſionem. Hæc Lampe vocabatur. Diomedes, poſt Ilium captum, mœnibus cinxit, nomenque mutavit in* ARGOS HIPPIVM. Lycophronis verba integra hæc ſunt:

Ὁ δ' Ἀργυρίππαν, Δαυνίων παγκληρίαν,
Παρ' Αὐσονῖτιν Φυλαμὸν δομήσεται.

Hoc eſt:

Alius Argyrippam, Dauniorum poſſeſſionem,
Iuxta Phylamum Auſoniam exſtruet.

Ad hoc ita Iſacius: Ὁ δὲ Διομήδης ἀπ' Αἰτωλίας ἀπελαθεὶς, τῆς ἑαυτοῦ πατρίδος, τὴν Ἀργυρίππαν πόλιν, μεθερμηνευομένην Ἄργος Ἵππιον, δομήσεται καὶ κτίσει παγκληρίαν τῶν Δαυνίων, ἤτοι Καλαυρῶν, παρὰ τὴν Αὐσονίτην καὶ Ἰταλικὴν, ἢ παρὰ τὴν Αὐσονίτην Φυλαμόν. Lege proſtrema, quæ corrupta ſunt, ita: παρὰ τὴν Αὐσονῖτιν ἢ Ἰταλικὴν Φυλαμόν. Senſus jam verus eſt iſte: *Diomedes Aetoliâ, patriâ terrâ, pulſus; Argyrippam urbem, quam interpreteris* ARGOS HIPPIVM, *exſtruet; poſſeſſionem condet Dauniorum ſive Calabrorum, juxta Auſoniam ſive Italicam Phylamum.* Idem Iſacius de Diomede hiſtoriam refert huiusmodi: Διομήδης, μετὰ τὴν Ἰλίου πόρθησιν, καταπλεύσας εἰς Ἄργος, τὴν ἑαυτοῦ πατρίδα, καὶ εὑρὼν τὴν ἑαυτοῦ γαμετὴν Αἰγιάλειαν συμφθειρομένην Κομήτῃ, τῷ υἱῷ Σθενέλου, διὰ τὸ αὐτὸν ἐν τῇ Τροίᾳ τρῶσαι τὴν Ἀφροδίτην, καὶ μέλλων ὑπὸ τῆς αὐτῆς Αἰγιαλείας ἀναιρεθῆναι, τότε μὲν εἰς τὸν τῆς Ἀργείας Ἥρας βωμὸν καταφυγὼν σώζεται· ὕστερον δὲ εἰς Ἰταλίαν ᾤχετο, εἰς τὸ Δαυνίων ἔθνος βάρβαρον, οὗ ἐβασίλευσε Δαῦνος· ὃς πολιορκούμενος ἐδεήθη Διομήδους, βοηθῆσαι αὐτῷ, ὑποσχόμενος δώσειν αὐτῷ τῆς γῆς μέρος· ὁ δὲ βοηθήσας, καὶ νίκην παρασχὼν Δαυνίοις, ἔκτισε πόλιν Ἀργυρίππαν, ἤτοι Ἵππιον Ἄργος. Hoc eſt: *Quum Diomedes, poſt Ilii everſionem, in patriam Argos navigaſſet, uxoremque ſuam Aegialeam à Cometâ, Stheneli filio, corruptam inveniret, irâ Veneris ab ſe vulneratæ; quumque Aegialea eum interficere quæreret: tunc quidem in Iunonis Argivæ aram confugiens, ſervatur. poſtea verò in Italiam profectus eſt, ad Dauniorum gentem barbaram; cui rex erat Daunus. Is quum ab hoſtibus obſideretur, auxilium atque opem ab Diomede petiit; partem terræ ei ſe daturum, pollicens. Diomedes verò, auxilio ſuo victoriâ Dauniis partâ, condidit urbem Argyrippam ſive Hippium Argos.* Apud eundem Iſacium, paullo pòſt, ita legitur: Ἡ δὲ Ἀργυρίππα, πόλις τοῦ Διομήδους, μετεκλήθη Ἄπυλις Ἄρπους. Corrupta & hæc ſic lege: Ἡ δὲ Ἀργυρίππα, πόλις τοῦ Διομήδους, μετεκλήθη Ἀπυλοῖς Ἄρποι. Id eſt: *Argyrippa, Diomedis urbs, mutato nomine Apulis dicta eſt Arpi.* Strabonis locum inferiùs de Canuſii auctore invenies. Appianus in Annibalicis: Ἀργυρίππα δέ ἐστι πόλις ἐν τῇ Δαυνίᾳ, ἣν Διομήδης ὁ Ἀργεῖος λέγεται κτίσαι. Hoc eſt: *Argyrippa urbs in Dauniâ eſt, quam Diomedes fertur condidiſſe.* Iuſtinus lib. XX: *Arpos Diomedes, exciſo Ilio, naufragio in ea loca delatus, condidit.* Plinius, lib. III, cap. XI: *Dauniorum, præter ſuprà dicta, coloniæ, Luceria, Venuſia: opida, Canuſium, Arpi. Aliquando Argo Hippium, Diomede condente, mox Argyrippa dictum.* Solinus, cap. VIII: *Notum eſt, à Philoctete Peteliam conſtitutam; Arpos & Beneventum à Diomede.* Martianus Capella, lib. VI: *Arpos & Beneventum Diomedes condidit.* Quam ob cauſam Virgilius, Aeneid. lib. X, ſic:

Atque iterum in Teucros Aetolis ſurgit ab Arpis
Tydeides.

Horatius lib. I, ſatyrâ V:

Tendimus hinc rectà Beneventum.
Incipit ex illo monteis Apulia notos
Oſtentare mihi; quos torret Atabulus; ecquos
Nunquam erepſemus, niſi nos vicina Trivici
Villa recepiſſet.

Et Satyrâ VI:

Quattuor hinc rapimur viginti & millia rhedis,
Manſuri opidulo, quod verſu dicere non eſt:

Signis,

Signis, perfacile eſt. Venit viliſſima rerum
Heic aqua. ſed panis longè pulcherrimus, ultrà
Callidus ut ſoleat humeris portare viator.
(Nam Canuſi lapidoſus: aquæ non ditior urna.)
Qui locus à forti Diomede eſt conditus olim.

Heic quia Horatius ait, *opidum id verſu dicere non eſſe*; Arporum verò atque Argyrippæ vocabula verſibus à Virgilio ac Silio inſerta ſunt: ſunt, qui nòn hanc urbem, ſed *Aequum Tuticum* Horatium intellexiſſe adfirment; quod & ipſum Diomedes condidiſſe fertur; ut ſuo loco ſuprà oſtenſum. Verùm diſertè Horatius opidulum id inter Trivici villam & Canuſium collocat. unde maximè miror, tantam erroris caliginem iſtis interpretibus obortam eſſe. Cæterùm de eodem opido ita Ovidius, Μεταμορφώσεων lib. XIIII.

At Venulus fruſtra profugi Diomedis ad urbem
Venerat. Ille quidem ſub Iapyge maxima Dauno
Mœnia condiderat, dotaliaque arva tenebat.

Admodum imperitè Cedrenus de Argyrippâ diſſerit. Διομήδης δὲ, inquit, ὁ τοῦ Τυδέως υἱὸς, εἰς τὴν ἰδίαν πόλιν καταπλεύσας, οὐκ ἐδέχθη· ἀλλὰ διωχθεὶς ὑπὸ Αἰγιαλείας, τῆς αὐτοῦ γυναικὸς, καὶ τῶν πολιτῶν, κατέφυγεν εἰς Καλαβρίαν. κτίζει οὖν πόλιν ἐκεῖ, ἣν ἐκάλεσεν Ἀργυρίππην, τὴν μετονομασθεῖσαν Μαλεβεντὸν, εἶτα καὶ Βενεβεντόν· καὶ ἐν αὐτῇ οἰκεῖ, ἔχων καὶ τὸ Παλλάδιον, ὅπερ ἔλαβεν ἐκ Τροίας. Hoc eſt: *Diomedes, Tydei filius, quum ad ſuam urbem revectus erat, non eſt admiſſus; ſed ab Aegialiâ uxore ſuâ, & civibus, repulſus in Calabriam confugit; ibique urbem Argyrippam condidit; quæ mutato poſtea nomine dicta eſt Maleventum; ac deinde Beneventum; & eam habitavit; ſecum etiam Palladium tenens, quod apud Troiam nactus fuerat.* Et aliquanto pòſt: Αἰνείας παρὰ Διομήδους ἐν Καλαβρίᾳ ξενωθεὶς, ἐπεὶ ἀποφοιτᾶν ἔμελλεν, ᾐτεῖτο λαβεῖν τὸ Παλλάδιον παρ' αὐτοῦ· πρὸς ὃν ἐκεῖνος· Ἐξ οὗ, φησιν, τὴν ἀρχὴν τοῦτο μετὰ Ὀδυσσέως τῆς Ἰλίου ἀφελόμην, οὔτε ἐμοὶ οὔτε τῷ ὑπ' ἐμὲ στρατῷ θλίψεις ἐπέλιπον ἕως ἄρτι καὶ συμφοραί. διὸ καὶ ἐπυθόμην τῆς Πυθίας περὶ αὐτοῦ, ἣ καὶ ἀνεῖλεν, ἀποδοῦναι αὐτὸ τοῖς Τρωσί. Ταῦτα Διομήδης εἰπὼν, καὶ θυσάμενος τῷ θεῷ, ἐκβαλὼν εὐθὺς τὸ Παλλάδιον, τῷ Αἰνείᾳ δωρεῖται. Hoc eſt: *Aeneas in Calabriâ uſus Diomedis hoſpitio, jam diſceſſurus, Palladium ab eo petiit. cui Diomedes reſpondit; ex quo primùm cum Vlyſſe Palladium Ilio abſtuliſſet, ſe atque exercitum ſuum continentibus malis atque calamitatibus fuiſſe vexatum: & quum eius rei causâ Pythiam conſuluiſſet, juſſum fuiſſe Troianis id reddere: His dictis, deo rem ſacram fecit; Aeneamque deprompto Palladio donavit.* Et aliquanto pòſt: Διομήδης ἐπανελθὼν ἀπὸ τῆς Τροίας ἐπὶ τὸ ἴδιον βασίλειον, οὐκ ἐδέχθη ὑπὸ τῶν αὐτοῦ. μαθὼν δὲ, ἡ γυνὴ αὐτοῦ Αἰγιάλεια, κατασκευάζει αὐτῷ δόλον, ὡς πορνευθεῖσα ὑπὸ τοῦ Κομήτου τοῦ συγκλητικοῦ αὐτῆς, ὅστις καὶ ἀνθέστη αὐτῷ κρατικῶς ἅμα τῷ υἱῷ Ναυπλίου, τῷ Αἴακι τὰ ὅμοια φωραθέντι, ὁ διὰ τὸν πρὸς αὐτὴν ἔρωτα πολλῷ σθένει ἀντεμάχουν αὐτῷ. ἰδὼν δὲ τούτους καὶ πᾶσαν τὴν Ἀργείων χώραν ἀνθισταμένην αὐτῷ, καὶ μηδὲ εἰς τὴν ἰδίαν χώραν τὴν Αἰτωλίαν δυνάμενος ἀνελθεῖν, ἀνεχώρησεν ἀποπλεύσας ἐπὶ τὴν Καλαβρίαν χώραν. καὶ κτίζει πόλιν ἐκεῖ παράλιον, ἣν ὠνόμασεν Ἀργυρίππην, τὴν νυνὶ Βενεβεντόν. Hoc eſt: *Diomedes reverſus à Troia in regnum ſuum, non eſt receptus à ſuis. Quumque ſentiret, dolum ſibi ab Aegialiâ uxore ſtrui, (ea enim ſtuprata erat à Comete, ſuo conſiliario. atque is Comes, unaque eiusdem flagitii manifeſtus Aiax, Nauplii filius, propter Aegialiæ amorem ſummâ ope Diomedi repugnabant) & quum hos omneisque præterea Argivos reſiſtere ſibi cerneret, neque in Aetoliam porrò redire eſſet integrum; in Calabriam navigavit, ibique maritimam urbem condidit, quam Argyrippam nominavit; quæ nunc Beneventum dicitur.* Hæc ne maritima? vel etiam Arpi? Toto cœlo erras, Cedrene. Aliter hæc Procopius refert, Gothicar. rer. lib. I: Βενεβεντὸς· ἣν πάλαι Μαλεβεντὸν ὠνόμασαν Ῥωμαῖοι. ταύτην δὲ Βενεβεντὸν καλοῦσι, τὴν ἀπὸ τοῦ προτέρου ὀνόματος διαφεύγοντες βλασφημίαν. βέντος γὰρ ἄνεμον Λατίνων φωνῇ δύναται. ἐν Δαλματίᾳ γάρ· ἣ ταύτην κατ' ἀντικρὺ ἐν τῇ ἀντιπέρας ἠπείρῳ κεῖται. ἀνέμου τι πνεῦμα σκληρόν τε καὶ ὑπερφυῶς ἄγριον ἐπισκήπτειν φιλεῖ. ὅπερ ἐπειδὰν ἐπιπνεῖν ἄρξηται, ὁδῷ ἰόντα ὄντινα ἄνθρωπον ἐνταῦθα εὑρεῖν οὐδεμία μηχανή ἐστιν· ἀλλ' οἴκοι, ἅπαντα καθείρξαντες, ἑαυτοὺς τηροῦσι. τοιαύτη γάρ τις ἡ τοῦ πνεύματος φορὰ τυγχάνει οὖσα, ὥστε ἄνδρα ἱππέα ξὺν τῷ ἵππῳ ἁρπάσασα μετέωρον φέρει· ἐπὶ πλεῖστόν τε περιαγαγοῦσα τοῦ ἀέρος χώρας, εἶτα ὅπη παρατύχῃ ἀπορρίψασα κτείνει. Βενεβεντὸν δὲ, ἅτε κατ' ἀντικρὺ Δαλματίας οὖσαν (ὥσπέρ μοι εἴρηται) ἐπί τε ὑψηλοῦ τινος χώρου κειμένην, μοῖράν τινα φέρεσθαι τῆς τούτου δὴ τοῦ ἀνέμου δυσκολίας συμβαίνει. Ταύτην Διομήδης ποτὲ ὁ Τυδέως ἐδείματο, μετὰ Ἰλίου ἅλωσιν ἐκ τοῦ Ἄργους ἀποκρουσθείς. καὶ γνώρισμα τῇ πόλει τοὺς ὀδόντας συὸς τοῦ Καλυδωνίου ἔλειπεν, οὓς ὁ θεῖος Μελέαγρος ἆθλα τοῦ κυνηγεσίου λαβὼν ἔτυχεν. Ἐνταῦθα καὶ

ξυγκείμενα

ξυγγενέσθαι τὸν Διομήδην Αἰνείᾳ τῷ Ἀγχίσου, ἥκοντι ἐξ Ἰλίου. Φασὶν δὲ καὶ τὸ λόγιον τὸ τῆς Ἀθηνῆς, ἄγαλμα δοῦν, ὃ ξὺν τῷ Ὀδυσσεῖ ἀποσυλήσας ἔτυχεν, ὅτε κατάσκοπω ἐς τὸ Ἴλιον ἐλθέτην ἄμφω πρότερον, ἢ τὴν γε ἁλώσιμον γενέσθαι τοῖς Ἕλλησιν. Λέγουσι γὰρ, αὐτῷ νοσήσαντι τοὔστερον, καὶ ὑπὲρ τῆς νόσου πυνθανομένῳ, χρῆσαι τὸ μαντεῖον, οὔποτέ οἱ ἐξ κακοῦ ἀπαλλαγὴν ἔσεσθαι, πλὴν εἰ μὴ ἀνδρὶ Τρωῒ τὸ ἄγαλμα τοῦτο διδοίη. Hoc eſt: *Beneventum; quod Maleventum priſci quondam dixere. nunc autem Beneventum vocant, odioſam à priore vocabulo denominationem averſantes. nam Ventus Latinorum linguâ ſignificat* ἄνεμον. *idque opidum Dalmatiæ ex adverſo oppoſitum eſt, in continentique ſitum; in quod ſpiritus violentior quidam & acerbiſſimus ingruere conſuevit; qui utique, ubi flare occeperit, nullo ſit pacto qui eâ iter faciat inventurus; ſed domi ſe continent omnes. nam venti huius ea eſt violentia, ut vel equitem cum equo ſimul arreptum, ſublimem mox deferat, diuque per aërem circumactum, &, quocumque tulerit caſus, proiectum, interimat. unde & Beneventum contra Dalmatiam, ut diximus, & in edito poſitum, eo ex vento toleratu difficili aliquantum participat. Vrbem hanc quum Diomedes quondam poſt Ilium captum ex Argis ejectus diripuiſſet, Suis in eâ dentes reliquit Calydonenſis, quos Meleager venationis præmia tum forte acceperat. Heic præterea ferunt Diomedem Aeneam Anchiſæ, venientem ex Ilio, conveniſſe, dediſſeque illi, ex reſponſo Minervæ, ſimulacrum, quod ipſe quondam Vlyſſe juvante è Troiâ ſuſtulerat, quum explorandi gratiâ eò priùs ſe contuliſſent quàm à Græcis Ilium caperetur. Addunt inſuper, huic ægrotanti, ſciſcitantique de morbi eventu, prædixiſſe oraculum, non anteà ſe eo ex morbo convaliturum quàm viro Troiano ſimulacrum id tradidiſſet.* Servius etiam, ad duo Virgilii loca commentans, quàm Cedrenus ſuprà, multò loquitur eruditiùs. Loci Virgiliani ſunt: Aeneid. lib. VIII:

> *Mittitur & magni Venulus Diomedis ad urbem;*
> *Qui petat auxilium.*

Et lib. XI; ubi reditus Venuli narratur:

> *Et Venulus, dicto parens, ſic farier inſit:*
> *Vidimus, ô cives, Diomedem Argivaque caſtra;*
> *Atque iter emenſi, caſus ſuperavimus omneis;*
> *Contigimusque manum, quâ concidit Ilia tellus.*
> *Ille urbem Argyripam, patriæ cognomine gentis,*
> *Victor Gargani condebat Iapygis agris.*
> *Poſtquam introgreſſi, & coràm data copia fandi,*
> *Munera proferimus: nomen patriamque docemus:*
> *Qui bellum intulerint; quæ cauſa attraxerat Arpos.*

Ad priora illa, lib. VIII, ita Servius: *Diomedes, poſtquam reperit, irâ Veneris, à ſe vulneratæ, uxorem Aegialiam apud Argos cum Cillabaro, ut Lucilius, vel Cometâ, ut plerique tradunt; turpiter vivere; noluit reverti ad patriam; vel, ut dicitur, ab adulteris proturbatus: ſed tenuit parteis Apuliæ. &, edomitâ omni montis Gargani multitudine, in eodem tractu civitateis plurimas condidit. nam & Beneventum & Aequum Tuticum ipſe condidit, & Arpos; quæ & Argyripa dicitur: ad quam nunc Venulus mittitur.* Ad librum verò XI ſic: *Diomedes fuit de civitate quæ* Ἄργος ἵππιον *dicitur. de quâ Homerus:* Ἄργος ἱππόβοτον. *Horatius, Aptum, dicit, equis Argos. Hic in Apuliâ condidit civitatem, quam patriæ ſuæ nomine adpellavit, &* Ἄργος ἵππιον *dixit. Quod nomen poſteà vetuſtate corruptum eſt; & factum eſt, ut civitas Argyrippa diceretur. Quod, rurſus corruptum, Arpos fecit.* Apulis dictam fuiſſe *Arpos*, ſuprà Iſacius teſtatus eſt. Idque poſteà nomen Romani unum uſurparunt. In horum rebus geſtis antiquiſſima eius memoria eſt apud T. Livium, lib. VIIII, in conſulatu Q. Publii Philonis & L. Papyrij Curſoris, anno à Româ conditâ CCCCXXXIII; ante natum Ieſum CCCXX. *Conſules*, inquit, *inter ſe partiti provincias, Papyrius in Apuliam ad Luceriam pergit; Publius in Samnio ſubſiſtit, adversùs Caudinas legiones.* Et poſteà: *Exercitus alter cum Papyrio conſule locis maritimis pervenerat Arpos, per omnia pacata; Samnitium magis injuriis & odio, quàm beneficio ullo populi Romani. Quæ regio ſi fida Samnitibus fuiſſet; aut pervenire Arpos exercitus Romanus nequiſſet; aut, interiectâ inter Romam & Arpos pecuniâ, rerum omnium excluſos à commeatibus abſumſiſſet. Tum quoque profectos inde ad Luceriam juxta obſidenteis obſeſſoſque inopia vexavit. omnia ab Arpis Romanis ſuppeditabantur. Ceterùm, adeò exiguè, ut militi occupato ſtationibus vigiliiſque & opere, eques folliculis in caſtra ab Arpis frumentum veheret: interdum occurſu hoſtium cogeretur, abjecto ex equo frumento, pugnare.* Proxima hinc eius mentio apud

eumdem Livium, lib. XXXII, bello Annibalico. *Annibal Prætutianum*, inquit, *Adrianumque agrum; Marſos inde, Marracinosque & Pelignos devaſtat; circaque Arpos & Luceriam proximam Apuliæ regionem*. Et poſteà: *Annibal ex Arpis in Samnium transit: Beneventanum depopulatur agrum; Teleſiam urbem capit*. Eamdem rem ita refert Polybius, lib. III: Διελθὼν δὲ, καὶ καταφθείρας τήν τε Πρετετιανὴν καὶ τὴν Ἀδριανὴν, ἔτι δὲ τὴν Μαρουκίνην καὶ Φρεντανὴν χώραν, ὥρμησε ποιούμενος τὴν πορείαν ὡς ἐπὶ τὴν Ἰαπυγίαν. ἧς διῃρημένης εἰς τρεῖς ὀνομασίας, καὶ τῶν μὲν προσαγορευομένων Δαυνίων, [τῶν δὲ Πευκετίων,] τῶν δὲ Μεσσαπίων, εἰς πρώτην ἐνέβαλε τὴν Δαυνίαν. ἀρξάμενος δὲ ταύτης ἀπὸ Λουκερίας, οὔσης ἀποικίας Ῥωμαίων, ἐπόρθει τὴν χώραν. μετὰ δὲ ταῦτα καταστρατοπεδεύσας περὶ τὸ καλούμενον Ἰβώνιον, ἐπέτρεχε τὴν Ἀργυπανὴν, καὶ πᾶσαν ἀδεῶς ἐληλάτει τὴν Δαυνίαν. Hoc eſt: *Vbi deinde pertransiit devaſtavitque Prætutianum Adrianumque agrum, nec non Marrucinorum & Frentanorum, in Apuliam avertit iter. Quæ regio quum tribus diſtincta ſit nominibus; quorum unum eſt Dauniorum, alterum Peucetiorum, tertium Meſſapiorum: primam petit Dauniam. orſusque in hac à Luceriâ, Romanorum coloniâ, perpopulatus eſt eius agrum. deinde circa Hipponem caſtra locat, indeque Arpos & univerſam Apuliam agebat ferebat*. Sic equidem doctiſſimus aliàs interpres poſtrema iſta vertit verba. At quam heic ille intelligat præter Arpos *Hipponem urbem*, haud equidem ego intelligo. nam quod Ἱππώνιον Græcis, Romanis *Vibo Valentia*, dictum fuit opidum, longiùs hinc ad inferum mare prope Siculum fretum ſitum eſt. Vitiatum eſſe totum iſtum Polybii locum, jam anteà docui. Vocem Ἀργυπανὴν innuere Arpos, etiam interpres ipſe judicavit. corrigenda igitur omninò eſt in Ἀργυριππανὴν, quod erat ab primitivo Ἀργυρίππα. De cætero, quia Livius, qui præſcriptum locum fermè ad verbum ex Polybio transſcripſit, nullius alius opidi, præter Argos & Luceriam, meminit; omninò ego vocem illam Ἰβώνιον, quam etiam interpres vitioſam cenſuit, ita purgo; μετὰ δὲ ταῦτα καταστρατοπεδεύσας περὶ τὸ καλούμενον Ἄργος Ἵππιον ἤτοι τὴν Ἀργυρίππαν, ἐπέτρεχε τὴν Ἀργυριππανὴν. Id eſt: *Deinde caſtris poſitis circa Argos Hippium, ſive Argyrippam, agrum Argyrippanum depopulatus eſt*. Ergo opidani ab Argyrippâ Polybio dicti ſunt Ἀργυριππανοὶ, ARGYRIPPANI. At apud Stephanum ita legitur; loco prædicto: τὸ ἐθνικὸν, Ἀργυριππιανός. Στράβων Ἀργυριππηνός φησιν. Id eſt: *Gentile eſt, Argyrippianus. Strabo Argyrippenus dicit*. Omninò primum illud gentile vocabulum vitiatum eſt. quidpe ab Ἀργυρίππη nullo modo *Argyrippianus* poterat fieri. Cæterùm, quum ipſum opidum Straboni dicatur Ἀργυρίππη; rectè inde gentile factum Ἀργυριππηνός. Ab *Arpis* apud Plinium dicto lib. III, cap. XI, leguntur ARPANI. Vnde apud eundem, lib. II, cap. XCVI, vulgò legitur: *In Agro Ardano frumentum ſatum non naſcitur*. Vbi cod. m. ſ. Chiffletianus habet, *In agro Arpano*; & alius, *Harpano*. quæ lectio, ſi vera, ad hunc locum ea pertinere verba, non malè ſuſpiceris. At Livio lib. XXIIII, dicuntur rectiùs ARPINI, locis frequentibus: uti & lib. XXXIIII. Et apud Varronem lib. I, cap. VIII: *In Arpino*, ſcilicet agro. Sed tempus eſt, ſitum nunc Arporum indicare. Strabo inferiùs de Canuſii ſitu citabitur. Virgilius, dicto Aeneid. lib. XI, Gargano facit conterminam. Luceriæ vicinam fuiſſe, liquet ex Livio, lib. XXIIII: *In Apuliâ ne hiems quidem quieta inter Romanos atque Annibalem erat. Luceriæ Sempronius conſul, Annibal haud procul Arpis hibernabat. inter eos levia prœlia ex occaſione aut opportunitate huius aut illius partis oriebantur*. Tabula iter habet huiusmodi:

Siponto	
Arpos	XXI.
Prætorium Laverianum	VIII.
Nucerie Apule	....
Aeras	
Aequo Tutico	XVIII.

Nomen *Aeras* vitioſum eſſe ab *Aecas*, ſuprà in Hirpinis docui. *Nuceria* etiam nunc vulgò dicitur *Nocera*. *Opidum* hodiè eſt ad Cerbalum amnem vulgari incolis vocabulo *Foggia*. à quo VI millia paſſuum versùs Manfredoniam progredientibus conſpiciuntur ruinæ antiquæ urbis, quæ etiam nunc vocatur incolis eius tractûs *Arpe*. Hinc quum XI haud amplius ſint ad Sipontum millia; certum eſt, in Tabulâ alterum X ſupervacaneum eſſe. Maximam quondam fuiſſe urbem, præter Strabonem Ovidius quoque teſtatur verbis ſuprà citatis.

Cæterùm, Servius, ut ſuprà citatum, Diomedem, tradit, edomitâ Gargani multitudine, civitatem Arpos in eo tractu condidiſſe. quod ipſum Virgilius innuit verſibus proximè perſcriptis. Daunum regem eos oppugnaſſe, auctor eſt Iſacius, loco ſuprà dicto. MONADOS fuiſſe atque DARDOS cum opidis ſuis APINA & TRICA, auctor eſt Plinius, dicto lib. III, cap. XI, his verbis: *Arpi; aliquando Argos Hippium, Diomede condente, mox Argyrippa dictum. Diomedes ibi delevit genteis Monadorum Dardorumque; & urbeis duas, quæ in proverbii ludicrum vertère, Apinam & Tricam.*

ARDONEAE, *opidum.*

Eodem terrarum tractu à dextro latere viæ, quâ à Nuceriâ Arpos itur, ſitum eſt *opidum*, quod Livio plurali numero ARDONEÆ; libro de limitibus, ARDONA dicitur: quorum hoc etiam nunc nomen iisdem literis obtinet. Verba Livii, lib. XXIIII, hæc ſunt: *A Q. Fabio, cui circa Luceriam provincia erat, Accua opidum per eos dies vi captum: ſtativaque ad Ardoneas communita.*

ASCVLVM, *opidum.*

Propiùs hinc Apennini juga & Arpinorum confinium, eſt *opidum* ASCVLVM, cognomine APVLVM; ad diſcrimen ASCVLI PICENI. vulgò nunc incolis *Aſcoli* dictum. Memoratur Plinio, Plutarcho, Frontino, Floro, Appiano, & Zonaræ. Florus, lib. I, cap. XVIII, de Pyrrho rege: *In Apuliâ deinde apud Aſculum meliùs dimicatum eſt, Curio Fabricioque conſulibus.* Plutarchus in Pyrrho: Ἀναλαβὼν καὶ στρατείαν, περὶ Ἄσκλον πόλιν τοῖς Ῥωμαίοις συνάψας. [συνῆψε.] *Adſumpto exercitu ad Aſculum opidum cum Romanis ſigna contulit.* Zonaras, Annal. tomo II: Ὁ Πύρρος δὲ εἰς τὴν Ἀπουλίαν ἐνέβαλε, καὶ πολλὰ μὲν βίᾳ, πολλὰ δὲ ὁμολογίᾳ προσεποιήσατο, μέχρις οὗ Ῥωμαῖοι πρὸς Ἀσκούλῳ πόλει ὄντι αὐτῷ ἐπελθόντες ἀντεστρατοπεδεύσαντο. *Pyrrhus, impreſſione in Apuliam factâ, multa vi, multa per deditionem occupavit; donec Romani circa Aſculum opidum contra eum caſtra poſuerunt.* Frontinus ſtratagemat. lib. I, cap. III: *Pyrrhus, Epirotarum rex, pro Tarentinis opidum Aſculum, dextro cornu Samnitas Epirotasque, ſiniſtro Brutios atque Lucanos cum Salentinis, in mediâ acie Tarentinos collocavit.* Tanta ſcilicet huius etiam Aſculi antiquitas. quidpe conſules hi fuêre haud ſemel bello Tarentino decenni, quod cum Pyrrho rege geſtum eſt; cuius initium fuit, C. Fabricio Luſco, Q. Aemilio Pappo, coſſ. anno à Româ conditâ CCCCLXXI; ante natum Ieſum, CCLXXXII. Cæterùm, Appianus, bellor. civil. lib. I, Οἱ δὲ λοιποὶ, inquit, μετὰ τοῦ Τρεβατίου διέφυγον ἐς Κανύσιον. καὶ ὁ Κοσκώνιος τῶν Λαρειναίων καὶ Οὐενουσίων καὶ Ἀσκλαίων γῆν ἐπιδραμὼν, ἐς Ποιδίκλους ἐσέβαλε. Id eſt: *Reliqui unà cum Trebatio Canuſium perfugerunt. Tum Coſconius, Larinatium, Venuſinorum, Aſculanorumque agris pervaſtatis, Pœdiculos invaſit.*

CANNAE, *vicus.*

Atque hactenus loca Apuliæ Dauniæ, cis Aufidum flumen ſita, explicavimus. Trans Aufidum, proximè maritimam oram, in ipsâ fluminis dextrâ ripâ, fuit nobiliſſimus clade Romanorum *vicus*, cui vocabulum apud omneis, Latinos pariter atque Græcos auctores, multitudinis numero, αἱ Κάνναι, CANNAE; apud unum Polybium, cui πόλις, id eſt, *opidum* eſt, ſingulari numero, ἡ Κάννη, CANNA. Verùm, urbem fuiſſe Cannas, anno antè, quàm illic inter Romanos Pœnosque memorabilis illa pugna commiſſa eſt, teſtatur Polybius, lib. III, his verbis: Ἤδη δὲ παραδιδόντος τοῦ καιροῦ τὴν ἐκ τῶν ἐπετείων καρπῶν χορηγίαν, ἐκίνει τὴν δύναμιν ἐκ τοῦ περὶ τὸ Γερούνιον χάρακος Ἀννίβας. κρίνων δὲ, συμφέρειν τὸ κατὰ πάντα τρόπον ἀναγκάσαι μάχεσθαι τοὺς πολεμίους, καταλαμβάνει τὴν τῆς Κάννης προσαγορευομένης πόλεως ἄκραν. εἰς γὰρ ταύτην συνέβαινε τόν τε σῖτον καὶ τὰς λοιπὰς χορηγίας ἀθροίζεσθαι τοῖς Ῥωμαίοις, ἐκ τῶν περὶ Κανύσιον τόπων. ἐκ δὲ ταύτης ἀεὶ πρὸς τὴν χρείαν ἐπὶ τὸ στρατόπεδον παρακομίζεσθαι. τὴν μὲν οὖν πόλιν ἔτει πρότερον ἐνὶ συνέβαινε κατεσκάφθαι. τῆς παρασκευῆς δὲ καὶ τῆς ἄκρας τότε καταληφθείσης, οὐ μικρὰν συνέπεσε ταραχὴν γίνεσθαι περὶ τὰς Ῥωμαίων δυνάμεις. οὐ γὰρ μόνον διὰ τὰς χορηγίας ἐδυσχρηστοῦντο, ἐπὶ τῷ κατειλῆφθαι τὸν προειρημένον τόπον· ἀλλὰ καὶ διὰ τὸ κατὰ τὴν πέριξ εὐφυῶς κεῖσθαι χώραν. Hoc eſt: *Vbi novarum frugum tempus advenit; caſtra, quæ ante Gerunium habebat, movit Annibal. qui, expedire ſuis rebus judicans, ut omnibus artibus hoſtem pugnare cogeret, arcem Cannarum occupat. eò enim Romani & frumentum & reliquos commeatus è Canuſio convexerant: atque inde neceſſaria ad uſum exercitibus deferebant. Vrbs quidem ipſa anno antè ſolo æquata fuerat. Tunc verò belli adparatibus ſimul cum arce amiſſis, non mediocriter Romanus exercitus eâ re eſt perturbatus. non ſolùm enim propter commeatus magnis ex eo difficultatibus afficiebantur, quòd is locus in poteſtatem hoſtis veniſſet; verùm eo etiam nomine, quòd vicino tractui arx illa opportunè imminebat.* Hinc ita Silius lib. VIII:

Vt ventum ad Cannas, urbis veſtigia priſcæ.

At Livius nudè *vicum* adpellat. Verba eius lib. XXII hæc ſunt: *Quum utriusque con-*

ſulis

ſulis eadem, quæ ſemper antè, fuiſſet ſententia; cæterùm Varroni ferè omnes, Paulo nemo, præter Servilium, prioris anni conſulem, aſſentiretur; majoris partis ſententia, ad nobilitandas clade Romanâ Cannas, vergente fato, profecti ſunt. Prope eum vicum Annibal caſtra poſuerat. Eodem libro, poſt pugnam Cannenſem: *Septem millia hominum in minora caſtra, decem in maiora, duo fermè in vicum ipſum Cannas perfugerunt. qui extemplò à Cartalone atque equitibus, nullo munimento tegente vicum, circumventi ſunt.* Atque ita Livio multo poſterior Appianus, in Annibalicis: Οἱ δὲ ὕπατοι τὴν στρατιὰν τὴν ἐν Ἰαπυγίᾳ προσλαβόντες, ἐστρατοπέδευον ἀμφὶ κώμῃ τινὶ καλουμένῃ Κάνναις. καὶ ὁ Ἀννίβας αὐτοῖς ἀντεστρατοπέδευε. Id eſt: *Conſules accepto, qui in Apuliâ erat, exercitu, circa Cannas vicum caſtra poſuerunt. quibus Annibal caſtra ſua oppoſuit.* Sed & Florus lib. II, cap. VI: *Quartum, id eſt, penè ultimum vulnus imperii, Cannæ; ignobilis Apuliæ vicus: ſed magnitudine cladis emerſit: & quadraginta millium cæde parta nobilitas.* In opidum poſtmodò an rurſus exſtructus fuerit vicus, equidem neſcio. certè Plinius lib. III, cap. XI: *Inter alios Apuliæ opidanos referuntur & nobiles clade Romanâ* CANNENSES. Cannas ſanè poſt cladem illam iterum fuiſſe habitatas, apud Appianum eſt. Hodiè rudera tantùm cum vulgari vocabulo *Canne* ad ripam Aufidi dextram exſtant.

CANVSIVM, *opidum.*

Ad eamdem *Aufidi* ripam, XXV ſtadia ſupra Cannas, ſitum eſt CANVSIVM, Græcis plerisque Κανύσιον, Appiano & Procopio Κανούσιον, Stephano Καινύσιον, & Κανύσιον, vulgò nunc *Canoſa* dictum. Memoratur Polybio, Varroni, Columellæ, Martiali, Priſciano, Iul. Capitolino, Cæſari, Ciceroni, Cn. Pompeio apud Ciceronem, Livio, Horatio, Straboni, Melæ, Silio, Plinio, Plutarcho, Philoſtrato, Appiano, Ptolemæo, Antonino, Procopio, Stephano, Aethico. Polybii verba paullo antè citavimus. Cæſaris etiam ſuperiùs exſtant. Procopius Gothicar. lib. III: Κανούσιον κεῖται ἐν Ἀπούλοις που μέσοις. Τούτου Κανουσίου πέντε καὶ εἴκοσι σταδίους ἀπέχουσι Κάνναι· ἵνα δὴ λέγουσι, Λιβύων στρατηγοῦντος ἐν τοῖς ἄνω χρόνοις Ἀννίβα, τὸ μέγα πάθος ξυμβῆναι Ῥωμαίοις. Hoc eſt: *Canuſium in mediis ſitum eſt Apulis. ab hoc* XXV *ſtadiis haud procul & Cannæ ſunt vicus, ingenti illâ Romanis illatâ per Annibalem clade nobilitatæ.* Vrbem fuiſſe, mœnibus cinctam, ex Livio patet; cuius verba lib. XXII, poſt pugnam Cannenſem, paullo antè audivimus. Ibidem paullo pòſt ita ſcribit: *Binis in caſtris quum multitudo ſemiermis ſine ducibus eſſet; nuntium, qui maioribus præerant, mittunt; Dum prœlio, deinde ex lætitiâ epulis fatigatos quies nocturna hoſteis premeret, ut ad ſe tranſirent: uno agmine Canuſium abituros eſſe.* Deinde: *In maiora caſtra ad ſexcentos evaſerunt. atque inde, protinus alio agmine adiuncto, Canuſium incolumes perveniunt.* Poſteà: *Eos, qui Canuſium perfugerant, muliercula, nomine Buſa, genere clara ac divitiis, mœnibus tantùm tectisque à Canuſinis acceptos, frumento, veſte, viatico etiam juvit.* Item poſteà: *Varro ipſe Canuſium copias traduxit. Et jam aliqua ſpecies conſularis exercitus erat: mœnibusque ſe certè, ſi non armis, ab hoſte videbantur defenſuri.* Ergo his jam patet, in quantum errent illi, qui Cannas Canuſiumque unum eumdemque locum fuiſſe volunt. Cannæ *vicus* erant, ſine ullo munimento. at Canuſium *opidum* cum eiusmodi mœnibus, quibus ſe exercitumque magis defendi poſſe confidebat Varro conſul, quàm ipſius Venuſiæ, Romanorum coloniæ, mœnibus. Sic & Plinius inter utrumque locum diſertè diſtinguit, lib. III, cap. XI. *Dauniorum*, inquit, *præter ſuprà dicta, coloniæ, Luceria, Venuſia: opida, Canuſium, Arpi.* Paullo pòſt: *Et nobiles clade Romanâ Cannenſes.* Item Appianus, in Annibalicis: Οἱ δὲ ἐς Κάννας ὑπεκφυγόντες περὶ δισχιλίους· καὶ παρέδωκαν ἑαυτοὺς τῷ Ἀννίβᾳ· ὀλίγοι δ' ἐς Κανούσιον διέδρασαν. Id eſt: *Quidam Cannas perfugientes, Annibali ſeſe taadiderunt. pauci Canuſium incolumes pervenerunt.* Cæterò, ad ipſam Aufidi amnis ripam fuiſſe ſitum Canuſium, Mela teſtatur, lib. II, cap. IIII: *Sipontum*, inquit, *vel, ut Graii dixère, Sipûs; & flumen, quod, Canuſium attingens, Aufidum adpellant.* Canuſitarum item emporium; ut Strabo docet, lib. VI. Ἐκ δὲ Βαρίου, inquit, πρὸς τὸν ποταμὸν Αὐφίδιον, ἐφ' ᾧ τὸ ἐμπορεῖον τῶν Κανυσιτῶν, στάδιοι υ. ὁ δὲ ἀνάπλους ἐπὶ τὸ ἐμπορεῖον ϛ'. Id eſt: *A Bario ad Aufidum flumen, cui Canuſinorum adjacet emporium, ſtadia ſuut* CCCC. *ad ipſum autem emporium à mari, adverſo amne, ſtadiorum* VI *eſt navigatia.* Hinc Antonini itinerarium:

Erdonias	
Canuſio	XXVI.
Rubos	XXIII.

Emporium Canuſitarum non fuiſſe ipſum Canuſium; ſed à Canuſio diverſum; dicto loco Strabo illis verbis docet, quæ proximè perſcriptis continuò ſubnectit: Πλησίον δὲ, inquiens, καὶ Σαλαπία, τὸ τῶν Ἀργυριππηνῶν ἐπίνειον. οὐ πολὺ γὰρ δὴ τῆς θαλάττης ὑπερέχουσι δύο πόλεις ἐν γε τῷ πεδίῳ, μέγισται τῶν Ἰταλιωτίδων γεγονυῖαι πρότερον, ὡς ἐκ τῶν περιβόλων δῆλον, τό τε Κανύσιον, καὶ ἡ Ἀργυρίππη· ἀλλὰ νῦν ἐλάττους εἰσί. λέγονται δ' ἀμφότεραι Διομήδους κτίσμα· καὶ τὸ πεδίον, καὶ ἄλλα πολλὰ δείκνυται τῆς Διομήδους ἐν τούτοις τοῖς τόποις δυναστείας σημεῖα. Hoc eſt: *Proximè autem Salapia quoque eſt, Argyrippenorum navale. Haud procul enim à mari in planitie ſitæ ſunt duæ urbes, Italicarum quondam, ut ambitus earum indicant, maximæ; Canuſium & Argyrippa; at nunc eæ minores ſunt. utraque Diomedis fertur eſſe opus. Campusque & multa alia monſtrantur hisce in locis Diomedis dominationis documenta.* Nam antè dixerat, ad ipſum emporium à mari, ſtadiorum VI eſſe navigationem: heic autem, haud procul à mari ſitum eſſe Canuſium. Philoſtratus, in vitis Sophiſtarum, Herodi Athenienſi, qui ſub Adriano vixit, tale factum circa Canuſium aſſcribit: Ὤικισε δὲ καὶ τὸ ἐν τῇ Ἰταλίᾳ Κανυσίον, ἡμερώσας ὕδατι, μάλα τούτου δεόμενον. Hoc eſt: *Canuſium in Italiâ, inductâ dulci aquâ, cujus vehementer indigebat, habitabile reddidit.* Vocabulum quod attinet; quum ſecunda eius ſyllaba ſit brevis, Græci eam ſcripsêre auctores per υ, Κανύσιον. Sic quidpe Horatius ſuprà citatus de conditore Argyrippæ. Et Silius lib. x, de ſuprà dictâ pugnâ Cannenſi:

Iam Latius ſeſe Canuſina in mœnia miles
Colligere, & profugos vicino cingere vallo
Cœperat.

Grammatici neſcio quam nugatoriam fabuloſamque & abſurdam huic vocabulo quærunt originem. Servius ad Virgil. Aeneid. lib. XI. *Sanè*, inquit, *Diomedes multas condidiſſe per Apuliam dicitur civitateis: ut Venuſiam; quam in ſatisfactionem Veneris, quòd eius irâ ſedeis proprias invenire non poterat, condidit; quæ Aphrodiſia dicta eſt: item Canuſium, Cynegeticon; quòd in eo loco venari ſolitus erat.* Scilicet *Venuſiam* à Veneris, *Canuſium* à canum vocabulo dictum innuit. Ergo Dauniorum, id eſt, incolarum lingvâ, alia habuêre vocabula, quæ poſteà à Latinis ſive Romanis abolita? Ne credas grammatico, etiam aliàs haud rarò nugatorio. Auctor tamen Canuſio, etiam ab graviſſimo geographo Strabone, tribuitur Diomedes, loco ſæpiùs citato. Et ad Horatii locum, Sat. x, lib. I; —— *Canuſini more bilingvis*;
ita commentatur vetus poëtæ ſcholiaſtes: *Canuſium; opidum in Apuliâ, conditum à Diomede, à quo Canuſini Græcam lingvam acceperunt: quare dicebantur bilingves; quia utebantur Græco & Latino ſermone. unde totus ille tractus olim Magna Græcia dicta eſt.* Vide Feſtum in *Bilingves*. OPIDANI ergo CANVSINI dicti ſunt, & CANVSITAE. Svetonius in Nerone, cap. XXX, habet vocabulum CANVSINATVS. *Numquàm* (inquit) *carrucis minùs quingentis feciſſe iter traditur; ſoleis mularum argenteis, Canuſinatis mulionibus.* Eâdem voce & Seneca utitur, in libro de Vitâ beatâ.

CAMPI DIOMEDIS, *locus.*

Cæterò, CAMPVS iſte, ſive plurali numero CAMPI DIOMEDIS, non ſolùm Straboni in loco aliquoties jam dicto, ſed compluribus aliis etiam memorantur auctoribus antiquis. Livio, lib. XXV: *Priore carmine Cannenſis prædicta clades in hæc fermè verba erat: Amnem Trojugena Cannam Romane fuge; ne te alienigenæ cogant in campo Diomedis conſerere manus. ſed neque credes tu mihi, donec ſangvine complêris campum: multaque millia occiſa tua deferat amnis in pontum magnum, ex terrâ frugiferâ. piſcibus atque avibus feriſque, quæ incolunt terras, iis fiat eſca caro tua. nam mihi ita Iupiter fatus eſt. Et Diomedis Argivi Campos, & Cannam flumen, qui militaverant in iis locis, juxtà atque ipſam cladem agnoſcebant.* Hinc illud Silii, lib. VIII:

En nomen patrium ſpondet majora peractis.
Vellantur ſigna; ac divâ ducente petamus
Infauſtum Phrygiis Diomedis nomine Campum.

Et lib. VIIII; ubi Paulus Aemilius conſul ita alloquitur pugnam feſtinantem collegam Terentium Varronem:

Iamque alter tibi, nec perplexo carmine, coràm
Fata cano vates: ſiſtis in craſtina ſigna,
Firmabis noſtro Phœbeæ dicta Sibyllæ
Sangvine. nec Grajo poſthac Diomede ferentur,
Sed te, ſi perſtas, inſignes conſule Campi.

Pompeius

Pompeius Feſtus: *Diomedis campi in Apuliâ appellantur, qui ei in diviſione regni, quam cum Dauno fecit, ceſſerunt.* Martialis lib. XIII, ep. XCIII, pro totâ Apuliâ uſurpat. Silius appellat *Campos Aetolos*, lib. I, & VIII; & *Campum Aetoli*, lib. III. Livius, *Campos Cannenſeis*. Ad ipſum flumen CANNAM quod attinet, cum Livii citato, ſequentes ſunt conferendi loci: Florus, lib. II, cap. VI: *Documenta cladis: Cruentus aliquandiu Aufidus; pons de cadaveribus, juſſu ducis factus in torrente Vergelli.* Et apud Valer. Max. lib. VIIII, cap. II: *Carthaginenſium dux Annibal, cuius majore ex parte virtus ſævitiâ conſtabat, in flumine Vergello corporibus Romanis ponte facto, exercitum traduxit: ut terreſtrium Carthaginenſium copiarum æquè ſceleſtum egreſſum terra, quàm maritimarum Neptunus, experiretur.* Silius ſub finem lib. VIII:

Ecce inter medios belli præſagus, & ore
Attonito, ſenſuque ſimul, clamoribus implet
Miles caſtra feris; & anhelat clade futurâ.
Parcite crudeles ſuperi. jam ſtragis acervis
Deficiunt campi. Video per denſa volantem
Agmina ductorem Libyæ; currusque citatos
Arma virûm ſuper atque artus & ſigna trahente.
——— *Pons ecce cadentum*
Corporibus ſtruitur: tacitusque cadavera fundit
Aufidus. ac victrix inſultat bellua campis.

Ex qua collatione apparet; Livium de *Cannâ* flumine dicere, quòd cadavera Romanorum in magnum Pontum detulerit: id quod attribuere videtur Silius ipſi *Aufido*. Ex quo conſequitur; *Cannam* idem fuiſſe quod notiori vocabulo dicebatur *Aufidum*. De Vergello ſic Ortelius in theſauro ſuo: VERGELLVS, *fluvius, per quem, corporibus Romanis ponte facto, Annibal exercitum traduxit. Valer. Max. lib.* VIIII, *cap.* II, GELVS *legit exemplar Colinæi.* GALLVS *habent tria membranea exemplaria apud me. Vide* GELLVS. GELLVS, *fluvius, Floro, lib.* II, *cap.* VI, *in quo pons cadaveribus fuit factus ab Annibale. in Apuliâ videtur.* VERGELLVS *eſt apud Valerium Maximum.*

A Canuſio XV millia paſſuum, ad occaſum ſolis hiberni verſùm, eſt VENVSIA *opidum*, in Apulorum, Lucanorum, Samnitiumque ſive Hirpinorum confinio; Horatii poëtæ patria. Strabo lib. VI, Samnitibus attribuit, ita de eorum loquens urbibus: Καὶ γάρ τοι νῦν κῶμαι γεγόνασιν αἱ πόλεις, Βοΐανον, Πάννα, Τελεσία, Ἐσερνία, συνεχὴς Οὐενάφρῳ, καὶ ἄλλαι τοιαῦται, ὧν οὐδεμίαν ἄξιον ἡγεῖσθαι πόλιν. ἔνιαι δὲ ἐκλελοίπασι τελέως. Βενεουεντον δ' ὅμως συνέστηκεν εὖ, καὶ Οὐενουσία. Hoc eſt: *Itaque & urbes eorum nunc in vicos abivêre, Bovianum, Panna, Teleſia, Eſernia, Venafro contermina, atque id genus aliæ, quarum nulla urbis ſeu opidi nomen meretur, quædam etiam omnino deletæ ſunt. Beneventum tamen atque Venuſium integræ permanſerunt.* Sed poſteà, lib. VI: Ἐν ταύτῃ δέ, inquit, τῇ ὁδῷ πόλις Οὐερία τε καὶ Οὐενουσία· ἡ μὲν μεταξὺ Τάραντος καὶ Βρεντεσίου, ἡ δ' ἐν μεθορίοις Σαυνιτῶν καὶ Λευκανῶν. Id eſt: *In hac viâ opidum eſt Vria, & item Venuſia; illud inter Tarentum Brunduſiumque, hoc in confiniis Samnitium Lucanorumque ſitum.* Samnitibus Strabo unde tribuerit, patet ex Horatii ſatyrâ I, libri II:

——— *Sequor hunc Lucanus, an Apulus, anceps.*
Nam Venuſinus arat finem ſub utrumque colonus;
Miſſus ad hoc, pulſis, vetus eſt ut fama, Sabellis,
Quò ne per vacuum Romano incurreret hoſtis:
Sive quòd Apula gens, ſeu quòd Lucania bellum
Incuteret violenta.

Ad hæc ita commentator: *Opidum Venuſinum, in confinio Lucaniæ & Apuliæ poſitum, habitatur à Romanis colonis, eò miſſis ob hanc rem, ut, ſive Apuli ſive Lucani bellum Romanis moverent, per Venuſinos prohiberentur. Eò miſſus erat Romanus colonus eo tempore, quo à Romanis Sabini victi ſunt; ut ne per vacuum locum, Sabellis expulſis, iter Lucanis ad Romanos eſſet pervium.* Vetus Horatii commentator ad oden XXVIII, lib. I: *Venuſia, civitas eſt Apuliæ, confinis Lucaniæ.* Geographi tamen, Plinius atque Ptolemæus, Apuliæ adſcribunt. Malè quidem hic Peucetiæ, ut jam antè dictum. Ἀπούλων, inquit, Πευκετίων μεσόγαιοι, Οὐενουσία, Κελία. Id eſt: *Apulorum Peucetiorum mediterranei, Venuſia, Celia.* Rectiùs ille, lib. III, cap. XI: *Dauniorum, præter ſuprà dicta, coloniæ, Luceria, Venuſia: opida, Canuſium, Aupi.* Cæterùm, vulgò nunc urbs ea dicitur incolis *Venoſa*. Memoratur,

VENVSIA *opidum.*

præter ſuprà dictos auctores, Polybio lib. III; Livio lib. XXII, & XXVII, & XXXI; Ciceroni ad Attic. lib. XVI, epiſt. V; & Tuſc. q. lib. I; Horatio, carm. lib. IIII, odâ VIIII: Plutarcho in Fab. M. Aemilio Probo in vitâ Annibalis; Paterculo lib. I; Agellio; Appiano, bellor. civil. lib. I; & Itinerariis. Sed in Tabulâ obliquus caſus legitur *Venuſie*, barbarè, pro *Venuſiâ*. in Antonini verò Itinerario bis *Venuſia*; ſemel *Venuſto*, quod corruptum volunt non à *Venuſia*, ſed *Venuſio*. nam Horatio quoque ea urbs neutro genere dicitur VENVSIVM. Eamdem urbem intellexiſſe Antoninum, ubi *Venuſto* nunc ſcriptum, ductus itineris indicat, qui talis eſt:

Antonini;		Antonini;		Antonini;		Tabulæ;	
Equo Tutico		*Equo Tutico*		*Benevento*			
Sentianum	XXXIII.	*Eclano*	XXV.	*Eclano*	XV.	*Eclano*	
Baleianum	XXIIII.	*Sub Romula*	XXII.	*Sub Romula*	XXII.	*Sub Romula*	XVI.
Venuſia	XII.	*Pentauſido*	XXII.	*Ponte Auſidi*	XXII.	*Aquilonia*	XI.
Ad Pinum	XII.	*Venuſto*	XVIII.	*Venuſia*	XIX.	*Ponte Auſidi*	VI.
Opinum	XXXII.	*Ad Silvianum*	XX.	*Silvium*	XX.	*Venuſie*	XVIII.
Cælianum	XL.	*Sub Lupantia*	XXI.	*Plera*	XIII.	*Silvium*	XXXV.
Heraclia	XXVIII.	*Canales*	XIII.	*Sub Lupatia*	XIIII.	*Sub Lubatia*	XXV.
Ad viceſimum	XXIIII.	*Ydrunto*	XXV.	*Canales*	XIII.		
Turios	XX.			*Tarento*	XX.		

Cæterùm COLONIAM pronunciat *Venuſiam* Plinius, loco ſuprà memorato. Hinc Livio, lib. XXVII, inter colonias, quæ bello Annibalico fida Romanis ſuppeditaverant auxilia, *Venuſini* quoque commemorantur. Et apud Appian. Bell. civil. lib. IIII, inter præcipuas Italiæ urbeis refertur. Ab eodem colonia hæc à triumviris deſtinata perhibetur, dicto lib. IIII; atque deducta lib. V. Quando ſit deducta, docet Paterculus lib. I. *Q. Fabio*, inquit, *quintùm*, *Decio Mure quartùm*, *coſſ. quo anno Pyrrhus regnare cœpit*, *Sinueſſam Minturnasque miſſi coloni. poſt quadriennium Venuſiam. interiectoque biennio*, *M. Curio & Rufino Cornelio coſſ. Sabinis ſine ſuffragio data civitas. id actum ante annos ferme* CCCXX. At inter duos modò dictos conſulatus, IIII tantùm interjecti fuêre anni. quapropter mendum his quoque ineſſe verbis credo: ſcriptumque fuiſſe, *poſt biennium*. id eſt, L. Papyrio Curſore & Sp. Corvilio Maximo coſſ. anno à Romà conditâ CCCCLX; ante natum Ieſum CCXCIII. Atque hoc conſules bellum adverſus Samniteis geſſiſſe, complureisque rerum urbeis cepiſſe, auctor eſt Livius, lib. X. ut jam verum ſit illud Horatii ſuprà ſcriptum:

Nam Venuſinus arat, &c.

At jam tum, quum coloni huc mitterentur, fuerit Samnitium opidum Venuſia, an verò ab Romanis de novo conditum, incertum eſt. quanquam illud monet Strabo, dum Samnitibus Venuſiam tribuit. Servium, vulgato omnium grammaticorum more, de Venuſiæ conditore atque etymologiâ nugas retuliſſe, ſuperiùs commemoravi in origine vocabuli *Canuſii*. Certè quamvis pleraque Dauniæ Apuliæ loca conditorem habuiſſe ferantur Diomedem, ut ſuprà indicatum; tamen Venuſiam nemo alius ſcriptor eius fecit opus; imò extra Dauniæ fineis Samnitibus tribuerunt nonnulli; ut modò ex Strabone Horatioque intellectum. Porrò apud Polybium lib. III, quum in rebus geſtis Annibalis bis legatur vocabulum Οὐενουσία; priore loco vitiatum id eſſe à Τελεσία, ſuprà ex Livio oſtenſum eſt. Apud Appianum item, civil. bell. lib. I, haud ſemel Οὐενούσιοι legitur, pro Οὐενουσῖνοι.

Cæterùm loca aliquot circa Venuſiam in eâdem Apuliâ Dauniâ memorantur Horatio, carm. lib. III, odâ IIII, his verſibus:

Me fabuloſæ Volture in Apulo
Altricis extra limen Apuliæ,
Ludo fatigatumque ſomno,
Fronde novâ puerum palumbes
Texêre. mirum quod foret omnibus,
Quicumque celſæ nidum Acherontiæ,
Saltusque Bantinos, & arvum
Pingue tenent humilis Ferenti,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Vt tuto ab atris corpore viperis
Dormirem, & urſis; ut premerer ſacrâ
Lauroque collataque myrto,
Non ſine dis animoſus infans.

Ex his ACHERONTIA *opidum*, vulgò nunc incolis dicitur *Chirenza* & *Cirenza*, & nonnunquam *Acirenza*, *Agerenza*. Livius lib. VIIII: *Ex Apuliâ Teanenſes Canuſinique in deditionem venerunt.* Mox: *Inclinatis ſemel in Apuliâ rebus, Theates quoque Apuli ad novos conſules, C. Iunium Bubulcum, Q. Aemilium Barbulam, fœdus petitum venerunt. Pacis per omnem Apuliam præſtandæ Romano populo auctores, id audacter ſpondendo impetraverunt ut fœdus daretur: neque ut æquo tamen fœdere: ſed ut in ditione populi Romani eſſent. Apuliâ perdomitâ (nam Tarento quoque valido opido, Iunius potitus erat) in Lucanos perrectum.* Quum *Tarenti* nomen nullo modo heic conſiſtere poſſet; quidam id emendare conati ſunt, in *Ferentum*. ſed id opidum jam biennio antè à Q. Aemilio Cæretano in deditionem acceptum erat. Sigonius ad hunc locum teſtatur, veteres libros alios *Acronto*, alios *Acerronto* habere: atque inde colligit, legendum *Acheronto*. Procopius Gothic. rer. lib. III: Τωτίλας δὲ φρούριον ἐν Λευκανοῖς καταλαβὼν ὀχυρώτατον, ἄγχιστά πη τῶν Καλαβρίας ὁρίων κείμενον, ὅπερ Ἀχεροντίδα καλοῦσι Ῥωμαῖοι, ἐνθαῦτα φυλακτήριον ἀνδρῶν οὐχ ἧσσον ἢ τριακοσίων κατέστησε. Id eſt: *Totila quum apud Lucanos præſidium quoddam cepiſſet, & id munitiſſimum, in Calabriæ fineſque proximè ſitum, quod utique Acherontida accolæ vocant, in eo impoſuit* CCC *virorum cuſtodiam.* Sic aliquanto poſteà: Ἰωάννης Ἀχεροντίδα τὸ φρούριον ἐπολιόρκει. Id eſt: *Iohannes Acherontida caſtellum oppugnabat.* Paulus Diaconus, rer. Langeb. lib. II, cap. XXI, *Agerentia* habet: libro V, cap. VII, *Arentiam:* alia exemplaria *Agerentiam*; alia *Acheruntiam*. Caſinenſe Chronicon lib. II, cap. LXVIII, *Acerentiam:* anno 1041. ACHERONTIA, *opidum.*

Succedit opidum FERENTVM. De quo Acron ad hunc Horatii locum ſic: *Ferentum opidum eſt Apuliæ, Venuſinæ civitati vicinum, in valle ſitum.* De eadem re Diodorus, lib. XVIIII: Ῥωμαῖοι διαπολεμοῦντες Σαμνίταις, Φερέντην, πόλιν Ἀπουλίας, κατὰ κράτος εἷλον. Hoc eſt: *Romani cum Samnitibus bellum gerentes, Ferentum, Apuliæ urbem, vi ceperunt.* Livius lib. VIIII: *Curſor Papyrius proximis comitiis cum Q. Aemilio Cæretano iterum, ob rem benè geſtam Luceriæ, continuato magiſtratu conſul tertiùm creatus. Aemilius cum Ferentanis uno ſecundo prælio debellavit: urbemque ipſam, obſidibus imperatis, in deditionem accepit.* Porrò, Horatium non *Ferentum*, ſed FORENTVM voluiſſe *opidum*, cùm Plinius, tum ipſum huius loci vocabulum hodiernum teſtantur. hoc quidpe eſt IIII millia paſſuum ab dictâ Acherontiâ in ſeptentrione verſùs *Forenza*. apud Plinium verò, lib. III, cap. XI, opidani inde ſunt FORENTANI. Stephanus, Φορεντανοί. Vide etiam Liv. lib. X. FERENTVM, *opidum.* FORENTVM *opidum.*

BANTIA, *opidum*, Livio, Plutarcho & Stephano memoratur. quorum hic ita: Βαντία, πόλις Ἰταλίας. τὸ ἐθνικὸν, Βαντιανοί, καὶ Βαντιᾶται. Id eſt: *Bantia, urbs Italiæ. gentile, Bantiani, & Bantiatæ.* Livius lib. XXVII: *Tum demum ad exercitum, quem priore anno Venuſiæ reliquerat, cum ſupplemento proficiſcitur Marcellus. Locros in Brutiis Criſpinus oppugnare conatus; quia magnam famam attuliſſe Fabio Tarentum ferebatur. Ea omiſſa oppugnatio eſt; quia Lacinium Annibal admoveret copias; &, collegam eduxiſſe jam à Venuſiâ exercitum, fama erat: cui conjungi volebat. Itaque in Apuliam ex Brutiis reditum. & inter Venuſiam Bantiamque, minùs trium millium paſſuum intervallo, conſules binis caſtris conſederant. In eamdem regionem & Annibal rediit; averſo ab Locris bello.* Plutarchus in Marcello: Ἐξῆλθεν μετὰ τοῦ συνάρχοντος ἐπὶ τὸν πόλεμον· καὶ πολλὰ μεταξὺ Βαντίας πόλεως καὶ Βενουσίας καθήμενος, ἠρέτιζε τὸν Ἀννίβαν. Id eſt: *Ad bellum cum collegâ profectus eſt. poſitisque inter Bantiam urbem & Venuſiam caſtris, multis modis Annibalem laceſſivit.* Haud procul Forento Acherontiâque fuiſſe, patet ex ſuprà ſcriptis Horatii verbis. in Lucanorum fuiſſe confinio, inde manifeſtiſſimo liquet documento, quod Lucaniæ adſcribuntur incolæ eius BANTINI. Plinius lib. III, cap. XI. Itaque Bantiam colloco ad lævam Bradani amnis ripam, haud procul fonte. BANTIA, *opidum.*

VVLTVR MONS, præter Horatium, Lucano quoque memoratur, lib. VIIII, his verſibus: VVLTVR *mons.*

Hic ubi depaſtis ſummittere gramina campis,
Et reparare parans hibernas Apulus herbas,

Igne fovet terras, ſimul & Garganus, & arva
Vulturis, & calidi lucent buxeta Matini.

Prope & Venuſiam & Bantiam & Forentum & Acherontiam fuiſſe Vulturem montem, ex ſuprà ſcriptis Horatii patet verbis. Magni nominis fuiſſe montem, ex eo colligitur, quòd hunc unà cum Gargano, huiusque parte Matino, nominavit Lucanus, ubi Apuliæ montem recenſere voluit. Ego id montium jugum intellexerim, quod à Bradani amnis fonte & Apennini jugis, inter Venuſiam Forentumque, primò in orientem æquinoctialem, mox hibernum verſùs & Salentinos procurrens, pars ſive alterum Apennini habetur cornu Straboni, ut ſuprà dictum eſt: ideoque hodiè etiam vulgò *Apennino* incolis vocatur. Atque ut ab Iapygiæ orâ Iapyx ventus dictus eſt incolis Iapygiæ ſive Calabriæ, teſtibus Gellio, lib. II, cap. XXII; & Servio, ad XI Aeneidos: ſic à dicto Vulture monte Vulturnum ventum fuiſſe vocatum Apulis, certum eſt. Plinii verba, lib. II cap. XLVII, ubi ventorum genera enumerat, hæc ſunt: *Ab oriente æquinoctiali Subſolanus, ab oriente brumali Vulturnus: illum Apelioten, hunc Euron, Græci appellant. à meridie Auſter, & ab occaſu brumali Africus: Noton & Liba nominant. ab occaſu æquinoctiali Favonius, ab occaſu ſolſtitiali Corus: Zephyron & Argeſten vocant.* Et poſteà: *Corus autumnat. huic eſt contrarius Vulturnus.* Aliter hæc Gellius, dicto loco. *Qui ventus*, inquit, *ab oriente verno, id eſt, æquinoctiali, venit, nominatur Eurus.* Mox: *Is alio quoque à Græcis nomine* Ἀπηλιώτης, *à Romanis nautis, ſubſolanus cognominatur.* Deinde: *Qui ab oriente hiberno ſpirat, Vulturnum Romani vocant. eum plerique Græci mixto nomine, quòd inter Notum & Eurum ſit,* Εὐρόνοτον *adpellant. Hi ſunt igitur tres venti orientales; Aquilo, Vulturnus, Eurus. quorum medius Eurus eſt. His oppoſiti & contrarii ſunt alii tres, occidui: Caurus; quem ſolent Græci* Ἀργέστην *vocare. is adversùs Aquilonem flat. Item alter, Favonius: qui Græcè vocatur* Ζέφυρος. *is adversùs Eurum flat. Tertius, Africus: qui Græcè vocatur* Λίψ· *is adversùs Vulturnum flat.* Et poſteà: *Iapyga, ex ipſius Apuliæ orâ proficiſcentem, eodem & ipſi nomine Iapygem dicunt.* Locum corruptum alia exemplaria ſic referunt: *Iapyga, ex ipſius Apuliæ proficiſcentem quaſi finibus, Apuli eodem, quo ipſi, nomine Iapygem dicunt.* At quorſum hoc, *Iapyga Iapygem dicunt?* Sic igitur corrigo: *Iapyga, ex ipſius Apuliæ orâ proficiſcentem, eodem, quo & ipſi, nomine Iapygos dicunt.* Sequitur hinc: *Eum eſſe propemodùm Caurum exiſtimo. nam & eſt occidentalis, & videtur adversùs Eurum flare. itaque Virgilius, Cleopatram, è navali prœlio in Aegyptum fugientem, vento Iapyge ferri, ait.* Verùm circa ventorum nomina nullos ego duos, neque Græcos, neque Latinos auctores, inter ſe convenienteis lego. Non Romanos Vulturno impoſuiſſe vocabulum, ſed Apulos, auctor eſt luculentiſſimus Livius, lib. XXII; ubi ita de pugnâ Cannenſi ſcribit: *Sol, ſeu de induſtriâ ita locatis, ſeu forte ita ſtando, peroportunè utrique parti obliquus erat; Romanis in meridiem, pœnis in ſeptemtrionem verſis. Ventus, quem Vulturnum incolæ regionis vocant, adversùs Romanos coortus, multo pulvere in ipſa ora volvendo, proſpectum ademit.* Ita fuiſſe locatos, Polybius quoque teſtatur lib. III, his verbis: Βλεπούσης δὲ τῆς μὲν Ῥωμαίων τάξεως πρὸς μεσημβρίαν, τῆς δὲ τῶν Καρχηδονίων πρὸς τὰς ἄρκτους, ἑκατέροις ἀβλαβῆ συνέβαινε γίνεσθαι τὴν κατὰ τὸν ἥλιον ἀνατολήν. Id eſt: *Quum Romana acies meridiem ſpectaret, Carthaginenſis ſeptemtriones; neutros exorti ſolis radii oſtendebant.* Atque hinc rectè Appianus Vulturnum ventum, quem ille Eurum vocat, propiùs meridiem ſubmovet. Verba eius in Annibalicis hæc ſunt: Ὁ δ᾽ Ἀννίβας πρῶτα μὲν, εἰδὼς, περὶ μεσημβρίαν εὖρον ζοφώδη, τὸν χῶρον ἐξ ἔθους ἐπιπνέοντα, προὔλαβεν, ὅπη κατὰ νώτου τὸ πνεῦμα ἔμελλεν ἕξειν. Hoc eſt: *Annibal, non neſcius, ventum procelloſum Eurum, circa meridiem ſurgentem, regionem illam perflare ſolere, ante omnia præoccupavit loca, in quibus à tergo flatum eſſet habiturus.* Verumtamen haud perinde impropriè Apulorum Vulturnum adpellaveris cum Gellio Græcè Εὐρόνοτον, ut qui inter Eurum & Notum ſit, id eſt, inter orientem brumalem atque auſtrum. Itali nunc nautæ vulgò vocant, *Oſtro-ſicocco*; Germani; *Sud-ſud-ooſt*; Hiſpani, *Su-ſu-eſte*; Galli, *Su-ſu-eſt*; Angli, *Suth ſuth-eoſt*. Denique ex hac de ventis diſſertatione, Frontini verba ad ſanum ſenſum rectè accommodanda ſunt, adeoque nonnihil corrigenda; qui ſic ſcribit Stratag. lib. II, cap. II: *Hannibal apud Cannas quum comperiſſet, Vulturnum amnem* [ventum] *ultra reliquorum naturam fluminum* [flaminum] *ingentes auras manè perflare, quæ arenarum & pulveris vertices agerent; ſic direxit aciem, ut tota vis à tergo ſuis, Romanis*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

manis in ora & oculos incideret. quibus incommodis mirè hoſti adverſantibus, illam memorabilem adeptus eſt victoriam. De his ventis inſpiciatur Seneca etiam, natural. quæſt. lib. v, cap. xvi, & cap. xvii. Columella item lib. v, cap. v. Silius lib. viii, de eâdem pugnâ Cannenſi ſic:

Tum ventis poſitus cuſtos, cui flamina carcer
Imperio compreſſa tenet, cælumque ruentes
Eurique & Boreæ patent, Corique Notique,
Iunonis precibus, promiſſa haud parva ferentis,
Regnantem Aeoliis Vulturnum in prœlia campis
Effrenat.

Vbi pro *Aeoliis* legendum videtur *Aetolis*. Porrò, ut de Venuſiâ finem faciam, iter ex Antonini itinerario ſuprà produximus tale:

Venuſia	
Ad Pinum	xii.
Opinum	xxxii.
Cælianum	xl.
Heraclia	xxviii.

Ex his locis *Opinum* & *Cælianum*, vulgò nunc *Opido* & *Caliano* dicta, extra Apuliæ fineis, Lucanorum fuiſſe; ſuo loco oſtendetur. Inter Venuſiam & Opinum quum xx haud ampliùs numerentur hodiè millia paſſuum, depravatos eſſe apud Antoninum numeros, certum eſt. Reſcribo igitur ad *Opinum*, xviii. Locus iſte Ad Pinvm, haud dubiè ab inſigni aliquâ pinu arbore, quæ fuit in eâ viâ, cognominatus. Ad Pinvm, *locus.*

Cap. XIII.

De Messapia *peninſulâ; quæ &* Calabria; *& item in duas parteis,* Calabriam *&* Salentinos, *diviſa.*

DEmonſtratum eſt ſuprà, univerſam Iapygiam, à Frentone amne ad Iapygium usqueſive Salentinum promontorium, in tres potiſſimùm parteis fuiſſe diviſam, *Dauniam, Peucetiam,* & *Meſſapiam.* quarum Messapia peninſulâ continebatur, quæ à Tarento ad Brunduſium mari Auſonio Ionioque jungitur. Eamdem & Calabriam fuiſſe dictam, rurſumque in duas parteis fuiſſe diviſam; quarum alteram verſùs ſeptemtriones Calabri, verſùs meridiem alteram Salentini incoluerint; ibidem oſtenſum eſt. Expoſitis igitur Dauniâ & Peucetiâ, dictam peninſulam nunc quoque explicabimus. Verùm quia Salentinorum quoque nomen antiquis temporibus latiùs extra eam peninſulam diffuſum fuit: poſteriores autem auctores limiteis in peninſulâ inter Calabros Salentinosque haud probè diſtinxerint; nos omnem peninſulam, ſub unius Calabriae nomine comprehenſam, unâ operâ exponemus. Quamvis *Calabriæ* nomen etiam in Apuliam & Garganum usque extenſum fuiſſe, colligo ex Horatii carm. lib. i, odâ xxxi; ubi ait: *Aeſtuoſæ grata Calabriæ armenta.* nam de armentis in Apuliâ vulgatum apud auctores paſſim eſt. Vide quoque Servium de Gargano. & Horatii veterem commentatorem ad oden viiii, lib. iiii; ad verba: *Aufidus Calabriæ fluvius admodùm verticoſus.* Item, ad ἐπῳδῶν oden i; ubi ſic ſcribit: *Solent paſtores ex Calabriâ transire in Lucaniam, propter eius regionis temperiem ante ortum Caniculæ ſub menſem Iulium; quia Calabria nimio æſtu pecori eſt infeſta: contrà, rurſum ex Lucania abeunt in Calabriam; propter nimium frigus Lucaniæ.* Idem ad ἐπῳδῶν oden x: *Diomedes ad Calabriam dejectus eſt; ubi Arpos condidit civitatem.* Ad carm. lib. iiii, oden ii: *Quia Pindarum cygno comparavit; ſe, ut arrogantiam fugiat, api confert, quæ in Calabriæ ſaltu Matino volat.*

De Calabriae sitv, quam nunc explicamus, ait Tacitus in Annal. lib. iii: *Agrippine Corcyram inſulam advehitur, litora Calabriæ contra ſitam.* Iſthmus penin-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

peninſulæ CALABRIAE huius, eſt inter duo opida, Tarentum & Brunduſium. Strabo lib. VI: Ἐπεληλυθόσι δ' ἡμῖν τὰ περὶ τὴν ἀρχαίαν Ἰταλίαν, μέχρι Μεταποντίου, τὰ συνεχῆ λεκτέον. συνεχὴς δ' ἐστὶν ἡ Ἰαπυγία. ταύτην δὲ καὶ Μεσσαπίαν καλοῦσιν οἱ Ἕλληνες. οἱ δ' ἐπιχώριοι κατὰ μέρος, τὸ μέν τι Σαλεντίνους καλοῦσι, τὸ περὶ τὴν ἄκραν τὴν Ἰαπυγίαν, τὸ δὲ Καλαβρούς. ἔστι δ' ἐπιχερρονησιάζουσα ἡ Μεσσαπία, τῷ ἀπὸ Βρεντεσίου μέχρι Τάραντος ἰσθμῷ κλειομένη, σταδίων ι καὶ τ. Id eſt: *Veteri Italiâ ad Metapontum uſque expoſitâ, nunc quæ ei continuantur, dicenda ſunt. Sequitur autem Iapygia: quam & Meſſapiam Græci dicunt. Incolæ regionem in parteis dividentes, alteram Salentinos adpellant, quæ circa Iapygium eſt promontorium; alteram Calabros. Cæterùm, peninſulæ formam obtinet Meſſapia; iſthmo interclusa, qui à Brunduſio Tarentum uſque ſtadiorum* CCCX. Vide item cum hoc loco cohærentem, ſuprà cap. X ad Meſſapios exſcriptum. Cæterùm, tot ſtadia conficiunt millia paſſuum fermè XXXVIIII. At minus habet Plinius, lib. III, cap. XI. *Connectitur*, inquit, *ſecunda regio; amplexa Hirpinos, Calabriam, Apuliam, Salentinos;* CCL *millibus ſinu, qui Tarentinus appellatur, ab opido Laconum, in receſſu hoc intimo ſito. abeſt* CXXXVI *millia paſſuum à Lacinio promontorio, adverſam ei Calabriam in peninſulam emittens. Græci Meſſapiam à duce appellavêre; & antè Peucetiam, à Peucetio Oenotri fratre. Latitudo peninſulæ à Tarento Brunduſium terreno itinere* XXXIII *millia paſſuum patet.* Milliaria per iſthmum peninſulæ à Tarento Brunduſium, in univerſum hodie computantur incolis XL: ſed iniquis ſingulorum milliarium intervallis. Ego haud ampliùs XXXVII eſſe, iter hoc faciens, deprehendi. Ex hoc igitur intervallo, ſimulque ex illis Strabonis XXXVIIII millibus, interiiſſe notam V apud Plinium, in numero XVIII colligo. Alia etiam complura eſſe circa eundem Plinii locum, maximè in ſequentibus verbis, menda; pôſt patebit. In tabulâ itinerariâ eo itinere millia ſunt ſcripta XLIII, hoc modo:

Tarento	
Meſochoro	X.
Vrbius	X.
Scanuium	VIII.
Brindiſi	XV.

MESSAPIA unde dicta, Plinius indicat verbis modò perſcriptis: & Strabo, lib. VIIII: his verbis: Ἐν δὲ τῇ Ἀνθηδονίᾳ Μεσσάπιον ὄρος ἐστὶν, ἀπὸ Μεσσάπου, ὃς εἰς τὴν Ἰαπυγίαν ἐλθὼν, Μεσσαπίαν τὴν χώραν ἐκάλεσεν. Hoc eſt: *In Anthedonia regione eſt etiam Meſſapius mons, à Meſſapo dictus; qui, quum Iapygiam veniſſet, nomen regioni Meſſapiæ indidit.* Cæterùm, Stephano promiſcuè tum Μεσσαπία dicitur, tum Μεσσάπιον.

INCOLAE MESSAPII fuêre dicti, & SALENTINI. Apud Plutarchum in Pyrrho, Tarentinorum legati Pyrrho adfirmant, ὡς δυνάμεις αὐτόθεν ὑπάρξουσι μεγάλαι, παρά τε Λευκανῶν καὶ Μεσσαπίων καὶ Σαυνιτῶν καὶ Ταραντίνων εἰς δισμυρίους ἱππεῖς, πεζῶν δὲ ὁμοῦ πέντε καὶ τεσσαράκοντα μυριάδες. Id eſt: *Copias ipſam Italiam ingenteis ad efficienda equitum* XX *millia, peditum fermè ad* CCCL *millia, ex Lucanis, Meſſapiis, Samnitibus & Tarentinis, ſuppeditaturam.* De quibus copiis ita Frontinus, ſtrategem. lib. I, cap. III: *Pyrrhus Epirotarum rex, pro Tarentinis apud Aſculum dextro cornu Samnitas Epirotasque, ſiniſtro Brutios atque Lucanos cum Salentinis, in mediâ acie Tarentinos collocavit.* Vbi *Salentinos* adpellat, quos Plutarchus *Meſſapios*.

GENTEM fuiſſe barbaram, Pauſanias in Phocicis, de recenſione donariorum templi Delphici, indicat: Ταραντίνων δὲ οἱ ἵπποι οἱ χαλκοῖ καὶ αἰχμάλωτοι γυναῖκες ἀπὸ Μεσσαπίων εἰσὶν ὁμόρων τῇ Ταραντίνων βαρβάρων. Id eſt: *Tarentinorum equi ænei & captivæ feminæ, dona ſunt, quæ Meſſapiis, barbara gente finitimis ſuis, victis, miſerunt.*

De SOLO, fertilitate, celebritateque huius peninſulæ ita tradit dicto lib. VI Strabo, poſt memoratum Tarentum: Ἡ δ' ἑξῆς τῶν Ἰαπύγων χώρα παραδόξως ἐστὶν ὡραία· ἐπιπολῆς γὰρ φαινομένη τραχεῖα, εὑρίσκεται βαθύγειος σχιζομένη· ἀνυδροτέρα δ' οὖσα εὔβοτος οὐδὲν ἧσσον καὶ εὔδενδρος ὁρᾶται. εὐάνδρησε δέ ποτε καὶ τοῦτο σφόδρα τὸ χωρίον σύμπαν, καὶ ἔσχε πόλεις τρισκαίδεκα· ἀλλὰ νῦν πλὴν Τάραντος καὶ Βρεντεσίου, τἆλλα πολισμάτιά ἐστιν· οὕτως ἐκπεπόνηνται. Hoc eſt: *Reliqua hinc Iapygum regio mirum in modum eſt elegans. quum enim terra in ſuperficie aſperitatem præ ſe ferat, aratro ſciſſa deprehenditur eſſe glebosa. &, quanquam aquarum non habeat ſatis; tamen & paſcuis apta eſt, & arborum ferax. Atque hæc*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

quoque tota regio virorum quondam multitudine floruit: urbeisque continuit tredecim. at nunc præter Tarentum atque Brunduſium, reliquæ variis cladibus in opidulorum formam ſunt redactæ.

Hæc igitur in univerſum de totâ regione; nunc ſingula eius loca, veteribus memorata auctoribus, exſequemur, initio à maritimis facto.

Prima à Galeſi oſtio, eaque totius Meſſapiæ celeberrima VRBS, fuit TARENTVM, Græcis *Τάρας*, & nonnullis Latinis, *Tarentus*; Polybio, Macrobio, Ciceroni, Horatio, Livio, Diodoro, Straboni, Floro, Melæ, Sidonio, Plinio, Appiano, Ptolemæo, Itinerariis, Procopio, Stephano, memorata. Circa ORIGINEM *urbis* ſimul atque *nominis* variant auctores. In quibus ita Macrobius Saturnalior. lib. II, cap. XIIII: *Nux Terentina dicitur, quæ ita mollis eſt, ut vix attrectata frangatur, de qua in libro Favorini ſic reperitur: Itemque quidam Tarentinas oveis vel nuceis dicunt. quæ ſunt Terentinæ, à tereno; quod eſt Sabinorum linguâ molle. unde Terentios quoque dictos putat Varro, ad Libonem primo. Quam in culpam etiam Horatius poteſt videri incidere; qui ait: Et molle Tarentum.* Quidam heic interpretatur, Macrobium ſive Favorinum velle, *Tarentum* à Sabinorum voce *tereno* dictum eſſe. at longè alia illis fuit mens. nempe, quæ vero nomine Terentinæ erant oves atque nuces, à Sabinorum vocabulo *tereno* dictæ, eas falſò adpellari à quibusdam Tarentinas. eoque errore impulſum Horatium, ipſum Tarentum adpellaſſe *molle*. Virgilius Aeneid. lib. III, de navigatione Troianorum:

Grajugenûmque domos ſuſpectaque linquimus arva.
Hinc ſinus Herculei, ſi vera eſt fama, Tarenti
Cernitur.

Ad hæc ita Servius: *Fabula talis eſt; Lacones & Athenienſes diu inter ſe bella tractaverunt. Quum utraque pars affligeretur, Lacones, quibus juventus deerat, præceperunt; ut virgines cum quibuscumque concumberent. Quo factum eſt, ut, quum poſt ſedata bella juventus incertis parentibus nata, & patriam erubeſceret, & ſibi eſſet opprobrio (nam Partheniatæ appellabantur) accepto duce Phalantho, octavo ab Hercule, profecti ſint. delatique ad breve opidum Calabriæ, quod Taras Neptuni filius fabricaverat, id auxerunt; & priſco nomine adpellarunt Tarentum. Bene ergo nunc, Herculei Tarenti. Eſt & alius fabulæ ordo: Lacædemonii, quum adverſùm Meſſenios bellum haberent; ſolis ſenibus relictis, omnem juventutem eduxerunt: juraveruntque, ſe non antè reverſuros, quàm Meſſeniam expugnaſſent. Sed quum victores reverſi eſſent, vidiſſentque multitudinem juvenum, qui ex ſervorum & dominarum virginum concubitu, ut quidam volunt, ſine ullo diſcrimine nuptiarum, nati erant; ſervos patibulis ſuffixerunt; filias ſtrangulavere, nepoteis fugaverunt. Sed alii* [ita] *dicunt: Timenteis, ne qua ex illis diſcordia naſceretur, pueros, qui ex virginibus nati erant, Partheniatas vocaverunt; & Phalanthum eis ducem conſtituerunt. ſed hi quum veniſſent in Italiam, à quodam ſepulcro, cui inſcriptum erat Tare nomen, urbem conditam Tarentum dixerunt. Hoc autem opidum poſt multos annos excidii Ilienſis conditum, quidam dicunt. Alii dicunt, quòd, ſicut ſuprà memoratum, nepotibus Lacedæmoniorum fugatis, à nomine Ducis Tares, Herculis filii, Tarentum dictum. Quidam Tarentum antè Satyrium dictum tradunt; & ab Herculis filio Tarento pòſt Tarentum dictum. Alii Herculeum appellatum volunt, quia Heraclidæ, Lacedæmoniorum reges,* ..... [deſunt nonnulla] ...... *Benè ergo, ſi vera eſt fama, aut quia Taras condiderat, auxerat Phalantus, aut ab Herculis filio conditum ſit Tarentum, in quo molles & luxurioſi naſcuntur. Et hæc conſvetudo Poëtæ eſt, ut, ubi de incertis dubitat, famam faciat auctorem.* Illa haud dubiè Servius ab Græco aliquo mutuatus eſt auctore; apud quem Meſſapiæ ſive Calabriæ oppidum memoratur *βραχὺ*, id eſt, *parvum* ſive *exiguum*; quod iſte vertit *breve*. Cæterò, verborum, quæ deſunt, ſenſum innuit Solinus, cap. VIII. *Notum eſt*, inquit, *ab Heraclidis Tarentum eſſe conſtitutum*. Sed hiſtoriam de Lacedæmoniorum Partheniatis, ſive Partheniis, Strabo ita refert: Περὶ δὲ τῆς κτίσεως τοῦ Τάραντος λέγων Ἀντίοχός φησιν, ὅτι τοῦ Μεσσηνιακοῦ πολέμου γενηθέντος, οἱ μὴ μετασχόντες Λακεδαιμονίων τῆς στρατείας, ἐκλήθησαν δοῦλοι, καὶ ὠνομάσθησαν Εἵλωτες· ὅσοι δὲ κατὰ τὴν στρατείαν παῖδες ἐγένοντο, Παρθενείας ἐκάλουν, καὶ ἀτίμους ἔκριναν. οἱ δ᾽ οὐκ ἀνασχόμενοι (πολλοὶ δ᾽ ἦσαν) ἐπεβούλευσαν τοῖς τοῦ δήμου. αἰσθόμενοι δ᾽ ὑπέπεμψαν τινὰς, οἳ προσποιήσει φιλίας ἔμελλον ἐξαγγέλλειν τὸν τρόπον τῆς ἐπιβουλῆς. τούτων δ᾽ ἦν καὶ Φάλανθος, ὅσπερ ἐδόκει προστάτης ὑπάρχειν αὐτῶν. οὐκ ἠρέσκετο δ᾽ ἁπλῶς τοῖς περὶ τῆς βουλῆς ὀνομασθεῖσι· συνέκειτο μὲν δὴ τοῖς Ὑακινθίοις ἐν τῷ Ἀμυκλαίῳ

TARENTVM *urbs.*

Ἀμυκλαίῳ συντελουμένου τοῦ ἀγῶνος, ἡνίκα τὴν κυνῆν περιθῇ ὁ Φάλανθος, ποιεῖσθαι τὴν ἐπίθεσιν· γνώριμοι δ᾽ ἦσαν ἀπὸ τῆς κόμης οἱ τοῦ δήμου. ἐξαγγειλάντων δέ τινων λάθρα τὰ συγκείμενα τῶν περὶ Φάλανθον, καὶ τοῦ ἀγῶνος ἐνεστῶτος, προελθὼν ὁ κῆρυξ εἶπε, μὴ ἂν περιθεῖναι κυνῆν Φάλανθον. οἱ δ᾽ αἰσθόμενοι, ὡς μεμηνύκασι τὴν ἐπιβουλὴν, οἱ μὲν διεδίδρασκον, οἱ δὲ ἱκέτευον· κελεύσαντες δ᾽ αὐτοὺς θαῤῥεῖν, φυλακῇ παρέδοσαν· τὸν δὲ Φάλανθον ἔπεμψαν εἰς θεοῦ περὶ ἀποικίας. ὁ δ᾽ ἔχρησε·

Σατύρεον τε δῶκα Τάραντά τε πίονα δῆμον
Οἰκῆσαι· καὶ πῆμα Ἰαπύγεως γενέσθαι.

Ἦκον οὖν σὺν Φαλάνθῳ οἱ Παρθενίαι· καὶ ἐδέξαντο αὐτοὺς οἵ τε βάρβαροι καὶ οἱ Κρῆτες, οἱ προκατασχόντες τὸν τόπον. Τάραντα δ᾽ ὠνόμασαν ἀπὸ ἥρωός τινος τὴν πόλιν. Ἔφορος δ᾽ οὕτω λέγει περὶ τῆς κτίσεως· Ἐπολέμουν Λακεδαιμόνιοι Μεσσανίοις, ἀποκτείνασι τὸν βασιλέα Τήλεκλον, εἰς Μεσσήνην ἀφικόμενον ἐπὶ θυσίαν, ὀμόσαντες, μὴ πρότερον ἐπανήξειν οἴκαδε, πρὶν ἢ Μεσσήνην ἀνελεῖν, ἢ πάντας ἀποθανεῖν. φύλακας δὲ κατέλιπον τῆς πόλεως στρατεύοντες τούς τε νεωτάτους καὶ πρεσβυτάτους τῶν πολιτῶν. δεκάτῳ δ᾽ ὕστερον ἔτει τοῦ πολέμου τὰς γυναῖκας Λακεδαιμονίων συνελθούσας, ἐξ ἑαυτῶν πέμψαι τινὰς παρὰ τοὺς ἄνδρας, τὰς μεμψομένας, ὡς οὐκ ἐπ᾽ ἴσης πολεμοῖεν πρὸς τοὺς Μεσσηνίους· οἱ μὲν γὰρ μένοντες τεκνοποιοῦνται, οἱ δὲ, χήρας ἀφέντες τὰς γυναῖκας, ἐν τῇ πολεμίᾳ στρατοπεδεύοιντο, καὶ κίνδυνος εἴη λειπανδρῆσαι τὴν πατρίδα. οἱ δὲ, ἅμα καὶ τὸν ὅρκον φυλάττοντες, καὶ τὸν τῶν γυναικῶν λόγον ἐν νῷ θέμενοι, πέμπουσι τῆς στρατείας τοὺς εὐρωστάτους ἅμα νεωτάτους, οὓς ᾔδεσαν οὐ μετασχόντας τῶν ὅρκων, διὰ τὸ παῖδας ἔτι ὄντας συνεξελθεῖν τοῖς ἐν ἡλικίᾳ· προσέταξαν δὲ συγγίνεσθαι ταῖς παρθένοις ἁπάσαις ἅπαντας, ἡγούμενοι πολυτεκνήσειν μᾶλλον. γενομένων δὲ τούτων, οἱ μὲν παῖδες ὠνομάσθησαν Παρθενίαι. Μεσσήνη δ᾽ ἑάλω πολεμηθεῖσα ἐννεακαίδεκα ἔτη. τὴν μὲν οὖν Μεσσηνίαν κατενείμαντο. ἐπανελθόντες δ᾽ οἴκαδε, τοὺς Παρθενίας οὐχ ὁμοίως τοῖς ἄλλοις ἐτίμων, ὡς οὐκ ἐκ γάμου γεγονότας. οἱ, συνιστάμενοι μετὰ τῶν Εἱλώτων, ἐπεβούλευσαν τοῖς Λακεδαιμονίοις. καὶ συνέθεντο ἆραι σύσσημον ἐν τῇ ἀγορᾷ πῖλον Λακωνικὸν, ἐπειδὰν ἐγχειρῶσι. τῶν δὲ Εἱλώτων τινὲς ἐξαγγείλαντες, τὸ μὲν ἀντεπιτίθεσθαι, χαλεπὸν ἔγνωσαν· καὶ γὰρ πολλοὺς εἶναι καὶ πάντας ὁμόφρονας, ὡς ἂν ἀλλήλων ἀδελφοὺς νομιζομένους· τοὺς μέλλοντας δ᾽ αἴρειν τὸ σύσσημον ἐκ τῆς ἀγορᾶς ἀπιέναι προσέταξαν. οἱ μὲν δὴ μεμηνυμένην αἰσθόμενοι τὴν πρᾶξιν, ἐπέσχον, οἱ δὲ διὰ τῶν πατέρων ἔπεισαν αὐτοὺς εἰς ἀποικίαν ἐξελθεῖν. καὶ ἂν μὲν κατάσχωσιν ἀρκοῦντα τὸν τόπον, μένειν· εἰ δὲ μὴ, τῆς Μεσσηνίας τὸ πέμπτον κατανείμασθαι μέρος ἐπανιόντας. οἱ δὲ σταλέντες κατελάβοντο τοὺς Ἀχαιοὺς, πολεμοῦντας τοῖς βαρβάροις· μετασχόντες δὲ τῶν κινδύνων, κτίζουσι τὴν Τάραντα. Hoc eſt: *Originem Tarenti Antiochus referens, ait, Meſſeniaco bello conflato, eos, qui Lacedæmoniorum caſtra non fuiſſent ſequuti, ſervos latâ ſententiâ fuiſſe judicatos, dictoſque Helotes, id eſt, captivos. horum quibus nati eſſent durante bello liberi, eos Parthenias, id eſt, Virgineos, adpellatos, ignominiâque notatos fuiſſe. Hos, iniquiſſimè rem ferenteis, quum numero valerent, inſidiatos eſſe populo. quod quum populus ſenſiſſet; ſubmisêre hi quosdam, qui fictâ cum illis amicitiâ, inſidias patefacerent. Inter conſpiratores fuit & Phalanthus, princeps reliquorum habitus; & qui omninò à ſenatu delectis inviſus eſſet. Compoſitum fuerat, ut ludis Hyacinthinis, in Amyclæo commiſſis, quando galerum Phalanthus capiti imponeret, impetus fieri deberet, in populareis, quos coma notos faciebat. Sed, quum quidam occultè detexiſſent Phalantheæ factionis inſtitutum; inſtanti certamine præco in medium progreſſus, edixit, ne Phalanthus galerum capiti imponeret. Ita Partheniæ, quum delatam indicio conſpirationem ſentirent, alii diffugerunt, alii ſupplices veniam flagitarunt. quos cives, bono animo eſſe juſſos, cuſtodiæ tradiderunt: Phalanthum autem miſerunt Delphos; ut oraculum de coloniâ deducendâ exquireret. eſtque ei tale datum:*

Satyreum tibi do, & Tarentum, pinguem populum,
Incolere, & exitium Iapygibus fieri.

Eò itaque profecti cum Phalantho Partheniæ, à barbaris atque Cretenſibus, qui loca iſta antè occupaverant, recepti ſunt. urbi Tarento nomen fecerunt à Taranto quodam heroë. At Ephorus ſic de eius origine tradit: Lacedæmonios bellum intuliſſe Meſſeniis; quòd hi illorum regem Teleclum, Meſſenam ſacrificandi causâ profectum, occidiſſent: ac juramento ſe obſtrinxiſſe, aut ſe non antè domum reverſuros, quàm Meſſenam cepiſſent; aut univerſos in oppugnatione morituros. urbem, quum proficiſcerentur ad bellum, civium minimis maximisque natu cuſtodiendam reliquiſſe. Pòſt, anno belli decimo, uxores Lacedæmoniorum, factâ coitione, quosdam ad maritos ſuo de cœtu miſiſſe, quæ eos reprehenderent, quòd non æquis conditionibus bellum Meſſeniis facerent. quidpe hos domi manenteis procreare liberos: ipſos, relictis viduis uxoribus, in hoſtico caſtra habere. unde periculum eſſe, ne patria virorum ad extremum vacua reddatur. Lacedæmonios & jurisjurandi rationem, &

conſilii uxorum habuiſſe. ideoque robuſtiſſimum quemque & ætate inter militeis minimum miſiſſe; qui, quòd pueri cum adultis quondam profecti erant, jurejurandi religione haud tenebantur. iisque mandaſſe, ut cum omnibus omnes virginibus rem haberent: eò copioſiorem rati inde ſubolem exſtituram. atque eos, qui hoc modo nati eſſent, Parthenias, hoc eſt, virginum filios, patribus incertis, appellaſſe. anno autem decimo nono bello captam. Cæterùm, Lacedæmonios, diviſo agro Meſſenio, domum reverſos, Parthenias non eodem, quo alios, dignatos eſſe honore, utpote non ex conjugio natos. Itaque Parthenias, re cum Helotibus communicatâ, inſidias ſtruxiſſe Lacedæmoniis; nempe, ut datâ teſſerâ elevatione pilei Laconici in foro, impetus in illos fieret. at rei indicio ab Helotum quibusdam delato, Lacedæmonios, contrà inſidiari Partheniis, rem duxiſſe difficilem; quòd ii & magno eſſent numero, & ſe mutuò pro fratribus habentes inter ſe conſentirent; edixiſſe tamen, ut ſolum verterent, qui pileum fuerant in foro ſublaturi. ita Parthenias, quum patefactum ſuum inſtitutum intelligerent, ſeſe continuiſſe, & Lacedæmonios eis operâ parentum eorum perſvaſiſſe, uti aliquò in coloniam abirent; eâ conditione, ut ne reverterentur, ſi terræ, quod in ſedem iis ſufficeret, eſſent nacti: ſin minùs, ut quintam partem agri Meſſenii caperent. Sic profectos Parthenias incidiſſe in Argivos, bellum gerenteis contra barbaros. quumque illis ſuppetias tuliſſent, Tarentum condidiſſe. Hac de re & Dionyſius Afer ſcribit. Et eamdem uno atque altero verbo ſic innuit Ariſtoteles, πολιτικῶν lib. v, cap. vii: οἷον ἐν Λακεδαίμονι οἱ λεγόμενοι Παρθενίαι. οὓς φωράσαντες ἐπιβουλεύσαντας, ἀπέστειλαν Τάραντος οἰκιστάς. Id eſt: *Quales fuêre Lacedæmone ii, qui Partheniæ dicebantur. quos, quum manifeſtò comperiſſent reipublicæ inſidiari, Tarentum miſerant in coloniam.* Atque hic quidem Parthenias οἰκιστὰς tantùm, non κτίστας appellat Tarenti. Idem & Servius ſuprà tradidit; breve, id eſt, exiguum opidum, quod Taras Neptuni filius fabricaverat, eos auxiſſe adfirmans. At Pauſanias, non parvum opidum, ſed μεγίστην καὶ εὐδαιμονεστάτην τῶν ἐπὶ θαλάσσῃ πόλεων, id eſt, *maximam atque opulentiſſimam jam tum maritimarum urbium*, Tarentum, eos occupaſſe, teſtatur. Verba eius in Phocicis ſunt iſta, quæ ſuprà hoc capite de recenſione donariorum templi Delphici citatis continuò attexit: Τάραντα δὲ ἀπῴκισαν μὲν Λακεδαιμόνιοι, οἰκιστὴς δὲ ἐγένετο Σπαρτιάτης Φάλανθος. στελλομένῳ δὲ ἐς ἀποικίαν τῷ Φαλάνθῳ, λόγιον ἦλθεν ἐκ Δελφῶν· ὑετοῦ αἰσθόμενον ὑπὸ αἴθρᾳ, τηνικαῦτα καὶ χώραν κτήσασθαι καὶ πόλιν. Τὸ μὲν δὲ παραυτίκα, οὔτε ἰδίᾳ τὸ μάντευμα ἐπισκεψάμενος, οὔτε πρὸς τῶν ἐξηγητῶν τινα ἀνακοινώσας, κατέσχε ταῖς ναυσὶν ἐς Ἰταλίαν. ὡς δέ οἱ νικῶντι τοὺς βαρβάρους οὐκ ἐγίνετο οὔτε τινὰ ἑλεῖν τῶν πόλεων, οὔτε ἐπικρατῆσαι χώρας, ἐς ἀνάμνησιν ἀφικνεῖτο χρησμοῦ, καὶ ἀδύνατα ἐνόμιζεν οἱ τὸν θεὸν χρῆσαι· μὴ γὰρ ἄν ποτε ἐν καθαρῷ καὶ αἰθρίῳ τῷ ἀέρι ὑσθῆναι. καὶ αὐτὸν ἡ γυνὴ ἀθύμως ἔχοντα (ἠκολουθήκει γὰρ οἴκοθεν) τά τε ἄλλα ἐφιλοφρονεῖτο, καὶ ἐς τὰ γόνατα ἐσθεμένη τὰ αὐτῆς τοῦ ἀνδρὸς τὴν κεφαλήν, ἐξέλεγε τοὺς φθεῖρας· καί πως ὑπὸ εὐνοίας δακρῦσαι παρίσταται τῇ γυναικὶ, ὁρώσῃ τοῦ ἀνδρὸς ἐς οὐδὲν προχωροῦντα τὰ πράγματα. προέχει δὲ ἀφειδέστερον τῶν δακρύων, καὶ (ἔβρεχε γὰρ τοῦ Φαλάνθου τὴν κεφαλήν) συνίησί τε τῆς μαντείας (ὄνομα γὰρ δὴ ἦν Αἴθρα τῇ γυναικὶ) καὶ οὕτω τῇ ἐπιούσῃ νυκτὶ Τάραντα τῶν βαρβάρων εἷλε μεγίστην καὶ εὐδαιμονεστάτην τῶν ἐπὶ θαλάσσῃ πόλεων. Hoc eſt: *Tarentum quidpe coloniam deduxêre Lacedæmonii, duce Phalantho Spartano. Huic, coloniam deducturo, Delphis oraculum redditum eſt; quum ſub æthrâ pluviam animadvertiſſet, tunc ſe agri & urbis compotem fore. Sed, quum neque per ſe, quid illud reſponſum innueret, ſatis conſideraſſet; neque omninò quemquam interpretum conſuluiſſet, claſſe in Italiam applicuit. Ibi quum barbaros viciſſet; neque tamen vel urbe ullâ vel agro potiri poſſet; oraculi ei in mentem venit: ac planè ſibi, quod fieri nullo pacto poſſet, dei voce ſignificatum, ſuſpicari cœpit: quòd ſcilicet numquam eventurum eſſet, ut puro ſerenoque cælo (*αἴθραν *Græci vocant) plueret. Hunc uxor, animum deſpondentem (conſequuta quidpe domo fuerat) amanter multis modis ſolabatur. & eius aliquando caput genibus ſuſtentans, dum pediculos legit, lacrymæ præ mariti amore, ob adverſos eius caſus & irritam ſpem, mulieri obortæ. atque effuſiùs flens, viri caput perfundit. Tunc primùm evolutæ ſunt oraculi ambages. nam Aethra nomen uxori erat. Eâ itaque nocte, quæ conſequuta eſt, Tarentum, hoſtium urbem maritimam, maximam & opulentiſſimam, cepit.* Sed & Trogus Pompeius auctor fuit, Parthenias, occupatâ arce Tarentinorum, expugnatis veteribus incolis, ſedeis ibi conſtituiſſe. quidpe Iuſtini Trogi epitomatoris verba hæc ſunt lib. iii: *His igitur moribus ita brevi civitas Spartanorum convaluit, ut, quum Meſſeniis, propter ſtupratas virgines ſuas in ſolemni Meſſeniorum ſacrificio, bellum intuliſſent, graviſſimâ ſe exſecratione obſtrinxerint, non priùs quàm Meſſeniam expugnaſſent,*

gnaſſent, reverſuros: tantum ſibi vel de viribus ſuis vel de fortunâ ſpondentes. Itaque quum contra præſumtionem ſuam annis decem in obſidione urbis tenerentur; & querelis uxorum poſt tam longam viduitatem revocarentur: veriti, ne hac perſeverantiâ belli graviùs ſibi, quàm Meſſeniis nocerent: quidpe illis, quantum juventutis bello intercidat, mulierum fœcunditate ſuppleri; ſibi & belli damna aſſidua, & fœcunditatem uxorum, abſentibus maritis nullam eſſe. Itaque legunt juvenes ex eo genere militum, qui poſt jusjurandum in ſupplementum venerant: quibus, Spartam remiſſis, promiſcuos omnium feminarum concubitus permisêre; maturiorem futuram conceptionem rati, ſi eam ſingulæ per plureis viros experirentur. Ex his nati, ob notam materni pudoris, Partheniæ vocati. Qui quum ad annos XXX *perveniſſent, metu inopiæ (nulli enim pater exſiſtebat, cuius in patrimonium ſucceſſio ſperaretur) ducem Palanthum adſumunt, filium Araci; qui auctor Spartanis fuerat juventutis ad generandam ſubolem domum remittendæ: ut, ſicuti dudum patrem eius naſcendi auctorem habuiſſent; ſic ipſum ſpei ac dignitatis ſuæ haberent. Itaque nec ſalutatis matribus, è quarum adulterio infamiam collegiſſe videbantur, ad ſedeis inquirendas proficiſcuntur. diuque & per varios caſus jactati, tandem in Italiam deferuntur. & occupatâ arce Tarentinorum, expugnatis veteribus incolis, ſedeis ibi conſtituunt. Sed poſt annos plurimos dux eorum Palanthus, per ſeditionem in exſilium proturbatus, Brunduſium ſe contulit: quò, expulſi ſedibus ſuis, veteres Tarentini conceſſerant. Is moriens perſvadet, ut oſſa ſua poſtremasque reliquias conterant, & tacitè ſpargi in foro Tarentinorum curent. hoc enim modo recuperare illos patriam ſuam poſſe, Apollinem Delphis ceciniſſe. Illi arbitrantes, eum in ultionem ſui, civium fata prodidiſſe, præceptis paruêre. Sed oraculi diverſa ſententia fuerat. perpetuitatem enim urbis, non amiſſionem, hoc facto promiſerat. Ita ducis exſulis conſilio, & hoſtium miniſterio, poſſeſſio Tarentina Partheniis in æternum fundata. Ob eius beneficii memoriam Palantho divinos honores decrevêre.* At lib. XX, quid vox Græca Παρθενίας ſignificet, interpretatur in his verbis: *Quid Tarentini? quos Lacedæmone profectos, ſpuriosque vocatos, accepimus.* Hinc etiam illud Ovidii, Μεταμορφώσεων lib. XV:

—— Ventisque faventibus æquor
Navigat Ionium, Lacedæmoniumque Tarentum.

Et iſtud Horatii:

Tendens Venafranos in agros,
Aut Lacedæmonium Tarentum.

Et Carm. lib. II, odâ VI:

Dulce pellîtis ovibus Galeſi
Flumen, & regnata petam Laconi
Rura Phalantho.

Ad hæc ita vetus commentator: *Phalanthus Lacedæmonius, fuit ejectus patriâ, hac de causâ; quòd abſentibus Lacedæmoniis, eorum filiæ ex ſervis gravidæ pepererant: quos filios tali culpâ genitos, reverſi à bello Lacedæmones, patriâ ejecerunt. quorum dux Phalanthus fuit; qui Tarentinam condidit civitatem; ut fertur; octavus ab Hercule.* Item hoc Silii, lib. XI:

Inde Phalanthéo levitas animoſa Tarento
Auſonium laxare jugum.

Et iterum iſtud Martialis, lib. VIII, ep. XXVIII:

Dic, toga, facundi gratum mihi munus amici,
Eſſe velis cuius fama decusque gregis?
Apula Ledæi tibi floruit herba Phalanthi,
Quâ ſaturat Calabris culta Galeſus aquis.

Idem Martialis lib. II, ep. XLIII ſic:

Te Lacedæmonio velat togata Galeſo,
Vel quam ſepoſito de grege Parma dedit.

Et lib. V, epigr. XXXVIII:

Puella ſenibus dulcior mihi cygnis,
Agnâ Galeſi mollior Phalanthini.

Et quia ab Laconum rege Oebalo, ipſa Laconia dicta fuit Oebalia; ipſum quoque

Tarentum

Tarentum inde Virgilius adpellavit Oebaliam, Γεωργικῶν lib. IIII, his verſibus:

Namque ſub Oebaliæ memini me turribus altis,
Quà niger humectat faventia culta Galeſus,
Corycium vidiſſe ſenem.

Ad quæ ita Servius: *Oebalia ipſa eſt Laconia. Oebaliæ autem turreis ait, quas condiderant hi qui de Oebaliâ venerant.* Probus: *Oebalia, arx, ab Oebalo dicitur in Lacedæmone.* Philargyrius: *Oebaliam arcem Tarentinam dicit à Lacedæmonio Oebalo, quia Lacedæmonii, duce Phalanto, Tarentum condiderunt.* Hinc illud Claudiani:

Formoſum Oebalii locum poſuêre Tarenti.

Et Silius, lib. XII; de Tarento diſertè loquens:

Dum procul Oebalios avet expugnare nepoteis.

Et quia etiam *Pheramnæ* adpellabatur ipſa Sparta, teſte Stephano, vel pars eius; ideo Statius, Silvar. lib. II, carm. II; quo Pollii celebrat vallem Surrentinam, ſic ait:

——— *Nec ſæpius iſtis*
Blanda Theramnæi placeant vineta Galeſi.

In id itaque plerique auctores conſentiunt, à Lacedæmoniorum Partheniis, Phalantho duce, non conditam; ſed, veteribus cultoribus Meſſapiis ejectis, occupatam fuiſſe urbem Tarentum; eamque jam tum μεγίστην, ut inquit Pauſanias, καὶ εὐδαιμονεστάτην τῶν ἐπὶ θαλάσσῃ πόλεων, id eſt, *maritimarum maximam opulentiſſimamque.* Actum id ante bellum Peloponneſiacum: cuius initium fuit Olympiadis LXXXVII anno II; ut auctor eſt Thucydides; id eſt, ab orbe condito III CIↃIↃ XIX; ante natum Chriſtum CCCCXXXI; ab Româ conditâ CCCXXII. Iam verò ad eam dignitatem & opulentiam, quam jam tum obtinuit, ut Tarentum perveniret, haud paucis opus habuit annis. Quod Servius tradit, *quoſdam dicere, poſt multos demum excidii Ilienſis annos fuiſſe conditum*; id haud dubiè non de ipſius urbis, ſed de Lacedæmoniorum coloniæ origine, à primis auctoribus intellectum fuit. ac ſanè ſi bello Troiano non ſuperior; ſaltem haud multo inferior credenda eſt. Atque ſummam hanc eius antiquitatem innuit haud obſcurè Lucanus lib. V:

Et cunctas revocare rateis; quas avius Hydrûs,
Antiquusque Taras, ſecretaque litora Leucæ,
Quas recipit Salapina palus.

Sed eadem inde cum maximè adparet, quòd primum eius conditorem antiquiſſimi auctores finxerint τὸν Τάραντα, Neptuni filium. Verùm heroas propriè antiquiſſimis poſt terrarum inundationem mortalibus dictos fuiſſe Noachi nepoteis pronepoteiſque, qui, Dei juſſu, impulſu, poſt dictam inundationem, primi colonias in univerſum terrarum deduxerunt orbem; Germaniæ noſtræ lib. I diximus. Hinc igitur unaquæque gens atque civitas, quum cæteros antiquitate atque origine præcellere vellet, heroum aliquem, huius vel illius dei filium, primum ſui auctorem conditoremque finxit. Ad eumdem igitur modum Tarentini quoque Taranta, heroem, Neptuni filium, originem ſuæ urbis finxerunt: eoque nomine ipſum Neptunum coluerunt; ut patet ex Horatii verbis, carm. lib. I, odâ XXVIII; ubi Archytas Tarentinus introducitur ita loquens:

——— *Multaque merces,*
Vnde poteſt, tibi defluat æquo
Ab Iove, Neptunoque, ſacri cuſtode Tarenti.

Ad hæc vetus poëtæ commentator: *Vel quia Neptunus apud Tarentum devotiùs colebatur; vel quia in tutelâ Neptuni fuiſſe dicitur; vel quia Neptuni filius, Phalanthus, apud Tarentum Herculi & Neptunó templa conſtituit; ut fortiter per favorem Herculis faceret, per Neptunum feliciter ageret.* Sed de illo Neptuni filio etiam Pauſanias in Phocicis, verbis ſuprà citatis hac ſubnectit: Τάραντα τὸν ἥρω Ποσειδῶνός φασι καὶ ἐπιχωρίας νύμφης παῖδα εἶναι. ἀπὸ δὲ τοῦ ἥρω τεθῆναι τὰ ὀνόματα τῇ πόλει τε καὶ τῷ ποταμῷ· καλεῖται καὶ γὰρ δὴ Τάρας κατὰ τὰ αὐτὰ τῇ πόλει καὶ ὁ ποταμός. Hoc eſt: *Taranta quidam heroem Neptuni & indigenæ nymphæ filium fuiſſe tradunt. ab eo nomen impoſitum & urbi & flumini. eodem quidpe fluvius, quo urbs, nomine vocatur Taras.* De flumine etiam Stephanus: Τάρας, πόλις Ἰταλίας, καὶ ποταμὸς ὁμώνυμος. Id eſt: *Taras, urbs Italiæ, & flumen eodem nomine.* Haud rarum etiam ipſi Italiæ eſſe, uti opida fluminibus impoſita,

poſita, vel adpoſita, adpellationes ab ipſis fluminibus traxerint, jam dudum in præſenti opere patuit. ſic ſcilicet à ſupero amni, *Ticinum*, *Ariminum*, *Piſaurum*, *Aeſis*, *Truentum*: ab infero, *Vulturnum*, *Pyxûs*, *Laum*, *Acheron*, *Metaurum*; & ab Auſonio, *Sybaris* & *Siris*, ſimul urbium fluminumque fuêre nomina. Nec de his urbibus quiſquam dubitat auctor, quin eæ nomina ab fluminum, quibus adpoſitæ, vocabulis traxerint. Nihil igitur certius, quàm quòd ὁ Τάρας, TARAS, quoque nomen fuerit flumini, antequam urbs cognominis, non in ripâ eius, (nam is amnis extra peninſulam eſt,) ſed ex adverſo oris eius, ac pene ipſo in ore, conderetur. Tarantis fluminis fit mentio quoque apud Appianum, civil. bellor. lib. v. Atque Græcis quidem perpetuò nomen urbis, dictum eſt, ut ipſius amnis, ὁ Τάρας, τοῦ Τάραντος. unde vulgare etiam nunc incolis manet vocabulum *Táranto*. Latinis verò id poſteà formatum TARENTVS, maſculino genere; quia Græcis erat eo genere, ὁ Τάρας. de quo ita Stephanus loco præſcripto: Ἀῤῥενικῶς δὲ κατ᾽ ἀναλογίαν, οὐδὲν γὰρ εἰς ρας θηλυκὸν εὑρίσκεται. τοῦτο δὲ εὕρηται καὶ θηλυκῶς. Id eſt: *Proferendum autem maſculino eſt genere, ſecundùm analogiam. nullum quidpe vocabulum in* ρας *feminini generis reperitur. hoc verò etiam feminino genere invenitur.* Haud dubiè Dionyſium Afrum innuit. nam iſta ab commentatore Dionyſii Euſtathio mutuatus eſt Stephanus. Apud Dionyſium ita

——— Τάρας δ᾽ ἁλὸς ἐγγύθι κεῖται,
Ἥν ποτ᾽ Ἀμυκλαίων ἐπολίσσατο καρτερὸς Ἄρης.

Id eſt:

——— *Taras verò prope mare jacet.*
Quam olim Amyclaorum condidit fortis Mars.

Ad hæc ita Euſtathius: Ἡ Τάρας, ἡ καὶ Ταρεντὸς, ἐγγὺς κεῖται ἁλός. ἐλέγετο δὲ καὶ ἀρσενικῶς, ὁ Τάρας, ἐξ ἀναλογίας· οὐδὲν γάρ ἐστιν εἰς ρας βαρύτονον θηλυκόν. Id eſt: *Taras, quæ & Tarentus, prope mare ſita eſt. dicebatur autem etiam maſculino genere Taras, juxta analogiam. nullum quidpe eſt vocabulum in* ρας *barytonon feminino genere.* Dionyſius ipſum vocabulum reſpexerit Τάρας in articulo τὴν; an verò rem ipſam, id eſt, urbem; facilis fortè fuerit conjectio: quando omnibus reliquis auctoribus eſt ὁ Τάρας; atque ita Lucano loco ſuprà ſcripto, Latinè, *Antiquusque Taras*. Sic ſcilicet & Sidonio Apollinari, carm. v, feminino genere dicitur *Tarentus*, hoc verſu:

Ipſaque, quæ petiit, trepidaverat uncta Tarentus.

Cæterò, vocabulum *Tarentus* etiam aliis compluribus uſurpatur auctoribus. Florus & Silius inferiùs proximè citabuntur. Mela, lib. II, cap. IIII: *Tarentus, Metapontum, Heraclea.* At Ciceroni, Ovidio, Horatio, Livio, eſt neutro genere, *Tarentum*. Atque hactenus de origine nomineque huius urbis ſatis dictum eſt. De SITV eius atque PORTV ita tradit Florus, lib. I, cap. XVIII; quo bellum Tarentinum deſcribit: *Tarentus, Lacedæmoniorum opus; Calabriæ quondam & Apuliæ totiusque Lucaniæ caput: tum magnitudine & muris portuque nobilis, tum mirabilis ſitu; quippe in ipſis Adriatici maris faucibus poſita, in omneis terras, Hiſtriam, Illyricum, Epirum, Achaiam, Africam, Siciliam, vela dimittit. Imminet portui, ad proſpectum maris poſitum, maius theatrum.* Euſtathius ad ſuprà ſcriptum Dionyſii locum: Κεῖται δὲ ὁ Τάρας ἐπὶ χεῤῥονήσῳ, ὡς καὶ τὰ πλοῖα ὑπερνεολκεῖσθαι ῥαδίως ἑκατέρωθεν, ταπεινοῦ ὄντος τοῦ αὐχένος τῆς χεῤῥονήσου. Id eſt: *Situm eſt Tarentum in peninſula; ita uti naves facilè utrimque transferantur, quum humilis ſit peninſulæ cervix.* Procopius Gothic. rer. lib. III; de eâdem urbe loquens: Ἔστι δὲ Καλαβρῶν ἐπιθαλασσία πόλις ὁ Τάρας· ἐνταῦθα Ἰωάννης ξὺν ὀλίγοις τισὶ Ταραντίνων αὐτὸν ἐπαγομένων ἀφίκετο, ὧν τοὺς λοιποὺς ἐπὶ τῇ τοῦ δρουγγίου φυλακῇ καταστησάμενος. καὶ ἐπεὶ τὴν πόλιν εἶδε μεγίστην τε ὑπερφυῶς, καὶ παντάπασιν ἀτείχιστον οὖσαν, πᾶσαν μὲν φυλάξαι οἷός τε ἔσεσθαι οὐδεμιᾷ μηχανῇ ᾤετο. Ἰδὼν δὲ τὴν θάλασσαν τῆς πόλεως ἐς τὰ πρὸς βοῤῥᾶν ἄνεμον ἀμφί τινα χῶρον στενὸν μάλιστα ἑκατέρωθεν ἐς κόλπον ἰοῦσαν, οὗ δὴ Ταραντίνων ὁ λιμήν ἐστιν, ἰσθμόν τε, ὡς τὸ εἰκὸς, τὸν ἐν μέσῳ χῶρον οὐχ ἧσσον ἢ σταδίων εἴκοσιν ὄντα, ἐπενόει τάδε. ἀποτεμὼν ἀπὸ τῆς ἄλλης πόλεως τὴν τοῦ ἰσθμοῦ μοῖραν, τειχίσματί τε αὐτὴν περιέβαλεν, ἐκ θατέρου θαλάσσης μέρους, ἄχρι ἐς ἕτερον, καὶ τάφρον βαθεῖαν ἀμφὶ τὸ τείχισμα ὤρυξεν. Id eſt: *Eſt Calabrorum maritima Tarentum urbs. huc Ioannes cum Tarentinis nonnullis ſe introducentibus venit. &, ubi urbem magnitudine præſtare, non tamen muris munitam proſpexit; impoſſibile fore omnino rebatur, ſe illam poſſe omni ex parte tueri. mare autem contemplatus urbi contiguum, & boream verſus circa locum quemdam anguſtiorem utrimque in ſinum longè porrectum, ubi & Tarentinorum eſt portus; iſthmumque non*

minùs

minùs ſtadiis XX *protenſum; id eo in loco ut machinaretur excogitavit. præciſam quamdam ab opido iſthmi partem ab uno maris tunc latere ad alterum usque ædificio cinxit; ac circa id foſſam perduxit.* Strabo, lib. VI: Τοῦ κόλπου παντὸς τοῦ Ταραντίνου τὸ πλέον ἀλιμένου ὄντος, ἐνταῦθα ἐστὶ μέγιστος καὶ κάλλιστος, γεφύρᾳ κλειόμενος μεγίστῃ. σταδίων δ᾽ ἐστὶν ρ τὴν περίμετρον. ἐκ δὲ τοῦ πρὸς μυχὸν μέρους ἰσθμὸν ποιεῖ πρὸς τὴν ἔξω θάλασσαν, ὥστ᾽ ἐπὶ χερρονήσῳ κεῖσθαι τὴν πόλιν, καὶ τὰ πλοῖα ὑπερνεωλκεῖσθαι ῥᾳδίως ἑκατέρωθεν, ταπεινοῦ ὄντος τοῦ αὐχένος. Hoc eſt: *Sinus Tarentinus quum maiore ſui parte importuoſus ſit, apud ipſam urbem pulcherrimus maximusque eſt portus, ponte junctus ingenti; ambitum continens ſtadiorum* C. *ab intimo receſſu iſthmus ad extremum mare porrigitur; ut & urbs in peninſulâ jaceat, & utrimque navigia facilè pertrahantur; quum humilis ſit peninſulæ cervix.* De eodem portu ita Silius, lib. XII:

Verterat & mentem Tyria ad conata Tarentus,
Portisque intrarant Pœni. ſed enim arce coruſcâ,
Fiſa loco, manus Auſoniæ ſtipata ſedebat.
Hic (miranda) movens claſſem, quæ condita portu
Adſtabat; (namque anguſtis è faucibus æquor
Erumpit ſcopulos inter, patuloque receſſu
Effundit campis ſecretum gurgite pontum.)
Incluſos igitur quibus haud enare dabatur,
Arce ſuperpoſitâ, clauſtris maris extulit æſtus,
Perque averſa tulit portatus in arva carinas.
Lubrica roboreis aderant ſubſtramina plauſtris,
Atque recens cæſi tergo prolapſa juvenci
Aequoream rota ducebat per gramina puppim.
Et jam per colleis dumosque ad litus adacta,
Innabat pelago, veniens ſine remige claſſis.
Nuntius intereà, vectis non more carinis
Terentem freta, curarum fervoribus implet,
Dum procul Oebalios avet expugnare nepoteis,
Et primus roſtris ſulcet navalibus arva,
Obſeſſos Capuæ muros.

Ergo primo, ac forte ultimo, hæc navium per dictam cervicem transvectatio facta Annibali. Porrò, de urbis ſitu ita pergit Strabo: ταπεινὸν δὲ καὶ τὸ τῆς πόλεως ἔδαφος, μικρὸν δ᾽ ὅμως ἐπῆρται κατὰ τὴν ἀκρόπολιν. τὸ μὲν οὖν παλαιὸν τεῖχος κύκλον ἔχει μέγαν· νυνὶ δ᾽ ἐκλέλειπται τὸ πλέον πρὸς τῷ ἰσθμῷ· τὸ δὲ πρὸς τῷ στόματι τοῦ λιμένος, καθ᾽ ὃ καὶ ἡ ἀκρόπολις συμμένει, μέγεθος ἀξιολόγου πόλεως ἐκπληροῦν. ἔχει δὲ γυμνάσιόν τε κάλλιστον καὶ ἀγορὰν εὐμεγέθη, ἐν ᾗ καὶ ὁ τοῦ Διὸς ἵδρυται κολοσσὸς χαλκοῦς, μέγιστος μετὰ τὸν Ῥοδίων. μεταξὺ δὲ τῆς ἀγορᾶς καὶ τοῦ στόματος ἡ ἀκρόπολις, μικρὰ λείψανα ἔχουσα τοῦ παλαιοῦ κόσμου τῶν ἀναθημάτων. τὰ γὰρ πολλὰ τὰ μὲν κατέφθειραν Καρχηδόνιοι, λαβόντες τὴν πόλιν. τὰ δ᾽ ἐλαφυραγώγησαν Ῥωμαῖοι, κρατήσαντες βιαίως. ὧν ἐστι καὶ ὁ Ἡρακλῆς ἐν τῷ Καπιτωλίῳ χαλκοῦς, ὁ κολοσσικὸς, Λυσίππου ἔργον, ἀνάθημα Μαξίμου Φαβίου, τοῦ ἑλόντος τὴν πόλιν. Id eſt: *Sed & ipſius urbis ſolum humile eſt; niſi quà apud arcem attollitur. Vetus murus circulum continet magnum. nunc autem maior urbis pars, ad iſthmum ſita, deſerta eſt. quæ autem ad portûs fauceis & arcem eſt condita, ea etiamnum exſtat; ubi etiam arx, magnitudinem inſignis urbis implens. Cæterò, habet gymnaſium elegantiſſimum; & forum juſtæ amplitudinis; in quo Iovis eſt ſitus colloſus, poſt Rhodium omnium maximus. Inter forum & fauceis portûs, arx eſt, parva retinens veſtigia veteris donariorum ornatus. nam pleraque aut Carthaginenſes, urbe potiti, perdiderunt; aut Romani rapuerunt, vi urbe captâ. de quibus eſt Herculis coloſſus æreus in Capitolio; Lyſippi opus, à Fabio Maximo, qui Tarentum recepit, dedicatus.* Maximi illius ſimulque Rhodii coloſſi magnitudinem docet Plinius, lib. XXXIV, cap. VII. *Audaciæ*, inquit, *innumera ſunt exempla. moleis quidpe excogitatas videmus ſtatuarum, quos coloſſos vocant, turribus pareis. Talis eſt in Capitolio Apollo; translatus à M. Lucullo ex Apolloniâ, Ponti urbe,* XXX *cubitorum;* IↃ *talentis factus. talis in campo Martio Iupiter, à Claudio Cæſare dicatus: qui vocatur Pompeianus, à vicinitate theatri. talis & Theatri, factus à Lyſippo,* XL *cubitorum. Mirum in eo, quòd manu, ut ferunt, mobilis, (ea ratio libramenti eſt,) nullis convellatur procellis. Id quidem providiſſe & artifex dicitur, modico intervallo, unde maximè flatum opus erat frangi, oppoſitâ columnâ. Itaque propter magnitudinem difficultatemque*

temque moliendi, non attigit eum Fabius Verrucoſus, quum Herculem, qui eſt in Capitolio, inde transferret. Ante omneis autem in admiratione fuit Solis coloſſus Rhodi, quem fecerat Chares Lyndius, Lyſippi ſuprà dicti diſcipulus. ſeptuaginta cubitorum altitudinis fuit. Cave legas heic cum commentatore Plinii, *Talis & Hercules Tarenti.* quod ille ex Strabone addit, neſcio quâ mentis caligine implicitus: quum ſatis perſpicuis Plinius Iovis coloſſum indicet verbis; quem ait Q. Fabium non attigiſſe, quum illum Herculis in Capitolium transferret. Et quid poteſt hoc dici clariùs? *Talis in campo Martio Iupiter.* & mox: *Talis & Tarenti, factus à Lyſippo.* Sed hactenus de ſitu ac ſplendore urbis. De POTENTIA AC LVXV *incolarum* ita ſcribit eodem libro poſteà Strabo: Ἴσχυσαν δέ ποτε οἱ Ταραντῖνοι καθ' ὑπερβολὴν πολιτευόμενοι δημοκρατικῶς· καὶ γὰρ ναυτικὸν ἐκέκτηντο μέγιστον τῶν ταύτῃ, καὶ πεζοὺς ἔστελλον τρισμυρίους, ἱππέας δὲ τρισχιλίους, ἱππάρχους δὲ χιλίους. ἀπεδέξαντο καὶ τὴν Πυθαγόρειον φιλοσοφίαν· διαφερόντως δ' Ἀρχύτας. ὃς καὶ προέστη τῆς πόλεως πολὺν χρόνον. ἐξίσχυσε δ' ὕστερον τρυφὴ, διὰ τὴν εὐδαιμονίαν, ὥστε τὰς πανδήμους ἑορτὰς πλείους ἄγεσθαι κατ' ἔτος παρ' αὐτοῖς, ἢ τὰς ἄλλας ἡμέρας. ἐκ δὲ τούτων καὶ χεῖρον ἐπολιτεύοντο. Περὶ δὲ τὰ Ἀννίβα τὴν ἐλευθερίαν ἀφῃρέθησαν. ὕστερον δὲ ἀποικίαν Ῥωμαίων δεξάμενοι, καθ' ἡσυχίαν ζῶσι, καὶ βέλτιον ἢ πρότερον. Hoc eſt: *Tarentini, popularem reipublicæ adminiſtrationem tenentes, ingentem adepti ſunt potentiam. nam & claſſem habuerunt, quantum hisce in oris nemo; & exercitum, peditum* XXX *millium; &* III *millium equitum; turmarumque equeſtrium decies mille. Philoſophiam quoque amplexi ſunt Pythagoricam; maximè omnium Archytas: qui etiam urbi per longum tempus præfuit. Sed poſtmodùm luxus apud eos invaluit, ob rés ſecundas; ita, ut plureis publicas feſtivitates per annum celebrarent Tarentini, quàm reliqui eſſent dies. quam ob rem etiam ſtatus reipublicæ eſt factus deterior. Cæterùm, bello Annibalico libertate ſunt ſpoliati. Deinde coloniâ Romanorum in urbem receptâ, quietè nunc ac meliùs, quàm olim, vivunt.* In eamdem mentem, in eademque penè verba Euſtathius, loco ſuprà memorato: Ἐπεχωρίασε δέ ποτε αὐτόθι ἡ ἐνόπλιος ἱππηλασία· ὅθεν Ταραντινίζειν ἐλέγετο τὸ τὴν ἐνόπλιον καὶ εἰς μάχας χρήσιμον ἱππασίαν ποιεῖσθαι. Ἴσχυσαν δέ ποτε καθ' ὑπερβολὴν οἱ Ταραντῖνοι. ἐπέτρεψε δὲ αὐτοὺς ἡ τρυφὴ, παρ' οἷς πανδήμους ἑορτὰς κατ' ἔτος πλείους, ἢ τὰς ἄλλας ἡμέρας, συνέβαινεν ἄγεσθαι, ὡς ἡ ἱστορία φησὶ, σοφιζαμένοις διὰ τρυφὴν καὶ ἀργίαν, τὰς συνεχεῖς ἑορτὰς, ὡς καὶ παροιμία φησίν· Ἀργοῖς αἰὲν ἑορτή. Τάχα δὲ τὸ λεπτὸν γυναικεῖον περίβλημα τὸ Ταραντινίδιον παρ' αὐτοῖς διὰ τρυφὴν πρώτοις εὕρηται. Hoc eſt: *Frequens heic fuit armata equorum agitatio. unde &* Ταραντινίζειν *dicebatur pro eo, quod eſt, Equitatum armatum & ad pugnas utilem adornare. Cæterùm, mirum in modum olim potentes fuére Tarentini. ſed luxuries eos perdidit; quòd plures apud eos feſti dies per annum, quàm alii, peragebantur; inſtitutis propter otium ac luxum continuis feriis. Vnde & vulgari proverbio fertur: Pigris ſemper eſſe feſtum. Sed & tenue veſtimentum muliebre, quod Tarantinidium vocant, apud eos per mollitiem atque luxum primò eſt inventum.* Hinc igitur illud Horatii:

Pectinibus patulis jactat ſe molle Tarentum.

Et ad Mæcenatem:

——— *Mihi jam non regia Roma,*
Sed vacuum Tibur placet, aut imbelle Tarentum.

Et iſtud Iuvenalis, Satyrâ VI:

Atque coronatum & petulans madidumque Tarentum.

Item illud Sidonii; carm. V, jam antea citatum:

Ipſaque, quæ petiit, trepidaverat uncta Tarentus.

Quò illud etiam pertinet Ciceronis, Familiar. lib. VII, epiſt. XII, ad Trebatium, Iul. Cæſaris in Galliâ legatum: *Mirabar, quid eſſet, quòd tu mihi literas mittere intermiſiſſes. indicavit mihi Panſa meus, Epicureum te eſſe factum. O caſtra præclara? Quid tu feciſſes, ſi te Tarentum, & non Samarobrivam, miſiſſem?* Paullo pòſt: *Quod jus ſtatues communi dividundo, quum commune nihil poſſit eſſe apud eos, qui omnia voluptate ſuâ metiuntur.* Eſt autem *Samarobriva* Ambianorum urbs in Galliâ Belgicâ, vulgò nunc ipſius gentis nomine *Amiens* dicta. De cætero, COLONIAM Romanorum fuiſſe tandem deductam TARENTVM, auctorem paullo antè audivimus Strabonem. Idem teſtatur & Plinius, lib. III, cap. XI: *Connectitur*, inquit, *ſecunda regio; amplexa Hirpinos, Calabriam, Apuliam, Salentinos,* CCL *millium ſinu, qui Tarentinus appellatur, ab oppido Laconum, in receſſu hoc intimo ſito; contributâ eò maritimâ coloniâ, quæ ibi fuerat.* QVANDO autem hæc TARENTINORVM COLONIA deducta ſit, oſtendit Paterculus, lib. I: *Caſſio*, inquit, *Longino & Sextio Calvino, qui Sallues*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

apud aquas, quæ ab eo Sextiæ appellantur, devicit, conſulibus, Fabrateria deducta eſt: & poſt annum Scylacium, Minervium, Tarentum, Neptunia; Carthagoque in Africâ, prima, ut prædiximus, extra Italiam colonia condita eſt. Conſulatum geſsêre C. Caſſius Longinus & C. Sextius Domitius Calvinus, anno urbis IↃCXXIX; ante natum Ieſum CXIV. Etiam poſterioribus temporibus perpetuò floruiſſe, patet ex Itinerariis; in quibus itinera huc, ut ad celebrem locum, terminantur. Tabula etiam primariæ urbis ſignum nomini eius adpictum habet. Tanta igitur vetuſtas, tantaque ſemper celebritas huius urbis fuit; cuius luxum inter treis potiſſimum Italiæ urbeis, quarum reliquæ duæ Capua & Sybaris, meritò connumeres. Tarenti coloniæ meminit quoque Tacitus, Annal. lib. XIV. Porrò, apud Virgilium, Γεωργικῶν lib. II, hi leguntur verſus:

Sin armata magis ſtudium vitulosque tueri,
Aut fœtus ovium, aut urenteis culta capellas;
Saltus & Saturi petito longinqua Tarenti.

Ad hæc ita Servius: SATVRI TARENTI. *Aut fœcundi, aut quod eſt juxta opidum Saturum. Tarentum enim & Saturum vicinæ ſunt Calabriæ civitates. Horatius: Me Satureiano vectari rura Caballo.* Satis ineptum heic etiam ſe prodidit atque imperitum geographum grammaticus Servius. Quid, malùm, Virgilius celeberrimam urbem ab obſcuro opido *Saturo*, aut quâ analogiâ, cognominaſſet *Saturum Tarentum?* Meliùs igitur Philargyrus. cuius ad eundem locum verba hæc ſunt: *Alii dicunt, agrum, in quo condita eſt Tarentus, Saturnum vocari.* [Scribe *Saturium*.] Stephanus: Σατύριον, χώρα πλησίον Τάραντος. τὸ ἐθνικὸν Σατυρῖνος, καὶ Σατύριος. Id eſt: *Satyrium, regio prope Tarentum. gentile, Satyrinus, & Satyrius.* Nempe hoc eſt, quod oraculum Partheniis Lacedæmoniorum canebat:

Σατύρεον τοι δῶκα, Τάραντά τε πίονα δῆμον
Οἰκῆσαι, καὶ πῆμα Ἰαπύγεσσι γενέσθαι.
Id eſt:
Satyreum tibi do, & Tarentum pinguem pagum
Incolere, atque exitium Iapygibus eſſe.

Σατύριον igitur dictum fuit χώριον, id eſt, SATYRIA, ſive, ſi pro Græcâ vocali Romanam ponas, SATVRIA REGIO, ſeu SATVRIVS AGER, in quo Tarentum fuit conditum. unde Poëtæ dicebatur urbs ea non *Saturum*, ſed *Saturium Tarentum*: & obliquo caſu *Saturii*, ſeu potiùs contractè *Saturî Tarenti*. Locus ille apud Horatium, lib. I, Satyrâ VI, ad Mœcenatem, integrè ſic habet:

Non ego me claro natum patre, non ego circum
Me Satureiano vectari rura caballo;
Sed, quod eram, narro.

Ad quæ ita ſcholiaſtes eius Acron: *Satureiani fundi ſunt in Apuliâ fertiles, & equorum nobilium genitores.* Probus grammaticus ad eumdem Vergilii locum hæc annotat: *Tarentum opidum in Italiâ condiderunt Parthenidæ, hoc eſt, exſules Lacedæmoniorum, duce Phalanto. In finibus autem Tarentinorum eſt locus, quem Saturium vocant, unde etiam paludem Saturam: cuius etiam in VII mentio eſt, quum ait Virgilius: Quà Satura jacet atra palus. Saturi ergo Tarenti, à Saturio loco, vel à Saturâ palude dixit. Quidam dicunt, tum ob agri bonitatem, tum ab loco quodam Saturo, qui eſt prope Tarentum, Saturum cognominatum. Dicitur autem, Tarantem, Neptuni filium, Lacedæmoniâ civitate, ex Saturiâ, Minois Cretenſium regis filiâ, procreaſſe filium. Hunc projectum, naufragio facto, Delphinus in Italiam evexiſſe dicitur. Cuius hodieque teſtimonium manet: nam in municipio Tarentinorum, hominis effigies, in delphino ſedentis, eſt. A Saturiâ uxore eum locum Saturia adpellaſſe fertur: ac poſteà ei loco ex ſuo nomine nomen Tarentum impoſuiſſe.* Pompeius Sabinus: *Saturi, pro, Saturii. Taras, Neptuni filius, Lacedæmon qui fuit, ex Saturiâ Minois regis Cretenſis filiâ, genuit Tarentum: qui facto naufragio, à delphino exceptus, delatus fuit in Italiam; ut in municipio Tarentinorum talis hiſtoriæ ſimulacrum viſitur. Is duas urbeis condidit. alteram nominavit à matre Saturiam; alteram à nomine ſuo Tarentum. quod poſtea Lacedæmones, duce Phalanto; ampliaverunt.* Eſt hodieque locus alius, VIII millibus paſſuum ab Tarento diſſitus, vulgari vocabulo *Satúro*. Tandem TARENTINORVM quoque meminit Philoſtratus, in Apollonii vitâ, lib. III, cap. IIII; de Brachmanibus Indorum ſapientibus loquens: Κομᾶν δὲ ἐπιτηδεύουσιν ὥσπερ Λακεδαιμόνιοι

πῶλαι, καὶ Θούριοι, Ταραντῖνοί τε καὶ Μήλιοι, καὶ ὁπόσοις τὰ Λακωνικὰ ἦν ἐν λόγῳ. Hoc eſt: *Comas autem nutriunt, ſicut quondam Lacedæmonii, & Thurii, Tarentinique, ac Melii, & cæteri quibus Laconica inſtituta placebant.* Apud eundem iterum mentio fit TARENTI, lib. VII, cap. III, & XII. Plinius ſalis meminit TARENTINI LACVS, lib. XXXI, cap. VII. Et SINVS TARENTINVS, ταραντῖνος κόλπος, vulgò hodieque accolis vocatur *Golfo di Táranto.* Et LITVS TARENTINVM Solinus memorat, circa finem capitis VIII. De hoc litore Procopius Gothicar. rer. lib. III ſic: Βελισάριος μὲν οὖν εὐθὺς ἰέναι ἐς Τάραντα ἐμποδὼν εἶχεν. ἔστι δέ τις ἀκτὴ μηνοειδὴς ἐνταῦθα, οὗ δὴ τῆς ἠιόνος ὑποχωρούσης, ἡ θάλασσα ὥσπερ ἐν κόλπῳ ἐπὶ πλεῖστον τῆς γῆς ἀναβαίνει. καὶ ὁ μὲν τῆς ἀκτῆς διάπλους ἅπας ἐς χιλίους σταδίους διήκει· ἑκατέρωθι δὲ, παρὰ τοῦ ῥεύματος τὴν ἐκβολὴν, κεῖται πολίσματα δύο· θάτερον μὲν, ὁ Κρότων πρὸς δύοντά που τὸν ἥλιον· ὁ Τάρας δὲ πρὸς ἀνίσχοντα. κατὰ δὲ τῆς ἠιόνος τὸ μέσον, Θουρίων ἡ πόλις οἰκεῖται. Hoc eſt: *Beliſarius igitur Tarentum iturus erat. Eſt autem Tarenti in hemycycli ſpeciem litus; quo plurimùm recedente & mare ipſum perinde in ſinum longiore ſpacio in continentem immittit. Sed huius litoris tranſmiſſus mille protenditur ſtadiis. & utrimque ad æſtus exitum opida duo ſunt ſita; alterum Croto ad occidentem ſolem: alterum in orientem Tarentum. in medio autem litoris Thuriorum civitas eſt.* Litus hoc ac ſinus Tarentinus pluribus deſcribuntur capite ſequenti, poſt explicata loca Lucani litoris ad mare Hetruſcum. De PORTV TARENTINO hæc apud Appianum in Annibalicis leguntur: Λιμένες δὲ εἰσὶ τοῖς Ταραντίνοις πρὸς βορρᾶν ἄνεμον ἐκ πελάγους ἐσπλέοντι διὰ ἰσθμοῦ. καὶ τὸν ἰσθμὸν ἀπέκλειον γεφύραις. ὧν τότε κρατοῦντες οἱ Ῥωμαίων φρουροὶ, σφίσι μὲν ἐδέχοντο τὴν ἀγορὰν ἐκ θαλάσσης, Ταραντίνοις δ᾽ ἐκώλυον ἐσκομίζεσθαι· ὅθεν ἠπόρουν οἱ Ταραντῖνοι. Id eſt: *Sunt autem portus Tarentinorum ad boream verſi, ſi quis è mari per iſthmum intrò naviget. At iſthmum pontibus evitabant: quos quum Romani tenerent, facilè mari advectum frumentum ſibi habebant; Tarentinis ne importaretur, impediebant. Quamobrem tamdiu inopiâ laborarunt Tarentini.* Memoratur etiam inferiùs ex Plinio PORTVS TARENTINVS; proximè ante Lupiam.

GALESVS, *fluvius.*

In medium ferè portum Tarentinum defluit GALAESVS fluvius, vel GALESVS; cuius Martialis facit mentionem, lib. II, epiſt. XLIII; lib. IIII, ep. XXVIII; & lib. V, epiſt. XXXVIII; denique lib. XII, epiſt. LXIIII. Idem EVROTAS dictus fuit. Livius lib. XXV: *Reliquit modicum præſidium. ipſe profectus cum cæteris copiis ad Galeſum flumen (quinque millia ab urbe abeſt) poſuit caſtra.* Polybius, lib. VIII: Ἀπολιπὼν δὲ τοὺς ἱκανοὺς καὶ τοὺς ἐπιτηδείους πρὸς τὴν τῆς πόλεως φυλακὴν καὶ τὴν τοῦ τείχους, παρεφεδρεύοντας ἱππεῖς, κατεστρατοπέδευσε περὶ τετταράκοντα σταδίους ἀπέχων τῆς πόλεως παρὰ τὸν ποταμὸν, παρὰ μέν τισι Γαλαῖσον, παρὰ δὲ τοῖς πλείστοις προσαγορευόμενον Εὐρώταν. ὃς ἔχει τὴν ἐπωνυμίαν ταύτην ἀπὸ τοῦ παρὰ Λακεδαίμονα ῥέοντος Εὐρώτα. Πολλὰ δὲ τοιαῦτα κατὰ τὴν χώραν καὶ κατὰ τὴν πόλιν ὑπάρχει τοῖς Ταραντίνοις, διὰ τὸ καὶ τὴν ἀποικίαν καὶ τὴν συγγένειαν ὁμολογουμένην αὐτοῖς εἶναι πρὸς Λακεδαιμονίους. Hoc eſt: *Mox relicto præſidio idoneo, & manu equitum ſatis magnâ, ad cuſtodiam urbis & muri agendam; ipſe profectus ad flumen, quod quinque millia ab urbe abeſt, caſtra fecit. Eum amnem quidam Galæſum, plerique omnes Eurotam nuncupant. ab Eurotâ, qui urbem Lacedæmoniorum alluit, nomen huic eſt inditum. Et ſunt ſimilia multa cùm in agro, tum in urbe Tarentinorum; quoniam & colonia Lacedæmoniorum ipſi ſunt, & cognatione cum iis juncti: de quo dubitat nemo.* Virgilium ſuprà in nomine *Oebaliæ* citavimus; ubi Servius: *Galeſus, fluvius Calabriæ, qui juxta civitatem labitur Tarentinam.* Sidonius Apollinaris, carm. XXIIII:

Qualeis Corycium ſenem beanteis
Fuſcabat picei latex Galeſi.

Statius, Silvar. lib. III, carm. III:

Et Lacedæmonii pecuaria culta Galeſi.

Claudianus, in Panegyrico, de Probi & Olybrii conſulatu:

Et Oebaliæ qui temperat arva Galeſus.

Horatius, carm. lib. II, odâ VI:

Dulce pellitis ovibus Galeſi
Flumen & regnata petam Laconi
——— *Rura Phalantho.*

Vetus commentator: *Galeſus fluvius eſt juxta Tarentum; ubi præ paſturæ copiâ vel dulcedine molliores ovibus lanæ ſunt.* Vnde *Tarentina ovis*, apud Columell. lib. VII, cap. II & IIII;

& Varro.

&Varronem, Ruſtic. lib. II, cap. II: item *Lana Tarentina*, Plinio; lib. VIII, cap. XLVIII: Horatio item, epiſt. I, lib. II. S. Eutropius Paulinus, de Natali Felicis:

Quique colunt rigui flaventia culta Galeſi.

Malè dicit *rigui* pro *nigri*. nam Virgilii verba ſuprà adſcripta imitatus eſt.

Porrò, in agro Tarentino fuit AVLON MONS, vitium ferax. Sic enim vetus commentator Horatii, ad carm. lib. II, odam VI: *Aulon, mons Calabriæ, juxta Tarentum, ferax optimi vini.* AVLON Mons.

Proximus hinc à Tarento locus in hoc litore Auſonii maris memoratur SASINA PORTVS. Plinius, lib. III, cap. XI: *Latitudo peninſulæ à Tarento Brunduſium terreno itinere* XXXIII *millia paſſuum patet: multoque brevius à portu Saſinâ.* Satis certo liquet indicio, eumdem fuiſſe qui nunc vulgari incolarum adpellatione dicitur *Porto Ceſareo*. hoc quidpe Auſonii ſive Tarentini maris litus Brunduſio opido proximum eſt. SASINA portus.

Sequitur hinc celebris etiam olim VRBS CALLIPOLIS; vulgò nunc incolis *Gallipoli* dicta. Mela lib. II, cap. IIII: *In Calabriâ, Brunduſium, Valetium, Lupiæ, Hydruntum, & Salentini campi, & Salentina litora, & urbs Graia Callipolis.* Nempe ἀπὸ τοῦ κάλλους Græcis dicta; quaſi *pulchra urbs*: haud dubiè à ſitu. Heic duo loci, alter ex Plinio, & ex Livio alter, nobis explicandi veniunt. Apud Plinium poſt verba modò præmiſſa leguntur hæc: *Opida per continentem: à Tarento, Varia, cui cognomen Apula: Meſſapia, Aletium. in orâ verò Senonum, Gallipolis; quæ nunc eſt Anxa,* LXII *millia paſſuum à Tarento. inde* XXXII *millia promontorium, quod Acran Iapygian vocant: quo longiſſimè in maria excurrit Italia.* Apud Livium verò lib. XXIIII: *Opida vi capta, Compluteria, Teleſia, Fuiſulæ, & Orbitanium. ex Lucanis Blandæ, Apulorum Ancæ, oppugnatæ.* Ex quibus locis, ſunt qui dicant, olim etiam alio vocabulo, neſcio unde quæſito, ANXAM, & plurali numero ANCAS, vocitatam hanc fuiſſe Callipolin. Verùm enimverò mirum eſt, iſtud nomen *Anxa* poſteà non obtinuiſſe; quum etiam nunc vocetur *Gallipoli*. Livii *Ancas* heic non fuiſſe, ipſa hiſtoria illic aliquot in locis indicat; de Fabio & M. Valerio: & inferiùs, poſt Grumentum, in Lucanis ſequenti capite oſtenditur. Totus etiam Plinii locus vitiatus eſt. Quidpe inter Tarentum & Brundiſium XXXVIII ſcripſiſſe eum millia, ſuprà oſtenſum eſt. Inter Tarentum verò & Callipolim L circiter eſſe millia; & hinc ad Iapygium promontorium XX; item pro *Varia, cui cognomen Apulæ: Meſſapia*, ſcribendum eſſe *Vria, cui cognomen Meſſapiæ*; pòſt patebit. Tot igitur vocabula notæque quum ſint corruptæ; quidni credam, etiam pro his, *in orâ Senonum Gallipolis*, ſcripſiſſe Plinium, *in orâ Salentinorum Callipolis?* Quare perperam quoque Pintianus ex Plinio Melam corrigit. nam hoc vocabulum quum corruptum eſſet in *Gallipolis*; & vox *Salentinorum* etiam legi nequiret; conjecit geographiæ hiſtoriarumque imperitus grammaticus, conditum eſſe quondam opidum à Gallis Senonibus. Certè Galli Senones heic umquam fuêre nulli. Mela verò, antiquior Plinio, Graiam urbem pronunciavit. CALLIPOLIS urbs.

Porrò Strabo, lib. VI; τοὺς δὲ Σαλεντίνους, inquit, Κρητῶν ἀποίκους φασίν. ἐνταῦθα δ᾽ ἐστὶ καὶ τὸ τῆς Ἀθηνᾶς ἱερόν, πλούσιόν ποτε ὑπάρξαν· καὶ ὁ σκόπελος, ὃν καλοῦσιν Ἄκραν Ἰαπυγίαν, πολὺς ἐκκείμενος εἰς τὸ πέλαγος κατὰ τὰς χειμερινὰς ἀνατολάς, ἐπιστρέφων δέ πως ἐπὶ τὸ Λακίνιον, ἀντῆρον ἀπὸ τῆς ἑσπέρας αὐτῷ, καὶ κλείων τὸ στόμα τοῦ Ταραντίνου κόλπου πρὸς αὐτόν· καὶ τὰ Κεραύνια ὁμοίως ὄρη κλείει πρὸς αὐτὸν τὸ στόμα τοῦ Ἰονίου κόλπου· ἔστι τὸ δίαρμα ὅσον ψ σταδίων ἀπ᾽ αὐτοῦ πρός τε τὰ Κεραύνια καὶ πρὸς τὸ Λακίνιον. Hoc eſt: *Salentinos aiunt Cretenſium eſſe colonos. Apud hos eſt fanum Minervæ, dives quondam: & item Scopulus, quem* ἄκραν Ἰαπυγίαν, *id eſt, promontorium Iapygium vocant; magnâ ſui parte in altum versùs ortum hibernum procurrens, ac quodammodo ad Lacinium versùs ſeſe inflectens ab occaſu ei oppoſitum, & eius objectu fauceis ſinus Tarentini claudens: ſicut & Ceraunii Epiri montes eiusdem Iapygii promontorii oppoſitu fauceis Ionii ſinûs coërcent. Trajectus autem eſt ab Iapygio, & ad Lacinium & ad Ceraunios monteis, ſtadiorum circiter* IↃCC. Plinius dicto jam ſæpiùs lib. III, cap. XI: *Connectitur ſecunda regio; amplexa Hirpinos, Calabriam, Apuliam, Salentinos,* CCL *milliarium ſinu, qui Tarentinus appellatur, ab opido Laconum, in receſſu hoc intimo ſito; contributâ eò maritimâ coloniâ, quæ ibi fuerat. abeſt* CXXXVI *millia paſſuum à Lacinio promontorio; adverſam ei Calabriam in peninſulam emittens. In Salentino agro inter promontoria* C *millia paſſuum interſunt.* Mox: *A Tarento* XXXII *millia promontorium, quod Acran Iapygiam vocant; quo longiſſimè in mare excurrit Italia.* Stadia Strabonis, quæ inter duo prædicta promontoria ponit IↃCC, millia ſunt LXXXVII, paſſus IↃ. At IAPYGIVM PROMONTORIVM, ſeu SALENTINVM.

hodiè

hodiè millia hoc intervallo deprehenduntur eſſe circiter LXV. Cæterùm Mela, lib. II, cap. IV: *Hucuſque Adria, hucuſque Italiæ latus alterum pertinet. Frons eius in duo quidem ſe cornua, ſicut ſuprà diximus, ſcindit. Cæterùm, mare (quod inter utraque admiſit) tenuibus promontoriis ſemel iterumque diſtinguens, non uno margine circuit; nec diffuſum patensque, ſed per ſinus recipit. primus Tarentinus dicitur, inter promontoria Salen & Lacinium.* Sic equidem cuncta habent huius auctoris exemplaria.. at corruptum eſſe vocabulum *Salen*, ex integro *Salentinum*, Dionyſius Halicarnaſſenſis, Salluſtius, Ptolemæus, atque Tabula itineraria, teſtes ſunt. Dionyſius lib. I: Οἱ δὲ σὺν Αἰνείᾳ ποιησάμενοι τὴν ἀπόβασιν, οὐ καθ' ἓν χωρίον τῆς Ἰταλίας, ἀλλὰ τὰς μὲν πλείστας ναυσὶ πρὸς ἄκραν Ἰαπυγίας ὁρμισάμενοι, ἣ τότε Σαλεντῖνος ἐλέγετο, ταῖς δὲ λοιπαῖς κατὰ τὸ καλούμενον Ἀθήναιον, παρέπλευσαν ἄχρι πορθμοῦ. Id eſt: *At Aeneas & Troiani, non uno loco facta exſcenſione in Italiam; quod maior pars navium adpuliſſet ad Iapygiæ promontorium, quod tum Salentinum erat; reliquæ ad Minervæ templum: præternavigarunt omnem illam oram ad fretum uſque.* Ptolemæus: Σαλεντίνων· Ἰαπυγία ἄκρα, ἡ καὶ Σαλεντίνη. Id eſt: *Salentinorum; Iapygium promontorium, quod & Salentinum.* Salluſtius: *Omnis Italia, coacta in anguſtias, funditur inter duo promontoria, Brutium & Salentinum.* In tabulâ itinerariâ errore & imperitiâ librarii ſcriptum eſt, *Portus Salentinum*; pro, *Promontorium Salentinum*. Servius, ad Virgil. Aeneid. lib. III. *Salentinum Promontorium Italiæ eſt inter Calabriam & Brutios. nam ut ait Salluſtius, omnis Italia, coacta in anguſtias, funditur inter* [ſcinditur in] *duo promontoria, Brutium & Sallentinum.* Plinius item lib. III, cap. XIII: *Oricum à Salentino Italiæ promontorio diſtat* LXXXV *millia paſſuum.* Sed ex hactenus allatis, ſatis clarè patet, SALLENTINVM ſive IAPYGIVM PROMONTORIVM eſſe id, quod vulgari nunc adcolis adpellatione dicitur, *Capo di S. Maria di Leuca*, ab opido quod ei adpoſitum. Solinus vocat *Acran Iapygian*, ut apud Plinium quoque adpellatur. Sic & Thucydides, lib. VI: Εἰ θέλοιμεν ἀπαντῆσαι Ἀθηναίοις ἐς Τάραντα καὶ ἄκραν Ἰαπυγίαν. Id eſt: *Si velimus occurrere Athenienſibus ad Tarentum & ad Iapygium promontorium.*

BARIS *ſive* VERETVM *opidum.*

Pergit Strabo, loco ſuprà dicto, in hæc verba: Περίπλους δὲ Τάραντός ἐστι πρὸς Βρεντέσιον, μέχρι μὲν Βάρετος πολίχνης χ΄ στάδιοι. καλοῦσι δὲ Βάριν οἱ νῦν Οὐέρητον· κεῖται δ' ἐπὶ τοῖς ἄκροις τῆς Σαλεντίνης, καὶ τὸ πολὺ πεζῇ μᾶλλον, ἢ κατὰ πλοῦν εἰς αὐτὴν ἐκ τοῦ Τάραντος εὐμαρής ἡ ἄφιξίς ἐστιν. Hoc eſt: *A Tarento ad Brunduſium navigatio juxta litus ad Barim uſque, quod nunc Veretum dicitur, opidum in extremis Salentinorum finibus ſitum, ſtadiorum eſt* IϽC. *Cæterùm, terrâ, quàm mari, ad id facilior eſt tranſitus.* Primò, vocabulum iſtud Βάρετος corrigendum eſt in Βάριδος; unde rectè fit accuſativus Βάριν. Cæterò, BARIS ſive VERETVM opidum, Ptolemæo quoque & Tabulæ itinerariæ memoratur: ſed illi in mediterraneis. unde etiam Plinio, lib. III, cap. XI, ſunt mediterranei Salentinorum VERETINI. Verùm ſitus eius verus uti diſpiciatur, Tabulæ iter erit inſpiciendum; quod tale eſt:

Tarento	
Manduris	XX.
Neretum	XXIX.
Baletium	X.
Vhintum	X.
Veretum	X.
Caſtra Minervæ	XII.
Ydrunte.	VIII.

CASTRVM *ſeu* TEMPLVM MINERVAE, *ſeu* MINERVIVM, *opidum.*

De Hydrunto, quod nunc vulgò eſt *O'tranto*, plura pòſt dicentur. Hinc versùs promontorium Salentinum proficiſcenti occurrit ab millibus VIII, OPIDVM vulgari adpellatione CASTRO. quod antiquum illud eſt, CASTRVM MINERVAE, ſive ARX MINERVAE, & MINERVIVM; Virgilio, Dionyſio Halicarnaſſenſi, Straboni & Tabulæ memoratum. nam in hac vitioſè poni pluralem vocem *Caſtra*, pro ſingulari *Caſtro*; quis dubitet? quandoquidem ſingulari numero is locus poëtæ dicitur *Arx Minervæ*; & hodieque vulgò *Caſtro*. Apud Virgilium igitur Aeneid. lib. III; Aeneas ab Epiro ad fretum Siculum navigans, ſic infit:

Prove-

Provehimur pelago, vicina Ceraunia juxta:
Vnde iter Italiam; curſusque breviſſimus undis.
Iamque rubeſcebat ſtellis aurora fugatis;
Quum procul obſcuros colleis humilemque videmus
Italiam.
Crebreſcunt optatæ auræ: portusque pateſcit
Iam propior: templumque adparet in arce Minervæ.
Vela legunt ſocii; & proras ad litora torquent.
Portus ab Eoo fluctu curvatus in arcum:
Objectu ſalsâ ſpumant aſpergine cautes:
Ipſe latet. gemino demittunt brachia muro
Turriti ſcopuli: refugitque ab litore templum.

Ad hæc ita Servius: *Hîc dubium eſt, utrum Minervæ templum, an in arce Minervæ debeamus accipere. Sanè Calabria antè Meſſapia vocata eſt. hoc autem templum Idomeneus condidiſſe dicitur. quod etiam Caſtrum vocatur.* Sanè vel hinc dubium illud Servio ſolvi poterat, accipiendum ſcilicet eſſe *in arce Minervæ*; id eſt, *in caſtro Minervæ:* ut refert Tabula. Porrò, Servius ad illud, *Refugitque ab litore templum*, ita commentatur: *Aedificia, vicina litoribus, longè intuenti videntur in mari. quæ accedentibus quaſi recedere & retrò ſe agere putantur, vel, quia ſitum eſt in colle, qui ſenſim creſcit à litore.* Probus grammaticus in Vergilii eclogam VI: *Varro in tertio rerum humanarum refert; Gentis Salentinæ nomen tribus è locis fertur coaluiſſe; è Cretâ, Illyrico, Italiâ. Idomeneus è Cretâ, opido Lycto, pulſus per ſeditionem, bello Magneſium, cum grandi manu ad regem Clivicum venit ad Illyricum. ab eo item accepta manu, cum Locrenſibus, pleriſque profugis, in mari conjunctus; amicitiaque per ſimilem cauſam ſocietatis, Locros adpellit, vacuatâ eo metu urbe; ibique conſedit.* [lege: *cum Locrenſibus & ipſis profugis per ſimilem cauſam, in mari conjunctus ſocietate amicitiâque, Locros appellit vacuatam eo metu urbem: ibique conſedit.*] *aliquotque opida condidit; in quîs Vria, & Caſtrum Minervæ nobiliſſimum.* De eodem loco ita ſcribit Dionyſius, loco ſuprà memorato: οἱ δὲ σὺν Αἰνείᾳ ποιησάμενοι τὴν ἀπόβασιν, οὐ καθ᾽ ἓν χωρίον τῆς Ἰταλίας, ἀλλὰ τῶν μὲν πλείστοις ναυσὶ πρὸς ἄκραν Ἰαπυγίας ὁρμισάμενοι, ἣ τότε Σαλεντίνη ἐλέγετο, ταῖς δὲ λοιπαῖς κατὰ τὸ καλούμενον Ἀθήναιον, ἔνθα καὶ αὐτὸς Αἰνείας ἐτύγχανεν ἐπιβὰς Ἰταλίας, (τοῦτο δὲ τὸ χωρίον ἐστὶν ἀκρωτήριον, καὶ ἐπ᾽ αὐτῷ θερινὸς ὅρμος, ὃς ἐξ ἐκείνου λιμὴν Ἀφροδίτης καλεῖται,) παρέπλευσαν ἄχρι πορθμοῦ. Id eſt: *At Aeneas cæterique Troiani. non uno loco factâ exſcenſione in Italiam; quòd maior pars navium adpuliſſet ad Iapygiæ promontorium, quod tunc Salentinum dicebatur: reliquæ ad Minervæ templum; ubi etiam Aeneas in Italiam exſcendit; (eſt autem is locus promontorium cum æſtivo portu: qui ex illo tempore dicitur Veneris;) præternavigarunt omnem eam oram ad fretum usque.* Cæterùm, ob nobilitatem celebritatemque Templi Minervæ, ipſe locus cultoribus, opidi in modum frequentari cœpit; unde mox *Caſtrum Minervium* dictus. Tamdem etiam colonia Romanorum eò deducta fuit; auctore Paterculo, lib. I. *Caſſio*, inquit, *Longino & Sextio Calvino conſulibus, Fabrarateria deducta eſt. & poſt annum, Scylacium, Minervium, Tarentum.* Conſules iſtos fuiſſe anno ab Româ conditâ IↃCXXIX, ante natum Ieſum CXIV, ſuprà ad Tarenti expoſitionem dixi. Sed poſterioribus etiam temporibus clarum atque celebrem fuiſſe locum, Tabula teſtatur; in quâ primariæ urbis ſigno depictus eſt. PORTVS VENERIS.

Porrò, in itinere modò adducto, legendum pro *Vhintum* eſſe *Vxintum*, ſive *Vxentum*; quod vulgò hodiè dicitur *Vgento*; itineris ductus indicat. nam *Neretum* etiam hodiè vocatur vulgò *Nardo*. Igitur X millia ab Vxento versùs Salentinum promontorium ſi progrediaris, incides in opidum, quod, prope litus, vulgò nunc dicitur *Aleſano*, XII millia à ſuprà dicto Minervio diſſitum. Haud in ipſo litore fuiſſe Veretum, inde colligo, quòd Plinio atque Ptolemæo inter mediterranea computatur. Prope tamen fuiſſe litus, ex eo perſpicio, quòd Strabo id ἐπὶ τοῖς ἄκροις τῆς Σαλεντίνης κεῖσθαι, καὶ τὸ πολὺ πεζῇ μᾶλλον, ἢ κατὰ πλοῦν, εἰς αὐτὴν ἐκ τοῦ Τάραντος εὐμαρῆ τὴν ἄφιξιν εἶναι, id eſt, *in extremis Salentinorum finibus ſitum, atque terrâ, quàm mari, feliciorem eò ab Tarento tranſitum eſſe*, tradit.

Porrò, Strabo poſt memoratum Veretum ita pergit: Ἔνθεν εἰς τὰ Λευκὰ στάδιοι π, πολίχνιον καὶ τοῦτο· ἐν ᾧ καὶ δείκνυται πηγὴ δυσώδους ὕδατος. Μυθεύουσι δὲ, ὅτι τοὺς περιληφθέντας τῶν Γιγάντων ἐν τῇ κατὰ Καμπανίαν Φλέγρᾳ, Λευτερνίους καλουμένους, Ἡρακλῆς ἐξελάσειε, καταφυγόντας LEVCA opidum, & portus.

STATIO illa militum LVPIA Plinii: quæ gemino etiam ſcribebatur PP, LVPPIA; ut habet Tabula: & plurali numero, Λουπίαι, LVPIAE; ut eſt apud Strabonem, Melam, Aethicum & Antoninum. nam apud hunc *u* corruptum eſſe in *i*; ſatis ex aliorum auctorum concordi ſcriptione perſpicuum eſt. Cæterò, idem vocabulum rurſus gemino PP dicebatur, Λουππίαι, LVPPIAE; unde vitiatum illud Ptolemæi Λουσπίαι. SITVM quod attinet, Straboni LVPIAE ſunt in mediterraneis, dicto lib. VI. Τὰ μὲν οὖν, inquit, πολίχνια, τὰ ἐν τῷ παράπλῳ εἴρηται· Ἐν δὲ τῇ μεσογαίᾳ, Ῥωδαῖοί τε εἰσι, καὶ Λουπίαι, καὶ μικρὸν ὑπὲρ τῆς θαλάσσης Σαλητία [legendum Ἀλητία; uti mox oſtendam.] Id eſt: *Atque hactenus opidula in litore dicta ſunt. In mediterraneo ſunt, Rhodiæ & Lupiæ, ac paullum à mari recedens Aletia.* Verùm de Lupiis, tutius fuerit, tribus geographis, Melæ, Plinio ac Ptolemæo credere, quàm uni Straboni. Cæterùm, locus medio inter Hydruntum Brunduſiumque itinere, vulgari vocabulo *Torre di S. Cataldo* vocatur. eſtque portus etiam nunc Aletinorum; quorum opidum Aletium, nunc *Lezze*, μικρὸν ὑπὲρ τῆς θαλάσσης, id eſt, *exiguum à mari recedere*, Strabo tradit. Hanc Lupiam antiquitus urbem fuiſſe, dictamque Sybarim, Pauſanias auctor eſt; qui in Eliacis ſic de Euthymo pugile loquitur: τάδε μὲν ἤκουσα· γραφῇ δὲ τοιᾷδε ἐπιτυχὼν οἶδα. ἦν δὲ αὕτη γραφῆς μίμημα ἀρχαίας· Νεανίσκος Σύβαρις, καὶ Κάλαβρός τε ποταμὸς, Καλύκα πηγή, πρὸς δὲ, Ἥρα τε καὶ Τέμεσα ἦν ἡ πόλις. Id eſt: *Hæc ego auditu percepi. Sed memini etiam, me in hanc incidere picturam, quæ ex vetuſto exemplari accuratâ imitatione fuerat deſcripta: Adoleſcentulus Sybaris, fluvius Calaber, Calyca fons, Hera inſuper & Temeſſa urbes fuêre.* Per *Sybarim* autem Lupiam intelligit, uti ex eiusdem verbis poteſt cognoſci, quæ ibidem exſtant poſteà: ᾠκοδόμησαν δὲ καὶ Συβαρῖται θησαυρὸν ἐχόμενον τοῦ Ἐπιδαμνίων. ὁπόσοι δὲ περὶ Ἰταλίας καὶ πόλεων ἐπολυπραγμόνησαν τῶν ἐν αὐτῇ, Λουπίαν φασὶ κειμένην Βρεντεσίου τε μεταξὺ καὶ Ὑδροῦντος μεταβεβληκέναι τὸ ὄνομα, Σύβαριν οὖσαν τὸ ἀρχαῖον. ὁ δὲ ὅρμος ταῖς ναυσὶ χειροποίητος καὶ Ἀδριανοῦ βασιλέως ἐστὶν ἔργον. πρὸς δὲ τῷ Συβαριτῶν Λιβύων ἐστὶ τῶν ἐν Κυρήνῃ θησαυρός. Hoc eſt: *Condiderunt & Sybaritani theſaurum ſuum, qui proximè ad Epidamniorum theſaurum conſtitutus eſt. Ii ſanè, qui de Italiâ eiusque urbibus curioſiùs ſibi inveſtigandum putarunt, Lupiam aiunt opidum eſſe inter Brunduſium & Hydruntem, quod priſco nomine Sybaris fuerit. Portus in eo exſtat manu factus, Adriani Cæſaris opus. Sybaritarum theſaurum contingit is quem dedicarunt Cyrenenſes ex Africâ.* De CONDITORE LVPIAE Iulius Capitolinus in M. Antonino Philoſopho ſic ait: *Cuius familia, in originem recurrens, à Numâ probatur ſangvinem trahere; item à rege Salentino, Malennio, Daſummi filio, qui Lupias condidit.*

VALETIVM opidum.

BALETIVM, ſive VALETIVM, corruptè apud Plinium ſcriptum eſt *Baleſium*. Stephano Βαρῆτιον appellatur. Eumdem locum BALENTIVM quoque & VALENTIVM fuiſſe dictum, patet partim ex Tabulâ, partim ex Plinio; ubi ad finem dicti capitis opidani leguntur Salentinorum, *Aletini*, *Baſterbini*, *Neretini*, VALENTINI, *Veretini*. nam ut ibidem *Arpani*, *Hyrini*, *Larinates*, *Venuſini*, *Aletini*, *Baſterbini* recenſentur; quorum opida, *Arpi*, *Vria*, *Larinum*, *Venuſia*, *Aletium*, *Baſta*, jam antea erant memorata; ſic BALETIVM quoque priùs, deinde VALENTINI referuntur. ſic item ipſi anteà refertur *Vria*, quod Græcis erat *Hyrium*: poſteà verò huius opidani *Hyrini*, non à Latinâ formâ, ſed Græcâ denominati. SITVS Baletii ſive Valentii diſpectu facilis eſt; quando ad flumen id ponitur in Tabulâ, X millibus à Brundiſio diſſitum. In Tabulâ equidem ſcriptum eſt *fl°. Paſtuim*. at, corrigendum eſſe vocabulum id vitiatum in FLVMEN PACTIVM, Plinii teſtatur Geographia.

PACTIVS fluvius.

Is quidpe dicto cap. XI, ſic habet: *Ab Hydrunte Soletum deſertum, dein Fratuertium. portus Tarentinus: ſtatio militum Lupia: Baletium; Cælium; Brunduſium, L millia paſſuum ab Hydrunte, in primis Italiæ portu nobile, ac velut certiore tranſitu, ſicuti longiore. Brunduſio conterminus Pœdiculorum ager. Pœdiculorum opida, Rhudia, Egnatia, Barion. Amnes, Pactius, Aufidus, ex Hirpinis montibus Canuſium præfluens. Hinc Apulia, Dauniorum cognomine.* Non in uno Pœdiculorum agro recenſitos voluiſſe Plinium utrumque amnem, ſed in univerſo hoc ab Hydrunte ad Daunios litore, ex Tabulâ patet. Ex eâdem liquet, opidum, quod multifariam, *Baletium*, *Balentium*, & *Valetium* ac *Valentium* proferebatur, ad oſtium fuiſſe dicti amnis Pactii, dextrâ ripâ; quâ nunc *divi Marci fanum* conſpicitur, vulgò *Santo Marco*.

D. MARCI FANVM.

Ipſum

BRVNDVSIVM, *urbs.*

Ipſum BRVNDISIVM, ſive BRVNDVSIVM, (utrumque enim promiſcuè ſcriptum reperio,) vulgò nunc incolis vocatur *Brindiſi*. quod equidem vocabulum eiſdem literis etiam Tabula refert. Memoratur Varroni, Cæſari, Ciceroni, Horatio, Livio, Paterculo, Floro, Melæ, Straboni, Lucano, Silio, Plinio, Agellio, Tacito, Appiano, Ptolemæo, Itinerariis, Procopio, Stephano. Græcis ſcribitur Βρεντέσιον, ut plurimùm; dein etiam Βρεντήσιον; & Ptolemæo Βρενδέσιον· Συναγωγὴ ἰσωελῶν habet Βρενδίσιον. Pompeius Feſtus: *Brundiſium quidam Poëtæ brevitatis causâ Brendam dixerant*. Opidani à *Brundiſio*, ſive *Brunduſio*, dicuntur omnibus pariter Latinis BRVNDISINI, & BRVNDVSINI: Græcis Βρενδεσῖνοι & Βρεντησῖνοι. De opido iſto ſic tradit Stephanus: Βρεντήσιον, πόλις Ἰταλίας, παρὰ τὸν Ἀδρίαν, ἀπὸ Βρέντου τοῦ Ἡρακλέους· ἢ ὡς εὐλίμενος οὖσα. ἑνὶ γὰρ στόματι λιμένες πολλοὶ συγκλείονται· ὡς ἐοικυῖα τοίνυν κεφαλῇ ἐλάφου, οὕτως ὠνόμασται. βρένδιον γὰρ παρὰ Μεσαπίοις ἡ τῆς ἐλάφου κεφαλή, ὡς Σέλευκος ἐν δευτέρῳ γλωσσῶν. τὸ ἐθνικὸν, Βρεντησῖνος. Hoc eſt: *Brenteſium, urbs Italiæ, ad Adriaticum mare, à Brento Herculis filio; vel, quia portuoſa eſt. quidpe uno ore complures includuntur portus: unde, quòd figuram capitis cervini habeat, nomen ei quæſitum. Brention enim Meſſapiis dicitur caput cervinum; ut auctor eſt Seleucus, Gloſſarum lib.* II. *Gentile eſt, Brenteſinus.* Strabo, lib. VI: Βρεντέσιον δ᾽ ἐποικῆσαι μὲν λέγονται Κρῆτες, οἱ μετὰ Θησέως ἐπελθόντες ἐκ Κνωσσοῦ· εἶθ᾽ οἱ ἐκ τῆς Σικελίας ἀπηρκότες μετὰ τοῦ Ἴαπυγος· λέγεται γὰρ ἀμφοτέρως. οὐ συμμεῖναι δέ φασιν αὐτούς· ἀλλ᾽ ἀπελθεῖν εἰς τὴν Βοττιαίαν. ὕστερον ἡ πόλις βασιλευομένη πολλὴν ἀπέβαλε τῆς χώρας ὑπὸ τῶν μετὰ Φαλάνθου Λακεδαιμονίων· ὅμως δ᾽ ἐκπεσόντα αὐτὸν ἐκ τοῦ Τάραντος ἐδέξαντο οἱ Βρεντεσῖνοι. καὶ τελευτήσαντα ἠξίωσαν λαμπρᾶς ταφῆς. χώραν δ᾽ ἔχουσι βελτίω τῆς Ταραντίνων. λεπτόγεως γὰρ ἐκείνη, χρησίκαρπος δέ· μέλι δὲ καὶ ἔρια τῶν λίαν ἐπαινουμένων ἐστί. Καὶ εὐλίμενον δὲ μᾶλλον τὸ Βρεντέσιον. ἑνὶ γὰρ στόματι πολλοὶ κλείονται λιμένες ἄκλυστοι, πολλῶν κόλπων ἀπολαμβανομένων ἐντός. ὥστε ἐοικέναι κέρασιν ἐλάφου τὸ σχῆμα· ἀφ᾽ οὗ καὶ τοὔνομα· σὺν γὰρ τῇ πόλει κεφαλῇ μάλιστα ἐλάφου προσέοικεν ὁ τόπος. τῇ δὲ Μεσαπία γλώττῃ βρεντέσιον [omninò legendum, ut apud Stephanum, βρένδιον] ἡ κεφαλὴ τοῦ ἐλάφου καλεῖται. ὁ δὲ Ταραντῖνος οὐ παντελῶς ἐστιν ἄκλυστος, διὰ τὸ ἀναπεπτάσθαι, καί τινα καὶ προσβραχῆ ἔχειν τὰ περὶ τὸν μυχόν. ἔτι δὲ τοῖς ἀπὸ τῆς Ἑλλάδος καὶ τῆς Ἀσίας διαίρουσιν, εὐθύπλους μᾶλλον ἐστὶν ἐπὶ τὸ Βρεντέσιον, καὶ δὴ καὶ δεῦρο πάντες καταίρουσιν, οἷς εἰς τὴν Ῥώμην πρόκειται ὁδός. Hoc eſt: *Brunduſium fertur coloniâ occupatam à Cretenſibus, qui cum Theſeo à Cnoſſo eò pervenerint. pòſt acceſſiſſe eos, qui cum Iapyge è Siciliâ eò venerint. utrumque enim traditur. ſed non unà manſiſſe eos: verùm in Bottiæam abiviſſe. Poſteà temporis, quum ſub regibus eſſet Brunduſium, multum agri amiſit, ademtum à Lacedæmoniis, qui eò cum Phalantho venerant. quem tamen pulſum Tarento Brunduſini receperunt. mortuumque ſplendidâ dignati ſunt ſepulturâ. Ager ipſorum eſt quàm Tarentinorum melior. ut enim minùs gleboſus eſt, ita fructus contrà bonos profert. mel quidem & lanæ ejus in primis laudantur. Ad hæc, Brunduſium portum habet quàm Tarentum commodiorem. quidpe ad Brunduſium multi includuntur uno oſtio portus, ab omnibus fluctibus tuti; intus receptis intra fauceis multis ſinibus; ita, uti eorum forma figuram cornuum cervinorum exprimat. locus enim unà cum ipſâ urbe maximè cervini capitis ſpeciem habet; quod Meſſapiorum linguâ brention dicitur. Tarentinus verò ſinus non omni parte à fluctibus eſt immunis, quia patet; præterquàm in intimo habet receſſu quædam vadoſa. Præterea, è Græciâ & Aſiâ rectus eſt ad Brundiſium trajectus: omneſque huc deferuntur, quibus Romam iter eſt.* Sed & Cicero in Philippicâ I: *Quum Brundiſium iterque illud, quod tritum in Græciam eſt, non ſine causâ vitaviſſem; Kalendis ſextilibus veni Syracuſas; quòd ab Vrbe eâ transmiſſio in Græciam laudabatur.* Hinc & illud Plinii, lib. III, cap. XI: *Brundiſium, in primis Italiæ portu nobile, ac velut certiore tranſitu, ſicuti longiore, excipiente Illyricâ urbe Dyrrachio* CCXX *millium trajectu.* Nam, ut paullò antè ait, *ab Hydrunte in Græciam breviſſimus erat tranſitus, ex adverſo Apolloniæ opidi, latitudine intercurrentis freti quinquaginta millium non ampliùs.* Horatius lib. I, Satyrâ V; quâ iter ab Româ ad Brunduſium uſque deſcribitur:

Brundiſium longæ finis chartæque viæque.

Atque hæc unica Silio fuit ratio, lib. VIII, iſtius verſus:

Nec non Brunduſium; quo deſinit Itala tellus.

De SITV, hæc innuit Lucanus lib. V:

——— *Curvique tenens Minoia tecta*
Brunduſii, clauſas ventis brumalibus undas
Invenit, & pavidas hiberno ſidere claſſeis.

Curvum dixit Brunduſium, quia ſemicirculi in formam intimum dictorum ſinuum receſſum circumjacet. Idem Poëta de eâdem urbe:

Hanc latus anguſtum jam ſe cogentis in arctum
Heſperiæ tenuem producit in æquora linguam,
Adriacas flexis claudit quæ cornibus undas.

Cæterùm, ad CONDITORES urbis antiquos quod attinet, Herodotus (quem locum etiam Strabo ante ſuprà ſcripta allegat) ait, Hyrium ſive Vriam, medio inter Brundiſium Tarentumque itinere ſitum opidum, à Cretenſibus eſſe conditum, qui à claſſe Minois, in Siciliam profectâ, eò evagati erant. Ab iiſdem Brundiſium quoque vel conditum vel ſaltem poſtmodò habitatum innuit Lucanus. De Partheniis Lacedæmoniorum, ac duce eorum Phalantho quæ tradit è Trogi monimentis Iuſtinus, lib. III, ſuprà ad Tarenti originem enarrata ſunt: ſed ex Strabonis verbis ſuprà ſcriptis colligitur, totius Meſſapiæ peninſulæ caput fuiſſe ac regiam ſedem Brunduſium, quo tempore Phalanthus cum ſuis Lacedæmoniis partem Brunduſini agri, in eâque Tarentum opidum occuparent. Iſidorus Oriſius, lib. XIIII, cap. IIII, ſic ſcribit: *Apulia eſt, ubi Brunduſium ſitum eſt; quam Aetoli, ſequuti Diomedem ducem, condiderunt.* PORTVS BRVNDISINI deſcriptio apud Cæſatem exſtat. Et apud Zonaram Annal. lib. III, hæc de iſto portu leguntur: Πολλὰ δὲ χρήματα τότε τῇ Ῥώμῃ ἐγένοντο, ὥστε καὶ ἀργυραῖς δραχμαῖς χρήσασθαι. Εἶτα εἰς τὴν νῦν καλουμένην Καλαβρίαν ἐστράτευσαν· πρόφασιν μὲν, ὅτι τὸν Πύῤῥον ὑπεδέξαντο, καὶ τῶν συμμαχίδα κατέτρεχον· τῇ δὲ ἀληθείᾳ, ὅτι ἐβούλοντο οἰκειώσασθαι τὸ Βρεντέσιον, ὡς εὐλίμενον, καὶ προσβολὴν καὶ κάταρσιν ἐκ τῆς Ἰλλυρίδος καὶ τῆς Ἑλλάδος τοιαύτην ἔχον, ὥσθ' ὑπὸ τοῦ αὐτοῦ πνεύματος καὶ ἐξανάγεσθαί τινας, καὶ καθαίρειν: καὶ εἷλον αὐτό· καὶ κατοίκους ἔπεμψαν εἰς αὐτό τε καὶ εἰς ἕτερα. Hoc eſt: *Eo tempore aucti opibus, Romani drachmis aureis uti cœperunt. Deinde regioni, quæ nunc Calabria dicitur, bellum intulerunt: id crimini dantes, quòd Pyrrhum recepiſſent, ſociosque infeſtaſſent; at re verâ ob eam cauſam, uti Brunduſio potirentur, propter portuum commoditatem & facilem in Illyricum & Græciam trajectum. eodem enim vento ſpirante, & ſolvere ex eo portu, & in eundem adpellere licet. Voti compotes facti, colonos non modò Brunduſium, ſed & in alia etiam loca miſerunt.* Ergo COLONIA poſtmodò facta Romanorum; cuius rei & Cicero & Livius atque Paterculus auctores ſunt. Cicero, ad Att. lib. IIII, epiſt. I: *Prid. Non. Sept. Dyrrhachio ſum profectus. Brunduſium veni Nonis Sextilibus. Vbi mihi Tulliola mea fuit præſtò, natali ſuo: qui caſu idem natalis erat & Brunduſinæ coloniæ: quæ res animadverſa à multitudine, ſummâ Brunduſinorum gratulatione celebrata eſt.* Livii epitomator, lib. XIX: *Coloniæ deductæ ſint Fregellæ; in agro Salentino Brunduſium.* Paterculus lib. I: *Initio belli Punici Firmum & Caſtrum colonis occupata, & poſt annum Aeſernia. poſtque* XXII *annos Aeſulum & Alſium. Fregellaque poſt biennium. proximoque anno, Torquato Sempronioque conſulibus, Brunduſium.* Fuêre conſules A. Manlius Torquatus Atticus, & C. Sempronius Blæſus, anno à Româ conditâ IↃIX; ante natum Ieſum CCXLIV. Item Συναγωγὴ ἱστοριῶν: Ὀλυμπ. ρλβ' ἔτει δ' Ῥωμαῖοι ἐς Βρεντέσιον ἀποίκους ἀπέστειλαν. Id eſt: *Olymp.* CXXXII *anno* IIII *Romani colonos miſerunt Brunduſium.* Poſterioribus quoque temporibus celebrem fuiſſe urbem; patet ex Tabulâ: in quâ primariæ urbis ſigno notata eſt.

Hactenus igitur litus Meſſapiæ peninſulæ ab Tarento ad Brunduſium usque explicatum eſt. Nunc mediterranea etiam introſpiciamus; facto initio ab ipſo peninſulæ iſthmo.

VRIA, *opidum.*

In medio iſthmo antiquiſſimum ſitum eſt opidum, quod vetuſtiſſimis Græcorum ſcriptoribus dictum fuit Ὑρία, HYRIA; poſterioribus Οὐρία, VRIA; & Ptolemæo Οὔρητον, VRETVM. unde ex *Vriâ* vulgare etiam nunc manet vocabulum *Oria*. De hoc loco ita legitur apud Strabonem, lib. VI: Τὰ μὲν οὖν πολίχνια, τὰ ἐν τῷ παράπλῳ, εἴρηται· ἐν δὲ μεσογείᾳ, Ῥωδαῖοί τε εἰσὶ καὶ Λουπίαι, καὶ μικρὸν ὑπὲρ τῆς θαλάσσης Σαληπία. ἐπὶ δὲ τῷ ἰσθμῷ μέσῳ Θυραῖοι, ἐν ᾧ βασίλειον ἐπιδείκνυται τῶν δυνατῶν τινός· εἰρηκότος δ' Ἡροδότου, Οὐρίαν εἶναι ἐν τῇ Ἰαπυγίᾳ, κτίσμα Κρητῶν, πλανηθέντων ἐκ τοῦ Μίνω στόλου εἰς Σικελίαν, ἤτοι ταύτην δεῖ δέχεσθαι, ἢ τὸ Οὐερητόν. Hoc eſt: *Hactenus igitur opidula in litore dicta ſunt. In mediterraneo ſunt Rhodæi & Lupiæ, & exiguum à mari recedens Salepia. in medio autem iſthmo Thyræi: ubi regia oſtenditur cuiusdam quondam ditione aliquâ præditi. Cæterùm, quum Herodotus dixerit, Vriam eſſe in Iapygiâ, à Cretenſibus conditam, qui à claſſe Minois, in Siciliam profectâ, eò evagati ſunt; aut Thyræos: neceſſe*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

eſt eam eſſe urbem, aut Veretum. Sic equidem Strabonis habent exemplaria hunc locum. at corruptum eſſe compluribus vocabulis, quis diligentiùs excutiendo non animadverterit? Legendum eſſe pro Σαλητία, Ἀλητία; jam anteà dixi: moxque infrà oſtendam. In manuſcriptis exemplaribus pro τῶν δυνατῶν rectiùs longè eſt δυναστῶν. quidpe haud cuiuslibet δυνατοῦ, id eſt, *opulenti*, ſeu opibus potentis, ſedes, dicenda erat βασίλειον, id eſt, *regia*. Vocabulum Θυραῖοι doctiſſimus auctoris commentator ſcitè emendaſſe videbatur Οὐρεῖον. quid enim hoc erat dicere, Θυρεῖοι, ἐν ᾧ; id eſt, *Thyræi, in quo*. Principio equidem vocabuli debere eſſe οὐ, patet ex ſequenti Οὐρίαν; tum ex ipſo loci hodierno vocabulo *Oria*; ſed multo maximè ex Varronis Aelianique monumentis; in quibus eſt *Vria*. Quamquàm illud etiam apud Strabonem Οὐρίαν à librariis vitiatum eſſe auſim dicere. quidpe apud Herodotum eſt Ὑρίη, ut & apud Appianum Ὑρία. Ipſe verò Strabo paullo pòſt eumdem locum adpellat Οὐρίαν, in his verbis: Ἡ δὲ διὰ Τάραντος [ἐκ Βρεντεσίου εἰς τὴν Ῥώμην ὁδὸς] μικρὸν ἐν ἀριστερᾷ· ὅσον δὲ μιᾶς ἡμέρας περίοδον κυκλοῦσα, ἡ Ἀππία λεγομένη ...., ἁμαξήλατος μᾶλλον. ἐν ταύτῃ δὲ πόλις Οὐρία τε καὶ Οὐενουσία· ἡ μὲν μεταξὺ Τάραντος καὶ Βρεντεσίου, ἡ δ' ἐν μεθορίοις Σαμνιτῶν καὶ Λευκανῶν. Id eſt: *Via autem* [à Brundiſio Romam verſùs] *per Tarentum, paullùm ad lævam deflectit. Vnius diei ambitu confecto, in Appiam pervenitur, quæ plauſtris patet. In ea ſunt opida Vria & Venuſia; illa inter Tarentum & Brundiſium; hæc, in Samnitum Lucanorumque confiniis*. Quòd ſi igitur ſuprà Strabo Οὐρίαν ex Herodoto citavit; dubitavitque, ea ne ſit Οὐραῖον ſuum, an verò Οὐέρητον in extremis Salentinorum finibus ſub ipſo promontorio Salentino ſive Iapygio ſitum: quomodò heic dubio eo Herodoti vocabulo potiùs uti maluerit, quàm certo atque extra controverſiam poſito ſuo Οὐρεῖον: ratio mehercle nulla fuerit ſana. nihilque certius, quàm ipſum Strabonem ſcripſiſſe Οὐρία ubi nunc vulgò legitur Θυραῖοι; & Ὑρίαν, ubi nunc Οὐρίαν. Ipſius Herodoti verba, lib. VII, ſunt iſta: Λέγεται γὰρ, Μίνω, κατὰ ζήτησιν Δαιδάλου ἀπικόμενον ἐς Σικανίην, τὴν νῦν Σικελίην καλεομένην, ἀποθανεῖν βιαίῳ θανάτῳ. ἀνὰ δὲ χρόνον Κρῆτας, θεοῦ σφεας ἐποτρύνοντος, πάντας πλὴν Πολιχνιτέων τε καὶ Πραισίων, ἀπικομένους στόλῳ μεγάλῳ ἐς Σικανίην, πολιορκέειν ἐπ' ἔτεα πέντε Κάμικον, τὴν κατ' ἐμὲ Ἀκραγαντῖνοι ἐνέμοντο· τέλος δὲ, οὐ δυναμένους οὔτε ἑλεῖν οὔτε παραμένειν, λιμῷ συνεστεῶτας, ἀπολιπόντας οἴχεσθαι. ὡς δὲ κατὰ Ἰαπυγίην γενέσθαι πλέοντας, ὑπολαβόντα σφεας χειμῶνα μέγαν ἐκβαλεῖν ἐς τὴν γῆν. συναραχθέντων δὲ τῶν πλοίων, (οὐδεμίαν γάρ σφι ἔτι κομιδὴν ἐς Κρήτην φαίνεσθαι,) ἐνταῦθα Ὑρίην πόλιν κτίσαντας, καταμεῖναί τε καὶ μεταβαλόντας, ἀντὶ μὲν Κρητῶν Ἰήπυγας Μεσσαπίους γενέσθαι, ἀντὶ δὲ τοῦ εἶναι νησιώτας, ἠπειρώτας. ἀπὸ δὲ Ὑρίης πόλιος τὰς ἄλλας οἰκῆσαι. Hoc eſt: *Aiunt enim, Minoem, quum, Dædalum veſtigans, in Sicaniam, quæ nunc Sicilia dicitur, perveniſſet, vi ejus vitæ allatâ occubuiſſe. interjecto deinde tempore omneis Cretas, exceptis Polichnitanis atque Præſiis, divinitus admonitos; cum magnâ claſſe in Sicaniam trajeciſſe: & quinquennio obſediſſe Canicum: quam meâ ætate Acragantini tenent. ad extremum, quum neque illam expugnare poſſent, neque permanere; fame enectos, eâ relictâ, abiviſſe. &, dum circa Iapygiam curſum tenerent, ingenti eos tempeſtate adortâ in terram fuiſſe ejectos, laceratisque navibus quum nullus in Cretam receptus oſtenderetur; illic ſibſidenteis urbem Hyriam condidiſſe: & mutato nomine, pro Cretibus, Iapygas Meſſapios eſſe effectos; & pro inſulanis, continentis habitatores. ab urbe autem Hyriâ alias quoque incoluiſſe*. Dubitaſſe profectò Strabo minùs debuit, Hyriam hanc eſſe eamdem, quam ipſe vocat Οὐρίαν. ſiquidem Οὐέρητον anteà Βάριν adpellatum fuiſſe, ipſe teſtatur. quod ſanè vocabulum longiùs ab Herodoti Ὑρία diſſonat. At Appianus, qui ſub Adriano imperatore vixit, disertè, ac ſine aliquâ ambiguitate, Vriam iſtam, medio in iſthmo ſitam, vocavit Ὑρίαν, civil. bellor. lib. V. Ὡς δὲ καὶ Σερουίλιος, inquit, ἀπηγγέλθη προσιὼν τῷ Καίσαρι μετὰ χιλίων καὶ διακοσίων ἱππέων, οὐ κατασχὼν τῆς ὁρμῆς ὁ Ἀντώνιος, εὐθὺς ἀπὸ τοῦ δείπνου, μεθ' ὧν εὗρεν ἑτοίμων φίλων καὶ ἱππέων τετρακοσίων, μάλα θρασέως ἐπειχθεὶς, ἐπέπεσε τοῖς χιλίοις καὶ πεντακοσίοις εὐναζομένοις ἔτι περὶ πόλιν Ὑρίαν, καὶ ἐκπλήξας, ἀμαχεὶ παρέλαβέ τε, καὶ αὐτῆς ἡμέρας ἐς τὸ Βρεντέσιον ἐπανήγαγεν. Id eſt: *Vt verò etiam Servilium cum* IƆCC *equitibus ad Cæſarem ire nuntiatum eſt; non potuit ſe continere Antonius, quin ſtatim à cœnâ cum amicis, quotquot paratos nactus eſt, &* CCCC *equitibus, audaciâ ingenti irrueret in mille quingentos; quos adhuc cubanteis oppreſſit circa opidum Hyriam. & terrore in deditionem acceptos, eâdem die reduxit Brundiſium*. Caſtra uterque habuit ad Brunduſium, Cæſar Octavius, & M. Antonius, ſed hic propiora; ut qui id opidum, quod Cæſarianarum erat partium, circumſedebat. Itaque longiùs per

circuitum & Hydrinum ſive Vrinum agrum iter erat ex Antonii caſtris ad caſtra Cæſaris agendum; quum fortè proximus tranſitus præſidiis ſeu ſtationibus foret obſeſſus. Sed ex temporis etiam ſpatio, quo illa ab Antonio geſta ſunt, Vriam intellexiſſe Appianum, non Veretum; ſatis manifeſto argumento adparet. Herodoti igitur etiam Υ῾ϱίη in Meſſapiis nulla alia eſt, quàm quod opidum Straboni ἐν μέσῳ τῷ ἰσθμῷ, *in medio iſthmo*, dicitur Οὐϱία, *Vria*. quod vocabulum illic eodem modo ab incurioſo imperitove librario transformatum eſt in Οὐϱαῖον; ac tandem ab aliis in Θυϱαῖοι. quemadmodum & Ρ῾ωδίαι ibidem in Ρ῾ωδαῖοι; ut mox oſtendetur. Ptolemæus ipſe idem opidum ſcripſerit Οὔϱητον, *Vretum*; an idem ab librariis ex illo Οὐϱία ſit vitiatum; haud temerè dixerim. Apud Plinium, lib. III, cap. XI, ita legitur: *Latitudo peninſulæ à Tarento Brunduſium terreno itinere* XXXIII *millia paſſuum patet; multoque breviùs à portu Saſinâ. Opida per continentem à Tarento, Varia, cui cognomen Apulæ, Meſſapia, Aletium. in orâ verò Senonum Gallipolis.* Præter mendum librarii in *Varia*, quod debebat eſſe *Vria*; ſciolus quidam imperitusque grammaticus immiſit vocabulum iſtud *Apulæ*. nam aliud eſt præter hoc, opidum in Apulis Dauniis, ad Cerbalum, *Hyrium* Græcis, Latinis *Vria*; de quo ſuprà dictum. ad diſcrimen huius, Plinius in citato loco ſcripſerat, *Vria cui cognomen Meſſapiæ*. Imperitus iſte criticus, quum vocabulum *Meſſapiæ*, non commune ipſius regionis, ſed opidi alicuius proprium ac peculiare nomen eſſe opinaretur; immiſit dictis verbis vocabulum *Apulæ*. niſi fortè ſuſpicari libeat, ſcripſiſſe Plinium, *Vria, cui cognomen, ad diſcrimen Apulæ, Meſſapia*. Stephanus: Υ῾ϱία, πϱὸς τῇ Ἰαπυγίᾳ, Κϱητῶν κτίσμα· Ἡϱόδοτος ἑϐδόμῃ. τὸ ἐθνικὸν, Υ῾ϱιεύς. Id eſt: *Hyria, ad Iapygiam, Cretenſium opus; auctore Herodoto, lib.* VII. *Gentile, Hyrienſis*. Ergo etiam ab *Vriâ* opidani fuerint VRIENSES. Caſinenſe Chronicon, lib. III, cap. XXVIII, habet, *Archiepiſcopus Oiretanus*. Et Solinus: *Vritanus ager in Calabriâ*.

RVDIA, *vel* RHODAE, *opidum.*

In eodem iſthmo, eodemque à Brunduſino Tarentum verſùs itinere, fuit opidum, quod Plinio ac Ptolemæo, ſingulari numero dicitur RHVDIA, Ρ῾ȣδία: reliquis auctoribus plurali numero; Melæ ac Silio RVDIAE; Stephano Ρ῾ωδαὶ, RHODAE; Straboni Ρ῾ωδίαι, RHODIAE. Stephanus: Ρ῾οδαὶ, πόλις Ἰταλίας. τὸ ἐθνικὸν, Ρ῾οδαιάτης. Id eſt: *Rhodæ, opidum Italiæ. gentile, Rhodæates*. Mela lib. II, cap. IV: *Dauni habent Tifernum amnem; Cliterniam, Larinum, Teanum, opida; montemque Garganum.* [Intra hunc] *ſinus eſt, continuo Apulo litore incinctus, nomine Vrias, modicus ſpatio, pleraque aſper acceſſu. extrà, Sipuntum, vel, ut Graii dixêre, Sipûs; & flumen, quod Canuſium attingens, Aufidum adpellant. pòſt, Barium, Egnatia, & Ennio cive nobiles Rudiæ: & in Calabriâ, Brunduſium, Valetium, Lupiæ, Hydrûs.* Plinius, lib. III, cap. XI: *Brunduſio conterminus Pædiculorum ager.* Mox: *Pædiculorum opida, Rhedia, Egnatia, Barion. amnes, Pactius, Aufidus.* Hæc haud dubiè Plinius ex præſcripto Melæ loco mutuatus eſt, quidpe in eundem cum illo forte fortuna incidiſſe errorem, alioquin mirum foret. Rudias opidum, neque in Pædiculorum, neque in ullo quidem litore, ſed in mediterraneo Calabriæ peninſulæ fuiſſe; alii teſtantur auctores. in quibus Ptolemæus; Σαλεντίνων, inquit, πόλεις μεσόγειοι, Ρ῾ȣδία, Νήϱιτον, Ἀλήτιον. Id eſt: *Salentinorum opida mediterranea; Rudia, Neritum, Aletium*. Silius, lib. XII:

Sed vos Calliopæ noſtro donate labori,
Nota parùm magni longo tradantur in ævo
Facta viri, & meritum vati ſacremus honorem.
Ennius, antiquâ Meſſapi ab origine regis,
Miſcebat primas acies; Latiæque ſuperbum
Vitis adornabat dextrâ decus. hiſpida tellus,
Miſerunt Calabri; Rudiæ genuêre vetuſtæ:
Nunc Rudiæ ſolo memorabile nomen alumno.

Et Ovidius, de arte amandi lib. III:

Ennius emeruit, Calabris in montibus ortus,
Contiguus poni, Scipio magne, tibi.

D. Hieronymus, in Euſebii Chronicor. lib. II. ſic: *Quintus Ennius poëta Tarenti naſcitur*. Eadem verba habet lib. I: additque paullo pòſt: *Ennius poëta, ſeptuagenario maior, articulari morbo periit: ſepultusque in Scipionis monumento, viâ Appiâ, intra*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

primum ab urbe milliarium. Quidam oſſa eius Rudiam ex Ianiculo tranſlata adfirmant. De eodem vate ita Horatius, carm. lib. IIII, odâ VIII:

> *Non inciſa notis marmora publicis;*
> *Per quæ ſpiritus & vita redit bonis*
> *Poſt mortem ducibus: non celeres fugæ,*
> *Rejectæque retrorſum Annibalis minæ:*
> *Non incendia Carthaginis impiæ,*
> *Eius, qui domitâ nomen ab Africâ*
> *Lucratus rediit, clariùs indicant*
> *Laudeis, quàm Calabræ Pierides.*

Ad hæc vetus commentator: *Ennius Africani illius maioris geſta deſcripſit; oriundus Rudino, opido Calabriæ.* His jam adde Strabonis diſertiſſima verba, quæ dicto lib. VI, ubi de trajectu ex Epiro ad Brunduſium, & de itinere à Brunduſio Tarentum verſùs agit, ſunt huiusmodi: Διόπερ οἱ μὴ δυνάμενοι κρατεῖν τῆς εὐθυπλοίας, καταίρουσιν ἐν ἀριστερᾷ τὸ Σάσωνος πρὸς τὸν Ὑδροῦντα· ἐντεῦθεν δὲ τηρήσαντες φορὰν πνεύματος, προσέχουσι τοῖς Βρεντεσινῶν λιμέσιν· ἐκβάντες δὲ, πεζεύουσι συντομώτερον ἐπὶ Ῥωδίων, πόλεως Ἑλληνίδος, ἐξ ἧς ἦν ὁ ποιητὴς Ἔννιος. ἔοικεν οὖν χερρονήσῳ τὸ περιπλεόμενον χωρίον ἐκ Τάραντος εἰς Βρεντέσιον. ἡ δ᾽ ἐκ Βρεντεσίου πεζευομένη ὁδὸς εἰς τὸν Τάραντα εὐζώνῳ μιᾶς οὖσα ἡμέρας, τὸν ἰσθμὸν ποιεῖ τῆς εἰρημένης χερρονήσου. τὰ μὲν οὖν πολίχνια, τὰ ἐν τῷ παράπλῳ εἴρηται. ἐν δὲ τῇ μεσογαίᾳ Ῥωδίαι τέ εἰσι καὶ Λουπίαι, καὶ μικρὸν ὑπὲρ τῆς θαλάσσης Ἀλητία· ἐπὶ δὲ τῷ ἰσθμῷ μέσῳ Οὐρία. Hoc eſt: *Quapropter, qui rectum tenere curſum haud poſſunt, relictâ Saſone ad lævam, Hydruntem deferuntur. inde ſecundo vento exſpectato, ad Brundiſinos adpellunt portus; unde compendioſo itinere Rudias petunt, Græcam urbem, Ennii poëtæ patriam. Itaque peninſulæ formam refert regio, quæ à Taranto Brundiſium usque circumnavigatur. Iſthmum eius facit terreſtre inter dictas urbeis iter; quod unâ die ab expedito confici poteſt. Hactenus igitur opida in litore dicta ſunt. In mediterraneo ſunt Rodiæ & Lupiæ, ac paullum à mari recedens Aletia. in medio verò iſthmo Vria.* Vt alia illa complura, ſic Ῥωδίων quoque vocabulum corruptum erat in Ῥωδαίων, & Ῥωδίαι in Ῥωδαῖοι. De cætero, compendioſum illud vocavit Strabo iter Brunduſium inter & Tarentum, reſpectu ſcilicet itineris, quod longè prolixius erat ab Hydrunte Tarentum. Rhodias autem præ aliis locis in illo itinere nominavit, quia etiam ab Hydrunte Tarentum verſùs proficiſcentes, Rhodias tranſibant. RODIAE itaque ſive RVDIAE opidum, inter Tarentum Vriamque fuit ſitum. Hinc Ptolemæus, in Salentinis, qui meridionalem Meſſapiæ ſive Calabriæ peninſulæ tenuêre partem, id locavit; medio ferè poſitu inter Tarentum & Brunduſium: ut plerisque apud eum auctorem parùm veri genuinique tribuuntur ſitus. Hodieque locus, XX millia à Tarento, ab *Vriâ* vulgari incolis vocabulo dicitur *Ruia*. Cæterò, iter à Tarento Brunduſium usque in Tabulâ deſcribitur ad hunc modum:

Tarento	
Meſochoro	X.
Vrbius	X.
Scanuium	VIII.
Brindiſi	XV.

Iſthanc longitudinem Plinium facere XXXIII millium paſſuum, Strabonem verò σταδίων ι ϗ τ, id eſt, *ſtadiorum* CCCX; quæ ſunt millia XXXVIII, paſſus IↃCCL: ſuprà dictum eſt hoc capite. Sunt autem re verâ XXXVII. Locum iſtum medio ferè itinere poſitum, opidum fuiſſe *Vriam*; haud dubito. quod vocabulum quum auctor Tabulæ feciſſet plurali numero *Vrias*, ut *Erdoniam*, *Erdonias*; item, ut *Rudia* etiam dicebatur *Rudiæ*: corrupto *a* in *u*, ex ſuperfluo etiam atque alieno *b* arrepſit. Sed intervallum quoque XX millium inter Tarentum Vriamque probè congruit. Iam verò μέσος χῶρος, id eſt, MEDIVS LOCVS, ſive MEDIVM SPATIVM, quo ſitu fuerit, ipſa indicat adpellatio; tum æqua intervalla utrimque poſita. Porrò, ab Vriâ ad Brunduſium quum XVIII haud ampliùs ſint millia paſſuum; poſtremum numerum XV millium corruptum eſſe ex X, certum eſt. Vocabulum quoque *Scanuium* eſſe vitiatum, nemo dubitaverit. Ego quamvìs genuinam eius nominis ſcri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

ptionem divinare nequeam; tamen eumdem eſſe locum, qui hodiè vulgò incolis vocatur *Miſciagno*, cùm ex ſimilitudine vocabuli, tum ex intervallis deprehendo.

In eâdem Tabulâ aliud iter notatur, ad hunc modum:

Tarento	
Manduris	XX.
Neretum	XXIX.
Baletium	X.
Vhintum	X.
Veretum	X.

NERETVM, *opidum.*

Ex his NERETVM *opidum*, Ptolemæo dicitur Νήριτον, NERITVM. ſed Plinio lib. III, cap. XI, à Nereto ſunt opidani *Salentinorum* NERETINI. Ex vocabuli ſimilitudine, itineris ductu, atque intervallo, deprehenditur eſſe id opidum cui vulgare nunc vocabulum *Nardo*; XLV à Tarento millia paſſuum diſſitum. In Tabulâ rectè ſcripta ſunt inter Mandurias & Neretum millia XXIX. nam à *Caſal novo*, quod Mandurias eſſe mox oſtendam, tot ſunt millia ad opidum *Nardo*.

MANDVRIAE, *opidum.*

Inter Neretum atque Tarentum Tabulæ opidum ponunt MANDVRIAE; unde obliquus caſus *Mandurîs* pro *Manduriis*; (plerumque enim in Italiâ geminum II in unum contrahitur.) Livio ac Plinio dicitur ſingulari numero MANDVRIA; Stephano genere neutro, Μανδύριον, MANDVRIVM. Livius, lib. XXVII: *Q. Fabius conſul, opidum in Salentinis Manduriam vi cepit*. Plinius, lib. II, cap. CIII: *In Salentino agro, juxta opidum Manduriam, lacus ad margines plenus, neque exhauſtis aquis minuitur, neque infuſis augetur*. Stephanus: Μανδύριον, πόλις Ἰαπυγίας. Hoc eſt: *Mandurium, opidum Iapygiæ*. Apud Plutarchum, in vitâ Agidis ita legitur: Ἦν δὲ Ἀγησιλάου Ἀρχίδαμος, ὁ περὶ Μανδόνιον τῆς Ἰταλίας ὑπὸ Μασσαπίων ἀποθανών. Id eſt: *Argeſilai filius erat Archidamus; qui apud Mandonium à Meſſapiis interfectus fuit*. Verùm, ut ipſorum Μεσσαπίων vocabulum vitiatum heic eſt in Μασσαπίων; ſic etiam Μανδύριον in Μανδόνιον; ut ex ſuprà dictorum auctorum concordi patet teſtimonio. Vnde & eidem Stephano, loco prædicto, gentile eſt Μανδυρῖνος, MANDVRINVS. Cæterùm, opidi eius SITVS eſt facilis inveſtigatu; quando & intervallum XX à Tarento millium in Tabulâ; &, quod omnium certiſſimum erat indicium, lacus iſte mirandæ naturæ à Plinio adpoſitus eſt. is quidpe hodie viſitur ad opidum, cui vulgare vocabulum *Mandula*, ut Nigro, vel *Caſal novo*, ut aliis compluribus. ipſi autem lacui nomen eſt hodie *Andoria*, vel (ſecundùm Alexandrum Andreæ) *Verſentino*. Cæterùm, ANTIQVITAS Manduriæ ex Plutarcho cognoſcitur. quidpe Agis, cuius atavus erat Archidamus, Lacedæmoniorum rex fuit, tempore Seleuci Callinici Syriæ, & Ptolemæi Euergetis Aegypti regis; ut patet ex dicto Plutarcho, id eſt, tempore belli Punici, circa annum ante natum Ieſum CCXLVI.

VXINTVM, *opidum.*

Porrò, locus ille in Tabulâ *Vhintum*, ex itineris ductu atque intervallis deprehenditur eſſe Ptolemæi opidum Salentinorum Οὔξεντον, VXENTVM, vulgò nunc *Vſſento* & *Vgenti* dictum. Vitiatum igitur illud eſt in Tabulâ vocabulum, ab genuino fortè auctoris VXINTVM.

SOLETVM & SALLENTIA, *opidum.*

Inter Neretum & Vxentum, ſive, ut nunc iſta loca vulgò vocantur incolis, inter *Nardo* & *Ogento*, millia paſſuum ſunt XX. Locus igitur ille Tabulæ *Baletium*, horum duorum medio itinere poſitus, extra directum proximumque iter fuiſſe neceſſe eſt. Ego equidem haud dubito, quin vitiatum id ſit vocabulum; pro quo reponendum cenſeo SOLETVM, ex Plinii lib. III, cap. XI; ubi ita ſcriptum: *A Hydrunte Soletum deſertum: dein Fratuertium: portus Tarentinus; ſtatio militum Lupia; Baletium, Cælium, Brunduſium*. Vt Cælium, ſic & Soletum, (ne forte etiam Fratuertium, de quo nihil liquet,) non in litore, ſed in mediterraneo fuit. quidpe nomen antiquum locus etiam nunc retinet, vulgò incolis *Soleto* dictus. unde X millia ad Neretum, totidemque ad Vxentum ſunt millia paſſuum. In Tabulâ quum obſcuræ peneque exoletæ forent literæ in voce *Soletum*; exſcriptor imperitus conjecit debere eſſe *Baletium*. Cæterùm, Stephano prædictum opidum dicitur Σαλλεντία, SALLENTIA. Σαλλεντία, inquit, πόλις Μεσσαπίων. τὸ ἐθνικὸν, Σαλλεντῖνος. Id eſt: *Sallentia, opidum Meſſapiorum. gentile, Sallentinus*. Atque hinc eſt, quòd etiam nunc

incolæ

incolæ Meſſapiæ Græci dictum locum non *Soleto*, ſed *Sálanto* vocant. nam ipſum quoque Soletum dictum fuiſſe SALANTVM, teſtantur nummi antiqui, in quibus nomen Σαλαντίνων, id eſt, *Salantinorum*, perſcriptum eſt. Antiquitas huius loci atque celebritas inde adparet, quòd SALLENTINI populi inde antiquiſſimis temporibus ante Troianum bellum longè latéque ab Siculo freto ad Dauniorum usque fineis dicti ſint; ut ſuprà oſtenſum eſt.

Ptolemæo eſt Σαλεντίνων μεσόγειος πόλις Βαυότα, id eſt, *Salentinorum mediterraneum opidum* BAVOTA. Id ex ſitu, quem ei adſignat Ptolemæus, & item ex vocabuli ſimilitudine, deprehenditur eſſe idem quod vulgari hodiè incolis vocabulo dicitur *Pacavita*. *BAVOTA, opidum.*

Eidem Ptolemæo eorumdem Σαλεντίνων μεσόγειος πόλις eſt Ἀλήτιον, ALETIVM. unde opidani Plinio, lib. III, cap. XI, ſunt Salentinorum ALETINI. Sed & ipſum opidum Aletium Plinio memoratur, eodem capite anteà. *Latitudo*, inquit, *peninſulæ à Tarento Brunduſium terreno itinere* XXXIII *millia paſſuum patet. Opida per continentem à Tarento, Vria, cui cognomen*, [ad discrimen] *Apulæ, Meſſapia, Aletium*. Apud Strabonem lib. VI, erat Ἀλητία, ALETIA. quod vocabulum, ut alia illic complura, corruptum nunc legitur Σαλητία. Verba eius de eâdem peninſulâ hæc ſunt: Τὰ μὲν οὖν πολίχνια, τὰ ἐν τῷ παράπλῳ, εἴρηται. ἐν δὲ τῇ μεσογαίᾳ Ῥωδίαι τέ εἰσι καὶ Λουπίαι, καὶ μικρὸν ὑπὲρ τῆς θαλάσσης Σαλητία. Id eſt: *Hactenus igitur opidula in litore dicta ſunt. In mediterraneo ſunt Rhodiæ & Lupiæ, & paullùm à mari recedens Salepia*. Heic interpres auctoris poſterior, poſtque hunc commentator, legere maluerunt Σαλαπία, *Salapia*. quod opidum erat Apuliæ Dauniæ maritimum. At quid heic in mediterraneis dictæ peninſulæ, memoratio Straboni erat Dauniorum maritimi opidi, cuius ipſe poſteà ſuo loco facit mentionem? Error ſanè is eſt utriusque. Idem intellexiſſe opidum Strabonem, quod Plinio Ptolemæoque dicitur Ἀλήτιον, ALETIVM, ſitus indicat in dictâ peninſulâ, VIII millia paſſuum à mari & Lupiis; quod opidum perperam eum inter mediterranea connumeraſſe, ſuprà oſtenſum eſt. At Aletia, ſive Aletium vulgò nunc incolis dicitur *Lezze*. *ALETIVM, opidum.*

Plinio, lib. III, cap. XI, ſunt opidani Calabrorum STVRNINI. Ptolemæo Calabriæ opidum mediterraneum eſt Τοῦρνοι, ſive, ut paullò vetuſtiores eius auctoris interpretes legerunt, Στοῦρνοι, STVRNI. Eius loci ſitus planè non liquet; niſi fuerit opidulum cui vulgare nunc incolis vocabulum *Sternaccio*, quaſi diminutivum à *Sterno*. *TVRNI, vel STVRNI, opidum.*

CAP. XIV.

De LVCANIS & LVCANIA.

APuliæ conterminos fuiſſe ab auſtro juxta Bradanum amnem LVCANOS, ſuprà dictum eſt. Horum vocabulum Græcis auctoribus dicitur Λευκανοί: & regio eorum, quæ Latinis eſt LVCANIA, illis Λευκανία. eâdem ratione, ut Romanorum *Lucios* & *Lucullos* illi vocant Λευκίους & Λευκούλλους. Vnus tamen Ptolemæus, ut pleraque alia Italiæ vocabula, Latino modo dixit Λουκανούς. Heraclides de rebuspublicis: Λευκανοὶ φιλόξενοι καὶ δίκαιοι. Id eſt: *Lucani ſunt hoſpitales & juſti*. De horum GENERE atque ORIGINE ita ſcribit Plinius, lib. III, cap. V: *Lucani à Samnitibus orti, duce Lucio*. Et Strabo lib. V: Ἔστι δὲ παλαιότατον γένος οἱ Σαβῖνοι, καὶ αὐτόχθονες. τούτων δ' ἄποικοι Πικεντῖνοι καὶ Σαμνῖται· τούτων δὲ Λευκανοί. τούτων δὲ Βρέττιοι. Id eſt: *Antiquiſſima Sabinorum gens eſt, & indigena. ab his originem duxêre Picentes, atque Samnites: ab his porro Lucani; & ab his Brutii*. Et ſub initium lib. VI; poſtquam Lucaniæ oram inter Silari Laique amnium oſtia deſcripſit: Κατὰ μὲν δὴ τὴν Τυρρηνικὴν παραλίαν ταῦτά ἐστι τὰ τῆς Λευκανῶν χωρία. ἃ [meliùs οἳ] τῆς δευτέρας [meliùs MS. ἑτέρας] οὐχ ἥπτοντο θαλάττης πρότερον, ἀλλ' οἱ Ἕλληνες ἐπεκράτουν, οἱ τὸν Ταραντῖνον ἔχοντες κόλπον. πρὶν δὲ τοὺς Ἕλληνας ἐλθεῖν, οὐδ' ἦσαν πω Λευκανοί· Χῶνες δὲ καὶ Οἰνωτροὶ τοὺς τόπους ἐνέμοντο. τῶν δὲ Σαυνιτῶν αὐξηθέντων ἐπὶ πολὺ, καὶ τοὺς Χῶνας, καὶ τοὺς Οἰνωτροὺς ἐκβαλόντων, Λευκανοὺς δ' εἰς τὴν μερίδα ταύτην ἀποικισάντων, ἅμα δὲ καὶ τῶν Ἑλλήνων τὴν ἑκατέρωθεν παραλίαν μέχρι πορθμοῦ κατεχόντων, πολὺν χρόνον ἐπολέμουν οἵ τε Ἕλληνες καὶ οἱ βάρβαροι πρὸς ἀλλήλους. Id eſt: *Hæc*

igitur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

igitur ſunt Lucanorum loca, ad Tuſci maris litus: qui olim non pertigerunt ad alterum mare. ſed ibi obtinebant Græci, qui ſinum adcolebant Tarentinum. Antequam in Italiam Græci veniſſent, nulli dum erant Lucani. ſed Chones & Oenotri ea loca incolebant. Quum autem Samnites, viribus admodùm aucti, Chonas atque Oenotros ejeciſſent; Lucanosque colonos in hanc partem deduxiſſent; ſimul etiam Græci utrumque litus usque ad fretum tenerent: diu inter ſe Græci ac barbari bello certaverunt. Et paullo pòſt: Τῶν δὲ Λευκανῶν οἱ μὲν ἀπλόμενοι τῆς Τυῤῥηνικῆς θαλάττης εἴρηνται. οἱ δὲ τὴν μεσόγαιαν ἔχοντες, εἰσὶν οἱ ὑπεροικοῦντες τοῦ Ταραντίνου κόλπου. οὗτοι δ᾽ εἰσὶ κεκακωμένοι τελέως αὐτοί τε καὶ Βρέττιοι, καὶ αὐτοὶ Σαμνῖται, οἱ τούτων ἀρχηγέται, ὥστε καὶ διορίσαι χαλεπὸν τὰς κατοικίας αὐτῶν. αἴτιον δὲ, ὅτι οὐδὲν ἔτι σύστημα κοινὸν τῶν ἐθνῶν ἑκάστου συμμένει, τά τε ἔθη διαλέκτων τε καὶ ὁπλισμοῦ, καὶ ἐσθῆτος, καὶ τῶν παραπλησίων ἐκλέλοιπεν· ἄλλως τε ἄδοξοι παντάπασίν εἰσιν αἱ καθ᾽ ἕκαστα καὶ ἐν μέρει κατοικίαι. Hoc eſt: *Dictum eſt de Lucanis, Tuſcum mare contingentibus. Qui verò mediterranea tenent, ii ſunt, qui ſupra Tarentinum ſinum incolunt. Hi, unà cum Brutiis, & generis auctoribus ipſis Samnitibus, ita ſunt cladibus omnino attriti, uti eorum opida diſtingvere difficile ſit. Cauſa eſt; quòd nulla harum gentium pro ſe corpus aliquod civitatis peculiare hodie obtinent: & conſvetudines ſermonis, armaturæ, veſtium, aliaque id genus, obſoleverunt: tum ſingula ſeorſim opida obſcura ſunt atque ignobilia.* Et poſteà: Οἱ δὲ Λευκανοὶ τὸ μὲν γένος εἰσὶ Σαμνῖται. Ποσειδωνιατῶν δὲ καὶ τῶν συμμάχων κρατήσαντες πολέμῳ, κατέσχον τὰς πόλεις αὐτῶν· τὸν μὲν οὖν ἄλλον χρόνον ἐδημοκρατοῦντο. ἐν δὲ τοῖς πολέμοις ᾑρεῖτο βασιλεὺς, ὑπὸ τῶν νεμομένων ἀρχάς. νῦν δ᾽ εἰσὶ Ῥωμαῖοι. Hoc eſt: *Lucani à Samnitibus genus trahunt. ſuperatis bello Poſidoniatibus atque eorum ſociis, urbeis eorum obtinuerunt. Reliquo equidem tempore popularis reipublicæ apud eos obſervabatur adminiſtratio. at tempore belli rex creabatur ab iis, quorum erat deſignare magiſtratus. Nunc ſunt Romani.* TERMINOS tamen Lucanis ſtatuit ad Tuſcum mare, ſimul cum aliis auctoribus, à Picentinis Silarum, à Brutiis lacum amnem. Sub finem lib. V: Διήκουσι δ᾽ οἱ Πικέντες μέχρι τοῦ Σιλάρου ποταμοῦ. Id eſt: *Pertingunt Picentini ad Silarim usque amnem.* Et initio lib. VI: Μετὰ δὲ τὸ στόμα τοῦ Σιλάρου Λευκανία. Id eſt: *Poſt Silaris oſtium eſt Lucania.* Et haud multo pòſt: Μετὰ δὲ Πυξοῦντα Λᾶος κόλπος, καὶ ποταμὸς Λᾶος, καὶ πόλις, ἐσχάτη τῶν Λευκανίδων. Hoc eſt. *Poſt Pyxuntem & Laüs ſinus, & fluvius Laüs, & urbs, Lucanicarum extrema.* Ac deinde: Ἔστι δ᾽ ἡ μὲν Λευκανία μεταξὺ τῆς τε παραλίας τῆς Τυῤῥηνικῆς καὶ τῆς Σικελικῆς· τῆς μὲν ἀπὸ τοῦ Σιλάρου μέχρι Λάου, τῆς δ᾽ ἀπὸ Μεταποντίου μέχρι Θουρίων. κατὰ δὲ τὴν ἤπειρον ἀπὸ Σαμνιτῶν μέχρι τοῦ ἰσθμοῦ, τοῦ ἀπὸ Θουρίων εἰς Κηρίλλους, πλησίον Λάου. στάδιοι δ᾽ εἰσὶ τοῦ ἰσθμοῦ τ. Hoc eſt: *Lucania inter oram Tuſci ſimul atque ſiculi maris ſita eſt; illic à Silari usque ad Laum; heic à Metaponto ad Thurios. in mediterraneo, à Samnitibus usque ad iſthmum, qui à Thuriis ad Cerillos usque pertinet, propè Laum, iſthmus ſtadia occupat* CCC. Amnes iſti Silaris atque Laüs, hodieque vocantut *Silaro* & *Laino*. Thurios ad Sybarim, Metapontum ad Caſuentum fuiſſe flumina; quorum hoc nunc *Vaſento*, illud *Cochile*; poſteà oſtendetur. Quapropter ab auſtro limites rectè Lucanis ſtatuerim, ad Tuſcum mare Laum amnem; ad Siculum ſive Tarentinum, Sybarim fluvium: nam horum quoque fontes in Apennini jugis. ab ſeptemtrionibus autem Bradanum amnem; intra quem mox Metapontum in litore, & in mediterraneo Potentia, Lucanorum opidum: inde à fonte Bradani Apenninum montem ad fontem usque Silari; atque hinc ipſum Silarum. Conſentit in hos terminos & Plinius, lib. III, cap. V: *A Silaro*, inquit, *regio tertia & ager Lucanus Brutiusque incipit.* Mox: *Opidum Buxentum, Græcè Pyxus: Laüs amnis, fuit & opidum eodem nomine. Ab eo Brutium litus.* Capite autem XI, *Potentinos, Grumentinos, Sirinos*, iisdem Lucanis adſcribit. Grumentum nunc dicitur *Clarimonta*: Siris, *Sino*. hoc ad ipſum ſinum Tarentum; illud paullùm recedens. Mela & Silarum, & Picentiam, & Sirenuſas, & Minervæ promontorium in Lucaniâ ponit. Scylax in Περίπλῳ, ubi permultos alios circa Italiam commiſit errores, Lucaniam etiam ad Thurinorum finit urbem: poſt hanc reliqua verſùs ſeptemtriones & ortum ſolis, Iapygiæ nomini attribuit; & in iis Heracleam & Metapontum; adeoque Iapygiam ad Sybarim usque fluvium & Thurios urbem extendit. Verba eius hæc ſunt: Λευκανοὶ Σαυνιτῶν ἔχονται μέχρι Θουρίας. ἐν αὐτῇ πόλεις εἰσὶν Ἑλληνίδες αἵδε· Ποσειδωνία, καὶ Ἔλεα, Θουρίων ἀποικία, Πανδοσία Πλαταιέων, Τερίνα, Ἱππώνιον, Μέδμα, Ῥήγιον ἀκρωτήριον καὶ πόλις. * — *. Ἀπὸ Ῥηγίου πόλεις εἰσὶν αἵδε· Λοκροὶ, Καυλωνία, Κρότων, Λακίνιον, ἱερὸν Ἥρας, καὶ νῆσος Καλυψοῦς, καὶ ποταμοὶ Κρᾶθις καὶ Σύβαρις, καὶ Θουρία πόλις. οὗτοι

ἐν τῇ

ἐν τῇ Λουκανίᾳ Ἕλληνες. Μετὰ δὲ τὴν Λουκανίαν Ἰάπυγές εἰσιν ἔθνος, μέχρι Ἀρίονος ὄρους τοῦ ἐν τῷ κόλπῳ τῷ Ἀδρίᾳ. ἐν δὲ τῇ Ἰαπυγίᾳ οἰκοῦσιν Ἕλληνες, καὶ πόλεις εἰσὶν αἵδε· Ἡράκλειον, Μεταπόντιον, Τάρας καὶ λιμὴν Ὕδρους. Id eſt: *Lucani Samnites contiguos habent circa Thurias. In eâ* (Lucaniâ) *urbes Græcæ ſunt iſtæ: Poſidonia, & Elea Thuriorum colonia, Pandoſia, Platæeum, Terina, Hipponium, Medma, Rhegium, promontorium atque opidum.* Et poſteà: *Poſt Rhegium ſunt opida hæc: Locri, Caulonia, Croton, Lacinium, Templum Minervæ, & Calypſonis inſula, ipſi Crathis ac Sibaris amnes, oppidumque Thuria. Hi in Lucaniâ Græci ſunt. Poſt Lucaniam verò Iapyges ſequuntur; quæ gens usque ad Arionem montem, qui in Adriâ ſinu exſtat, pertingit. In Iapygiâ autem Græci habitant, urbesque ſunt hæ: Heracleum, Metapontium, Tarentum, & Hydruntis portus.* Sed hic inde videtur Scylaci error natus, quòd Thurios extremam Lucaniæ urbem intellexerat; ſed non obſervaverat, cui genti conterminam; nempe Brutiis: &, quia intellexerat, & Metapontium & Heracleam eſſe in ditione Tarentinorum; qui ipſi Iapygiæ fuêre incolæ. Sic autem hunc locum legendum eſſe, uti hîc à me citatus eſt, qui aliàs in vulgatis exemplaribus miſerè eſt corruptus; pòſt ſingulis locis patebit. Ptolemæus, more ſuo, antiqua novis permiſcens, ad Tarentinum quidem ſinum nullos agnoſcit Lucanos, *Magnæ Græciæ* nomini eo littore tributo: at apud Tuſcum mare eosdem illis unà cum Strabone ac Plinio ſtatuit fineis. Verba eius hæc ſunt: Λουκανῶν ὁμοίως, παρὰ τὸ Τυῤῥηνικὸν πέλαγος, Σιλάρου ποταμοῦ ἐκβολαί, Παῖστον, Οὐέλια, Βούξεντον. Βρουττίων ὁμοίως, παρὰ τὸ Τυῤῥηνικὸν πέλαγος, Λάου ποταμοῦ ἐκβολαί. Id eſt: *Lucanorum item ad Tuſcum mare; Silari amnis oſtium, Pæſtum, Veliæ, Buxentum. Brutiorum item ad Tuſcum mare; Lai fluminis oſtium.* Fineis igitur Lucaniæ ſub Romanorum imperio ſic ſeſe habuerunt. De NOMINIS ORIGINE, Paullus Diaconus Langobard. rer. lib. II, cap. XVII; & Iuſtinus, lib. XXIII, videri poſſunt. Nunc ſingula eius loca explicabimus; facto, quod ubique nobis inſtitutum, ab litoribus initio; ac primùm dicetur Tuſci maris litus.

Picentinorum igitur agri & Lucaniæ terminus SILARVS AMNIS, memoratur hoc nomine Virgilio, Columellæ, Dionyſio, Melæ, Plinio, Silio, Tabulæ itinerariæ, Ptolemæo: quorum huic Græcè eſt ὁ Σίλαρος, τοῦ Σιλάρου; ut paullo antè citatum. At Straboni dictis libris V & VI eſt Σίλαρις, Σιλάριδος, SILARIS. Lucano & Vibio SILER. Vulgò nunc dicitur adcolis *Selo*, & nonnunquam *Silaro*. Lucanus, lib. II: *SILARVS amnis.*

——— *Radensque Salerni*
Culta Siler.

Vibius: *Siler in Lucaniâ.* Plinium jam anteà audivimus. Mela ita lib. II, cap. IV: *Pæſtum opidum; Silarus amnis; Picentia.* Virgilius verò, Γεωργικῶν lib. III ſic canit:

Eſt lucos Silari circa ilicibusque virentem
Plurimus Alburnum volitans, cui nomen aſilo
Romanum eſt: œſtron Graji vertêre vocantes:
Aſper, acerba ſonans; quo tota exterrita ſilvis
Diffugiunt armenta: fugit mugitibus æther
Concuſſus, ſilvæque, & ſicci ripa Tanagri.

Et Silius, lib. VIII:

Nunc Silarus quos nutrit aquis. quo gurgite tradunt
Duritiem lapidum merſis inoleſcere remis.

Idem & Ariſtoteles narrat, in Mirandis. at fluvius ei dicitur Κέτος, *Cetus*: an ſatis ſine mendo, neſcio. Verba eius hæc ſunt: Ἐν τῇ Κύμῃ, τῇ περὶ τὴν Ἰταλίαν, δείκνυταί τις θάλαμος κατάγειος Σιβύλλης τῆς χρησμολόγου. * . Τοῦτον δὲ τῶν τόπων λέγεται κυριεύεσθαι ὑπὸ Λουκανῶν. εἶναι δὲ λέγουσιν ἐν ἐκείνοις τοῖς τόποις περὶ τὴν Κύμην ποταμὸν ἵνα Κέτον [χ. Μακέπταν] ὀνομαζόμενον. εἰς ὃν φασὶ τὸ ἐμβληθὲν πρῶτον περιφύεσθαι, καὶ τέλος ἀπολιθοῦσθαι. Id eſt: *Apud Cumam Italiæ aiunt thalamum ſubterraneum Sibyllæ fatidicæ oſtendi.* Mox: *Cæterò, loca hæc à Lucanis teneri aiunt. eſſeque in eis locis fluvium nomine Cetum, in quem jacta primùm enaſcantur; ac poſtremò in lapidem indureſcant.* Ego quum tale quid adcolas amnis percunctarer; riſerunt illi priſcorum hominum fabulas.

Cæterùm, TANAGER iſte Virgilii fluvius, nullus alius eſt, quàm qui ex mediâ Lucaniâ & Apennini jugis in Silarum defluens, vulgari nunc vocabulo dicitur *Negro*. Memoratur is Antonino quoque in itinere quod eſt huiusmodi: TANAGER, *fluvius.*

Nuceria

Nuceria			
In medio Salerno ad Tanarum	XXX.		
Ad Calorem	XXIV.		
In Marcelliana	XXV.	Campora.	
Cæſariana	XXI.	Lago Negro.	Convent.
Nerulo	XXXIII.	rectiùs XVIII.	Epiſcopani.
Summurano	XIV.	rectiùs XVI.	
Caprasîs	XXI.	rectiùs XVI.	
Conſentia	XXVIII.	rectiùs XXIII.	

Legendum eſſe heic ad *Tanagrum*; itineris ductus à Salerno verſùs Nerulum & Conſentiam indicat; quæ loca etiam nunc ita adpellantur. *G* autem omnino eſſe ſcribendum; vulgare hodiè vocabulum teſtatur, *Negro*; quod ab obliquo caſu Latino *Tanagro*, ut reliquæ Italorum nunc voces, deductum. Eumdem fluvium Plinius memorat: ſed ſine nomine. Verba eius hæc ſunt, prædicto lib. II. cap. CIII. *In Atinate campo fluvius merſus, poſt* XX *millia paſſuum exit. & in Aquileienſi Timovus*. Opidum hoc ATINVM hodiéque vocatur vulgò *A'teno*, mediâ ſyllabâ correptâ; in dextrâ Tanagri fluvii ripâ. infra quod ad diverſorium publicum, cui vulgare vocabulum *la Polla*, fluvius in ſpecum ſeſe magno cum murmure montis condit, & poſt IIII millia paſſuum haud procul opido *Aulettâ* iterum emergit, apud diverſorium, cui inde vulgaris adpellatio quæſita *l' Oſteria del pertuſo*, id eſt, *Diverſorium foraminis*. Error igitur is ſummus fuit Plinii, XX millia paſſuum ſubter terram fluere tradentis. Sed de *Timovo* id ille acceperat. quamquàm hic quoque per XV millia tantùm ſubter terram labitur.

ATINVM *opidum.*
LA POLLA, *diverſorium.*
AVLETTA, *opidum.*
L'OSTERIA DEL PERTVSO, *diverſorium.*
TIMOVVS, *fluvius.*
CALOR *amnis.*

CALOR itidem AMNIS hodieque nomen antiquum retinet, vulgò *il Calore* dictus, medio tractu inter Tanagrum & mare ex meridie in ſeptemtriones ad Silarum contendens; cui VI circiter millibus paſſuum ſupra mare miſcetur. Vterque fluvius, Tanager & Calor perenneis habent fonteis, & nullo anni tempore exſiccantur: quod tamen de Tanagro tradidêre Virgilius ſuprà, & S. Eutropius Paulinus in Natali Felicis:

——— *Quique*
Vfentem Sarnumque bibunt, qui ſicca Tanagri,
Quique colunt rigui felicia culta Galeſi.

De quo loco ſuprà, in citatione ad Galeſum, dictum eſt.

ALBVRNVS *mons.*
POSTIGLIONE, *vicus.*

ALBVRNVS ille MONS, Virgilio inter Silarum & Tanagrum amneis memoratus, haud dubiè is eſt, qui inter Calorem, Silarum & Tanagrum, vulgari nunc vocabulo dicitur *Monte di Poſtiglione*, à vico juxtà ſito; aſilis ſive œſtris etiam nunc frequentiſſimus; & ilicibus maximè virens. Apud Vibium in catalogo fluminum ita legitur: *Siler, in Lucaniâ, opido Alburno*. Non magis puto opidum fuiſſe eo nomine quàm fluvium; quod tradidit Philargyrus: omninoque cenſeo, apud Vibium ſcriptum fuiſſe, *monte Alburno*. Sanè in catalogo montium ſic legitur: *Alburnus Lucaniæ*. Ad præſcriptum tamen Virgilii locum ita commentatur Probus grammaticus: *Silarum flumen eſt Lucaniæ, portus Alburnus, & eiusdem nominis mons ad ſextum à primis tabernis. Mentionem facit Lucilius hoc verſu: Quatuor hinc ad Silari flumen, portumque Alburnum*. PORTVS hic ALBVRNVS haud dubiè eodem fuit ſitu, ubi nunc trajectus eſt inferior fluminis, III circiter millia paſſuum à mari. quidpe heic in lævâ amnis ripâ veteris ſive templi ſive caſtelli ruinæ etiam nunc vulgari vocabulo incolis dicuntur *Alfurno*.

PORTVS ALBVRNVS.

LVCI *ad* SILARVM.

De cætero, LVCI circa Silarum etiam nunc ſunt toto hoc litore & per aliquot millia intus denſiſſimi.

TEMPLVM IVNONIS ARGIVAE.

Porrò, ad ipſum Silari oſtium, fuit TEMPLVM IVNONIS ARGIVAE. Strabo, initio lib. VI: Μετὰ δὲ τὸ στόμα τοῦ Σιλάριδος Λευκανία, καὶ τὸ τῆς Ἥρας ἱερὸν τῆς Ἀργῴας, Ἰάσονος ἵδρυμα, καὶ πλησίον ἐν πεντήκοντα σταδίοις ἡ Ποσειδωνία. Id eſt: *Poſt Silaris oſtium ſequitur Lucania, fanumque Iunonis Argivæ, ab Iaſone conditum; propeque à* L *ſtadiis Poſidonia*. Hanc quoque Pæſtum fuiſſe vocatam, mox oſtendemus. nunc eſt *Pieſſi*; L ſtadia, id eſt, millia VI & paſſus CCL ab Silaro oſtio diſſitum. Sed templum hoc Plinius, lib. III, cap. V, ad dextram ponit ripam, in Picentinorum agro. *A Surrento*, inquit,

inquit, *ad Silarum amnem, triginta millia paſſuum ager Picentinus fuit Tuſcorum, templo Iunonis Argivæ, ab Iaſone condito, inſignis. A Silaro regio tertia, & ager Lucanus Brutiusque incipit.* Sanè Tuſcos ultra veteris Campaniæ limitem, id eſt, Silarum amnem, quidquam tenuiſſe, nusquàm, quod meminerim, legi. at Strabonis tamen longè maior eſt exactiorque in deſcribendis regionibus locisque diligentia. Interim rem eam in dubio relinquam, neceſſe eſt.

Nunc ad ſingulorum opidorum enarrationem eſt progrediendum: ubi primùm lector monendus, Euſtathium ad Dionyſium talem committere errorem, in nominandâ aliquâ urbe, πόλις, vocabulo LVCANIAE, Λευκάνης, qualem errorem commiſit Stephanus in appellando Samnio opido; ut ſuo loco indicatur.

PAESTVM, opidum, Græcis dicebatur Ποσειδωνία, POSIDONIA, ἀπὸ τοῦ Ποσειδῶνος, id eſt, à Neptuno; unde etiam NEPTVNIA Paterculo. Memoratur Scylaci, Virgilio, Livio, Columellæ, Straboni, Marciano Heracleenſi, Melæ, Plinio, Ptolemæo, Stephano. Ptolemæus: Σιλάρου ποταμοῦ ἐκβολαὶ, Παῖστον. Id eſt: *Silaris amnis oſtium, Pæſtum.* Strabo, fine lib. V: Τὸ δὲ Πικεντίνων ἔθνος, μικρὸν ἀπόσπασμα τῶν ἐν τῷ Ἀδρίᾳ Πικεντίνων, ὑπὸ Ῥωμαίων μετῳκισμένον εἰς τὸν Ποσειδωνιάτην κόλπον, ὃς νῦν Παιστανὸς καλεῖται, καὶ ἡ πόλις ἡ Ποσειδωνία, Παῖστος, ἐν μέσῳ τῷ κόλπῳ κειμένη. Id eſt: *Gens Picentinorum, avulſa particula Picentinorum, Hadriaticum mare adcolentium, à Romanis transducta ad Poſidoniatem ſinum, qui nunc Pæſtanus vocatur; & urbs Poſidonia, Pæſtus, in medio ſinu ſita.* Plinius, lib. III, cap. V: *Opidum Pæſtum, Græcis Poſidonia adpellatum: ſinus Pæſtanus.* Mela, lib. II, cap. IV: *Pæſtanus ſinus, Pæſtum opidum, Silarus amnis.* Silius, lib. VIII:

——— Nunc Picentia Pæſto
Miſit.

Propertius, lib. IV, eleg. V:

Vidi ego odorati victura roſaria Pæſti
Sub matutino cocta jacere noto.

Virgilius Γεωργικῶν lib. IV:

Forſitan & pingueis hortos quæ cura colendi
Ornaret, canerem; biferique roſaria Pæſti.

Ovidius, Ponticorum lib. II, eleg. IV:

Calthaque Pæſtanas vincet odore roſas.

Auſonius, Idyll. XIV:

Vidi Pæſtano gaudere roſaria cultu,
Exoriente novo roſcida lucifero.

Claudianus de nuptiis Honorii & Mariæ:

——— Vel flore ſub uno
Ceu geminæ Pæſtana roſæ per jugera regnant.

Hodiè ruinæ eius, cultoribus planè vacuæ, vulgò dicuntur *Peſti*, ſive dialecto incolarum Neapolitani regni *Pieſti*; ut *Prieſto, Salierno, Tavierna*, pro *Preſto, Salerno, Taverna*.

Cæterùm de CONDITORIBVS Poſidoniæ ſive Pæſti ſic ſcribit Solinus, prædicto capite VIII: *Notum eſt, Pæſtum à Dorenſibus conſtitutum.* Sed aliter Martianus Heracleenſis, in Περιηγήσει:

Προσεχεῖς δὲ τούτοις εἰσὶ πάλιν Οἰνώτριοι,
Μέχρι τῆς Ποσειδωνιάδος ὠνομασμένης·
Ἥν φασι Συμβερίτας ἀποικίσαι ποτέ.

Id eſt:

Rurſum contermini ſunt his Oenotrii,
Vsque ad illam quæ Poſidonia vocatur;
Quam dicunt conditam olim à Sybaritis.

Corrigo vocem corruptam Συμβερίτας in Συβαρίτας, ex Strabonis ſequenti loco. Appellatur autem heic Martiano Ποσειδωνιὰς, Ποσειδωνιάδος, metri causâ, pro Ποσειδωνία, Ποσειδωνίας. Strabonis locus lib. V, hic eſt: Συβαρῖται μὲν οὖν ἐπὶ θαλάττῃ τεῖχος ἔθεντο. οἱ δ' οἰκισθέντες ἀνωτέρω μετέστησαν. ὕστερον δὲ Λευκανοὶ μὲν ἐκείνους, Ῥωμαῖοι δὲ Λευκανοὺς ἀφείλοντο τὴν πόλιν. ποιεῖ δὲ αὐτὴν ἐπίνοσον ποταμὸς, πλησίον εἰς ἕλη ἀναχεόμενος. *Sybaritæ ad mare mœnia poſuerant, incolæ autem ſurſum commigrarunt. his Lucani poſtmodum, Lucanis Ro-*

nis Romani ademerunt urbem. Morboſam eam facit amnis, prope urbem in paludeis diffuſus.

FLVMEN & STAGNVM SALSVM.

Nempe amnis, qui vulgò adcolis nunc dicitur *Fiume ſalſo*, FLVMEN SALSVM. quidpe fontes eius ſub ſaxoſo monte, in quo ruinæ opidi *Capacii veteris* ſitæ, in planitie, loco paluſtri, verſùs occaſum ſolis, oriuntur ſalſi & tepidi. unde rivulus ad proximum diverſorii publici locum, cui inde vulgare vocabulum *Capo di fiume*, delatus, ſtagnum quoddam exiguum efficit; moxque complures alios recipit uberrimos fontes dulcis aquæ, ſub diverſorio ex ſaxoſo ſolo verſùs meridiem ebullientes: atque inde jam amnis ſatis latus atque altus per duo millia paſſuum fertur, juxtaque Pæſtum per loca maximè paluſtria in mare effunditur. Memoratur STAGNVM hoc SALSVM Plutarcho in vitâ Craſſi: ubi hiſtoriam refert de Spartaco eiusque exercitu, qui Craſſi ad fretum Siculum obſidionem effugerat. Ἐφοβήθη μὲν οὖν, inquit, ὁ Κράσσος, μὴ λάβοι τις ὁρμὴ τὸν Σπάρτακον ἐπὶ τὴν Ῥώμην ἐλαύνειν. ἐθάῤῥησε δὲ, πολλῶν ἐκ διαφορᾶς ἀποστάντων αὐτοῦ, καὶ στρατοπεδευσαμένων καθ' αὑτοὺς ἐπὶ Λευκανίδος λίμνης, ἥν φασι τρέπεσθαι διὰ χρόνου, γινομένην γλυκεῖαν καὶ αὖθις ἁλμυρὰν καὶ ἄποτον. Τούτοις ἐπελθὼν ὁ Κράσσος, ἐξέωσε μὲν ἀπὸ τῆς λίμνης, ἀφῃρέθη δὲ τὸν φόνον καὶ τὴν δίωξιν αὐτῶν ἐπιφανέντος ὀξέως τοῦ Σπαρτάκου, καὶ τὴν φυγὴν ἐπιστήσαντος. Id eſt: *Itaque timuit Craſſus, ne impetus Spartacum Romam raperet. Verùm confirmatus eſt; quòd multi ex diſſenſione deſciviſſent ab illo, & caſtra ſeorſum ad ſtagnum poſuiſſent Lucanum; quod certis temporibus variari ferunt, ac modò dulce, modò ſalſum nec potabile fieri. Eos Craſſus quidem adortus, repulit à ſtagno. ſed, ne deleri eos vel conſectari poſſet, per ſupervenientem properè Spartacum, & fugam ſiſtentem, factum eſt.* Idem Plutarchum intelligere ſtagnum, quod ego modò deſcripſi, Oroſii fidem faciunt verba; quæ lib. V, cap. XXIV, ſunt huiusmodi: *Senatus Craſſum cum legionibus conſulum, novoque ſupplemento militum, miſit. Is mox fugitivorum pugnam iniit; VI millia eorum interfecit; ↄↄ CCCC verò cepit. Inde, priusquam ipſum Spartacum, ad caput Silari fluminis caſtrametantem, bello adgrederetur; Gallos, auxiliatores eius, Germanosque ſuperavit. è quibus XXX millia hominum cum ipſis ducibus occidit. Noviſſimè ipſum Spartacum, diſpoſitâ acie congreſſum, maximasque cum eo fugitivorum copias perculit.* Cæſar de Rheno: *Per caput Silari heic intellexit Oroſius oſtium amnis; circa quod pugna illa & cædes XXX millium fugitivorum facta.* Quòd Plutarchus ait, certis temporibus prædictum ſtagnum modò dulce, modò ſalſum fieri ſolitum fuiſſe; id equidem haud omnibus partibus falſum eſt. quidpe ſtagnum quidem ipſum perpetuò ſalſos recipit fonteis, amnemque ſalſum per cataractam emittit: at alteros illos fonteis, quos dulceis eſſe dixi, incolæ equidem pro ſalſis habent; ego verò dulciſſimos potando expertus ſum. unde mihi certum indicium, variari eos alternatim. Cæterùm, de eodem fugitivorum bello ita legitur apud Iulium Frontinum, Strategem. lib. II, cap. IV, exemp. VII: *M. Licinius Craſſus, fugitivorum bello, apud Calamarium educturus militem adversùs Caſtum & Canimocum, duces Gallorum,* XII *cohortes cum C. Promptino & cum Q. Martio Rufo legatis poſt montem circummiſit. quæ quum, commiſſo jam prœlio, à tergo clamore jam ſublato, decurriſſent, ita fuderant hoſtes, ut ubique fugam pro pugnâ capeſſerent.* Item, eodem lib. cap. V, exemp. XXXIV ita legitur: *M. Licinius Craſſus, bello fugitivorum, apud Cathenam caſtra comminùs cum hoſtium caſtris vallavit. nocte deinde combinatis copiis, manente prætorio in maioribus caſtris, ut fallerentur hoſtes, ipſe omneis copias eduxit; & in radicibus prædicti montis conſtituit. diviſoque equitatu, præcepit L. Quintio, partem Spartaco objiceret, pugnâque eum fruſtraretur. parte aliâ Gallos Germanosque, ex factione Caſſi & Gannici, eliceret ad pugnam; &, pugnâ ſimulatâ, deduceret, ubi ipſe aciem inſtruxerit.* Eosdem heic intelligi Germanos Gallosque, quos Oroſius Spartaci vocat auxiliatores, Plutarchus verò ab ipſo deſciviſſe ait; patet ex eo, quòd factionem heic nominat Frontinus Caſti & Gannici. Cap. IV vitiatum eſſe vocabulum *Canimoci* pro *Gannici*; ſatis manifeſtum reddit ipſa eiusdem hiſtoriæ repetitio. ex quâ etiam haud obſcurum, in verbis *apud Cathenam*, & rurſum in iſtis verbis *apud Calamarium*, unum & idem eſſe debere unius eiusdemque montis nomen. In quibusdam exemplaribus cap. V legitur, *apud Cantennam*; capite verò præcedente *Calamatrum*; & in aliis *Calamatium*.

CALAMATIVS, *mons.*

Ego cenſeo, verum genuinumque nomen fuiſſe CALAMATIVS MONS. unde poſteà factum vulgare *Calmatio*; & mox *Calpatio*: ac tandem *Capacio*. unde nunc etiam opidi antiqui in eo ſiti ruinis adpellatio manet *Capaccio Vecchio*; id eſt, *Calamatium vetus*: & novo opido ad radicem eius montis verſùs orientem hiber-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

hibernum ſito, *Capaccio nuovo*; id eſt, *Calamatium novum*. De cætero, campus eſt inter Silarum amnem & dictum montem Calamatium, inſtruendis aciebus & pugnæ conſerendæ oportuniſſimus. Verùm Plutarchus mox poſt ſuprà ſcripta verba ſic pergit: Πρῶτον μὲν οὖν διαγνοὺς τοῖς ἀφεστῶσι καὶ κατ' ἰδίαν στρατευομένοις, ὧν ἀφηγοῦντο Γάϊος Καννίκιος καὶ Κάστος ἐπιθέσθαι, λόφον τινὰ προκαταληψομένους, ἄνδρας ἑξακισχιλίους ἀπέστειλε, λανθάνειν κελεύσας πειρᾶσθαι. οἱ δὲ ἐπειρῶντο μὲν τὴν αἴσθησιν ἀποκρύπτειν, τὰ κράνη καταμπέχοντες. Ὀφθέντες δ' ὑπὸ δυοῖν γυναικῶν προθυομένων τοῖς πολεμίοις, ἐκινδύνευσαν, εἰ μὴ Κράσσος, ὀξέως ἐπιφανεὶς, μάχην ἔθετο πασῶν καρτερωτάτην, ἐν ᾗ τριακοσίους ἐπὶ δισχιλίοις καὶ μυρίοις κατέλαβε. Σπαρτάκῳ δὲ μετὰ τὴν τούτων ἧτταν ἀναχωροῦντι πρὸς τὰ ὄρη τὰ Πετηλῖνα, Κόϊντος τῶν περὶ Κράσσον ἡγεμόνων, καὶ Σκρώφας ταμίας, ἐξαπτόμενοι παρηκολούθουν. ἐπιστρέψαντος δὲ γίνεται φυγὴ μεγάλη τῶν Ῥωμαίων, καὶ μόλις τρωθέντα τὸν ταμίαν ἁρπάσαντες ἀπεσώθησαν. Τοῦτο τὸν Σπάρτακον ἀπώλεσε τὸ κατόρθωμα, φρονήματος ἐπιγινομένου τοῖς δραπέταις. οὐκέτι γὰρ ἠξίουν φυγομαχεῖν· οὐδ' ἐπείθοντο τοῖς ἄρχουσιν· ἀλλ' ἤδη καθ' ὁδὸν ὄντας ἐν τοῖς ὅπλοις περισχόντες, ἠνάγκασαν αὖθις ὀπίσω διὰ τῆς Λευκανίας ἄγειν ἐπὶ τοὺς Ῥωμαίους. Id eſt: *Certus igitur, illos, qui defecerant, & ſeorſum poſuerant caſtra, quos C. Cannicius* [Gannicus eſt Frontino; Livio verò, lib. XLVII, Granicus] *& Caſtus ducebant, adgredi; mittit ſex millia militum ad occupandum collem quemdam. his imperat, ut, quàm poſſunt occultiſſimè, iter faciant. qui, ſtudentes hoſtem fallere, galeas frondibus contexêre. conſpecti autem à duabus mulieribus, qui ſacrificabant pro ſalute hoſtium, in periculo fuiſſent, ni celeriter interveniens Craſſus, pugnam commiſiſſet multo acerrimam; in quâ XII millia CCC cecîdit. Spartacum poſt horum cladem, recipientem ſe ad Petelinas monteis, Quintus, Craſſi legatus, & Scrofa quæſtor, tergo adhærentes carpebant. Verùm, ut ille agmen tandem convertit; fœdè fugerunt Romani; atque, ægrè ſaucio quæſtore erepto, incolumes evasêre. Hæc victoria, quòd nimios ſpiritus feciſſet fugitivis, perdidit Spartacum. nolebant enim ultrò pugnam detrectare; neque ducibus dicto erant audientes: ſed in itinere armis cinctos coëgerunt retrò per Lucaniam ducere in Romanos.* Apud ſtagnum Lucaniæ, ait, XII millia & CCC cæſos fuiſſe: & inde in Petelinos colleis conceſſiſſe Spartacum, qui ſunt circa Peteliam Brutiorum opidum, hodiè *Strongoli*, ut ſuo loco oſtendam, vulgò dictum. hinc retrò in Lucaniam iterum convertiſſe agmen. Error igitur heic vel mendum in propriis iſtis vocabulis nullum ſuſpicandum eſt. Hinc Oroſius lib. V, cap. XXIV; & ab eo ſua mutuati, Paulus Diaconus, Hiſtor. miſcell. lib. VI: Freculfus, tomo I. lib. V, cap. XVI: *Senatus M. Licinium Craſſum cum legionibus conſulum novòque ſupplemento militum miſit.* COLONIAM Pæſtum deduxiſſe Romanos; teſt eſſunt Livius atque Paterculus. Ex Livii libro XIV epitomator hæc refert: *Coloniæ deductæ ſunt, Poſidonia & Conſa. Res præterea contra Lucanos, Samniteis & Brutios feliciter geſtas & Pyrrhi regis mortem continet.* Annum adponit Paterculus, lib. I: *Coſſam & Pæſtum miſſi coloni, Fabio Dorſone & Claudio Caninâ Coſſ.* Annus hic fuit urbis Romæ CCCLXXX; ante natum Ieſum CCLXXIII. Ac tum fortè Poſidonia mutato nomine Pæſtum dici cœpit. quod ex Livio colligo, Poſidoniam & antè, & quum colonia deduceretur, adpellante; poſteà verò Pæſtum. nam lib. XXVII, inter colonias, quæ bello Annibalico fida Romanis ſuppeditaverant auxilia, PAESTANI quoque connumerantur. Philargirius coloniam Tarentinorum Pæſtum vocat; in Virgil. Γεωργικῶν lib. IIII, ſic ſcribens: *Pæſtum, civitas Lucaniæ. Hæc civitas Poſidonia dicitur: & eſt in agro Salentino, colonia Tarentinorum.*

Cæterùm, à Poſidoniâ ſive Pæſto, maris SINVS, cui eâ urbs adpoſita, dictus fuit POSIDONIATES, ac PAESTANVS. Mela, dicto lib. II, cap. IV: *Palinurus; Pæſtanus ſinus: Pæſtum opidum.* Plinius, lib. III, cap. V: *Opidum Pæſtum, Græcis Poſidonia adpellatum; ſinus Pæſtanus: opidum Helia, quæ nunc Velia. promontorium Palinurum.* Cicero ad Atticum, lib. XVI, epiſt. VI: *Ego adhuc (perveni enim Vibonem ad Siccam) magis commodè, quàm ſtrenuè navigavi. remis enim magnam partem: prodromi nulli. Illud ſatis oportunè. duo ſinus fuerant, quos tramitti oportet; Pæſtanus & Vibonenſis: utrumque pedibus* [&] *equis transmiſimus.* Strabo, fine lib. V: Ἐς τὸν Ποσειδωνιάτην κόλπον, ὃς νῦν Παιστανὸς καλεῖται. Id eſt: *Ad Poſidoniatem ſinum; qui nunc Pæſtanus vocatur.* Sed hunc egregiè deſcribit initio lib. VI. Μετὰ δὲ τὸ στόμα τοῦ Σιλάριδος Λευκανία, καὶ τὸ τῆς Ἥρας ἱερὸν τῆς Ἀργῴας, Ἰάσονος ἵδρυμα, καὶ πλησίον ἐν πεντήκοντα σταδίοις ἡ Ποσειδωνία. ἐντεῦθεν ἐκπλέουσι τὸν πόντον νῆσος Λευκωσία, μικρὸν ἔχουσα πρὸς τὴν ἤπειρον διάπλουν, ἐπώνυμος μιᾶς τῶν Σειρήνων, ἐκπεσούσης δεῦρο μετὰ τὴν μυθευομένην ῥῖψιν αὐτῶν εἰς τὸν βυθόν. τῆς

SINVS PAESTANVS, vel POSIDONIATES.

δὲ νῆσος πρόκειται τὸ ἀκρωτήριον .... [deeſt nomen promontorij, ac participium; fortè, ἀντικείμενον] τῆς Σειρηνούσσης, καὶ ποιοῦν τὸν Ποσειδωνιάτην κόλπον. Hoc eſt: *Sequitur poſt Silaris oſtium Lucania, fanumque Iunonis Argoæ, à Iaſone conditum; propeque à L ſtadiis Poſidonia. Hinc in altum naviganti Leucoſia occurrit inſula, brevi à continente trajectu; nomen ferens unius Sirenum, quæ ibi locorum ejecta fuit, quum ſe eæ, ut in fabulis eſt, in profundum mare præcipitaſſent. Ante eam inſulam eſt promontorium ..... Sirenuſis objectum, ſinumque efficiens Poſidoniatem.*

PROMONTORIUM POSIDIUM, & LEUCOSIA *inſula.*

Promontorium id etiam nunc à dictâ Leucoſiâ dicitur vulgari adpellatione incolis *Capo di Licoſa*. Sinus autem hinc ad ſuprà memoratum Minervæ promontorium, *Golfo di Salerno*. Iſacio in Lycophronem vocatur Ποσειδήϊον ἄκρον, ſed forte rectiùs ſcripſeris Ποσείδιον ἄκρον, id eſt, POSIDIUM PROMONTORIUM. quod vocabulum etiam aliis regionibus atque locis frequentiſſimum eſt. Ipſe Lycophron ita canit de tribus Sirenibus:

Κτενεῖ δὲ κούρας Τηθύος παῖδας τριπλᾶς,
Οἴμας μελῳδοῦ μητρὸς ἐκμεμαγμένας,
Αὐτοχθόνοις ῥιφαῖσιν ἐξ ἄκρας σκοπῆς
Τυρσηνικὸν πρὸς κῦμα δυπτούσας πτεροῖς·
Ὅπου λινεργὴς κλωστὶς ἑλκύσει πικρά.
Τὴν μὲν Φαλήρου τύρσις ἐκβεβρασμένην,
Γλάνις τε ῥείθροις δέξεται τέγγων χθόνα.
Ἀκτὴν δὲ τὴν προὔχουσαν εἰς Ἐνιπέως
Λευκωσία ῥιφεῖσα τὴν ἐπώνυμον
Πέτραν ὀχήσει δαρόν. ἔνθα λάβρος Ἶς,
Γείτων δ' ὁ Λᾶρις, ἐξερεύγονται ποτά.

Hoc eſt:

Treis autem occidet Tethyis nepteis virgines,
Canoræ matris cantus exprimenteis,
Spontaneis jactibus ex altâ ſpeculâ
In fluctus Tyrrhenos pennis urinanteis;
Quò lanificum trahet acerbum ſtamen.
Vnam quidem Phaleri arx expulſam,
Glaniſque terram humectans excipiet.
In ripam autem eminentem Enipei
Ejecta Leucoſia, cognominem diu
Occupabit inſulam; ubi violentus Is,
Vicinusque Laris eructant latices.

Ad hæc ita Iſacius: Ἐνιπεὺς ὁ Ποσειδῶν παρὰ Μιλησίοις τιμᾶται. εἰς δὲ τὸ Ποσειδήϊον πεπτωκυῖα ἐκρεύσασα (?) ἡ Λευκωσία, ἡ Σειρήν. Προὔχουσαν. τὴν προκειμένην εἰς θάλασσαν. λέγει δὲ τὸ Ποσειδήϊον ἄκρον. πέτραν δὲ νῦν τὴν νῆσον λέγει. Λευκωσία δὲ ἡ νῆσος ἀπὸ ταύτης Σειρῆνος Λευκωσίας ἐκλήθη. Hoc eſt: *Enipeus Poſidon, id eſt, Neptunus, apud Mileſios colitur. Ad Poſidium autem ejecta Leucoſia Siren, ſepulta eſt. Eminentem; id eſt, in mare prominentem. loquitur autem de Poſidio promontorio. Petram, adpellat inſulam. Leucoſia verò inſula ab hac Sirene Leucoſiâ nomen accepit.* Eamdem inſulam memorat & Ovidius, Μεταμορφ. lib. xv, in his verſibus:

Evincitque fretum, Siculique anguſta Pelori,
Hippotadæque domos regis, Temeſeſque metalla;
Leucoſiamque petit, tepidique roſaria Pæſti.

Apud Plinium quoque, lib. III, cap. VII, lege *Leucoſia*, pro correpto vocabulo *Leucaſia*; in his verbis: *Contra Pæſtanum ſinum Leucaſia eſt; à Sirene, ibi ſepultâ, adpellata.* quo errore & Martianus Capella hunc Plinii locum allegat, lib. VI, in Sardiniâ. Quamvìs & Strabo Leucaſiam in Italiæ inſulis recenſet, lib. II, ſic ſcribens: Πιθηκοῦσαι, καὶ Προχύτη, καὶ Καπρέαι, καὶ Λευκασία. Id eſt: *Pithecuſa, Prochyta, Capreæ, & Leucaſia.* Dionyſius item Halicarnaſſenſis de Leucaſiâ ſic; lib. I: Οἱ δὲ σὺν τῷ Αἰνείᾳ πλέοντες ἀπὸ Σικελίας διὰ τοῦ Τυῤῥηνικοῦ πελάγους, πρῶτον μὲν ὁρμίσαντο τῆς Ἰταλίας κατὰ τὸν λιμένα Παλίνουρον, ὃς ἀφ' ἑνὸς τῶν Αἰνείου κυβερνητῶν, τελευτήσαντος αὐτόθι, ταύτης τυχεῖν λέγεται τῆς ὀνομασίας. ἔπειτα νήσῳ προσέσχον, ἣ τοὔνομα ἔθεντο Λευκασίαν, ἀπὸ γυναικὸς ἀνεψιᾶς Αἰνείου, περὶ τόνδε τὸν τόπον ἀποθανούσης. Id eſt: *Aeneas cum ſuis è Siciliâ per Tuſcum mare navigans, in Italiâ*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

primùm adplicuit ad portum Palinurum: qui ab uno gubernatorum Æneæ, ibi defuncto, nomen id ſortitus fertur. deinde ad inſulam, cui nomen indiderunt Leucaſiæ, ab muliere, Æneæ conſobrinâ, circa hæc loca mortuâ. Eſt autem LEVCOSIA INSVLA ſive PETRA ea, quæ hodiè ante dictum promontorium vulgari vocabulo dicitur *la Licoſa.* ſaxum aſperum atque ſterile. Vita Conſtabilis, abbatis Canenſis, prope Neapolim, hæc habet verba: *In territorio Cilentino in monte, qui* LICOSAE *præeminet.*

Is & LARIS eidem Lycophroni ad Leucoſiam inſulam incurvati amnes, haud dubiè exigui illi duo ſunt fluvii, qui mille paſſus inter ſe diſiti, ad meridionale dicti promontorii latus in mare effluunt. IS & LARIS, *amnes.*

Poſt Poſidium promontorium, prima memoratur urbs VELIA; quæ anteà HELIA & ELEA atque HELA, & quum conderetur, HYELA, dicta eſt. Vnde opidani HYELETES, ſive HYELATES, ELEATES, & VELIENSES. Stephanus habet Θύελλα. Plinius, lib. III, cap. V: *Sinus Pæſtanus; opidum Helia; quæ nunc Velia.* Porrò, Strabo, dicto lib. VI, poſtquàm Poſidoniatem ſinum ac Leucoſiam inſulam, promontoriumque ei oppoſitum deſcripſit; ut ſuprà relatum eſt; hæc continuò ſubnectit: Κάμψαντι δ' ἄλλος συνεχὴς κόλπος, ἐν ᾧ πόλις· ἣν οἱ μὲν κτίσαντες Φωκαιεῖς Ὑέλην, οἱ δὲ Ἔλην ἀπὸ κρήνης τινός, οἱ δὲ νῦν Ἐλέαν ὀνομάζουσιν. ἐξ ἧς Παρμενίδης καὶ Ζήνων ἐγένοντο, ἄνδρες Πυθαγόρειοι. Δοκεῖ δέ μοι καὶ δι' ἐκείνους, καὶ ἔτι πρότερον εὐνομηθῆναι. διὸ καὶ πρὸς Λευκανοὺς ἀντέσχον, καὶ πρὸς Ποσειδωνιάτας, καὶ κρείττους ἀπῄεσαν, καίπερ ἐνδεέστεροι καὶ χώρᾳ καὶ πλήθει σωμάτων ὄντες. Ἀναγκάζονται γοῦν διὰ τὴν λυθρότητα τῆς γῆς τὰ πολλὰ θαλαττουργεῖν, καὶ ταριχείας συνίστασθαι, καὶ ἄλλας τοιαύτας ἐργασίας. Φησὶ δ' Ἀντίοχος, Φωκαίας ἁλούσης ὑφ' Ἁρπάγου, τοῦ Κύρου στρατηγοῦ, τοὺς δυναμένους, ἐμβάντας εἰς τὰ σκάφη πανοικίους, πλεῦσαι πρῶτον εἰς Κύρνον καὶ Ἀλαλίαν μετὰ Κρεοντιάδου. ἀποκρουσθέντας δέ, τὴν Ἐλέαν κτίσαι. Ἔνιοι δὲ τοὔνομα ἀπὸ ποταμοῦ Ἐλέητος .... διέχει δὲ τῆς Ποσειδωνίας ὅσον σ σταδίους ἡ πόλις. Hoc eſt: *Inde ubi curſum flexeris, alius eſt contiguus ſinus; inque eo urbs quam Phocæenſes conditores Hyelen, alii Helen, à fonte quodam dixêre; noſtro autem ævo Eleam adpellant. Patria fuit Parmenidis ac Zenonis, Pythagoreorum. Videtur mihi cùm propter hos viros, tum jam antè, bonis floruiſſe legibus. Quapropter etiam Lucanis reſtiterunt atque Poſidoniatibus Eleatæ; ſuperioreſque diſceſſerunt; quamquàm & agri amplitudine & numero hominum forent inferiores. Ob agri ſterilitatem coguntur plurimùm exercere mare, ſalſamentiſque & aliis id genus negotiationibus ſeſe alere. Tradit Antiochus, quo tempore Harpagus, Cyri copiarum dux, Phocæam cepit, civeis locupletiores totis cum familiis naveis conſcendiſſe; primumque cum Creontiade ad Corſicam atque Italiam adpuliſſe: inde quum pellerentur, Eleam condidiſſe. Alii nomen ab Eleete amne deducunt. Diſtat urbs à Poſidonio ſtadia circiter* CC. Id eſt, millia paſſuum XXV. Hiſtoriam hanc pluribus refert Herodotus, lib. I; ubi ait, Phocæenſeis è Corſicâ Rhegium ſe contuliſſe: indeque verò profectos, condidiſſe Hyelen. Οἱ δὲ αὐτῶν ἐς τὸ Ῥήγιον καταφυγόντες, ἐνθεῦτεν ὁρμεώμενοι, ἐκτήσαντο πόλιν γῆς τῆς Οἰνωτρίας ταύτην, ἥτις νῦν Ὑέλη καλέεται. Ἔκτισαν δὲ ταύτην, πρὸς ἀνδρὸς Ποσειδωνιήτεω μαθόντες, ὡς τὸν Κύρνον σφι ἡ Πυθίη ἔχρησε κτίσαι, ἥρων ἐόντα, ἀλλ' οὐ τὴν νῆσον. Id eſt: *Phocæenſium autem qui confugerant, hinc profecti, civitatem condiderunt in Oenotriæ agro; quæ nunc adpellatur Hyela. Eam autem condiderunt, à quodam Poſidoniate edocti, Pythiæ oraculo juſſos fuiſſe Cyrnum condere, qui heros eſſet, non inſulam.* Corſica namque Græcis dicitur *Cyrnus.* Apud Stephanum ita legitur: Ἐλέα, πόλις Ἰταλίας. ἐκαλεῖτο δὲ Βύλη. ὠνομάσθη δὲ Ἐλέα ἀπὸ τοῦ παραρρέοντος ποταμοῦ. ἡ νῦν Βελέα. Id eſt: *Elea, urbs Italiæ. vocabatur autem Vyle. adpellata eſt Elea à præfluente fluvio: quæ nunc Velea.* Sic pronuntiandum τὸ β in hisce duabus vocibus, inde patet; quòd urbs ea ſemper *Velia*, numquam *Belia*, ſit dicta. At, ne tu credas, ipſum Stephanum ſcripſiſſe Βύλη. Mendoſa ea vox eſt ab illo Herodoti, atque Strabonis Ὑέλη. unde etiam nummi reperti fuerunt, cum inſcriptione, ὙΕΛΗΤΩΝ. At apud Appianum, Bellor. civil. lib. V, vitiato itidem nomine Ἐλαΐτης legitur κόλπος, pro Ἐλεάτης. Cæterò, aliam originem huius vocabuli adducit Servius grammaticus, ad Virgil. Aeneid. lib. VI. *Velia*, inquit, *dicta eſt à paludibus, quibus cingitur; quas Græci* ἕλη *dicunt. Fuit ergo Helia. ſed accepit* δίγαμμον, V *ſcilicet conſonans; & facta Velia: ut Henetus, Venetus.* Hoc ſi verum, certè fluvius etiam à paludibus dictus eſt Ἐλεήτης; qui urbem præterfluxit. Cicero in Verrem, actione V: *Græca urbs Velia.* Familiar. lib. VII, ep. XX: *Quamquam enim Velia non eſt mihi vilior, quàm Lupercal, tamen iſtuc malo, quàm hæc omnia. Tu, ſi me audies, quem ſoles, has paternas poſſeſſiones tenebis (neſcio enim quid Velienſes verebantur)*

VELIA, *urbs.*

tur) neque Haletem nobilem amnem relinques. Ad Atticum, lib. XVI, ep. VII: *Quum veniſſem Veliam, Brutus audivit. erat enim cum ſuis navibus apud Haletem fluvium, intra Veliam millia paſſuum* III. *Pedibus ad me ſtatim.* Amnis hic HALES ſive HELEES, ſeu ELEES, ut habet Strabo, nullus alius eſt, quàm qui XXIV circiter millia à Pæſto disſitus, vulgari etiam nunc vocabulo dicitur adcolis *Halente*. Græcâ quidem formatione, ab recto caſu Ἅλης, obliquus fiebat gemino modo; Ἅλητος, ut ab Ἀνίης Ἀνίητος; & Ἅλεντος, ut ab Οὐάλης Οὐάλεντος, ab κλήμης κλήμεντος. Hinc Ciceroni accuſativus eſt *Haletem:* incolis verò nunc Italis ablativus Latinus *Halente*. Vltra hunc amnem, III circiter millia paſſuum, eſt opidulum in colle ſitum, vulgari vocabulo *Piſciotta*. quod ex ſitu atque intervallo, cùm XXV millium, quæ Strabo inter Pæſtum & Eleam tradit; tum III millium, quæ Cicero inde ad Haletem amnem numerat, deprehenditur eſſe *Elea* ſive *Helia*, ſeu *Velia*. Sed & planitie cingitur, quam Servius grammaticus innuit. ea tamen haud latè patet; quum proxima mox ſaxoſi occupent montes: quorum ſterilitatem Strabo indicat.

HALES, *amnis.*

Sed & INSVLAE ante dictum flumen opidumque conſpiciuntur OENOTRIDES, quas Strabo ac Plinius contra Veliam referunt. Strabo, dicto lib. VI: Πρὸ δὲ τῆς Ἐλεάτιδος αἱ Οἰνωτρίδες νῆσοι δύο ὑφόρμους ἔχουσαι. Id eſt: *Eleati agro objacent Oenotrides inſulæ duæ, navium ſtationi opportunæ.* Plinius, lib. III, cap. VII: *Contra Veliam Pontia & Iſcia; utraque uno nomine Oenotrides.* Ex his PONTIA nomen antiquum iisdem literis etiam nunc ſervat. ISCIA, detorto paullulùm vocabulo dicitur *Iſacia*. Oenotridum & Martianus Capella meminit. Cæterò, vocabulum ELEA ſine adſpiratione ſcribi ſolitum, exemplum eſt apud Ciceronem, Tuſcul. quæſt. lib. II; ubi ita ſcriptum eſt: *Obſerventur ſpecies honeſtæ animo. Zeno proponatur Eleates: qui perpeſſus eſt omnia potiùs: quàm conſcios delendæ tyrannidis indicaret.* VELIA vocatur, præter Ciceronem, Plinium atque Servium, Horatio quoque, Epiſt. lib. I, epiſt. XV:

OENOTRIDES, *inſulæ.*

Quæ ſit hiems Veliæ, quod cœlum, Vala, Salerni.

Ptolemæo, qui Romanis ut plurimùm utitur vocabulis, dicitur plurali numero Οὐελίαι, VELIAE.

PORTVS VELINVS.

Ad Veliam urbem eſt PORTVS VELINVS; Virgilio, Aeneid. lib. VI: ubi ita Palinurus, à quo proximum adpellatum eſt promontorium, ſic adloquitur Aeneam:

——— *Portusque require Velinos.*

ELEATES SINVS.

Ab eâdem urbe Veliâ ſive Ἐλέα, dictus eſt maris ſinus Straboni ſuprà memoratus, cui adjacet, Ἐλεάτης κόλπος, id eſt, ELEATES SINVS; Appiano, dicto Bellor. civil. lib. V. Idem Romanis rectè dictus fuerit VELINVS SINVS; ut portus Velinus Virgilio: & item VELIENSIS SINVS; videri poſſit. Situs autem fuit inter duo promontoria, ſuprà ſcriptum Poſidium & Palinurum.

PORRVS VELINVS.

PALINVRVM PROMONTORIVM, quod hodiéque vocatur *Capo di Palinuro*, memoratur Ovidio, Virgilio, Horatio, Paterculo, Solino, Straboni, Melæ, Velleio, Plinio, Oroſio, Dioni, Freculfo. Plinius, lib. III, cap. V: *Opidum Helia; quæ nunc Velia. promontorium Palinurum.* De Palinuro ita Strabo, lib. VI; memoratâ Veliâ: Μετὰ δὲ ταύτην ἀκρωτήριον Παλίνουρος. Id eſt: *Poſthanc eſt promontorium Palinurus.* Paterculus, lib. II; de claſſe Cæſaris Octavii, ab Agrippâ in Averno ac Lucrino lacu fabricatâ; cum quâ Siciliam petebat: *Longè maiorem partem claſſis circa Veliam Palinurique promontorium adorta vis Africi laceravit ac diſtulit.* Eamdem rem ita refert Dio; lib. XLIX: Τούτοις μὲν λογισμοῖς ὁ Καῖσαρ ἐς τὴν Σικελίαν ἠπείγετο. καὶ αὐτῷ τὸ ἀκρωτήριον τὸ Παλίνουρον ὀνομαζόμενον ὑπερβάλλοντι χειμὼν μέγας ἐπέπεσε, καὶ πολλὰς ναῦς ἔφθειρε. Hoc eſt: *His cogitationibus adductum ad invadendam Siciliam Cæſarem, dum jam Palinurum promontorium prætervèheretur, ingens tempeſtas invaſit, ac multas naveis perdidit.* Ergo prominens hoc admodùm promontorium. Nomen idem unde acceperit, Virgilius atque Mela indicarunt. quorum hic dicto lib. II, cap. IV: *Buxentum, Velia, Palinurus; olim Phrygii gubernatoris, nunc loci nomen.* Virgilius Aeneid. lib. VI; ubi Aeneas duce Sibyllâ ad inferos pervênit:

Ecce gubernatòr ſeſe Palinurus agebat;
Qui Libyco nuper curſu, dum ſidera ſervat,
Exciderat puppi, mediis effuſus in undis.

Paullo pòſt ipſe Palinurus ſic alloquitur Aeneam:

Deſine fata deûm flecti ſperare precando.
Sed cape dicta memor, diri ſolatia caſus.
Nam tua finitimi longè lateque per urbeis
Prodigiis acti cœleſtibus oſſa piabunt:
Et ſtatuent tumulum; & tumulo ſolennia mittent.
Aeternumque locus Palinuri nomen habebit.
His dictis curæ emotæ; pulſusque parumper
Corde dolor triſti. Gaudet cognomine terra.

Porrò, ad Palinuri promontorii occidentale latus, *opidulum* nunc eſt vulgari vocabulo *Palinuro*; inde ipſum promontorium cognomen vulgare nunc habet *Capo di Palinuro*. Antiquitùs id vocabatur PORTVS PALINVRVS; ab ipſo ibi ſepulto Palinuro; ut tradit Dionyſius Halicarnaſſenſis; antiquit. Roman. lib. I; quæ verba ſuprà exſtant ad Leucoſiam.

PALINVRO, *opidulum*, ſeu PALINVRVS PORTVS.

Palinurum promontorium proximè ſequitur MELPHES *flumen*, vulgò nunc *Molfa*, *Malfa*, & *Melfa*, & item *Molpa*, *Malpa* & *Melpa*, adcolis dictum. Plinius, lib. III, cap. V: *Promontorium Palinurum. Proximum autem huic, flumen Melphes.*

MELPHES *flumen.*

Poſt Palinurum promontorium & flumen Melſen, *opidum* erat PYXVS: Græcè Πυξοῦς, Latinè BVXENTVM; Livio, Paterculo, Straboni, Melæ, Silio, Plinio, Ptolemæo, Stephano, memoratum. Plinius, loco modò dicto: *Flumen Melphes. opidum Buxentum; Græcè* Πυξοῦς. *Laüs amnis*. Mela, lib. II cap. IV: *Blanda; Buxentum, Velia, Palinurus*. Ptolemæus: Οὐέλια, Βύξεντον. Βρεττίων· Λάου ποταμοῦ ἐκβολαί. Id eſt: *Veliæ, Buxentum. Brutiorum; Lai amnis oſtium*. Strabo, lib. VI: Μετὰ δὲ Παλίνουρον Πυξοῦς, ἄκρα, καὶ λιμὴν καὶ ποταμός· ἓν γὰρ τῶν τριῶν ὄνομα. μετὰ δὲ Πυξοῦντα, Λᾶος κόλπος καὶ ποταμός. Id eſt: *Poſt Palinurum eſt Pyxûs, promontorium, & portus & fluvius. unum quidpe his tribus eſt nomen. Poſt Pyxuntem eſt Laüs ſinus & amnis*. Quum Melfes amnis nomen antiquum hodie retineat; PYXVS iſte FLVVIVS, ſive BVXENTVM FLVMEN, nullum aliud eſſe poteſt, quàm quod proximè Melſem deprehenditur. Inter huius enim & Melſis oſtia, promontorium eſt, longè in mare, ceu peninſula, procurrens; PYXVS, ſive BVXENTVM PROMONTORIVM. vulgo nunc dicitur *Capo della Foreſta* [*Fenoſa.*] Ipſum hinc OPIDVM cum portu, PYXVS ſive BVXENTVM, haud dubiè idem eſt, quod haud procul lævâ amnis ripâ vulgò incolis vocatur *Policaſtro*; ubi veteris opidi veſtigia etiam nunc viſuntur. Apud Stephanum ita legitur: Πυξοῦς, πόλις Σικελίας, κτίσμα Μιάνθου. ὁ οἰκήτωρ Πυξούντιος. Id eſt: *Pixûs, urbs Siciliæ; opus Mianthi. incola, Pyxuntius*. Aliter hæc refert Strabo; dicto loco: Ὤικισε δὲ, inquit, Μίκυθος ὁ Μεσσήνης ἄρχων τῆς ἐν Σικελίᾳ. πάλιν δ' ἀπῆραν οἱ ἱδρυθέντες, πλὴν ὀλίγων. Id eſt: *Coloniâ eò deductâ, condidit Micythus, Meſſanæ in Siciliâ princeps. Sed qui habitatum eò translati erant, rurſus inde diſceſſerunt; paucis exceptis*. Apud Diodorum, lib. XI, ita legitur: Ἐπ' ἄρχοντος δ' Ἀθήνησι Πραξιέργου, κατὰ τὴν Ἰταλίαν Μίκυθος μὲν, ὁ τὴν δυναστείαν ἔχων Ῥηγίου καὶ Ζάγκλης, πόλιν ἔκτισε Τοξοῦντα. Id eſt: *Athenis ſummum gerente magiſtratum Praxiergo, in Italiâ Micythus, Rhegii & Zancles princeps, urbem condidit Teuxûnta*. Legendum eſſe, Πυξοῦντα, id eſt, *Pyxûnta*; Strabonis teſtatur eâdem de re narratio. ſiquidem idem eſt Micythus, eiusdem Zancles, quæ poſteà Meſſana dicebatur, princeps. Evidens igitur & apud Stephanum, ut alia paſſim innumera, eſt mendum in voce Μιάνθου; pro quâ ſcribendum Μικύθου. At illud ex minùs probo auctore Stephanum habuiſſe puto, quod præcedit: Πύξις, πόλις ἐν μεσογείᾳ τῶν Οἰνώτρων. τὸ ἐθνικὸν, Πύξιος. Hoc eſt: *Pyxis, urbs in mediterraneo Oenotrorum. gentile, Pyxius*. Cæterùm, Praxiergus ſummum Athenis magiſtratum obtinuit Olympiadis LXXVII anno II, ante natum Ieſum anno CCCCLXXI. Apud Silium, lib. VIIII; Annibal, ad Cannas prœlium commiſſurus, ſic Pœnum alloquitur exercitum:

PYXVS, *vel* BVXENTVM, *opidum* cum portu, *flumen* & *promontorium.*

Seu Laurens tibi, Sigæo ſulcata colono,
Arridet tellus; ſeu ſunt Buxentia cordi
Rura magis, centum Cereri fruticantia culmis.
Electos optare dabo inter prœlia campos.

Rectè heic Dausqueius emendandum cenſuit vocabulum *Buxentia*. Buxentinus quidpe ager, Italiæ minimè eſt fertiliſſimus, utpote monteis & ſaxa ſterilia complectens. proculque dubio Campanum nominaturus erat agrum. ſed optionem ſuis ſe daturum Annibal pollicebatur; utrùm in Italiâ mallent accipere agros; an in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

patriâ terrâ Africâ, ubi regio erat Byzacium. de quo ita Varro de Re ruſticâ, lib. I: *In Africâ ad Byzacium ex modio naſci centum*. Itaque Byzacia voluit rura Silius: non verò Byzantia; ut repoſuit Dausqueius ex Euſtathio Dionyſii commentatore. & ita etiam legere maluit apud Plinium & Solinum; ubi pura genuinaque vox reperitur Byzacium; ut habet Procopius. Sed Dauſqueium nihil minùs quàm geographiæ arcana potuiſſe video. Denique, Beatus Gregorius, epiſtolar. ex Regeſtro lib. II, epiſt. XXVIII, mentionem facit eccleſiæ *Vixentinæ*. Cæterò, COLONIAM eſſe factam Romanorum; auctores ſunt Livius atque Paterculus. quorum hic lib. I: *Cnæo*, inquit, *Manlio Volſone & M. Fulvio Nobiliore coſſ. Bononia deducta colonia. & poſt quadriennium Piſaurum ac Potentia. interiectoque triennio, Aquileia & Graviſca. & poſt quadriennium Luca. Eodem temporum tractu, quamquàm apud quosdam ambigitur, Puteolos Salernumque & Buxentum miſſi coloni*. Deductas haſce P. Cornelio Scipione Africano iterùm & T. Sempronio Longo coſſ. anno ab Româ conditâ IↃLVIII; ante natum Ieſum CCV; patet ex Livio. Is quidpe lib. XXXII & XXXIV in dicto conſulatu hæc refert; *Coloniæ civium Romanorum eo anno deductæ ſunt Puteolos, Vulturnum, Liternum. Item, Salernum Buxentumque coloniæ civium Romanorum deductæ ſunt*.

LAVM opidum & flumen.

Sequitur tandem extremum Lucanorum OPIDVM & FLVMEN LAVM. Illud Herodoto, Straboni, Plinio, ac Stephano; hoc præter auctores proximè dictos, Ptolemæo quoque memoratum. Barrius Laum opidum ait eſſe *Scaleam*. Stephanus: Λᾶος, πόλις Λευκανίας· Ἀπολλόδωρος ἐν τῷ περὶ γῆς δευτέρῳ. ἀπὸ Λάου ποταμοῦ. τὸ ἐθνικὸν Λαΐνος. Hoc eſt: *Laüs, urbs Lucaniæ; auctore Apollodoro, de orbe terræ, lib.* II. *à Lao amne: gentile eſt* LAINVS. Strabo, lib. VI: Μετὰ δὲ Πυξοῦντα Λᾶος κόλπος, καὶ ποταμὸς Λᾶος, καὶ πόλις, ἐσχάτη τῶν Λευκανίδων, μικρὸν ὑπὲρ τῆς θαλάττης, ἄποικος Συβαριτῶν· εἰς ἣν ἀπὸ Ἐλέης στάδιοι υ. ὁ δὲ πᾶς τῆς Λευκανίας παράπλους χν. Hoc eſt: *Poſt Pyxuntem eſt Laüs ſinus, & amnis Laüs, & item urbs, Lucanicarum extrema, paullùm ſupra mare; Sybaritarum colonia. ad quam ab Veliâ ſtadia ſunt* CCCC. [millia L.] *Totius autem Lucaniæ præternavigatio eſt ſtadiorum* IↃCL. [millia LXXXI, paſſus CCL.] Herodotus, lib. VI: Παθοῦσι δὲ ταῦτα Μιλησίοισι πρὸς Περσέων, οὐκ ἀπέδοσαν τὴν ὁμοίην Συβαρῖται, οἳ Λάον τε καὶ Σκίδρον οἴκεον, τῆς πόλιος ἀπεστερημένοι. Id eſt: *Mileſiis in hunc modum à Perſis adfectis, gratiam parem non reddiderunt Sybaritæ, qui urbe ſuâ exacti, Laum & Scidium incolebant*. LAVS amnis vulgari etiam nunc vocabulo dicitur adcolis *Laino*. quo nomine etiam opidum ad oſtium eius, dextrâ ſive Lucaniæ ripâ ſitum eſt. quod ipſum ex ſitu deprehenditur eſſe LAVM illud, opidum antiquiſſimum. At Plinii ævo jam nullum fuiſſe, ipſe teſtis eſt, dicto lib. III, cap. V: *Opidum*, inquit, *Buxentum; Græcè Pyxûs. Laüs amnis. fuit & opidum eodem nomine*. Tabula tamen hoc ſitu refert opidum *Lavinium*. quod vocabulum haud dubiè corruptum eſt ex genuino *Lainum*: unde locus is etiam nunc vulgò dicitur *Laino*. Imperitus librarius ſive exſcriptor, quum in Latio legiſſet Lavinium; idem vocabulum heic quoque perſcripſit. Sed iter in Tabulâ notatur tale:

Ceſerma	
Blanda	VII.
Lavinium	XVI.
Cerelis	VIII.

Cerelli, ſive Cerilli, etiam nunc VIII millia paſſuum trans Lai ſive Laini oſtium dicuntur vulgò *Cirella*. de quibus plura ſuo loco in Brutiis. Cæterùm, SINVS LAVS vulgò nunc adcolis adpellatur *Golfo di Policaſtro*.

SINVS LAVS.

SACELLVM DRACONIS.

Prope Laum opidum fuit SACELLVM DRACONIS, unius è ſociis Vlyſſis. Strabo, dicto loco ſic pergit: Πλησίον δὲ τοῦ Δράκοντος ἡρῷον, ἑνὸς τῶν Ὀδυσσέως ἑταίρων. ἐφ᾽ οὗ ὁ χρησμὸς τοῖς Ἰταλιώταις ἐγένετο·

Λάϊον ἀμφὶ Δράκοντα, πολύν ποτε λαὸν ὀλεῖσθαι.

ἐπὶ γὰρ ταύτην λαοὶ στρατεύσαντες οἱ κατὰ τὴν Ἰταλίαν Ἕλληνες ὑπὸ Λευκανῶν ἠτύχησαν, ἐξαπατηθέντες τῷ χρησμῷ. Id eſt: *Propè eſt Draconis ſacellum, unius è ſociis Vlyſſis: de quo Italis oraculum fuit datum;*

Laum circa Draconem multum aliquando populum periturum.

quidpe

quidpe Græci, qui Italiam incolebant, expeditione adverſùs eam urbem factâ, à Lucanis cladem acceperunt; oraculo decepti.

BLANDA *opidum* ridiculè Barrius facit *Belvedere*. [ni forſan *Maratéa*?] Præter Tabulam, Melæ quoque & Plinio memoratur; & plurali numero Livio BLANDAE; ut infrà videre eſt in Ancis, poſt Grumentum. In Lucanorum Blandas fuiſſe finibus, cis Laum amnem; etiam ex Tabulâ patet. Falſus igitur heic quoque, ut ſæpè in eadem Lucaniâ poſteà, Plinius, qui Brutiis adſcripſit, dicto lib. III, cap. V. *Opidum*, inquit, *Buxentum; Græcè Pyxûs. Laüs amnis. fuit & opidum eodem nomine. Ab eo Brutium litus; opidum Blanda; flumen Batum.* Mela, lib. II, cap. IV, litus hoc in Lucanorum & Brutiorum nomina non diſtinguit. Adverſo itinere incedens: *Hippo*, inquit, *nunc Vibon, Temeſa, Clampetia, Blanda, Buxentum, Velia.* BLANDA *opidum.*

Atque hæc ſunt loca Lucani litoris ad mare Hetruſcum. quibus explicatis, ad alterum nunc mare, id eſt, ſinum Tarentinum, transgrediamur.

Litus igitur Lucanorum ad Siculum mare, ſeu ſinum Tarentinum, inter Thurios & Tarentum urbeis, ita deſcribit Plinius, lib. III. cap. XI: *Opidum Thurium; inter duos amneis, Crathim & Sybarin; ubi fuit urbs eodem nomine. ſimiliter eſt inter Sirin & Acirin Heraclea, aliquando Siris vocitata. flumina, Acalandrum, Caſuentum. opidum, Metapontum: quo tertia Italiæ regio finitur.* Exiguo pòſt: *Connectitur ſecunda regio; amplexa Hirpinos, Calabriam, Apuliam, Salentinos.* Straboni dicto lib. VI, poſt Thurios, recenſentur opida, *Lagaria, Heracleopolis*; amnes *Siris* & *Aciris*; & inter eos *Siris* opidum, quod & Heraclea poſteà. dein *Metapontum*. ac tandem *Tarentum*. *Acalandrum* etiam flumen memorat; ſed longè pòſt, extra ordinem. Mela, dicto lib. II, cap. IV, dicti Tarentini ſinûs litus ita notat: *Tarentus, Metapontum, Heraclea, Croto, Thurium.* At perperàm Crotonem poſuit inter Heracleam & Thurium; quum hoc, ſit Heracleam inter & Crotonem. Ptolemæus, inter Thurium & Tarentum, unum nominat Metapontum. Scylacis circa hos fines errorem ſuperiùs oſtendimus hoc capite.

Prima igitur hoc litore Lucanorum urbs fuit SVBARIS; quæ poſtmodò Θούριον THVRIVM; ſive plurali numero Θούριοι, THVRII & THVRIAE, Thucydidi item Θουρία; ac tandem COPIAE dicta. Opidani Plinio THVRINI dicuntur; Græcis Θούριοι, ut urbs. Verba Strabonis, poſt memoratam Crotonem, hæc ſunt; lib. VI: Ἑξῆς δ' ἐν . . . . σταδίοις, Ἀχαιῶν κτίσμα ἡ Σύβαρις, δυοῖν ποταμῶν μεταξὺ, Κράθιδος καὶ Συβάριδος· οἰκιστὴς δ' αὐτῆς ὁ Ἰσελικεύς. τοσοῦτον δ' εὐτυχίᾳ διήνεγκεν ἡ πόλις αὕτη τὸ παλαιὸν, ὡς τεττάρων μὲν ἐθνῶν τῶν πλησίον ἐπῆρξε, πέντε δὲ καὶ εἴκοσι πόλεις ὑπηκόους ἔσχε, τριάκοντα δὲ μυριάσιν ἀνδρῶν ἐπὶ Κροτωνιάτας ἐστράτευσαν, πεντήκοντα δὲ σταδίων κύκλον συνεπλήρουν οἰκοῦντες ἐπὶ τῷ Κράθιδι. Ὑπὸ μέν τοι τρυφῆς καὶ ὕβρεως τὴν εὐδαιμονίαν ἅπασαν ἀφῃρέθησαν ὑπὸ Κροτωνιατῶν ἐν ἡμέραις ἑβδομήκοντα. ἑλόντες γὰρ τὴν πόλιν, ἐπήγαγον τὸν ποταμὸν, καὶ κατέκλυσαν. ὕστερον δ' οἱ περιγενόμενοι, συνελθόντες ἐπῴκουν ὀλίγοι. χρόνῳ δὲ καὶ οὗτοι διεφθάρησαν ὑπ' Ἀθηναίων καὶ ἄλλων Ἑλλήνων. οἱ συνοικήσοντες μὲν ἐκείνοις ἀφίκοντο· καταφρονήσαντες δ' αὐτῶν, τοὺς μὲν διεχειρώσαντο, τὴν δὲ πόλιν εἰς ἕτερον τόπον μετέθηκαν πλησίον, καὶ Θουρίους προσηγόρευσαν ἀπὸ κρήνης ὁμωνύμου. Θούριοι δ' εὐτυχήσαντες πολὺν χρόνον, ὑπὸ Λευκανῶν ἠνδραποδίσθησαν. Ταραντίνων δ' ἀφελομένων ἐκείνους, ἐπὶ Ῥωμαίους κατέφυγον. οἱ δὲ πέμψαντες συνοίκους ὀλιγανδροῦσι, μετωνόμασαν Κωπίας τὴν πόλιν. Hoc eſt: *Sequitur poſt . . . . ſtadia Achæorum opus Sybaris, inter duos amneis Crathin & Sybarin ſita. conditor eius fuit Iſeliceus. Tantâ autem rerum proſperitate urbs ea excelluit, ut IV vicinis gentibus imperarit, ac XXV urbeis dicto audienteis habuerit, CCC que hominum millia in bellum contra Crotoniatas eduxerit: domiciliisque ſupra Crathin ſtadiorum L circulum impleverit. Sed luxu Sybaritarum atque petulantiâ factum eſt, ut LXX dierum ſpatio univerſam eis felicitatem iſtam Crotoniatæ eriperent. captam enim urbem immiſſo flumine aquis obruerunt. Qui cladi ſuperfuerunt pauci, poſteà temporis habitatum eò redierunt. Sed & hi aliquanto pòſt ab Athenienſibus & aliis Græcis deleti ſunt. qui, quum veniſſent, ut ipſis ſe adjungerent, in ſocietatem civitatis contemptos interfecerunt: urbemque, in alium vicinum locum translatam, à fonte, id nominis gerente, Thurias adpellarunt. Thurii longo tempore fortunâ uſi ſecundâ, tandem à Lucanis in ſervitutem ſubacti ſunt. Quum autem hi à Tarentinis opprimerentur; ad Romanos confugerunt. Hi, incolis jam attritis, colonos miſerunt: urbemque Copias nuncuparunt.* SYBARIS, *vel* THVRII, *ſeu* COPIAE, *urbs.*

Hinc illud Stephani: Θούριοι, πόλις Ἰταλίας, ἡ πρότερον Σύβαρις, ἐπὶ Θουρίας πηγῆς· ὕστερον δὲ Κωπίαι. λέγεται καὶ Θουρία, καὶ Θούριον, ὡς ἐν τῷ Ἡροδότου ἐπιγράμματι. Hoc eſt: *Thurii, urbs*

urbs Italiæ, quæ anteà Sybaris, à Thuriâ fonte: poſteà verò Copiæ. Dicitur etiam Thuria, & Thurium; ut eſt in Herodoti epigrammate. Idem auctor poſteà: Σύβαρις, πόλις Ἰταλίας· καὶ ποταμός. ἡ δὲ πόλις ὕστερον ὠνομάσθη Θούριον. Id eſt: *Sybaris, urbs Italiæ, & amnis. urbs autem poſtea adpellata Thurium.* Scholia in Theocriti Edyllium v: Σύβαρις, πόλις Ἰταλίας· ἢ ἀπὸ οἰκιστοῦ τινος, ἢ ἀπὸ Συβάρεως ποταμοῦ. νῦν δὲ καλεῖται Θούριον, ταὐτὸν ὂν Θούριον καὶ Σύβαρις. Λέγουσι γὰρ, ὅτι ὑπὸ τῶν Κροτωνιατῶν κατηρέθη ἡ Σύβαρις· ἐλθόντες δὲ οἱ Ἀθηναῖοι, αὐτὴν ᾤκησαν, καὶ τῇ πόλει μετήμειψαν τὸ ὄνομα, καλέσαντες αὐτὴν Θούριον ἀπὸ Θουρίου ποταμοῦ ἐκεῖσε ῥέοντος. Hoc eſt: *Sybaris, Italiæ opidum: aut à conditore aliquo, aut ab amni Sybari ſic dictum. nunc verò Thurium vocatur; adeò ut Sybaris unum ſit & idem cum Thurio. Ferunt namque, ipſam Sybarim ab Crotoniatis everſam; poſtquàm eò veniſſent Athenienſes, ab iis denuò fuiſſe exſtructam; eique nomen fuiſſe immutatum, ipſis Thurium eam vocantibus, ab fluvio ibi præfluente Thurio.* Ariſtoteles in Mirandis: Περὶ τὸ Θούριον πόλιν δύο ποταμοὺς φασὶν εἶναι, Σύβαριν καὶ Κρᾶθιν. Id eſt: *Ad Thurium urbem duos amnes aiunt eſſe, Sybarin & Crathin.* Ferè ut Plinius, loco ſuprà citato. Ptolemæus: Θούριον. *Thurium.* Livius, lib. x *Thurias* adpellat. *Eodem anno,* inquit, *claſſis Græcorum, Cleonymo duce Lacedæmonio, ad Italiæ litora adpulſa, Thurias urbem in Salentinis cepit. Adversùs hunc hoſtem conſul Aemilius miſſus, prœlio uno fugatum compulit in naveis. Thuriæ reddita veteri cultori.* Apud eundem auctorem, fine libri xxii: *Defecêre autem* [poſt cladem Cannenſem] *ad Pœnos hi populi: Atellani, Calatini, Hirpini, Apulorum pars, Samnites; præter Petelinos Brutii omnes; Lucani: præter hos, Surrentini, & Græcorùm omnis fermè ora, Tarentini, Metapontini, Crotonienſes, Locrique.* Et lib. xxiii: *Eodem tempore Petelinos, qui uni ex Brutiis manſerant in amicitiâ Romanâ, non Carthaginienſes modò, qui regionem obtinebant, ſed Brutii quoque cæteri, ob ſeparata ab ſe conſilia, oppugnabant. cùm obſiſtere malis nequirent Petelini, legatos Romam ad præſidium petendum miſerunt.* Et eodem libro poſteà: *Petelia in Brutiis, aliquot pòſt menſibus, quàm cœptum oppugnari erat, ab Himilcone præfecto Annibalis expugnata eſt.* Mox: *Receptâ Peteliâ, Pœnus ad Conſentiam copias traducit; quam minùs pertinaciter defenſam, intra paucos dies in deditionem accepit.* At libro xxv: *Eodem tempore in Brutiis ex* xii *populis, qui anno priore ad Pœnos deſciverant, Conſentini & Thurini in fidem populi Romani redierunt.* Sed heic Sigonius legit *Terinæi;* quia eodem mox anno ſequitur de Thurinorum defectione. Sed poſteà narrat Livius; quum, Romæ obſides Tarentinorum, quia ex urbe profugerant, necatos fuiſſe, dixiſſet: *Huius atrocitas pœnæ, duarum nobiliſſimarum in Italiâ Græcarum civitatum animos irritavit.* Tarentum hinc narrat ut à Pœnis præter arcem occupatum fuerit. cui hiſtoriæ tandem ſubnectit iſta: *Et erat ſatis validum præſidium, traductis ad arcem Tarenti tuendam, qui Metaponti erant, militibus. Itaque Metapontini extemplò metu, quo tenebantur, liberati, ad Annibalem defecêre. Hoc idem eâdem orâ maris & Thurini fecerunt. Movit eos non Tarentinorum magis defectio, Metapontinorumque, quibus indidem ex Achaiâ oriundi etiam cognatione juncti erant; quàm ira in Romanos, propter obſides nuper interfectos.* Ergo Thurii, unà cum Tarento, nobiliſſima tum in Italiâ Græca fuit urbs. Apud Breviatorem Livii, lib. xi, in fine hæc ſcripta ſunt: *Res præterea contra Volſinienſeis geſtas continet: item adversùs Lucanos; contra quos auxilium Tyrrhenis ferre placuerat.* En quid hoc monſtri: Romani auxilium tulêre Tyrrhenis, id eſt, Etruſcis, contra Lucanos? At unde his tam ſubitò tanta potentia, uti ab extremâ Italiæ orâ per tot genteis; &, quod omnium maximum, per ipſum Romanum imperium, Etruſcos bello petierint? Nugæ ſunt, & mendum exſcriptoris ſatis immane: qui, quum Volſinienſium Etruſcorum nomen heic legeret, nec ſatis perciperet vocabulum genuinum *Thurinis*, correxit id, ſeu corrupit potiùs, in *Thyrrenis.* quo vocabulo nusquam hactenus ipſe uſus eſt Livius; niſi ubi lib. v ait, *Tuſcum mare Græcis dici Thyrrenum.* Dionyſiius, ut Excerpta Legationum referunt: Πύρρου τοῦ Ἠπειρωτῶν βασιλέως ἐπὶ τὴν Ῥώμην στρατιὰν ἐξαγαγόντος, ἐβουλεύσαντο [οἱ Ῥωμαῖοι] πρεσβείας ἀποστεῖλαι, Γάϊον Φαβρίκιον, (ὃς ἐνιαυτῷ τρίτῳ πρότερον ὑπατεύων, Σαυνίτας καὶ Λευκανοὺς καὶ Βρεττίους ἐνίκησε μεγάλαις μάχαις, καὶ τὴν Θουρίων πολιορκίαν ἔλυσε,) καὶ Κόϊντον Αἰμίλιον, καὶ Πόπλιον Κορνήλιον, ὃς ἐνιαυτῷ τετάρτῳ πρότερον ὑπατεύων, Κελτῶν ἔθνος ὅλον, τοὺς καλουμένους Σένωνας πολεμῶν, ἅπαντας ἡβηδὸν κατέσφαξεν. Id eſt: *Quum Pyrrhus Epirotarum rex Romam verſus exercitum duceret, Romani legatos mittere decreverunt, C. Fabricium, (qui tertio anno antè conſul, Samnitas, Lucanos, ac Brutios, magnis prœliis ſuperaverat, Thuriosque obſidione liberaverat,) & Q. Aemilium, Publiumque Cornelium;*

qui

qui quarto anno antè conſul, univerſam Gallorum gentem Senonas, bello devictos, quotquot juvenili ætate eſſent, contrucidaverat. Plinius, lib. XXXIIII, cap. VI: *Publicè autem ab exteris poſita eſt Romæ, C. Aelio, tribuno plebis, lege prolatâ in Stennium Statilium Lucanum, qui Thurinos bis infeſtaverat. ob id Aelium Thurini ſtatuâ & coronâ aureâ donaverunt. Iidem poſteà Fabricium donavêre ſtatuâ, liberati obſidione.* Imperitè heic Dionyſii noviſſimus commentator, *Thurinorum vocabulum* in *Thuriorum* corrigendum è præſcripto Dionyſii loco cenſet. quidpe Plinium incolas Thuriorum intellexiſſe nemo ambigere poteſt: at Dionyſius ipſam urbem voluit. Id tamen rectè, quòd, quam iſtic refert Dionyſius hiſtoriam, Livium eamdem memoraſſe putat, lib. XII; ubi ita Epitomator eius: *Samnites defecerunt. adverſus eos, & Lucanos, & Brutios, & Etruſcos, aliquot prœliis à compluribus ducibus benè pugnatum eſt.* Sequitur enim continuò: *Pyrrhus, Epirotarum rex, ut auxilium ferret Tarentinis, in Italiam venit.* Et res geſtas contra Gallos Senonas, retulit Livius initio eiusdem libri XII. cui hiſtoriæ præceſſit, in fine libri XI, narratio de auxilio Thurinis contra Lucanos lato. ita uti heic Stennium illum Statilium, Lucanorum ducem, memoraſſe Livium exiſtimem; & Aelium tribunum plebis; quem Thurini ſtatuâ donavêre. Eſt adhuc alius Livii corruptùs locus, qui exſtat libro XLII; quo legitur *ab Vritibus*, fortè pro *ab Thuriis*. Et apud Appianum in Annibalicis, hæc leguntur verba: Ἡ μεταξὺ Μεταποντίνων τε καὶ Ταραντίνων Ἡράκλεια. Id eſt: *Heraclea inter Metapontum & Tarentum ſita.* Ταραντίνων poſitum eſt pro Θουρίων. Porrò, de SITV SYBARIS VRBIS, ſic narrat Diodorus, lib. XI: Κατὰ δὲ τὴν Ἰταλίαν, μετὰ τὴν κατασκαφὴν τῆς Συβάρεως ὑπὸ τῶν Κροτωνιατῶν, ὕστερον ἔτεσιν ὀκτὼ πρὸς τοῖς πεντήκοντα, Θετταλὸς, συναγαγὼν τοὺς ὑπολοίπους τῶν Συβαριτῶν, ἐξ ἀρχῆς ᾤκισε τὴν Σύβαριν, κειμένην ἀνὰ μέσον ποταμῶν δυοῖν, τοῦ τε Συβάριος καὶ Κράθιος. Hoc eſt: *In Italiâ, poſt excidium Sybaris, à Crotoniatis peractum, anno* LVIII, *Theſſalus, collectis Sybaritarum reliquiis, Sybarim de novo condidit inter duos amneis, Sybarim & Crathim.* Idem repetit poſteà ſequenti libro. In hunc fermè modum & Plinius ſuprà loco citato. Sed ſitus Sybaris uti oſtendi poſſit, amnes iſti duo antè indicandi erunt.

CRATHIS etiam nunc antiquiſſimo illo vocabulo, quamvis detorto, incolis dicitur *Crati*, haud ita longè ſuprà Conſentiam exoriens. Proximè eius oſtium defluit in idem mare amnis, cui vulgare nunc vocabulum *Cochile*. Is ob eam vicinitatem creditur eſſe SYBARIS. Vibius, in catalogo fluminum: *Crathis; confinis Sibari*. Inter utriusque ripas quot interſint paſſuum millia, inde deprehendi poteſt, quòd Strabo ait, *Sybarin* L *ſtadiorum ambitum domiciliis ſupra* CRATHIN *comprehendiſſe*; id eſt, millia VI & paſſus CCL: quum tamen urbs inde nomen haberet, quòd SYBARIS ripæ impoſita eſſet. Cæterùm, Crathis unde nomen habuerit, oſtendit Strabo lib. VIII, in deſcriptione Achaiæ: Πρὸς δὲ ταῖς Ἀχαϊκαῖς Αἰγαῖς ὁ Κρᾶθις ῥεῖ ποταμὸς, ἐκ δυοῖν ποταμῶν αὐξόμενος, ἀπὸ τοῦ κίρνασθαι τὴν ὀνομασίαν ἔχων· ἀφ᾽ οὗ καὶ ὁ ἐν Ἰταλίᾳ Κρᾶθις. Hoc eſt: *Ad Achaicas Aegas amnis eſt Crathis, qui ex duobus fluminibus auctus, à permixtione ſive temperatione* [ea κρᾶσις dicitur Græcis, à verbo κεράω ſive κιρνάω] *nomen habet. à quo etiam in Italiâ Crathis.* Verba Strabonis ancipitia ſunt, ut hic Italiæ Crathis non ἀπὸ τοῦ κίρνασθαι, ſed ἀπὸ τοῦ πρὸς Αἰγαῖς Κράθιος, nomen videatur dici habere. Sic ſanè apud Herodotum eſt; cuius verba lib. I hæc ſunt: Αἰγαί. ἐν τῇ Κρᾶθις ποταμὸς ἀέναός ἐστι, ἀπὸ τοῦ ὁ ἐν Ἰταλίῃ ποταμὸς τὸ οὔνομα ἔσχε. Hoc eſt: *Aegæ: apud quam Crathis eſt fluvius perennis. à quo ille in Italiâ nomen habuit.* Verba tamen Strabonis magis in eum ſenſum inclinant, quòd & Italicus Κρᾶθις ἀπὸ τοῦ κίρνασθαι dictus ſit; utique, quum ob prædictam vicinitatem duo iſti amnes, Crathis atque Sybaris, ſæpè inter ſeſe confluant ac miſceantur. Achæi igitur ab Aegæo fortè ſuo Crathi & Buræo Sybari profecti, quum iſthunc quoque in Italiâ fluvium miſceri cum alio amne, nempe Sybari, viderent; ob memoriam primi Crathis, huic quoque nomen ἀπὸ τοῦ κίρνασθαι indiderunt. Sed & SYBARIS amnis ab Achaico fonte Sybari nomen accepit. Strabo, eodem loco: Αἴγειρα δ᾽ ἐπὶ βουνοῦ κεῖται. Βοῦρα δ᾽ ὑπέρκειται τῆς θαλάττης ἐν τετταράκοντά που σταδίοις. ἀπὸ δὲ τῆς ἐνταῦθα κρήνης Συβάριδος τὸν κατὰ τὴν Ἰταλίαν ποταμὸν ὀνομασθῆναί φασιν. Id eſt: *Aegira in colle ſita eſt. Bura ſupra mare ad* XL *ſtadia. A fonte Sybari, qui hoc loci eſt, amnem in Italiâ denominatum aiunt.* Cæterò, naturam prædictorum duûm fluminum ita deſcribit Ariſtoteles loco proximè dicto: ὁ μὲν οὖν Σύβαρις τοὺς πίνοντας ἀπ᾽ αὐτοῦ πτυρικοὺς εἶναι ποιεῖ· ὁ δὲ Κρᾶθις τοὺς ἀνθρώπους ξανθοτέρους, λουομένους. Hoc eſt: *Sybaris conſternatos & attonitos reddit*

CRATHIS *amnis.*

SYBARIS *amnis.*

reddit qui ex eo bibunt. Crathis verò, hominum, qui in eo abluuntur, crineis flavos. Idem tradit Strabo, dicto lib. VI: Ὁ μὲν οὖν Σύβαρις τοὺς πίνοντας ἵππους ἀπ' αὐτοῦ πτυρικοὺς ποιεῖ. διὸ καὶ τὰς ἀγέλας ἀπείργουσιν ἀπ' αὐτοῦ. ὁ δὲ Κρᾶθις τοὺς ἀνθρώπους ξανθοτριχεῖν καὶ λευκοτριχεῖν ποιεῖ λουομένους· καὶ ἄλλα πολλὰ πάθη ἰᾶται. Hoc eſt: *Sybaris equos, qui ex eo bibunt, conſternatos & attonitos reddit. eoque armenta ab eo arcent. Crathis hominum, qui in eo perluuntur, capillos, flavos candidoſque efficit. prætereaque multis morbis medelam adfert.* Vibius: *Crathis, confinis Sybari, capillos facit aurei coloris.* At Ovidius, Μεταμορφώσεων lib. XV, utrique hanc vim adſcribit, his verſibus:

Crathis, & hinc Sybaris, veſtris conterminus oris,
Electro ſimileis faciunt auroque capillos.

Aelianus, Hiſtor. animal. lib. II, cap. XXXVI: Τὸ ὕδωρ ὁ Κρᾶθις λευκῆς χρόας ποιητικὸν μεθίησι ποταμὸς ὤν. τὰ γοῦν πρόβατα πάντα αὐτοῦ καὶ οἱ βόες, καὶ πᾶσα ἡ τετράπους ἀγέλη, καθά φησι Θεόφραστος, λευκὰ ἐκ μελάνων ἐγίνετο ἢ πυρρῶν. *Confluentem candidi coloris efficientem Crathis fluvius emittit. nam ovillum & bubulcum pecus, & omnis grex quadrupes, ſicut Theophraſtus ait, ex eo bibens, de nigro rufoque albus fit.* SITA igitur fuit SYBARIS inter prædictos amneis, Crathim atque Sybarim; ſed quum primùm conderetur, huius adpoſita fuit ripæ ſiniſtræ; unde & nomen accepit. Poſtmodùm in tantum crevit, uti ad Crathis quoque ripam dextram pertineret; ambitum comprehendens VI ampliùs millium; ut ex auctore Strabone jam dictum. Ad ipſum fuiſſe Sybaris oſtium; inde colligitur: quòd etiam poſteà Thurium, quamvis paullo ſupra veteris Sybaris ſitum fuerit conditum, tamen tam prope litus fuit, uti ab omnibus ſimul auctoribus in maritimis Tarentini ſinûs locis commemoretur. Verùm diſerta hæc ſunt verba Diodori, lib. XII: Κατέπλευσαν εἰς τὴν Ἰταλίαν. καὶ καταντήσαντες εἰς τὴν Σύβαριν, ἐζήτουν τόπον, ὃν ὁ θεὸς ἦν προστεταχὼς κατοικεῖν. Id eſt: *Navigarunt in Italiam; & quum Sybarim adpuliſſent, quæſiverunt locum, quem deus ad habitandum occupare juſſerat.* De ſitu prætereà Thuriorum videatur Livii locus mox ſubſequens, è libro XXV. INITIA quod attinet, de CONDITORE urbis THVRIORVM, hæc apud Iuſtinum leguntur; lib. XX: *Thurinorum urbem condidiſſe Philoctetem ferunt: ibique adhuc monumentum eius viſitur; & Herculis ſagittæ in Apollinis templo; quæ fatum Troiæ fuêre.* Strabo in verbis ſuprà ad Sybarim citatis, conditorem eius fuiſſe dicit Iſeliceum. Idem tradit, primos eius conditores exſtitiſſe Achæos. at Trœzenios fuiſſe, auctor eſt Solinus, cap. VIII. *Notum eſt*, inquit, *Sybarim à Trœzeniis conſtitutam.* Ariſtoteles, πολιτικῶν lib. V, cap. III, Trœzeniis Achæos fuiſſe mixtos tradit. Τροιζηνίοις, inquit, Ἀχαιοὶ συνῴκισαν Σύβαριν. εἶτα πλείους οἱ Ἀχαιοὶ γενόμενοι, ἐξέβαλον τοὺς Τροιζηνίους. ὅθεν τὸ ἄγος συνέβη τοῖς Συβαρίταις. Id eſt: *Cum Trœzeniis Achivi Sybarim incoluerunt: deinde Achivi numero aucti, Trœzenios ejecerunt. unde ſcelus Sybariticum natum eſt.* Atque hinc puto factum, quòd unos nominet Strabo Achæos; uti ex loco ad Metapontum inferiùs adſcripto videre eſt. Fuiſſe Achæos, haud levi fuerit documento, quòd Crathis in Italiâ ab Achaico Crathi denominatus eſt. Huc facit, quod Livius lib. XXV ſcribit. *Itaque Metapontini* (inquit) *extemplò ad Annibalem defecêre. Hoc idem eâdem orâ maris & Thurini fecerunt. Movit eos, non Tarentinorum magis defectio, Metapontinorumque, quibus, indidem ex Achaiâ oriundi, etiam cognatione juncti erant; quàm ira in Romanos propter obſides nuper interfectos.* TEMPVS, quo primùm condita, à nemine veterum ſcriptorum adnotatum reperio. Haud multis tamen ſæculis antè conditam fuiſſe, quàm à Crotoniatis deleretur tempeſtate Pythagoræ; qui Servio Tullo Romæ regnante, id eſt, circa annum urbis Romæ CLXXX, ante natum Ieſum IↃLXXIII, in Italiam venit; auctor eſt Diodorus, lib. XII: Κατὰ δὲ τὴν Ἰταλίαν, inquit, συνέβη κτισθῆναι τὴν τῶν Θουρίων πόλιν, δι' αἰτίας τοιαύτας· Ἐν τοῖς ἔμπροσθεν χρόνοις Ἑλλήνων κτισάντων κατὰ τὴν Ἰταλίαν πόλιν Σύβαριν, συνέβη ταύτην λαβεῖν ταχεῖαν αὔξησιν διὰ τὴν ἀρετὴν τῆς χώρας. κειμένης γὰρ ἀνὰ μέσον δυοῖν ποταμῶν, τοῦ τε Κράθιος καὶ Συβάριος, ἀφ' οὗ ταύτης ἔτυχε τῆς προσηγορίας, οἱ κατοικισθέντες, νεμόμενοι πολλὴν καὶ καρποφόρον χώραν, μεγάλους ἐκτήσαντο πλούτους. πολλοῖς δὲ μεταδιδόντες τῆς πολιτείας, ἐπὶ τοσοῦτον προέβησαν, ὥστε δόξαι πολὺ προέχειν τῶν κατὰ τὴν Ἰταλίαν οἰκούντων. πολυανθρωπίᾳ τε τοσοῦτον διήνεγκαν, ὥστε τὴν πόλιν ἔχειν πολιτῶν τριάκοντα μυριάδας. Γενόμενος δὲ παρ' αὐτοῖς δημαγωγὸς Τῆλυς, κατηγορῶν τῶν μεγίστων ἀνδρῶν, ἔπεισε τοὺς Συβαρίτας φυγαδεῦσαι τοὺς εὐπορωτάτους τῶν πολιτῶν πεντακοσίους, καὶ τὰς οὐσίας αὐτῶν δημεῦσαι. Τῶν δὲ φυγάδων παρελθόντων εἰς Κρότωνα, καὶ καταφυγόντων ἐπὶ τοὺς εἰς τὴν ἀγορὰν βωμούς, ὁ μὲν Τῆλυς ἐξέπεμψε πρεσβευτὰς πρὸς τοὺς Κροτωνιάτας, οἷς ἦν προστεταγμένον, ἢ τοὺς φυγάδας

ἐκδοῦναι,

ἐκδοῦναι, ἢ πόλεμον προσδέχεσθαι. Συναχθείσης δὲ ἐκκλησίας, καὶ προτεθείσης βουλῆς, πότερον χρὴ τοὺς ἱκέτας ἐκδοῦναι τοῖς Συβαρίταις, ἢ πόλεμον ὑπομεῖναι πρὸς δυνατωτέρους, Πυθαγόρου δὲ τοῦ φιλοσόφου συμβουλεύσαντος σώζειν τοὺς ἱκέτας, τὸν πόλεμον ἀνείλοντο. Στρατευσάντων δ' ἐπ' αὐτοὺς τῶν Συβαριτῶν τριάκοντα μυριάσιν, ἀντετάχθησαν οἱ Κροτωνιᾶται δέκα μυριάσι, Μίλωνος τοῦ ἀθλητοῦ ἡγουμένου. Τῶν δὲ Κροτωνιατῶν διὰ τὴν ὀργὴν ζωγρεῖν μὲν μηδένα βουληθέντων, πάντας δὲ κατὰ τὴν φυγὴν τοὺς ὑποπεσόντας ἀποκτεινόντων, οἱ πλείους κατεκόπησαν. τὴν δὲ πόλιν διήρπασαν, καὶ παντελῶς ἔρημον ἐποίησαν. Hoc eſt: *In Italiâ Thuriorum urbs conditur. Id verò hac occaſione evenit: Quum anteactis temporibus Græci Sybarim in Italiâ exſtruxiſſent; fœcunditate ſoli effectum eſt, ut brevi opes urbis coaleſcerent. quia enim inter duo flumina, Crathim atque Sybarim, à quo & nomen accepit, ſita eſſet; & cives longè lateque patentem ac frugum feraciſſimum agrum incolerent; magnas ſubitò divitias collegerunt: multisque in civitatis communionem receptis, eò provecti ſunt, ut longè cæteros Italiæ incolas antecedere viderentur. hominum certè multitudine ita exuberarunt, uti una urbs* CCC *hominum millia contineret. Erat verò illâ tempeſtate prætor quidam populi, nomine Telys. is, potentiſſimum quemque ad populum criminando, hoc tandem apud Sybaritas obtinuit, ut civium quingentos opulentiſſimos urbe ejicerent; bonaque eorum publicarent. Exſules hi Crotonem petunt; & ad aras in forum confugiunt. Mox Telys legatos Crotonem mittit, qui denuntient, ut vel dedant exſules, vel bellum à Sybaritis exſpectent. Advocatâ igitur concione, & deliberatione propoſitâ; utrùm dedi ſuppliceis, an verò bellum ſuſcipere contra potentiores expediret; Pythagorâ verò philoſopho, ſuppliceis protegendos ſvadente; bellum decreverunt. Itaque Sybaritis* CCC *armatorum millia ducentibus, Crotoniatæ* C *millibus inſtructi occurrunt; duce Milone Athletâ. Fuſis hoſtibus, quum nulli eorum, quos ceperant, vitam Crotoniatæ donarent, ſed omneis, in fugâ comprehenſos, trucidarent; major exercitûs pars conciſa interiit. urbs poſt fœdam direptionem ad ſolitudinem eſt redacta.* Ἑλόντες γὰρ τὴν πόλιν, inquit Strabo, loco ſuprà ſcripto, ἐπήγαγον τὸν ποταμὸν, καὶ κατέκλυσαν. Id eſt: *Captam urbem, immiſſo flumine Crathi, aquis obruerant.* Ad Tuſcum tunc bello ſuperſtiteis abiviſſe mare, Laumque & Scidrum inibi condidiſſe, credo. Quid poſteà factum, oſtendit Strabo his verbis: Ὕστερον δ' οἱ περιγενόμενοι, συνελθόντες, ἐπῴκουν ὀλίγοι. Id eſt: *Qui cladi ſuperfuerunt pauci, poſteà temporis habitatum eò redierunt.* Quando id factum, oſtendit Diodorus, lib. XI: Κατὰ δὲ Ἰταλίαν, inquit, μετὰ τὴν κατασκαφὴν τῆς Συβάρεως ὑπὸ τῶν Κροτωνιατῶν, ὕστερον ἔτεσιν ὀκτὼ πρὸς τοῖς πεντήκοντα, Θετταλὸς συναγαγὼν τοὺς ὑπολοίπους τῶν Συβαριτῶν, ἐξ ἀρχῆς ᾤκισε τὴν Σύβαριν, κειμένην ἀνὰ μέσον δυοῖν ποταμῶν, τοῦ τε Συβάριος καὶ Κράθιος. Ἀγαθὴν δ' ἔχοντες χώραν, ταχὺ ταῖς οὐσίαις ἐπηύξησαν. Κατασχόντες δὲ τὴν πόλιν ἔτη ἕξ, ἐξέπεσον ἐκ τῆς Συβάρεως. περὶ ὧν ἀνὰ μέρος ἀναγράψαι πειρασόμεθα, κατὰ τὴν ἐχομένην βίβλον. Hoc eſt: *In Italiâ, anno poſt excidium Sybaris, à Crotoniatis peractum,* LVIII, *Theſſalus, collectis Sybaritarum reliquiis, Sybarim de novo condidit, inter duos amneis, Sybarim & Crathim, collocatam. Qui, quum fertiliſſimos agros incolerent, celeriter magnas opeis collegerunt. At, poſtquàm ſex urbem annos tenuiſſent, iterum eâ expulſi ſunt. de quâ re exactiùs ſequenti libro memorare conabimur.* Sequenti librò XII iſta ſuprà recitatis ſubnectit: Ὕστερον δὲ ἔτεσιν ὀκτὼ πρὸς τοῖς πεντήκοντα Θετταλοὶ συνῴκισαν, καὶ μετ' ὀλίγον ὑπὸ Κροτωνιατῶν ἐξέπεσον, πέντε ἔτεσιν ὕστερον τοῦ δευτέρου συνοικισμοῦ, κατὰ τοὺς ὑποκειμένους καιρούς. Οἱ δὲ τὸ δεύτερον ἐκπεσόντες ἐκ τῆς πατρίδος Συβαρῖται, πρέσβεις ἔπεμψαν εἰς τὴν Ἑλλάδα πρὸς Λακεδαιμονίους καὶ Ἀθηναίους, ἀξιοῦντες συνεπιλαβέσθαι τῆς καθόδου, καὶ κοινωνῆσαι τῆς ἀποικίας. Λακεδαιμόνιοι μὲν οὖν οὐ προσέσχον αὐτοῖς. Ἀθηναῖοι δὲ συμπράξειν ἐπαγγειλάμενοι, δέκα ναῦς πληρώσαντες ἀπέστειλαν τοῖς Συβαρίταις, ὧν ἡγεῖτο Λάμπων τε καὶ Ξενόκριτος. Ἐκήρυξαν δὲ κατὰ τὰς ἐν Πελοποννήσῳ πόλεις, κοινοποιούμενοι τὴν ἀποικίαν τῷ βουλομένῳ μετέχειν τῆς ἀποικίας. Ὑπακουσάντων δὲ πολλῶν, καὶ λαβόντων χρησμὸν παρὰ τοῦ Ἀπόλλωνος, ὅτι δεῖ κτίσαι πόλιν αὐτοὺς ἐν τούτῳ τῷ τόπῳ, ὅπου μέλλουσιν οἰκεῖν μέτριον ὕδωρ πίνοντες, ἀμετρὶ δὲ μάζαν ἔδοντες· κατέπλευσαν εἰς τὴν Ἰταλίαν, καὶ καταντήσαντες εἰς τὴν Σύβαριν, ἐζήτουν τόπον, ὃν ὁ θεὸς ἦν προστεταχὼς κατοικεῖν. εὑρόντες δὲ οὐκ ἄποθεν τῆς Συβάρεως κρήνην ὀνομαζομένην Θουρίαν, ἔχουσαν αὐλὸν χάλκεον, ὃν ἐκάλουν οἱ ἐγχώριοι μέδιμνον· νομίσαντες εἶναι τοῦτον τὸν τόπον τὸν δηλούμενον ὑπὸ τοῦ θεοῦ, περιέβαλον τεῖχος, καὶ κτίσαντες πόλιν, ὠνόμασαν ἀπὸ τῆς κρήνης Θούριον. Τὴν δὲ πόλιν διελόμενοι, κατὰ μὲν μῆκος, εἰς τέσσαρας πλατείας, ὧν καλοῦσι τὴν μὲν μίαν Ἡράκλειαν, τὴν δὲ Ἀφροδισιάδα, τὴν δὲ Ὀλυμπιάδα, τὴν δὲ Διονυσιάδα· κατὰ δὲ τὸ πλάτος διεῖλον εἰς τρεῖς πλατείας, ὧν ἡ μὲν ὠνομάσθη Ἡρῷα, ἡ δὲ Θουρία, ἡ δὲ Θουρῖνα. Ὑπὸ δὲ τούτων τῶν στενωπῶν πεπληρωμένων ταῖς οἰκίαις, ἡ πόλις ἐφαίνετο καλῶς κατεσκευάσθαι. Ὀλίγον δὲ χρόνον ὁμονοήσαντες οἱ Θούριοι, στάσει μεγάλῃ περιέπεσον, οὐκ ἀλόγως. οἱ γὰρ προϋπάρχοντες Συβαρῖται τὰς μὲν ἀξιολογωτάτας ἀρχὰς ἑαυτοῖς προσένεμον, τὰς δ' εὐτελεῖς τοῖς ὕστερον προσγεγραμμένοις πολίταις. καὶ τὰς γυναῖκας ἐπιθύειν τοῖς θεοῖς ᾤοντο δεῖν, πρώτας μὲν τὰς

πολίτιδας, ὑστέρας ἢ τὰς μεταγενεστέρας· πρὸς δὲ τούτοις τὴν μὲν σύνεγγυς τῇ πόλει χώραν κατεκληρούχουν ἑαυτοῖς, τὴν δὲ πόῤῥω κειμένην τοῖς ἐπήλυσι. Γενομένης διαφορᾶς διὰ τὰς εἰρημένας αἰτίας, οἱ προσγραφέντες ὕστερον πολῖται πλείους καὶ κρείττονες ὄντες, ἀπέκτειναν σχεδὸν ἅπαντας τοὺς προϋπάρχοντας Συβαρίτας, καὶ τὴν πόλιν αὐτοὶ κατῴκησαν. Πολλῆς δὲ οὔσης καὶ καλῆς χώρας, οἰκήτορας ἐκ τῆς Ἑλλάδος μεταπεμψάμενοι συχνοὺς, διενείμαντο τὴν πόλιν, καὶ τὴν χώραν ἐπίσης ἔνεμον. Οἱ δὲ διαμένοντες ταχὺ πλούτους μεγάλους ἐκτήσαντο, καὶ πρὸς τοὺς Κροτωνιάτας φιλίαν συνθέμενοι, καλῶς ἐπολιτεύοντο. Hoc eſt: *Interlapſis* LVIII *annis, Theſſali quidam in eam habitandam conceſſerunt. ſed paullo pòſt, quinquennio transacto poſt inſtaurationem, à Crotoniatis ejecti ſunt. Sybaritæ autem, qui ſecundò jam è patriâ exacti profugerant, miſſis in Græciam legatis, à Spartanis atque Athenienſibus petierunt, ut & reditûs adjutores & coloniæ participes eſſe vellent. Lacedæmonii quidem petitionem illorum non admittunt; ſed Athenienſes, decretis auxiliis, decem naveis milite completas, Sybaritis mittunt; quarum Lampon & Xenocritus præfecti. Præconibus ergo huc illuc circa urbeis Peloponneſi miſſis, publicè denuntiant, liberam ſe facere copiam omnibus, coloniæ ſe novæ aggregandi. Numerus inde haud exiguus adſenſum præbent. Apollinisque oraculo moniti, illic loci urbem condendam eſſe, ubi modicæ aquæ potus, panis verò citra menſuram comeſtus ſuppeteret; ſuſcepta in Italiam navigatione, Sybarim adpellunt; locumque habitationis à deo juſſum diligenter inquirunt. & ſcaturigine haud procul à Sybari inventâ, cui nomen Thuriæ, per æneum canaliculum, quem medimnum adcolæ, id eſt, modium, vocitabant, laticeis fundente; ſedem hanc eſſe à deo præmonſtratam interpretati; circumductis pomœriis opidum ibi ſtatuunt, quod de fontis nomine Thurium indigetant. Tum urbis longitudine in* IV *plateas exporrectâ, unam Heracleam vocitant, alteram Aphrodiſiadem, tertiam Olympiadem, quartam Dionyſiadem. latitudine verò in treis plateas diviſâ, unam Heroam, alteram Thuriam, tertiam Thurinam adpellant. Quumque vicos his interiectos domibus explevisſent, urbs commodè digeſta ac pulcrè exædificata videbatur. Verùm, ad exiguum tempus concordia inter Thurios manſit: gravique admodùm reſpublica ſeditione non abſque causâ vexari cœpit. Quidpe priſci loci poſſeſſores Sybaritæ præcipuos magiſtratuum honores ſibi uſurpabant; viliores nuper deſcriptis civibus tribuebant. tum, ad ſacra deûm primo loco admittendas priſcorum civium uxores, poſtremo illorum, qui poſteriùs in jus civitatis adſciti erant, cenſebant. ad hæc, vicinum urbi agrum inter ſe partiebantur: remotiorem hoſpitibus adſcriptitiis relinquebant. Itaque quum hic diſſidiorum ignis in funeſtum ſeditionis incendium erupiſſet; adoptati in civitatem, numero ac viribus potiores; priſcos Sybaritas propè omneis delerunt; urbem ſuo arbitratu adminiſtrandam ſibi vendicarunt. At, quum multum adhuc fertilis atque elegantis agri ſupereſſet; cultores è Græciâ haud paucos accerſunt: inter quos reliquas in urbe ſedeis ſimulque agrorum fundos æquali ſorte diſtribuunt. Reſidua ergo civium frequentia magnas brevi opeis accumulavit. initoque cum Crotoniatis amicitiæ fœdere, præclarè rempublicam deinde adminiſtravit.* Strabo duas haſce poſtremas Sybaritarum ejectiones, alteram ab Crotoniatis iteratò, ab Athenienſibus ac reliquis illis Græcis alteram perpetratam, in unam confundit; Thurium haud ſimul ab Sybaritis, ſed ab unis poſterioribus advenis conditum: eum, non Sybaritas Athenienſeis, verùm hos illos contempſiſſe tradit. De primo enim Sybaritarum reditu ita ſcribit: Ὕστερον δὲ οἱ περιγενόμενοι, συνελθόντες, ἐπῴκουν ὀλίγοι. χρόνῳ δὲ καὶ οὗτοι διεφθάρησαν ὑπ' Ἀθηναίων καὶ ἄλλων Ἑλλήνων· οἱ συνοικήσοντες μὲν ἐκείνοις ἀφίκοντο· καταφρονήσαντες δὲ αὐτῶν, τοὺς μὲν διεχειρώσαντο, τὴν δὲ πόλιν εἰς ἕτερον τόπον μετέθηκαν πλησίον, καὶ Θουρίους προσηγόρευσαν ἀπὸ κρήνης ὁμωνύμου. Hoc eſt: *Qui cladi ſuperfuerunt pauci, poſteà temporis habitatum eò redierunt. Sed & hi aliquanto pòſt ab Athenienſibus & aliis Græcis deleti ſunt. qui, quùm veniſſent, ut illis ſe adjungerent, in ſocietatem civitatis contemptos interfecerunt, contrucidarunt: urbemque in alium vicinum locum translatam, à fonte, id nominis gerente, Thurios indigetarunt.* Tandem, ut expediatur quod de tempore dici cœptum eſt; quo tempore SYBARIS hæc ſit condita, oſtendit Diodorus, loco proximè dicto, his verbis: Ἐπ' ἄρχοντος δ' Ἀθήνησι Καλλιμάχου συνῳκίσθη, καὶ μετὰ βραχὺ μετασταθεῖσα εἰς ἕτερον τόπον, προσηγορίας ἔτυχε κτιστῶν γενομένων Λάμπωνος καὶ Ξενοκρίτου. Hoc eſt: *Callimacho Athenis ſummum magiſtratum gerente, urbs ea inhabitari cœperat. ſed brevi in alium locum transpoſita, aliud etiam nomen accepit, Lampone ac Xenocrito conditoribus.* Patet ex his, Athenienſium opus fuiſſe novam urbem Thurium. Cæterùm, ſummum Athenis magiſtratum Callimachus obtinuit Olympiadis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

piadis LXXXIII anno III; ab Româ conditâ CCCVII; ante natum Ieſum CCCCXLVI. Hanc omnem temporis rationem, Collectanea hiſtoriarum, ſive Συναγωγὴ ἱστοριῶν, incerti autoris, quam Ioſephus Scaliger ad Euſebii Chronicon edidit, hoc explicat pacto: Ὀλυμπιάδος ξζ ἔτει γʹ οἱ Κροτωνιᾶται, Μίλωνος τοῦ ἀθλητοῦ στρατηγοῦντος, ἐπιφανεστάτῃ μάχῃ τοὺς Συβαρίτας ἐνίκησαν, καὶ τὴν πόλιν αὐτῶν διαρπάσαντες, παντελῶς ἔρημον ἐποίησαν. *Olympiadis* LXVII *anno* III *Crotoniatæ Milone athletâ duce Sybaritas pugnâ maximoperè inſigni, vicerunt, urbemque illorum deprædati, penitùs reddiderunt deſertam.* Et poſteà: Ὀλυμπιάδος πα ἔτει δʹ Θεσσαλὸς συναγαγὼν τοὺς ὑπολοίπους τῶν Συβαριτῶν τὴν Σύβαριν ᾤκισε. *Olympiadis* LXXXI *anno* IV *Theſſalus, collectis Sybaritarum ſuperſtitibus, Sybarim coloniam deduxit.* Et: Ὀλυμπιάδος πβ ἔτει βʹ Σύβαρις ὑπὸ Θεσσαλῶν ἀνακτίζεται, πρόσθεν ὑπὸ Κροτωνιατῶν ἀνασκαφεῖσα. *Olympiadis* LXXXII *anno* II *reſtauratur Sybaris ab Theſſalis, quæ priùs à Crotoniatis everſa erat.* Et: Ὀλυμπιάδος πγ ἔτει αʹ Θεσσαλοί, οἱ τὴν Σύβαριν συνοικίσαντες, ἕκτῳ ἔτει ὑπὸ Κροτωνιατῶν ἐξέπεσον. *Olympiadis* LXXXIII *anno* I, *Theſſali, qui Sybarim in coloniam abierant, anno pòſt ſexto ab Crotoniatis ejecti ſunt.* Item: Ὀλυμπιάδος πγʹ ἔτει γʹ κατὰ τὴν Ἰταλίαν ἡ τῶν Θουρίων πόλις πάλιν ἐκτίσθη. *Olympiadis* LXXXIII *anno* III *in Italiâ Thuriorum urbs denuò exſtructa eſt.* Denique: Ὀλυμπιάδος πδʹ ἔτει αʹ Λυσίας ὁ ῥήτωρ ᾤχετο εἰς Σύβαριν ἀποικίαν τὴν ὕστερον Θουρίους ἐπονομασθεῖσαν. *Olympiadis* LXXXIIII *anno* I *Lyſias rhetor Sybarin in coloniam conceſſit, quæ poſtmodùm Thurii eſt cognominata.* Cæterùm, Diodorus loco proximè ſcripto ait, Athenienſeis propè omneis deleviſſe Sybaritas. Superſtitibus cladi quid factum, tradit paullo pòſt; his verbis: Ἐπ' ἄρχοντος δὲ Ἀθήνησι Λυσιμαχίδου, διαφυγόντες τὸν ἐν τῇ στάσει κίνδυνον Συβαρῖται, περὶ τὸν Τράεντα ποταμὸν κατῴκησαν. ἐπεὶ θ' ὑπὸ Βρεττίων ἐκβληθέντες ἀνῃρέθησαν. Hoc eſt: *Lyſimachide ſummum magiſtratum Athenis gerente; Sybaritæ, qui ſeditionis periculum evaſerant, ad Traenta amnem conſederunt. Ibi aliquamdiu commorati, à Brutiis poſtmodùm eiecti deletique ſunt.* Amnis hic vulgari nunc vocabulo dicitur *Triunti*, medio itinere inter Crotonem Thuriumque. Callimachum in ſummo magiſtratu, proximo anno ſequutus eſt dictus Lyſimachides. Sed de conditoribus Sybaris Thuriique ſatis dictum. Ad illius SITVM revertimur; de quo quæ dicenda reſtant, paucis expediemus. Ipſam antiquam Sybarim ad ipſum Sybaris amnis os dextrâ ripâ fuiſſe ſitam; jam anteà oſtenſum eſt. Πλησίον verò, ut ait Strabo, id eſt, *propè*, ſive οὐκ ἄποθεν τῆς Συβάρεως, id eſt, *haud procul Sybari*, ut tradit Diodorus, quum Thurium fuerit conditum; haud modicè errare deprehenduntur ii, qui Thurium nunc interpretantur eſſe id opidum, quod in edito colle, XII millia paſſuum ab litore diſſito, vulgari vocabulo incolis dicitur *Terra nuova*. Tum, haud facilè quis demonſtraverit in omni Italiâ, opidum aliquod tot millia paſſuum à mari diſſitum, in litore à geographis recenſeri, niſi per ſummum errorem: quem heic nullum ſuſpicari potes in tanto omnium ſcriptorum conſenſu. Plinius, dicto lib. III, cap. XI: *Opidum Crotho; amnis Neæthus. opidum Thurium, inter duos amneis, Crathin & Sybarin: ubi fuit urbs eodem nomine. ſimiliter eſt inter Sirin & Acirin Heraclea; aliquando Siris vocitata. flumina Acalandrum, Caſuentum; opidum, Metapontum.* Mela, lib. II, cap. IV: *Tarentus, Metapontum, Heraclea, Croto, Thurium.* Ptolemæus: Κρότων πόλις, Θούριον, Μεταπόντιον, Τάρας. Id eſt: *Croton urbs, Thurium, Metapontum, Tarentum.* Sed hoc etiam erat notandum, quòd auctores aiunt, Sybarim fuiſſe poſteà Thurium adpellatam; & hoc anteà Sybarim. Stephanus: Θούριοι, πόλις Ἰταλίας· ἡ πρότερον Σύβαρις. Id eſt: *Thurii, urbs Italiæ; quæ antè Sybaris.* Idem poſteà: Σύβαρις, πόλις Ἰταλίας· ἡ ὕστερον ὠνομάσθη Θούριον. Id eſt: *Sybaris, urbs Italiæ; quæ poſtmodùm dicta Thurium.* Varro Ruſticar. rer. lib. I, cap. VI: *Sybari, qui nunc Thurii dicuntur, quercus eſt, quæ hyeme folia non amittit, quæ eſt in opidi conſpectu.* Plinius, lib. XVI, cap. XXI: *In Thurino agro, ubi Sybaris fuit, ex ipsâ urbe proſpiciebatur quercus una, numquàm folia amittens, nec ante æſtatem germinans; idque mirum eſt, Græcis auctoribus proditum, apud nos poſteà ſileri.* Plutarchus in Pericle: Ἄλλους δὲ ἔστειλε κληρούχους εἰς Ἰταλίαν, οἰκιζομένης Συβάρεως, ἣν Θουρίους προσηγόρευσαν. Hoc eſt: *Alios item colonos miſit in Italiam, quum Sybaris inſtauraretur, quam Thurios adpellavère.* Hæc igitur tot auctorum concordantia verba, quomodo de locis duodecim millia paſſuum inter ſe diſſitis ritè dici potuerint; haud equidem percipio. Præterea, mira ſanè res videatur, quum tam frequens, tamque curata, Thurii ſit memoratio, nullam omnino collis, ſi in aliquo conditum ſit hoc opidum, apud quemquam auctorem factam eſſe mentionem. Reducatur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

igitur Thurium ab dicto colle ad ea loca, quæ inter Crathim & Sybarim πλησίον ſive ἐκ ἄπωθεν erant τῆς Συβάρεως, id eſt, τῆς θαλάσσης. Cæterùm, Diodorus χώραν πολλὴν, id eſt, *regionem amplam*, tenuiſſe tradit Thurios. Ad Tarentinorum uſque fineis AGROS EORVM pertinuiſſe, patet ex eodem eius libro poſteà; ubi ſic ait: Ἐπ' ἄρχοντος δ' Ἀθήνησι Πραξιτέλους, Θούριοι μὲν διαπολεμοῦντες πρὸς Ταραντίνους, τὰς ἀλλήλων χώρας ἐπόρθουν καὶ κατὰ γῆν καὶ κατὰ θάλατταν. Hoc eſt: *Athenis ſummum magiſtratum gerente Praxitele, bello inter Thurios Tarentinosque exorto, mutuis utrimque populationibus agri vaſtabantur terrâ marique*. Biennio hoc factum pòſt, quàm Thurium conditum. quidpe Lyſimachidem in ſummo magiſtratu proximè ſequutus eſt Praxiteles. TERMINVS inter utrorumque agros fuit circa flumen Sirin. Diodorus, eodem libro XII poſteà: Ἐπ' ἄρχοντος δ' Ἀθήνησι Ἀψεύδους, κατὰ τὴν Ἰταλίαν Ταραντῖνοι τοὺς τὴν Σίριν καλουμένην οἰκοῦντας μετοικίσαντες ἐκ τῆς πατρίδος, καὶ ἰδίους προσθέντες οἰκήτορας, ἔκτισαν πόλιν τὴν λεγομένην Ἡράκλειαν. Hoc eſt: *Athenis ſummum magiſtratum gerente Apſeude, in Italiâ Tarentini, incolis opidi Siris aliò migrare coactis, coloniâque ſuorum eò deductâ, urbem condunt, cui Heracleæ nomen eſt*. Apſeudes hic princeps Athenis fuit Olympiadis LXXXVI anno IV; urbis Romæ CCCXX; ante natum Ieſum CCCCXXXIII. Atque huc etiam pertinet illud Strabonis lib. VI: Φησὶ δ' Ἀντίοχος, τοὺς Ταραντίνους Θουρίοις καὶ Κλεανδρίᾳ τῷ στρατηγῷ, φυγάδι ἐκ Λακεδαίμονος, πολεμοῦντας περὶ τῆς Σιρίτιδος, συμβῆναι, καὶ συνοικῆσαι μὲν κοινῇ, τὴν δ' ἀποικίαν κριθῆναι Ταραντίνων. Ὕστερον δ' Ἡράκλειαν κληθῆναι, μεταβαλοῦσαν καὶ τοὔνομα καὶ τὸν τόπον. Hoc eſt: *Antiochus auctor eſt, Tarentinos contra Thurios & Cleandriam imperatorem, qui Spartâ exſulabat, ob Sirin belligeranteis, ita pacem coiviſſe, ut æquo utrimque jure incoleretur Siris; Tarentinorum tamen judicaretur colonia. eam poſteà temporis, cum loco nomine quoque mutato, adpellatam Heracleam*. Ab alterâ parte conterminos habuêre Crotoniatas ad Hyliam flumen, ut liquet ex Thucydidis lib. VII. COLONIAM fuiſſe deductam, docet Strabo, dicto lib. VI: Θούριοι δ' εὐτυχήσαντες πολὺν χρόνον, ὑπὸ Λευκανῶν ἠνδραποδίσθησαν. Ταραντίνων δ' ἀφελομένων ἐκείνους, ἐπὶ Ῥωμαίους κατέφυγον. οἱ δὲ πέμψαντες συνοίκους ὀλιγανδροῦσι, μετωνόμασαν Κωπίας τὴν πόλιν. Id eſt: *Thurii longo tempore fortunâ uſi ſecundâ, tandem à Lucanis in ſervitutem redacti ſunt. His autem Tarentinis oppreſſis, ad Romanos confugerunt. Hi, attritis jam incolis, coloniâ miſſâ, urbem mutato nomine Copias adpellarunt*. Idem, haud dubiè ex hoc Strabonis loco, & Stephanus citat: Θούριοι, πόλις Ἰταλίας· ἡ πρότερον Σύβαρις, ὕστερον δὲ Κωπίαι. Id eſt: *Thurii, urbs Italiæ; quæ anteà Sybaris, poſteà verò Copiæ dicta*. Verùm, hoc vocabulum à nullo alio auctore memorari miror: quum interim frequens Thurii ſive Thuriorum mentio etiam poſterioribus ſæculis. quidpe Tabulæ quoque in Itinere inter Crotonem atque Tarentum memorantur *Turii*; ut infrà patebit. Fuiſſe tamen aliquem locum, cui nomen id pluralis numeri COPIAE tributum fuerit; patet ex eo, quòd etiam nunc perexiguus ad Crathis oſtia ſinùs vulgò vocatur adcolis *El Cupo*. & ſpecula in eius litore, *Torre del Cupo*. Cæterùm, QVANDO ea COLONIA deducta ſit, oſtendere videtur Livius, lib. XXXIV. *Exitu*, inquit, *huius anni, quo P. Scipio Africanus iterum & T. Sempronius Longus conſules fuerunt; Q. Aelius Tubero, trib. pleb. ex ſenatusconſulto tulit ad plebem, plebesque ſcivit, ut Latinæ duæ coloniæ, una in Brutios, altera in Thurinum agrum, deduceretur*. Ipſam urbem Thurios Cæſar, belli civil. lib. III, MVNICIPIVM adpellat. *Cælius*, inquit, *profectus, ut dictitabat, ad Cæſarem, pervenit Thurios. ubi, quum quosdam eius municipii ſollicitaret; equitibusque Cæſaris Gallis atque Hiſpanis, qui eò præſidii causâ miſſi erant, pecuniam polliceretur; ab iis eſt interfectus*. De LVXV & MOLLITIE SYBARITARVM Plutarchus hoc refert; in convivio ſapientum: Συβαρῖται, ὡς ἔοικε, πρὸ ἐνιαυτοῦ τὰς κλήσεις ποιοῦνται τῶν γυναικῶν, ὅπως ἐκγένοιτο κατὰ σχολὴν παρεσκευασμέναις ἐσθῆτι καὶ χρυσῷ φοιτᾶν ἐπὶ τὸ δεῖπνον. Hoc eſt: *Sybaritæ feruntur toto antè anno mulieres invitare ſoliti; ut eis liceret per ocium veſtibus auroque ornatis ad cœnam venire*. Vnde in proverbium abierunt SYBARITAE. Zenobius, cent. V: Συβαριτικὴ τράπεζα.] Ἀντὶ τοῦ ἐν πολυτελείᾳ. τρυφητοὶ γὰρ οἱ Συβαρῖται. Hoc eſt: *Sybaritica menſa.*] *Pro lautè & opiparè inſtructâ. delitiis enim dediti Sybaritæ*. Idem, ibidem; & Diogenianus, cent. VIII: Συβαρῖται διὰ πλατείας.] Παροιμία ἐπὶ τῶν σοβαρῶς πορευομένων. Hoc eſt: *Sybaritæ per plateas.*] *Adagium de pompoſo inceſſu atque inſolenti.* [*In inſolenter ac faſtuosè incedentes.*] E Svidâ, cent. XII, hoc lubet depromere: Συβαρίτης διὰ πλατείας.] Ἐπὶ τῶν σοβαρῶς διαπορευομένων. Οἱ Συβαρῖται οὕτω τρυφηλῶς διῆγον, ὡς καὶ τοὺς ἵππους διδάσκειν πρὸς αὐλὸν ὀρχεῖσθαι, καὶ τὸ

ἔξωθεν

ἔξωθεν ἐθνῶν μάλιστα ἠγάπων Ἴωνας καὶ Τυῤῥηνούς· διότι συνέβαινεν αὐτοῖς, τοὺς μὲν τῶν Ἑλλήνων, τοὺς δὲ τῶν Βαρβάρων περιέχειν τῇ κατὰ τὸ ζῆν πολυτελείᾳ. Παρὰ δὲ τούτοις Μινδυρίδης λέγεται πλεονάσαι τρυφῇ. Οὗτος γὰρ, Κλεισθένους τῶν Σικυωνίων τυράννου, νικήσαντος ἅρματι, καὶ κηρύξαντος, παραγενέσθαι τοὺς προαιρουμένους γαμεῖν αὐτοῦ τὴν θυγατέρα, δοκοῦσαν κάλλει διαφέρειν, ἀναχθῆναι λέγεται ἐκ Συβάρεως πεντηκόντορον ἔχων ἰδίους οἰκέτας, τοὺς μὲν ἁλιεῖς, τοὺς δὲ ὀρνιθοθήρας. Παραγενόμενος δὲ εἰς Σικυῶνα τῇ κατὰ τὴν οὐσίαν παρασκευαῖς, οὐ μόνον τοὺς ἀντιμνηστευόντας, ἀλλὰ καὶ τὸν τύραννον αὐτὸν ὑπεράραι, καίπερ τῆς πόλεως αὐτῷ πάσης συμφιλοτιμουμένης. Ἐν δὲ τῷ μετὰ τὴν ἄφιξιν δείπνῳ προσιόντος τινὸς ὅπως κατακλίθῃ, πρὸς αὐτὸν εἰπεῖν, ὅτι κατὰ τὸ κήρυγμα πάρεστιν, ἢ μετὰ Κλεισθένους θυγατρὸς ἢ μόνος κατακλιθησόμενος. Hoc eſt: *Sybarita per plateam.*] *De iis, qui inſolenter incedunt. Sybaritæ adeò delicati fuerunt, ut & equos ad tibiam ſaltare docerent, & exterorum maximè amarent Ionas & Tyrrhenos; eò quòd hi ex Barbaris, illi ex Græcis, luxu ipſis eſſent ſimillimi. Apud eos autem fertur Mindyrides luxu excelluiſſe. nam quum Cliſthenes, Sicyoniorum tyrannus, curru victor per præconem denuntiaſſet, ut, qui filiam ipſius, formâ præſtantem, vellet ducere, adveniret: fertur hic Sybarita ſuâ ſolviſſe navi, quæ quinquaginta famulos ſuos remiges haberet, alios piſcatores, alios aucupes. Ac Sicyonem quum veniſſet, non æmulos modò, ſed & ipſum tyrannum ſumptibus & apparatu ſuperaſſe, quamquàm totâ urbe magnificentiam eius adjuvante. In cœnâ, poſt adventum, quum quidam acceſſiſſet, ut cum eo accumberet, dixit ei, ſe adeſſe, ut ſecundùm præconium aut cum Cliſthenis filiâ aut ſolus accumberet.* Aelianus, Hiſtor. animal. lib. XVI, cap. XXIII: Ἵππου δὲ ἄρα καὶ τὸ εὐμαθὲς ἴδιον ἦν, καὶ τούτου μαρτύριον ἐκεῖνο· Συβαρίτας τοὺς ἐν Ἰταλίᾳ τρυφῆς ἀκούω ποιήσασθαι φροντίδα ὑπερβάλλουσαν· καὶ τῶν μὲν ἄλλων ἔργων τε καὶ σπουδασμάτων ἀμαθῶς ἔχειν· ταῦτα δὲ τὸν ἑαυτῶν βίον διάγειν ῥᾳστωνεύοντας ἐν ἀργίᾳ καὶ πολυτελείᾳ. Περιηγεῖσθαι μὲν οὖν ἕκαστα τῶν ἐν Συβάρει, μακρὸν ἂν εἴη νῦν. Ἐκεῖνο δὲ οὖν ὁμολογεῖ τρυφὴν ἄμαχον. Δεδιδαγμένοι ἦσαν αὐτοῖς ἵπποι παρὰ τὴν τῆς εὐωχίας καιρὸν ὀρχεῖσθαι πρὸς αὐλὸν τῷ ῥυθμῷ. Τοῦτο οὖν εἰδότες οἱ Κροτωνιᾶται, ὅτε ἐπολέμουν αὐτοῖς, σάλπιγγα μὲν καὶ ἦχον σύντονον καὶ παρακλητικὸν εἰς ὅπλα κατεσίγασαν. αὐλοὺς δὲ καὶ αὐλητὰς παραλαβόντες, ἐπεὶ ὁμοῦ ἦσαν, καὶ τόξευμα ἐξικνεῖτο ἤδη, ἐνέδοσαν ἐκεῖνοι τὸ μέλος ὀρχηστικόν. Ὅπερ οὖν ἀκούσαντες οἱ τῶν Συβαριτῶν ἵπποι, κατὰ τὴν οἴκοι μνήμην, ὡς ἐν μέσοις ὄντες τοῖς συμποσίοις, [οὐ μόνον ἐξωρχήσαντο, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἀναβάτας ἔχοντες ηὐτομόλησαν πρὸς τοὺς Κροτωνιάτας, Athenæus,] ἀπεσείσαντο μὲν τοὺς ἀναβάτας, ἐσκίρτων δὲ καὶ ἐχόρευον, καὶ τήν γε ἄλλην τὴν τάξιν συνέχεαν, καὶ τὸν πόλεμον ἐξωρχήσαντο. Hoc eſt: *Ingenii & docilitatis equorum, clades Sybaritarum in Italiâ argumento eſt. Hi quum voluptuarii immodicè eſſent, opera & ſtudia honeſta omnia negligentes, ut audio, ignorabant; otio tantùm & ſumptuoſo luxui miſerè addicti. Sed referre ſingula prolixum foret. unum ſupremi eorum luxûs teſtimonium narrabo. Equi eis inſtituti erant, ut inter epulas ad tibiarum numeros ſaltarent. Quod quum ſcirent Crotoniatæ, & bellum adversùs eos gererent; tubam, & omne vehemens & claſſicum ſignum, ſilêre voluerunt: tibicines verò ſecum in acie adductos, quum jam intra ſagittæ jactum ab hoſte abeſſent; numeros ſaltationi aptos inflare juſſerunt. Quibus auditis, Sybaritarum equi, ſaltationis domeſticæ memoriâ, tamquàm in mediis verſarentur conviviis, excuſſis ſeſſoribus, ſaltare & tripudiare cœperunt; & confuſo Sybaritarum ordine, ſtragis & cladis cauſa ſuis fuerunt dominis.* Atque hoc eſt quod Plinius indigitat; lib. VIII, cap. XLII: *Docilitas equorum* (inquit) *tanta eſt, ut univerſus Sybaritani exercitûs equitatus ad ſymphoniæ cantum ſaltatione quâdam moveri ſolitus inveniatur.* Sed de Thuriis plus quàm ſatis videtur dictum.

Ad Crathis oſtium, *Thuriorum* fuit *navale*, ROSCIA ſive RVSCIA dictum. quod uni memoratur Procopio, Gothic. rer. lib. III. Παρὰ δὲ τὴν ἀκτὴν, inquit, Ῥουσκία ἐστὶ, τὸ Θουρίων ἐπίνειον. ὕπερθεν δὲ αὐτοῦ, ὅσον ἀπὸ σταδίων ἑξήκοντα, φρούριον ὀχυρώτατον ἐδείμαντο οἱ πάλαι Ῥωμαῖοι. Id eſt: *In orâ maritimâ eſt Ruſcia, Thuriorum navale. Super id ad* LX *ſtadia, caſtellum validiſſimum ædificarunt veteres Romani.* Hoc caſtellum poſteà ipſe Procopius RVSCIANVM; Antoninus verò ROSCIANVM vocat. vulgò nunc eſt ROSSANVM, opidum celeberrimum: de quo plura infrà in Brutiis dicentur. Conſtantino Porphyrogenito, in libro de Adminiſtrando imperio, cap. XXVII, dicitur Ῥουσιανόν. ROSCIA, *Thuriorum navale*, quod & RVSCIA.

Cæterùm, Strabo, eodem libro VI, anteà: Ὑπὲρ δὲ τῶν Θουρίων, inquit, καὶ ἡ Ταυριανὴ χώρα λεγομένη ἵδρυται. Id eſt: *Supra Thurios eſt etiam ſita regio, quæ Tauriana vocatur.* Facilè quis induxerit me, uti credam, ſcriptum fuiſſe ab ipſo auctore, Θουριανὴ χώρα. nam gentilia vocabula à *Thurio* refert Stephanus Θούριος & Θουριανός; id eſt, *Thurinus* & *Thurianus*. Svetonio certè in vitâ Auguſti, THVRINA hoc tractu adpellatur TAVRINA REGIO, & PAGVS.

latur REGIO, eademque THURINUS PAGUS. *Marcus*, inquit, *Antonius, ei proavum exprobrat reſtionem ex pago Thurino.* Et paullo pòſt: *Infanti cognomen Thurinus inditum eſt, in memoriam majorum originis; vel, quòd in regione Thurinâ recens eo nato, pater Octavius adversùs fugitivos rem proſperè geſſit.*

CAMERA *ager.* Sequitur hinc CAMERA ager, vel CAMARE; de quo Ovidius, Faſtor. lib. III, ſic:

Eſt prope piſcoſos lapidoſi Crathidis amnes
Parvus ager; Cameren incola turba vocat.

Circa oſtia fluvii, ut veriſimile eſt; inquit Ortelius.

LAGARIA, & LANGARIA, *opidum & caſtellum.* Poſt Thurios proximè memoratur antiquis auctoribus, Straboni, Plinio atque Stephano LAGARIA, Λαγαρία, quæ Lycophroni Λαγγαρία, LANGARIA. Ab illo, Straboni opidani ſunt LAGARITANI; at Plinio LAGARINI; ut mox patebit. Apud Strabonem, lib. VI, ſunt hæc: Μετὰ δὲ Θουρίους Λαγαρία φρούριον, Ἐπειοῦ καὶ Φωκέων κτίσμα. ὅθεν καὶ ὁ Λαγαριτανὸς οἶνος, γλυκὺς καὶ ἁπαλὸς, καὶ παρὰ τοῖς ἰατροῖς σφόδρα εὐδοκιμῶν. Id eſt: *Poſt Thurios eſt Lagaria caſtellum, ab Epeo & Phocenſibus conditum. unde & vinum Lagaritanum, dulce ac lene, magnique admodùm apud medicos nominis.* Lycophron, in Alexandrâ:

Ὁ δ' ἱπποτέκτων Λαγαρίας ἐν ἀγκάλαις,
Ὃς ἀμφὶ Κῖριν καὶ Κυλιστάρνου γάνος
Ἔπηλυς οἴκους τῆλε νάσσεται πάτρας.

Hoc eſt:

Equi fabricator in Langariæ ſinu,
Qui juxta Cirin & Cyliſtarni laticeis
Advena procul à patriâ deget.

Ad hæc ita Iſacius: Ἡ δὲ σύνταξις οὕτως· Ὁ δ' ἱπποτέκτων Ἐπειὸς, καὶ οὗτος ἀμφὶ Κῖριν, καὶ Κυλιστάρνας καὶ ὕδωρ καὶ γάνος, ἔπηλυς καὶ ξένος, νάσσεται καὶ κατοικήσει οἴκους τῆλε τῆς πατρίδος αὐτοῦ Φωκίδος, ἐν ταῖς ἀγκάλαις τῆς πόλεως Λαγγαρίας, ἤτοι ἐν τῇ Λαγγαρίᾳ πόλει. Κῖρις καὶ Κυλίσταρνος, ποταμοί εἰσιν Ἰταλίας. Hoc eſt: *Ordo talis eſt: Equi fabricator Epeus, ipſe quoque circa Cirin, & Cyliſtarnas & aquam & ſplendorem, advena & hoſpes habitabit, & domicilia incolet procul à patriâ ſuâ Phocide, in ſinu urbis Langariæ, ſive in Langariâ urbe. Ciris & Cyliſtarnus, amnes ſunt Italiæ.* Quis heic dubitet, quin corrupta vox ſit Κυλιστάρνας pro Κυλιστάρνου; quum ſingula Iſacius Lycophronis verba repetat? Neque enim aliàs ſanus eorum ſenſus eſſe poterit. Cæterùm, ego & Κῖριν vitiatum vocabulum exiſtimaverim ex genuino Σῖριν; prope quem fluvium ſita eſt Lagaria; ut mox oſtendam. Certè eadem vox poſteà Σῖνις itidem corrupta ſcribitur. Verùm, patêre exiſtimo, LAGARIAM nullum aliud fuiſſe opidum, quàm quod etiam nunc vulgari atque depravato antiquo illo vocabulo dicitur incolis *Nogara* & *Nocara*, aliquot millia Siris dextrâ ripâ, ab ipſoque mari diſtans. Falluntur ergo illi immenſum, qui id opidum ad IV milliare à Caſſano, ad X à Thuriis, ad VI à mari conferunt, in montem cui illi à Cyliſtarno amne, quem *Raconello* nunc interpretantur, nomen antiquum manere vulgò *Cirniſtaſo*, arbitrantur. Falluntur item illi, qui Lagariam nunc putant dici *La Garga*, qui fluviolus juxta Saracenam opidulum defluit ad dextram fluvii Sybaris ripam. In Thurino fuiſſe agro LAGARIAM, ex Plinio, lib. XIV, cap. VI, liquet. ubi ita de generoſis vinis ſcribit: *Verùm & longinquiora Italiæ, ab Auſonio mari, non carent gloriâ; Tarentina, & Servitiana, & Conſentiæ genita, & Tempſæ, & Balbiæ, Lucanaque, antecedentibus Thurinis; omnium verò eorum, maximè illuſtrata Meſſallæ potu & ſalute, Lagarina, non procul Grumento naſcentia.* Græcorum ſanè illas colonias maritima ubique loca ſectatas eſſe, vel in ipſo litore ſita, vel ad quæ flumina ducerentur, cuivis Italiæ hoc litus inſpicienti, diſpicere facillimum eſt. Sed præter graviſſimam Lycophronis pariter Strabonisque auctoritatem, id etiam validiſſimum accedit argumentum, quòd Plinius Lagarinum agrum prope Grumentum ponit. quod opidum Tabula itineraria in itinere à Potentiâ (nomina hæc retinet) Tarentum verſùs collocat; Antoninus verò iter ab eodem opido Potentiâ ad Grumentum; atque inde Nerulum, Muranum, Capraſias; & tandem Conſentiam, deducit; ut mox oſtendam in ipſius Grumenti explicatione. Quòd ſi igitur Grumentum fuerit prope Cirniſtaſo, in quo illi Lagariam locant; certè mirum nobis deſcripſit iter Antoninus.

CYLI-

Cyliſtarnvs amnis, mihi fuerit is, qui ab alterâ parte præmonſtratæ Lagariæ fluens, vulgari nunc vocabulo adcolis dicitur *Racanello*, ſecundum Barrium. Eumdem Cyliſtarnum Straboni quoque memoratum fuiſſe videri; infrà ad *Acalandrum flumen* dicetur. Cylistarnvs *amnis*.

Siris amnis vulgò nunc vocatur adcolis *Sino*, vel *Senno*. unde corruptam illam vocem Σῖνις natam librariis, facilè ſuſpicer. Memoratur Lycophroni, Straboni, Frontino, Floro, Plinio, Plutarcho, Stephano. Siris, *amnis*.

Ad oſtium eius fuit & opidum Siris; quæ poſteà, Heraclea exortâ, ipſorum Heracleensivm navale facta. eadem Levternia, & Polievm, & Heraclivm, fertur vocata. Strabo, lib. vi; poſt dictam Lagariam: Εἶθ' Ἡρακλεόπολις, μικρὸν ὑπὲρ τῆς θαλάττης, καὶ ποταμοὶ δύο πλωτοὶ, Ἄκιρις καὶ Σῖρις, ἐφ' οὗ πόλις ἦν Τρωϊκή. χρόνῳ δὲ τῆς Ἡρακλείας ἐντεῦθεν οἰκισθείσης ὑπὸ Ταραντίνων, ἐπίνειον αὕτη τῶν Ἡρακλεωτῶν ὑπῆρξε. Διεῖχε δ' Ἡρακλείας μὲν τέτταρας καὶ εἴκοσι σταδίους, Θουρίων δὲ περὶ λ καὶ τ. Hoc eſt: *Sequitur Heracleopolis, paullùm ſupra mare: duoque amnes navigabiles Aciris & Siris; ſuper quo erat urbs cognominis, à Troianis condita. poſteà verò, quum Heraclea heic à Tarentinis conderetur, navale Heracleotarum factum eſt. Diſtat ab Heracleâ ſtadia* xxiv; id eſt, millia paſſuum iii; *à Thuriis circiter* cccxxx; id eſt, millia xli, paſſus ccl. Sic equidem vox illa Heracleopolis in omnibus Strabonis exemplaribus ſcripta eſt. at quia & omnibus aliis auctoribus unanimo conſtantique conſenſu, & ipſi etiam heic bis Straboni eadem dicitur ſimpliciter Ἡράκλεια; equidem vocem illam, ut ab imperito imprudentique librario vitiatam, corrigo in hunc modum; Εἶθ' Ἡράκλεια πόλις; id eſt; *Deinde Heraclea eſt urbs*. Vocem autem πόλις adjecit, quia præcedens locus Λαγαρία erat φρούριον tantùm. Sed huius ſcripturæ teſtis eſt epitomator Strabonis. apud quem ita legitur: Μετὰ Θουρίους Ἡράκλειά ἐστιν πόλις. Id eſt: *Poſt Thurios Heraclea eſt urbs*. De urbe Siri & Heraclea Diodorum ſuprà ex lib. xii, ad terminum inter Thuriorum & Tarentinorum agros circa Sirim flumen, citavimus. ubi notandum, (uti etiam ex ſuprà ſcriptis Strabonis verbis patet,) non ipſam Sirim mutato nomine dictam fuiſſe Heracleam; ſed, quum Heraclea iii millibus paſſuum ſuprà Siris oſtium & Sirim opidum condita ab Tarentinis eſſet; Sirim, priſcis cultoribus aliò translatis, in Navale Heracleae ſive Heracleensivm, fuiſſe converſum. adeò, ut ſita fuerit Heraclea non in ipsâ Siris ripâ, id quod & Tabula commonſtrat hoc itinere: Siris; *quæ & Levternia, & Polievm, & Heraclivm. Item, Heraclea; quæ & Plivm, & Sigivm.*

Turis
Semnum ...
Heraclea IIII.

Semnum quidpe Siris amnis eſt, quem vulgò *Senno* etiam nunc adpellari, paullo dictum antè. Eamdem in ſententiam & Plinius intelligendus eſt; qui lib. iii, cap. xi, ſic ait: *Heraclea; aliquando Siris vocitata*. De Heracleae antiquis nominibvs hæc ſcribit in Mirandis Ariſtoteles: Ἐν Τάραντι ἐναγίζειν κατά τινας χρόνους φασὶν Ἀτρείδαις καὶ Τυδείδαις καὶ Αἰακίδαις καὶ Λαερτιάδαις· καὶ Ἀγαμεμνονίδαις δὲ χωρὶς θυσίαν ἐπιτελεῖν ἐν ἄλλῃ ἡμέρᾳ ἰδίᾳ· ἐν ᾗ νόμιμον εἶναι ταῖς γυναιξὶ μὴ γεύσασθαι τῶν ἐκείνοις θυομένων. Ἔστι δὲ καὶ Ἀχιλλέως νεὼς παρ' αὐτοῖς. Λέγεται δὲ, μετὰ τὸ παραλαβεῖν [m. lec. παραβαλεῖν] τοὺς Ταραντίνους, Ἡράκλειαν τὸν τόπον καλεῖσθαι, ὃν νῦν κατοικοῦσιν· ἐν δὲ τοῖς ἄνω χρόνοις τῶν Ἰώνων [Cl. Χώνων] κατεχόντων, Πλεῖον. Ἔτι δὲ ἐκείνων ἔμπροσθεν ὑπὸ τῶν πρώτων κατεχόντων αὐτὴν, Σίγειον ὠνομάσθαι. *In Tarento ſolent interdum parentare Atridis, Tydidis, Aeacidis, atque Laërtiadis. Agamemnonidis verò ſeorſim die aliâ propria agere ſacrificia; quibus immolata tangere mulieribus, lege interdictum. Eſt & templum apud eos Achillis. Ferunt autem, hunc locum olim, Ionibus obtinentibus, Plium vocatum eſſe. poſtquàm verò à Tarentinis habitari cœpit, Heracleam. Cæterùm, jam inde remotiùs à primis incolis Sigium adpellatum*. Ipſam Sirin urbem ab initio fuiſſe dictam Levterniam, ex Lycophronis colligo poëmate; quod dicto loco tale eſt:

Πολλοὶ δὲ Σῖριν ἀμφὶ καὶ Λευταρνίαν
Ἄρουραν οἰκήσουσιν· ἔνθα δύσμορος
Κάλχας, ὀλυνθῶν Σισυφεὺς ἀνηρίθμων,
Κεῖται, κάρα μάστιγι γογγύλῃ τυπείς.

Ῥεέθροισιν ὠκὺς ἔνθα μύρεται Σῖνις,
Ἄρδων βαθεῖαν Χωνίας παγκληρίαν.
Πόλιν δ' ὁμοίαν Ἰλίῳ δυσδαίμονες,
Δείμαντες, ἀλγυνοῦσι Λαφρίαν κόρην
Σάλπιγγα, δηώσαντες ἐν ναῷ θεᾶς,
Τοὺς πρὶν θ' ἕδεθλον Ξουθίδος ὠκηκότας.
Γλήναις δ' ἄγαλμα ταῖς ἀναιμάκτοις μύσει
Στυγνὴν Ἀχαιῶν εἰς Ἴωνας βλάβην
Λεῦσσον, φόνον τ' ἔμφυλον ἀγραύλων λύκων.

Hoc eſt:

Multi etiam circa Sirin & Leutarniam
Agrum habitabant: ubi infelix
Calchas, groſſorum Siſypheus multarum,
Iacet, caput flagello percuſſus rotundo:
Vbi celer ſtrepit Sinis,
Profundam irrigans Choniæ regionem.
Vrbem verò ſimilem Ilio miſeri
Condentes, dolore afficient Laphriam virginem
Tubicinam; perdentes in deæ templo
Xuthidis, qui ſedeis priùs tenuerant.
Tum ſtatua pupillis incruentis connivebit,
Diram Achivorum in Ionas cladem
Videns, cædemque gentilem luporum agreſtium.

Σῖρις heic eſſe legendum, loco Σῖνις, vel id ſatis certo argumentō eſt, quòd advenas iſtos Troianos urbem ad eum fluvium conditurus ait: quam ipſe commentator eius Iſacius Sirim intelligit, unà cum Strabone. Iſacii verba hæc ſunt: Σῖρις καὶ Λευταρνία, πόλις Ἰταλίας, ἔνθα οἱ κατάλοιποι τῶν ἐξ Ἰλίου φυγόντων ᾤκησαν, καὶ πάντα κατὰ μίμησιν Τροίας ἐποίησαν, καὶ ἔκτισαν πόλιν ὁμοίαν Τροίᾳ· ἡ πρῶτα μὲν ἐκαλεῖτο Πολίειον, εἶτα Ἡράκλειον, εἶτα Σῖρις. οἱ δὲ Ἴωνες, ἤγουν Ἀθηναῖοι, πρὸ τῶν Τρωϊκῶν ἐλθόντες εἰς Ἰταλίαν, ᾤκησαν περὶ Σῖριν. μετὰ δὲ τὴν Ἰλίου πόρθησιν φυγόντων καὶ Τρώων εἰς Ἰταλίαν, Κροτωνιᾶται, οὓς καὶ Ἀχαιοὺς λέγει, βοηθήσαντες τοῖς ἐν Ἰταλίᾳ τούτοις φυγοῦσι Τρωσί, στρατεύουσι μετ' αὐτῶν κατὰ τῆς Σίριδος, καὶ πάντας τοὺς Ἴωνας, τῷ τῆς Ἀθηνᾶς ναῷ καταφυγόντας, ἀνεῖλον. Ἀχαιοὺς δὲ λέγει τοὺς Κροτωνιάτας, οἵτινες συνεμάχησαν τοῖς Τρωσί, καὶ ἀνεῖλον τοὺς πρὶν κατοικοῦντας ἐν τῇ Σίριδι Ἴωνας, οὓς καὶ ἐμφύλους εἶπεν, ἐπειδὴ οἵ τε Ἴωνες καὶ Κροτωνιᾶται ἄμφω Ἕλληνες ἦσαν. Id eſt: *Siris & Leutarnia, urbes ſunt Italiæ; ubi reliquiæ eorum, qui ex Ilio profugerant, habitaverunt; omniaque ad imitationem Troiæ fecerunt; urbemque condiderunt ad ſimilitudinem Troiæ. quæ primùm vocabatur Polieum; mox Heraclium, deinde Siris. Iones verò, ſive Athenienſes, ante Troiani belli tempora in Italiam profecti, circa Sirim habitarunt. Quum autem poſt everſionem Ilii, Troiani quoque in Italiam profugiſſent; Crotoniatæ, quos Achæos vocat, auxilium his ferentes, expeditionem cum ipſis ſusceperunt adverſus Sirin: omneiſque Ionas, qui in templum Minervæ confugerant, contrucidarunt. Achæos autem adpellat Crotoniatas, qui auxilium ferentes Troianis, priſcos Siris incolas Ionas interfecerunt; quos & gentileis dixit, quia utrique, & Iones & Crotoniatæ, erant Græci.* Aliter hanc de Ionibus hiſtoriam refert Strabo; ubi de eâdem urbe, loco ſuprà dicto, ita pergit: Τῆς δὲ τῶν Τρώων κατοικίας τεκμήριον ποιοῦνται τὸ τῆς Ἀθηνᾶς τῆς Ἰλιάδος ξόανον, ἱδρυμένον αὐτόθι, ὅπερ καταμῦσαι μυθεύουσιν ἀποσπωμένων τῶν ἱκετῶν ὑπὸ Ἰώνων τῶν ἑλόντων τὴν πόλιν. τούτους γὰρ ἐπελθεῖν οἰκήτορας φεύγοντας τὴν Λυδῶν ἀρχήν, καὶ βίᾳ λαβεῖν τὴν πόλιν τῶν αὐτοχθόνων [mſſ. Χώνων. lego τῶν Χώνων] οὖσαν, καλέσαι δὲ αὐτὴν Πολίιον. [rectiùs apud Iſacium & Stephanum Πολίειον.] δείκνυται δὲ καὶ νῦν καταμῦον τὸ ξόανον. Ἰταμὸν μὲν οὖν, καὶ τὸ οὕτω μυθεύειν, ὥστε μὴ μόνον καταμῦσαι φαινόμενον, καθάπερ καὶ τὸ ἐν Ἰλίῳ ἀποστραφῆναι κατὰ τὸν τῆς Κασάνδρας βιασμόν, ἀλλὰ καὶ καταμῦον δείκνυσθαι. Πολὺ δὲ ἰταμώτερον τὸ τοιαῦτα ποιεῖν ἐξ Ἰλίου κεκομισμένα ξόανα, ὅσα φασὶν οἱ συγγραφεῖς. καὶ γὰρ ἐν Ῥώμῃ καὶ ἐν Λαουϊνίῳ, καὶ ἐν Λουκερίᾳ, καὶ ἐν Σιρίτιδι, Ἰλιὰς Ἀθηνᾶ καλεῖται, ὡς ἐκεῖθεν κομισθεῖσα. Καὶ τὸ τῶν Τρωάδων δὲ τόλμημα περιφέρεται πολλαχοῦ, καὶ ἄπιστον φαίνεται, καίπερ δυνατὸν ὄν. Τινὲς δὲ καὶ Ῥοδίων κτίσμα φασὶ καὶ Σιρῖτιν καὶ τὴν ἐπὶ Τούθραντος Σύβαριν. Hoc eſt: *Troianorum autem eſſe coloniam, documentum proferunt Minervæ Iliacæ ſimulacrum, ibidem dedicatum: idque aiunt oculos palpebris clauſis ſolo defixiſſe, quum Iones, urbe captâ, ſuppliceis ab eo ſimulacro avellerent. hos quidpe colonos, quum Lydorum imperium fugerent,*

eò per-

eò perveniſſe: urbemque eam, quæ Chonum erat, vi cepiſſe. dictam autem fuiſſe Polieum. ſed & hodie monſtrari aiunt ſimulacrum id connivens. Enimverò protervum eſt, fingere, ſimulacrum aliquod non modò viſum eſſe connivere; ſicut imaginem Minervæ Ilii ferunt oculos avertiſſe, quum violaretur Caſſandra: ſed fabulæ etiam adjicere, ſimulacrum etiam nunc connivens conſpici. At, multo etiam protervius, ea omnia ab Ilio allata fabulari, quæ ſcriptores referunt. ſiquidem & Romæ, & Lavinii, & Luceriæ, & Siri Minerva habetur Iliaca; quaſi ab Ilio allata. Et facinus Troianarum mulierum compluribus adſcribitur locis. eoque fides ei derogatur; quum fieri tamen potuerit. Quidam & Sirim & Sybarim ad Teuthrantem, Rhodiorum colonias faciunt. Stephanus tamen, neſcio ex quo auctore, non ab Chonibus, ſed ab Troianis demum adpellatam fuiſſe hanc urbem Πολίειον, tradit. Verba eius hæc ſunt: Σῖρις, πόλις Ἰταλίας, πλησίον τοῦ Μεταποντίου, καὶ ποταμός. Μετωνομάσθη δὲ καὶ Πολίειον, ἀπὸ τῆς ἐν Ἰλίῳ πολιάδος Ἀθηνᾶς. Id eſt: *Siris, urbs Italiæ, prope Metapontum; & item amnis. Mutato autem nomine etiam Poliéum dicta fuit, ab Iliacâ Minervâ, quæ* Πολιὰς, *id eſt, urbis tutatrix, dicebatur.* Hic equidem ait, Sirim mutato nomine poſteà fuiſſe dictam POLIEVM. at Iſacius, loco præſcripto, priùs POLIEVM, deinde SIRIN vocatum adfirmat. Siris quoque vocabulum primos urbi impoſuiſſe Troianos, auctor eſt Athenæus, lib. XII: Καὶ οἱ τὴν Σῖριν, inquit, κατοικοῦντες, ἣν πρῶτοι κατέσχον οἱ ἀπὸ Τροίας ἐλθόντες. Ὠνομάσθη δ' ἡ Σῖρις, ὡς μὲν Τίμαιος φησί, καὶ Εὐριπίδης ἐν δεσμώτιδι Μελανίππῃ, ἀπὸ γυναικός τινος Σίριδος· ὡς δ' Ἀρχίλοχος, ἀπὸ ποταμοῦ. Hoc eſt: *Et qui Sirim habitant; quam primum tenuerunt ii, qui à Troiâ venerunt. Dicta autem eſt Siris, ut tradit Timæus, & item Euripides in Melanippe captivâ, à quâdam muliere Siride: ſeu, ut Archilochus auctor eſt, à flumine.* Poſtremum hoc ſatis certum; quoniam & Tarentum & Sybaris etiam ad eumdem ſinum Tarentinum à fluminibus nomina traxerunt. Verùm, patet ex hactenus recitatis, aliud nomen hunc locum habuiſſe apud Chonas atque Ionas, antequàm eò Troiani pervenerunt. id autem nullum aliud fuiſſe, quàm ſuprà ſcriptum LEVTARNIA: ex Lycophronis oratione conjicio. De cætero, SIRIS nomen, præter illud poſteræ urbis vocabulum HERACLEA; in huius navali ad amnis Siris oſtium, etiam Strabonis atque Plinii ſæculo permanſiſſe; cùm ex Plinii lib. III, cap. XI; ubi præter HERACLEAM recenſentur SIRINI opidani in Lucaniâ; tum ex Strabonis ſuprà ſcriptis verbis colligo: maximè verò ex iſtis: Καὶ ἐν Σιρίτιδι Ἰλιὰς Ἀθηνᾶ καλεῖται. Id eſt: *Et Siri Iliaca Minerva vocatur.* Quæ de ſuo tempore loquitur; ut liquidò ex orationis contextu patet. At Stephano opidani inde dicuntur Σιρῖται, ὡς Συβαρῖται, id eſt, SIRITAE, ut *Sybaritæ*. Cæterùm, apud Florum, lib. I, cap. XVIII, quo bellum Tarentinum deſcribitur, quod Romani cum Pyrrho rege geſſerunt, ita legitur: *Apud Heracleam & Campaniæ fluvium Lirim, Lævino conſule, prima pugna.* ſcilicet cum Pyrrho. *quæ tam atrox fuit, ut Frentanæ turmæ præfectus Obſidius invectus in regem, turbaverit; coëgeritque, projectis inſignibus, prælio excedere.* Eadem iſta verba & apud Iornandem leguntur; qui ea, ut pleraque alia in hiſtoriis Romanis, è Floro in ſuum de regnorum ſucceſſione librum transſcripſit. Apud Oroſium quoque, lib. IV, cap. I, ita legitur: *Itaque apud Heracleam, Campaniæ urbem, fluviumque Lirim, prima inter Pyrrhum regem & Lævinum conſulem pugna commiſſa eſt.* Sed heic menda exſcriptoribus ſubjicit locus in eodem Flori capite poſteà ſic ſcriptus: *Victor primo prælio Pyrrhus, totam trementem Campaniam, Lirim, Fregellasque populatus, prope captam urbem à Præneſtinâ arce proſpexit.* Quænam ergo heic Heraclea Campaniæ ad Lirim fluvium? Certè nulla. Eumdem errorem & Gotefridus Viterbienſis, Chron. lib. XI, commiſit: *Pugnam conſerunt apud Heracleam, Campaniæ civitatem.* Tu locum Flori vitiatum ſic corrigito: *Apud Heracleam & Lucaniæ fluvium Sirim.* Auctor tibi ſit, præter alia documenta inferiùs ſequentia, vel unus ſolus Plinius. qui libro III, cap. XI; *Opidum*, inquit, *Thurium, inter duos amneis, Crathim & Sybarim; ubi fuit urbs eodem nomine. Similiter & inter Sirim & Acirim Heraclea; aliquando Siris vocitata.* Atque hinc paullo pòſt ei memorantur inter Lucanorum populos SIRINI; uti jam dictum. Sed & Plutarchus, in Pyrrho, in eâdem hiſtoriâ, memorat & Lucaniam, & Heracleam urbem, & Sirim amnem; ubi tamen Frentanus iſte, Ὄπλακος, *Oplacus* nominatur. Sed quæ ad rem præſentem pertinent, ſunt iſta: Τούτους ἀναλαβὼν ὁ Πύρρος, ἐβάδιζεν εἰς Τάραντα. Ἐπειδὴ δὲ Λαιβῖνος ὁ τῶν Ῥωμαίων ὕπατος ἠγγέλλετο πολλῇ στρατιᾷ χωρεῖν ἐπ' αὐτὸν, ἅμα τὴν Λευκανίαν διαπορθῶν· οὐδέ πω μὲν οἱ σύμμαχοι

παρῆσαν

παρῆσαν αὐτῷ· δεινὸν δὲ ποιούμενος ἀνασχέσθαι καὶ περιιδεῖν τοὺς πολεμίους ἐγγυτέρω προσιόντας, ἐξῆλθε μετὰ τῆς δυνάμεως, καὶ προσελθὼν κατεστρατοπέδευσεν ἐν τῷ μεταξὺ πεδίῳ Πανδοσίας πόλεως καὶ Ἡρακλείας. Πυθόμενος δὲ, τοὺς Ῥωμαίους ἐγγὺς εἶναι, καὶ πέραν τοῦ Σίριος ποταμοῦ καταστρατοπεδεύειν, προσίππευσε τῷ ποταμῷ, θέας ἕνεκα. καὶ κατιδὼν τάξιν τε καὶ φυλακὰς, καὶ κόσμον αὐτῶν, καὶ τὸ σχῆμα τῆς στρατοπεδείας, ἐθαύμασε. Hoc eſt: *Cum his copiis Pyrrhus profectus eſt Tarentum. Poſtquàm verò, Lævinum, Romanum conſulem, nuntiatum eſt ingenti exercitu in ipſum movere, ſimulque pervaſtare Lucaniam; quamvis nondum ad eum convenerant ſocii; quia tamen fœdum ducebat, pati uti propiùs accederent hoſtes; ſigna movit: progreſſusque, caſtra medio campo inter Pandoſiam urbem & Heracleam poſuit. Vt verò intellexit, in propinquo Romanos eſſe, & ultra Sirin amnem caſtra ponere; excurrit equo, ſpeculandi causâ, ad amnem. ubi ordinem, ſtationes, digeſtionem eorum, & figuram caſtrorum contemplatus, obſtupuit.* Committitur heic tandem ad amnem pugna. En, quid hoc eſt: *Caſtra poſuit inter Pandoſiam urbem, & Heracleam?* Certè mendoſam heic eſſe vocem Πανδοσίας; facilè is dijudicaverit, qui Straboni credit, Pandoſiam oppidum fuiſſe haud procul Conſentiâ, ad Acherontem amnem; vel, in Lucanorum Brutiorumque confiniis; ut Livius tradit. quinam enim heic deſignari potuit campus; quum intervallum inter Pandoſiam & Heracleam fuerit LX circiter millia paſſuum, tractu compluribus montium jugis interſepto? Iſthæc igitur apud Plutarchum Pandoſiæ commemoratio quum perabſurda ſit; ſuſpicari aliquando occeperam, duas in his Italiæ oris fuiſſe Pandoſias urbeis. quod etiam oſtendere videbatur antiquus geographus Marcianus, in Περιηγήσει, de Græciâ magnâ loquens: ubi Pandoſia inter Crotonem & Thurios locatur; non verò, uti apud Plutarchum, inter Thurios & Heracleam. Tantùm id verò metri causâ eſſe factum, non locorum ignorantiâ, videri poſſit. Verùm Marciano vetuſtior geographus Scylax, (quem locum ſuprà ad Lucaniæ fines allegavimus emendatum,) in Περίπλῳ, Pandoſiam in Lucaniæ urbibus enumerat. Cui conſentientes Livius atque Strabo, (uti antè dictum,) circa Conſentiam locant Pandoſiam. nec alia apud quemquam alium auctorem reperitur Pandoſia. Et, cur Plutarchus non dixit: Ἐν τῷ μεταξὺ πεδίῳ Πανδοσίας καὶ Ἡρακλείας πόλεων; *Medio inter Pandoſiam & Heracleam urbeis campo?* Sanè vel hoc ipſum, mendam ei voci ineſſe, ſatis apertè claréque arguit. Nihil igitur certius, quàm ſcripſiſſe Plutarchum, ἐν τῷ μεταξὺ πεδίῳ Ἀκίριος ποταμοῦ καὶ πόλεως Ἡρακλείας· *Medio inter Acirim amnem & urbem Heracleam campo.* Nec ullus alius heic commodior erat caſtris locus, quàm qui ſpatio CIↃ CC circiter paſſuum inter Acirim atque Heracleæ veſtigia æquiſſimo campo ſternitur. Hinc, quum & ipſe Siris fluvius, ab Heracleâ verſùs Livii Strabonisque Pandoſiam euntibus, à III millibus paſſuum occurrat; omninò inter Heracleam & Sirin caſtra locaſſe Pyrrhus debuit, Romanis ad dextram eius ripam caſtra habentibus. Et quia editores jam agri intercedebant; Romanos Pyrrhus ultra Sirin caſtra habenteis, conſpicere è caſtris ſuis haud potuit: ſed propiùs ad ipſam Siris lævam ripam accedere neceſſum habuit; ubi & prœlium commiſſum: medio ſcilicet ſpatio inter utraque caſtra; ſive, inter Heracleam & Sirim amnem. Vnde illud Flori, loco prædicto emendato: *Apud Heracleam & Lucaniæ fluvium Sirin prima pugna facta eſt.* Apud ipſam Siris dextram ripam caſtra habuiſſe Romanos, patet è Zonarâ; qui Annal. tomo II ita ſcripſit: Λαιβῖνος δὲ τὸν ποταμὸν πειρώμενος κατὰ τὸ στρατόπεδον διαβῆναι, ἐκωλύθη. Id eſt: *Lævinum, flumen juxta caſtra tranſire conantem, prohibuit.* Hinc & illud Plutarchi: Πυθόμενος δὲ τοὺς Ῥωμαίους, &c.

Aciris amnis. Cæterò, ACIRIS AMNIS, etiam nunc antiquo vocabulo, quamvis detorto, vulgò adcolis vocatur *Agri*. Vocabulum eius vitiatum legi apud Antoninum, *Acidios*; pòſt patebit. Memoratur ſuprà citatis, Straboni, Plinio, Plutarcho, auctoribus.

Porrò, apud Antoninum iter notatum eſt tale:

Heraclea	
Ad Vicenſimum	XXIIII.
Turios	XX.

Ad Vicesimum, locus. Legendum eſſe AD VICESIMVM; ipſe numerus XX millium, intervallo inter

cum

eum locum & Thurios adſcriptus, ſatis apertè clamat. Eſt hodiè eo ſitu opidum, *La Mendolata*.

Porrò, Strabo poſt memoratam Sirin & Heracleam; Ἑξῆς δ᾽ ἐστὶν, inquit, Μεταπόντιον. Id eſt: *Sequitur inde Metapontum*. At Plinio, dicto lib. III, cap. XI, inter Acirim & Metapontum duo interponuntur flumina, ACALANDRVM, & CASVENTVM. *Similiter eſt* (inquit) *inter Sirin & Acirin Heraclea; aliquando Siris vocitata. flumina, Acalandrum, Caſuentum: opidum, Metapontum*. Flumina heic ultra Acirin ſunt vulgaribus vocabulis *Salandrella* & *Baſiento*, vel *Vaſento*, ad illud aùtem opidum etiam eſt in mediterraneis *Salandra*; à quo vocabulo illud diminutivum eſt. Ex ſitu atque ordine, item ex vocabulorum ſimilitudine, *Baſiento* liquet eſſe CASVENTVM; *Salandrella* autem ſive *Salandra*, ACALANDRVM. Hoc etiam Straboni memoratur, eodem lib. VI, infrà; hoc modo: Ὅ γοῦν Ἀλέξανδρος τὴν κοινὴν Ἑλλήνων τῶν ταύτῃ πανήγυριν, ἣν ἔθος ἦν ἐν Ἡρακλείᾳ συντελεῖν τῆς Ταραντίνης, μετάγειν ἐπειρᾶτο εἰς τὴν Θουρίαν, κατὰ ἔχθος. Ἐκέλευσε δὲ κατὰ τὸν Ἀκάλανδρον ποταμὸν τειχίζειν τόπον, ὅπου ἔσοιντο αἱ σύνοδοι. Hoc eſt: *Itaque Alexander communem Græcorum iſthic degentium conventum ſolennem, qui ex more Heracleæ in Tarentino agro agebatur, in Thurinum agrum, abalienato ab Tarentinis animo, transferre conatus eſt. juſſitque apud Acalandrum amnem locum communire, ubi ea concilia haberentur*. Meritò hæc verba omnium moveant admirationem; quum Acalandrus amnis verſus Tarentum, Heraclea Tarentinorum verſus Thurios ad invicem ſint poſita. Nec dubitare quidquam de vero Acalandro licet; quando & Plinii auctoritas & ipſum vocabulum *Salandra* diſertiſſimis documentis teſtentur, non minùs *hanc* eſſe Acalandrum, quàm *Baſiento* Caſuentum. Aut igitur erraſſe circa huius fluminis regionem ac nomen; aut aliûs amnis perſcripſiſſe Strabonem vocabulum; certum eſt. Aliud eum ſcripſiſſe, ſi cenſeas; certè illud ipſum haud aliud fuit, quàm quod Siri amni & Heracleæ urbi proximum in Thurino agro, Lycophroni dicitur Κυλίσταρνος ποταμὸς, id eſt, *Cyliſtarnus amnis*.

ACALANDRVM & CASVENTVM, *flumina*.

Poſt Caſuenti amnis oſtium, ad III millia paſſuum, fuit clara item illa urbs, quæ Græcis omnibus Μεταπόντιον, Latinis METAPONTVM vocatur. quamquàm etiam anteà METABVM dicta fertur. Specula eodem nunc ſitu, vulgari adpellatione incolis eſt *Torre di Mare*. Memoratur Scylaci, Herodoto, Velleio, Paterculo, Straboni, Diodoro, Marciano Heracleenſi, Melæ, Dionyſio Afro, Plinio, Diogeni Laërtio, Porphyrio, Iamblicho, utrique Tzetzæ, Servio, Priſciano. Apud Solinum, cap. VIII, falſum eſt vocabulum *Metapontum* pro *Hipponium*. Apud Apollonium, in ἱστορίαις θαυμασίαις, cap. VI; de Pythagorâ, hæc leguntur verba: Καὶ γὰρ τῷ Ποντίου πλοίῳ εἰσερχομένῳ. Id eſt: *Pontum nave adveniente*. quæ ego ita correcta lego: Καὶ γὰρ τὸ Μεταπόντιον πλοίῳ εἰσερχομένῳ. Hoc eſt: *Quum Metapontium navis adveniret*. Vide alios auctores de Pythagoræ vitâ. Cæterò, fuiſſe METAPONTVM, ubi nunc prædicta ſpecula eſt: inde colligitur: quòd Plinius id ultrà Caſuentum locat flumen; Strabo verò à Siri, Heracleæ navali, ſtadia CXC: quæ ſunt millia XXIII, paſſus IↃCCL. tum, quòd Caſuenti oſtium ſtatim ſubſequitur oſtium Bradani amnis: quem terminum fuiſſe inter Lucaniam & Iapygiam, ſive Apuliam; jam anteà, in huius deſcriptione, oſtenſum eſt. Quod etiam ex iis clariùs patebit, quæ mox è Strabone de Metaponto adducentur. Acherontiam, Silvium, Genuſium, Deciam, loca prope ulteriorem Bradani ripam ſita, fuiſſe Apulorum; ſupra ſatis demonſtratum eſt. In Tabulâ iter hoc litore inter Thurios Tarentumque deſcribitur tale:

METAPONTVM, *urbs*.

Turis	
Semnum	....
Heraclea	IIII.
Turioſtu	XXV.
Tarento	.....

In his *Semnum* Sirin eſſe flumen; ſuperiùs docui. *Turioſtu* autem corruptum eſſe vocabulum; nemo negaverit. Quid eo faciendum; aut quid fuiſſe dicendum; planè ego me neſcire fateor: niſi quòd ex XXV millium intervallo ſuſpicio ſubit, ſcriptum fuiſſe, *Metapontum*. Certè celebriori hoc loco omiſſo, obſcuriorem aliquem eo itinere recenſere voluiſſe auctorem Tabulæ; credibile non eſt. Cæterùm, opi-

dani

dani inde ſunt Μεταποντῖνοι, METAPONTINI. Herodoto, lib. IIII: & item Dionyſio Afro, ac Stephano, Μεταπόντιοι, METAPONTII. ſed hoc Latinos uſos nuſquam reperio. Apud Dionyſium ita eſt:

Τοὺς δὲ μέθ' ἑξείης Μεταπόντιοι.

Poſt hos autem deinceps Metapontii.

Nimis hæc dicuntur compendioſè. tum, malè Metapontinos inter Locros & Crotonem collocat. Verùm Euſtathius ita ad hæc: Ὅτι μετὰ τοὺς Λοκροὺς ἔθνος οἱ Μεταπόντιοι, ὧν πόλις Μεταπόντιον· ἡ ποτε λεγομένη Σῖρις. κληθῆναι δὲ οὕτω λέγεται ἀπὸ Μεταπόντου υἱοῦ Σισύφου, ὃν οἱ βάρβαροι Μέταβον ἔλεγον. κτίσμα δὲ τῶν Πυλίων τὸ Μεταπόντιον. λέγονται δὲ πάνυ εὐτυχῆσαί ποτε ἀπὸ γεωργίας. Διὸ καὶ ἐν Δελφοῖς ἀναθεῖναι τὸ θρυλλούμενον χρυσοῦν θέρος. Hoc eſt: *Poſt Locros, gens eſt Metapontii; quorum urbs Metapontium; quondam Siris dicta. Fertur autem ſic adpellata à Metaponto, Siſyphi filio, quem barbari Metabum dixêre. Opus autem eſt Pyliorum Metapontium. Cæterùm, admodùm fortunati opulentique fuiſſe dicuntur ab agriculturâ. ideoque Delphis famoſiſſimam illam auream meſſem ab iis dedicatam eſſe.* Eumdem in ſenſum & Stephanus tradit. Quibus grammaticis tu, dictam aliquando fuiſſe Sirim, ne credas. Errorem iſtum ex qua hauſerint verâ hiſtoriâ, patet ex Strabone; qui ita lib. VI ſcribit: Ἑξῆς δ' ἐστὶ Μεταπόντιον· εἰς ὃ ἀπὸ τοῦ ἐπινείου τῆς Ἡρακλείας εἰσὶ στάδιοι μ πρὸς τοῖς ἑκατόν. Πυλίων δὲ λέγεται κτίσμα, τῶν ἐξ Ἰλίου πλευσάντων μετὰ Νέστορος. οὓς οὕτως εὐτυχῆσαι ἀπὸ γεωργίας φασίν, ὥστε θέρος χρυσοῦν ἐν Δελφοῖς ἀναθεῖναι. Σημεῖον δὲ ποιοῦνται τῆς κτίσεως τὸν τῶν Νηλειδῶν ἐναγισμόν. ἠφανίσθη δ' ὑπὸ Σαμνιτῶν. Ἀντίοχος δέ φησιν, ἐκλειφθέντα τὸν τόπον, ἐποικῆσαι τῶν Ἀχαιῶν τινάς, μεταπεμφθέντας ὑπὸ τῶν ἐν Συβάρει Ἀχαιῶν· μεταπεμφθῆναι δὲ κατὰ μῖσος τὸ πρὸς τοὺς Ταραντίνους τῶν Ἀχαιῶν, τῶν ἐκπεσόντων ἐκ τῆς Λακωνικῆς· ἵνα μὴ Ταραντῖνοι γειτνιῶντες ἐπιπηδήσαιεν τῷ τόπῳ. Δυοῖν δὲ οὐσῶν τῶν πόλεων, [deeſſe videtur τῆς Σίριδος,] τῆς Μεταποντίων, [lego, καὶ τοῦ Μεταποντίου] ἐγγυτέρω τοῦ Τάραντος, πεισθῆναι τοὺς ἀφιγμένους ὑπὸ Συβαριτῶν, τὸ Μεταπόντιον κατασχεῖν. τοῦτο μὲν γὰρ ἔχοντας, ἕξειν καὶ τὴν Σῖριν· εἰ δ' ἐπὶ τὴν Σῖριν τράποιντο, προσθήσειν τοῖς Ταραντίνοις τὸ Μεταπόντιον, ἐν πλευραῖς οὖσι. Πολεμοῦντας δ' ὕστερον πρὸς τοὺς Ταραντίνους, καὶ τοὺς ὑπερκειμένους Οἰνωτρούς, ἐπὶ μέρει διαλυθῆναι τῆς γῆς, ὅπερ γένοιτο ὅριον τῆς τότε Ἰταλίας καὶ τῆς Ἰαπυγίας. Ἐνταῦθα δὲ καὶ τὸν Μετάποντον μυθεύουσι καὶ τὴν Μελανίππην τὴν δεσμῶτιν, καὶ τὸν ἐξ αὐτῆς Βοιωτόν. Δοκεῖ δ' Ἀντίοχος, τὴν πόλιν Μεταπόντιον εἰρῆσθαι πρότερον Μέταβον, παρονομασθῆναι δ' ὕστερον. τήν τε Μελανίππην οὐ πρὸς τοῦτον, ἀλλὰ πρὸς Δῖον κομισθῆναι, ἐλέγχειν ἡρῷον τοῦ Μετάβου, καὶ Ἄσιον τὸν ποιητὴν φήσαντα, ὅτι τὸν Βοιωτὸν

Δίου ἐνὶ μεγάροις τέκεν εὐειδὴς Μελανίππη.

ὡς πρὸς ἐκεῖνον ἀχθεῖσαν τὴν Μελανίππην, οὐ πρὸς τὸν Μέταβον. Οἰκιστὴς δὲ τοῦ Μεταποντίου Δαύλιος ὁ Κρίσσης τύραννος γεγένηται τῆς περὶ Δελφούς, ὥς φησιν Ἔφορος. Ἔστι δὲ καὶ τοιοῦτος λόγος, ὡς ὁ πεμφθεὶς ὑπὸ τῶν Ἀχαιῶν ἐπὶ τὸν συνοικισμὸν Λεύκιππος εἴη. χρησάμενος δὲ παρὰ τῶν Ταραντίνων τὸν τόπον εἰς ἡμέραν καὶ νύκτα, μὴ ἀποδοίη· μεθ' ἡμέραν μὲν λέγων πρὸς τοὺς ἀπαιτοῦντας, ὅτι καὶ εἰς τὴν ἐφεξῆς νύκτα αἰτήσαιτο καὶ λάβοι· νύκτωρ δέ, ὅτι καὶ πρὸς τὴν ἑξῆς ἡμέραν. Hoc eſt: *Sequitur inde Metapontum, ab Heracleæ navali* CXC *ſtadia diſſitum. Conditum aiunt à Pyliis, qui cum Neſtore ab Ilio navigaverunt. Hoc tanto ſucceſſu terram coluiſſe, uti auream meſſem Delphis dedicaverint. Argumento eſſe volunt Neleidum exſequias. quæ abolitæ ſunt ab Samnitibus. Antiochus ſcribit, locum eum, à cultoribus deſertum, Achæorum quoſdam occupaſſe, qui ab Achæis Sybarim incolentibus accerſiti erant. accerſitos autem fuiſſe ob Achæorum, qui Laconiâ pulſi fuerant, in Tarentinos odium; ſcilicet, ne hi, quia vicini erant, locum eum invaderent. Quum autem duæ eſſent urbes, Siris & Metapontum; quorum hæc Tarento propinquior; à Sybaritis perſuaſum eſſe iis, quos accerſiverant, Metapontum uti occuparent: quòd, eo potiti, Sirim quoque eſſent habituri. Sin illi ſe ad Sirim contuliſſent; fore, ut Tarentini, à latere imminentes, Metapontum ſuam facerent. Succeſſu temporis, bello cum Tarentinis, & qui ſuprà adjacebant, Oenotris conflato; acceptâ agri parte, pacem compoſuiſſe, qui eius, quæ tunc erat Italia, & Iapygiæ fuerit terminus. Cæterùm, huic etiam loco Metapontum in fabulis & Melanippam attribuunt, & huius filium Bæotum. Exiſtimat autem Antiochus, urbem olim Metabum dictam; poſteà Metapontum denominatam. at Melanippam non ad Metabum, ſed ad Dium fuiſſe datam; id ſacello Metabi argui, & Aſii poëtæ teſtimonio: qui ait; Bæotum*

In Dii formoſâ domo peperit Melanippe.

ad hanc nimirum adductam innuens Melanippam; non ad Metabum. Ephorus tradit,

Meta-

Metaponti conditorem fuiſſe Daulium, Criſſæ, quæ prope Delphos eſt, tyrannum. Fertur & alia narratio. ſcilicet, eum, qui ab Achæis ad condendam coloniam miſſus, fuiſſe Leucippum: eumque, quum locum hunc ad diem noctemque precariò à Tarentinis obtinuiſſet, noluiſſe reddere; interdiu repoſcentibus reſpondentem, ſe etiam ad inſequentem noctem petiiſſe atque impetraſſe; noctu verò, ad inſequentem diem.

Poſt Metapontum, ſequitur BRADANVS FLVVIVS, Lucaniæ Apuliæque terminus, uti memoratur Antonino; vulgò nunc adcolis *Bradano* dictus. Ex quo ego vocabulo colligo, in Antonini exemplaribus mendoſè ſcriptum eſſe, *Ad fluvium Bradam*, pro, *Bradanum*. BRADANVS, *fluvius.*

Atque hactenus utrumque Lucaniæ litus, hinc ad Siculum, illinc ad Tuſcum mare, expoſitum eſt. Nunc deinceps mediterranea expediemus. Itinera à Venuſiâ per Lucaniæ opidum GRVMENTVM, in Itinerariis deſcribuntur huiusmodi:

Tabulæ:		Antonini:		Antonini:		Tabulæ:	
Venuſię		*Venuſium civitas*					
		Opino	XV.				
Silvium	XXXV.						
Piſandes	XVI.						
		Ad fluvium Bradam	XXVIIII.				
Lucos	XXIIII.						
Potentia	XII.	*Potentia*	XIIII.				
Anxia	XV.	*Acidios*	XXIIII.				
Grumento	XVIII.	*Grumento*	XXVIIII.				
Tarento	XXIIII.	*Semuncla*	XXVII.				
		Nerulo	XVI.	Epiſ. *Nerulo*		*Nerulos*	
		Summurano	XVI.	*Summurano*	XVI.	*Interamnio*	XXVIII.
		Caprasîs	XXI.	*Caprasîs*	XXI.	*Capraſia*	VIII.
						Crater fl.	XXVI.
		Conſentia	XXVIII.	*Conſentia*	XVIII.	*Conſentia*	XVIII.

Ex his, Venuſia, Potentia, Tarentum, Nerulum, Muranum, Crathis fluvius, & Conſentia, nomina antiqua retinent. Per GRVMENTVM quia utróque, & ad Tarentum, & ad Nerulum, quod inter Apenninum & inferum mare poſitum, iter ducebat, medio ſitu inter utrumque illud fuiſſe neceſſum eſt. Plinius, lib. XIIII, cap. VI: *Lagarina*, inquit, *vina, non procul Grumento naſcentia*. Hinc GRVMENTVM id ego eſſe opidum colligo, quod haud procul lævâ Siris fluvii ripâ ſitum, vulgari nunc incolis & corrupto vocabulo dicitur *Clarimontę*; SAPONARA ſecundùm Ptolemæum. Memoratur quoque Macrobio, Saturnal. lib. I, cap. XI; Livio, lib. XXVII. Idem, lib. XXXIII, ſic: *In Lucanis ad Grumentum Ti. Sempronius cum Hannone Pœno proſperè pugnat*. Apud Appianum, Civil. bellor. lib. I: Græcus quidem textus habet nomen Τερέμβρτον: at ſcitè id interpres reddit *Grumentum*. nam ita etiam Diodorus habet, Excerptis Legationum referentibus. GRVMENTINAE parœciæ meminit beatus Gregorius papa, Epiſtolar. ex regeſtro lib. X, cap. XLVIII. GRVMENTVM, *opidum.*

Vocabulum illud apud Antoninum, *Acidios*, inter Potentiam & Grumentum, in *Aciris* corrigendum eſſe cenſeo. Non ergo Acidii, ſive Aciduli, *Acetura* ſunt.

Porrò, apud Livium lib. XXIIII, in hiſtoriâ belli Annibalici, hæc leguntur verba: *Ex Lucanis Blandæ, Apulorum Ancæ oppugnatæ*. Scribe tu, *Blanda atque Ancæ*. ANCAE ergo idem eſt opidum, quod in Tabulâ vocatur *Anxia*. ANCAE, *opidum.*

Bradanus fluvius, in itinere à Venuſiâ Potentiam verſùs, ad XV milliare apud opidum, cui vulgare nunc incolis vocabulum eſt *Opido*, tranſitur. quod ipſum opidum ego interpretor vetus illud OPINVM. quod & VPINVM adpellatum fuit; ut infrà mox ad Cœlianum patebit. Iam à Potentiâ ſi Acirim annem accedas, medio ſitu inter Bizanum & Allianum; intervallum erit XXIIII millium: hinc verò ad Clarimontem, id eſt, ad Grumentum, XXVIIII. Numerum autem in Tabulâ XXIIII millium, quæ inter Grumentum Tarentumque conſpiciuntur, corruptum eſſe cenſeo. Neque enim probabile eſt, Grumentum tam prope Tarentum fuiſſe; quando iter apud Antoninum per id à Venuſiâ Nerulum verſùs ducitur. ſed neque numerus OPINVM, *opidum.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

tum XLIII millium, quæ Antoninus inter Grumentum & Nerulum ponit, conveniret. ſiquidem millia inter Nerulum & loca quæ XXIV millia à Tarento abſunt, numerantur LX ampliùs. Tum verò loca ea jam ultra Bradanum & extra Lucaniæ ſunt terminum; quum GRVMENTINI in Lucaniâ referantur Plinio, lib. III, cap. XI; & item GRVMENTVM Straboni; cuius verba lib. VI, in deſcriptione Lucaniæ, hæc ſunt: Καὶ Γρούμεντον δὲ, καὶ Οὐερτῖναι τῆς μεσογαίας εἰσὶ, καὶ Καλασάρνα, καὶ ἄλλαι μικραὶ κατοικίαι, μέχρι Οὐενουσίας πόλεως. Id eſt: *Sed & Grumentum & Vertinæ in mediterraneis ſunt, & Calaſarna, & alia exigua opidula, ad Venuſiam usque urbem.* Viam videtur ab Heracleâ per Grumentum ad Venuſiam usque ſequutus eſſe rectiſſimam, in quâ ea opida fuêre ſita.

VERTINAE, *opidum.* VERTINAE, *opidum*, (ni vocabulum mendoſum fuerit,) videtur eſſe id, quod inter Opinum & Venuſiam ad Bradanum amnem vulgari nunc adpellatione dicitur *Vietre*.

CALASARNA, *vel* ACALANDRA, *opidum.* At vocabulum CALASARNA facilè ſuſpicer depravatum eſſe è germano ACALANDRA; quod opidum in dictâ viâ ad cognominem amnem Acalandrum, eodem, quo ipſe amnis, nunc dicitur vocabulo *Salandra*. Cæterò, GRVMENTVM equidem Strabo ſuâ ætate inter exigua Lucaniæ opida connumerat. at celebrem poſteà atque illuſtrem fuiſſe urbem; patet è Tabulâ itinerariâ; in quâ primariæ urbis ſigno notatur. Sed & Plinii ævo haud perinde obſcuram fuiſſe, inde patet, quòd is, ubi Lagarinum agrum indicare voluit, dicto lib. XIV, cap. VI, per Grumenti, ut nobilioris loci, vicinitatem, illam notiorem ſe redditurum putavit.

POTENTIA, *opidum.* POTENTIA vulgò nunc incolis dicitur *Potenza*. unde Plinio, lib. III, cap. XI, opidani ſunt POTENTINI.

Porrò, iter apud Antoninum deſcribitur tale:

Venuſia	
Ad Pinum	XII.
Ypinum	XXXII.
Cælianum	XL.
Heracliâ	XXVIII.
Ad Viceſimum	XXIIII.
Turios	XX.

CAELIANVM, *opidum.* CAELIANVM hoc hodiéque, in eodem inter Venuſiam & Siris oſtium ſive veteris Heracleæ ſitum itinere, vulgari vocabulo incolis vocatur *Cigliano*. Hinc Venuſiam usque, numeros & intervalla apud Antoninum eſſe vitiata, certum eſt. YPINVM haud dubiè ſcriptum fuit VPINVM; eſtque idem cum OPINO. quorſum enim Græca litera in Italico Lucanorum vocabulo?

Iter ex Antonino ſuprà adductum, eſt huiusmodi:

Grumento	
Semuncla	XXVII.
Nerulo	XVI.

Millium paſſuum inter Nerulum hodiè atque Claremontem numerus ab iſtis differt. *Semuncla* fortè corruptum eſt, pro *Ad Semnum fluvium*, uti ex Tabula jam antè eſt dictum. Malè ergo Mercator Semunclam ad Laum flumen collocat.

ABELLINVM MARSICVM, *opidum.* Porrò ad Acirim amnem & Apenninum montem ſitum nunc eſt epiſcopale opidum, cui vulgare vocabulum *Marſico*: id fortè fuerit vetus ABELLINVM MARSICVM; unde Plinio, lib. III, cap. XI, opidani dicuntur ABELLINATES, cognominati MARSI. Verba eius hæc ſunt: *Cæterò, intus in ſecunda regione Hirpinorum, colonia una Beneventum, auſpicatiùs mutato nomine, quo quondam adpellata Maleventum; Aeculani, Aquilonii, Abellinates cognomine Protropi, Compſani, Caudini, Ligures qui cognominantur Corneliani, & qui Bebiani, Veſcellani, Deculani, Aletrini, Abellinates cognominati Marſi, Atrani, Hecani, Alfellani, Atinates, Arpani.* Nec obſtiterit, quòd inter Hirpinorum opida referre videatur Plinius Abellinates Marſos. nam ita & Arpanos, & quotquot ab hoc vocabulo ad Calabrorum usque nomen ſequuntur Apuliæ populi, perperàm eidem Hirpinorum titulo attribuit; dein Calabris quæ erant Apulorum. ſed & Atinates Lucanos, quorum opidum Atinum ad Tanagrum flumen; vulgo nunc *Atena*. quidpe eodem capite anteà; *Ita Apulo-*

rum,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

rum, inquit, *genera tria: Teani, à duce è Graiis; Lucani, ſubacti à Calchante: quæ loca nunc tenent Atinates.* Et anteà: *Mediterranei Brutiorum, Apruſtani tantùm. Lucanorum autem Atinates, Bantini, Eburini, Grumentini, Potentini, Sontini, Sirini, Tergilani, Vrſentini, Volcentani; quibus Numeſtrani junguntur.* Quamquàm heic quoque Bantinos ex Apuliâ, & Eburinos è Picentinis, falsò titulo Lucaniæ adſcripſit; ut in iſtorum populorum explicatione oſtenſum eſt.

ATRANI quoque videntur Lucaniæ *opidani*; quorum *opidum* ATERNVM, ad Silarum amnem, vulgò nunc *Aterni* dictum. ATERNVM, *opidum.*

Cæterùm, toto hoc capite XI proximè dicto, quàm immaniter Plinius regiones, populos atque opida inter ſe confundat; ſatis jam ſuprà in Calabris, Apulis, Hirpinis atque Picentinis patuit. Vrſentinos, Volcentanos atque Numeſtranos, fuiſſe Brutios, infrà docebitur.

OPIDVM APRVSTVM, à quo *opidani* APRVSTINI, haud dubiè idem eſt, quod Ptolemæo dicitur τῆς Μεγάλης Ἑλλάδος Ἄβυστρον, id eſt, *Magnæ Græciæ* ABYSTRVM, ſive ABVSTRVM. Hoc equidem doctiſſimus quidam vir Italus, nunc eſſe putat opidum, quod haud ita longè à mari Tuſco vulgari vocabulo dicitur *Orſo Marſo*. Verùm, Magnam Græciam à Siculo mari ad alterum hoc Apennini latus & mare Tuſcum protuliſſe Ptolemæum; nullo modo ille demonſtraverit. Sanè ſitus, quem in mediterraneis, medio tractu inter Turium & Metapontium, maritimas urbeis, Abuſtro ſuo tribuit Ptolemæus, apertiſſimè oſtendit, eum fuiſſe locum, qui vulgari nunc vocabulo incolis dicitur *Arpadozza*. Itaque in hoc etiam lapſus eſt Plinius, Brutiis id falsò adſcribens. APRVSTVM, *opidum.*

De TERGILO, ſive TERGILA, unde *opidani* eidem Plinio TERGILANI, nihil liquet. TERGILVM, *vel* TERGILA.

SONTIA, *opidum*, unde *opidani* eidem Plinio SONTINI, vulgò hodiè incolis vocatur *Sanza*, inter Policaſtrum opidum & Tanagrum flumen. SONTIA, *opidum.*

Porrò, addit Plinius proximè ſcriptis iſta: *Prætereà interiiſſe Thebas Lucanas, Cato auctor eſt; & Pandoſiam Lucanorum urbem fuiſſe, Theopompus; in quâ Alexander Epirotes occubuerit.* THEBAE iſtæ LVCANAE, ubi locorum fuerint: item, quando interierint; nemo umquàm dixerit: quando nulla alia earum eſt apud auctores mentio: Pandoſiam Strabo etiam ſuâ ætate fuiſſe memorat: ſed rectiùs in Brutiis; ut ſuo loco oſtendetur. THEBAE LVCANAE.

Cæterò, iter ibidem ſignatum eſt huiusmodi:

Acerronia	
Foro Popili	V.

De ACERRONIA nihil liquet. FORVM etiam POPILI ſciri nequit. Fuiſſe hac adpellatione opidum Campaniæ; ſuprà è Ptolemæo oſtenſum eſt. Sed hoc Tabulæ nullo modo idem eſſe poteſt. ACERRONIA. FORVM POPILI.

Porrò, iter ibidem notatum eſt tale:

Nares Lucanos	
Vico Mendicolco	....
Nerulos	XXVI.

De huius VICI MENDICOLCI neque vocabulo, probum corruptumve ſit, neque ſitu, quidquam liquet. VICVS MENDICOLCVS.

Aliud ibidem iter deſcribitur huiusmodi:

Nerulos	
Coſilianum	XVI.
Grumento	XXV.

Hoc etiam COSILIANVM æternis tenebris obrutum manſurum puto; ni fuerit opidum, cui vulgare nunc vocabulum *Caſſano*; CASSIANVM etiam Paulus Diaconus, lib. II, cap. XVII, in Brutiis recenſet. COSILIANVM.

Denique, Servius ad Virgilii lib. XI, de Diomedæis avibus, ita ſcribit: *Habitant autem*

ELECTRIS, *ſive* FEBRA, inſula.

autem in inſulâ ELECTRIDE, *ſive* FEBRA; *quæ eſt haud longè à Calabriâ, in conſpectu Tarentinæ urbis.*

Atque hæc ferè ſunt loca fluminaque Lucaniæ veteribus memorata auctoribus.

CAP. XV.

De BRVTIIS.

BRVTIORVM *origo.*

RELiquum hinc Italia incoluêre BRVTII; Græcis pleriſque Βρέττιοι, BRETTII, dicti; Dionyſio Afro Βρέντιοι, BRENTII; Procopio Βρύττιοι, BRVTII. Stephanus: Ἀντίοχος δὲ τὴν Ἰταλίαν φησὶ κληθῆναι Βρεττίαν, εἶτα Οἰνωτρίαν. Hoc eſt: *Antiochus ait, Italiam vocatam fuiſſe Brettiam; deinde Oenotriam.* Antiochi ſententia fuit, id terrarum ſpatium, quod Brutii incoluerunt, primò vocatum fuiſſe Oenotriam; deinde Italiam; ac tandem Brettiam: ut patet ex Strabonis lib. VI: Ὠνόμασται δὲ, inquit, τὸ ἔθνος ὑπὸ Λευκανῶν· Βρεττίους γὰρ καλοῦσι τοὺς ἀποστάτας. ἀπέστησαν δὲ, ὥς φασι, ποιμαίνοντες πρότερον, εἶθ' ὑπ' ἀνέσεως ἐλευθεριώσαντες, ἡνίκα ἐπεστράτευσε Δίων Διονυσίῳ, καὶ ἐτάραξεν ἅπαντας πρὸς ἅπαντας. Id eſt: *Nomen genti dedere Lucani. deſertores quidpe ſive defectores Brettios vocant. nam Bretti, quum paſtores, ut fertur, prius eſſent Lucanorum; ab his deſciverunt, libertatem indulgentiâ illorum adepti: quo tempore Dio bellum Dionyſio movens, quosvis contra quosvis concitavit.* Eamdem rem Diodorus, lib. XVI, circa eamdem de Dione & Dionyſio hiſtoriam, ita refert: Ἐπ' ἄρχοντος δ' Ἀθήνησιν Ἐλπίνου, Ῥωμαῖοι κατέστησαν ὑπάτους Μάρκον Πόπλιον Λαινάτην, καὶ Γναῖον Μαμέλιον Ἰμπεριῶσον· ὀλυμπιὰς δ' ἤχθη ἑκτὴ πρὸς ταῖς ἑκατόν· ἐπὶ δὲ τούτων κατὰ μὲν τὴν Ἰταλίαν ἠθροίσθη περὶ τὴν Λευκανίαν πλῆθος ἀνθρώπων πανταχόθεν μιγάδων, πλεῖστον δὲ δούλων δραπετῶν. Οὗτοι δὲ τὸ μὲν πρῶτον λῃστρικὸν ἐνεστήσαντο βίον, καὶ διὰ τὴν ἐν ταῖς ἀγραυλίαις καὶ καταδρομαῖς συνήθειαν, ἔσχον τριβὴν καὶ μελέτην τῶν κατὰ πόλεμον ἔργων. Διὸ καὶ τοῖς πολεμικοῖς ἀγῶσι προτεροῦντες τῶν ἐγχωρίων, εἰς αὔξησιν ἀξιολογωτέραν κατέστησαν. καὶ πρῶτον μὲν Τερίναν πόλιν ἐκπολιορκήσαντες, διήρπασαν. ἔπειτ' Ἱππώνιον καὶ Θουρίους, καὶ πολλὰς ἄλλας χειρωσάμενοι, κοινὴν πολιτείαν συνέθεντο. Καὶ προσηγορεύθησαν Βρέττιοι, διὰ τὸ τοὺς πλείστους εἶναι δούλους. κατὰ γὰρ τὴν τῶν ἐγχωρίων διάλεκτον οἱ δραπέται Βρέττιοι προσηγορεύοντο. Τὸ μὲν οὖν τῶν Βρεττίων πλῆθος [forte ἔθνος] οὕτω συνέστη κατὰ τὴν Ἰταλίαν. Hoc eſt: *Quum ſummum Athenis magiſtratum obtineret Elpinus; & Romæ conſulatum gererent, M. Popilius Lænas, & Cn. Manlius Imperioſus; Olympias verò ageretur* CVI; *in Italiâ multitudo quædam hominum miſcellaneorum (plerique autem erant ſervi fugitivi) ex variis undique locis circa Lucaniam confluxit. Hi primùm vitam prædatoriam inſtituebant: mox excubiarum agreſtium, & incurſionum conſvetudine, rerum bellicarum exercitationem uſumque ſibi compararunt. Itaque quum bellicis conflictibus ſuperiores terræ incolis evaderent; ad incrementum inſigne progreſſi ſunt. ac principio quidem Terinam urbem expugnatam diripuerunt. mox Hipponio Thuriisque ac multis aliis ſubactis, propriam ſibi rempublicam conſtituerunt. Et, quia plerique fuerant ſervi, Brettii dicti ſunt. incolarum quidpe ſermone fugitivi nuncupantur Brettii. Ad hunc igitur modum Brettiorum in Italia gens coaluit.* Nugæ igitur ſunt, quod grammatici, Euſtathius & Stephanus, ab Herculis filio *Bretto*, *Brettios* dictos tradunt. Cæterò, illud ſatis mirum; ab ignominioſâ re, id eſt, quòd ſervi fugitivi fuerant, Brutiis nomen hæſiſſe, quod domini ignominiæ causâ impoſuerant, quo non ſolùm dominis Lucanis, ſed & finitimis Græcis, ac poſtmodùm Romanis, adeoque toti Italiæ dicerentur *Brettii* ſive *Bruttii*. namque aliud ipſam inter ſe habuiſſe gentem nomen, nemo unquam adnotavit. Aliam ſanè eius nominis originem referunt Iuſtinus atque Iornandes. quorum hic in Gothicis ita: *Brutiorum regio in extremis Italiæ finibus jacens, nomen quomdam à Brutiâ ſortitur reginâ.* Iuſtinus, *Brutiam* quidem nomine agnoſcit mulierem, at non reginam. Verba eius, lib. XXIII, hæc ſunt: *Agathocles, rex Siciliæ, pacificatus cum Carthaginienſibus, partem civitatum, à ſe fiduciâ virium diſſidentem, armis ſubegit. dein, quaſi anguſtis inſulæ terminis clauderetur; in Italiam tranſcendit; exemplum Dionyſii ſequutus; qui multas Italiæ civitateis Italiæ ſubegerat. Primi igitur hoſtes illi Brutii fuêre: qui & fortiſſimi tum, & opulentiſſimi videbantur; ſimul & ad injurias vicinorum prompti. nam multas civitateis Græci nominis Italiâ expulerant: auctores quoque ſuos Lucanos bello vicerant; & pacem cum his æquis legibus fecerant. tanta feritas animorum erat, ut nec origini ſuæ parcerent. Namque Lucani iisdem legibus liberos ſuos, quibus & Spartani, inſtituere*

ſoliti

miniſterio ſer-
parcimoniæ-
is aut fontium
quaginta pri-
prædâ, quum
iorum Diony-
aſtellum, pro-
urrentibus ad
vocaverunt.
erecti, quum
is brevi con-
, rex Epiri,
et; cum omni-
ód progenies
Ἔστι γ᾽, inquit,
μνῖται· τούτων
igena. Ab his
utii. Rectiùs
ſertores, ſive
amquàm pa-
ęterò, No- NOMEN BRVTIORVM.
um, Βρέττιοι,
it plurimùm
ptum, fecit
. qui præter
dictis aucto-
vocabulum
tam facilè id
his ſcriptori-
tt, Brittanni
l nec eorum
r Romanos
fuerit gentis
io, minimè
ertè non per
Alioquin eâ-
nos auctores
RVTIORVM
ulis paullum
do id omni-

LAE, qui FINES AGRI BRVTII.
Hetruſcum
fluvius. PE-
ocum infrà
bit: Ἔστι δ᾽ ἡ
ειδὸς μέχρι
ἰσθμοῦ τοῦ ἀπὸ
ττιοι, χερρόνη-
υλλητικοῦ ἐπὶ τ
mul & Siculi
diterraneo, à
adia occupat
ius iſthmus à
agri. Porrò,
Piceno, ubi
refert: Ὁ γ̓
Σπάρ-



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Electris, ſive Febra, inſula.

autem in inſ
ſpectu Taren
Atque ha

Brvtiorvm origo.

R Eliquu
dicti; D
Α'ντίοχος ἢ τ Ι
vocatam fuiſ
tium, quod
tandem Br
καν῀ων· Βρεττί
ἀνέσεως ἐλ
eſt: *Nomen*
Bretti, quum
dulgentiâ ill
concitavit.
hiſtoriam, i
Πέτηλιον Λαμ
τούτων καὶ μὲν
σὸν ἢ δούλων δ
καλαδρυμοῦς ο
τρ῀ωντες τ ἐγχ
κήσαντες, διήρ
συνέθεντο. Κα
λεκτον οἱ δρα
ἐςη κατὰ τ Ι'
Romæ conſul
ageretur CV
ſervi fugiti
toriam inſtit
licarum exe
riores terræ
Terinam urb
propriam ſib
incolarum q
rum in Itali
nus, ab He
ignominios
mini ignom
Græcis, ac
namque ali
Aliam ſanè
in Gothicis
tiâ ſortitur
ginam. Ve
thaginienſib
anguſtis inſu
qui multas
fortiſſimi tu
multas civit
rant; & pa
ſuæ parceren

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

ſoliti erant. quidpe ab initio pubertatis in ſilvis inter paſtores habebantur, ſine miniſterio ſervili, ſine veſte quam induerent, vel cui incubarent: ut à primis annis duritiæ parcimoniæque ſine ullo uſu urbis adſveſcerent. Cibus hic, præda venatica; potus, aut lactis aut fontium liquor erat. ſic ad labores bellicos indurabantur. Horum igitur ex numero quinquaginta primò ex agris finitimorum prædari ſoliti, confluente deinde multitudine, ſolicitati prædâ, quum plures facti eſſent, infeſtas regiones reddebant. Itaque fatigatus querelis ſociorum Dionyſius, Siciliæ tyrannus, ſexcentos Afros ad compeſcendos eos miſerat. quorum caſtellum, proditum ſibi per Brutiam mulierem, expugnaverunt: ibique civitatem, concurrentibus ad opinionem novæ urbis paſtoribus, ſtatuerunt: Brutiosque ſe, ex nomine mulieris vocaverunt. Primum illis cum Lucanis, originis ſuæ auctoribus, bellum fuit. quâ victoriâ erecti, quum pacem æquo jure feciſſent, cæteros finitimos armis ſubegerunt. tantasque opeis brevi conſequuti ſunt, ut pernicioſi etiam regibus haberentur. Denique Alexander, rex Epiri, quum in auxilium Græcarum civitatum cum magno exercitu in Italiam veniſſet; cum omnibus copiis ab his deletus eſt. Atque hæc de ORIGINE BRVTIORVM, quòd progenies fuêre Lucanorum, multo probabilior eſt narratio. Ipſe Strabo, lib. V: Ἔστι γὰρ, inquit, παλαιότατον γένος οἱ Σαβῖνοι, καὶ αὐτόχθονες. τούτων δ᾽ ἄποικοι Πικεντῖνοί τε καὶ Σαμνῖται· τούτων δὲ Λευκανοὶ, τούτων δὲ Βρέττιοι. Id eſt: *Sabinorum gens vetuſtiſſima eſt, & indigena. Ab his originem habuêre Picentes ſimul & Samnites: ab his porrò Lucani; & ab his Brutii.* Rectiùs itaque ab eodem Strabone, dicto lib. VI, ἀποστάται adpellantur, id eſt, deſertores, ſive defectores; quàm à Diodoro δοῦλοι δραπέται, id eſt, *ſervi fugitivi*. quamquàm paſtores iſti tales videri poſſunt, qui conatus reliquorum adjuverunt. Cæterò, NOMEN GENTIS quod attinet, Græcis id quidem dicebatur, ut antè dictum, Βρέττιοι, BRETTII; Latinis verò BRVTII. id Ptolemæus, Latinorum vocabula ut plurimùm in Italiæ deſcriptione ſequens, geminato ττ, quod ex illo Græco ſumptum, fecit Βρούττιοι, BRVTTII. hunc alii etiam poſteà ſequuti; & in his Stephanus. qui præter τὸ Βρεττίων vocabulum Βρουττίας quoquè & Βρουττίων refert. Ex hiſce jam dictis auctoribus, noſtri ævi critici apud omneis Latinos auctores ſuprà ſcriptum vocabulum BRVTII gemino ſcribendum eſſe TT, BRVTII, contendunt. Verùm tam facilè id illi mihi perſvaſerint, quàm quòd inſula Oceani, quæ omnibus Romanis ſcriptoribus eſt *Britannia*, & incolæ eius *Britanni*, gemino itidem ſcribendi ſint *tt*, *Brittanni* & *Brittannia*; quia Græcis ſint Βρεττανοὶ & Βρεττανία, ſive Βρεττανική. Sed nec eorum probanda eſt ſententia, qui ex Græcis auctoribus apud omneis pariter Romanos ſcriptores legi volunt *Brettii*. Vtra vocabuli formatio magis genuina fuerit gentis adpellatio, Romana an Græca, equidem haud facilè dixerim. at id ſcio, minimè mihi convenire, peritiorem eâ in re me velle eſſe ipſis Romanis: qui certè non per imperitiam, ſed certâ ratione, *Brutii* maluerunt dicere, quàm *Brettii*. Alioquin eâdem ratione *Brundiſii* quoque vocabulum corrigendum apud Romanos auctores foret ex Græcis ſcriptoribus in *Brendiſium*, ſive *Brenteſium*. Sed de BRVTIORVM adpellatione ſatis dictum. quoties Græci in gentium urbiumque vocabulis paullum à Latinis variaverint, longum foret, nec neceſſarium, recitare; quando id omnibus ipſa ſcriptorum monimenta pervolventibus facile eſt adnotare.

NOMEN BRVTIORVM.

Cæterùm, FINES BRVTII AGRI, ſive BRVTIAE PENINSVLAE, qui fuerint, jam anteà in Lucaniæ finium deſcriptione patuit, nempe, ad Hetruſcum mare Laüs amnis; ad Siculum mare, ſive Tarentinum ſinum, Sybaris fluvius. PENINSVLAM adpellant Brutiorum agrum Strabo atque Plinius. huius locum infrà emendatum quære ad flumen OCINARVM. Ille clariùs, lib. VI, ſic ſcribit: Ἔστι δ᾽ ἡ μὲν Λευκανία μεταξὺ τῆς τε παραλίας τῆς Τυῤῥηνικῆς καὶ τῆς Σικελικῆς, τῆς μὲν ἀπὸ τοῦ Σιλάριδος μέχρι Λάου, τῆς δ᾽ ἀπὸ Μεταποντίου μέχρι Θουρίων. κατὰ δὲ τὴν ἤπειρον, ἀπὸ Σαμνιτῶν μέχρι τοῦ ἰσθμοῦ τοῦ ἀπὸ Θουρίων εἰς Κηρίλλους, πλησίον Λάου. στάδιοι δ᾽ εἰσὶ τοῦ ἰσθμοῦ τ. ὑπὲρ δὲ τούτων Βρέττιοι, χεῤῥόνησον οἰκοῦντες. ἐν ταύτῃ δ᾽ ἄλλη περιείληπται χεῤῥόνησος, ἡ τὸν ἰσθμὸν ἔχουσα, τὸν ἀπὸ Σκυλλητίου ἐπὶ τὸν Ἱππωνιάτην κόλπον. Hoc eſt: *Sita autem eſt Lucania inter oram Hetruſci ſimul & Siculi maris; illinc à Silaro usque ad Laum, hinc à Metapontio ad Thurios. in mediterraneo, à Samnitibus usque ad iſthmum, qui, à Thuriis ad Cerillos usque pertinens, ſtadia occupat* CCC. *Supra hos Brutii peninſulam incolunt; quæ aliam includit peninſulam, cuius iſthmus à Scylletio ad Hipponiatem usque ſinum porrigitur.* Hi igitur fuêre fines Brutii agri. Porrò, Plutarchi hîc illuſtris locus emendandus eſt. Is in Craſſo, de Spartaco è Piceno, ubi Memmium Craſſi legatum fuderat, ad fretum Siculum tendente, hæc refert: Ὁ δὲ Σπάρ-

FINES AGRI BRVTII.

Σπάρτακος ὑπεξεχώρει διὰ Λευκανίας εἰς τὴν θάλασσαν. ἐν δὲ πορθμῷ λῃσταῖς Κιλίσσαις ἐπιτυχών, ὥρμησεν ἅψασθαι Σικελίας. ὁμολογήσαντες δὲ οἱ Κίλικες αὐτῷ, καὶ δῶρα λαβόντες, ἐξηπάτησαν, καὶ ἀπέπλευσαν. οὕτω δὴ πάλιν ἀπὸ θαλάσσης ἀναζεύξας, ἐκάθιζε τὸν στρατὸν εἰς τὴν Ῥηγίνων χερρόνησον. ἐπελθὼν δ᾽ ὁ Κράσσος, καὶ τοῦ τόπου τὴν φύσιν ὁρῶν, ὑφηγουμένην τὸ δέον, ὥρμησεν ἀποτειχίσαι τὸν ἰσθμόν. ἅμα καὶ τὴν σχολὴν τῶν στρατιωτῶν ὑφαιρῶν, καὶ τὴν εὐπορίαν τῶν πολεμίων. μέγα μὲν οὖν ἦν καὶ χαλεπὸν τὸ ἔργον. ἤνυσε δὲ, καὶ κατειργάσατο παρὰ δόξαν ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ, τάφρον ἐμβαλὼν ἐκ θαλάσσης εἰς θάλασσαν, διὰ τοῦ αὐχένος σταδίων τριακοσίων, εὖρος δὲ καὶ βάθος πεντεκαίδεκα ποδῶν. ὑπὲρ δὲ τῆς τάφρου τεῖχος ἔστησεν, ὕψει καὶ ῥώμῃ θαυμαστόν. ὧν ὁ Σπάρτακος ἠμέλει καὶ κατεφρόνει τὸ πρῶτον· ὡς δὲ, τῆς λείας ἀπολειπούσης, προϊέναι βουλόμενος, συνεῖδε τὸν ἀποτειχισμὸν, καὶ λαμβάνειν οὐδὲν ἦν ἐκ τῆς χερρονήσου, νύκτα νιφετώδη καὶ πνεῦμά τι χειμέριον παραφυλάξας, ἔχωσε τῆς τάφρου μέρος οὐ πολὺ γῇ καὶ ὕλῃ καὶ κλάδοις δένδρων, ὥστε τῆς στρατιᾶς περαιῶσαι τὸ τρίτον. ἐφοβήθη μὲν οὖν ὁ Κράσσος, μὴ λάβοι τις ὁρμὴ τὸν Σπάρτακον ἐπὶ τὴν Ῥώμην ἐλαύνειν· ἐθάρρησε δὲ πολλῶν ἐκ διαφορᾶς ἀποστάντων αὐτοῦ, καὶ στρατοπεδευσαμένων καθ᾽ αὑτοὺς ἐπὶ Λευκανίδος λίμνης, ἥν φασι τρέπεσθαι διὰ χρόνου, γινομένην γλυκεῖαν, καὶ αὖθις ἁλμυρὰν καὶ ἄποτον. Id eſt: *At Spartacus ceſſit per Lucaniam ad mare. In freto navigia prædatoria Cilicum nactus, animum adjecit ad tentandam Siciliam. At Cilices, inito cum eo pacto, muneribusque acceptis, impoſuerunt ei, ac ſubduxerunt ſe. Ita recepit ſe à mari; atque in Rheginorum conſedit peninſulâ. Ibi ſupervenit Craſſus. Qui videns naturam loci, quid faciendum eſſet, ſubjicientem; iſthmum muro inſtitit ſæpire; ſimul ut otium militibus, & hoſtibus commeatus facultatem adimeret. Quod etſi grande eſſet & laborioſum opus; brevi ſpatio tamen præter omnium opinionem perfecit: foſſam ab mari ad mare per cervicem* XXXVII *millia & 10 paſſus longam; latam & altam* XV *pedes, perduxit. ſuper foſsâ murum excitavit, mirâ altitudine ac firmitate. Ea Spartacus primùm floccipendere. ubi verò, deficiente prædâ, quum vellet progredi, advertit, ſe interclusum muro; neque ex peninſulâ quidquam capere valuit: noctem nive infeſtam ac ventum procelloſum pro ſe capiens, exiguam partem foſſæ complevit humo, materiâ ac arborum ramis; ac tertiam partem exercitus traduxit. Heic timuit Craſſus, ne impetus Spartacum Romam raperet. verùm confirmatus eſt; quòd multi ex diſſenſione deſciviſſent ab illo, & caſtra ſeorſum poſuiſſent ſuper ſtagno Lucano, quod certis temporibus variari ferunt; ac modò dulce, modò ſalſum nec potabile fieri.* Hanc Rheginorum peninſulam video quosdam interpretari Scyllam ſcopulum, ſive promontorium Scyllæum; quia hoc πέτρα eſt (ut inquit Strabo lib. VI) *χερρονησίζουσα, ὑψηλή, τὸν ἰσθμὸν ἀμφίδυμον καὶ ταπεινὸν ἔχουσα, ὃν Ἀναξίλαος, ὁ τύραννος τῶν Ῥηγίνων, ἐπετείχισεν*; id eſt, *ſaxum ſublime, ac mari penè cinctum, continenti junctum humili, & utrimque adpulſui navium opportuno iſthmo.* At iſthmus hic tam exigui eſt ſpatii, ut vix modicum hodiéque opidulum capiat; nedum XXXVII ampliùs millia paſſuum pateat. tum ipſum ſaxum ſive peninſula, quod caſtellum haud perinde magnum ſuſtinet, Spartacum cum LX ampliùs millibus armatorum, quæ Livius lib. XLVII, atque Oroſius, referunt, capere nullo modo potuit; nedum commeatum ac prædam ad tempus ſuppeditare. Huc adde, quòd, in quacumque parte huius promontorii vel ſolus Spartacus conſediſſet, utique in litore ſeu maris orâ futurus erat. at Plutarchus à mari eum, id eſt, freto, receſſiſſe, diſertis tradit verbis. longè maiorem igitur ille intellexit peninſulam. Hanc inveſtigemus. De eodem bello ita tradit Florus, lib. III, cap. XX: *Tandem etiam totis viribus contra Mirmillionem conſurgitur, pudoremque Romanum Licinius Craſſus aſſeruit; à quo pulſi fugatique (pudet dicere) hoſtes, in extrema Italiæ confugerunt. Ibi circa Brutium augulum incluſi, quum fugam in Siciliam pararent, neque navigia ſuppeterent, rateſque ex cratibus, & dolia connexa virgultis in rapidiſſimo freto fruſtrà experirentur, tandem eruptione factâ, dignam viris obiêre mortem.* En, ex hiſce Flori verbis quis non conjecerit, apud Plutarchum quoque, ubi præſcripta vox Ῥηγίνων nullo modo conſiſtere poteſt, legendum eſſe, εἰς τὴν Βρυττίων χερρόνησον; id eſt, *in Brutiorum peninſulam?* Sic Livius, lib. XXVI. *Ceterùm, non quantum pertinaciæ ad premendam obſidione Capuam Romanis fuit, tantum ad defendendam Annibali. namque ex Lucanis in Brutium agrum, ad fretum verò ac Rhegium eo curſu contendit, ut propè repentino adventu incautos oppreſſerit.* Et poſteà, eodem libro, Publius Scipio in Hiſpaniâ ſic exercitum adloquitur: *In Italiâ Arpi recepti: Capua capta: iter omne ab Româ, trepidâ fugâ emenſus Annibal, in extremum angulum agri Brutii compulſus, nihil jam maius precatur deos, quàm, ut incolumi cedere atque abire ex hoſtium terrâ liceat.* Sed hactenus de finibus atque ſitu Brutiorum; nunc ad ſingulorum locorum pergemus enarrationem.

Litus

Litus Brutianum ad inferum mare ita deſcribitur in Tabulâ itinerariâ:

Lainum	
Cerilis	VIII.
Clampeia	XL.
Temſa	X.
Tanno fl.	XIII.
Vibona Balentia	XI.
Tauriana	XXIIII.
Arciade	XII.
. . . .	XII.
Regio	XVII.

Lainum heic intelligit fluvium, à quo ad Cerillos hodieque VIII ſunt, ſive, ut vulgò incolæ numerant, VII millia paſſuum. De hoc flumine dictum eſt ſuperiori capite ſub titulo LAVS.

In voce *Cerilis* alteram *l* interiiſſe; ſatis certum eſt: quando is locus Straboni dicitur Κήριλλοι, CERILLI; & Silio CARILLAE; (fortè metri causâ η mutato in α.) hodiè verò vulgò incolis *Cirella*. Tabulæ auctori fuerit ne CERELLI, an verò CERELLAE; haud facilè dixerim. in hoc tamen potiùs inclinat animus; quoniam & olim Silio, & nunc etiam Vocabulum id feminini eſt generis. Strabonis verba, lib. VI, hæc ſunt: Ἔστι δ' ἡ μὲν Λευκανία μεταξὺ τῆς τε παραλίας τῆς Τυῤῥηνικῆς καὶ τῆς Σικελικῆς, τῆς μὲν ἀπὸ τοῦ Σιλάριδος μέχρι Λάου, τῆς δ' ἀπὸ Μεταποντίου μέχρι Θουρίων· κατὰ δὲ τὴν ἤπειρον ἀπὸ Σαμνιτῶν μέχρι τοῦ ἰσθμοῦ τοῦ ἀπὸ Θουρίων εἰς Κηρίλλους, πλησίον Λάου. στάδιοι δ' εἰσὶ τοῦ ἰσθμοῦ τ. Id eſt: *Sita eſt Lucania inter oram Hetruſci ſimul & Siculi maris; illinc à Silaro usque Laum, hinc à Metaponto ad Thurios. in mediterraneo, à Samnitibus usque ad iſthmum, qui à Thuriis ad Cerillos, prope Laum, ſtadiorum eſt* CCC. Silius, libro VIII, ita canit: CERILLI, *vel* CERELLAE.

——— *Nunc ſeſe oſtendere miles*
Leucoſiæ è ſcopulis, nunc quem Picentia Pæſto
Miles, & exhauſta mox Pœno Marte Carillæ,
Nunc Silarus quos nutrit aquis; quo gurgite tradunt
Duritiem lapidum merſis inoleſcere ramis.
Ille & pugnacis laudavit tela Salerni,
Falcatos enſeis; & quæ Buxentia pubes
Aptabat dextris irraſa robora clavæ.

Porrò, vocabulum Tabulæ *Clampeia*, vitiatum eſt ex genuino CLAMPETIA. quod opidum Melæ quoque ac Plinio memoratur. Mela lib. II, cap. IV, à freto Siculo verſùs Galliam & Varum flumen progrediens; *Hinc*, inquit, *in Tuſcum mare deflexus eſt, & eiusdem terræ Italiæ latus alterum. Terina; Hippo, nunc Vibon, Temeſa, Clampetia, Blanda, Buxentum*. Plinii verba infrà ad flumen OCINARVM emendabuntur. Millia igitur paſſuum XL, quæ Tabula refert, ſi à Cerillis verſùs fretum Siculum in litore progrediaris, incides in opidum, quod vulgari nunc vocabulo incolis dicitur *Amantéa*. id ex ſitu atque intervallo idem eſſe deprehenditur quod præſcriptis auctoribus vocatur *Clampetia*. Apud Livium, lib. XL, id vocabulum corruptum legitur, *Dampetia*; in his verbis: *Ad Cn. Servilium conſulem, qui in Brutiis erat, Conſentia, Vffugum, Vergæ, Beſidiæ, Hetriculum, Syphæum, Argentanum, Dampetia, multique alii ignobiles populi, ſeneſcere Punicum bellum cernentes, defecêre*. Scilicet minuſculis literis ſcriptum erat primò *clampetia*. unde poſteà, facili librarii lapſu, literæ *cl* contractæ ſunt in *d*. Barrius ait, *Toranum opidum* eſſe Livii *Dampetiam*. Poſterioribus etiam temporibus celebrem fuiſſe urbem; patet è Tabulâ itinerariâ; ubi ſignum primariæ urbis, nomini eius adpictum. Cæterùm, in Plinii verbis (ut ad OCINARVM flumen dicitur) notandum eſt, mendosè ab ipſo nominari flumen *Batum*, quod integrè SABATVM nuncupatur. Errat & Barrius, Batum opidum hodiè heic citans intùs paullo, & flumen eiusdem nominis: quum opidum id appelletur *Abbate Marco*. CLAMPETIA, *opidum.*

Porrò Clampetiam à X millibus paſſuum, ut teſtatur Tabula, ſequuta eſt TEMSA, ſive TEMPSA; Græcis primùm Τεμέση, TEMESE, ſive Τεμέσα, TEMESA; dein Τέμψα dicta. nam ex *Temeſa* factum eſt *Temſa*; in hoc, ne *m* declinaretur in *n*, interjectum TEMPSA, *vel* TEMESE, *colonia.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

terjectum eſt *p*, *Tempſa*. ut ſuprà *Tilevemptum*, *Compſa*. Lycophroni etiam geminō σ, Τέμεσσα, TEMESSA, (puto metri causâ,) vocatur. Et Stephano, (ut mox videre eſt,) TAMESA. Memoratur præterea Homero, Polybio, Ciceroni, Ovidio, Livio, Straboni, Melæ, Plinio, Statio, Ptolemæo, Pauſaniæ. Prædicta x millia ab Clampetiâ ſive Amanteâ, verſùs fretum Siculum ſi progrediare, incides in ſpeculam maritimam, cui vulgare vocabulum *Torre Loppa*: circa quam antiquiſſimam illam Temeſam ſive Tempſam ex dicto intervallo conjicio. Sed & xx hinc ſunt millia ad Conſentiam usque, quæ eadem Tabula intra hanc urbem & Tempſam refert. Huc etiam congruunt Lycophrônis verſus, infrà ad LAMPETIAM citati. Cæterùm, de Temeſâ ita ſcribit Barrius: *Melivitum, opidum quomdam epiſcopale, ſeu in S. Marcum delatum. Melivitum olim Tempſa; apud quam Iſaurus fluvius excurrit. abeſt à mari* VI *millia paſſuum*. Strabo autem, lib. VI, ſic: Ἀπὸ δὲ Λάου πρώτη πόλις ἐστὶ τῆς Βρεττίας Τεμέση· Τέμψαν δ᾽ οἱ νῦν καλοῦσιν· Αὐσόνων κτίσμα· ὕστερον δὲ καὶ Αἰτωλῶν, τῶν μετὰ Θόαντος· οὓς ἐξέβαλον Βρέττιοι. Βρεττίους δὲ ἐπέτριψαν Ἀννίβας τε καὶ Ῥωμαῖοι. Ταύτης τε τῆς Τεμέσης φασὶ μεμνῆσθαι τὸν ποιητὴν, οὐ τῆς ἐν Κύπρῳ Ταμασσοῦ, (λέγεται γὰρ ἀμφοτέρως,) τῷ·

Ἐς Τεμέσην μετὰ χαλκόν.

καὶ δείκνυται χαλκουργεῖα πλησίον, ἃ νῦν ἐκλέλειπται. Hoc eſt: *Prima à Lao Brutiorum urbs eſt Temeſe, quam Tempſam nunc dicunt; ab Auſonibus primùm condita: deinde ab Aetolis, qui Thoantem ſequuti. hos Brutii ejecerunt. Brutios Annibal juxtà & Romani attriverunt. Atque huius Temeſes aiunt poëtam mentionem feciſſe; non Tamaſi (utrumque enim dicitur) quæ Cypri eſt; his verbis:*

Ad Temeſem propter æs.

Atque ærariæ oſtenduntur in proximo ſecturæ; quarum hodie defecit uſus. Hinc apud Stephanum: Τάμασος, πόλις Κύπρου, διάφορον ἔχουσα χαλκὸν, ἐν μεσογείᾳ. ἐντεῦθέν τινες γράφουσιν·

Ἐς Ταμέσην μετὰ χαλκόν.

Ἀπιθάνως. Ἔστι γὰρ καὶ Ταμέση πόλις Ἰταλίας καὶ ποταμός. Πολύβιος δὲ ἐν τῷ πρώτῳ, Τεμέσαν τὴν πόλιν καλεῖ. Τὸ ταύτης ἐθνικὸν, Τεμεσαῖος. Id eſt: *Tamaſus, opidum Cypri, eximium habens æs, in mediterraneo. Hinc quidam ſcribunt:*

Ad Temeſen, propter æs.

Sed minùs probabiliter. Eſt quidpe & Tameſe opidum Italiæ, & amnis. Polybius autem Temeſam urbem adpellat. Huius gentile, Temeſæus. Idem auctor poſteà: Τεμέση, πόλις Ἰταλίας. Ὅμηρος·

Ἐς Τεμέσην μετὰ χαλκόν. ἄγω δ᾽ αἴθωνα σίδηρον.

Ὁ πολίτης, Τεμεσαῖος. Id eſt: *Temeſe, urbs Italiæ. Homerus:*

Ad Temeſen propter æs. duco autem ſplendidum ferrum.

Opidanus inde, Temeſæus. Verſus is Homeri eſt Odyſſeæ libro I. Sed TEMESAEVM AES maximè celebratur aliis etiam poëtis; Græcis ſimul ac Latinis. VINVM etiam TEMESANI AGRI celebratur Plinio, lib. XIV, cap. VI. OPIDANI Latinis à TEMSA ſive TEMPSA, fuêre TEMSANI ſive TEMPSANI. Livius lib. XXXIV: *Tempſam & Crotonem civium Romanorum coloniæ deductæ. Tempſanus ager de Brutiis captus erat: Brutii Græcos expulerant. Factum id P. Cornel. Scipione Africano iterùm & T. Sempronio Longo coſſ.* anno à Româ condita IↃLVIII; ante natum Ieſum CXCV.

SACELLVM POLITAE.

Cæterò, prope Tempſam opidum fuit SACELLVM POLITAE. De quo ita Pauſanias in Eliacis: Ὀδυσσέα, πλανώμενον μετὰ ἅλωσιν τῆς Ἰλίου κατενεχθῆναί φασιν ὑπὸ ἀνέμων ἔς τε ἄλλας τῶν ἐν Ἰταλίᾳ καὶ Σικελίᾳ πόλεων. ἀφικέσθαι δὲ καὶ ἐς Τεμέσαν ὁμοῦ ταῖς ναυσί. Μεθυσθέντα οὖν ἐνταῦθα ἕνα τῶν ναυτῶν παρθένον βιάσασθαι, καὶ ὑπὸ τῶν ἐπιχωρίων ἀντὶ τούτου καταλευσθῆναι τοῦ ἀδικήματος. Ὀδυσσέα μὲν δὴ ἐν οὐδενὶ λόγῳ θέμενον αὐτοῦ τὴν ἀπώλειαν ἀποπλέοντα οἴχεσθαι. τοῦ καταλευσθέντος δὲ ἀνθρώπου τὸν δαίμονα οὐδένα ἀνιέναι καιρὸν ἀποκτείνοντά τε ὁμοίως σφᾶς ἐν τῇ Τεμέσῃ καὶ ἐπεξερχόμενον ἐπὶ πᾶσαν ἡλικίαν· ἐς ὃ ἡ Πυθία τὸ παράπαν ἐξ Ἰταλίας ὡρμημένους φεύγειν, Τεμέσαν μὲν ἐκλιπεῖν οὐκ εἴα, τὸν δὲ ἥρω σφᾶς ἐκέλευσεν ἱλάσκεσθαι, τέμενός τε ἀποτεμομένους οἰκοδομήσασθαι ναὸν, διδόναι δὲ κατὰ ἔτος αὐτῷ γυναῖκα τῶν ἐν Τεμέσῃ παρθένων τὴν καλλίστην. Τοῖς μὲν δὴ τὰ ὑπὸ τοῦ θεοῦ προστεταγμένα ὑπουργοῦσι, δεῖμα ἀπὸ τοῦ δαίμονος ἐς τὰ ἄλλα ἦν οὐδέν. Εὔθυμος (ἀφίκετο γὰρ ἐς τὴν Τεμέσαν, καί πως τηνικαῦτα τὸ ἔθος ἐποιεῖτο τῷ δαίμονι) πυνθάνεται τὰ παρόντα σφίσιν, καὶ ἐξελθεῖν τε ἐπεθύμησεν ἐς τὸν ναὸν, καὶ τὴν παρθένον ἐσελθὼν θεάσασθαι. ὡς δὲ εἶδε, τὰ μὲν πρῶτα ἐς οἶκτον, δεύτερα δὲ ἀφίκετο καὶ ἐς ἔρωτα αὐτῆς. καὶ ἡ παῖς τε συνοικήσειν κατώμνυτο αὐτῷ σώσαντι αὐτήν. καὶ ὁ Εὔθυμος ἐνεσκευασμένος ἔμενε τὴν

ἔφοδον

ἔφοδον τοῦ δαίμονος, ἐνίκα τε δὴ τῇ μάχῃ· καὶ ἐξηλαύνετο γὰρ ἐκ τῆς γῆς ὁ ἥρως, ἀφανίζεταί τε καταδὺς ἐς θάλασσαν. καὶ γάμος τε ἐπιφανὴς Εὐθύμῳ καὶ ἀνθρώποις τοῖς ἐνταῦθα ἐλευθερία τοῦ λοιποῦ σφίσιν ἦν ἀπὸ τοῦ δαίμονος. Οἰκεῖσθαι δὲ τὴν Τεμέσσαν καὶ ἐς ἐμὲ, ἀνδρὸς ἤκουσα πλεύσαντος κατ' ἐμπορίας. Τόδε μὲν ἤκουσα· γραφῇ δὲ τοιᾷδε ἐπιτυχὼν οἶδα· ἦν δὲ αὕτη γραφῆς μίμημα ἀρχαίας· Νεανίσκος Σύβαρις, καὶ Καλαβρός τε ποταμὸς, Καλύκα πηγὴ, πρὸς δὲ Ἥρα τε καὶ Τεμέσσα ἦν ἡ πόλις. Hoc eſt: *Vlyſſem, aiunt, errantem everſo Ilio, tempeſtatibus huc illuc, & ad alias Italiæ ac Siciliæ urbeis, & Temeſſam eſſe adpulſum. ibi de navalibus ſociis eius unum, virgine per vinum violatâ, ab opidanis, contumeliam vindicantibus, lapidibus obrutum. Vlyſſem quidem, nullâ factum ulciſcendi initâ ratione, inde profectum; perempti verò ſocii maneis finem nullum ſæviendi in cuiuslibet ætatis homines feciſſe, priusquàm cogitantes patriam relinquere Temeſſenſes, Pythici Apollinis reſponſo heroëm placare juſſi ſunt, & conſecrato ei ſolo templum excitare: devovere ei præterea quotannis virginem unam, quæ ipſis formoſiſſima viſa eſſet. Quod quum illi ex oraculo facere pergerent, nihil omninò graviùs dehinc paſſi ſunt. Forte verò quum veniſſet Euthymus Temeſſam, eo ipſo tempore, quo ſolenne numini ſacrum fiebat; re totâ cognitâ, ſe intromitti illum, aiunt, in templum, poſtulaſſe. Vbi virginem conſpicatum, primò miſericordiâ commotum, deinde etiam amore incenſum: ac puellam quidem, ſi ab eo ſervata eſſet, ſe in eius manum conventuram fidem dediſſe. Armis igitur cœptis, cum genio congreſſum: illum victum, mœnibus & agro exceſſiſſe; ſublatumque prorſus ex hominum cœtu, in mare ſe demerſiſſe. Civitate universâ fœdiſſimâ calamitate liberatâ, maximè illuſtreis Euthymi fuiſſe nuptias memorant. Cæterùm, habitari hac etiam nunc ætate Temeſſam, ex nautici negotiatoris oratione cognovi. Hæc ego auditu percepi. ſed memini etiam, me in hanc incidere picturam, quæ ex vetuſto exemplari accuratâ imitatione fuerat deſcripta: Adoleſcentulus Sybaris, Calyca fons, Hera inſuper & Temeſſa urbes fuêre.*

Poſt Tempſam erat TERINA *opidum*, Scylaci, Lycophroni, Diodoro, Straboni, Melæ, Plinio, Solino, Tabulæ, & Stephano memoratum. Melæ lib. II, cap. IV, perperàm ultra Hipponem ſive Vibonem locatur. Paullo rectiùs Plinius, lib. III, cap. V, ita refert: *Locus Clampetiæ; opidum Tempſa, à Græcis Temeſe dictum; & Crotonienſium Terina; ſinus ingens Terinæus.* Stephanus: Τέρινα, πόλις Ἰταλίας καὶ ποταμὸς ὁμώνυμος, κτίσμα Κροτωνιατῶν, ὡς Φλέγων. ἐκαλεῖτο δὲ καὶ Μεγάλη Ἑλλὰς, ὡς Ἀπολλωνίδης ὁ Νικαεὺς ἐν τῷ περὶ παροιμιῶν. τινὲς δὲ νῆσον αὐτὴν, εἰς ἣν ἐξεβράσθη Λίγεια ἡ Σειρήν· ὡς Λυκόφρων· Λίγεια δ' εἰς Τέρειναν ἐκναυσθλώσεται. ὁ πολίτης, Τεριναῖος. Hoc eſt: *Terina, urbs Italiæ & amnis eodem nomine. illa à Crotonienſibus condita; ut auctor eſt Phlegon. Vocabatur etiam Magna Græcia; ut teſtis eſt Apollonides Nicæenſis, in libro de proverbiis. Quidam verò ipſam ſic dicunt inſulam, in quam fluctibus ejecta fuit Ligea Siren. Lycophron: Ligea in Terinam fluctibus exponetur. Opidanus, Terinæus.* Ad mare fuiſſe ſitam, ſatis manifeſtiſſimo indicio ex eo patet, quòd ab eius vocabulo ingens ſinus, qui nunc à fano Euphemiæ, vulgò dicitur adcolis *Golfo di Santa Euſemia*, olim vocabatur TERINAEVS SINVS; ut auctor Plinius. Placet heic Gabrielis Barrii ſententia; qui eam putat fuiſſe eodem ſitu, quo nunc Nuceria opidum II à mari millibus paſſuum conſpicitur, inter Sabatum & Grandum amneis. Verba eius hæc ſunt: *Nuceria opidum inter Sabatium & Grandum amneis, Terinæ reliquiæ; à mari millia paſſuum* II. *Secus mare Terinæ opidi veſtigia viſuntur. Terinæ locus eminet, rupibus quaquaversùm circumſeptus. Planities eſt ſatis magnæ urbis capax.* Atque ad hunc locum rectè congruunt illa Strabonis verba, dicto lib. VI: Τεμέσης δὲ συνεχὴς Τέρινα· εἶτα Κωνσεντία. Id eſt: *Temeſæ contermina eſt Terina. dein ſequitur Conſentia.* Nempe ſi à Temeſâ ultra Terinam ad ſeptemtriones versùs progrediaris, occurrit à XX millibus paſſuum Conſentia. Alioquin, ſi Terinam versùs auſtrum à Temeſâ loces, falſum erit id de Conſentiâ. Sed & TERINA, ſive LIGEA INSVLA, in quam Sirenem Ligeam Lycophron ejectam fabulatur, Nucerino litori adjacet; vulgari nunc adpellatione *Pietra della nave* dicta. De hac ita Solinus, cap. VIII: *Mox in Brutiis ab Vlyſſe exſtructum templum Minervæ: Inſula, Ligea adpellata, abjecto ibi corpore Sirenis, ita nominatæ.* De hac item ſic Lycophron, in Alexandrâ:

TERINA *ſeu* LIGEA *inſula*, quæ & PETRA & TERINAEVS SCOPVLVS. Item TERINA *urbs*.

Λίγεια δ' εἰς Τέρειναν ἐκναυσθλώσεται,
κλύδωνα χελλύσσουσα. τὴν δὲ ναυβάται
κρόκαισι ταρχύσουσιν ἐν παρακτίαις
Ὠκινάρου δίναισιν ἀγχιτέρμονα.

Λούσ

Λούσει δὲ σῆμα βούκερως νασμοῖς Ἄρης
Ὀρνιθόπαιδος ἴσμα φοιβάζων ποτοῖς.

Hoc eſt:

Ligea verò in Terinam exponetur,
Vndam criſpans. quam nautæ
In arenâ ſepelient litorali,
Ocinari verticibus conterminam.
Abluet autem ſepulcrum corniger Mavors
Semiavis, extergens aquis monimentum.

Ad hæc ita Iſacius: Ὠκιναρὸς ποταμὸς περὶ Τέρειναν, Ἄρης ἤτοι ἰσχυρὸς λεγόμενος, καὶ βούκερως, διὰ τὸ ἠχητικὸν, ὅτι τοὺς ποταμοὺς κερατοφόρους καὶ βουκεφάλους εἰσάγουσιν, ἴσως διὰ τὸ βίαιον καὶ ἠχῶδες καὶ βρυχητικὸν τῶν ῥευμάτων. Ἄρης γὰρ οὐκ ἔστι ποταμὸς περὶ Τέρειναν. Id eſt: *Ocinarus, fluvius Italiæ, apud Terinam; Mars ſive fortis dictus, & corniger; propterea quòd ſonorus. nam fluvios cornigeros & taurinis capitibus fingunt; fortè ob fluentorum violentiam, ſtrepitum atque rugitum. quidpe Mars nullus eſt ad Terinam fluvius.* Idem poëta poſteà:

Οἱ δ' αὖ Τέρειναν, ἔνθα μυδαίνει ποτοῖς
Ὠκίναρος γλῶν, φοῖβον ἐκβράσσων ὕδωρ,
Ἄλῃ κατοικήσουσι κάμνοντες πικρᾷ.

Id eſt:

Alij rurſum Terinam, ubi humectat aquâ
Terram Ocinarus, puram evomens undam,
Incolent, errore gravi fatigati.

A Terinâ igitur inſulâ adpellata eſt VRBS haud procul in proximo litore TERINA, prope ad Ocinarum amnem. Cæterùm, apud Ptolemæum ita legitur: Τέμψα πόλις, Ταυριανὸς σκόπελος, Ἱππωνιάτης κόλπος, Σκύλλαιον ἄκρον, Ῥήγιον. Id eſt: *Tempſa opidum, Taurianus ſcopulus, Hipponiates ſinus, Scyllæum promontorium, Rhegium.* Hunc Taurianum ſcopulum noſtri ſæculi geographi nonnulli putant dictum fuiſſe ab opido Tauriano, Melæ, Plinio ac Tabulæ memorato, inter Metaurum amnem, qui nunc eſt *Marro*, & Scyllæum opidum. At obſervandum erat, eosdem longitudinis & latitudinis gradus, eosdemque ſcrupulos, tribuere ſcopulo iſti ſimul ſinuique Hipponiati, id eſt, Vibonenſi, Ptolemæum. quâ ratione ſcopulus in ipſo locatur ſinu. Ego ex iſtâ vicinitate colligo, aut ipſius Ptolemæi hoc loco eſſe errorem, aut librarii ſaltem mendum. nam haud dubiè LIGEA INSVLA ſive TERINA, quæ nunc etiam vulgò dicitur *Petra*, alio nomine olim dicebatur Τεριναῖος σκόπελος, id eſt, *Terinæus ſcopulus*, maris receſſu relictus in ſicco.

OCINARVS *amnis*, vel *flumen* SABATVM.

OCINARVS *amnis*, ex deſcriptione Lycophronis atque Iſacii nullus alius eſſe poteſt, quàm qui vulgò nunc incolis dicitur *Sávato*. quod ipſum nomen haud novum; ſed jam inde Antonino in Itinerario memoratum; ac fortè ipſi etiam Plinio. Iter apud Antoninum legitur huiusmodi:

Conſentia		*Conſentia*	
ad fluvium Sabbatum	XVIII.	*Ad Sabbatum fluvium*	XVIII.
Ad Turrîs	XVIII.	*Ad Turres*	XVIII.
Ad fluvium Angitulam	XIII.	*Vibona*	XXI.
Nicotera	XXV.	*Nicotera.*	XVIII.

Vocabula hæc amnium & opidorum, præter *Turreis*, omnia etiam nunc exſtant: ut infrà patebit. Apud Plinium, dicto lib. III, cap. V, hæc leguntur: *Laüs amnis fuit & opidum eodem nomine. Ab eo Brutium litus; opidum Blanda; flumen Batum; portus Parthenius, Phocenſium; ſinus Vibonenſis; locus Clampetiæ; opidum Tempſa, à Græcis Temeſe dictum; & Crotonienſium Terina; ſinusque ingens Terinæus; opidum Conſentia. Intus in peninſulâ fluvius Acheron; à quo opidani Acherontini. Hippo; quod nunc Vibonem Valentiam appellamus.* Hæc ita ſatis negligenter atque ſupinè Plinius; ut ferè alia in omni Apuliâ, Calabriâ, Lucaniâ, ac Brutiorum agro: quod nobis jam ſæpiùs notatum. Terinæus ſanè ſinus idem erat & Vibonenſis; ut infrà patebit. Blandam citra Laum amnem Lucanorum fuiſſe opidum; ſuprà oſtenſum eſt. Batum flumen

flumen vehementer ego ſuſpicor ab ipſo Plinio adpellatum fuiſſe *Flumen Sabatum*; ut ſuprà ad Clampetiam dictum. ex quo vocabulo facili librarii lapſu natum illud mutilatum *Batum*: quod & ipſum in nonnullis exemplaribus legitur corruptiùs *Bale*. Sed & apud Antoninum unico *b* legendum cenſeo, *Sabatum*: quandoquidem hodiè etiam nunc vocabulum *Savato* primâ ſyllabâ eſt *a* purum *Sa*, non *Sav*, *Savvato*. Cæterò, ipſum flumen an olim etiam fuerit dictum TERINA, quod tradit Stephanus; ego quidem dubito.

LAMPETIA, vel LAMETIA & LAMETVS, *opidum*.

Poſt Terinam opidum, & Sabatum flumen, fuit *opidum* LAMPETIA; quod & LAMETIA, & LAMETVS dictum. Stephanus: Λαμπέτεια, πόλις Βρεττίας· Πολύβιος τρισκαιδεκάτῳ. τὸ ἐθνικὸν, Λαμπετειάτης, ἢ Λαμπετειανὸς, τῷ ἐπιχωρίῳ τύπῳ· Λαμπετῖνος γὰρ οὐ δύναται εἶναι, διὰ τὴν παράληξιν τῆς διφθόγγου. Id eſt: *Lampetia, urbs Brutiæ; auctore Polybio, lib.* XIII. *gentile, Lampetiates, ſive Lampetianus, patriâ loci formâ. nam Lampetinus eſſe nequit, ob diphthongum, quæ in penultimâ eſt*. Idem auctor anteà: Λαμητῖνοι, πόλις, ἀπὸ Λαμήτου ποταμοῦ; πρὸς Κρότωνα· Ἑκαταῖος Εὐρώπῃ. Ἐκ δὲ Λάμητος ποταμοῦ Λαμητῖνοι. ὁ πολίτης, Λαμητῖνος. Id eſt: *Lametini, urbs, à Lameto fluvio, circa Crotonem. auctor Hecatæus, in Europâ. Ab Lamete fluvio, Lametini. opidanus, Lametinus*. Id mirum, opidum & opidanos uno eodemque vocabulo derivativo adpellatos fuiſſe. Sed Gabriel Barrius in ſuâ Calabriâ ita legit: Λαμητία, πόλις Οἰνώτρων, ἀπὸ Λαμήτου ποταμοῦ. ſic enim Latinè Stephani verba refert: *Lametia, urbs Oenotrorum, à Lameto fluvio dicta*. Quæ utrum ita in aliquo exemplari repererit; an verò ad eum modum ſuprà ſcripta Stephani verba corrigere ei libuerit; equidem neſcio. Idem, ex iſtis Stephani verbis, πρὸς Κρότωνα, colligit, Crotoniatarum quondam urbem eam fuiſſe. Sed id ego in ambiguo reliquerim; quum Stephani verba ſint dubia; ac fortè ſcriptum fuerit, πρὸς Ἱππῶνα; ita ut ex Lycophrone deſumpſiſſe videri poſſit. nam Hippo, clariſſima, ut mox oſtendetur, urbs, haud ita longo intervallo ad eumdem ſinum fuit; vulgò nunc *M. Leone* dicta. [Barrio Lampetia nunc *Cetraro* eſt: Lampete promontorium, *Capo Fella*, VI millia à *Belvedere*; *Blandam* ille per *Belvedere* intelligit. unde Terinæi ſinûs initium. Putat, mendosè legi apud Plinium *Clampetia*.] De cæterò, LAMETVS AMNIS hodieque vulgari vocabulo dicitur *L'Amato fiume*: corrupto per ignorantiam, & longinqui temporis lapſu, vocabulo genuino *Il Lamato*. Sed LAMETIAM eamdem fuiſſe LAMPETIAM; patet ex Lycophronis, poëtæ in primis antiqui, Alexandrâ; ubi hi leguntur verſus:

LAMETVS, *amnis*.

Τῶν Ναυβολείων δ' εἰς Τέμεσσαν ἐκγόνων
Ναῦται καταβλώξουσιν, ἔνθα Λαμπέτης
Ἱππωνίου πρηὼν εἰς Τηθὺν κέρας
Σκληρὸν νένευκεν.

Hoc eſt:

Nauboli poſterorum nautæ
Temeſſam venient; ubi Lampetes
Hipponii montis aſperum cornu
In mare vergit.

Ad hæc ita Iſacius: Λαμπέτης, Ἰταλίας ἀκρωτήριον, περὶ Τέμεσσαν. Ἱππώνιον, ὄρος καὶ πόλις Ἰταλίας. Id eſt: *Lampetes, Italiæ promontorium, circa Temeſſam. Hipponium, mons & urbs Italiæ*. Hodie promontorium iſtud LAMPETES vulgari vocabulo adcolis dicitur *Capo Sovano*: à ſpeculâ Loppâ (de quâ in TEMPSA) III millia diſſitum. Inter hoc & ſuprà dictum flumen Lametum, opidum nunc ſitum eſt, vulgari vocabulo *Santa Eufemia*, id eſt, *Fanum divæ Euphemiæ*. quod ex ſitu colligere licet fuiſſe antiquam illam Lampetiam ſive Lametiam. Idem poëta exiguo pòſt, ita canit:

LAMPETES *promontorium*.

Οἱ δ' αὖ Πελασγῶν ἀμφὶ Μέμβλητος ῥοὰς
Νῆσόν τε Κερνεᾶτιν ἐκπεπλωκότες
Ὑπὲρ πόρον Τυρσηνὸν ἐν Λαμητίαις
Δίναισιν οἰκήσουσι Λευκανῶν πλάκαις.

Hoc eſt:

Alii denique Pelaſgi circa Membletis vada
Et inſulam Corſicam enavigantes,

Vltra

Vltra mare Tyrrhenum in Lametiis
Porticibus Lucanorum tenebunt arva.

Ad hæc Iſaacius: Λάμητος, ὥς φησι Φιλογένης, Ἰταλίας πόλις. Id eſt: *Lametus, ut auctor Philogenes, Italiæ eſt urbs.* At Lycophron heic per δίνας Λαμητίας ipſum intelligit flumen. Hinc vulgaris adpellatio *L'Amato fiume vorticoſo*.

Cæterùm, à Lameto ſive Lametiâ opido ingens ſinus, qui nunc ab eiusdem opidi recentiori nomine vulgò dicitur *Golfo di S. Eufemia*, antiquitus vocabatur LAMETINVS SINVS; Græcè Κόλπος Λαμητῖνος. Quod vocabulum vitiatum legitur apud Ariſtotelem, Λαμητικός. & multo depravatius apud Dionyſium Halicarnaſſenſem, Ναπητῖνος; & apud Strabonem Ναπιτῖνος. Verba Dionyſii, Romanar. antiq. lib. I, ſunt hæc: Ἰταλία δ' ἀνὰ χρόνον ὠνομάσθη ἀπ' ἀνδρὸς δυνατοῦ, ὄνομα Ἰταλοῦ. τοῦτον δέ φησιν Ἀντίοχος ὁ Συρακούσιος ἀγαθὸν καὶ σοφὸν γεγενημένον, καὶ τῶν πλησιοχώρων τοὺς μὲν λόγοις ἀναπείθοντα, τοὺς δὲ βίᾳ προσαγόμενον, ἁπάσαν ὑφ' ἑαυτῷ ποιήσασθαι τὴν γῆν, ὅσα ἐντὸς ἦν τῶν κόλπων τοῦ τε Ναπητίνου καὶ τοῦ Σκυλητίνου. ἣν δὴ πρώτην κληθῆναι Ἰταλίαν, ἐπὶ τοῦ Ἰταλοῦ. Hoc eſt: *Italia verò pòſt, nominata eſt ſub viro præpotente, Italo. Hunc Antiochus Syracuſanus ait bonum & ſapientem fuiſſe; & propinquarum regionum hominibus partim oratione perſvaſis, partim vi coactis, totam eam terram ſub imperium ſuum redegiſſe, quanta patet Napetinum ſinum inter & Scyletinum: eamque primam Italiam vocatam, Itali temporibus.* Strabonis, lib. VI, ſunt iſta, ex eodem Antiocho: Ἔτι δ' ἀνώτερον, Οἰνώτρους τε καὶ Ἰταλοὺς μόνους, ἔφη, καλεῖσθαι, τοὺς ἐντὸς τοῦ ἰσθμοῦ πρὸς τὸν Σικελικὸν κεκλιμένους πορθμόν. ἔστι δ' αὐτὸς ὁ ἰσθμὸς ρ καὶ ξ στάδιοι, μεταξὺ δυοῖν κόλπων, τοῦ τε Ἱππωνιάτου, ὃν Ἀντίοχος Ναπιτῖνον εἴρηκε, καὶ τοῦ Σκυλλητικοῦ. Hoc eſt: *Vetuſtioribus autem temporibus, ait, eos tantùm Oenotros atque Italos fuiſſe adpellatos, qui intra iſthmum ſiti versùs fretum Siculum. Is iſthmus ſtadiorum eſt* CLX *inter duos ſinus: Hipponiatem, quem Napitinum vocavit Antiochus; & Scyllæticum.* Ariſtoteles, πολιτικῶν lib. VII, cap. X, de eâdem re ita ſcribit: Φασὶ γάρ οἱ λόγιοι τῶν ἐκεῖ κατοικούντων, Ἰταλόν τινα γενέσθαι βασιλέα τῆς Οἰνωτρίας, ἀφ' οὗ τό τε ὄνομα μεταβάλλοντας, Ἰταλοὺς ἀντὶ Οἰνωτρῶν κληθῆναι, καὶ τὴν ἀκτὴν ταύτην τῆς Εὐρώπης Ἰταλίαν τοὔνομα λαβεῖν, ὅση τετύχηκε ἐντὸς οὖσα τοῦ κόλπου τοῦ Σκυλλητικοῦ καὶ τοῦ Λαμητικοῦ. ἀπέχει γὰρ ταῦτα ἀπ' ἀλλήλων ὁδὸν ἡμισείας ἡμέρας. Hoc eſt: *Ajunt enim viri docti atque rerum antiquarum periti, qui illic habitant, Italum quemdam Oenotriæ regem fuiſſe; à quo, mutato nomine, Italos pro Oenotris eſſe adpellatos: & hanc Europæ oram, quæ ſinu Scylletico atque Lametico continetur, hoc nomen eſſe conſequutam. diſtant namque hæc loca inter ſe diei dimidii iter.* Vt apud Dionyſium vitiosè Σκυλλητίνου pro Σκυλλητικοῦ; ſic apud Ariſtotelem corruptè Λαμητικοῦ pro Λαμητίνου ſcriptum eſſe à librariis; ex ſuprà dictis fit certum. Eamdem autem rem quum narrent, ex antiquiſſimo ſcriptore Antiocho, Dionyſius atque Strabo; dubium eſſe haud poteſt, quin iisdem etiam uſi ſint vocabulis. nec Ariſtotelem alium habuiſſe auctorem, patet ex his verbis, τῶν ἐκεῖ κατοικούντων, id eſt, *qui illic habitant*: nam Antiochus fuit Syracuſius, teſte ſuprà citato Dionyſio. Quapropter audacter Ναπητίνου & Ναπιτίνου & Λαμητικοῦ, emenda in Λαμητίνου.

Porrò in Tabulâ iter à Tempsâ Vibonem versùs deſcribitur hoc modo:

Temſa	
Tanno fl.	XIII.
Vibona Balentia.	XI.

VIBONA VALENTIA, *vel* HIPPONIVM *colonia.*

VIBONA VALENTIA, urbs hoc tractu celeberrima ſimul atque antiquiſſima, & VIBON, & VIBO VALENTIA, & ſimpliciter VALENTIA; anteà verò HIPPO, ac primò HIPPONIVM, Græcè Ἱππώνιον, dicta fuit. Plutarchus Ἱππωνίαν dicit. Appiano, civil. bell. lib. V, frequens eſt mentio Ἱππωνέως. Martiano Heracleenſi quoque memoratur; Solino item, Diodoro, Ciceroni, Macrobio, Livio. Mela, lib. II, cap. IV: *Hippo, nunc Vibon.* Plinius, lib. III, cap. V: *Hippo; quod nunc Vibonem Valentiam adpellamus.* Strabo, lib. VI: Μετὰ δὲ τὴν Κωνσεντίαν Ἱππώνιον, Λοκρῶν κτίσμα. Βρεττίους δὲ κατέχοντας ἀφείλοντο Ῥωμαῖοι, καὶ μετωνόμασαν Οὐιβῶνα Οὐαλεντίαν. Hoc eſt: *Poſt Conſentiam eſt Hipponium, à Locris conditum. quod, Brutiis ademptum, Romani Vibonam Valentiam nuncupaverunt.* Porrò, apud Diodorum, lib. XVI, de Brutiis, Græcos ex urbibus ſuis expellentibus, hæc leguntur: Καὶ πρῶτον μὲν Τέριναν

πόλιν

πόλιν ἐμπολιορκήσαντες διήρπασαν· ἔπειτ' Ἀρπώνιον καὶ Θουρίους, καὶ πολλὰς ἄλλας χειρωσάμενοι, κοινὴν πολιτείαν συνέθεντο. Id eſt: *Ac primùm quidem Terinam urbem expugnatam diripuerunt. mox Arponio Thuriiſque & compluribus aliis in ſuam poteſtatem redactis, propriam ſibi rempublicam conſtituerunt.* In aliis legitur exemplaribus, ἔπειτα Ταρπώνιον. ſed legendum, ἔπειτα Ἱππώνιον; cùm propinquitas, quæ fuit inter Terinam & Hipponium, tum ipſa huius urbis celebritas, teſtatur. Itidem apud Ptolemæum quoque eiusdem urbis poſterius nomen depravatum legitur: Οὐϊῶν Οὐαλεντία, pro, Οὐΐβων Οὐαλεντία. Cæterò, OPIDANI ab Hipponio Græcis fuêre Ἱππωνιάται, HIPPONIATAE. at Romanis à Vibonâ ſeu Vibone VIBONENSES: & à Valentiâ VALENTINI. Stephanus: Τὸ ἐθνικὸν, Ἱππωνιάτης· τοῦτο δὲ τὸ ἐθνικὸν ὡς ἀπὸ τῆς Ἱππωνία. ἀπὸ γὰρ τοῦ Ἱππώνιον ἔδει Ἱππώνιος, ἢ Ἱππωνιεύς. Hoc eſt: *Gentile eſt, Hipponiates. hoc autem ſic formatum, veluti ab Hipponiâ. quidpe ab Hipponium debebat eſſe Hipponius ſive Hipponienſis.* Sed SITVS HIPPONII ſive VIBONIS VALENTIAE erat indicandus. Is maximè ex Itinerariis patebit: quæ ita habent:

Antonini:		Antonini:		Tabulæ:	
Conſentia		*Conſentia*			
ad fluvium Sabbatum	XVIII.	*Ad Sabbatum fluvium*	XVIII.	*Temſa*	
Ad Turrîs	XVIII.	*Ad Turres*	XVIII.	*Tanno fl.*	XIII.
Ad fluvium Angitulam	XIII.	*Vibona*	XXI.	*Vibona*	XI.
Nicotera	XXV.	*Nicotera*	XVIII.		

Flumen Angitula hodieque vulgò adcolis dicitur *Angitola*. In Tabulâ, ſuprà vocabulum *Tanno*, nomen loci eſt *Annicia*; à quo itineris linea ducta; & hinc *Vibonem*, illinc ad locum cui nomen *Aque Ange*, adſcriptum; numerus autem hoc intervallo VIII millium. Ego conjecerim, ſcriptum ab auctore fuiſſe dicti fluminis nomen *Angitia*, &, *Aquæ Angitiæ*; quæ nunc vulgò dicuntur *Acqua della fico*. Nicotera quoque *opidum*, vocabulum antiquum etiam nunc eisdem literis retinet. [Leander & Mercator habent vocabulum *Nicodro*.] Non in ipſo litore fuiſſe HIPPONIVM; patet ex eo, quòd navale ei exſtruxerit Agathocles, Siciliæ rex. Strabo, ſuprà dicto loco: Ἔχει δὲ ἐπίνειον. ὃ κατεσκεύασέ ποτε Ἀγαθοκλῆς, ὁ τύραννος τῶν Σικελιωτῶν, κρατήσας τῆς πόλεως. Hoc eſt: *Habet navale: quod olim Agathocles, Siculorum tyrannus exſtruxit, quum potiretur urbe.* Hoc etiamnum ipſius urbis antiquo nomine vocatur *Bivona*. Malè ergo Leander *Bivonam* Hipponium eſſe putat; præſertim cùm & Procopius, *Bevonam*, locum ab Hipponio diverſum, prodat. Barrius Hipponio vulgarem adpellationem rectiùs tribuit *M. Leone*. Cæterùm, COLONIAM fuiſſe factam Romanorum; docent Livius atque Paterculus. quorum hic lib. I: *Torquato Sempronioque coſſ. Brundiſium colonis occupatum. & poſt triennium Spoletium. poſt biennium deducta Valentia. &, ſub adventum in Italiam Hannibalis, Cremona atque Placentia.* Conſulatum geſsêre T. Manlius Torquatus Atticus & C. Sempronius Blæſus anno urbis IↃIX. At Livius, lib. XXXV, annis LI pòſt, L. Quintio Flaminio & Cn. Domitio Aenobarbo coſſ. id factum refert, his verbis: *Eodem hoc anno Vibonem colonia deducta ex ſenatusconſulto plebisque ſcito. Tria millia & ſeptingenti pedites ierunt; trecenti equites. Brutiorum proximè fuerat ager. Brutii ceperant de Græcis.* Appianus etiam, COLONIAM deſtinatam eſſe à triumviris Hipponium, civil. bellor. lib. IV docet; ibidemque inter præcipuas Italiæ urbeis recenſet. Eadem urbs MVNICIPIVM vocatur à Cicerone, in oratione in Verrem ultimâ. *Ipſis*, inquit, *Valentinis, ex tam illuſtri nobilique municipio, tantis de rebus reſponſum nullum dediſti.* Etiam poſterioribus fuiſſe celebrem locum temporibus, patet ex eo, quòd in Tabulâ primariæ urbis ſignum nomini ejus adpoſitum eſt. Cæterùm, SINVS, qui ab Terinâ erat *Terinæus*; & ab Lametiâ *Lametinus*; idem ab Hipponio Straboni, dicto lib. VI, atque Ptolemæo, dicitur Ἱππωνιάτης κόλπος, id eſt, HIPPONIATES ſinus; & à Vibone Ciceroni, ad Attic. lib. XVI, epiſt. VI; & Plinio, dicto lib. III, cap. V, VIBONENSIS ſinus.

Cæterùm, *Contra Vibonem*, inquit Plinius, lib. III, cap. VII, *ſunt inſulæ parvæ, quæ vocantur* ITHACESIAE; *Vlyſſis ſpecula.* Hæ Solino etiam, atque Martiano Capellæ commemorantur. ITHACESIAE *inſulæ.*

PORTVS PARTHENIVS.

Iam verò, quis ille fuerit PORTVS PARTHENIVS Phocenſium, inter Sabatum flumen & ſinum Vibonenſem à Plinio locatus, difficile fuerit diſpicere. incertum quidpe, an rectè eo ſitu ab eo ſit locatus; an verò heic etiam, ut in aliis, ordo verus ſit turbatus. Solinus equidem illius quoque meminit, eumque à Phocenſibus ait eſſe conditum.

PORTVS HERCVLIS.

Porrò, Vibonem Valentiam, ſive eius navale, proximè in litore ſubſequebatur PORTVS HERCVLIS. Plinius, lib. III, cap. V. *Hippo; quod nunc Vibonem Valentiam adpellamus. Portus Herculis; Metaurus amnis* Strabo, dicto lib. VI; poſtquàm Vibonem ac eius navale recenſuit: Ἐντεῦθεν δ᾽ ἐπὶ τὸν Ἡρακλέους λιμένα πλέουσιν, ἄρχει τοῦ ἐπιστρέφειν τὰ ἄκρα τῆς Ἰταλίας, τὰ πρὸς τῷ πορθμῷ, πρὸς τὴν ἑσπέραν. ἐν δὲ τῷ παράπλῳ τούτῳ Μέδαμα πόλις Λοκρῶν τῶν αὐτῶν, [καὶ] ὁμώνυμος κρήνη μεγάλη, πλησίον ἔχουσα ἐπίνειον, καλούμενον Ἐμπόριον. ἐγγὺς δὲ Μέταυρος ποταμὸς, καὶ ὕφορμος ὁμώνυμος. Id eſt: *Hinc ad portum Herculis navigantibus, extrema Italiæ, versùs fretum ſita, incipiunt ſeſe in occidentem inflectere. Eo in litore eſt Medama urbs, eorumdem Locrorum; eiusdemque nominis fons magnus. habetque vicinum navale, cui Emporium nomen. Haud procul eſt & Metaurus amnis: eodemque nomine ſtatio navium.*

METAVRVS *amnis, & opidum.*

METAVRVS *amnis* hodieque antiquo vocabulo, niſi quòd depravato, vocatur *Marro fiume*. Stephanus Μάταυρος habet. METAVRVM *opidum* Solino memoratur; Melæ item, lib. II, cap. IV. *Rhegium*, inquit, *Scylla, Taurianum, & Metaurum. Hinc in Tuſcum mare deflexus eſt, & eiusdem terræ Italiæ latus alterum. Terina, Hippo.*

MEDAMA, *opidum*, vel MEDMA.

MEDAMA, Μέδαμα, *opidum* Hecatæo dictum fuit Μέδμη, MEDME, ſive MEDMA, teſte Stephano; qui & Μέσμα habet. Memoratur quoque Martiano Heracleenſi, corruptè Μέδνα. Apud Plinium dicto loco ita habetur: *Hippo; portus Herculis; Metaurus amnis; Tauroentum opidum; portus Oreſtis; & Medua.* Vt vocabulum *Tauroentum*, quod mox infrà patebit, vitioſum eſt, ab genuino *Taurianum*; ſic haud dubiè vox *Medua* quoque depravata eſt ex *Medma*. nam etiam nonnulla vetera exemplaria habent *Taurianum*, & *Mednia*; quod propiùs accedit ad formam literæ *m*. Plinium autem omnem huius Brutii litoris ordinem turbaſſe, iam dudum patuit. Strabonis vocabulum Μέδαμα eſſe ſingularis numeri, ac fœminini generis, quemadmodum Μέδμη Hecatæi; ex ſequentibus liquet, quæ ſunt huiusmodi: Πλησίον γάρ ἐστι καὶ ἡ Καινὺς, διέχουσα τῆς Μεδάμης σταδίους ν καὶ σ. Id eſt: *Propè enim eſt & Cænys, ſtadia* CCL *à Medamâ diſſita*. Id eſt: millia XXXI paſſus CCL. Verùm numerus hic apud Strabonem conſtare non videtur; nam à CAENY promontorio, quod Peloro Siciliæ promontorio eſt objectum, millia tot ſi versùs Lucaniam progrediaris, in ipſius Tempſæ incideris ſitum. Cæterùm eſt hodieque fons magnus, an veriùs propemodùm lacus exiguus, haud procul lævâ ripâ fluvii cui nomen vulgare *Méſuna*. Ad huius oſtium,

EMPORIVM *navale.*

dictâ lævâ ripâ, haud dubiè fuit dicti opidi Medamæ *navale*, illud EMPORIVM; [*Bagnara* margini adſcripſerat auctor, ex Calendario ſuo itinerario. quod diſtat à Scyllæo opido VI millia paſſuum.] Ipſum opidum MEDMA ſive MEDAMA, eodem fuerit loco, quo nunc opidum conſpicitur, medio ſitum inter dictos fontem & amnem, vulgari vocabulo *Roſſarno* adpellatum; diſpiciendum. Barrius *Nicoteram* ait eſſe Medmam; & *Roſarnum* eſſe ad Metaurum. Denique, Scylacis corruptiſſima verba, etiam circa hunc locum, ſuprà jam, cap. XIII, in finibus Lucaniæ emendavi. Ibi namque pro Μέσα legendum eſſe Μέδμα; ordo reliquorum opidorum tum apud eumdem, tum apud Martianum Heracleenſem etiam, apertè oſtendit. Sic quidpe hic:

Ἑλληνικὰς οὖν παραθαλαττίους ἔχει
Πόλεις, Τέριναν πρῶτον, ἣν ἀπῴκισαν
Κροτωνιᾶται πρότερον· ὡς οἱ πλησίον
Ἱππώνιον καὶ Μέδμαν ᾤκισαν Λοκροί.
Εἶτ᾽ εἰσὶ Ῥηγῖνοι, πόλις τε Ῥήγιον.

Id eſt:

Græcas propterea maritimas habet
Vrbeis, primùm Terinam, coloniam
Crotoniatarum primùm; prope quam

Hipponium eſt, & Medma, à Locris deducta.
Hinc Rhegini ſunt, opidumve Rhegium.

Heic etiam in vulgatis exemplaribus corrupta vox legitur Μέδναν pro Μέδμαν.

Porrò, Metaurum opidum & flumen ſequebatur opidum TAVRIANA, ſive TAVRIANVM; Melæ ac Plinio jam citatis, Solino item ac Tabulæ memoratum. TAVRIANVM, *opidum.* Apud Strabonem, lib. V, hæc leguntur: Ἀπὸ δὲ τοῦ Μεταύρου ποταμοῦ Μέταυρος ἕτερος. . . . . ἐκδέχεται δ᾽ ἐντεῦθεν τὸ Σκύλλαιον. Id eſt: *A Metauro amne, Metaurus alius. Hinc ſequitur proximè Scyllæum.* Hic locus partim corruptus, partim mutilatus eſt. nam, quid hoc, quòd duo inter ſeſe contermini nominentur Metauri amnes; quorum alter nemini alii ſcriptori umquam memoratus? Deeſſe quædam poſt vocem ἕτερος; etiam aliis ante me perſpectum eſt commentatoribus. Ego ſic reſtituerim: Ἀπὸ δὲ τοῦ Μεταύρου ποταμοῦ ποταμὸς ἕτερος Κραταιΐς, καὶ ἡ Ταυριανὰ ἐστὶ πόλις. ἐκδέχεται δ᾽ ἐντεῦθεν τὸ Σκύλλαιον. Hoc eſt: *Poſt Metaurum amnem, amnis eſt alius, Cratæis, & urbs Tauriana. Hinc proximè ſubſequitur Scyllæum.* Sic enim Solinus, cap. VIII: *Scyllæa regio, cum Scyllæo opido, & Cratæide flumine, Scyllæ matre; ut vetuſtas fabulata eſt.* Et Martianus Capella; lib. VI: *Cætera Italiæ memoranda nec poëtæ tacent: ut Scyllæum opidum cum Cratæide flumine, quæ Scyllæ mater fuit.* Idem Plinius, dicto lib. III, cap. V: *Metaurus amnis; Taurianum opidum; portus Oreſtis; & Medma; opidum Scyllæum; Cratæis fluvius, mater, ut dixêre, Scyllæ; dein columna Rhegina; Siculum fretum; ac duo adverſa promontoria, ex Italiâ Cænys, ex Sicilia Pelorum.* Nec obſtiterit, quòd Plinius Cratæin Scyllæo poſtponit; quidpe omnem eum turbaſſe Brutii litoris ordinem, jam ſæpiùs antè patuit. tum, Columnam quoque Rheginam præpoſtero ordine ante fretum & promontorium Cænym nominatam eſſe, quoque adparebit. Cæterùm, Tabula iter habet tale:

Vibona Balentia	
Tauriana	XXIIII.
Arciade	XII.
. . . .	XII.
Regio	XVII.

Ex poſitu inter Scyllam ſive Scyllæum opidum & Metaurum amnem; item ex intervallo XXIIII milium, Taurianum ſive Tauriana deprehenditur fuiſſe circa opidum, cui competit unum ex his vulgaribus vocabulis, *Seminara, S. Elia, Palma.* Barrius equidem, huius opidi veſtigia exſtare aſſerit prope opidum, quod vulgò *Parma*, ſive, variante incolarum dialecto, *Palma*, vocatur. Haud poſtremi olim fuiſſe momenti, adparet ex eo, quòd tot ſimul antiquis memoratum fuit auctoribus: ſed maximè inde, quòd poſtmodò ſub Chriſtianis epiſcopos ſuos habuit.

PORTVS ORESTIS utrùm citra Metaurum & Medamam fuerit, an verò ultra hanc inter Taurianum & Scyllæum; incertum planè eſt: quando in Medamæ ſitu Plinius erravit. PORTVS ORESTIS. Copulativa ſanè particula &, quæ eſt in his verbis, *Portus Oreſtis & Medma*, penè me inducunt, uti credam, eſſe eumdem locum, qui *navale* Straboni dicitur *Medamæ*, proprio nomine *Emporium*; verbis antè ad *Portum Herculis* perſcriptis. certi tamen, quod ſtatuam, nihil habeo.

SCYLLAEVM *opidum* nomen habuit à SCYLLA; quæ ſaxum ſive ſcopulus eſt ad ipſum fretum Siculum. SCYLLAEVM, *opidum.* Quapropter vitiatum eius eſt vocabulum apud Ptolemæum, unico λ, Σκύλαιον. Strabo & lib. I, & lib. VI, *Saxi Scyllæi* tantùm meminit: unde patet, id ipſum ſaxum fuiſſe Scyllam; & in ipſo Scyllæ ſcopuli iſthmo ſive cervice fuiſſe Scyllæum opidum. Atque hinc factum, quòd Plinius, Solinus & Martianus Capella, in recenſendis Brutii litoris dictis locis, nullam nominavêre *Scyllam*. Mela contrà, nullum retulit *opidum Scyllæum*, ſed *Scyllam* tantùm. *Rhegium*, inquit, *Scylla, Taurianum, & Metaurum.* Opidum id hodieque vocatur vulgò *Sciglio.* Cæterùm SCYLLAE fabulam celebratiſſimam, ab auctoribus, Homero, Virgilio, Ovidio, Pauſaniâ, Euripidis ſcholiaſte Hippolyto, Hygino, Servio, aliiſque prolixè perſcriptam, brevitatis ſtudio heic præterimus. Ipſe locus, & deſcriptio illius, aliis quoque compluribus memoratur; præcipuè verò Straboni, Plinio, Ariſtoteli, Iuſtino, Solino, Martiano Capellæ, Melæ, Lycophroni, Iſidoro, Procopio, Lucretio, Statio, Senecæ, Ciceroni, Apollodoro. Strabo lib. VI: Ἀπὸ δὲ τοῦ Μεταύρου ποταμοῦ Μέταυ-

ῥος ἕτερος. . . . . . Ἐκδέχεται δ᾽ ἐντεῦθεν τὸ Σκύλλαιον, πέτρα χερρονησίζουσα, ὑψηλή, τὸν ἰσθμὸν ἀμφίδυμον καὶ ταπεινὸν ἔχουσα, ὃν Ἀναξίλαος, ὁ τύραννος τῶν Ῥηγίνων, ἐπετείχισε, τοῖς Τυρρηνοῖς κατασκευάσας ναύσταθμον· καὶ ἀφείλετο τοὺς λῃστὰς τὸν διὰ τοῦ πορθμοῦ διάπλουν. Id eſt: *A Metauro flumine flumen aliud. . . . . Hinc ſubſequitur Scyllæum, ſaxum ſublime, ac mari penè cinctum, continenti junctum humili & utrimque adpulſui navium opertuno iſthmo; quem Anaxilaus, Rheginorum tyrannus, adversùm Tuſcos communivit; ac navium ſtationem effecit; prædonesque freti trajectu prohibuit.* Seneca, epiſt. LXXIX: *Exſpecto epiſtolas tuas; quibus mihi indices, circumitus Siciliæ totius quid tibi novi oſtenderit; & omnia de ipſâ Charybdi certiora. nam Scyllam ſaxum eſſe, & quidem non terribile navigantibus; optimè ſcio.* Fortè ſi intra arcûs jaculatum, ut innuit poëta, naveis non acceſſerint. alioquin, gravi exoriente tempeſtate, periculum abeſſe nequit.

CRATHAEIS *fluvius.*

CRATHAEIS *fluvius* is eſt, qui ſub ipſo Scyllæ ſcopulo atque opido à ſeptemtrionali eorum latere in mare ſeſe effundit. Apud Servium bis legitur vitiatum vocabulum *Cretheidis*, pro *Crathæidis*.

PROMONTORIVM SCYLLAEVM, *vel* CAENYS.

Poſt Scyllam ſcopulum & opidum Scyllæum proximè ſequitur à IV millibus paſſuum PROMONTORIVM ad ipſius freti anguſtias, quod SCYLLAEVM Hecatæo ac Ptolemæo; Straboni verò atque Plinio Καινύς, CAENYS, vocatur. vulgò nunc eſt *Coda della volpe*. Strabo verbis proximis hæc attexit: Πλησίον γάρ ἐστι καὶ Καινύς, διέχουσα τῆς Μεδάμης σταδίους πεντήκοντα καὶ διακοσίους, ἡ τελευταία ποιοῦσα τὰ ἄκρα στενὰ τοῦ πορθμοῦ πρὸς τὴν ἐκ τῆς Σικελίας ἄκραν τὴν Πελωρίδα. [lege Πελωριάδα. ſic Polybius & Stephanus; ſic & ipſe infrà Strabo.] ἔστι δ᾽ αὕτη μία τῶν τριῶν τῶν ποιουσῶν τρίγωνον τὴν νῆσον. νεύει δ᾽ ἐπὶ θερινὰς ἀνατολάς, καθάπερ καὶ ἡ Καινὺς πρὸς τὴν ἑσπέραν, ἀντιστροφήν τινα ἀφ᾽ ἀλλήλων ποιουμένων αὐτῶν. Hoc eſt: *Prope enim & Cænys eſt, diſtans à Medamâ ſtadia* CCL; *quæ ultima fauceis freti coarctat ex adverſo Peloriadis, ex Siciliâ eò porrecti promontorii. hoc quidpe unum ex tribus eſt promontoriis, quæ Siciliam faciunt triquetram. Obvertitur autem ortui æſtivo; ſicut Cænys occaſui. quo fit, ut ab ſe invicem avertantur.* Stephanus, neſcio, quo auctore falsò acceperit, Cænyn eſſe inſulam. Καινύς, inquit, νῆσος πλησίον Πελωριάδος τῆς κατὰ Σικελίαν ἄκρας, πρὸς δύσιν νεύουσα. Hoc eſt: *Cænys, inſula prope Peloriadem Siciliæ promontorium, in occaſum vergens.* Sed, quid hoc eſt, νῆσος πρὸς δύσιν νεύουσα; Certè, aut ipſe hoc Stephanus oſcitanter è Strabone transſcripſit; aut exſcriptor eius imperitus & malè curioſus vocabulum ἄκρα in νῆσος permutavit. Errant prætereà noſtri ſæculi ſcriptores, idem promontorium Polybio arbitrantes adpellari τὰς Στήλας. quum hic locus in ipsâ fuerit Siciliâ prope Pelorum; ut ſuo loco oſtenditur.

BALARVS & ABALA, *portus.*

Inter portum Oreſtis & Scyllæum fuit PORTVS BALARVS, uni Appiano, bell. civil. lib. IV, memoratus. Τούτων, inquit, ὁ Καῖσαρ ἐπήκοος ὤν, ἔπεμπε Σαλουϊδιηνὸν ἐπὶ νεῶν στόλου, Πομπήϊον ὡς εὐχερὲς ἔργον ἐξελεῖν παραπλέοντα· καὶ αὐτὸς ᾔει διὰ τῆς Ἰταλίας, ὡς αὐτῷ Σαλουϊδιηνῷ συμβολήσων περὶ Ῥήγιον. Σαλουϊδιηνῷ δ᾽ ὁ Πομπήϊος ἀπαντᾷ μεγάλῳ στόλῳ· καὶ περὶ τοῦ πορθμοῦ ναυμαχίας ἀμφὶ τὸ Σκύλαιον αὐτοῖς γενομένης, αἱ μὲν τοῦ Πομπηΐου νῆες κουφότεραί τε οὖσαι, καὶ ναυτικωτέρων ἀνδρῶν ταχυτῆτι καὶ ἐμπειρίᾳ προὖχον· αἱ δὲ Ῥωμαίων, ἅτε βαρύτεραι καὶ μείζους, ἐμόχθουν. ὡς δ᾽ ὁ συνήθης τοῦ πορθμοῦ κλύδων ἐπεγίγνετο, καὶ διεσπᾶτο ἡ θάλασσα ἐφ᾽ ἑκάτερα ὑπὸ τοῦ ῥοῦ, οἱ μὲν ἧσσον ἐμόχθουν ὑπὸ ἔθους τε καὶ κλύδωνος. οἱ δ᾽ ἀμφὶ τὸν Σαλουϊδιηνὸν οὔτε ἑστῶτες βεβαίως ὑπὸ ἀηθείας, οὔτε τὰς κώπας ἔτι ἀναφέρειν δυνάμενοι, οὔτε τὰ πηδάλια ἔχοντες εὐπειθῆ, συνεταράσσοντο· ὥστε κλίνοντες ἐς δείλην ἑσπέραν ἤδη τοῦ θεοῦ, πρότερος ὁ Σαλουϊδιηνὸς ἀνεκάλει· ὑπεχώρει δὲ καὶ ὁ Πομπήϊος. νῆες δ᾽ ἑκατέρων ἴσαι διεφθάρατο. καὶ τὰς λοιπὰς λελωβημένας τε καὶ πεπονημένας ὁ Σαλουϊδιηνὸς ἐπεσκεύαζεν, ὑποχωρήσας ἐς λιμένα περὶ τοῦ πορθμοῦ Βαλαρόν. Hoc eſt: *Quibus auditis Cæſar, miſit Salvidienum cum claſſe, quaſi obiter debellaturum Pompeianos. ipſe per Italiam iter fecit, occurſurus illi ad Rhegium. Pompeius autem hoſti obviam cum magnâ claſſe profectus eſt; ita ut in aditu freti circa Scyllam naves concurrerent: Pompeianæ agiliores & meliùs inſtructæ ſociis navalibus: Romanæ graviores & majores; eoque impeditiores. Huc accedebat ſolita eius freti fluctuatio, reciprocantibus undis, & asſvetos minùs quàm alteros turbantibus. nam Salvidieni milites nec in veſtigio firmiter hærere, ut in re inſolitâ, nec remis uti poterant, nec clavos moderari pro arbitrio. quâ re turbati, ſub veſperam demum, ſigno audito, ſe receperunt priores. mox & Pompeius receptui cecinit. Navium amiſſarum utrique par fuit numerus. laceras ac fatiſcentes Salvidienus reſarciit, ſubductas in portum freto proximum, nomine Balarum.* An ſit illi vulgaris adpellatio *Tropéa*,

videri

videri poſſit. Eidem Appiano, civil. lib. v, portus Abala eſt, inter Siciliam & Coccynum promontorium alicubi; quod Coccynum Ortelius ſuſpicatur eſſe Cocintum. Vnde veriſimile fit, eumdem eſſe cum Balaro portum.

Porrò, trans promontorium Cænyn, ad ıɔccl paſſus, fuit in litore Colvmna Rhegina, Græcis Ποσιδώνιον, Posidonivm, id eſt, ſi Latinè vertas, Neptvnivm, dicta. Strabo, loco proximo: Ἀπὸ δὲ Καινύος μέχρι τοῦ Ποσιδωνίου, τῆς Ῥηγίνων στηλίδος, τοῦ πορθμοῦ διήκει στενωπὸς ὅσον ἑξαστάδιος, μικρῷ δὲ πλέον τὸ ἐλάχιστον διάπεραμα. ἀπὸ δὲ στηλίδος ἑκατὸν εἰς Ῥήγιον, ἤδη τοῦ πορθμοῦ πλατυνομένου, προϊοῦσι πρὸς τὴν ἔξω καὶ πρὸς ἕω θάλατταν τὴν τοῦ Σικελικοῦ πελάγους καλουμένου. Hoc eſt: *A Cæny usque ad Poſidonium, quæ columna eſt Rheginorum, freti anguſtus protenditur meatus, ſex circiter ſtadiorum longitudine: paullo verò longior eſt breviſſimus trajectus. A Columna porrò Rhegium usque* c *ſunt ſtadia, freto jam dilatato, quà ad externum navigatur mare, quod orientem ſpectans Siculum vocatur.* Et eodem libro poſteà, in deſcriptione Siciliæ: Τὸ δὲ σχῆμα διορίζουσι τρεῖς ἄκραι. Πελωριὰς μὲν ἡ πρὸς τὴν Καινὺν καὶ τὴν στηλίδα [καὶ, mendosè heic inſertum eſt] τὴν Ῥηγίνων ποιοῦσα τὸν πορθμόν. Id eſt: *Figuram eius tria definiunt promontoria. Pelorias; quo versùs Cænyn & Rheginorum Columnam fretum includitur.* Verùm paullo longiorem ἑξασταδίου iſthic τὸν στενωπὸν τοῦ πορθμοῦ, id eſt, *quàm* vi *ſtadiorum, anguſtias freti* facit lib. v: & lib. ii eaſdem facit vii ſtadiorum. Τὸ δ' ἑῷον, inquit, τοῦ πελάγους πλευρὸν ἡ Σικελία ἐστὶ, καὶ οἱ ἑκατέρωθεν αὐτῆς πορθμοὶ, ὁ μὲν πρὸς τῇ Ἰταλίᾳ ἑπτὰ σταδίοις, ὁ δὲ πρὸς τῇ Καρχηδόνι χιλίων καὶ πεντακοσίων σταδίων. ἡ δ' ἀπὸ τῶν στηλῶν ἐπὶ τὸ ἑπταστάδιον γραμμὴ μέρος μέν ἐστι τῆς ἐπὶ Ῥόδον καὶ τὸν Ταῦρον. Hoc eſt: *Orientale huius maris latus eſt Sicilia, & freta ab utrâque eius parte; quorum alterum ad Italiam* vii *eſt ſtadiorum, alterum ad Carthaginem* cıɔıɔ. *Cæterùm, linea, quæ ab Herculis Columnis ad fretum* vii *ſtadiorum ducitur, pars eſt lineæ ad Rhodum & Taurum inde pertinentis.* Sic equidem cuncta exemplaria habent. At, cur ipſe Strabo primùm dativo caſu uſus ſit, σταδίοις, mox verò genitivo, σταδίων; item cur eam vocem repetierit, quum ſemel eam poſuiſſe ſufficeret; equidem rationem nullam video. adde, quòd vox paullo pòſt ſequens, τὸ ἑπταστάδιον; tum & illa lib. vi, ἑξαστάδιος; ſatis aperto indicio docent, ubique legendum eſſe aut ἑπταστάδιος aut ἑξαστάδιος. quæ vox ἑξαστάδιος niſi & ipſa mendoſa ſit pro ἑπταστάδιος; certè auctor memoriâ in ἑπταστάδιος heic lapſus eſt. quamvis ab ipſo hæc habuiſſe videatur Apollonii ſcholiaſtes, ad Ἀργοναυτικῶν lib. iiii: Ἡ Σικελία ἀντικρὺ κεῖται τῆς Ἰταλίας. ἔστι δὲ τούτων μέσος ὁ πορθμὸς, διέχων σταδίους ἑπτὰ ἀπὸ Σικελίας εἰς Ἰταλίαν. Hoc eſt: *Italiæ ex adverſo Sicilia poſita eſt. fretum verò, quod heic intermedium eſt, ſtadia* vii *à Siciliâ Italiam verſus protenditur.* Cæterùm, Plinius ita ſcribit, lib. iii, cap. v: *Promontorium Palinurum. à quo, ſinu recedente, trajectus ad Columnam Rhegiam* c *millia paſſuum.* Et paullo pòſt: *Opidum Scyllæum; Crathæis fluvius, mater, ut dixêre Scyllæ. dein Columna Rhegia; Siculum fretum; ac duo adverſa promontoria; ex Italiâ Cænys, ex Siciliâ Pelorum,* xii *ſtadiorum intervallo. unde Rhegium,* xii cıɔ ıɔ *paſſus.* Scilicet à Columnâ. Idem Plinius, eodem libro, cap. viii, de Siciliâ: *Quomdam Brutio agro cohærens; mox interfuſo mari avulſa,* xii *millia* [in] *longitudinem freto, in latitudinem autem* m ıɔ *paſſus, juxta Columnam Rheginam.* Idem & Polybius tradit, lib. i. Τὸ δ' εἰς ἄρκτους (inquit) κεκλιμένον τῆς Σικελίας ἀκρωτήριον ὁρίζει μὲν τοῦ πορθμοῦ τὸ πρὸς δύσιν μέρος. ἀπέχει δὲ τῆς Ἰταλίας ὡς δέκα δύο στάδια. προσαγορεύεται δὲ Πελωριάς. Id eſt: *Quod autem ad ſeptemtriones vergit Siciliæ promontorium, fretum ab occaſu terminans, diſtansque ab Italiâ ad* xii *ſtadia, Pelorias dicitur.* Duodecim ſtadia ſunt cıɔ ıɔ paſſus. Obſervandum prætereà, quòd apud Plinium Columnæ cognomen vitiatum legitur, *Rhegia,* pro *Rhegina;* quod patet ex ſuprà ſcriptis Strabonis verbis, cui eſt στηλὶς ſive (ut alia habent exemplaria) στυλὶς τῶν Ῥηγίνων, id eſt, *Cippus* ſeu *Columna Rheginorum.* Apud Melam etiam peiùs legitur *Columna regia;* quum ipſum opidi vocabulum proximè adſcriptum ſit, *Rhegium.* Meminit ejus Columnæ Appianus quoque, Bell. civil. lib. v, de Octavio Cæſare loquens, à Tarento per Siculum fretum ad Cumas tendente. Antonino denique memoratur eadem. Vestigivm huius Colvmnae hodiè nullum exſtat. in mediterraneo tamen ad tria circiter millia paſſuum à dicto litore, opidulum, vulgò *Calanna* dictum, antiquæ illius Columnæ nomen, quamvis depravatum, memoriamque ferre videtur. Colvmnam Rheginam in limitem fuiſſe poſitam, (uti Strabo docet, lib. iii, de Herculis columnis ad fretum Gaditanum diſſerens,) ego dubito. quandoquidem inter Italiam ſive Rheginorum agrum, & Siciliam ſive Zanclæorum, qui poſteà fuêre Meſſenii, agrum, certior diſertiorque erat terminus ipſum fretum. Notas

Colvmna Rhegina, *vel* Posidonivm.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

fuiſſe & indicia trajectus ex Italiâ in Siciliam, & ex inſulâ in continentem; multò credibilius erat. namque à Columnâ trajeciſſe ad Peloriadem ſive Pelori turrim, qui Siciliam ex Italiâ petebant, patet ex Antonini itinerario. Cæterò, eadem COLVMNA RHEGINA in antiquâ lapidis inſcriptione vocatur STATVA. Inſcriptio inſerta parieti cuiuſdam cauponæ Pollæ opiduli, talis eſt:

VIAM·FECEI·AB·REGIO·AD·CAPVAM·ET·IN·EA·VIA·
PONTEIS·OMNEIS·MEILLIARIOS·TABELLARIOSQVE·
POSEIVEI·HINCCE·SVNT·NVCERIAM·
MEILIA·LI·CAPVAM·XXCIV·MVRANVM·LXX·
IIII·CONSENTIAM·CXXIII·VALENTIAM·CLXXX.
AD·FRETVM·AD·STATVAM·CCXXXII·REGIVM·
CCXXVII·SVMA·AF.CAPVAM·REGIVM·
MEILIA·CCCXXI·

Ex hac etiam inſcriptione, licet alioquin ſatis ineptâ, perſpicitur, Columnam ſive Statuam Rheginam ad freti anguſtias, id eſt, propè promontorium Cænyn, fuiſſe poſitam.

RHEGIVM opidum.

Poſt Columnam Rheginam ipſum ſequitur Rhegium opidum, cognomine IVLIVM. ut apud Ptolemæum: Σκύλλαιον ἄκρον, Ῥήγιον Ἰούλιον, Λευκόπετρα ἄκρα. Id eſt: *Scyllæum promontorium, Rhegium Iulium, Leucopetra promontorium*. Vulgò nunc incolis, & elegantiùs loquentibus, *Reggio* vocitatur. Mela adverſo itinere incedens; lib. II, cap. IV: *Columna Rhegina, Rhegium, Scylla*. Malè Rhegium inter Columnam & Scyllam; quum Columna fuerit inter Scyllam & Rhegium. Barrius: *Rhegium inter Lubonem & Calopinacum amnes*. [Horum hic à meridie eſt.] *Poſt Calopinacum Agatha amnis excurrit. inde eſt Leucopetra portus, à Rhegio millia paſſuum* V. *ſuprà eſt eiuſdem nominis Græcum opidulum, olim P. Valerii villa; à Rhegio millia paſſuum* VIII. *inde Leucopetra promontorium, à Rhegio millia paſſuum* XII. OPIDANI inde fuêre RHEGINI. Stephanus: Ῥήγιον, πόλις Ἑλληνίς. ὁ πολίτης, Ῥηγῖνος. Id eſt: *Rhegium, urbs Græca. opidanus, Rheginus*. Et ita ſæpiùs Strabo. Hinc etiam Latinis, *Columna Rhegina*; & Solino, cap. VIII, *Rhegini ſaltus*: de quibus poſteà plura. Imperitè heic faciunt, licet aliàs doctiſſimi viri, quotquot vel *Rhegienſes* vel *Rheginenſes* huius Rhegii opidanos adpellant. quidpe illud eſt vocabulum incolarum Rhegii Lepidi in Galliâ Ciſpadanâ: hoc verò nullâ ratione ſic formari poteſt, niſi ab opido aliquo *Rhegino* ſeu *Rheginâ*. Verùm, ut in aliis, ſic in hoc quoque vocabulo, Græcam adſpirationem Romanos vitaſſe; patet ex utroque Itinerario; tum ex ſuprà dicti lapidis antiquâ inſcriptione. Scripſere igitur REGIVM; unde opidani REGINI. Hinc puto in Melæ etiam nunc exemplaribus eſſe *Columna Regia*, pro *Rhegina*. Poſteriores grammatici, ut in plerisque aliis gentium, opidorum, fluminumque, ac hominum propriis nominibus, huic etiam adſpirationem ex Græco addiderunt. Cæterò GRAECAM fuiſſe VRBEM, modò è Stephano intelleximus. hinc Græcum quoque eius eſſe vocabulum, antiquiſſimi prodiderunt ſcriptores. Plinius, lib. III, cap. VIII: *Columnam Rheginam. Ab hoc deſciſcendi argumento Rhegium Græci nomen dedère opido, in margine Italiæ ſito*. Hinc illud poëtæ: Aeneid. lib. III:

Hæc loca vi quondam & vaſtâ convulſa ruinâ
(Tantum ævi longinqua valet mutare vetuſtas)
Diſſiluiſſe ferunt. quum protinùs utraque tellus
Vna foret, venit medio vi pontus, & undis
Heſperium Siculo latus abſcidit; arvaque & urbeis
Litore diductas anguſto interluit æſtu.

Sic & Strabo, dicto lib. VI. at & aliam nominis originem indicat ibidem his verbis: Πλὴν εἴτε διὰ ταύτην τὴν αἰτίαν τοὔνομα τῇ πόλει γέγονεν, εἴτε διὰ τὴν ἐπιφάνειαν τῆς πόλεως, ὡς ἂν βασίλειον τῇ Λατίνῃ φωνῇ προσαγορευσάντων Σαμνιτῶν, διὰ τὸ τοὺς ἀρχηγέτας αὐτῶν κοινωνῆσαι Ῥωμαίοις τῆς πολιτείας, καὶ ἐπιπολὺ χρήσασθαι τῇ Λατίνῃ διαλέκτῳ, πάρεστι σκοπεῖν ὁποτέρως ἔχει τἀληθές. Id eſt: *Verùm enimverò, hæc ne nominis cauſa ſit, an verò ſplendor atque illuſtritudo eius; cuius gratiâ Samnites (horum enim principes Romanæ civitatis fuerunt participes, Romanoque uſi plurimùm ſermone) Latinâ voce adpellarint Regium, quod Græcis*

eſt

eſt βασίλειον, aliis dijudicandum in medio relinquo. ORIGINEM atque CONDITOREM urbis, oſtendit Iſacius Tzetza in Lycophronem commentans, eſſe Iocaſtum, Aeoli filium; teſte Callimacho. Huic adſenſiſſe videtur & Euſtathius, in Dionyſium, orbis terræ deſcriptorem, commentans; niſi quòd corruptum nomen Ἀκάστου habet; quum verum nomen ſit Ἰοκάστου; uti præter Tzetzam ex Diodoro quoque patet. Itaque Rhegium, ſi Callimacho credimus, mox à Troiano bello originem ſuam accepit. ad iſtum quidpe Aeolum perveniſſe in erroribus ſuis à Troia captâ Vlyſſem, idem tradit Diodorus, lib. v. Vide de hoc Aeolo Siciliam noſtram. Verùm hæc ex priſcorum Græcorum μυθολογουμένοις ſe prodere, ipſe fatetur Diodorus; unde haud dubiè habuit eadem Callimachus poëta, Diodoro longè vetuſtior. Certè Strabo atque Solinus geographi, non ex fabulis, ſed certis rerum auctoribus, longè alios huius urbis tradunt conditores. Solinus, cap. VIII: *Notum eſt*, inquit, *Rhegium à Chalcidenſibus conſtitutum*. At Strabo, dicto lib. VI, ita ſcribit: Κτίσμα δ᾽ ἐστὶ τὸ Ῥήγιον Χαλκιδέων. οὓς κατὰ χρησμὸν δεκατευθέντας τῷ Ἀπόλλωνι δι᾽ ἀφορίαν, ὕστερον ἐκ Δελφῶν ἀποικῆσαι δεῦρό φασι, παραλαβόντας καὶ ἄλλους τῶν οἴκοθεν. Ὡς δ᾽ Ἀντίοχός φησι, Ζαγκλαῖοι μετεπέμψαντο τοὺς Χαλκιδέας, καὶ οἰκιστὴν Ἀντίμνηστον συνέστησαν ἐκείνων. ἦσαν δὲ τῆς ἀποικίας καὶ οἱ Μεσσηνίων φυγάδων, τῶν ἐν Πελοποννήσῳ, καταστασιασθέντες ὑπὸ τῶν μὴ βουλομένων δοῦναι δίκας ὑπὲρ τῆς φθορᾶς τῶν παρθένων τῆς ἐν Λίμναις γενομένης τοῖς Λακεδαιμονίοις, ἃς καὶ αὐτοὶ ἐβιάζοντο, πεμφθείσας ἐπὶ τὴν ἱερουργίαν, καὶ τοὺς ἐπιβοηθοῦντας ἀπέκτειναν. παραχωρήσαντες οὖν εἰς Μάκιστον οἱ φυγάδες, πέμπουσιν εἰς θεοῦ, μεμφόμενοι τὸν Ἀπόλλωνα καὶ τὴν Ἄρτεμιν, εἰ τοιοῦτοι τυγχάνοιεν, ἀνθ᾽ ὧν ἐπιμώρουν αὐτοῖς, καὶ πυνθανόμενοι, πῶς ἂν σωθεῖεν ἀπολωλότες. Ὁ δ᾽ Ἀπόλλων ἐκέλευσε στέλλεσθαι μετὰ Χαλκιδέων εἰς τὸ Ῥήγιον, καὶ τῇ ἀδελφῇ αὐτοῦ χάριν ἔχειν· οὐ γὰρ ἀπολωλέναι αὐτούς, ἀλλὰ σεσῶσθαι. μέλλοντάς γε δὴ μὴ συναφανισθήσεσθαι τῇ πατρίδι, ἁλωσομένῃ μικρὸν ὕστερον ὑπὸ Σπαρτιατῶν. οἱ δ᾽ ὑπήκουσαν. διόπερ οἱ τῶν Ῥηγίνων ἡγεμόνες μέχρι Ἀναξίλαον τοῦ Μεσσηνίων γένους ἀεὶ καθίσταντο. Hoc eſt: *Conditum eſt Rhegium à Chalcidenſibus; qui, quum, ex oraculo decimatione factâ, Apollini propter agrorum ſterilitatem eſſent conſecrati, huc poſteà à Delphis commigraſſe dicuntur; domo etiam aliis ſibi adſcitis. Antiochus autem tradit, Chalcidenſeis à Zanclæis accitos, conditoremque coloniæ Antimneſtum iis conſtitutum fuiſſe. Venerunt autem in ſocietatem coloniæ Meſſenii etiam è Peloponneſo, ejecti factione ſuorum, recuſantium pœnas dare Spartanis ob violatas in Limnis virgines; quas Meſſenii, miſſas ad rem ſacram, per vim ſtupraverant; trucidatis inſuper iis, qui eas defendere volebant. Itaque exſules, quum Maciſtum receſſiſſent, miſerunt Delphos, expoſtulatum cum Apolline atque Dianâ, quòd eâ ipſis fortunâ uti ſinerent, vindicare injuriam diis iſtis factam volenteis: ſimulque quæſitum, ecquam rebus perditis ſalutem invenirent. Tum eos Apollo juſſit ſocios ſeſe adjungere Chalcidenſibus, Rhegium migrantibus: ſuæque ſorori gratias agere. non enim periiſſe ipſos; ſed exitium evitaſſe. alioquin unà cum patriâ perituros, quam paullo pòſt Spartani eſſent exciſuri. Paruerunt oraculo Meſſenii. Eoque factum, uti Rheginorum duces usque ad Anaxilaum ſemper de genere Meßenio fuerint delecti*. Circa eadem igitur tempora Rhegium cum Tarento conditum fuit. qua de re vide ea quæ ſuprà ad Tarenti deſcriptionem adduximus. RHEGIVM COLONIAM à triumviris deſtinatam, docet Appianus, lib. IV. ubi inter præcipuas Italiæ urbeis recenſetur. Verba illius ſunt hæc: Ἐπελπίσαι δὲ ἤδη τὸν στρατὸν ἐς τὰ νικητήρια τοῦ πολέμου ἄλλαις τε δωρεαῖς καὶ ἐς κατοικίαν δόσεσι τῶν Ἰταλικῶν πόλεων ὀκτωκαίδεκα, αἳ καὶ περιουσίᾳ καὶ ἐδάφει καὶ οἴκοις εἰς κάλλος διαφέρουσαι, ἔμελλον αὐτοῖς ἐδάφεσι καὶ οἴκοις αὐτοῦ διανεμήσεσθαι, ὥσπερ αὐτοῖς ἀντὶ τῆς πολεμίας δορύληπτοι γενόμεναι. καὶ ἦσαν αἱ πόλεις ἄλλαι τε καὶ αἱ περιφανέσταται μάλιστα αὐτῶν, Καπύη, καὶ Ῥήγιον, καὶ Οὐενουσία, καὶ Βενεβεντός, καὶ Νουκερία, καὶ Ἀρίμινον, καὶ Ἱππώνιον. Hoc eſt: *Et quò alacrior redderetur exercitus, poſt propoſita victoriæ præmia, præter alia donativa, promiſſæ ſunt eis coloniæ XVIII Italicarum urbium, tàm opibus quàm agri bonitate ac ædificiorum pulcritudine præcellentium; quarum urbana ac ruſtica prædia non ſecùs quàm bello capta dividerentur. Inter has eminebant, Capua, Rhegium, Venuſia, Beneventum, Nuceria, Ariminum, Vibona*. At eodem libro poſteà inde exempti rurſum leguntur. Ὁ δὲ Καῖσαρ (inquit Appianus) ἐπελθών, Ῥηγίνοις μὲν καὶ Ἱππωνεῦσι μεγάλας πίστεις αὐτὸς ἔδωκεν, ἀπαλύσειν αὐτοὺς ἐκ τῶν ἐπινικίων· ἐδεδίει γὰρ ὄντας ἐπὶ τοῦ πορθμοῦ μάλιστα. Hoc eſt: *Cæſar verò ſuperveniens, ipſe Rheginis ac Vibonenſibus fidem dedit ſanctiſſimam, fore ut eximerentur è numero deſtinatarum in victoriæ præmium. hos enim maximè timebat, ut freto vicinos*. Libro verò quinto coloniarum deductarum fit mentio. unde & hanc deductam fuiſſe, probabile eſt; indeque haud dubiè *Iulium Regium* vel *Rhegium Iulium*, nomen accepiſſe.

piſſe. niſi cognomentum hoc ex eo dicas exortum; quod apud Cornelium Tacitum, Annal. lib. I, his legitur verbis: *Eodem anno Iulia ſupremum diem obiit; ob impudicitiam olim à patre Auguſto Pandateriâ inſulâ, mox opido Rheginorum, qui Siculum fretum adcolunt, clauſa.* Sed mirum, id cognomenti nemini alii auctorum, quàm Ptolemæo, uſurpatum.

TEMPLVM DIANAE.

Rhegio non procul TEMPLVM DIANAE memoratur Thucydidi, lib. VI. Ἀφίκοντο ἐς Ῥήγιον (inquit) τῆς Ἰταλίας ἀκρωτήριον, καὶ ἐνταῦθα ἤδη ἠθροίζοντο. καὶ ἔξω τῆς πόλεως (ὡς αὐτοὺς ἔσω οὐκ ἐδέχοντο) στρατόπεδόν τε κατεσκευάσαντο ἐν τῷ τῆς Ἀρτέμιδος ἱερῷ, οὗ αὐτοῖς καὶ ἀγορὰν παρεῖχον. καὶ τὰς ναῦς ἀνελκύσαντες ἡσύχασαν· καὶ πρός τε τοὺς Ῥηγίνους λόγους ἐποιήσαντο. Hoc eſt: *Ventum eſt Rhegium Italiæ promontorium. ubi contractis jam copiis extra urbem, quoniam intra muros non recipiebantur, caſtra communierunt ad Dianæ delubrum: ubi forum venalium eis præbitum eſt: ſubductisque navibus otium tenuêre, & ad Rheginos verba fecêre.*

Porrò, itinera ad dictum fretum Siculum in Itinerariis deſcribuntur huiusmodi:

Antonini:		Tabulæ:	
		Tauriana	
Nicotera		*Arciade*	XII.
Ad Mallias	XXIIII.	....	XII.
Ad Columnam	XIIII.	*Regio*	XVII.

ARGEADES *flumen*.

ARCIADES an etiam opidi nomen fuerit, equidem ego neſcio. Idem eſſe vocabulum, quod Varroni *flumen* ARGEADES hoc tractu circa Rhegium Iulium memoratur, haud dubito.

FRONS ITALIAE.

FRONTEM hinc ITALIAE (quæ & MAGNA GRAECIA apud Plinium adpellatur, ac Martiano GRAECIAE ORA) per Auſonium mare atque treis eius ſinus, inter Salentinum & Zephyrium vel (ut circa hunc terminum variat ipſe Plinius) Leucopetram, promontoria, agnoſcere eſt. AVSONIVM autem MARE, à Siciliâ ad Salentinum usque promontorium ipſe agnoſcit Plinius, lib. III, cap. V. *A Liguſtico*, inquit, *ad Siciliam Tuſcum. ultra Siciliam ad Salentinos Auſonium Polybius adpellat.* Hinc etiam lib. XIV, cap. VI, inter vina ab Auſonio mari eminentia connumerat Thurina & Lagarina & Tarentina. Itaque ſinus iſti tres Auſonii maris ſunt iſti: Primus inter promontoria Salentinum & Lacinium, TARENTINVS, *Golfo di Taranto*, à *Tarento* uberrimâ eius urbe dictus. De hoc plura vide ad *Lacinium promontorium* infrà. Secundus, inter Lacinium & Cocintum promontoria, SCYLACEVS ſive SCYLACIVS, ab opido *Scylaceo* ſive *Scylacio*; quod quum Græcis fuerit Σκυλήτιον, Scyletium, ipſe quoque ſinus illis dictus eſt Σκυλητικὸς, SCYLETICVS; ut ſuprà ad Lametinum ſive Terinæum ſinum dictum eſt. hic ſinus *Golfo de Squilacci* vulgò nunc dicitur. tertius inter Cocintum promontorium & urbem Locros ſive Zephyrium promontorium, vel (uti dictum, Plinio circa hunc terminum variante) Leucopetram, LOCRENSIS; quem ſic dixeris ab illuſtriſſimâ huius litoris urbe *Locris*, Zephyrio promontorio quondam adpoſitâ. vel BRVTIVS, ſic quidpe Martiano, Solino & Plinio quoque nuncupatur. vulgò nunc eſt *Golfo di Girazzo.* Scinditur itaque Italia ſive eius frons duo in cornua, Leucopetram & Salentinum promontoria. Apenninus itidem in duo; quorum unum eſt eadem Leucopetra; alterum autem Lacinium. Plinius Italiæ frontem compreſſit inter Lacinium & Zephyrium: nam patêre eam ait LXXXII millia tantùm. hæc autem duo promontoria, Lacinium & Zephyrium, ipſa inter ſe LXXX circiter paſſuum millia diſtant; quum à Zephyrio ad Salentinum promontorium millia ſint haud ita pauca. Verba eius hæc ſunt, lib. III, cap. V: *Columna Rhegina: Siculum fretum, ac duo adverſa promontoria; ex Italiâ Canys, ex Siciliâ Pelorum;* XII *ſtadiorum intervallo. unde Rhegium,* XII CIↃ IↃ *paſſus. inde Apennini ſilva Sila,* [&] *promontorium Leucopetra,* XII *millia paſſuum. ab eâ Locri, cognominati à promontorio Zephyrio. abſunt à Silaro* CCCIII *millia paſſuum; & includitur Europæ ſinus primus.* Et cap. X: *A Locris Italiæ frons incipit, Magna Græcia adpellata, in treis ſinus recedens Auſonii maris; quoniam Auſones tenuêre primi. patet* LXXXII *millia paſſuum; ut auctor eſt Varro. plerique* LXXII *millia fecêre. In eâ orâ flumina innumera, ſed memoratu digna. à Locris Sagra; & veſtigia opidi Caulo-*

nis;

lonis; Myſtia, Conſilinum caſtrum; Cocintum, quod eſſe longiſſimum Italiæ promontorium, aliqui exiſtimant. dein, ſinus & [opidum] *Scylacium, Scylletium Athenienſibus, quum conderent, dictum. quem locum, occurrens Terinæus ſinus, peninſulam efficit: & in eâ portus, qui vocatur Caſtra Annibalis; nuſquàm anguſtiore Italiâ.* XX *millium paſſuum latitudo eſt. Amnes ibi navigabiles, Crotalus, Semirus, Arocha, Targines. opidum intùs, Petilia; mons Clibanus. promontorium Lacinium.* Et cap. XI: *A Lacinio promontorio ſecundus Europæ ſinus incipit, magno ambitu flexus, & Acroceraunio Epiri finitur promontorio.* Quod ait, *A Locris Italiæ frontem incipere*, id de ipſo promontorio intelligendum Zephyrio, in quo quomdam urbs Locri. Mela perperam pro Cocinto Zephyrium poſuit; ideoque malè tertium ſinum facit inter Zephyrium & Brutium, id eſt, Leucopetram, promontoria. quum à Zephyrio, quod *Burſanum* eſt, exiguus ſit ſinus; inde verò rectum ferè litus ad Leucopetram. Verba illius hæc ſunt, lib. II, cap. IV: *Italia ab Alpibus incipit in altum excedere: atque, ut procedit, media ſe perpetuo Apennini montis jugo attollens, inter Adriaticum & Tuſcum, ſive, ut aliter eadem adpellantur, inter ſuperum mare & inferum excurrit, diu ſolida. Verùm, ubi longè abit, in duo cornua ſcinditur; reſpicitque altero Siculum pelagus, altero Ionium.* Et poſteà: *Hucusque Adria, hucusque Italiæ latus alterum pertinet. Frons eius in duo quidem ſe cornua, ſicut ſuprà diximus, ſcindit: cæterùm, mare, quod inter utraque admiſit, tenuibus promontoriis ſemel iterumque diſtingvens, non uno margine circuit, nec diffuſum patensque; ſed per ſinus recipit. Primus, Tarentinus dicitur, inter promontoria Salentinum & Lacinium: in eoque ſunt, Tarentus, Metapontum, Heraclea, Croto, Thurium. Secundus, Scylaceus, inter promontoria Lacinium & Zephyrium: in quo eſt Petilia, Cæcinum, Scylaceum, Miſtra. Tertius inter Zephyrium & Brutium; Conſilinum, Cauloniam, Locrosque circumdat. In Brutio ſunt, Columna Rhegnia, Rhegium, Scylla, Taurianum, & Metaurum. Hinc in Tuſcum mare deflexus eſt, & eiusdem terræ mare alterum.* Intellexiſſe tamen Melam Cocintum per *Zephyrium*, inde patet, quòd in tertio hoc ſinu inter Zephyrium & Brutium promontoria, Conſilinum, Cauloniam & Locros locat; quæ opida inter Cocintum Zephyriumque fuiſſe, infrà oſtendetur.

Atque hactenus de Italiæ fronte, eiusque & Apennini cornibus, Auſonio item mari, ac illius tribus finibus, conjunctim dicta ſufficiant. nunc ad ſingula loca tranſeamus.

LEVCOPETRA *promontorium.*

Ab Rhegio opido millia paſſuum XII ſequitur LEVCOPETRA antiquum illud *promontorium*, Ciceroni, Straboni, Thucydidi, Dionyſio Afro, Euſtathio, Ptolemæo, Appiano, Solino, Martiano Capellæ, Priſciano, ac Tabulæ itinerariæ memoratum. vulgò nunc eſt *Capo dell' Armi*; in quo certè deſinit alterum cornu Apennini montis, hoc demum loco λευκῇ τῇ πέτρᾳ, id eſt, albo ſaxo, abrupti; à longinquo etiam navigantibus, & à Taurimontano, &, quod hinc Meſſanam verſus recedit, litore, conſpicui. Cicero ad Atticum, lib. XVI, epiſt. VI: *Sed putabam, quum Rhegium veniſſem, fore, ut illic* δολιχὸν πλόον ὁρμαίνοντες, *cogitaremus, Corbitâ ne Patras, an Actuariolis ad Leucopetram Tarentinorum, aſt inde Corcyram; &, ſi onerariâ, ſtatim ne freto, an Syracuſis.* Ita equidem omnia habent Ciceronis exemplaria. Verùm pro *aſt* jam alii legendum cenſuerunt *atque*. pro *Tarentinorum* reſtituendum eſſe *Rheginorum*; cum ex aliis auctoribus, qui Leucopetram in Rheginorum ponunt agro, tum ex ipſius Ciceronis epiſtolâ continuò ſubſequente adparet. *Octavo*, inquit, *Id. Sext. quum à Leucopetrâ profectus (inde enim tranſmittebam) ſtadia circiter* CCC *proceſſiſſem, rejectus ſum auſtro vehementi ad eamdem Leucopetram. Ibi quum ventum exſpectarem, (erat enim Villa Valerii noſtri, ut familiariter eſſem, & libenter;) Rhegini quidam, illuſtres homines, eò venerunt, Româ ſanè recentes.* Sed clariùs etiam è Philippicâ primâ; ubi de eâdem re ita ſcriptum legitur: *Quum Brundiſium, iterque illud quod tritum in Græciam eſt, non ſine causâ vitaviſſem, Kalend. Sextilib. veni Syracuſas; quòd ab urbe eâ transmiſſio in Græciam laudabatur. Quum autem me ex Siciliâ ad Leucopetram, quod eſt promontorium agri Rhegini, venti detuliſſent: ab eo loco conſcendi, ut transmitterem. nec ita multùm provectus, rejectus auſtro ſum in eum ipſum locum unde conſcenderam. quumque intempeſta nox eſſet, manſiſſemque in villâ P. Valerii, comitis & familiaris mei; poſtridieque apud eumdem, ventum exſpectans, manerem; municipes Rhegini complures ad me venerunt. ex his quidam Româ recentes.* Idem promontorium Salluſtius adpellat BRVTIVM. *Omnis*, inquit, *Italia coacta in anguſtias, ſcinditur in*

duo

duo promontoria, Brutium & Salentinum. Intelligere verò Salluſtium per Brutium promontorium Leucopetram, Melæ verbis confirmari poteſt, qui in Brutio ſinu collocat *Columnam Rhegium, Scyllam, Taurianum, & Metaurum*.

RHEGIVM PROMONTORIVM.

Medio inter hoc promontorium Leucopetram & Rhegium opidum ſitu, id eſt, circa VI utrimque millia paſſuum, aliud eſt promontorium, haud dubiè illud, quod Thucydidi lib. III & VI Ῥήγιον adpellatur ἀκρωτήριον, RHEGIVM PROMONTORIVM. Locum libri VI ſuprà ad *Templum Dianæ* videre eſt. Verba eius lib. III de Locrenſibus hæc ſunt: Εἰ γὰρ κρατήσειαν τῷ ναυτικῷ, τὸ Ῥήγιον ἤλπιζον πεζῇ τε καὶ ναυσὶν ἐφορμοῦντες ῥᾳδίως χειρώσεσθαι, καὶ ἤδη σφῶν ἰσχυρὰ τὰ πράγματα γίγνεσθαι. ξυνεγγὺς γὰρ κειμένου τοῦ τε Ῥηγίου ἀκρωτηρίου τῆς Ἰταλίας τῆς τε Μεσσήνης τῆς Σικελίας, τοῖς Ἀθηναίοις τε οὐκ ἂν εἶναι ἐφορμεῖν, καὶ τοῦ πορθμοῦ κρατεῖν. Hoc eſt: *Sperabant enim, ſi claſſe viciſſent, terrâ marique adgreſſos ſe Rhegio facilè potituros: ac res ſuas jam potentiores futuras. quidpe, quum propinqua inter ſe eſſent, Rhegium promontorium in Italiâ & Meſſena in Siciliâ; non permiſſuros ut ingrederentur Athenienſes, fretumque obtinerent*. Certè fretum, quod à Cæny ac Peloro promontoriis incipit, ad dictum promontorium, VI millia paſſuum à Rhegio ſitum, deſinit. Apud Strabonem, lib. VI, ſic legitur: Ἀπὸ δὲ τοῦ Ῥηγίου πλέοντι πρὸς ἕω, Λευκοπέτραν καλοῦσιν, ἄκραν ἀπὸ τῆς χρόας ἐν πεντήκοντα σταδίοις, εἰς ἣν τελευτᾶν φησὶ τὸ Ἀπέννινον ὄρος. Hoc eſt: *Ab Rhegio verſus ortum ſolis ſi navigatur ad L ſtadia, pervenitur ad promontorium, quod Leucopetram, id eſt, album ſaxum vocant, à colore: in quod deſinere Apenninum montem ajunt*. Tabula ſic habet:

Regio
Leucopetra V.

Strabo equidem ſitum Leucopetræ rectè denotavit. cætero intervallo aut ipſe aut exſcriptor eius erravit; aut per *Rhegium* intellexit hoc ipſum Thucydidis promontorium. nam à Leucopetrâ usque ad Rhegium opidum millia, ut dictum, XII ſunt. Voluiſſe autem Strabonem promontorium Rhegium, patet ex his etiam verbis quàm diſertiſſimè, πλέοντι πρὸς ἕω. quidpe ad πεντήκοντα σταδίους, id eſt, ad millia VI, & CCL paſſus, non πρὸς ἕω, ſed πρὸς τὴν μεσημβρίαν, hoc eſt, ad meridiem verſus, ab dictâ urbe Rhegio litus legitur. ab Rhegio autem promontorio litus ad prædictam Leucopetram πρὸς ἕω ſive ad orientem hibernum circumnavigatur. Neque hoc promontorium Rhegium Leucopetra eſſe poteſt, quoniam nullæ heic conſpiciuntur λευκαὶ πέτραι; ſed radices eius in planum ferè atque apertum litus deſinunt. Scylax quoque ſuperiori capite in finibus Lucaniæ à nobis emendatus, clarè & diſtinctè recenſet *Rhegium promontorium atque opidum*.

HERCVLIS PROMONTORIVM.

A Leucopetrâ ſequitur HERCVLIS PROMONTORIVM. Strabo, poſt memoratam Leucopetram: Ἐντεῦθεν δὲ Ἡράκλειον· ὃ δὴ τελευταῖον ἀκρωτήριον νεύει πρὸς μεσημβρίαν. κάμψαντι γὰρ εὐθὺς ὁ πλοῦς λιβὶ μέχρι πρὸς ἄκραν Ἰαπυγίαν. Id eſt: *Inde ſequitur Herculis promontorium: quod jam poſtremum vergit versùs meridiem. id ubi circumflexeris, protinus jam Africo vento navigabis ad Iapygium promontorium*. Ex iſtâ deſcriptione tam diſertâ, Herculis promontorium id eſſe deprehenditur, quod vulgari nunc adpellatione dicitur *Capo di Spartivento*. quod nomen à dispertiendo ventum fertur obtinere. nam qui à freto verſùs Calabriam navigant, hoc ſuperato promontorio, vela mutent, Africoque objiciant, neceſſum habent: quod diſertè teſtatur Strabo.

ZEPHYRIVM PROMONTORIVM.

Hinc poſt XII millia paſſuum eſt ZEPHYRIVM PROMONTORIVM, vulgari nunc vocabulo *Capo Burſano* dictum. Iovius & Facellus putant eſſe prædictum *Spartivento*. Avienus etiam malè cum hoc *Leucopetram* confundit. Dionyſius, eiusque interpretes Avienus ac Priſcianus, à Leucopetrâ ad Zephyrium verſùs Boream eunt. Strabo, lib. VI: Μετὰ δὲ τὸ Ἡράκλειον, ἄκρα τῆς Λοκρίδος, ἣ καλεῖται Ζεφύριον, ἔχουσα τοῖς ἑσπερίοις ἀνέμοις λιμένα, ἐξ οὗ καὶ τοὔνομα. Id eſt: *Poſt Herculeum promontorium ſequitur Locrenſis agri promontorium, quod Zephyrium vocatur; habens portum ventis ab occaſu flantibus expoſitum. unde etiam nomen*.

COCINTVM PROMONTORIVM.

Medius inter Leucopetram & Lacinium promontoria excurſus (uti Plinius loquitur, lib. III, cap. V) COCINTOS, ſive *longiſſimum promontorium* COCINTVM, à quo Scyllacius verſùs Lacinium incipit ſinus, nullum aliud eſſe poteſt, quàm quod hodié-

hodiéque longiſſimo hoc tractu vulgari adpellatione dicitur *Capo di Stillo*. Polybii verba habentur ſuperiùs lib. I cap. III, ſub principium. Hoc promontorium adpellatum fuiſſe etiam CAECINVM & CARCINVM; infrà ad expoſitionem opidi eiusdem nominis patebit. Appianus, Civil. V, habet promontorium *Coccynum*; quod Cocintum hoc eſſe, ſuſpicatur Ortelius.

Porrò, poſt Zephyrium promontorium ſequebatur ipſa urbs celeberrima LOCRI EPIZEPHYRII, à promontorio cognominata; Græcè Λοκροὶ οἱ Ἐπιζεφύριοι. Memoratur Plinio, Straboni, Scylaci, Herodoto, Svetonio, Pindaro, Dionyſio Afro, Virgilio, Ovidio, Ciceroni, Aeliano, Heraclidi, Martiano Heracleenſi, Livio, Thucydidi, Valerio Maximo, & aliis. Pindarus, Olymp. odâ X, adpellat πόλιν Λοκρῶν Ζεφυρίων. Odâ autem XI, τὴν Ἐπιζεφυρίων Λοκρῶν γενεάν. ubi ſcholia: Γένη Λοκρῶν εἰσὶ τρία· Ἐπιζεφύριοι, Ὀζόλαι, Ἐπικνημίδιοι. τούτων, οἱ μὲν Ἐπιζεφύριοι εἰσὶ Λοκροὶ ἐν τῇ Ἰταλίᾳ· οἱ δὲ Ὀζόλαι πρὸς τῇ Αἰτωλίᾳ· οἱ δὲ Ἐπικνημίδιοι πρὸς Εὐβοίᾳ. Hoc eſt: *Locrorum genera tria ſunt: Epizephyrii, Ozolæ, Epicnemidii. Horum illi ſunt Locri in Italiâ: iſti verò apud Aetoliam; hi autem apud Euboeam.* Vide illic hiſtoriam de bello Locrenſi; & Pythior. oden I; ubi etiam Ζεφυρία Λοκρὶς παρθένος; *virgo Locris Zephyria*. Strabo poſt promontorium Zephyrium paullo antè dictum, eodem lib. VI, hæc ſubjungit: Εἶθ᾽ ἡ πόλις οἱ Λοκροὶ οἱ Ἐπιζεφύριοι· ἐπεὶ Λοκρῶν ἄποικοι τῶν ἐν τῷ Κρισαίῳ κόλπῳ, μικρὸν ὕστερον τῆς ἀπὸ Κρότωνος καὶ Συρακουσῶν κτίσεως ἀποικισθέντες ὑπὸ Εὐάνθους. Ἔφορος δ᾽ οὐκ εὖ, τῶν Ὀπουντίων Λοκρῶν ἀποίκους φήσας. Ἔτη μὲν οὖν τρία ἢ τέτταρα ᾤκουν ἐπὶ τῷ Ζεφυρίῳ, εἶτα μετήνεγκαν τὴν πόλιν συμπραξάντων καὶ Συρακουσίων. ἅμα γὰρ οὗτοι ἐν οἷς [locus corruptus & compluribus verbis mutilatus. pro ἐν οἷς doctiſſimus Caſaubonus reſtituit ἐνῴκουν.....] ἔστιν ἐκεῖ κρήνη Λοκρία, ὅπου οἱ Λοκροὶ ἐστρατοπεδεύσαντο. Εἰσὶ δ᾽ ἀπὸ Ῥηγίου μέχρι Λοκρῶν ἑξακόσιοι στάδιοι. ἵδρυται δ᾽ ἡ πόλις ἐπ᾽ ὀφρύος, ἣν Ἐσῶπιν καλοῦσι. Hoc eſt: *Inde eſt urbs Locri Epizephyrii, colonia Locrenſium qui Criſſæum ſinum adcolunt, deducta ab Euanthe, haud multo poſt Crotonem & Syracuſas conditas. Malè Ephorus, qui Opuntiorum Locrorum facit colonos. Quum treis quatuorve annos in Zephyrio habitaſſent, transtulerunt inde urbem, Syracuſanis adjuvantibus. ſimul quidpe hi incolebant, ... Eſt etiam ibi fons Locrius, ubi caſtra habuerunt Locrenſes. Stadia ſunt Rhegio ad Locros* IↃC. *Vrbs ſita eſt in ſupercilio, quod Eſopin adpellant.* Vrbs Locri quondam in Zephyrio promontorio collocata, poſtea in eum locum tranſlata creditur, ubi nunc conſpicitur opidum, vulgari vocabulo *Gierazzo*, *Girace*; præterlabente flumine, ad cuius oſtium fuit PORTVS LOCRORVM. De urbe ita Dionyſius Afer: Locri, urbs.

Ἄγχι δὲ Λευκανοὶ καὶ Βρέττιοι ἄνδρες ἔασι,
Τοσσάτιον ναίοντες, ὅσον Λευκὴν ἐπὶ πέτραν.
Κεῖθεν δ᾽ ἐς Βορέην Ζεφύρου προφαίνεται ἄκρη·
Τῆς δ᾽ ὑπὸ Λοκροὶ ἔασιν, ὅσοι προτέροις ἐτέεσσιν
Ἤλθον ἐπ᾽ Αὐσονίην, σφετέρης μιχθέντες ἀνάσσαις·
Τῶν καὶ νῦν γένος ἐστὶν ἐπὶ προχοῇσιν Ἄληκος.

Hoc eſt

Propè verò Lucani & Brutii viri ſunt,
Tantum incolentes quantum eſt ad Leucopetram.
Illinc verò ad boream Zephyrium adparet promontorium:
Sub hoc autem Locri ſunt, qui prioribus annis
Venerunt in Auſoniam, quum rem habuiſſent cum ſuis dominabus;
Quorum etiam hodiè genus eſt ad fluenta Alecis.

Ad hæc ita Euſtathius: Ὅτι ὄρος Ζεφύριον τμῆμά τι ἐστι βορειότερον τῆς Λευκοπέτρας, πρὸς ἀρχὰς τοῦ Ἀπεννίνου· ἀφ᾽ οὗ καὶ Ἐπιζεφύριοι Λοκροὶ δοκοῦσι κληθῆναι, ὡς περὶ αὐτὸ κείμενοι. Ἄλλοι δὲ οὕτω φασὶ καλεῖσθαι αὐτοὺς πρὸς διαστολὴν ἄλλων Λοκρῶν· διὰ τὸ ἐκείνους μὲν ἀλλαχοῦ κεῖσθαι, τούτους δὲ πρὸς ζέφυρον ἄνεμον. Ἰστέον δὲ, ὅτι ἡ διαβολὴ τοῦ γένους τῶν τοιούτων ἐνταῦθα κεῖται Λοκρῶν ἐθνικῶς ὄλου, ὡς ἐκ δούλων καταγομένου. δοῦλοι γάρ, φησιν, ὄντες προτέροις ἔτεσι, παρὰ τῶν Ὀζόλαις δηλαδὴ Λοκροῖς, τοῖς πρὸς τῷ Κρισαίῳ κόλπῳ τῷ κατὰ τὴν Εὔβοιαν, εἶτα τῶν δεσποτῶν ἀπιόντων εἰς πόλεμον, ἐμίγησαν ταῖς σφετέραις ἀνάσσαις· ἐπανελθόντας δὲ τοὺς δεσπότας ὑποπτεύσαντες ἐπὶ κολάσει, τὰς δεσποίνας συνέφυγον, καὶ ᾤκησαν ἐν Τυῤῥηνίᾳ, ὧν γένος εἰσὶν οἱ Ἐπιζεφύριοι Λοκροὶ, δοῦλοι ὄντες τὸ ἀνέκαθεν. Ἄλλοι δὲ γράφουσι, σφετέρῃ ἀνάσσῃ μιχθέντες, ἢ πελασθέντες. ἄνασσαν τὴν Ῥώμην νοοῦντες, ὑφ᾽ ἣν οἱ τοιοῦτοι Λοκροὶ, περὶ οὓς ποταμὸς ὁ Ἄληξ, διορίζων τὴν Ῥηγίνην ἀπὸ τῆς Λοκρίδος. Hoc eſt: *Mons Zephyrius pars quædam eſt ſeptemtrionalis promontorii*

Leuco-

Leucopetræ, orientem Apennini ſpectans: à quo Epizephyrii Locri videntur nomen accepiſſe, & qui ad eum ſiti ſunt. Alii ita vocatos aiunt, ad diſtinctionem aliorum Locrorum; quòd illi alibi ſiti, hi verò versùs Zephyrum ventum. Ceterò, ſciendum, omne Locrorum genus veluti infame habitum; quia à ſervis erant oriundi. quidpe quum ſervi, inquit, eſſent prioribus annis apud Ozolas Locros, qui ſunt ad Criſſæum ſinum, juxta Eubœam; dominis ad bellum profectis, cum dominabus ſuis rem habuerunt. redeunteis autem dominos timentes, ne ab ipſis punirentur, cùm dominabus profugerunt, Hetruriamque incoluerunt. ex quorum genere ſunt Epizephyrii Locri, qui ab origine ſervi erant. Alii volunt, dominam ſive reginam intelligi Romam, cui erant ſubjecti Locri illi; apud quos amnis eſt Alex, diſterminans Rheginum agrum à Locrenſi. Hiſtoriam illam de Volſinienſibus in Hetruriâ ſervis cum iſtâ de ſervis Locrenſibus confudit. dein Locros Ozolas ad Criſſæum ſinum, cum Locris Epicnemidiis vel Opuntiis, ex adverſo Eubœæ inſulæ ſitis. Ceterùm, apud Solinum, cap. VIII, hæc leguntur: *Notum eſt, à Naryciis Locros conſtitutos*. Hinc & illud Virgilii, Aeneid. lib. III; ubi Helenus vates in Epiro ita Aeneam alloquitur:

Has autem terras, Italique hanc litoris oram,
Proxima quæ noſtri perfunditur æquoris æſtu,
Effuge. cuncta malis habitantur mœnia Grajis.
Hîc & Narycii poſuerunt mœnia Locri;
Et Salentinos abſcedit milite campos
Lyctius Idomeneus. hîc illa ducis Melibœi
Parva Philoctetæ ſubnixa Petilia muro.

Ad hæc ita Servius: *Socii Ajacis Oilei fuerunt Epizephyrii & Ozolei. ſed poſt tempeſtatem montis Capharei, Epizephyrii tenuerunt Brutios. & hos nunc dicit. Narycii autem à loco dicti ſunt provinciæ ſuæ. Alii Narycios Opuntios eosdem & Epicnemidas dicunt. namque priùs Naryx, Opûs poſteà dicta. Eadem autem & Epicnemidia vocatur. eſt enim Cnemis promontorium, in quo Opuntii Locri poſiti ſunt; à quibus originem trahunt qui in Italiâ ſunt; & adpellantur Epizephyrii, quòd Zephyrium promontorium vocatur à Græcis, in quo ſunt conditi Locri qui in Græciâ ſunt.* Scilicet Italicâ, ſive Magnâ. Stephanus: Νάρυξ, πόλις Λοκρίδος. τινὲς δὲ Ναρύκιον τὴν πόλιν φασὶν, ἐξ ἧς Αἴας. ὁ πολίτης Ναρύκιος. Id eſt: *Naryx, urbs Locridis. quidam verò Narycium urbem vocant, ex qua erat Ajax. Opidanus, Narycius*. Opidum certè Opuntiorum Locrorum facit Plinius, lib. IV, cap. VII; & item Strabo lib. IX, Narycium. Vnde patet, inter complureis auctores conveniſſe, Locros Epizephyrios in Italiâ ab Opuntiis, non ab Ozolis, fuiſſe ortos. nam præter Ephorum, Virgilium atque Solinum, Ovidio quoque Locros in Italiâ inde dicitur *Narycia*; Μεταμορφώσεων lib. XV. Sed & Cicero *Narycios* adpellat in Italiâ *Locros*; ad Att. lib. III, epiſt. II, ubi legitur: *Dat.* VI *Id. April. Narycii Locridis*. Sed vetera exemplaria nonnulla habent *Narycæ Locridis*. quod & ipſum vitioſum. oportebat quidpe eſſe *Naryciæ Locridis*: ſed & hoc parum rectè; quum *Locris Narycia* non certum locum ſeu urbem, verùm ipſum agrum Locrenſem ſignificet. nam ſic Zonaras, Annal. lib. II, *Locridem* bis terve adpellat Locrenſem agrum. Scripſerim igitur *Naryciis Locris*. aut ſanè vocabulum ipſius loci Naryciæ Locridis, in quo epiſtolam ſcripſit Cicero, periiſſe fatendum. Porrò, de tempore, quo condita hæc eſt urbs, Freculfus Chron. tom. I, lib. III, cap. XIV, ſic ſcribit: *Romanorum rex Tullus Hoſtilius. quibus diebus Cyzicus condita eſt; & in Italiâ Locri*. Hieronymus in Euſebii Chronico: *Anno* II, *Olympiadis* XXIIII, *Cyzicus condita eſt, & Locri in Italiâ*. OPIDANI dicti fuêre LOCRI EPIZEPHYRII; item LOCRENSES. quorum mores Heraclides περὶ πολιτειῶν deſcripſit. Ceterùm, ſplendidam fuiſſe atque potentem urbem Locrorum, paſſim auctores innuunt. Livius, lib. XXIX, duas Arces, & Fanum Proſerpinæ commemorat. De hac etiam urbe Plinius, lib. II, cap. XCVI, hæc tradit: *Locris & Crotone peſtilentiam numquàm fuiſſe, nec ullo terræ motu laboratum, adnotatum eſt*. AGRVM LOCRENSEM ab Rhegino

ALEX, *vel* HALEX: *qui* & CAECINOS.

diſterminabat ALEX amnis, qui & CAECINOS, vulgò nunc *Alece* dictus; medio fermè tractu inter Leucopetram & Herculis promontorium. Vide de eodem inferiùs ſub titulo CAECINVM. Strabo, prædicto lib. VI: τοῦ δὲ Ἄληκος ποταμοῦ, τοῦ διορίζοντος τὴν Ῥηγίνην ἀπὸ τῆς Λοκρίδος, βαθεῖαν φάραγγα διεξιόντος, ἴδιόν τι συμβαίνει τὸ περὶ τοὺς τέττιγας. οἱ μὲν γὰρ ἐν τῇ τῶν Λοκρῶν περαίᾳ φθέγγονται, τοῖς δ᾽ ἀφώνοις εἶναι συμβαίνει. Id eſt;

Id eſt: *Peculiare quidpiam habet Alex fluvius, qui agrum Rheginum à Locrenſi dirimit, per profundam labens vallem. cicadæ enim, quæ in Locrorum ſunt parte, vocales ſunt: ab alterâ fluminis parte mutæ.* Idem Plinius tradit, lib. XI, cap. XXVII: & Pauſanias in Eliacis. Aliter hæc Aelianus refert, Hiſtor. animal. lib. V, cap. VIIII. Ῥηγίνοις, inquit, καὶ Λοκροῖς εἰς τὴν γῆν τὴν ἀλλήλων παριέναι καὶ γεωργεῖν ἔνσπονδόν ἐστιν. οὐ μὴν ὁμολογοῦσι τούτοις οὐδὲ εἰς μίαν νοοῦσι καὶ τὴν αὐτὴν οἱ τέττιγες οἱ τῶνδε καὶ τῶνδε. ἐπεὶ τὸν μὲν Λοκρὸν ἐν Ῥηγίνοις σιγηλότατον ἕξεις, τὸν δὲ Ῥηγῖνον ἐν τοῖς Λοκροῖς ἀφωνότατον. καὶ τίς ἡ αἰτία τοιαύτης ἀμοιβαδὸν εἰς τὴν σιωπὴν ἀντιδόσεως, ἐγὼ μὲν οὐκ οἶδα, οὐδὲ ἄλλος, εἰ μὴ μάτην θρασύνοιτο. οἶδε δὲ, ὦ Ῥηγῖνοι καὶ Λοκροὶ, μόνη ἡ φύσις. Ποταμὸς οὖν τῆς τε Ῥηγίνων καὶ τῆς Λοκρίδος ἐστὶ μέσος, καὶ εἴργονταί γε οὐδὲ πλέθρῳ διασήμως μέσω αἱ ὄχθαι, καὶ ὅμως οὐδέτεροι διαπέτονται αὐτόν. Hoc eſt: *Rhegini & Locri pacem inter ſe habent; atque utriſque ad alterorum agros accedere & agricolationem exercere liberum eſt. cicadæ tamen cum iis non ſentiunt. nam Locrenſes in Rhegino agro ſilent, Rheginæ viciſſim Locris mutæ ſunt. huiusque ſilentii nec ipſe cauſam, nec quiſquam alius, niſi ad diſſerendum ſit temerè audax, intelligit. ſola natura novit. Cæterùm, fluminis inter Rheginos & Locros medii, etſi ripæ non jugeris ſpatium diſtant, tamen neutræ transvolant cicadæ.*

[Ad titulum BVTHROTI Locrorum in magnâ Græciâ *amnis*, non procul à Locris urbe, (ut Ortelius refert,) præter nudam citationem loci Liviani, lib. XXIX, nihil adnotavit auctor.] BVTHROTVS, *amnis.*

Ad iſtum amnem Halecem, PERIPOLIVM *opidum*, à Thucydide commemoratur; lib. III: Κατὰ δὲ τοὺς αὐτοὺς χρόνους καὶ οἱ περὶ Σικελίαν Ἀθηναῖοι πλεύσαντες ἐς τὴν Λοκρίδα, ἐν ἀποβάσει τέ τινι τοὺς προσβοηθήσαντας Λοκρῶν ἐκράτησαν, καὶ Περιπόλιον αἱροῦσιν, ὃ ἦν ἐπὶ τῷ Ἄληκι ποταμῷ. Id eſt: *Per eadem tempora Athenienſes etiam, qui circa Siciliam agebant, navigantes in fines Locrenſium, quopiam in exſcenſu Locros, qui loco iverant ſuppetias, vicerunt, Peripolium capientes, urbem quæ ad fluvium adjacet Halecem.* Barrius putat eſſe *Mendolaia*. [An *Bova* epiſcopalis, III millia paſſuum à *Mendolaia*?] PERIPOLIVM, *opidum.*

Vltra Locros eſt SAGRA amnis, Zenobio, Iuſtino, Ciceróni, Straboni, Plinioque memoratus; vulgò nunc *Sagriano* dictus. Strabo, lib. VI: Μετὰ δὲ Λοκρὸς Σάγρας, ὃν θηλυκῶς ὀνομάζουσιν, ἐφ᾽ οὗ βωμοὶ Διοσκούρων, περὶ οὓς Λοκροὶ μύριοι μετὰ Ῥηγίνων πρὸς δεκατρεῖς μυριάδας Κροτωνιατῶν συμβαλόντες ἐνίκησαν. ἀφ᾽ οὗ τὴν παροιμίαν πρὸς τοὺς ἀπιστοῦντας ἐκπεσεῖν φασιν, Ἀληθέστερα τῶν ἐπὶ Σάγρᾳ. προσμεμυθεύκασι δ᾽ ἔνιοι καὶ διότι αὐθημερὸν τοῦ ἀγῶνος ἐνεστῶτος Ὀλυμπίασιν, ἀπαγγελθείη τοῖς ἐκεῖ τὸ συμβὰν, καὶ εὑρεθείη τὸ τάχος τῆς ἀγγελίας ἀληθές. Id eſt: *Poſt Locros ſequitur Sagra fluvius; quem feminino genere efferunt. Ad eum eſt templum Caſtoris & Pollucis. ubi* CCIↃↃ, *Locrenſes unà cum Rheginis, de* CXXX *millibus Crotoniatarum, pugnâ commiſſâ, victoriam reportarunt. unde tractum ajunt proverbium, contra fidem rei alicui deroganteis, Veriora ſunt hæc rebus ad Sagram geſtis. Adjiciunt nonnulli fabulam: eâ ipsâ die, quum Olympicum ageretur certamen, rem iis, qui tum ibi intererant, fuiſſe annuntiatam; veritateque rei nuntii celeritatem comprobatam.* Magis hæc perſpicuè Iuſtinus narrat, lib. XX: *Crotonienſes, indignantes, in oppugnatione Siris, auxilium contra ſe à Locrenſibus latum, bellum his intulerant. Quo metu territi Locrenſes, ad Spartanos decurrunt; auxilium ſupplices deprecantur. Illi longinquâ militiâ gravati, auxilium à Caſtore & Polluce petere eos jubent. Neque legati reſponſum ſociæ urbis ſpreverunt. profectique in proximum templum, facto ſacrificio, auxilium deorum implorant. litatis hoſtiis, obtentoque, ut rebantur, quod petebant, haud ſecus læti, quàm ſi deos ipſos ſecum advecturi eſſent, pulvinaria iis in navi componunt: fauſtiſque profecti omnibus, ſolatia ſuis pro auxiliis deportant. Itaque quum in aciem proceſſiſſent; & Crotonienſium* CXX *millia armatorum conſtitiſſent; Locrenſes, paucitatem ſuam circumſpicientes; nam ſola quindecim millia militum habebant: omiſſâ ſpe victoriæ, in deſtinatam mortem conſpirant. tantusque ardor ex deſperatione ſingulos cepit, ut victores ſe putarent, ſi non inulti morerentur. Sed dum mori honeſtè quærunt, feliciter vicerunt. nec alia cauſa victoriæ fuit, quàm quòd deſperaverunt. Pugnantibus Locris, aquila ab acie numquàm receſſit; eosque tam diu circumvolavit, quoad vincerent. in cornibus quoque duo juvenes, diverſo à cæteris armorum habitu, eximiâ magnitudine, & albis equis, & coccineis paludamentis, pugnare viſi ſunt: nec ultrà apparuerunt, quàm pugnatum eſt. Hanc admirationem auxit incredibilis famæ velocitas. nam eâdem die, quâ in Italiâ pugnatum eſt, & Corintho, & Athenis, & Lacedæmone nunciata eſt victoria.* Atque in memoriam huius victoriæ, honoremque ac venerationem deorum, qui Locrenſeis prœlio adjuverant, TEMPLVM poſuêre in ipſo loco pugnæ CASTORI atque POLLVCI. Eiusdem hiſtoriæ & Cicero & Zenobius meminerunt.

SAGRA *amnis.*

TEMPLVM DIOSCORVM.

LOCANVS, *fluvius.*

Citra Sagram amnem, eſt LOCANVS *fluvius*. Ptolemæus: Μεγάλης Ἑλλάδος παρὰ τὸ Ἀδριατικὸν πέλαγος, Ζεφύριον ἄκρον, Λοκροὶ πόλις, Λοκανοῦ ποταμοῦ ἐκβολαί. ἐν δὲ τῷ κατὰ Σκυλάκιον κόλπῳ πόλις Σκυλάκιον, ὁ μυχὸς τοῦ κόλπου τοῦ Σκυλακίου, Λακίνιον ἄκρον. ἐν δὲ τῷ Ταραντίνῳ κόλπῳ, Κρότων πόλις, Θούριον, Μεταπόντιον, Τάρας. Hoc eſt: *Magnæ Græciæ, ad Adriaticum mare, Zephyrium promontorium, Locri urbs, Locani amnis oſtium. In ſinu autem, qui ad Scylacium eſt, opidum Scylacium, intimus ſinûs Scylaci receſſus, Lacinium promontorium. In ſinu Tarentino, Croton urbs, Thurium, Metapontum, Tarentum.* Satis diſertè patet, citra Cocintum promontorium fuiſſe amnem Locanum; quia poſt eum tandem recenſet ſinum Scylacium, cuius initium ab dicto promontorio Cocinto.

AVLONIA, *vel* CAVLONIA, *opidum.*

Trans Sagram flumen fuit Καυλονία, CAVLONIA, & Καυλὼν, CAVLON; anteà verò Αὐλωνία, AVLONIA, & Αὐλὼν, AVLON. *Opidum* Locrenſis agri inter Sagram Cocintumque promontorium. Opidani inde Καυλωνιάται, CAVLONIATAE, vocantur. Strabo, lib. VI: Μετὰ δὲ τὴν Σάγραν, Ἀχαιῶν κτίσμα Καυλωνία, πρότερον δ᾽ Αὐλωνία λεγομένη, διὰ τὸν προκείμενον αὐλῶνα. ἔστι δ᾽ ἔρημος. οἱ γὰρ ἔχοντες ἐν Σικελίᾳ, ὑπὸ τῶν βαρβάρων ἐξέπεσον, καὶ τὴν ἐκεῖ Καυλωνίαν ἔκτισαν. Id eſt: *Poſt Sagram, Achæorum eſt opus Caulonia, antea Aulonia dicta, à convalle (Græcis hæc eſt* αὐλὼν*) antè ſitâ. Eſt autem deſerta. quidpe qui in Siciliâ habitant, à barbaris ejecti fuerunt, atque Cauloniam, quæ illic eſt, condiderunt.* Nempe Caulonienſes in Italiâ, à Brutiis barbaris opido ſuo ejecti, in Siciliam ſeſe tranſtulerunt, ibique urbem priſcæ patriæ cognomine condiderunt. Stephanus: Καυλωνία, πόλις Ἰταλίας, ἣν Αὐλωνίαν Ἑκαταῖος καλεῖ, διὰ τὸ μέσην αὐλῶνος εἶναι. ὕστερον μετωνομάσθη Καυλωνία. ἔστι καὶ ἄλλη Σικελίας. ἔστι καὶ ἄλλη Λοκρῶν. Hoc eſt: *Caulonia, urbs Italiæ, quam Auloniam Hecatæus vocat; quòd in medio convallis ſita. poſteà mutato vocabulo Caulonia dicta eſt. Eſt & alia in Siciliâ. Eſt & alia Locrorum.* Certè iſta una fuit Locrorum, de quâ Hecatæus, Strabo, Mela, ac Plinius ſcribunt. Stephano Αὔλων. Prope Sagram fuiſſe flumen, è Plinii verbis conjicere datur. Inter Sagram & promontorium Cocintum fuiſſe, clarè patet è Strabonis atque Melæ verbis; quorum hic citra Cocintum, ille ultra Sagram locat. Eſt hodiè convallis ad Elleporum flumen, qui vulgò nunc dicitur *Alaro*; in qua opidum ad dextram fluminis ripam vulgari adpellatione vocatur *Caſtro vitere*, id eſt, *Caſtrum vetus*. [Sed *Caſtro vittere* fortè *Conſilinum*.] Apud Virgilium, Aeneid. lib. III, ita loquitur Aeneas de navigatione ſuâ ab Epiro verſùs Siculum fretum:

Hinc ſinus Herculei, ſi vera eſt fama, Tarenti
Cernitur: attollit ſe diva Lacinia contra,
Caulonisque arceis, & navifragum Scylaceum.

Ad quæ ita Servius: *Caulon mons eſt Calabriæ. Horatius: Et amicus Caulon Fertilis Baccho. In quo opidum fuit à Locris conditum: quod, ſecundùm Hyginum, qui ſcripſit de ſitu urbium Italicarum olim, non eſt. Alii à Caulo, Clitæ Amazonis filio, conditum tradunt.* At Horatii exemplaria rectiùs ad metri rationem habent, *Et amicus Aulon*: ut Martialis, lib. XIII, epigrammate antepenult.

Nobilis & Canis, & felix vitibus Aulon.

Certè *Caulonia*, Locrenſis agri inter Sagram Cocintumque promontorium opidum, CL fermè millia paſſuum à Tarento diſſitum, nullo modo Horatii Martialisque *Aulon* mons eſſe poteſt. Hic an etiam Caulon dictus fuerit, ut vult Servius, etiam nunc dubito. ex Virgilii recenſione planè incertum id manet. nam duæ voces, *Caulonis arceis*, & urbem Cauloniam, & item montem Caulonem ſeu Aulonem ſignificare poſſunt. quidpe *arcem* & *arceis* ſæpiùs Virgilium adpellare montium juga, ſuprà oſtenſum eſt. Et ex verbis, *attollit ſe*, ſcilicet Tarentum, colligi poſſe videtur, intelligere ipſum *Caulonem* ſive *Aulonem montem*: rurſum, quia poſt Lacinium demum promontorium *Caulonis arceis* nominat, veriſimile fit, *Cauloniam urbem* ipſum indigitare velle. Servius certè Aulonem, Tarentini agri montem, cum Caulone, Locrenſis agri opido, confudit.

ELEPORVS, *amnis.*

[Inde in margine annotavit auctor titulum ELEPORI *amnis*, cum duobus locis: Polyæni, ſtratagem. lib. V. in Agathocle; & Polybii, lib. I: de Græcis Italicis ad Eleporum fluvium ab Dionyſio prœlio victis. ubi interpres Latinus, Polybii Ἐλλέπορον vertit ELORVM.]

Porrò opidorum in hoc litore inter Locros & Cocintum ſitorum fuit CONSI-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

LINVM CASTRVM. quod quia tum Plinius tum Mela inter Cocintum promontorium & Cauloniam collocat, eo fuerit ſitu, quo nunc conſpicitur opidum *La Motta*. [*Arvicito.*] CONSILINVM, *caſtrum.*

MISTIAM Plinii, idem eſſe opidum quod apud Melam legitur *Myſtræ*; nemo dubitat. At vitiatum hoc eſſe vocabulum, patet è Stephano; apud quem ita: Μυστία, πόλις Σαυνιτῶν· Φίλιστος ἐνδεκάτῳ· οἱ οἰκήτορες, Μυστιανοί· ὡς τῆς Ὠστίας Ὠστιανοί. Id eſt: *Myſtia, opidum Samnitum; auctore Philiſto, lib.* XI. *incolæ, Myſtiani; ut ab Oſtiâ Oſtiani.* Philiſtus *Samniteis* adpellavit hoc loco Brutios, quia hi illorum progenies; ut ſuprà monſtratum. Opidum igitur hoc dictum fuit MYSTIA; & Romanis, qui Græcam literam υ fugiebant, MISTIA, ſeu, plurali numero, MISTIAE. Hinc eisdem Romanis opidani haud dubiè fuêre MYSTIENSES, ſive MISTIENSES; ut ab *Oſtiâ Oſtienſes*. Cæterùm, Myſtiam Plinii, eodem tractu inter Cauloniam & Cocintum vel Conſilinum, quia anguſtia litoris non admittit; malo Melæ ſententiam amplecti, inter Cocintum promontorium & Cæcinum opidum id locantis, quo tractu nunc conſpicitur locus vulgò *Monte Arachi* dictus. MYSTIA, *opidum.*

Ipſum *opidum* CAECINVM, Antonini Itinerario eſt COCINTVM; Stephano Καίκινον. unde etiam Thucydidi ac Plinio fluvius CAECINOS. Antonini Itinerarium ita habet: CAECINVM, *vel* CARCINVM, *opidum ac flumen.*

Turias		
Roſcianum	XII.	
Paternum	XXVII.	12.
Meto	XXXII.	
Tacina	XXXIIII.	
Scilacis	XXII.	
Cocinto	XXII.	
Succeiano	XX.	24.
Altanum	XX.	
Hypporum	XXIIII.	
Decaſtadium	XXII.	12.
Regio	XX.	

Roſcianum, Tacina flumen, Scilaci, Decaſtadium, Regium, hodieque vocantur, *Roſſano, Tacina, Squilacci, Caſtidio, Reggio*. Ex hoc igitur itineris ductu; item ex intervallo XXII millium, quæ ponuntur inter Scylacium & Cocintum; ſatis apertè patet, Cocintum eſſe idem opidum quod nunc vulgari vocabulo dicitur *Stillo*, vel *Stilo*. unde etiam promontorium, quod olim ab Cocinto opido dicebatur Cocintum, nunc vocatur *Capo di Stilo*. Fluvius autem Stillum opidum præterfluens, vulgò nunc adpellatur adcolis *Alece*; qui Plinii ille eſt *Cæcinus*, Thucydidi Καίκινος. Sed idem amnis ι in ρ converſo, dictus eſt Κάρκινος, CARCINVS: & opidum etiam atque promontorium, Κάρκινον, CARCINVM. nam hoc vocabulo in nonnullis Plinii exemplaribus vocatur promontorium id Italiæ longiſſimum, quod *Cocintum* alia adpellant. Eodem item vocabulo in quibusdam Melæ exemplaribus eſt opidum quod alia vocant *Cæcinum*. Item prædictus fluvius Cæcinos, in nonnullis Plinii exemplaribus eſt *Carcinos*. Quibus ſanè exemplaribus fidem haberem haud temerè, ni etiam nummi exſtarent antiqui cum nomine Καρκινίων. Apud Appianum, bell. civil. lib. v, legitur vocabulum Κόκκυνον pro Πάχυνον. Cæterò, fluvius hic ſuprà etiam deſcriptus eſt ſub nomine ALEX.

Poſt millia igitur, ut ſuprà dictum, XXII à Cæcino, ſequitur opidum, quod nunc vulgò *Squilacci*, olim autem SCYLACIVM & SCYLACEVM, anteà verò SCYLLETIVM dicebatur. Strabo, lib. VI, memoratâ Cauloniâ: Μετὰ δὲ ταύτην Σκυλλήτιον, ἄποικος Ἀθηναίων, τῶν μετὰ Μενεσθέως. νῦν δὲ Σκυλάκιον καλεῖται. Id eſt: *Poſt hanc eſt Scylletium, colonia Athenienſium, qui Meneſtheum ſequebantur. nunc autem Scylacium dicitur.* Idem vocabulum & Plinius ac Ptolemæus referunt. at apud Melam, verbis ſuprà ad Italiæ frontem perſcriptis, geminato *ll*, *Scyllaceus* legitur *ſinus*, & *Scyllaceum opidum*. an ſatis ſine mendo, neſcio. Virgilius certè, atque Ovidius, cum Strabone, ac Plinio, & Antonino, unico ſcripſit *l*, primâ ſyllabâ brevi. Ad Virgilii locum, Aeneid. lib. III, ſic Servius: *Dictum Scyllaceum aut à* SCYLACIVM, *opidum.*

tactu, vel à periculi ſimilitudine. nam inde Scylla longè eſt. Alii dicunt, Vlyxen poſt naufragium in Italiâ de navium fragmentis civitatem ſibi feciſſe, quam Navifragum Scyllacæum nominavit. Alii, ab Athenienſibus, qui cum Mneſtheo duce venerant, & à Libyâ redierant, conditum tradunt. Illud ſanè de Vlyſſe ſatis ineptum ridiculumque grammaticorum, Virgilii interpretantium verba, commentum. Cæterùm ex iſtis Virgilii verbis, *Navifragum Scylacæum*, patet, apud Melam quoque penultimam eſſe longam, *Scyllaceum*. Nummus antiquus refert vocabulum Σκυλλατίων; unde opidum ipſum fuerit Σκυλλάτιον, SCYLLATIVM. quod Tabulæ itinerariæ eſt SCILATIVM. Primis incolis atque conditoribus Athenienſibus fuiſſe gemino λλ, Σκυλλήτιον, SCYLLETIVM, concors exemplarium, Ariſtotelis, Strabonis, Plinii, & Stephani, teſtatur ſcriptura. Strabonis ac Plinii verba modò citata ſunt. Apud Stephanum hæc ſunt: Σκυλλήτιον, πόλις Σικελίας, ὡς Εὔδοξος ἕκτῃ. τὸ ἐθνικὸν, Σκυλλητῖνοι. τὸ κτητικὸν, Σκυλλητικός. Id eſt: *Scylletium, urbs Siciliæ; ut auctor eſt Eudoxus, lib. VI. Gentile, Scylletini. poſſeſſivum, Scylleticus.* Hinc, qui *Scyllaceus* Melæ, & Σκυλάκιος, *Scylacius*, Ptolemæo ac Plinio dicitur *ſinus*, Ariſtoteli atque Straboni vocatur Σκυλλητικὸς κόλπος, id eſt, *Scylleticus ſinus*: qui nunc ab eodem opido vulgari adpellatione eſt *Golfo de Squillaeci*. Strabo, prædicto loco: Ἀπὸ δὲ τῆς πόλεως καὶ ὁ κόλπος Σκυλλητικὸς ὠνόμασται, ποιῶν τὸν εἰρημένον ἰσθμὸν πρὸς τὸν Ἱππωνιάτην κόλπον. Hoc eſt: *Ab opido ſinui etiam Scylletico nomen eſt inditum; qui cum ſinu Hipponiate iſthmum prædictum efficit.* Cæterùm, Dionyſii locus & quæ huc pertinent de ſinu Scylletico, ex ſuprà ſcriptis ad LAMPETINVM SINVM petantur.

CASTRA ANNIBALIS, *portus.* In proximo à Scylacio opido litore, fuit *portus*, cui nomen CASTRA ANNIBALIS; Plinio, Solino, Martiano, atque Tabulæ itinerariæ memoratus. Plinii ex lib. III, cap. X, verba omnia ſuperiùs hoc exſtant capite ad *Italiæ frontem*. Solinus, cap. VIII, ita perſcribit: *Italia artiſſima eſt ad portum quem Annibalis Caſtra dicunt. neque enim excedit quadraginta millia.* Martianus, lib. VI: *Anguſtior plurimùm eſt ad portum quem Annibalis Caſtra dicunt. nam vix ibi XX millia paſſuum lata eſt.* Et poſteà: *Portus, qui Hannibalis Caſtra dicuntur: ubi latitudo Italiæ viginti ſolis millibus æſtimatur.* Sic ſcilicet auctores hi, vel ſaltem exemplaria eorum, variant. nam in Plinii quoque nonnullis exemplaribus legitur XL *millia paſſuum*. & peiùs in quibuſdam Martiani, CXXX. Vtique fuiſſe ab ipſis auctoribus ſcriptum XX millia; ipſum iſthmum pedibus permenſus didici: & Ariſtotelis etiam, de eâdem iſthmi longitudine verbis, confirmari poteſt. In Tabulâ tractus hic ab librariis turbatus eſt. quidpe à Vibone Valentiâ, quod erat opidum ad ſinum Vibonenſem ſive Hipponiatem ſeu Terinæum, ad Scylacium XXV ſcripta ſunt millia: hinc verò ad Annibalis Caſtra bis XXX. Nimirum à Vibone ad Scylacium millia erant XV. at ab eodem Vibone ad Caſtra Annibalis erant millia XX. Celebre fuiſſe etiam poſterioribus temporibus opidum, docet eadem Tabula; in quâ primariæ urbis ſigno depictum eſt.

CROTALVS, SEMIRVS, AROCHA, TARGINES, *amnes.* SIMARI, *opidum.* Porrò, in Scylacio ſinu, *amnes* fuêre præter ſuprà memoratum Cæcinum, CROTALVS, SEMIRVS, AROCHA, TARGINES. Ex his SEMIRVS extra controverſiam is eſt, qui vulgari hodiè vocabulo adcolis dicitur *Alli*. quidpe ad huius ſiniſtram ripam opidum etiam nunc vulgò vocatur *Simari*. AROCHA etiam ſine dubio eſt is, qui vulgò nunc dicitur, mutatâ *r* in liquidam *l*, *Alaca*. Plinium Semirum præpoſuiſſe Arochæ, nihil jam ſit mirum, quoniam innumera alia vocabula alieniſſimis locavit ſitibus; ut ſatis ſuperque ſuprà patuit. TARGINES, quem ultimum nominat ante promontorium Lacinium, haud dubiè idem eſt, qui Antonino in Itinerario ante *Scylacium*, & hodiéque vulgò eſt *Tacina*, amnis navigabilis. Iam verò CROTALVS, & ipſe, Plinio teſte, navigabilis, nullus alius eſſe poteſt, quàm qui ſolus eo indicio, poſt jam memoratos relictus.

IAPYGVM PROMONTORIA. Strabo, lib. VI, ſic pergit: Μετὰ δὲ τὸ Σκυλλήτιον ἡ Κροτωνιᾶτις χώρα, καὶ τῶν Ἰαπύγων ἄκραι τρεῖς· μετὰ δὲ ταῦτα τὸ Λακίνιον. Id eſt: *Poſt Scylletium ſequitur Crotonienſis ager, & IAPYGVM PROMONTORIA TRIA: Poſt hæc, Lacinium.* Itaque tria iſta IAPYGVM PROMONTORIA nulla alia fuêre, quàm quæ nunc vulgaribus adpellationibus incolis dicuntur *Capo delle Caſtelle*, *Capo Rizzuto*, & *Capo della Nave*. Hoc protinus ſubſequitur *Capo delle Colonne*, hoc eſt, Lacinium promontorium: & poſt hoc, opidum *Crotone* vulgari vocabulo; quod vetus eſt Croton. Idem Strabo paullo poſt: Ὤικουν δ' Ἰάπυγες τὴν Κρότωνα πρότερον, ὡς Ἔφορός φησιν. Id eſt: *Crotonem prius Ia-*

pyges

pyges incoluerunt: ut auctor eſt Ephorus. Hinc igitur etiam poſterioribus temporibus cognomen prædictis manſit promontoriis.

LACINIVM *promontorium* eſſe id, quod nunc vulgò dicitur *Capo delle Colonne*, inde patet, quòd proximè ante Crotonem ponitur opidum, quod etiam nunc detorto vocabulo vocatur *Crotone*. Ob Templum Iunonis Laciniæ clarum eſt apud auctores. de quo Templo mox plura dicentur. Plinius, lib. III, cap. XI: *A Lacinio promontorio ſecundus Europæ ſinus incipit, magno ambitu flexus; & Acroceraunio Epiri finitur promontorio. à quo abeſt* LXXV *millia paſſuum opidum Croto; amnis Neæthus; opidum Thurium.* Cum Plinio conſentit Mela, verbis ſuprà citatis; & Ptolemæus. Strabo, lib. VI: Μετὰ δὲ τὸ Σκυλλήτιον ἡ Κροτωνιᾶτις χώρα, καὶ τῶν Ἰαπύγων ἄκραι τρεῖς. μετὰ δὲ ταῦτα τὸ Λακίνιον, Ἥρας ἱερὸν, πλούσιόν ποτε ὑπάρξαν, καὶ πολλῶν ἀναθημάτων μεστόν. τὰ διάρματα δ' οὐκ εὐκρινῶς λέγεται, πλὴν ὥστε γε ἐπιπολὺ σταδίους ἀπὸ πορθμοῦ μέχρι Λακινίου Πολύβιος ἀποδίδωσι δισχιλίους καὶ τ. ἐντεῦθεν δὲ τὸ διάρμα εἰς ἄκραν Ἰαπυγίαν ψ. τοῦτο μὲν οὖν στόμα λέγουσι τοῦ Ταραντίνου κόλπου. ἀρχὴ δ' αὐτοῦ τὸ Λακίνιον. κάμψασι γὰρ εὐθὺς αἱ τῶν Ἀχαιῶν πόλεις ἦσαν, αἳ νῦν οὐκ εἰσὶ, πλὴν τῶν Ταραντίνων· ἀλλὰ διὰ τὴν δόξαν τινῶν ἄξιον καὶ ἐπὶ πλέον αὐτῶν μνησθῆναι. πρώτη δ' ἐστὶ Κρότων, ἐν ἑκατὸν καὶ ν σταδίοις ἀπὸ τοῦ Λακινίου· καὶ ποταμὸς Αἴσαρος καὶ λιμὴν, καὶ ἄλλος ποταμὸς Νέαιθος. Hoc eſt: *Poſt Scylletium eſt Crotonienſis ager, & Iapygum tria promontoria. poſt hæc, Lacinium Iunonis templum, dives quomdam, multisque refertum donariis. Trajectuum intervalla non eſt facile certò indicare: niſi quòd Polybius ferme à freto ad Lacinium tradit eſſe ſtadia* II CIↃCCC. *Hinc ad Iapygium promontorium trajectus eſt ſtadiorum* IↃCC. *Atque hæ dicuntur fauces ſinus Tarentini. Initium eius eſt à Lacinio. Inde curſu flexo ſtatim Achæorum occurrebant urbes; quarum hodie nulla exſtat præter Tarentum. Verùmtamen ob quarumdam nominis celebritatem operæ pretium eſt, copioſiùs earum facere mentionem. Prima eſt Croto,* CL *ſtadiis à Lacinio diſſita: & amnis Aeſarus & portus; aliusque inde amnis Neæthus.* Hinc etiam CROTONIS dictum eſt quibusdam PROMONTORIVM: ἀκρωτήριον Κρότωνος. Huc illud Suidæ pertinet: Λακίνιον, ὄρος Κρότωνος, καὶ Λακινία τόπος. *Lacinium, Crotonis mons, & Lacinia regio.* Et illa Stephani verba: Λακίνιον, ὄρος Κρότωνος· Λυκόφρων· Καὶ Λακινίου μυχούς. Id eſt: *Lacinium, mons Crotonis: Lycophron; Lacinii ſinus.* Verſus integer Lycophronis talis eſt:

LACINIVM *promontorium.*

Ἥξει δὲ Σῖριν καὶ Λακινίου μυχούς.

Id eſt:

Adibit Sirin & Lacinii ſinus.

Sinum Tarentinum, in quo erant Siris flumen & opidum, à promontorio dixit *Lacinii ſinum*; quia is inter Lacinium & Salentinum ſeu Iapygium promontoria comprehenditur. Alio item nomine, ἀπὸ τῆς Διοσκόρων νήσου, ab DIOSCORORVM ſive CASTORVM INSVLA adjacente quæſito, dictum fuit hoc promontorium Lacinium Διοσκουριὰς ἄκρα, DIOSCVRIAS PROMONTORIVM; Diodoro, lib. XIII. De quâ inſulâ Plinius ſic; lib. III, cap. X: *Promontorium Lacinium. cuius ante oram inſula, X millia paſſuum à terrâ, Dioscorûm; altera Calypsûs; quam Ogygiam adpellaſſe Homerus exiſtimatur. præterea, Tyris, Eranuſa, Meloëſſa. ipſam à Caulone abeſſe* LXX *millia paſſuum, prodidit Agrippa.*

INSVLA DIOSCORVM, *vel* CASTORVM.

OGYGIA INSVLA, ſedes CALYPSVS, in qua detentus fertur Vlyſſes ab Calypſo, memoratur Homero, Odyſſ. lib. I, VI, XII. Hyginus, cap. CXXV, Vlyſſis errores pertexens, *Acæam* adpellat. Verùm Poëta ſub finem Vlyſſei libri XII, naufragium narrans, quod ad fretum Siculum paſſus erat Vlyſſes, ita canit:

OGYGIA, *vel* CALYPSVS INSVLA.

Αὐτὰρ ἐγὼ διὰ νηὸς ἐφοίτων, ὄφρ' ἀπὸ τοίχους
Λῦσε κλύδων τρόπιος· τὴν δὲ ψιλὴν φέρε κῦμα·
Ἐκ δέ οἱ ἱστὸν ἔαξε ποτὶ τρόπιν. αὐτὰρ ἐπ' αὐτῷ
Ἐπίτονος βέβλητο βοὸς ῥινοῖο τετευχώς.
Τῷ ῥ' ἄμφω συνέεργον ὁμοῦ τρόπιν ἠδὲ καὶ ἱστόν.
Ἑζόμενος δ' ἐπὶ τοῖς, φερόμην ὀλοοῖς ἀνέμοισιν.
Ἔνθ' ἤτοι Ζέφυρος μὲν ἐπαύσατο λαίλαπι θύων.
Ἦλθε δ' ἐπὶ Νότος ὦκα, φέρων ἐμῷ ἄλγεα θυμῷ,
Ὄφρ' ἔτι τὴν ὀλοὴν ἀναμετρήσαιμι Χάρυβδιν.
Παννύχιος φερόμην. ἅμα δ' ἠελίῳ ἀνιόντι

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Ἦλθον ἐπὶ Σκύλλης σκόπελον, δεινήν τε Χάρυβδιν.
Ἡ μὲν ἀνερροίβδησε θαλάσσης ἁλμυρὸν ὕδωρ.
Αὐτὰρ ἐγὼ ποτὶ μακρὸν ἐρινεὸν ὑψόσ' ἀερθεὶς,
Τῷ προσφὺς ἐχόμην, ὡς νυκτερὶς, οὐδέπη εἶχον
Οὔτε στηρίξαι ποσὶν ἔμπεδον, οὔτε ἐπιβῆναι.
Ῥίζαι γὰρ ἑκὰς ἦσαν, ἀπήωροι δ' ἔσαν ὄζοι,
Μακροί τε μεγάλοι τε, κατεσκίαον δὲ Χάρυβδιν.
Νωμελέως δ' ἐχόμην, ὄφρ' ἐξεμέσειεν ὀπίσσω
Ἱστὸν καὶ τρόπιν αὖθις· ἐελδομένῳ δέ μοι ἦλθεν
Ὄψ', ἦμος δ' ἐπὶ δόρπον ἀνὴρ ἀγορῆθεν ἀνέστη,
Κρίνων νείκεα πολλὰ δικαζομένων αἰζηῶν.
Τῆμος δὴ τά γε δοῦρα Χαρύβδιος ἐξεφαάνθη.
Ἧκα δὴ ἐγὼ καθόπερθε πόδας καὶ χεῖρε φέρεσθαι.
Μέσσῳ δ' ἐνδούπησα παρὲξ περιμήκεα δοῦρα.
Ἑζόμενος δ' ἐπὶ τοῖσι, διήρεσα χερσὶν ἐμῇσι.
Σκύλλην δ' οὐκ ἔτ' ἔασε πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε
Εἰσιδέειν· οὐ γάρ κεν ὑπέκφυγον αἰπὺν ὄλεθρον.
Ἔνθεν δ' ἐννῆμαρ φερόμην· δεκάτῃ δέ με νυκτὶ
Νῆσον ἐς Ὠγυγίην πέλασαν θεοί· ἔνθα Καλυψὼ
Ναίει ἐϋπλόκαμος, δεινὴ θεὸς, αὐδήεσσα,
Ἥ μ' ἐφίλει τ' ἐκόμει τε.

Hoc eſt:

Cæterùm ego per navim incedebam; donec latera
Solvebat vis tempeſtatis carinæ: quam inermem ferebat fluctus:
Evulſum autem malum fregit usque ad fundum. cæterùm ſuper ipſo
Lorum revinctum erat, bovis corio factum.
Hoc utramque colligavit carinam pariter atque malum.
Sedens ego ſuper hæc, ferebar pernicioſis ventis.
Tum utique Zephyrus quidem ceſſavit, turbine ſæviens:
At Notus ſupervenit celeriter, ferens dolores animo;
Donec rurſus ad pernicioſam rejicerer Charybdin.
Totâ nocte ferebar. tandem ſole oriente
Veni ad Scyllæ ſcopulum, horrendamque Charybdin.
Hæc quidem abſorpſit maris ſalſam aquam.
At ego ad altam caprificum ſublimè levatus,
Huic implicitus tenebar, veluti veſpertilio. neque uspiam potui
Vel ſtabilire pedem firmiter, neque aſcendere.
Radices enim longè erant, diſtantesque erant rami,
Longinqui ingentesque; qui obumbrabant Charybdim.
Indeſinenter ego tenebam; donec illa emoveret retrorſum
Malum & carinam denuò. namque cupienti mihi evenit
Tandem: nempe quando ad prandium judex è foro ſurgit,
Iudicatis litibus multis litigantium virorum.
Tum denique hæc ligna è Charybdi adparebant.
Senſim ego deſuper pedeis ac manus demittebar.
Medio autem, cum ſonitu cecidi extra oblonga ligna.
Sedens autem ſuper ea, remigavi manibus meis.
Scyllam verò non ampliùs permiſit pater hominumque deûmque
Adſpicere. neque enim effugere potuiſſem ſævam mortem.
Hinc autem novem diebus ferebar. decimâ verò me nocte
In Ogygiam inſulam adpulerunt dii; ubi Calypſo
Habitabat, pulcricoma, veneranda dea, celebris:
Quæ me amavit fovitque.

Et, ubi à Calypſo ex Ogygiâ inſulâ domum verſùs ad Ithacam inſulam Vlyſſes navigans tempeſtate correptus variisque ventis jactatus diis; quâ de re poëta canit, lib. v; tandemque ad Phæacam inſulam ejectus fuit: ita Poëta loquentem introducit, lib. vi:

Χθιζὸς ἐεικοςῷ φύγον ἤματι οἴνοπα πόντον.
Τόφρα δέ μ' ἀεὶ κῦμα φορεῖ κραιπναί τε θύελλαι
Νήσου ἀπ' Ὠγυγίης.

Id eſt:

Heri vigeſimo effugi demum die nigrum pontum,
Intereà me usque fluctus ferebat, & celeres procellæ
Inſulâ ab Ogygiâ.

Equidem ex communi priſci mortales opinione, Vlyſſem in magno Oceano, circa Hiſpaniæ, Galliæ, atque Britanniæ litora errasse rati ſunt. In quam opinionem duæ potiſſimùm res eos impuliſſe videntur. Primùm, longinquitas temporis decennalium errorum; quæ tam exiguo inter Corcæum Italiæ montem & Ithacam locorum ſpatio minimè videbatur congruere. Tum, quòd Oceanum in iiſdem erroribus haud ſemel poëta nominet. Atque huius rei ſatis diſertum teſtimonium apud Strabonem, lib. VII; ubi ita de Apollodoro ait: Ἐπιτείνει δὲ καὶ τοῖς περὶ Σικελίαν τὴν πλάνην λέγουσι καθ' Ὅμηρον τὴν Ὀδυσσέως. εἰ γὰρ αὖ, χρῆναι τὴν μὲν πλάνην ἐκεῖ γεγονέναι φάσκειν· τὸν δὲ ποιητὴν ἐξωκεανικέναι, μυθολογίας χάριν. Id eſt: *Quin & eos inſectatur, qui de ſententiâ Homeri, Vlyſſem circa Siciliam vagatum fuiſſe adfirmant. quidpe, ſi quid tale credere oporteat, dicendum fuiſſe, Vlyſſem quidem eò locorum erroribus actum; ſed poëtam fabularum introducendarum gratiâ in Oceanum eos deduxiſſe.* Verùm, non tantùm ipſum mare internum, quod ſatis magno ambitu Europam Africamque & Aſiam interluit, Homerum adpellaſſe *Oceanum*: ſed & Lucrinum Avernumque lacus eum vocaſſe ῥόον ποταμοῖο Ὠκεανοῖο, id eſt, *fluentum fluminis Oceani*; ſuprà ad deſcriptionem dictorum lacuum oſtenſum eſt. ubi etiam, uti & in Cumarum lacûs deſcriptione, oſtenſum, navigationem Vlyſſis, internum mare non exceſſiſſe. Vnus Homerus quum de Vlyſſis poſt everſionem Ilii erroribus ſcripſerit; eosque tam diſertis verbis mari interno certisque circa Italiam atque Siciliam locis ac temporum ſpatiis circumſcripſerit: miror ſanè, fidem iis poëtæ verbis poſteriores mox quosdam ſcriptores non habuiſſe; ſed in ipſum magnum maluiſſe prædictos Vlyſſis errores deducere Oceanum. Sed nunc ipſius Poëtæ monſtrandum etiam verbis eſt ſuprà ſcriptis; inſulam ne ille Oceani occidentalis, V dierum navigatione à Britanniâ versùs Oceanum ſitam, intellexerit; an eam, quæ circa Lacinium promontorium CALYPSVS dicitur INSVLA Plinio. Equidem, ſuprà ſcriptis Poëtæ verbis conſideratis; quis jam credat, Vlyſſem, poſt naufragium carinæ contuſæ navis, maloque inſidentem, ac manibus nudis in vicem remorum undas propulſantem, IX dierum ſpatio à freto Siculo ad inſulam V dierum navigationem ab Britanniâ in occaſum versùs diſſitam, potuiſſe pervenire: inde verò variis ac diverſis ventis jactatâ navi, vigeſimo tamdem die ad Corcyram adpuliſſe? Facilior erat propulſio ad Lacinium promontorium versùs, ubi Calypsûs inſulam Ogygiam ex aliorum auctorum ſententiâ ponit Plinius. Hinc, quid mirum, ſi per XX dies variis diverſisque ventis, antequàm in Corcyram, quæ CXX millia paſſuum ab Lacinio abeſt, ejiceretur, jactatum fuiſſe, Poëta ad exaggerandam tempeſtatem tradidit? Erravit itaque & Callimachus apud Strabonem, dicto lib. VII; ὃς τὴν Γαῦλον Καλυψοῦς νῆσον ἔφη, *qui Gaulum Calypsûs dixit eſſe inſulam.* nam Gaulum ultra Siciliam Melitæ ab occaſu objacet. neque huc IX dierum ſpatio Vlyſſes, ad prædictum modum vectus, contrario vento Noto flante, pervenire potuiſſet. & Poëta, Odyſſ. lib. XIII tradit, unius diei uniusque noctis navigatione à Phæaciâ, quæ eadem & Corcyra eſt, ad Ithacam, quæ CXV circiter à Corcyrâ diſtat millia paſſuum, adpuliſſe Vlyſſem: quod ab Gaulo, CCCC ampliùs ab Ithacâ diſſito, fieri eo temporis ſpatio minimè poterat. Scheriam inſulam autem, ſive Phæaciam, eamdem eſſe Corcyram, auctor Plinius eſt, lib. IV, cap. XII: & dictus Callimachus in citatis verbis; quamquàm ab ſuprà nominato Apollodoro ex ſententiâ Erathoſtenis reprehenſus atque riſus fuit; ὃς τὴν Γαῦλον Καλυψοῦς νῆσον ἔφη, τὴν δὲ Κέρκυραν Σχερίαν· *qui Gaulum Calypsûs dixit eſſe inſulam, Corcyram verò Scheriam.* Ex his itaque argumentis ſatis jam conſtat, eam intellexiſſe Homerum INSVLAM OGYGIAM, Calypsûs ſedem, quæ etiam longè pòſt, teſte Plinio, vocata fuit juxta Lacinium promontorium CALYPSVS INSVLA.

Sed tempus eſt, ad ipſum reverti promontorium Lacinium, & de Templo Iunonis Laciniæ dicere. TEMPLVM IVNONIS LACINIAE ad ſeptemtrionale fuiſſe promon- TEMPLVM IVNONIS LACINIAE.

promontorii Lacinii latus, quod Crotoni urbi obverſum, ex Diodori verbis patet: ubi adcurato ordine navigatio illa præter hoc litus à Tarento ad Rhegium deſcribitur. Λαβόντες, inquit, ἀγορὰν παρὰ τῶν Κροτωνιατῶν, τό τε Λακινίας Ἥρας ἱερὸν παρέπλευσαν, καὶ τὴν Διοσκουριάδα καλουμένην ἄκραν ὑπερέθεντο. Id eſt: *Rerum venalium foro à Crotonienſibus præbito, Laciniæ Iunonis templum prætervecti ſunt, promontoriumque Dioſcoriadem transiverunt.* Diodoro adſtipulans Livius, lib. XXIV, intervallum inter dictum Templum & Crotonem urbem facit VI millium. *Sex millia*, inquit, *aberat ab urbe Crotone nobile Templum, ipsâ urbe nobilius, Laciniæ Iunonis, ſanctum omnibus circà populis. lucus ibi, frequenti ſilvâ & proceris abietis arboribus ſeptus, læta in medio paſcua habuit; ubi omnis generis ſacrum deæ paſcebatur pecus ſine ullo paſtore: ſeparatimque egreſſi cuiusque generis greges, nocte remeabant ad ſtabula; numquàm inſidiis ferarum, non fraude violati hominum. Magni igitur fructus ex eo pecore capti. columnaque inde aurea ſolida facta, & ſacrata eſt. Inclytum templum divitiis etiam, non tantùm ſanctitate, fuit.* Amplitudo eius, magnificentia atque ſplendor, inde adparet, quòd ampliſſimo Romæ urbis templo fuerit duplo amplius, marmoreisque tegulis tectum; aureamque habuerit columnam. Livius, lib. XLII, in conſulatu L. Poſthumii Albini & M. Popilii Lænatis; id eſt, anno à Româ conditâ IↃLXXXI: *Eodem*, inquit, *anno, ædes Iunonis Laciniæ detecta. Q. Fulvius Flaccus, cenſor, ædem Fortunæ Equeſtris, quam in Hiſpaniâ prætor bello Celtiberico voverat, faciebat enixo ſtudio, ne ullum Romæ amplius aut magnificentius templum eſſet. magnum ornamentum ſe templo ratus adjecturum, ſi tegulæ marmoreæ eſſent. Profectus in Brutios, ædem Iunonis Laciniæ ad partem dimidiam detegit: id ſatis fore ratus ad tegendum quod ædificaretur.* Valerius Maximus reportatas teſtatur tegulas poſt mortem Fulvii; quem anno pòſt mortuum tradit Livius eodem libro: *Eo anno* [C. Popilio Lænate, P. Aelio Ligure, coſſ.] *ſacerdotes publici mortui; L. Aemilius Pappus, decemvir ſacrorum; & Q. Fulvius Flaccus, pontifex, qui priore anno fuerat cenſor. Hic fœdâ morte periit. ex duobus filiis eius, qui tum in Illyrico militabant, nuntiatum, alterum deceſſiſſe, alterum gravi & periculoſo morbo ægrum eſſe. Obruit animum ſimul luctus metusque. Manè ingreſſi cubiculum ſervi, laqueo dependentem invenêre. Erat opinio, poſt cenſuram minùs compotem fuiſſe ſui. vulgò, Iunonis Laciniæ iram, ob ſpoliatum templum, alienaſſe mentem, ferebant.* Valerius Maximus ſic refert; lib. I, cap. I: *Q. Fulvius Flaccus impunè non tulit, quòd in cenſurâ tegulas marmoreas ex Iunonis Laciniæ templo in ædem Fortunæ Equeſtris, quam Romæ faciebat, tranſtulit. negatur enim, poſt hoc factum mente conſtitiſſe. quin etiam per ſummam ægritudinem animi exſpiravit; quum ex duobus filiis in Illyrico militantibus, alterum deceſſiſſe, alterum graviter audiſſet affectum. Cuius caſu motus ſenatus, tegulas illico reportandas curavit; decretique circumſpectiſſimâ ſanctione impium opus cenſoris retexuit.* De aureâ Columnâ ita Cicero, de divinat. lib. I: *Annibalem, Cœlius ſcribit, quum Columnam auream, quæ eſſet in fano Iunonis Laciniæ, auferre vellet; dubitaretque, utrùm ea ſolida eſſet, an extrinſecùs inaurata; perterebraviſſe. quumque ſolidam inveniſſet, ſtatuiſſetque tollere; ſecundùm quietem viſam eſſe Iunonem prædicere ne id faceret; minitarique, ſi id feciſſet, ſe curaturam, ut eum quoque oculum, quo benè videret, amitteret. idque ab homine acuto non eſſe neglectum. Itaque ex auro, quod exterebratum eſſet, buculam curaſſe faciendam; & eam in ſummâ columnâ collocaviſſe.* Cæterùm, de eodem Templo Lacinio ita tradit cum Livio, Valerioque Plinius; lib. II, cap. CVII: *Reperitur apud auctores, in Laciniæ Iunonis arâ, ſub dio ſitâ, cinerem immobilem eſſe, perflantibus undique procellis.*

CROTON, *urbs.*

Laciniæ Iunonis fanum à VI millibus paſſuum ſequebatur *urbs celeberrima*, Κρότων Græcis, Latinis CROTO, & CROTON, & CROTONA; vulgò hodiè *Crotone* dicta. Meminêre illius, Lycophron, Martianus Heracleenſis, Heraclides, Strabo, Ptolemæus, Diodorus, Diogenes Laërtius, Zenobius, Svida, Theocriti ſcholiaſtes, Dionyſius Afer, eiusque ſcholiaſtes Euſtathius, Stephanus, Cicero, Ovidius, Livius, Plinius, Solinus, Mela, Iuſtinus, Tabula, Petronius. *Opidani* inde ſunt, Græcis, itemque Livio, Κροτωνιᾶται, CROTONIATAE; Romanis CROTONIENSES. Ptolemæus: Λακίνιον ἄκρον, Κρότων πόλις, Θούριον. Id eſt: *Lacinium promontorium, Croto urbs, Thurium.* Mela, lib. II, cap. IV; adverſo itinere: *Heraclea, Croto, Thurium.* Hic perperàm Crotonem Thurio præpoſuit. Plinium & Strabonem ſuperiùs jam aliquoties audivimus. Livius, lib. XXIV: *Itaque per ſe ipſi* [Brutii] *conſcriptis arma-*

tisque juventutis ſuæ XV *millibus, ad Crotonem oppugnandam pergunt ire, Græcam & ipſam urbem, & maritimam. plurimum acceſſurum opibus, ſi in orâ maris portum ac urbem mœnibus validam tenuiſſent, credentes*. Paulo pòſt: *Vrbs Croto murum in circuitu patentem* XII *millia paſſuum habuit, ante Pyrrhi in Italiam adventum. Poſt vaſtitatem eo bello factam, vix pars dimidia habitabatur. Flumen, quod medio opido fluxerat, extra frequentia tectis loca præterfluebat muros, procul iis quæ inhabitabantur*. Mox: *Et arx Crotonis unâ parte imminet mari; alterâ vergente in agrum; ſitu navali quomdam munita, poſteà & muro cincta. quâ per adverſas rupes ab Dionyſio Siciliæ tyranno per dolum fuerat capta*. AMNIS, qui mediam urbem interfluebat, erat Αἴσαρος, AESARVS; teſtibus Dionyſio Afro, Strabone, ac Theocriti ſcholiaſte, in IV Idyll. Hinc etiam Iſacio, Lycophronis commentatori, dicitur τὰ ῥεῖθρα τοῦ Αἰσάρου, ποταμοῦ τοῦ Κρότωνος; id eſt, *fluentum Aeſari, fluminis Crotonis*. Nomen antiquum hodieque ſervat, vulgò *Eſaro* adcolis dictus. Memoratur præterea Theocrito, Lycophroni, Ovidio. Nomen id unde acceperit, oſtendit Euſtathius, Dionyſii Afri commentator: Ὁ δὲ περὶ Κρότωνα ποταμὸς Αἴσαρος ἀπὸ κυνηγοῦ Αἰσάρου καλεῖται· ὃς ἐλάφῳ διωκομένῃ αὐτόθι συνεμπεσών, ἀφῆκεν οὕτω καλεῖσθαι τὸν ποταμόν. Hoc eſt: *Ad Crotonem qui eſt amnis Aeſarus, ab venatore Aeſaro nomen accepit. is cervam perſequens, unà cum ipſâ in eum delapſus, nomen hoc amni reliquit*. Eadem dicuntur ibidem poſteà. Apud Stephanum ita legitur: Κρότων, πόλις Ἰταλίας ἐπίσημος περὶ Ῥήγιον. βαρύνεται δὲ, ὅτε τὸ ὄρος σημαίνει, ὅθεν ὁ Ἄξιος ῥεῖ ποταμός. Id eſt: *Croto urbs Italiæ illuſtris circa Rhegium. gravi autem in ultimâ ſcribitur accentu, quando montem ſignificat, unde Axius profluit amnis*. Italiæ ſi voluit amnem, certè *Aeſarum* intellexit: vocabulumque iſtud in exemplaribus eius corruptum eſt. PORTVM *Crotonienſium* fuiſſe AESARI quoque nomine ad oſtium Aeſari fluminis; ex Strabonis patet verbis, quæ lib. VI hæc ſunt: Κρότων πόλις, καὶ ποταμὸς Αἴσαρος καὶ λιμήν. καὶ ἄλλος ποταμὸς Νέαιθος. Hoc eſt: *Croton urbs; & fluvius Aeſarus, & portus. aliusque fluvius Neæthus*. Niſi forſan legere velis pro λιμὴν λίμνη, *lacus*. Cuius lectionis argumentum videntur perhibere illa quæ mox ex Theocrito de Στομαλίμνῳ ſubjicientur. Porrò, quæ de ORTV CROTONIS urbis prolixè à graviſſimis auctoribus atque Poëtis traduntur; quum meras ſapiant fabulas; nihil iis voluerunt auctores aliud indicare, quàm celebratiſſimæ urbis *antiquitatem*, locique *ſalubritatem*. In Strabonis equidem exemplaribus nomen conditoris Crotonienſium Μύσκελλος exſtat; ut & apud Euſtathium Dionyſii Afri ſcholiaſtem. verùm mendoſum id ego vocabulum ex Ovidio corrigendum puto in Μίκυλλος. nam Luciano quoque eſt Μίκυλλος, in dialogo, ubi hunc Crotonis conditorem cum Pythagoræ, qui diu egit Crotone, animâ, poſt mortem Philoſophi in galli corpus transgreſſâ, colloquentem introducit. In ſcholiis ad hæc Theocriti, Idyll. IV, verba; Αἰνέω τάν τε Κρότωνα, *Laudo & Crotonem*; ita legitur: Ἄλκιμος καὶ Κρότων, Αἰακοῦ υἱοί. καὶ ὁ μὲν ἐβασίλευσε τῶν Κερκυραίων, ὁ δὲ ἐς Σικελίαν ἔκτισε Κρότωνα. Id eſt: *Alcimus & Croton Aeaci fuère filii. quorum ille Corcyræis imperavit; hic verò in Siciliâ condidit Crotonem. Sicilia* heic quoque adpellatur hæc pars Italiæ, more iſtius ſæculi: quod ſæpè anteà monitum. *Salubritatem* Crotonis præter cæteros & Plinius, lib. II, cap. XCVI, verbis ſuprà ad Locros perſcriptis adnotavit. unde proverbium cùm aliis tum maximoperè ipſi Svidæ ac Zenobio inſigne, Κρότωνος ὑγιέστερος, *Sanior Crotone*. Ingentem quomdam fuiſſe urbem; vel inde adparet, quod mœnia eius XII millium ambitum continuerint; uti jam ex Livio eſt indicatum. In ſcholiis Theocriti, dicto loco, hæc leguntur: Διέφερε δὲ ἡ Κρότων τῶν ἐπὶ Ἰταλίᾳ πόλεων ἐπ' ἀνδρίᾳ καὶ τῇ λοιπῇ εὐδαιμονίᾳ. ὅθεν καὶ εἰς παροιμίαν ἐλθεῖν, Μάταια τ' ἄλλα παρὰ Κρότωνα τ' ἄστεα. Id eſt: *Excellebat Croto omneis Italiæ urbeis fortitudine & omnium rerum adfluentiâ. unde etiam in proverbium abiit, Nihil eſſe alias urbeis ſi cum Crotone conferantur*. Cicero, rhetoricorum lib. II: *Crotoniatæ quomdam quum florerent omnibus copiis, & in Italiâ cumprimis beati numerarentur, templum Iunonis, quod religioſiſſimè colebant, egregiis picturis locupletare voluerunt*. Et paullo pòſt: *Etenim quondam Crotoniatæ multum omnibus corporum viribus & dignitatibus anteſteterunt: atque honeſtiſſimas ex gymnico certamine victorias domum cum maximâ laude retulerunt*. Potentiam Crotonienſium è Sybaris pete deſcriptione: de eâdem plura habentur apud Iohannem Tzetzem, & apud Iuſtinum, lib. XX. Livius, lib. XXIII, in hiſtoriâ belli Annibalici: *Iiſdem fermè diebus & Brutiorum exercitus Crotonem, Græcam urbem circumſedit; opulentam quondam armis viriſque; tum jam adeo multis magniſque*

AESARVS *amnis*.

cladibus

cladibus afflictam, ut omnis ætatis minùs XX *millio civium ſupereſſent.* Octavo poſt bellum Annibalicum anno, P. Cornelio Scipione Africano iterùm, & T. Sempronio Longo, conſulibus, actam COLONIAM ROMANORVM, auctor eſt idem Livius, lib. XXXIV: *Tempſam item & Crotonem*, inquit, *civium Romanorum coloniæ deductæ. Tempſanus ager de Brutiis captus erat: Brutii Græcos expulerant. Crotonem Græci habebant.* Poſterioribus etiam temporibus inter celebriores huius regionis computatam fuiſſe urbem; patet è Tabulâ itinerariâ; ubi primariæ urbis ſignum adpictum eſt: quamquàm ſignum illud falsò Lacinii nomini ſuppoſitum eſt; & iter illic per hanc oram miſerè legitur corruptum, ut infrà ad *Peteliam* videre eſt.

Porrò, loca quædam circa Crotonem ita memorat antiquiſſimus poëta Theocritus, Idyll. IV:

Οὐ Δᾶν· ἄλλοκα μὲν μιν ἐπ' Αἰσάροιο νομεύω,
Καὶ μαλακῶ χόρτοιο καλὰν κώμυθα δίδωμι·
Ἄλλοκα δὲ σκαίρει τὸ βαθύσκιον ἀμφὶ Λάτυμνον.

*

Καὶ μὰν ἐς Στομάλιμνον ἐλαύνεται, ἔς τε τὰ Φύσκω,
Καὶ ποτὶ τὸν Νήαιθον.

Id eſt:

Non per Iovem. nam aliquando ipſam ad Aeſarum paſco;
Et mollis fœni pulcrum faſciculum præbeo:
Aliquando verò ſaltat circa umbroſum Latymnum.

*

Et is quidem ad Lacûs oſtium agitur, inque loca circa Phyſcum,
Et ad Neæthum.

Ad hæc ita ſcholia: Λάτυμνον, ὄρος Κρότωνος· βαθύσκιον δὲ τὸ ἄγαν συνδενδρον. ἐς στομάλιμνον.] τὰς εἰς θάλασσαν ἐστομωμένας λίμνας οὕτω φασί. τοῦτο δὲ ἦν στομαλίμνης περὶ τὴν Κρότωνα. Ἔς τε τὰ Φύσκω.] μέρη δηλονότι· ὄνομα δὲ ὄρους ὁ Φύσκος. Νήαιθος, ποταμὸς Κρότωνος. ὠνόμασται δὲ, παρόσον ἐν αὐτῷ νῆας ποτὲ συνέβη καταπαλῆναι Ἑλληνικάς. Hoc eſt: *Latymnus, mons Crotonis, umbroſus, & denſis admodùm arboribus conſitus.* Στομαλίμνους *vocant lacus qui per oſtium aliquod in mare effunduntur. hoc autem os paludis fuit ad Crotonem. In loca circa Phyſcum.] Phyſcus, nomen eſt montis. Neæthus, amnis eſt Crotonis; ſic dictus, quòd naves quomdam in eo Græcanicæ combuſtæ fuêre.*

LATYMNVS & PHYSCVS, *montes.*

LATYMNVS & PHYSCVS, montes circa Crotonem indicari haud facilè quis potuerit; quando complures heic ſternuntur montes. Scholiaſtes Theocriti: Λάτυμνον, ὄρος Κρότωνος. τινὲς δὲ ὄρος τῆς Λακωνικῆς φασί. Hoc eſt: *Latymnus, mons Crotonis. quamvis & Laconicæ montem ſint qui dicant.*

STOMALIMNON, *oſtium.*

Στομάλιμνον iſtud, ſive LACVS OS, eſt idem, quo Aeſarus fluvius in mare ad Crotonem effunditur.

NEAETHVS, *amnis.*

NEAETHVS *amnis*, Theocrito, Lycophroni, Straboni, Ovidio, Plinio, atque Antonini Itinerario memoratur. Hodiè etiam nomen antiquum retinet, *Neeto* vulgò dictus: VI millibus à Crotone & Aeſari ore in mare effluens. Ovidius, Μεταμορφώσεων lib XV:

Præterit & Sybarim Salentinumque Neæthum.

NOMINIS ORIGINEM Iſacius, ad Lycophronis verſum huncce;

Ναύαιθος ἔνθα πρὸς κλύδων' ἐρεύγεται·
Nauæthus ubi effundit undas;

commentans, tradit talem: Ναύαιθος, ποταμός ἐστιν Ἰταλίας. ἐκλήθη δὲ οὕτω, κατὰ μὲν Ἀπολλόδωρον καὶ λοιποὺς, ὅτι μετὰ τὴν Ἰλίου ἅλωσιν αἱ Λαομέδοντος θυγατέρες, Πριάμου δὲ ἀδελφαὶ, Αἴθυλλα, Ἀστυόχη, Μηδεσικάστη, μετὰ τῶν λοιπῶν αἰχμαλώτων ἐκεῖσε γεγονυῖαι τῆς Ἰταλίας, δεδοικυῖαι τὴν Ἑλλάδος δουλείαν, τὰ σκάφη ἐνέπρησαν· ὅθεν ὁ ποταμὸς Ναύαιθος ἐκλήθη. οἱ δὲ σὺν αὐταῖς, Ἕλληνες ἀπολέσαντες τὰ σκάφη, ἐκεῖ κατῴκησαν. Hoc eſt: *Nauæthus, amnis eſt Italiæ; ita adpellatus, ut auctor eſt Apollodorus & reliqui, quia poſt Ilium captum, Laomedontis filiæ, Priami ſorores, Aethylla, Aſtyoche, & Medeſicaſte, cum reliquis captivis, quum hoc tractu Italiæ forent, Græciæ ſervitutem fugientes, navigia incenderunt. unde amnis Nauæthus vocatus eſt. Græci autem, qui cum illis navigabant, poſtquam naveis amiſerunt, illic ſedem poſuerunt.* Nempe, quia *incendo* Græcis eſt αἴθω, *navis* verò ναῦς, &, variantibus dialectis, νηῦς & νεώς; fluvius inde dictus exiſtimatur Ναύαιθος, Νήαιθος, &

θος, & Νέαιθος. Eamdem in ſententiam & Strabo ſcribit. In Antonini Itinerario vocabulum eius vitiatum eſt obliquo caſu *Meto* pro *Neæto* ſeu *Neeto*. nam adſpirationem fugiſſe Romanos, ſæpe jam antè oſtenſum eſt ex duobus Itinerariis, Antonini atque Tabulâ. Iter apud Antoninum tale eſt:

Turios		
Roſcianum	XII.	
Paternum	XXVII.	12.
Meto	XXXII.	
Tacina	XXXIIII.	
Scilacis	XXII.	

Neeto eſſe legendum, quod vocabulum eisdem literis etiam nunc amni durat; itineris ductus manifeſtè indicat.

CRIMISA *promontorium.*

Poſt Neæthum amnem ſequitur CRIMISA *promontorium*, vulgò nunc *Capo dell' Alice* dictum. Strabo, lib. VI: Πετηλία κτίσμα ἐστὶ Φιλοκτήτου, φυγόντος τὴν Μελίβοιαν κατὰ στάσιν. Φιλοκτήτου δ᾽ ἐστὶ καὶ ἡ παλαιὰ Κρίμισα, περὶ αὐτοὺς τοὺς τόπους. Ἀπολλόδωρος δ᾽ ἐν τοῖς περὶ νεῶν, τοῦ Φιλοκτήτου μνησθεὶς, λέγειν τινάς φησιν, ὡς εἰς τὴν Κροτωνιᾶτιν ἀφικόμενος, Κρίμισαν ἄκραν οἰκῆσαι, καὶ Χώνην πόλιν ὑπὲρ αὐτῆς· ἀφ᾽ ἧς οἱ ταύτῃ Χῶνες ἐκλήθησαν. Id eſt: *Petelia à Philoctete condita fuit, quum Mælibœâ ob ſeditionem profugiſſet. Huius opus eſt & vetus Crimiſa, eodem tractu. Apollodorus in commentario de navibus, Philoctetis factâ mentione, quosdam ait tradere, eum, quum in Crotonienſem perveniſſet agrum, Crimiſam promontorium incoluiſſe, & Chonen opidum ſuper id. unde Chones in hac regione dicti.* CHONES *opidi* Strabo & lib. XIV meminit. Porrò, Stephanus: Κρίμισα, πόλις Ἰταλίας, πλησίον Κρότωνος καὶ Θουρίου· Λυκόφρων· ἀπὸ Κριμίσης νύμφης. τὸ ἐθνικὸν, Κριμισαῖος· καὶ ποταμός. Id eſt: *Crimiſa, opidum Italiæ, prope Crotonem & Thurium; auctore Lycophrone: à Crimisâ nymphâ dictum. gentile, Crimiſæus: & amnis.* CRIMISA igitur *opidum*, quod anteà CHONE dicebatur, in promontorio fuit CRIMISA. unde & nomen id poſterius traxit. Vulgò hodiè id vocatur *lo Zirô*. In eodem opido, vel juxtà, fuit TEMPLVM iſtud APOLLINIS ALAEI. Hinc Lycophron Crathin amnem ex adverſo eius ponit. quidpe ab oſtio Crathis dictum promontorium proſpicere datur.

CRIMISA vel CHONE, *opidum.*

TEMPLVM APOLINIS ALAEI.

CRIMISVS *amnis.*

CRIMISVS *amnis*, quem Stephanus loco ſuprà ſcripto memorat, ad dextrum fuit dicti promontorii latus; quod Crotonem proſpectat. Vulgò nunc is dicitur adcolis *Fiumica*.

TRAEIS, *fluvius.*

Porrò, inter Crimiſam promontorium & Crathis amnis oſtium, fluvius in idem Mare Auſonium effunditur, cui nomen olim Græci adcolæ tribuerunt Τράεις Τράεντος, TRAEIS, *Traentis*. nunc adcolis vulgò dicitur *Triunti*. Vnus hunc memorat Diodorus, lib. XII: Ἐπ᾽ ἄρχοντος δ᾽ Ἀθήνησι Λυσιμαχίδου, διαφυγόντες τὸν ἐν τῇ στάσει κίνδυνον Συβαρῖται, περὶ τὸν Τράεντα ποταμὸν κατῴκησαν· καὶ χρόνον μέν τινα διέμειναν, ἔπειθ᾽ ὑπὸ Βρεττίων ἐκβληθέντες ἀνῃρέθησαν. Hoc eſt: *Athenis ſummum magiſtratum obtinente Lyſimachide, Sybaritæ, qui ſeditionis periculum effugerant, ad Traentem amnem conſederunt. & aliquandiu ibi commorati, poſtmodùm à Brutiis eiecti deletique ſunt.* De hac re plura nobis ſunt dicta ſuprà, cap. XIV, in deſcriptione urbis *Sybaris* ad Crathis oſtium ſitæ. Injuriam fecêre ſummam Diodoro noſtri ſæculi geographi, atque eius auctoris interpretes, qui dicto loco *Truentum Piceni* amnem ſupponunt. Quid, malùm, Sybaritæ à Crathis Sybariſque fluminum oſtiis in Picenum usque fugerent, per tot diverſas genteis, ad CCL millia paſſuum? quid item eodem Brutii? Satis ineptè, ſanè. Traentem fuiſſe Sybaritarum, inde patet, quòd Sybaritæ, qui ſeditionis periculum effugerant, ad eum amnem conſederunt, & aliquamdiu ibi commorati ſunt; donec à Brutiis ejecti deletique ſunt. quidpe, ſi Crotonienſium fuiſſet prædictus amnis, haud facilè paſſuri erant hi, uti ab hoſtibus Sybaritis occuparetur. & ſi fortè ſupplices per commiſerationem admiſiſſent; auxilium ſanè atque opem adverſùs communes hoſteis Brutios illis tuliſſent.

HYLIA, *fluvius.*

Inter Traentem amnem & Crimiſam promontorium eſt ὁ Ὑλίας ποταμός, HYLIA *fluvius*, Thucydidi lib VII memoratus. Ὁ δὲ Δημοσθένης, inquit, καὶ Εὐρυμέδων, ἐπειδὴ ξυνεστρατεύειν αὐτοῖς οἱ Θούριοι παρεσκευάσθησαν, τὰς μὲν ναῦς παραπλεῖν ἐκέλευον ἐπὶ τῆς Κροτωνιάτιδος.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

τωνιάτιδος· αὐτοὶ δὲ τὸν πεζὸν πάντα ἐξετάσαντες πρῶτον ἐπὶ τῷ Συβάρει ποταμῷ, ἦγον διὰ τῆς Θουριάτιδος γῆς. καὶ ὡς ἐγένοντο ἐπὶ τῷ Ὑλίᾳ ποταμῷ, καὶ αὐτοῖς οἱ Κροτωνιᾶται προσπέμψαντες εἶπον, οὐκ ἂν σφίσι βουλομένοις εἶναι διὰ τῆς γῆς σφῶν τὸν στρατὸν ἰέναι, ἐπικαταβάντες ηὐλίσαντο πρὸς τὴν θάλασσαν καὶ τὴν ἐκβολὴν τοῦ Ὑλίου, καὶ αἱ νῆες αὐτοῖς ἐς τὸ αὐτὸ ἀπήντων. τῇ δ᾽ ὑστεραίᾳ ἀναβιβασάμενοι παρέπλεον, ἴσχοντες πρὸς ταῖς πόλεσι, πλὴν Λοκρῶν, ἕως ἀφίκοντο ἐπὶ Πέτραν τῆς Ῥηγίνης. Hoc eſt: *Demoſthenes atque Eurymedon, poſteaquàm Thurini ad ſocietatem militiæ ſeſe expedierunt, jubent claſſem in oram tendere Crotonienſem. ipſi recenſitum priùs peditatum ad fluvium Sybarim, per agrum ducunt Thurinum. Qui quum ad amnem Hyliam perveniſſent, præmiſiſſentque ad eos Crotoniatæ, qui nuntiarent, nolle ſe, per ſuam terram iter facere exercitum, deſcenderunt ad mare; & , ubi Hylias in id effluit, caſtra habuêre. ubi naves eis ob id obviam venerunt. Quibus poſterâ die conſcenſis, abiere, ſubinde adeundo opida, præterquàm Locros, donec ad Petram agri Rhegini pervenêre.* Scilicet dum duces militeis ſuos recenſent ad Sybarim amnem, naves ad Crotonienſem agrum adpulerunt. Crotoniatæ, intellecto, exercitum Athenienſium terrâ in ſuum agrum commeaturum; antequàm id fieret, protinùs nuntios obviam in Thurinum agrum miſêre, interdicentes, ne per ſuum agrum iter facerent. hi nuntii in Thurino adhuc agro ad Hyliam flumen offenderunt exercitum. qui interdicto Crotoniatarum accepto, ſtatim juxta ripam Hyliæ ad oſtium fluminis deſcenderunt, caſtraque ibi, dum claſſis adventaret, quam è Crotonienſi agro revocaverant, in litore poſuerunt. naves ubi adpulêre, poſterâ die impoſito exercitu, inde ſolverunt. Cæterùm, amnes inter Crimiſam promontorium & Crathim fluvios ſunt complures numero: ita, uti difficile fuerit, certum aliquem oſtendere, quem veterum illum Hyliam eſſe liquidò adfirmare poſſis. Amnem tamen ſtatuo eſſe eum, qui III millia paſſuum ab *Cariate novo* ab oriente in mare effunditur.

Poſt Traentem amnem ſequitur tamdem ipſe *Crathis* fluvius, vulgò *Grati*, & proximè hunc *Sybaris*, nunc vulgò *Cochile*, terminus inter Brutios atque Lucanos. de quibus omnibus ſuprà in deſcriptione Sybaris urbis atque Thurii plura dicta ſunt. Hactenus igitur omne Brutiorum litus à Lao flumine ad Sybarim amnem expoſitum eſt: Nunc deinceps interiora dicantur.

RVSCIANVM, *caſtellum & opidum.*

Medio fermè ſitu inter Crathim & Traenta amneis eſt *opidum*, quod Antonino ROSCIANVM, Procopio Ῥουσκιανὸν, RVSCIANVM, vulgò nunc incolis *Roſſano* dicitur; archiepiſcopatu inſigne. Conſtantino Porphyrogenito, in lib. de Adminiſtrando imperio, cap. XXVI, dicitur Ῥουσιανόν. Procopius Gothic. rer. lib. III; τὰ δὲ Λευκανῶν ὄρη μέχρι ἐς Βρουττίους διήκοντα, καὶ πρὸς ἄλληλα ἐν στενῷ ξυνιόντα, δύο μόνους εἰσόδους στενὰς μάλιστα ἐνταῦθα ποιεῖται. ὧν ἅτερα μὲν Πέτρα αἵματος τῇ Λατίνων φωνῇ κέκληται, Λαβούλαν δὲ τὴν ἑτέραν καλεῖν, οἱ ἐπιχώριοι νενομίκασιν. ἐνταῦθα μὲν παρὰ τὴν ἀκτὴν Ῥουσκία ἐστὶ τὸ Θουρίων ἐπίνειον. ὕπερθεν δ᾽ αὐτοῦ, ὅσον ἀπὸ σταδίων ἑξήκοντα, φρούριον ὀχυρώτατον ἐδείμαντο οἱ πάλαι Ῥωμαῖοι. Id eſt: *Lucani montes uſque in Brutios pertinentes, in anguſtumque invicem coëuntes, duos duntaxat heic aditus, & hos quidem anguſtiores, efficiunt: quorum alter Petra ſanguinis dicitur; Lambulam alterum incolæ nuncupant. Hoc loco ad litus, Ruſcia eſt, navale Thurinorum. ſupra id ſtadiis* LX *caſtellum validiſſimum veteres conſtruxêre Romani.* Alter igitur hic tranſitus, LABVLA (ni vox mendoſa ſit) incolis Brutiis dictus, ad dictum Caſtellum Roſcianum eſt. Idem Procopius poſteà: Βελισάριος δὲ τὸν Ἰωάννην ἐς τὸν Ὑδροῦντα μεταπεμψάμενος, ξύν τε αὐτῷ καὶ Βαλεριανῷ καὶ ἄλλοις ἄρχουσι στόλον πολὺν ἀγείρας, ἐπὶ Ῥουσκιανῆς [lege ἐπὶ Ῥουσκίαν, ut mox infrà] κατὰ τάχος ἔπλει. καὶ τὰ μὲν πρῶτα . . . . . χειμῶνος ἐξαισίου ἐπιπεσόντος, ἄλλως τε καὶ τῆς ἐκείνῃ ἀκτῆς ἀλιμένου παντάπασιν οὔσης, τὰς ναῦς ἁπάσας ὡς ἀπωτάτω ἀλλήλων ξυνηνέχθη διασκεδάννυσθαι, ταύτῃ τε χρόνου μῆκος σφίσι τρίβεσθαι ξυνέβη. αὖθις τε ἀγηγερμένοι ἐν τῷ Κροτωνιατῶν λιμένι, ἐπὶ Ῥουσκίαν ἀνήγοντο. Hoc eſt: *Beliſarius, Ioanne Hydruntem evocato, magnâque cum illo atque Valeriano, ſimulque aliis præfectis, claſſe coactâ, ad Ruſciam ſtatim navigabat. Ac primum quidem* . . . . [deſunt nonnulla] . . . . *tempeſtate ingenti obortâ, quum aliàs ora hæc omnino eſſet importuoſa; factum eſt, uti naves omnes quàm longiſſimè inter ſe diſpergerentur; multumque temporis ita tererent. Tandem in Crotonienſi portu iterum congregati, ad Ruſciam redibant.* A Thuriorum igitur navali *Ruſciâ* ſive *Roſciâ*, (de quo ſuprà capite præcedente ad *Sybarim*,) caſtellum illud vetus dictum fuit *Ruſcianum* ſeu *Roſcianum*.

Porrò, iter apud Antoninum tale eſt:

Turios

Turios		
Roſcianum	XII.	
Paternum	XXVII.	12.
Neeto	XXXII.	
Tacina	XXXIIII.	
Scilacis	XXII.	

PATERNVM illud Antonini quo ſitu fuerit, planè non liquet; quando numeri intervallorum corrupti ſunt. fuiſſe tamen circa Traenta amnem, colligere ex itineris ductu licet. PATERNVM.

Cæterò, à Lacinio promontorio ad Apennini uſque juga inter Neæthum & Tacinam amneis protenditur montium jugum, qui CLIBANVS MONS dicitur Plinio; lib. III, cap. X. Lucanus partem facit Apennini montis; lib. II, ubi hunc deſcribit: CLIBANVS, *mons.*

Extenditque ſuas in templa Lacinia rupeis.

Inter dictum Clibanum montem & Neæthum amnem in edito ſaxo ſita eſt antiquiſſima Oenotrorum urbs Σιβερινή, SIBERENA, vulgo nunc *Santa Severina* dicta; archiepiſcopatu inſignis. XII circiter millia diſtans à Crotone. Memoratur nummo antiquo, iiſdem literis, quibus ſcriptum heic eſt ejus nomen; & item Stephano. At Romanis tamen loci fuiſſe nomen SIVERINA, puto; & opidanorum SIVERINI. unde illud etiam vulgare nunc vocabulum *Severina*. Apud Plinium, lib. XIV, cap. VI, quod eſt de vinis generoſis, hæc leguntur: *Verùm & longinquiora Italiæ ab Auſonio mari non carent gloriâ; Tarentina, & Servitiana, & Conſentiæ genita, & Tempſæ, ac Babiæ; &c.* Andreas Bavius, de naturali vinorum hiſtoriâ, lib. V, *Siberiniana* & *Balbiæ* reſtituit. Eâdem ferè ratione nonnulli viri docti Itali legendum cenſent *Severiniana*. quia *Severina* eſt haud procul Auſonio mari, & vina heic gignuntur generoſiſſima. Sanè, ſi, id voluiſſe Plinium, credere libet, non *Siveriniana* erat à *Siverina* Plinio ſcriptum; ſed potiùs *Siverina*, eodem & urbis nomine & inde gentili vocabulo; ut oſtendit Stephanus. Σιβερινή, inquit, πόλις Οἰνώτρων. τὸ ἐθνικὸν, Σιβερινός. Id eſt: *Siberena, urbs Oenotrorum. gentile, Siberenus.* Cæterò, extra Lucaniam, in Brutiis, ea ſatis diſertè ponit vina Plinius. [Conſtantinus Thematum imperii orientalis lib. II, themate X: Μόνη ἡ ἀντιπέραν ἡ Καλαβρία κρατεῖται παρὰ τῶν Χριστιανῶν· ἐν ᾗ δὲ τὸ Ῥήγιόν ἐστι, καὶ τὸ πολισμάτιον τῆς ἁγίας Κυριακῆς, τῆς τε ἁγίας Σεβηρίνης, καὶ ὁ Κρότων. *Sola autem trans mare Calabria à Chriſtianis tenetur. in quâ etiam Rhegium eſt, & opidulum S. Cyriacæ, & S. Severinæ, & item Croto.*] Apud Livium, lib. XXVI, hæc leguntur: *Huic ab Rhegio profectæ claſſi Democrates cum pari navium Tarentinarum numero quindecim millia fermè ab urbe ad Sacriportum obvius fuit. Velis tum fortè, improvidus futuri certaminis, Romanus veniebat. ſed circa Crotonem Sybarimque ſuppleverat remigio naveis. Fit acre hinc certamen; quo victor evaſit Tarentinus: fugientes paſſim Romanæ naves, aliæ in alto merſæ, aliæ in terram remis abreptæ, mox prædæ fuêre Thurinis Metapontinisque.* Mendum heic eſſe in voce *Sybaris*, quis negaverit? quum & heic in unâ eâdemque hiſtoriâ *Thurinos* vocet Livius, & antè etiam, lib. XXV; item lib. XI, ut ex epitomatore adparet: libro vero X & XXVII ipſam urbem *Thurios*: nec ulla jam inde fuerit *Sybaris* urbs. Lego igitur, *circa Crotonem Siberinamque.* nam eodem terrarum tractu duæ hæ urbes ſitæ ſunt, XII circiter millium intervallo ab invicem remotæ. SIBERENA, *urbs.*

PETELIA, ſive PETILIA (utrumque enim in Latinis libris promiſcuè ſcriptum reperio) Græcè Πετηλία, memoratur Virgilio, Livio, Valerio Maximo, Straboni, Solino, Melæ, Plinio, Silio, Plutarcho, Appiano, Ptolemæo, Tabulæ itinerariæ, Stephano. Opidani inde PETELINI, Πετηλῖνοι, dicuntur. Apud Livium legitur PETELLIA & PETELLINI. Situs ei à noſtri ſæculi geographis variis dantur varii. at eorum maximè placet ſententia, qui Peteliam nunc interpretantur opidum inter Crotonem & Scylacium vulgari vocabulo *Belicaſtro* dictum; in edito colle, VI millia paſſuum à mari, XXX à promontorio Crimiſâ, diſitum. Huc quidpe maximè quadrant, quæ de Peteliâ prædicti tradiderunt auctores antiqui. Apud Virgilium, Aeneid. lib. III, Helenus vates in Epiro ita Aeneam, Italiam petentem, monet:

Has autem terras, Italique hanc litoris oram,
Proxima quæ noſtri perfunditur æquoris æſtu,
Effuge. cuncta malis habitantur mœnia Grajis.

Heic & Narycii poſuerunt mœnia Locri;
Et Salentinos obſedit milite campos
Lyctius Idomeneus. heic illa ducis Melibœi
Parva Philoctetæ ſubnixa Petilia muro.

Ad hæc Servius: *Alii*, inquit, *ſubnixam ideò accipiunt, quia impoſita eſt excelſo muro; ut Cœlius hiſtoricus ait.* Strabo, lib. VI: Πετηλία μὲν οὖν μητρόπολις νομίζεται τῶν Λευκανῶν· καὶ συνοικεῖται μέχρι νῦν ἱκανῶς· κτίσμα δ' ἐστὶ Φιλοκτήτου, φυγόντος τὴν Μελίβοιαν κατὰ στάσιν. ἐρυμνὴ δ' ἐστίν. ὥστε καὶ Σαμνῖται ποτε φρουρίοις ἐπετείχισαν αὐτήν. Id eſt: *Petelia Lucanorum caput cenſetur: hodieque ſatis eſt frequens incolis, condita quomdam à Philoctete; quum Melibœâ ob ſeditionem profugiſſet. urbs eſt naturâ loci munita. itaque & Samnites aliquando caſtellis exſtructis illam communiverunt.* Hæc haud dubiè Strabo ex Apollodoro, quem & poſteà nominat; vel quopiam antiquo auctore, cujus ævo Brutii etiam tum in Lucanorum fuerunt corpore ac nomine. nam ipſe Strabo paullo pòſt Lucanos à Brutiis diſterminat iſthmo, qui eſt inter Thurios & Laum ſinum: à quo iſthmo Petelia longè remota fuit; etiam ultra Conſentiam, quam ipſe Brutiorum facit caput. Cæterò, Ptolemæo, Πετηλία in Magnâ Græciâ IX circiter millia paſſuum à mari, ſeu ab intimo ſinus Scylacii receſſu, ponitur; uti in pleriſque haud perinde exactè ſitum oſtendit. Plinio, dicto lib. III, cap. X, ita memoratur: *Sinus & opidum Scylacium. Amnes ibi navigabiles, Cæcinos, Crotalus, Semirus, Arocha, Targines. opidum intùs Petilia: mons Clibanus; promontorium Lacinium.* Et capite ſequenti: *A Lacinio promontorio opidum Croto; amnis Neæthus.* Haud ita procul à mari fuiſſe, ex hoc etiam auctore adparet; ut qui eam inter maritima connumerat. Sic & Mela, lib. II, cap. IV. *Primus* (Auſonii maris) *ſinus Tarentinus dicitur, inter promontoria Salentinum & Lacinium: in eoque ſunt, Tarentus, Metapontum, Heraclea, Croto, Thurium. ſecundus, Scylaceus, inter promontoria Lacinium & Zephyrium: in quo eſt Petelia, Cæcinum, Scylaceum.* Nec diſſentit Livius; ita ſcribens lib. XXVII: *Levia tamen prœlia inter bina caſtra vario eventu fiebant. quibus quum extrahi æſtatem poſſe conſules crederent, nihilo minùs oppugnari Locros poſſe rati, L. Cincio, ut ex Siciliâ Locros cum claſſe trajiceret, ſcribunt. & ut ab terrâ quoque oppugnari mœnia poſſent, ab Tarento partem exercitûs, qui in præſidio erat, duci eò juſſerunt. Ea ita futura, per quoſdam Thurinos comperta Annibali quum eſſent; mittit ad inſidendam ab Tarento viam. Ibi ſub tumulo Petelliæ, equitum duo, peditum tria millia in occulto locata. in qua inexploratò euntes Romani quum incidiſſent, ad duo millia armatorum cæſa, & mille & CC fermè viri capti. alii diſſipati fugâ per agros ſaltuſque Tarentum rediêre.* De eâdem re breviter etiam Plutarchus in Marcello. Hinc iter à Tarento ad Locros ita deſcribitur in Tabulâ itinerariâ.

Tarento	.
Turioſtu	....
Heraclea	XXV.
Semnum	IIII.
Turis	....
Petelia	XXXVIII.
Crontona	....
Lacenium	XL.
Anibali	XXXVI.
Caulon	.....
Iucis	XXX.

Præter vitioſa vocabula, *Turioſtu, Crontona, Anibali, Iucis*; quorum hoc debet eſſe *Locris*; numeroſque millium partim amiſſos, partim corruptos, ordo quoque locorum turbatus eſt. quidpe *Crotonam* debere ante *Peteliam* poni, tres ſuprà dicti geographi, Mela, Plinius, atque Ptolemæus, unanimo conſenſu teſtantur. A Crotone ad Lacinium templum VI tantùm fuiſſe millia, ſuprà è Livio ad *Templum Lacinium* patuit.

Montes Petelini.

Cæterùm Plutarcho, in M. Craſſo, Πετηλῖνα ὄρη, id eſt, PETELINI MONTES, memorantur; in quos ſeſe Spartacus recepit, à Scyllæo, ſive Rheginorum inſulâ, profectus.

Brustacia, *urbs.*

Porrò Stephano memoratur Βρυστακία, πόλις Οἰνώτρων, BRUSTACIA, *Oenotrorum urbs.*

urbs. Hanc quidam interpretantur id opidum epiſcopale, quod inter Neæthum Traentaque amneis & Crimiſam promontorium vulgò dicitur *Briatico*, & nonnumquàm *Vmbriatico*.

Besidiae, opidum.

Hinc verſùs occaſum æſtivum ad Crathis dextram ripam, opidum vulgari nunc vocabulo *Biſignano* creditur eſſe; id quod Livio lib. XXX dicitur plurali numero Besidiae. *Beſidianum* poſteà dictum; ut Antonino *Silvianum*, & alia. Livii verba ſunt hæc: *Ad Cn. Servilium conſulem, qui in Brutiis erat, Conſentia, Vffugum, Vergæ, Beſidiæ, Hetriculum, Sypheum, Argentanum, Clampetia; multique alii ignobiles populi; ſeneſcere Punicum bellum cernentes, defecêre*. Reliqua iſta opida, Vffvgvm, Vergae, Hetricvlvm, Syphevm, Argentanvm, quibus ſitibus fuerint, minimè liquet. neque verò conſtat, utrùm proba ſanaque, an verò vitiata ſint eorum vocabula. nam *Clampetia* etiam in Livii exemplaribus cunctis falſò legitur *Dampetia*; ut ſuprà oſtenſum eſt.

Mvranvm, opidum.

Suprà Beſidianum, ad ortum Sybaris amnis, in confinio Lucanorum, ſitum eſt antiquum opidum Mvranvm, vulgò nunc *Murano* dictum. Memoratur antiqui lapidis inſcriptioni atque Antonino. Inſcriptio ſuperiùs exſtat ad *Columnam Rheginam*. Apud Antoninum iter tale legitur:

Nerulo	
Summurano	XVI.
Caprasis	XXI.
Conſentia	XXVIII.

Scriptum haud dubiè fuit ab ipſo auctore *Sub Murano*; ut in utroque Itinerario, *Sub Lupatiâ*, *Sub Romulâ*, *Sub Anagnia*, *Sub Lanubio*, ſcriptum fuiſſe, ſuprà ſuis locis docui. nam itinera iſta non per ipſa ducebant hæc opida, ſed ſub mœnibus eorum via ferebat. Poſteriores deinde grammatici hæc ſingula ſuo more in unum vocabulum compegerunt. Cæterùm, *Capraſiæ*, etiam Tabulæ in eodem itinere referuntur ad hunc modum:

Nerulos	
Interamnio	XXVIII.
Capraſia	VIII.
Crater fl.	XXVI.
Conſentia	XVIII.

Interamnivm, opidum.

Vocabulum *Crater* mendoſum eſt â Crathis. *Interamnium*, ex nomine, millium intervallo, atque itineris ductu, nullum aliud eſſe poteſt, quàm quod ad confluentem duûm fluviorum Sybaris & Aeſari (vulgò nunc ſunt *Cochile* & *Eſaro*) fuit ſitum. Hinc VIII circiter millia verſùs Conſentiam ſi pergas, invenies opidum, vulgò nunc incolis *Tarſia* adpellatum. Id etiam ex itineris ductu, millium intervallo, ac vocabuli quâdam ſimilitudine, deprehenditur eſſe Tabulæ *Capraſia*; ſeu Antonini, plurali numero, *Capraſiæ*. quo numero & Plinio, lib. III, cap. XVI, adpellatur. Porrò ab Murano verſùs occaſum, inter Apenninum & Laum amnem ſitum eſt opidum, vulgari nunc adpellatione *Orſo marſo* dictum. Ab hoc, ut mea fert opinio, dicti ſunt Plinio, lib. III, cap. XI, opidani *Vrſentini*. quos ille unà cum continuò ſequentibus *Volcentanis* atque *Numeſtranis*, falſò Brutiorum agro ademptos, Lucanis adſcripſit, ut & antecedenteis Apulos *Bantinos* & Picentinos *Eburinos*; *Apruſtanos* verò Lucanos, Brutiis tribuit: quod ſuprà ſuis locis oſtenſum. Cæterò, quomodo *Vrſentinorum* opidi proprium vocabulum fuerit formatum, haud facilè ego dixerim. nam eodem capite poſteà *Rubuſtini* & *Butuntinenſes*; quorum opida fuêre *Rubi* & *Butuntum*. Suſpicari tamen libet, apud Livium, dicto ſuprà libro XXX, pro voce *Vergæ*, ſcriptum fuiſſe *Vrſæ*: unde opidani dici potuerunt *Vrſentini*. *Vrſentum* non fuiſſe opidi nomen, vel inde patet, quòd etiam nunc dicitur *Orſo*.

Consentia, urbs.

Ipſa hinc Consentia, Græcis κωνζεντία, & Κωζεντία, Brutiorum caput, memoratur Livio, Straboni, Plinio, Appiano, Ptolemæo, duobus Itinerariis. Vulgò hodiè vocatur *Conſenza*. Opidani hinc *Conſentini* dicuntur, præter alios etiam Ciceroni atque Varroni.

PANDOSIA, *opidum.*

Haud procul Conſentiâ fuit PANDOSIA, Platæenſium colonia, Πλαταιέων ἀποικία; ut eam Scylax verbis ad Lucanorum fines ſuperiori capite emendatis adpellat. Apud Livium, in narratione de Alexandri, Epiri regis, bello interituque, lib. VIII, hæc habentur verba: *Cæterùm, (ut fermè fugiendo in media fata ruitur,) quum ſæpè Brutias Lucanasque legiones fudiſſet; Heracleam, Tarentinorum coloniam, Conſentiam ex Lucanis, Sipontumque, Brutiorum coloniam, Acerinam, alias inde Meſſapiorum ac Lucanorum cepiſſet urbes; & trecentas familias illuſtreis in Epirum, quas obſidum numero haberet, miſiſſet; haud procul Pandoſiâ urbe, imminente Lucanis ac Brutiis finibus, treis tumulos, aliquantum inter ſe diſtanteis, inſedit.* Quæ verba ita emendanda cenſeo: *Heracleam, Tarentinorum coloniam, Metapontumque, Conſentiam Brutiorum, ex Lucanis coloniam Acirinam, alias inde &c.* Sic & Pauſanias in Atticis, ἐν Λευκανοῖς interiiſſe Alexandrum tradit. At Pandoſia (apud quam interiit) non Lucanorum eſt. Eam Alexandri hiſtoriam Livius dicto loco, & Strabo, itemque è Trogo Iuſtinus, pluribus referunt. Meminit illius Plutarchus etiam, in libro de fortunâ Romanorum; ubi mendoſum nomen eſt Πανδαισία. Strabonis verba ſunt hæc: Τεμέσης δὲ συνεχὴς Τέρινα· εἶτα Κωσεντία, μητρόπολις τῶν Βρεττίων. μικρὸν δ᾽ ὑπὲρ ταύτης Πανδοσία, φρούριον ἐρυμνόν· περὶ ἣν Ἀλέξανδρος ὁ Μολοττὸς διεφθάρη. ἐξηπάτησε δὲ καὶ τοῦτον ὁ ἐν Δωδώνῃ χρησμός, φυλάττεσθαι κελεύων τὸν Ἀχέροντα καὶ τὴν Πανδοσίαν. δεικνυμένων γὰρ ἐν τῇ Θεσπρωτίᾳ ὁμωνύμων τούτοις, ἐνταῦθα κατέστρεψε τὸν βίον. τρικόρυφον δ᾽ ἐστὶ τὸ φρούριον, καὶ παραρρεῖ ποταμὸς Ἀχέρων. προσεπάτησε δὲ καὶ ἄλλο λόγιον·

Πανδοσίη τρικόλωνε, πολὺν ποτε λαὸν ὀλέσσεις.

ἔδοξε γὰρ πολεμίων φθορὰν, οὐκ οἰκείων, δηλοῦσθαι. φασὶ δὲ καὶ βασίλειόν ποτε γενέσθαι τῶν Οἰνωτρικῶν βασιλέων τὴν Πανδοσίαν. Hoc eſt: *Temeſæ propinqua eſt Terina. inde ſequitur Conſentia, Brutiorum caput. Paullum ſupra hanc ſita est Pandoſia, caſtellum validum; juxta quod Alexander Moloſſus periit. nam & huic oraculum Dodonæum impoſuit: à quo juſſus erat, Acherontem Pandoſiamque vitare. Quum enim in Theſprotiâ iisdem vocabulis loca ei oſtenſa fuiſſent; heic in Brutiis vitam finivit. Caſtellum treis habet verticeis: alluiturque Acheronte amne. Sed alia quoque accedebat, quâ deciperetur, dictio:*

Pandoſia ingentem es populum exſtinctura trivertex.

Exiſtimavit namque, non ſuorum, ſed hoſtium prædici cladem. Cæterò, Pandoſiam ferunt aliquando regiam fuiſſe regum Oenotriæ. De tribus hiſce verticibus, paullo aliter Livius ſentire videtur, in verbis ſuprà ſcriptis, quàm Strabo è verſu oraculi dicti tradit. Cæterùm, ſupra Conſentiam fuiſſe Pandoſiam; ita intelligas, ſi à mari & Temeſâ per Terinam & Conſentiam verſus ſeptemtriones ad Pandoſiam proficiſcaris: quod ſuprà ad Terinam docuimus. Hinc rectè Livius, loco præſcripto, *Pandoſiam imminentem Lucanis ac Brutiis finibus* tradit. quos fineis ſive confinia juxta iſthmum fuiſſe, qui eſt inter Thurios atque Laum ſinum; ſuprà in Lucanis docui. Hinc etiam Plinius, lib. III, cap. V: *Opidum*, inquit, *Tempſa, à Græcis Temeſe dictum; & Crotonienſium Terina, ſinusque ingens Terinæus. opidum Conſentia. intùs in peninſulâ fluvius Acheron; à quo opidani Acherontini.* Per hæc verba, *intùs in peninſulâ*, haud dubiè intellexit, intùs in iſthmo. ſic namque eodem ſenſu, hoc ipſo *peninſulæ* vocabulo uſus eſt poſteà, cap. X, in iſthmo, qui eſt inter Terinæum ſive Vibonenſem ac Scylacium ſinus. *Sinus*, inquit, *& opidum Scylacium. quem locum occurrens Terinæus ſinus, peninſulam efficit. & in eâ portus, qui vocatur Caſtra Annibalis; nusquàm anguſtiore Italiâ. XX millia paſſuum latitudo patet.* Verùm, utut verba illa Plinii capite V interpretari velis, adparet ſanè ex Livii Strabonisque deſcriptione, Pandoſiam urbem & Acherontem fluvium fuiſſe ad ipſum iſthmum, in proximis Brutiorum agris. Huc facit etiam, quòd Strabo ait, μικρὸν ὑπὲρ ταύτης. De cætero, Plinius, lib. III, cap. XI; *Et Pandoſiam*, inquit, *Lucanorum urbem fuiſſe, Theopompus auctor eſt, in quâ Alexander Epirotes occubuerit.* Lucanorum adpellavit Theopompus urbem, vel quòd in confinio Brutiorum Lucanorumque fuit; vel quòd à Lucanis Brutiisque bellum id ſocium geſtum eſt: quo etiam Alexander ab Lucano exule veruto transfixus occubuit. *Acherontia* urbs ad Acherontem fluvium (à quo Plinio dictis verbis ſunt opidani *Acherontini*) an fuerit aliqua heic in Brutiis, dubito; quum nullus alius eam referat auctor. vereorque......

[deficiunt heic quæ auctor verba inter recognoſcendum ſuppleturus erat.]

Infra Conſentiam, verſùs meridiem, opidum eſt vulgari nunc vocabulo *Clocento*; & infra hoc *Nicaſtro*. Antiqua ſunt opida, olim VOLCENTVM, & NVMESTRVM ſive NVMISTRO, dicta. Plinius, lib. III, cap. XI: *Mediterranei Brutiorum Apruſtani tantùm: Lucanorum Atinates, Bantini, Eburini, Grumentini, Potentini, Sontini, Sirini, Tergulani, Vrſentini, Volcentani; quibus Numeſtrani junguntur*. Ex his populis *Apruſtanos* fuiſſe Lucanos; *Bantinos* Apulos; *Eburinos* Picentinos; *Vrſentinos* Brutios; ſuprà ſuis locis oſtenſum eſt. *Numiſtronem* & *Volcentum* eorumdem fuiſſe Brutiorum, inde colligitur: tum, quia Ptolemæus Numiſtronem diſertè in Brutiis collocat, infra Conſentiam, eo terrarum tractu, quo nunc conſpicitur opidum *Clocento*; tum, quia Volcentum Plinius conterminum facit Numeſtro, eſtque haud dubiè id quod nunc dicitur *Clocento*. Verumtamen Numiſtronem diſertè Livius, lib. XXVII, Lucanis tribuit. *In Italiâ*, inquit, *conſul Marcellus, Salapiâ per proditionem receptâ, Maroneam & Meles de Samnitibus vi cepit. Nequaquam inde tantum gaudii fuit, quanta clades intra paucos dies accepta eſt, haud procul ab Herdoneâ urbe. Caſtra ibi Cn. Fulvius proconſul habebat, ſpe recipiundæ Herdoneæ, quæ poſt Cannenſem cladem ab Romanis defecerat, nec loco ſatis tuto poſita, nec præſidiis firmata. Negligentiam inſitam ingenio ducis augebat ſpes ea, quòd labare iis adverſùs Pœnum fidem ſenſerat, poſtquàm Salapiâ amiſſâ, exceſſiſſe his locis Annibalem in Brutios auditum eſt. Ea omnia ab Herdoneâ per occultos nuntios delata Annibali, ſimul curam ſociæ retinendæ urbis & ſpem fecêre incautum hoſtem adgrediendi. Exercitu expedito, ita ut famam quoque præveniret, magnis itineribus ad Herdoneam contendit*. Feliciter hinc contra Fulvium pugnat. *Caſtris prædâque victor potitur. Herdoneam, quia & defecturam fuiſſe ad Romanos comperit; nec manſuram in fide, ſi inde abſceſſiſſet: multitudine omni Metapontum ac Thurios traductâ, incendit. Romani, qui tantâ clade evaſerant, diverſis itineribus ſemiermes ad Marcellum conſulem in Samnium effugerunt. Conſul ex Samnio in Lucanos transgreſſus, ad Numiſtronem in conſpectu Annibalis, loco plano, quum Pœnus collem teneret, poſuit caſtra. addidit & aliam fidentis ſpeciem, quòd prior in aciem eduxit*. Prœlium inde atrox commiſſum, quo ſuperior Romanus. is poſtero die etiam in aciem militem eduxit, detractantibus Pœnis. *Nocte inſequenti Annibal ſilentio movit caſtra, & in Apuliam abiit. Marcellus, ubi lux fugam hoſtium aperuit, ſauciis cum præſidio modico Numiſtrone relictis, veſtigiis inſtitit ſequi. ad Venuſiam adeptus eum eſt. Ibi per dies aliquot quum ab ſtationibus procurſaretur, miſta equitum peditumque tumultuoſa magis prœlia, quàm magna; & fermè omnia Romanis ſecunda fuerunt. Inde per Apuliam ducti exercitus, ſine ullo memorando certamine; quum Annibal nocte ſigna moveret, locum inſidiis quærens; Marcellus, niſi certâ luce, & explorato antè, non ſequeretur*. Livii hanc hiſtoriam, in Marcelli vitâ citat Plutarchus. Ad hunc modum diſertè Livius, ut antè dixi, Numiſtronem in Lucanis ponit. Nec tamen ſatis perſvadet: partim ob dictas ſuprà rationes; partim quia idem Livius, è Brutiis Annibalem ad Herdoneam, à Fulvii obſidione liberandam, advolaſſe tradit: quò eum ab Romæ mœnibus abiiſſe, refert libro præcedente. Haud abſurdum igitur fuerit dictu, in eosdem eum, poſt Herdoneam, Apuliæ urbem, incenſam, Brutios rediiſſe, ad Romanorum urbem Numiſtronem oppugnandam. Certè Metapontum atque Thurios eum traduxiſſe multitudinem Herdonenſem, ipſe tradit haud obſcurè Livius. At Thurii in ipſo fuerunt Brutiorum confinio. Facilè igitur hinc in ipſos Brutios ad Numiſtronem redire potuit. Fieri autem potuit, uti auctor quidam illius ævi, Lucanorum nomine intellexerit Brutios; quia hi progenies, eoque ceu pars fuêre Lucanorum. Livii poſtmodùm ſequuti traditionem Plutarchus atque Plinius, ille Numiſtronem, hic Numeſtranos, Lucanorum nomini adſcripſerunt. VOLCENTVM & NVMISTRO, opida.

Porrò, in Brutiis ingens fuit Apennini *ſilva* SILA. Vnde πίσσα Βρυττία, Dioſcoridi, lib. I, cap. XCVIII; id eſt, *Pix Brutia*, Plinio, Columellæ item, lib. XII, cap. XX, memoratur. Strabo, lib. VI, memoratis opidis Rhegio ac Locris: τὴν δ' ὑπὲρ τῶν πόλεων τούτων (inquit) μεσόγαιαν Βρέττιοι κατέχουσι· καὶ πόλις ἐνταῦθα Μαμέρτιον, καὶ ὁ δρυμὸς, ὁ φέρων τὴν ἀρίστην πίτταν, ἣν Βρεττιάνιον σίλαν καλοῦσιν, εὔδενδρός τε καὶ εὔυδρος, μῆκος ἑπτακοσίων σταδίων. Id eſt: *Mediterranea loca, quæ ſupra iſtas ſunt urbeis, Brutii tenent. ibique urbs eſt Mamertium: & ſaltus, picem ferens optimam, quam Brutianium ſilam vocant. arboribus is eſt præclarè conſitus, & aquarum copiâ præditus, longitudine* IↃCC *ſtadiorum*. Ita equidem vulgata Strabonis habent exemplaria, ubi interpres correxit, ἣν Βρέττιοι SILA, ſilva.

Σίλαν καλοῦσιν, *quam Brutii Silam vocant.* At manuſcripta quædam ſimpliciter habent, ἣν Βρέττιον καλοῦσι. ex quo doctiſſimus Commentator fecit, τὴν ἀρίστην πίτταν, ἣν Βρεττίαν καλοῦσιν, *præſtantiſſimam picem, quam Brutiam vocant*. Ita quidpe & Dioſcorides dicto loco πίσσαν Βρυτίαν adpellavit. ſilvæ autem nomen quum ipſe Strabo non expreſſiſſet, à docto aliquo id adnotatum poſteà, idem arbitratur auctoris commentator. quod vocabulum poſtmodò in textum irrepſit. Placet hæc maximè ſententia. & ſi illud ιον non de nihilo eſſe credere libet; fiat inde, ἣν Βρεττίαν ἔνιοι καλοῦσι, *quam Brutiam nonnulli vocant*. Silvam tamen vocatam Brutiis fuiſſe Silam, certum eſt. Cæterùm, ſtadia ɪↄcc, millia ſunt LXXXVII cum paſſibus ɪↄ. Exſtat hodieque magna eius pars circa Conſentiam, inter Crathis, Neæthi, ac Traentis amnium ortus, antiquo etiam nunc vocabulo vulgò *Sila* dicta. Hinc ad Rhegium usque LXXX circiter ſunt millia paſſuum. unde patet, hucusque eam olim fuiſſe ſupra Rhegium atque Locros porrectam: quod ſatis diſertè teſtantur Strabo ac Plinius. Hinc etiam *Rhegini* dicuntur *ſaltus*, Solino, cap. VIII. Meminit prætereà ejus, Virgilius quoque, Aeneid. lib. XII. & Γεωργικῶν lib. III ita canit:

Paſcitur in magnâ ſilvâ formoſa juvenca.

Vbi Servius: *Alii Silâ legunt; ut ſit mons Lucaniæ. quod modò nulla neceſſitas cogit.*

MAMERTVM, *opidum.*

MAMERTVM *opidum*, Straboni loco proximè citato memoratum, quidam, neſcio quam ſectantes vocabuli ſimilitudinem, nunc eſſe volunt id opidum, quod inter Sabatum flumen & Vibonenſem ſinum vulgari vocabulo dicitur *Martorano*. Verùm hoc longiùs diſſitum, quàm, uti ὑπὲρ τοῦ Ῥηγίου καὶ τῶν Λοκρῶν, *ſupra Rhegium ac Locros*, ſitum eſſe, ritè congrueque dicatur. quidpe ſilvam Silam quod attinet, non ſupremæ eius, verſus ſeptemtriones, ſed imæ, verſus Leucopetram promontorium, partis reſpectu, ſupra has urbeis eam eſſe dixit. Ego circa id opidum, Mamertium fuiſſe opinor, quod inter Seminaram & Apenninum vulgò nunc dicitur *Oppido*, epiſcopatûs titulo inſigne. Meminit prætereà eius Stephanus etiam.

Porrò iter per hunc Italiæ angulum apud Antoninum exſtat huiusmodi:

Scilacis		
Cocinto	XXII.	
Succeiano	XX.	24.
Altanum	XX.	
Hypporum	XXIIII.	
Decaſtadium	XXII.	12.
Regio	XX.	

Ex his DECASTADIVM, ex intervallo XX millium, & nominis ſimilitudine, haud dubiè is eſt locus, qui hodiè vulgò incolis dicitur *Caſtitio*. SVCCEIANVM, ALTANVM, HYPPORVM, quibus ſitibus fuerint, minimè liquet. Ad orientale tamen Apennini fuiſſe latus; ductus itineris à Scylacio atque Cocinto ad Decaſtadium indicant. *Hyporum* haud dubiè à Græcis inditum habuit vocabulum, quaſi ὑπὸ ὀρῶν, *ſub montibus*, ſcilicet Apenninis. Proinde haud placet eorum ſententia, qui ex corrupto illo *Hypporum* faciendum putant *Hipporum*, quaſi ἀπὸ τοῦ ἵππου, *ab equo*, denominatus fuerit locus.

Denique *opida* fuêre Brutiis, TISIA, & ASIA, vel ASIAE. De quibus ita Stephani breviator: Τισία, ὡς Ἀσία, πόλις Ἰταλίας. τὸ ἐθνικὸν, Τισιάτης, ὡς Ἀσιάτης. *Tiſia, ut Aſia opidum Italiæ. gentilitium inde, Tiſiates, ut Aſiates.* Appianus in Annibalicis: Ἐν δὲ Βρυτίοις ἀνὴρ ἐκ πόλεως Τισίας. *In Brutiis vir quidam ex Tiſiâ opido.* In excerptis Legationum ex Diodori lib. XXXVII, ita legitur in rebus geſtis belli Marſici ſive Socialis: Οἱ δὲ τῶν ὑπολοίπων στρατηγοὶ Ἰταλιωτῶν, διατρίβοντες ἐν τῇ Βρεττίᾳ, Ἀσίας μὲν πόλιν ὀχυρὰν ἐπὶ πολὺν χρόνον πολιορκήσαντες, τῇ λοιπῇ τὸ Ῥήγιον ἰσχυρῶς ἐπολιόρκουν. Id eſt: *Italicorum adhuc reliquorum prætores, in Brutiâ tunc commorantes, Iſias urbem munitam, longo tempore circumſeſſam, capere non poterant. Ideò relictâ ad obſidionem exercitûs parte, cum reliquis Rhegium acriter oppugnant.* Interpres, neſcio unde, vertit *Iſias*. cùm tamen Ἀσίας vocabulum paullo antè bis præcedat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Cap. XVI.

De Magna Graecia; *& qui Græci quibus temporibus in Italiam transgreſſi. ubi plenius de* Oenotria *etiam agitur.*

ITALIAE populis atque opidis, aliiſque locis univerſis deſcriptis; commodum tandem nunc fuerit indicare, quæ MAGNA illa fuerit in eâdem Italiâ GRAECIA; non geographis tantùm, ſed compluribus aliis quoque antiquis auctoribus celebratiſſima. TERMINI Magnæ huic Græciæ varii à variis conſtituuntur auctoribus. Termini Magnæ Græcia. Ptolemæus ita: Λευκόπετρα ἄκρα. Μεγάλης Ἑλλάδος παρὰ τὸ Ἀδριατικὸν πέλαγος· Ζεφύριον ἄκρον, Λοκροὶ πόλις, Λοκανοῦ ποταμοῦ ἐκβολαί. ἐν δὲ τῷ κατὰ Σκυλάκιον κόλπῳ, πόλις Σκυλάκιον, ὁ μυχὸς τοῦ κόλπου τοῦ Σκυλακίου, Λακίνιον ἄκρον. ἐν δὲ τῷ Ταραντίνῳ κόλπῳ, Κρότων πόλις, Θούριον, Μεταπόντιον, Τάρας. Σαλεντίνων, Ἰαπυγία ἄκρα. Hoc eſt: *Leucopetra. Magnæ Græciæ, ad Adriaticum mare; Zephyrium promontorium, Locri urbs, Locani amnis oſtium: in Scylacio ſinu, Scylacium opidum, intimus ſinus Scylacii receſſus, Lacinium promontorium: in Tarentino ſinu, Croto urbs, Thurium, Metapontum, Tarentum. Salentinorum, Iapygium promontorium.* Et poſteà: Μεγάλης Ἑλλάδος μεσόγαιοι, Πετηλία, Ἄβυστρον. Id eſt: *Magnæ Græcæ mediterranea opida, Petelia, Abyſtrum.* Ergo ora, ſecundùm Ptolemæum, Magnæ Græciæ fuit à Leucopetrâ promontorio ad Tarentum usque. namque à Tarento ſtatim Salentinorum fuiſſe agrum, ſuprà oſtenſum eſt. In eamdem ſententiam ita ſcribit & Plinius, lib. III, cap. X: *A Locris Italiæ frons incipit, magna Græcia adpellata, in treis ſinus recedens Auſonii maris.* De tribus hiſce ſinibus ſuperiori actum eſt capite. Idem Plinius, capite V anteà; ubi laudes gloriamque Italiæ exſequitur: *Ipſi de eâ judicavêre Græci, genus in gloriam ſuam effuſiſſimum; quotam partem ex eâ adpellando Græciam Magnam.* Eamdem haud dubiè heic partem intellexit, quam poſteà capite X *frontem Italiæ* vocat, *in treis ſinus recedentem.* Verùm, quamvìs poſterioribus ſæculis ea tantùm pars diceretur Magna Græcia; ad reliquum Italiæ ſi comparetur, admodùm exigua: tamen ab initio longè ampliores eius nominis fuêre fines. Strabo lib. VI: Κατὰ μὲν δὴ τὴν Τυρρηνικὴν παραλίαν ταῦτα ἐστὶ τὰ Λευκανῶν χωρία, ἃ τῆς ἑτέρας οὐχ ἥπτοντο θαλάττης πρότερον, ἀλλ᾽ οἱ Ἕλληνες ἐπεκράτουν, οἱ τὸν Ταραντῖνον ἔχοντες κόλπον. Πρὶν δὲ τοὺς Ἕλληνας ἐλθεῖν, οὐδ᾽ ἦσάν πω Λευκανοί. Χῶνες δὲ καὶ Οἴνωτροι τοὺς τόπους ἐνέμοντο. τῶν δὲ Σαμνιτῶν αὐξηθέντων ἐπιπολὺ, καὶ τοὺς Χῶνας καὶ τοὺς Οἰνώτρους ἐκβαλόντων, Λευκανοὺς δ᾽ εἰς τὴν μερίδα ταύτην ἀποικισάντων, ἅμα δὲ καὶ τῶν Ἑλλήνων τὴν ἑκατέρωθεν παραλίαν μέχρι πορθμοῦ κατεχόντων, πολὺν χρόνον ἐπολέμουν οἵ τε Ἕλληνες καὶ οἱ βάρβαροι πρὸς ἀλλήλους. [Οἱ δὲ τῆς Σικελίας τύραννοι, καὶ μετὰ ταῦτα Καρχηδόνιοι, τότε μὲν περὶ τῆς Σικελίας πολεμοῦντες τοὺς Ῥωμαίους, τότε δὲ περὶ αὐτῆς τῆς Ἰταλίας, ἅπαντας τοὺς ταύτῃ κακῶς διέθηκαν. Μετὰ δὲ τοὺς Ἕλληνας, ὕστερον μέν γε καὶ τῆς μεσογαίας πολλὴν ἀφῄρηντο, ἀπὸ τῶν Τρωϊκῶν ἀρξάμενοι χρόνων. Locum corruptum ſic genuino ſuo ſenſui utcumque reſtituere conor: Μετὰ δὲ ταῦτα οἱ Σικελίας τύραννοι, καὶ μετὰ τούτους Καρχηδόνιοι, τότε ἅπαντας τοὺς ταύτῃ κακῶς διέθηκαν. Οἱ μὲν οὖν Ἕλληνες, ἀπὸ τῶν Τρωϊκῶν ἀρξάμενοι χρόνων, ὕστερον μέν γε καὶ τῆς μεσογαίας πολλὴν ἀφῄρηντο, καὶ δὴ ἐπὶ τοσοῦτον ηὔξηντο, ὥστε τὴν Μεγάλην Ἑλλάδα ταύτην ἔλεγον καὶ τὴν Σικελίαν. νυνὶ δὲ, πλὴν Τάραντος καὶ Ῥηγίου καὶ Νεαπόλεως, ἐκβεβαρβαρῶσθαι συμβέβηκεν ἅπαντα· καὶ τὰ μὲν Λευκανοὺς καὶ Βρεττίους κατέχειν, τὰ δὲ Καμπανούς· καὶ τούτους λόγῳ· τὸ δ᾽ ἀληθὲς Ῥωμαίους. καὶ γὰρ αὐτοὶ Ῥωμαῖοι γεγόνασιν. Hoc eſt: *Atque hæc quidem ſunt ad Tuſci maris litus loca Lucanorum. qui olim non pertigerunt ad alterum mare: ſed Græci illic tenebant ſinum adcolentes Tarentinum. Antequàm in Italiam Græci veniſſent, nullidum erant Lucani: ſed Chones & Oenotri eo loca incolebant. Quum autem Samnites viribus admodùm aucti, Chonas atque Oenotros ejeciſſent, Lucanosque colonos in hanc partem deduxiſſent; ſimul etiam Græci utrumque litus usque ad fretum tenerent: diu inter ſe Græci ac barbari bello certarunt. Poſteà autem Siciliæ tyranni, & poſt hos Carthaginienſes, modò ſuper Siciliâ adversùm Romanos bellum gerentes, modò ſuper ipsâ Italiâ, omneis huius regionis incolas malè adfecerunt. Cæterùm Græci, à Troiani belli temporibus facto initio, poſtmodùm magnam etiam mediterraneorum partem ademerunt. atque in tantum eorum*

crevit potentia, uti hanc regionem, ſimulque Siciliam vocarent Magnam Græciam. At nunc præter Tarentum Rhegium atque Neapolim, omnia in barbariem abierunt: alia Lucanis ac Brutiis, quædam Campanis obtinentibus. quamquàm his quidem verbo, re verò ipſâ Romanis. ſunt quidpe jam & ipſi facti Romani. Hinc illud Ciceronis in Lælio: *Magnam Græciam; quæ nunc quidem deleta eſt, tum florebat; inſtitutis & præceptis ſuis erudierunt.* Cæterò, diſertè teſtatur Strabo, & Lucaniam & Brutium agrum & Campaniam olim in Magnâ fuiſſe Græciâ. De eodem nomine ita è Trogo Pompeio epitomator eius Iuſtinus, lib. XX: *Dionyſio, è Siciliâ Carthaginienſibus pulſis, prima militia adverſùs Græcos, qui proxima Italici maris litora tenebant, fuit. quibus devictis, finitimos quosque adgreditur; omneisque Græci nominis Italiam poſſidenteis, hoſteis ſibi deſtinat. quæ gentes non partem, ſed univerſam fermè Italiam eâ tempeſtate occupaverant. denique multæ urbes adhuc poſt tantam vetuſtatem veſtigia Græci moris oſtentant. Namque Tuſcorum populi, qui oram inferi maris poſſident, à Lydiâ venerunt: & Venetos, quos incolas ſuperi maris videmus, capta & expugnata Troia Antenore duce miſit: Adria quoque, Illyrico mari proxima, quæ & Adriatico mari nomen dedit, Græca urbs eſt: Arpos Diomedes, exciſo Ilio, naufragio in ea loca delatus, condidit: ſed & Piſæ in Liguribus Græcos auctores habent: & in Tuſcis Tarquinii à Theſſalis & Spinambris, Peruſini quoque originem ab Achæis ducunt. quid Cæren urbem dicam? quid Latinos populos; qui ab Aeneâ conditi videntur? jam Faliſci, Nolani, Abellani, nonne Chalcidenſium coloni ſunt? quid tractus omnis Campaniæ? quid Brutii Sabinique? quid Samnites? quid Tarentini, quos Lacedæmone profectos Spuriosque vocatos accepimus? Thurinorum urbem condidiſſe Philoctetem ferunt: ibique adhuc monumentum eius viſitur; & Herculis ſagittæ in Apollinis templo, quæ fatum Troiæ fuêre. Metapontini quoquè in templo Minervæ ferramenta, quibus Epeus, à quo conditi ſunt, equum Troianum fabricavit, oſtentant. Propter quod omnis illa pars Italiæ, Maior Græcia adpellata eſt.* Servius, ad Virgilii Aeneid. lib. I: *Italia* Μεγάλη Ἑλλὰς, *id eſt, Magna Græcia eſt adpellata, quia à Tarento usque ad Cumas, omneis civitateis Græci condiderunt.* Sed de hoc loco vide etiam initio Italiæ, libri primi caput I. Seneca in conſolatione ad Helviam: *Totum Italiæ latus, quod infero mari alluitur, Maior Græcia fuit.* Sed heic minus exactè, dum inferum duntaxat nominat mare. quâ ratione ab Maioris Græciæ nomine totum id, quod poſteà propriè ſic ad Auſonium mare dicebatur, excluditur. Latiùs id extendunt Athenæus, Ovidius, atque Feſtus. Athenæus, lib. XII: Διὸ καὶ Μεγάλη Ἑλλὰς ἐκλήθη πᾶσα σχεδὸν ἡ κατὰ τὴν Ἰταλίαν κατοίκησις. Id eſt: *Quapropter Magna Græcia dicta eſt omnis fermè Italiæ incultio.* Ovidius, Faſtorum lib. IV:

Sed Veneris menſem Graio ſermone notatum
Auguror. à ſpumis eſt dea dicta maris.
Nec tibi ſit mirum, Græco rem nomine dici:
Itala nam tellus Græcia Maior erat.
Venerat Euander plenâ cum claſſe ſuorum;
Venerat Alcides: Grajus uterque genus.
Hoſpes Aventinis armentum pavit in herbis
Claviger; & tanto eſt Albula pota Deo.
Dux quoque Narycius, teſtes Læſtrygones exſtant;
Et quod adhuc Circes nomina litus habet.
Et jam Telegoni, jam mœnia Tiburis udi
Stabant; Argolicæ quæ poſuêre manus.
Venerat Atridæ fatis agitatus Haleſus;
A quo ſe dictam terra Faliſca putat.
Adjice Troianæ ſvaſorem Antenora pacis:
Et generum Oeniden, Apule Daune, tuum.
Serus ab Iliacis, & poſt Antenora, flammis
Attulit Aeneas in loca noſtra deos.
Huius erat Solemus Phrygiâ comes unus ab Idâ;
A quo Sulmonis mœnia nomen habent.

Hinc tamdem Feſtus Pompeius: *Maior Græcia dicta eſt Italia, quòd eam Siculi quomdam obtinuerunt: vel, quòd in eâ multæ magnæque civitates fuerunt ex Græciâ profectæ.* Ariſtides, oratione Platonicâ II, pro Quatuorviris: Ἦσαν τῶν Ἑλλήνων μερίδες τρεῖς. ἡ

μὲν

μὲν ἔξω πραγμάτων, ὥσπερ Ἀργεῖοι καὶ Κερκυραῖοι καὶ Σικελιῶται, καὶ Ἰταλιῶται μικροῦ πάντες, καὶ Κρῆτες. *Tres erant Græcorum partes. una, quæ neutros ſequebatur; ut Argivi, Corcyrani, Sicilienſes, Italici ferè omnes, Cretenſes.* Syneſius ad Pœonium: Ἰταλία μὲν γὰρ πάλαι τοὺς αὐτοὺς ἔχουσα Πυθαγόρου τε ἀκουστὰς καὶ τῶν πόλεων ἁρμοστὰς, Ἑλλὰς ἡ Μεγάλη προσηγορεύετο· καὶ μάλα ἐν δίκῃ· παρ' οἷς Χαρώνδας μὲν ἐνομοθέτει, καὶ Ζάλευκος· ἐστρατήγουν δὲ Ἀρχύται καὶ Φιλόλαοι. ὁ δὲ ἀστρονομικώτατος Τίμαιος ἐπολιάρχει τε καὶ ἐπρέσβευε, καὶ τἆλλα ἐπολιτεύετο. παρ' οὗ καὶ Πλάτων ἡμῖν περὶ κόσμου φύσεως διαλέγεται. ταῦτ' ἄρα μέχρις ἐνάτης ἀπὸ Πυθαγόρου γενεᾶς τὰ κοινὰ πιστευθέντες εὐδαίμονα τὴν Ἰταλίαν διετήρησαν. Hoc eſt: *At enim, quum Italia eosdem haberet & Pythagoræ auditores & civitatum rectores, Magna Græcia* [ergo tota] *cognominabatur. nec id injuriâ. quidpe quum apud eas genteis Charondas quidem & Zaleucus leges conderent; bellorum autem duces eſſent Archytæ & Philolai; princeps autem ille aſtronomorum Timæus, urbi præficeretur, & legationes obiret, aliisque civilis adminiſtrationis muneribus fungeretur; quo etiam auctore Plato nobis de mundi naturâ diſputationem inſtituit: quum igitur horum fidei reſpublica credita fuiſſet; ad nonam usque à Pythagorâ ætatem beatam ac florentem Italiam conſervarunt.* Siciliam ſub eodem cum Italiâ fuiſſe Magnæ ſeu Maioris Græciæ nomine, præter Strabonis teſtimonium, patet etiam haud obſcurè ex Livio. in lib. vii, is L. Furii Camilli & App. Claudii Craſſi conſulatu, qui fuit anno urbis cccc v, ante natum Ieſum cccxlviii, ita ſcribit: *Annus multis variisque motibus fuit inſignis. Galli ex Albanis montibus, quia hiemis vim pati nequiverant, per campos maritimaque loca vagi populabantur. mare infeſtum claſſibus Græcorum erat, oraque litoris Antiatis, Laurensque tractus, & Tiberis oſtia.* Et poſteà: *Conſul, juſſus ab ſenatu bellum maritimum curare, cum prætore junxit caſtra. ibi, quia res trahi ſegnitiâ Græcorum, non committentium ſe in aciem, videbatur, dictatorem comitiorum causâ, Ti. Manlium Torquatum, ex auctoritate ſenatûs dixit.* Mox: *Cum Græcis à Camillo nulla memorabilis geſta res. nec illi terrâ, nec Romanus mari bellator erat. Poſtremò, quum litoribus arceretur, aquâ etiam præter cætera neceſſaria uſui deficiente, Italiam reliquêre. Cuius populi ea, cuiusve gentis claſſis fuerit, nihil certi eſt. Maximè Siciliæ fuiſſe tyrannos, crediderim. nam ulterior Græcia eâ tempeſtate, inteſtino feſſa bello, jam Macedonum opeis horrebat.* Apertè Siciliam ſub Græciæ nomine ponit. Itaque haud dubiè & ipſa, quod teſtatur Strabo, ſub Maiore fuit Græciâ. Cæterò, Italiam quod attinet, ſatis ex ſuprà dictis patet, nullos poſſe dari Maiori iſti ſive Magnæ Græciæ certos terminos; quum Græci ſæpè loca longè inter ſe diverſa, discreta atque remota hinc inde incoluerint. Poſterioribus temporibus, ut antè oſtenſum, ſola Auſonii maris ora, ab Tarento ad Locros ſive Leucopetram usque, id nomen per conſvetudinem quandam vulgi tulit: minùs ritè & ipſa; quando Rhegium quoque & Neapolis, Strabonis etiam ætate, Græcorum erant quàm celeberrimæ urbes; Neapolis item, & Velia, Ciceronis: uti ex oratione pro L. Cornelio Balbo cognoſcere licet.

Græci in Italiâ primi, qui?

Sed oſtendendum erit, qui iſti fuerint, qui primi è Græciâ in Italiam venerint Græci, & quibus temporibus eò venerint. Strabo, dicto libro vi; Πρὶν δὲ τοὺς Ἕλλωνας, inquit, ἐλθεῖν, οὐδ' ἦσάν πω Λευκανοί. Χῶνες δὲ καὶ Οἴνωτροι τοὺς τόπους ἐνέμοντο. Id eſt: *Antequàm in Italiam Græci veniſſent, nullidum erant Lucani. ſed Chones & Oenotri ea loca incolebant.* Dupliciter, credo, heic à Strabone eſſe erratum. primùm, quòd Oenotros à Græcis; dein, quòd Chonas ab Oenotris, alienos facit. De Chonibus ita tradit Ariſtoteles, Πολιτικῶν lib. vii, cap. x: Τὰ δὲ περὶ τὴν Ἰταλίαν πολλῷ παλαιότερα τούτων. Φασὶ γὰρ οἱ λόγιοι τῶν ἐκεῖ κατοικούντων, Ἰταλόν τινα γενέσθαι βασιλέα τῆς Οἰνωτρίας· ἀφ' οὗ τό τε ὄνομα μεταβαλόντας, Ἰταλοὺς ἀντ' Οἰνωτρῶν κληθῆναι· καὶ τὴν ἀκτὴν ταύτην τῆς Εὐρώπης Ἰταλίαν τοὔνομα λαβεῖν, ὅση τετύχηκεν ἐντὸς οὖσα τοῦ κόλπου τοῦ Σκυλλητικοῦ καὶ τοῦ Λαμητικοῦ. ἀπέχει γὰρ ταῦτα ἀπ' ἀλλήλων ὁδὸν ἡμισείας ἡμέρας. τοῦτον δὴ λέγουσι τὸν Ἰταλὸν νομάδας τοὺς Οἰνώτρους ὄντας, ποιῆσαι γεωργούς· καὶ νόμους ἄλλους τε αὐτοῖς θέσθαι, καὶ τὰ συσσίτια καταστῆσαι πρῶτον. διὸ καὶ νῦν ἔτι τῶν ἀπ' ἐκείνου τινὲς χρῶνται τοῖς συσσιτίοις, καὶ τῶν νόμων ἐνίοις· ᾤκουν δὲ τὸ μὲν πρὸς τὴν Τυρρηνίαν Ὀπικοὶ, καὶ πρότερον καὶ νῦν καλούμενοι τὴν ἐπωνυμίαν Αὔσονες· τὸ δὲ πρὸς τὴν Ἰαπυγίαν καὶ τὸν Ἰόνιον Χῶνες, τὴν καλουμένην Σύρτιν. ἦσαν δὲ καὶ οἱ Χῶνες Οἴνωτροι τὸ γένος. Id eſt: *Quæ verò in Italiâ, celebrantur multò his eſſe antiquiora. Aiunt enim ex iis, qui illic habitant viri docti & eloquentes & rerum antiquarum ſcriptores, Italum quemdam Oenotriæ regem fuiſſe. à quo, nomine mutato, Italos pro Oenotris eſſe adpellatos: & hanc Europæ oram, quæ ſinu Scylletico ac Lametico continetur, hoc nomen eſſe conſequutam.*

Chonum gens, & regio.

diſtant

diſtant enim hæc loca inter ſe diei dimidii iter. Hunc igitur Italum, ferunt, Oenotros, qui paſtores ac nomades erant, agricolas feciſſe, & cùm alias eis legeis ſcripſiſſe, tum verò ſodalitia conviviaque publica lege ſanxiſſe ac confirmaſſe. Quapropter etiam nunc nonnulli ex iis, qui ab illo orti ſunt, & ſodalitiis utuntur, & nonnullis aliis legibus. Habitabant autem in eâ quidem parte, quæ à mari Tyrrheno alluitur, Opici; qui & olim cognomento Auſones dicebantur, & nunc etiam dicuntur: in eâ verò, quæ Iapygiam & Ionium attingit, quæ Syrtis adpellatur, Chones. erant autem etiam Chones genere Oenotri. Sed ipſe Strabo, paullo infrà, citat Antiochum, Chonas gentem Oenotricam adfirmantem. Τὴν δ' ἑξῆς, inquit ille, παραλίαν Βρέττιοι μέχρι τοῦ Σικελικοῦ κατέχουσι πορθμοῦ· Φησὶ δ' Ἀντίοχος ἐν τῷ περὶ τῆς Ἰταλίας συγγράμματι, ταύτην Ἰταλίαν κληθῆναι, καὶ περὶ ταύτης συγγράφειν, πρότερον δ' Οἰνωτρίαν προσαγορεύεσθαι. ὅριον δ' αὐτῆς ἀποφαίνει πρὸς μὲν τῷ Τυρρηνικῷ πελάγει, τὸ αὐτὸ ὅπερ καὶ τῆς Βρεττίας ἔφαμεν, τὸν Λᾶον ποταμόν. πρὸς δὲ τῷ Σικελικῷ, τὸ Μεταπόντιον. τὴν δὲ Ταραντίνην, ἣ συνεχὴς τῷ Μεταποντίῳ ἐστὶν, ἐκτὸς τῆς Ἰταλίας ὀνομάζει, Ἰάπυγας καλῶν. Ἔτι δὲ ἀνώτερον, Οἰνωτρούς τε καὶ Ἰταλοὺς μόνους ἔφη καλεῖσθαι τοὺς ἐντὸς τοῦ ἰσθμοῦ πρὸς τὸν Σικελικὸν κεκλιμένους πορθμόν. ἔστι δ' αὐτὸς ὁ ἰσθμὸς ἑκατὸν καὶ ἑξήκοντα στάδιοι μεταξὺ δυοῖν κόλπων, τοῦ τε Ἱππωνιάτου, ὃν Ἀντίοχος Λαμητῖνον εἴρηκε, καὶ τοῦ Σκυλλητικοῦ, μετὰ δὲ ταῦτα ἐπεκτεῖναι, φησὶ, τοὔνομα καὶ τὸ τῆς Ἰταλίας καὶ τὸ τῶν Οἰνωτρῶν μέχρι τῆς Μεταποντικῆς καὶ τῆς Σερωΐτιδος. [lege τῆς Μεταποντίνης καὶ τῆς Σιρίτιδος.] οἰκῆσαι γὰρ τοὺς τόπους τούτους Χῶνας, Οἰνωτρικὸν ἔθνος κατακοσμημένον, καὶ τὴν γῆν ὀνομάσαι Χωνίην. Hoc eſt: *Reliquam hinc ad fretum uſque Siculum oram maritimam Brutii tenent. Antiochus, in opere quod de Italiâ conſcripſit, hanc regionem ait Italiam adpellatam fuiſſe; ac de eâ ſe ſcribere. priùs autem dictam Oenotriam. terminum ei conſtituit, ad mare Hetruſcum, eumdem quem Brutiorum nos agro adſignavimus; Laum amnem: ad Siculum mare, Metapontium. Tarentinum autem agrum, conterminum Metapontio, extra Italiam ſub Iapygiæ nomine cenſet. At apud vetuſtiores mortaleis, ait, eos tantùm Oenotros atque Italos fuiſſe habitos, qui intra iſthmum ſiti, verſus fretum vergerent Siculum. Is iſthmus ſtadiorum* CLX, *inter duos porrigitur ſinus, Hipponiatem, quem Lametinum vocat Antiochus, & Scylleticum. Progreſſu autem temporis, Italiæ ait nomen fuiſſe atque Oenotriæ propagatum uſque in Metapontinum Sirinumque agrum. habitaſſe quidpe ea loca Chonas, gentem Oenotricam ſatis compoſitam; regionemque Choniam nuncupaſſe. Non* Χωνίην iſto loco, ſed Χώνην eſſe legendum, ex Stephano docent viri docti. ſic enim apud illum: Χώνη, πόλις Οἰνωτρῶν, ἧς Στράβων μέμνηται ἐν ἑβδόμῃ. [lege ἕκτῃ.] καὶ τὴν γῆν ὠνόμασε Χώνην. καὶ Χώνη πόλις ὑπὲρ αὐτῆς, ἀφ' ἧς οἱ ταύτης [lege ταύτῃ] Χῶνες ἐκλήθησαν. ἡ δὲ χώρα Χώνη. Λυκόφρων·

> Ἄρδων βαθεῖαν Χωνίας παγκληρίαν.

οἰκοῦν καὶ Χώνιος. Id eſt: *Chone, urbs Oenotrorum, cuius Strabo meminit lib.* VI, *regionemque vocavit Chonem. Et Chone urbs ſuper id promontorium: unde Chones in hac regione dicti. Regio autem Chone. Lycophron:*

> *Profundam irrigans Choniæ regionem.*

Igitur etiam Chonius dicitur. Strabo, dicto loco, paullo antè: Φιλοκτήτου δ' ἐστὶ καὶ ἡ παλαιὰ Κρίμισα περὶ αὐτοὺς τοὺς τόπους. Ἀπολλόδωρος δ' ἐν τοῖς περὶ νεῶν, τοῦ Φιλοκτήτου μνησθεὶς, λέγειν τινάς φησιν, ὡς, εἰς τὴν Κροτωνιᾶτιν ἀφικόμενος, Κρίμισαν ἄκραν οἰκῆσαι, καὶ Χώνην πόλιν ὑπὲρ αὐτῆς· ἀφ' ἧς οἱ ταύτῃ Χῶνες ἐκλήθησαν. Hoc eſt: *Philoctetæ opus eſt. & Crimiſa vetus, eodem tractu. Apollodorus, in commentario de navibus, factâ Philoctetis mentione, quoſdam ait dicere, eum, quum in Crotonienſem perveniſſet agrum, habitaſſe in Crimisâ promontorio Chonum urbem; à quâ Chones in hac regione dicti.* Apud Heſychium ita legitur: Χώνην, τὴν Ἰταλίαν οὕτως πάλαι ἔλεγον, ὥς φησιν Ἀντίοχος ὁ Ξενοφάνους ἐν τῷ περὶ Ἰταλίας. Id eſt: *Chonem Italiam antiqui mortales adpellabant; ut auctor eſt Antiochus Xenophanis filius, in libro de Italiâ.* Non omnem veterem illam Italiam dictam fuiſſe Chonem, ſed partem tantùm; ſatis apertè ex iis adparet, quæ Ariſtoteles Straboque narrant. A Lacinio promontorio & monte Clibano ad Metapontum uſque extenſam fuiſſe Chonum gentem ſeu Chonem regionem; diſertè patet ex Strabonis verbis. Hinc etiam illud eſt Lycophronis:

> Τὸν δ' Αἰσάρου τε ῥεῖθρα καὶ βραχύπτολις
> Οἰνωτρίας γῆς κεχρίνη βεβρωμένον
> Κρίμισα φιτροῦ δέξεται μιαιφόνον.

Id eſt:

> *Alium Aeſarus fluvius & urbs parva*

Oenotriæ

Oenotriæ terræ Crimiſſa ab hydro
Morſum recipiet, facis occiſorem.

Et poſteà:

Πολλοὶ δὲ Σῖριν ἀμφὶ καὶ Λευταρνίαν
Ἄρουραν οἰκήσουσιν. ἔνθα δύσμορος
Κάλχας, ὀλωύθων Σισυφεὺς αἰνηρίθμων,
Κεῖται, κάρα μάστιγι γογγύλῃ τυπείς,
Ῥείθροισιν ὠκὺς ἔνθα Σῖρις
Ἄρδων βαθεῖαν Χωνίας παγκληρίαν.

Hoc eſt:

Multi etiam circa Sirin & Leuterniam
Agrum habitabunt; ubi infelix
Calchas, groſſorum Siſipheus multarum,
Iacet, caput flagello percuſſus rotundo:
Vbi celer ſtrepit Siris,
Profundam irrigans Choniæ regionem.

Cæterò, terminum illum inter veterem Italiam & Iapygiam, vetuſtiſſimus quoque innuit rerum ſcriptor Thucydides, lib. VII: Ὁ δὲ Δημοσθένης, inquit, καὶ Εὐρυμέδων, ἑτοίμης ἤδη τῆς στρατίας οὔσης, ἐκ τῆς Κερκύρας καὶ ἀπὸ τῆς Ἠπείρου ἐπεραιώθησαν ξὺν πάσῃ τῇ στρατιᾷ τὸν Ἰώνιον ἐπ' ἄκραν Ἰαπυγίαν· καὶ ὁρμηθέντες αὐτόθεν, κατίσχουσιν εἰς τὰς Χοιράδας νήσους Ἰαπυγίας· καὶ ἀκοντιστάς τε τινὰς τῶν Ἰαπύγων πεντήκοντα καὶ ἑκατὸν τοῦ Μεσσαπίου ἔθνους ἀναβιβάζονται ἐπὶ τὰς ναῦς, καὶ ἀφικνοῦνται ἐς Μεταπόντιον τῆς Ἰταλίας. Hoc eſt: *Demoſthenes & Eurymedon, comparato jam exercitu, à Corcyrâ atque Epiro transmiſſo mari Ionio tenuêre Iapygium promontorium. inde ſolventes ad Chœradas, Iapygiæ inſulas, appulerunt. centumque & quinquaginta Meſſapiæ gentis jaculatoribus in naveis impoſitis, Metapontium Italiæ opidum proficiſcuntur.* [CHOERADES hasce inſulas ad ipſum fuiſſe Tarentinæ urbis portum, in conſpectu Metapontii, & oſtii amnis Bradani; qui terminus fuit inter Iapygiam illam veterem & Oenotriam ſive Italiam; ſuprà debebat dici. CHOERADES, inſulæ.

Verùm, poſtquàm Chonas Oenotrici fuiſſe generis docuimus; reſtat nunc, uti etiam monſtretur, ipſos OENOTROS fuiſſe gente Græcos. Dionyſius Halicarnaſſenſis, adcuratiſſimus Italicarum antiquitatum ſcriptor, ita tradit, lib. I: Οἱ δὲ λογιώτατοι τῶν Ῥωμαίων συγγραφέων, ἐν οἷς ἐστι Πόρκιός τε Κάτων, ὁ τὰς γενεαλογίας τῶν ἐν Ἰταλίᾳ πόλεων ἐπιμελέστατα συναγαγών, καὶ Γάϊος Σεμπρώνιος, καὶ ἄλλοι συχνοί, Ἕλληνας εἶναί φασι τοὺς Ἀβοριγῖνας λέγουσι, τῶν ἐν Ἀχαΐᾳ ποτὲ οἰκησάντων, πολλαῖς γενεαῖς πρότερον τοῦ πολέμου τοῦ Τρωϊκοῦ μεταναστάντας· οὐκ ἔτι μέντοι διορίζουσιν, οὔτε φῦλον Ἑλληνικὸν, οὗ μετεῖχον, οὔτε πόλιν, ἐξ ἧς ἀπανέστησαν, οὔτε χρόνον, οὔτε ἡγεμόνα τῆς ἀποικίας, οὔθ' ὁποίαις τύχαις χρησάμενοι τὴν μητρόπολιν ἀπέλιπον. Ἑλληνικῷ τε μύθῳ χρησάμενοι, οὐδένα τῶν τὰ Ἑλληνικὰ γραψάντων βεβαιωτὴν παρέσχοντο. τὸ μὲν οὖν ἀληθὲς, ὅπως ποτ' ἔχει, ἄδηλον. εἰ δ' ἐστὶν ὁ τούτων λόγος ὑγιὴς, οὐκ ἂν ἑτέρου τινὸς εἴησαν ἄποικοι γένους, ἢ τοῦ καλουμένου νῦν Ἀρκαδικοῦ. πρῶτοι γὰρ Ἑλλήνων οὗτοι, περαιωθέντες τὸν Ἰώνιον κόλπον, ᾤκησαν Ἰταλίαν, ἀγόντος αὐτοὺς Οἰνώτρου τοῦ Λυκάονος, ἑπτακαίδεκα γενεαῖς πρότερον τῶν ἐπὶ Τροίαν στρατευσάντων. Hoc eſt: *Scriptorum Romanorum doctiſſimi, & in his Porcius Cato, qui curatiſſimè ſcripſit de originibus Italicarum urbium, Caiusque Sempronius, & complures alii, Græcos eſſe Aborigines adſeverant, profectos ex Achaiâ, multis ante bellum Trojanum ætatibus. nec tamen tradunt, ex quâ natione Græcâ, quâve urbe, migraverint; ac ne tempus quidem, aut ducem coloniæ, aut quo caſu patrias ſedeis reliquerint, oſtendunt. fabulamque ſequuti Græcanicam, nullius Græci ſcriptoris eam confirmant teſtimonio. Proinde rei veritas quomodo ſeſe habeat, nihil certi eſt. At, ſi ſana iſtorum eſt narratio, non poſſunt fuiſſe coloni alterius generis, quàm quod nunc Arcadicum dicitur. namque hi primi Græcorum, trajecto ſinu Ionio, domicilium in Italiâ ſtatuerunt; deducti ab Oenotro, Lycaonis filio,* XVII *ætatibus antè, quàm ad Troiam bellatum eſt.* id eſt, annis CCCCLIX. ætatem quidpe ipſe Dionyſius XXVII facit annorum. nam eodem lib. I tradit, ætate XVI à Troiano bello conditam fuiſſe Romam: quod eodem libro poſteà anno à dicto bello CCCCXXXII factum adfirmat; idemque repetit deinde lib. II. Pergit poſt modò ſcripta verba Dionyſius lib. I ita: Ἀπανέστη δὲ τῆς Ἑλλάδος Οἴνωτρος, οὐκ ἀρκούμενος τῇ μοίρᾳ. δύο γὰρ καὶ εἴκοσι παίδων Λυκάονι γενομένων, εἰς τοσούτους ἔδει κλήρους νεμηθῆναι τὴν Ἀρκάδων χώραν. ταύτης μὲν δὴ τῆς αἰτίας ἕνεκα Πελοπόννησον Οἴνωτρος ἐκλιπὼν, καὶ κατασκευασάμενος ναυτικὸν, διαίρει τὸν Ἰώνιον πόντον, καὶ σὺν αὐτῷ Πευκέτιος τῶν ἀδελφῶν εἷς. εἵποντο δὲ αὐτοῖς τοῦ τε

οἰκείου

οἰκείου λαοῦ συχνοὶ, (πολυάνθρωπον γὰρ δὴ τοῦτο λέγεται τὸ ἔθνος κατ' ἀρχὰς γενέσθαι,) καὶ τῶν ἄλλων Ἑλλήνων ὅσοι χώραν εἶχον ἐλάττω τῆς ἱκανῆς. Πευκέτιος μὲν οὖν, ἔνθα τὸ πρῶτον ὡρμίσαντο τῆς Ἰταλίας, ὑπὲρ ἄκρας Ἰαπυγίας ἐκβιβάσας τὸν λεὼν, αὐτοῦ καθιδρύεται, καὶ ἀπ' αὐτοῦ οἱ περὶ ταῦτα τὰ χωρία οἰκοῦντες, Πευκέτιοι ἐκλήθησαν. Οἴνωτρος δὲ τὴν πλείω τοῦ στρατοῦ μοῖραν ἀγόμενος, εἰς τὸν ἕτερον ἀφικνεῖται κόλπον, τὸν ἀπὸ τῶν ἑσπερίων μερῶν παρὰ τὴν Ἰταλίαν ἀναχεόμενον, ὃς τότε μὲν Αὐσόνιος ἀπὸ τῶν προσοικούντων Αὐσόνων ἐλέγετο· ἐπεὶ δὲ Τυῤῥηνοὶ θαλασσοκράτορες ἐγένοντο, μετέβαλεν, ἣν ἔχει νῦν, προσηγορίαν. εὑρὼν δὲ χώραν πολλὴν μὲν εἰς νομὰς, πολλὴν δὲ εἰς ἀρότους εὔθετον, ἔρημον δὲ τὴν πλείστην, καὶ οὐδὲ τὴν οἰκουμένην πολυάνθρωπον, ἀνακαθήρας τὸ βάρβαρον ἐκ μέρους τινὸς αὐτῆς, ᾤκιζε πόλεις μικρὰς καὶ συνεχεῖς ἐπὶ τοῖς ὄρεσιν, ὅσπερ ἦν τοῖς παλαιοῖς τρόπος οἰκήσεως συνήθης. ἐκαλεῖτο δὲ ἥ τε χώρα πᾶσα, πολλὴ οὖσα, ὅσην κατέσχεν, Οἰνωτρία, καὶ οἱ ἄνθρωποι πάντες ὅσων ἦρξεν, Οἴνωτροι. μαρτυρεῖ δέ μου τῷ λόγῳ Σοφοκλῆς μὲν ὁ τραγῳδοποιὸς, ἐν Τριπτολέμῳ δράματι. πεποίηται γὰρ αὐτῷ Δημήτηρ διδάσκουσα Τριπτόλεμον, ὅσην χώραν ἀναγκασθήσεται σπείρων τοῖς δοθεῖσιν ὑπ' αὐτῆς καρποῖς διεξελθεῖν. μνησθεῖσα δὲ τῆς ἑῴου πρῶτον Ἰταλίας, ἥ ἐστιν ἀπὸ ἄκρας Ἰαπυγίας μέχρι πορθμοῦ Σικελικοῦ, καὶ μετὰ τοῦτο τῆς ἀντικρὺ ἁψαμένη Σικελίας, ἐπὶ τὴν ἑσπέριον Ἰταλίας αὖθις ἀναστρέφει, καὶ τὰ μέγιστα τῶν οἰκούντων τὴν παράλιον ταύτην ἐθνῶν διεξέρχεται, τὴν ἀρχὴν ἀπὸ τῆς Οἰνώτρων οἰκήσεως ποιησαμένη. ἀπόχρη δὲ ταῦτα μόνα λεχθέντα τῶν ἰαμβείων, ἐν οἷς φησι· Τὰ δ' ἐξόπισθε χειρὸς εἰς τὰ δεξιὰ, Οἰνωτρία καὶ Τυῤῥηνικὸς κόλπος, Λιγυστική τε γῆ σε δέξεται. Ἀντίοχος δὲ ὁ Συρακούσιος, συγγραφεὺς πάνυ ἀρχαῖος, ἐν Ἰταλίας οἰκισμῷ τοὺς παλαιοτάτους οἰκήτορας διεξιὼν, ὡς ἕκαστοί τι μέρος αὐτῆς κατεῖχον, Οἰνώτρους λέγει πρώτους τῶν μνημονευομένων ἐν αὐτῇ κατοικῆσαι, εἰπὼν ὧδε· Ἀντίοχος Ξενοφάνεος τάδε συνέγραψε περὶ Ἰταλίας ἐκ τῶν ἀρχαίων λόγων τὰ πιστότατα καὶ σαφέστατα. Τὴν γῆν ταύτην, ἥτις νῦν Ἰταλία καλεῖται, τὸ παλαιὸν εἶχον Οἴνωτροι. ἔπειτα διεξελθὼν ὃν τρόπον ἐπολιτεύοντο, καὶ ὡς βασιλεὺς αὐτοῖς Ἰταλὸς ἀνὰ χρόνον ἐγένετο, ἀφ' οὗ μετωνομάσθησαν Ἰταλοί. τούτου δὲ τὴν ἀρχὴν Μόργης διεδέξατο, ἀφ' οὗ Μόργητες ἐκλήθησαν· καὶ ὡς Σικελὸς ἐπιξενωθεὶς Μόργητι, ἰδίαν πράττων ἀρχὴν διέστησε τὸ ἔθνος· ἐπιφέρει ταυτί. Οὕτω δὲ Σικελοὶ καὶ Μόργητες ἐγένοντο καὶ Ἰταλιῆτες, ἐόντες Οἴνωτροι. Φέρε δὲ καὶ τὸ γένος, ὅσον ἦν τὸ τῶν Οἰνώτρων, ἀποδείξωμεν, ἕτερον ἄνδρα τῶν ἀρχαίων συγγραφέων παρεχόμενοι μάρτυρα, Φερεκύδην, τὸν Ἀθηναίων γενεαλογῶν οὐδενὸς δεύτερον. πεποίηται γὰρ αὐτῷ περὶ τῶν ἐν Ἀρκαδίᾳ βασιλευσάντων ὧδε ὁ λόγος· Πελασγοῦ καὶ Δηϊανείρας γίνεται Λυκάων. οὗτος γαμεῖ Κυλλήνην, νηΐδα νύμφην, ἀφ' ἧς τὸ ὄρος ἡ Κυλλήνη καλεῖται. Ἔπειτα τοὺς ἐκ τούτων γεννηθέντας διεξιὼν, καὶ τίνας τόπους ἕκαστοι τούτων ᾤκησαν, Οἰνώτρου καὶ Πευκετίου μεμνήσκεται, λέγων ὧδε· Καὶ Οἴνωτρος, ἀφ' οὗ Οἴνωτροι καλέονται, οἱ ἐν τῇ Ἰταλίῃ οἰκέοντες· καὶ Πευκέτιοι καλέονται· ἐν τῷ Ἰωνίῳ κόλπῳ. Τὰ μὲν οὖν ὑπὸ τῶν παλαιῶν εἰρημένα ποιητῶν τε καὶ μυθογράφων περί τε οἰκήσεως καὶ γένους τῶν Οἰνώτρων τοιαῦτά ἐστιν· οἷς ἐγὼ πειθόμενος, εἰ τῷ ὄντι Ἑλληνικὸν φῦλον ἦν τὸ τῶν Ἀβοριγίνων, ὡς Κάτωνι, καὶ Σεμπρωνίῳ καὶ πολλοῖς ἄλλοις εἴρηται, τούτων ἔγγονον αὐτὸ τῶν Οἰνώτρων πείθομαι. τὸ γὰρ δὴ Πελασγικὸν καὶ τὸ Κρητικὸν, καὶ ὅσα ἄλλα ἐν Ἰταλίᾳ ᾤκησεν, ὑστέροις εὑρίσκω χρόνοις ἀφικόμενα. παλαιότερον δὲ τούτου στόλον ἀπαναστάντα τῆς Ἑλλάδος εἰς τὰ προσεσπέρια τῆς Εὐρώπης, οὐδένα δύναμαι καταμαθεῖν. Et eodem libro infrà: Ἰταλία δὲ ἀνὰ χρόνον ὠνομάσθη, ἐπ' ἀνδρὸς δυνατοῦ, ὄνομα Ἰταλοῦ· τοῦτον δέ φησιν Ἀντίοχος ὁ Συρακούσιος ἀγαθὸν καὶ σοφὸν γεγενημένον, καὶ τῶν πλησίον χώρων τοὺς μὲν λόγοις ἀναπείθοντα, τοὺς δὲ βίᾳ προσαγόμενον, ἅπασαν ὑφ' ἑαυτῷ ποιήσασθαι τὴν γῆν, ὅσα ἐντὸς ἦν τῶν κόλπων τοῦ τε Λαμητίνου καὶ τοῦ Σκυλλητικοῦ. ἣν δὴ πρώτην κληθῆναι Ἰταλίαν, ἐπὶ τοῦ Ἰταλοῦ. ἐπεὶ δὲ ταύτης ἐγκρατὴς ἐγένετο, καὶ ἀνθρώπους πολλοὺς εἶχεν ὑπηκόους, αὐτίκα τῶν ἐχομένων ἐπορέγεσθαι, καὶ πόλεις συνάγεσθαι πολλάς· εἶναι δ' αὐτὸν Οἴνωτρον τὸ γένος. Hoc eſt: *Migravit autem Oenotrus è Græciâ, non contentus portione ſui patrimonii. etenim, quum* XXII *eſſent Lycaoni filii, opus erat, in totidem ſorteis dividi Arcadiam. Hanc ob cauſam Oenotrus, relictâ Peloponneſo, claſſeque paratâ, trajecit mare Ionium; unàque Peucetius, unus è fratrum numero; comitante eos bonâ parte popularium. aiunt enim, hanc gentem olim fuiſſe numeroſiſſimam. Adjunxerunt ſe his & alii Græci; quibus non ſufficiebat ager proprius. Itaque Peucetius, quò primùm adpulerunt in Italiam, ſuper Iapygium promontorium ſuis expoſitis, ſedem ibi fixit: & ab eo horum locorum incolæ adpellati ſunt Peucetii. Oenotrus cum maiore parte exercitûs in alterum pervenit ſinum, qui alluit occidentale latus Italiæ. is tunc ab adcolentibus Auſonibus dicebatur Auſonius. deinde Hetruſcis, maris imperio petitis, mutavit nomen, quod nunc obtinet. Heic nactus multos agros paſcuis, multos arationi aptiſſimos, ceterùm incultos pleroſque, ac ne eos quidem qui colerentur, hominibus frequentatos; quum repurgaſſet eos ex parte quâdam à barbaris, condidit opida parva & contigua in montibus; ut tum erat mos veterum. Id totum, quantum agri obtinuit, (fuit autem haud exiguum,) Oenotria dicta eſt; Oenotrique, ditionis eius homines. Id verò mihi atteſtatur Sophocles, tragœ-*

diarum

diarum ſcriptor, in Triptolemo. Inducitur ibi Ceres, docens Triptolemum, quantum terrarum neceſſe habeat peragrare ſeminandis frugibus, quas ei dederat. nam poſt mentionem orientalis Italiæ, quæ ab Iapygio promontorio ad fretum Siculum protenditur, adverſæque huic Siciliæ, ſermonem deflectit ad occidentalem Italiam: & potiſſimas eius oræ genteis enumerans, ab Oenotris incipit. unde ſatis erit hosce excerpſiſſe jambicos: A tergo ad dextram obeunda tota Oenotria, ſinusque Tyrrhenus, ſalum & Lyguſticum. Antiochus autem Syracuſanus, perantiquus ſcriptor, in Italiæ colonis, vetuſtiſſimos eius incolas percenſens, & quæ loca ſingulis occupata ſint; ait, Oenotros primos omnium, quorum exſtet memoria, terram eam habitaſſe. Verba eius ſunt hæc: Antiochus Xenophanis filius, è vetuſtis monimentis, quæ fide digniſſima & certiſſima erant, de Italiâ conſcripſit: Terram hanc, quæ nunc Italia dicitur, olim tenuerunt Oenotri. Deinde, commemoratâ eorum reipublicæ formâ, & quòd regnum tandem Italo delatum ſit; à quo, mutato nomine dicti ſunt Itali: Morgetemque huic ſucceſſiſſe; à quo Morgetes ſint vocati: item, quòd Siculus, à Morgete hoſpitio exceptus, proprium principatum in eâ gente conſtituerit: hæc verba ſubjicit; Sic facti ſunt Siculi & Morgetes & Itali, quum eſſent Oenotri. Nunc genus quoque Oenotrorum, alterius antiqui ſcriptoris teſtimonio declarabimus. Is eſt Pherecydes Athenienſis, in texendis originibus nulli ſecundus. qui de regibus Arcadiæ ſic loquitur: Pelasgo è Deianirâ Lycaon genitus eſt. huic nupſit Cyllene, nais nympha; à quâ mons Cyllene dicitur. Dein, recenſitis horum filiis, locisque, quos eorum quisque habitandos ceperit, Oenotri ac Peucetii ſic meminit: Et Oenotrus; à quo Oenotri nominantur in Italia; ac Peucetius; à quo Peucetii, ad Ionium ſinum. Atque hæc ſunt ab antiquis poëtis ac fabularum ſcriptoribus de ſedibus ac genere Oenotrorum prædicta. quos ego ſequutus, ſi, ut Cato & Sempronius, multique alii tradiderunt, Aboriginum gens re verâ fuit Geæcanica, credo, eam Oenotrorum iſtorum fuiſſe progeniem. Pelasgos quidpe & Cretenſeis, & id genus alios, quotquot in Italiam deducti ſunt, invenio poſterioribus eò veniſſe temporibus. antiquiorem autem hac migrationem è Græciâ in parteis Europæ occiduas reperire nequeo. Et eodem libro infrà: *Italia verò poſt dicta eſt, ſub viro præpotente, Italo. Hunc Antiochus Syracuſanus ait bonum ac ſapientem fuiſſe; & propinquarum regionum hominibus, partim oratione perſvaſis, partim vi coactis, totam eam terram ſub imperium ſuum redegiſſe, quanta patet Lametinum ſinum inter & Scylleticum: eamque primùm Italiam vocatam, Itali temporibus. iſtâ verò ditione potitum, quum jam multos haberet ſubditos, adpetiſſe finitimos; urbeisque multas in unum coëgiſſe imperium. fuiſſe autem Oenotrum genere.* Imperium ſcilicet, quod antè iſthmo, qui Lametinum Scylleticumque ſinus inter eſt, finiebatur, Italus ad Laum usque amnem, ad inferum mare; ad Auſonium verò, (quod Plinio rectiùs Siculum eſt,) ad Bradanum flumen ſive Metapontum opidum protulit; ut ex eodem Antiocho teſtatur Strabo ſuprà citatus. unde etiam Chones eidem Antiocho, & Lycophroni atque Ariſtoteli, ad dictum usque Bradanum ab Lacinio promontorio incolentes, pars Oenotrorum dicuntur. Eamdem dictus Strabo Italiam etiam *Oenotriam* vocitatam illis fuiſſe temporibus, tradit. unde etiam βασίλειόν ποτε γενέσθαι τῶν Οἰνωτρικῶν βασιλέων τὴν Πανδοσίαν, *regiam olim fuiſſe Oenotriæ regum tradit Pandoſiam:* quæ in extremis fuit Oenotriæ iſtius ſive Italiæ finibus. Græci igitur fuêre generis OENOTRI, jam ante Troiani belli tempora annis CCCCLIX, ab Oenotro Arcade in hanc Italiæ terræ oram deducti; id eſt, anno ante natum Ieſum circiter CIↃIↃCL. Huic rei argumento etiam hoc eſſe poteſt, quòd Oenotrorum regia ſedes Πανδοσία, &, cui illa impoſita, fluvius Ἀχέρων, Græca fuêre nomina. Ad hæc accedit & Plinii teſtimonium; cuius verba lib. III, cap. V, ſunt iſta: *A Silaro regio tertia, & ager Lucanus Brutiusque incipit; nec ibi rara incolarum mutatio. tenuerunt eam Pelasgi, Oenotri, Itali, Morgetes, Siculi; Græciæ maximè populi: noviſſimè Lucani.* Verùm FINEIS quod attinet, rectiùs videtur eos antiquiſſimus rerum ſcriptor Herodotus etiam ultra Laum amnem verſùs Silarum protuliſſe; ubi Hyelam ſive Veliam, πόλιν γῆς τῆς Οἰνωτρίης, *urbem Oenotriæ terræ* pronuntiavit; lib. I. Quâ ratione Oenotriæ extremi fines fuerint; ad mare inferum ſeu Hetruſcum, Silarus; ad Siculum Bradanus amnis. Nam rectè ſic conterminas habuerunt antiquiſſimas & ipſas genteis; ad Ionium mare, Iapygas; ad Hetruſcum, Opicos; in mediterraneo Auſonas, in eo qui poſteà Samnitium & Hirpinorum fuit ager. Sed & ipſe Dionyſius, eodem libro poſteà, Oenotriæ fineis ad Silarum usque ſeu proximum huic opidum Poſidoniam diſertiſſimis verbis, protulit; quæ ſic habent; Ἀντίοχος δὲ ὁ Συρακούσιος, οὗ καὶ πρότερον ἐμνήσθην, φησί, Μόργητος ἐν Ἰταλίᾳ

βασιλεύοντος, (ἦν δὲ τότε Ἰταλία ἡ ἀπὸ Τάραντος ἄχρι Ποσειδωνίας παράλιος,) ἐλθεῖν πρὸς αὐτὸν ἄνδρα φυγάδα ἐκ Ῥώμης. Id eſt: *Antiochus Syracuſius, cuius jam anteà facta mentio, ait, Morgete in Italiâ regnante, (erat autem tunc Italia ea ora, quæ à Tarento ad Poſidoniam usque protenditur,) veniſſe ad eum Româ virum quemdam exſulem*. Et item initio lib. II. Οἱ δὲ κατασχόντες, inquit, τὴν τῶν Ῥωμαίων πόλιν πρῶτοι τῶν μνημονευομένων βάρβαροι τινες ἦσαν αὐτόχθονες, Σικελοὶ λεγόμενοι. τούτους ἐκβαλόντες Ἀβοριγῖνες, αὐτοὶ κατέσχον τὸν τόπον, Οἰνώτρων ὄντες ἀπόγονοι, τῶν κατοικούντων τὴν ἀπὸ Τάραντος μέχρι Ποσειδωνίας παράλιον. Id eſt: *Vrbem Romam primi poſt hominum memoriam tenuerunt barbari quidam indigenæ, Siculi dicti. His pulſis Aborigines eum locum occuparunt, progenies Oenotrorum, qui oram à Tarento ad Poſidoniam usque incoluerunt*. Quo pacto pars Oenotrorum, jam Aborigines dicti, in Sabinorum Vmbrorumque fineis, atque hinc in Siculorum agros tranſierint, ubi, jam iterum mutato nomine, Latini adpellati fuerunt; ſuprà oſtenſum eſt. Porrò, & Marcianus Heracleenſis Oenotros Lucanis contermịnos facit, eosque ad Pœſtum producit & Campaniam.

ABORIGINVM gens.

PELASGORVM, gens.

Cæterò, poſt Oenotrorum ac Peucetiorum ex Arcadiâ in Italiam transgreſſum, proximi Græcorum in eamdem Italiam tranſivêre PELASGI, ex Hæmoniâ, quæ poſteà Theſſalia dicta, profecti. occuparunt autem, multùm diuque errando, Hetruriæ, Vmbriæ, Latii & Campaniæ parteis. De his ita idem Dionyſius, lib. I: Ἦν δὲ καὶ τὸ τῶν Πελασγῶν γένος Ἑλληνικὸν ἐκ Πελοποννήσου τὸ ἀρχαῖον· ἐχρήσατο δὲ τύχαις δυσπότμοις, εἰς πολλὰ μὲν καὶ ἄλλα, μάλιστα δ' εἰς τὸ πολύπλανόν τε καὶ οὐδενὸς τόπου βέβαιον οἴκησιν. πρῶτον μὲν γὰρ περὶ τὸ καλούμενον νῦν Ἀχαϊκὸν Ἄργος ᾤκησαν αὐτόχθονες ὄντες, ὡς οἱ πολλοὶ περὶ αὐτῶν λέγουσι· τὴν δὲ ἐπωνυμίαν ἔλαβον ἐξ ἀρχῆς ταύτην ἀπὸ τοῦ Πελασγοῦ βασιλέως. ἕκτῃ δ' ὕστερον γενεᾷ Πελοπόννησον ἐκλιπόντες, εἰς τὴν τότε μὲν Αἱμονίαν, νῦν δὲ Θετταλίαν ὀνομαζομένην μετανέστησαν. πέντε δὲ μείναντες αὐτόθι γενεάς, περὶ τὴν ἕκτην γενεὰν ἐξελαύνονται Θετταλίας ὑπό τε Κουρήτων καὶ Λελέγων, οἱ νῦν Αἰτωλοὶ καὶ Λοκροὶ καλοῦνται. σκεδασθέντες δὲ κατὰ τὴν φυγήν, πλεῖον αὐτοῖς μέρος διὰ τῆς μεσογείου τραπόμενοι πρὸς τοὺς ἐν Δωδώνῃ κατοικοῦντας σφῶν συγγενεῖς, οἷς οὐδεὶς ἠξίου ἐπιφέρειν πόλεμον, ὡς ἱεροῖς, χρόνον μέν τινα σύμμετρον αὐτόθι διέτριψαν. ἐπεὶ δὲ λυπηροὶ ὄντες αὐτοῖς ᾐσθάνοντο, οὐχ ἱκανῆς οὔσης ἅπαντας τρέφειν τῆς γῆς, ἐκλείπουσι τὴν χώραν, χρησμῷ πειθόμενοι κελεύοντι πλεῖν εἰς Ἰταλίαν, ἣ τότε Σατορνία ἐλέγετο. κατασκευασάμενοι δὲ ναῦς πολλάς, περαιοῦνται τὸν Ἰώνιον, σπουδὴν μὲν ποιούμενοι τῶν ἔγγιστα τῆς Ἰταλίας ἅψασθαι χωρίων. ὑπὸ δὲ νοτίου πνεύματος καὶ ἀγνοίας τῶν τόπων μετέωροι ἐνεχθέντες, καὶ πρὸς ἑνὶ τῶν τοῦ Πάδου στομάτων ὁρμισάμενοι Σπινῆτι καλουμένῳ, ναῦς μὲν αὐτοῦ ταύτῃ καταλείπουσι, καὶ τὸν ἥκιστα δυνάμενον ταλαιπωρεῖν ὄχλον, φυλακὴν ἐπ' αὐτοὺς καταστήσαντες, ὡς ἔχοιεν, εἰ μὴ προχωροίη σφίσι τὰ πράγματα, φυγήν. καὶ οἱ μὲν ὑπομείναντες ἐν τούτῳ τῷ χωρίῳ, τεῖχος τῷ στρατοπέδῳ περιβαλόμενοι, καὶ τὰς ναυσὶν εἰσκομίσαντες τὰς εἰς τὸν βίον εὐπορίας, ἐπειδὴ κατὰ γνώμην ἐδόκει αὐτοῖς χωρεῖν τὰ πράγματα, πόλιν ἔκτισαν ὁμώνυμον τῷ στόματι τοῦ ποταμοῦ. εὐτύχησάν τε μάλιστα τῶν περὶ τὸν Ἰώνιον οἰκούντων, θαλασσοκρατοῦντες ἄχρι πολλοῦ, καὶ δεκάτας εἰς Δελφοὺς ἀνῆγον τῷ θεῷ καὶ ἀπὸ τῶν τῆς θαλάσσης ὠφελειῶν, εἴπερ τινὲς καὶ ἄλλοι, λαμπροτάτας. ὕστερον μέντοι μεγάλῃ χειρὶ τῶν προσοικούντων βαρβάρων ἐπιστρατευσάντων αὐτοῖς, ἐξέλιπον τὴν πόλιν. οἱ δὲ βάρβαροι μετὰ χρόνον ἀνέστησαν ὑπὸ Ῥωμαίων. καὶ τὸ μὲν ἐν τῷ Σπινῆτι καταλειφθὲν γένος τῶν Πελασγῶν οὕτως ἐφθάρη. οἱ δὲ διὰ τῆς μεσογείου τραπόμενοι, τὴν ὀρεινὴν τῆς Ἰταλίας ὑπερβαλόντες, εἰς τὴν Ὀμβρικῶν ἀφικνοῦνται χώραν, τῶν ὁμορούντων Ἀβοριγῖσι. πολλὰ δὲ καὶ ἄλλα τῆς Ἰταλίας χωρία ᾤκουν οἱ Ὀμβρικοί. καὶ ἦν τοῦτο τὸ ἔθνος ἐν τοῖς πάνυ μέγα τε καὶ ἀρχαῖον. τὸ μὲν οὖν κατ' ἀρχὰς ἐκράτουν οἱ Πελασγοὶ τῶν χωρίων, ἔνθα τὸ πρῶτον ἱδρύσαντο, καὶ πολισμάτια τῶν Ὀμβρικῶν κατελάβοντό τινα. συνελθόντος δὲ ἐπ' αὐτοὺς μεγάλου στρατοῦ, δείσαντες τῶν πολεμίων τὸ πλῆθος, εἰς τὴν Ἀβοριγίνων ἀπιόντες τρέπονται· καὶ οἱ μὲν Ἀβοριγῖνες ἅτε πολεμίοις ἐδικαίουν αὐτοῖς προσφέρεσθαι, καὶ συνῄεσαν ἐκ τῶν ἔγγιστα χωρίων διὰ τάχους, ὡς ἐξαναστήσοντες αὐτούς. οἱ δὲ Πελασγοὶ (τυγχάνουσι γὰρ ἐν τούτῳ τῷ χρόνῳ κατὰ δαίμονα περὶ Κοτύλην πόλιν Ἀβοριγίνων αὐλισάμενοι, πλησίον τῆς ἱερᾶς λίμνης) ὥς τήν τε νησῖδα τὴν ἐν αὐτῇ περιδινουμένην κατέμαθον, καὶ παρὰ τῶν αἰχμαλώτων, οὓς ἐκ τῶν ἀγρῶν ἔλαβον, ἤκουσαν τὸ τῶν ἐπιχωρίων ὄνομα, τέλος ἔχειν σφίσι τὸ θεοπρόπιον ὑπέλαβον. ὁ γὰρ ἐν Δωδώνῃ γενόμενος αὐτοῖς χρησμός, ὅν φησι Λεύκιος Μάμιος, ἀνὴρ οὐκ ἄσημος, αὐτὸς ἰδεῖν ἐπί τινος τῶν ἐν τῷ τεμένει τοῦ Διὸς κειμένων τριπόδων, γράμμασιν ἀρχαίοις ἐγκεχαραγμένων, ὧδε εἶχε·

Στείχετε μαιόμενοι Σικελῶν Σατορνίαν αἶαν,
Ἠδ' Ἀβοριγινέων Κοτύλην, οὗ νᾶσος ὀχεῖται.
Οἷς ἀναμιχθέντες, δεκάτην ἐκπέμψατε Φοίβῳ,
Καὶ κεφαλὰς Κρονίδῃ, καὶ τῷ πατρὶ πέμπετε φῶτα.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

ἐλθοῦσι δὲ τοῖς Ἀβοριγῖσι σὺν πολλῇ στρατιᾷ, ἱκετηρίαν οἱ Πελασγοὶ προτείνοντες, ὁμόσε χωροῦσιν ἄνοπλοι, φράζοντές τε τὰς ἑαυτῶν τύχας, καὶ δεόμενοι πρὸς φιλίαν δέξασθαι· σφᾶς συνοίκους, οὐ λυπηροὺς ἐσομένους. ἐπεὶ καὶ τὸ δαιμόνιον αὐτοὺς εἰς τήνδε μόνην ἄγει τὴν χώραν· ἐξηγούμενοι τὸ λόγιον. τοῖς δὲ Ἀβοριγῖσι ταῦτα πυθομένοις ἐδόκει πείθεσθαι τῷ θεοπροπίῳ, καὶ λαβεῖν συμμαχίαν Ἑλληνικὴν κατὰ τῶν διαφόρων σφίσι βαρβάρων, πονουμένοις τῷ πρὸς τοὺς Σικελοὺς πολέμῳ. σπένδονταί γε δὴ πρὸς τοὺς Πελασγούς, καὶ διδόασιν αὐτοῖς χωρία, τῆς ἑαυτῆς ἀποδασάμενοι, τὰ περὶ τὴν ἱερὰν λίμνην, ἐν οἷς ἦν τὰ πολλὰ ἑλώδη, ἃ νῦν κατὰ τὸν ἀρχαῖον τῆς διαλέκτου τρόπον Οὐέλια ὀνομάζεται. ἔπειτα μοῖρά τις αὐτῶν οὐκ ἐλαχίστη, ὡς ἡ γῆ πᾶσιν οὐκ ἀπέχρη, πείσαντες τοὺς Ἀβοριγῖνας συνάρασθαι σφίσι τῆς ἐξόδου, στρατεύουσιν ἐπὶ τοὺς Ὀμβρικούς, καὶ πόλιν αὐτῶν εὐδαίμονα καὶ μεγάλην, ἄφνω προσπεσόντες, αἱροῦσι Κρότωνα· ταύτῃ φρουρίῳ καὶ ἐπιτειχίσματι κατὰ τῶν Ὀμβρικῶν χρώμενοι, κατεσκευασμένῃ τε ὡς ἔρυμα εἶναι πολέμου ἀποχρώντως, καὶ χώραν ἐχούσῃ τὴν πέριξ εὔβοτον. πολλῶν δὲ καὶ ἄλλων ἐκράτησαν χωρίων, τοῖς τε Ἀβοριγῖσι τὸν πρὸς τοὺς Σικελοὺς πόλεμον ἔτι συνεστῶτα πολλῇ προθυμίᾳ συνδιέφερον, ἕως ἐξήλασαν αὐτοὺς ἐκ τῆς σφετέρας. καὶ πόλεις πολλάς, τὰς μὲν οἰκουμένας καὶ πρότερον ὑπὸ τῶν Σικελῶν, τὰς δὲ αὐτοὶ κατασκευάσαντες, ᾤκουν οἱ Πελασγοὶ κοινῇ μετὰ τῶν Ἀβοριγίνων, ὧν ἐστιν ἥ τε Καιρητανῶν πόλις, Ἄγυλλα δὲ τότε καλουμένη, καὶ Πίσαι, καὶ Σατορνία, καὶ Ἄλσιον, καὶ ἄλλαι τινές, ἃς ἀνὰ χρόνον ὑπὸ Τυρρηνῶν ἀφῃρέθησαν. Φαλέριον δὲ καὶ Φασκένιον, ἔτι καὶ εἰς ἐμὲ ἦσαν οἰκούμεναι ὑπὸ Ῥωμαίων, μικρὰ ἄττα διασώζουσαι ζώπυρα τοῦ Πελασγικοῦ γένους, Σικελῶν ὑπάρχουσαι πρότερον, ἐν ταύταις διέμενε πολλὰ τῶν ἀρχαίων διαιτημάτων, οἷς τὸ Ἑλληνικόν ποτ' ἐχρήσατο, ἐπὶ μήκιστον χρόνον. κατέσχον δέ τινα καὶ οὗτοι τῶν καλουμένων Καμπανῶν, εὐβότων πάνυ καὶ τὴν ὄψιν ἡδίστων πεδίων, οὐκ ἐλαχίστην μοῖραν, ἔθνος τι βαρβαρικὸν Αὔρουγκους ἐκ μέρους ἀναστήσαντες αὐτῶν· καὶ πόλεις αὐτόθι κατεσκεύασαν ἄλλας τε καὶ Λάρισσαν, ἀπὸ τῆς ἐν Πελοποννήσῳ σφῶν μητροπόλεως ὄνομα θέμενοι αὐτῇ. πολλὰ δὲ καὶ ἄλλα τῆς τε παραθαλαττίου καὶ ἐν τῇ μεσογείῳ χωρία κατέσχον, ἀφελόμενοι τοὺς Σικελούς. Hoc eſt: *Pelasgorum quoque gens Græca fuit, oriunda è Peloponneſo, agitata variis caſibus, ſed erroribus maximè: nusquàm valens certum domicilium figere. nam primùm habitarunt apud Argos, quod nunc vocant, Achäicum, eius loci juxta multorum opinionem indigenæ; à rege Pelasgo ſortiti antiquitùs hoc vocabulum. Sextâ pòſt ætate, relinquentes Peloponneſum, migraverunt in Aemoniam, nunc, mutato nomine, Theſſaliam dictam. Ibi ætateis quinque quum exegiſſent, circiter ſextam ætatem eos inde Curetes & Leleges (nunc Aetoli & Locri vocantur) expulerunt. Profugorum, hinc inde diſperſorum, maxima pars per loca mediterranea ſe contulit ad conſanguineos ſuos Dodonæos: quos, ut ſacros, nemo fas putabat bello adgredi. ibique manſerunt ſat longo tempore. Deinde, poſtquàm ſenſerunt, ab ſe gravari cæteros, quòd terra omnibus alendis non ſufficeret; reliquerunt eam regionem; oraculo moniti navigare in Italiam; quæ tunc dicebatur Saturnia.* [in univerſum. nam pars eius ad fretum jam tunc erat Italia.] *Tum paratâ claſſe, mare Ionium trajiciunt, cupientes oram Italiæ ſibi proximam contingere. ſed, flante auſtro, & locorum ignari, provecti longiùs, adplicuerunt ad unum è Padi oſtiis, nomine Spineticum; ibique naveis reliquerunt, & turbam laboribus ferendis imparem, non ſine præſidio, ut refugium haberent, ſi res non ſuccederent è ſententiâ. Hi eo loco manentes, caſtra cinxerunt mœnibus; navibus importantes neceſſaria victui. &, quum eis ex voto cederent omnia, condiderunt urbem, oſtio fluminis cognominem. proſperâque, præ cunctis eum ſinum adcolentibus, uſi fortunâ, & diu potiti maris imperio, Delphos deo decimas è maritimis proventibus, ſi qua alia civitas, magnificas miſerunt. Poſteà tamen, magnis copiis vicinorum barbarorum adventantibus, deſeruerunt urbem. barbari verò tamdem à Romanis deleti ſunt. Atque ita Spinæ relictorum Pelasgorum genus interiit. At illi, qui mediterranea petierunt, ſuperatis Italiæ montibus, pervenerunt in Vmbriam, Aboriginibus finitimam. Incolebant tunc Vmbri & alios multos Italiæ agros. eratque ea gens cumprimis antiqua & ampla. Itaque initio Pelasgi occuparunt agros, in quibus primùm conſederant, potiti quibusdam Vmbrorum opidulis. Sed quum adversùs eos conveniſſet ingens exercitus, territi hoſtium multitudine, contulerunt ſe in regionem Aboriginum. Illi decreverunt, eos, ut hoſteis, bello perſequi. ac mox è proximis locis confluxerunt celeriter, delendi eos animo. Pelasgi, qui tum forte fortunâ circa Cutiliam Aboriginum urbem prope ſacrum lacum ſtativa habebant, poſtquam contemplati ſunt fluitantem in eo inſulam; & ex captivis, quos in agris interceperant, audiverunt adpellationem eius regionis hominum, crediderunt finem jam habere ſuum oraculum. nam apud Dodonam, redditum eis reſponſum, quod L. Mamius, vir non obſcurus, ait ſe vidiſſe in templo Iovis antiquis literis inſculptum cuidam ſacrato tripodi, ſic habebat:*

Pergite quærentes Siculûm Saturnia rura,
Atque Aboriginidem Cotylen, ubi ſe inſula vectat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Queis miſti, decimas Clario tranſmittite Phœbo;
Atque Iovi capita, & tranſmittite lumina patri.

Adventantibus autem cum magno exercitu Aboriginibus, occurrunt Pelasgi cum oleæ ramis, inermes atque ſupplices: expoſitisque ſuis caſibus, orant, ut recipiantur in amicitiam & partem ſedium, nequaquam graves ipſis futuri. & interpretati oraculum, ajunt, ſe ad ea loca ſolo deorum monitu delatos. His auditis, adſenſerunt Aborigines; quòd feſſis bello Siculo placeret Græca ſocietas contra infenſos ſibi barbaros. Itaque cum Pelasgis fœdus feriunt, & partem agrorum ſuorum eis adſignant circa ſacrum lacum: quorum pleraque erant paluſtria; dicta nunc etiam priſco linguæ more Velia. Horum deinde bona pars, quum agri omnibus non ſufficerent, Aboriginibus in expeditionem adſcitis, bello Vmbros adgrediuntur; urbemque eorum florentem ac magnam, Crotonem, repentino incurſu capiunt. quâ mox pro arce belli contra hoſtem uſi ſunt: quòd & ſatis munita eſſet, & agrum circumquaque haberet aptum paſcuis. Alia quoque loca multa in poteſtatem ſuam redegerunt. & Aboriginibus contra Siculos promptam ac fidam præſtiterunt operam; donec eos ejecerunt ſuis ſedibus. In his multa opida, partim antè, ab hoſtibus habitata, partim recens à ſe condita, tenuerunt indiviſa gentes ſociæ Pelasgi & Aborigines. ex quibus ſunt Cære, dictum Agylla illo ſæculo, Piſa, Saturnia, Alſium, & quædam alia: quæ poſt à Tuſcis occupata fuère. Falerium verò & Faſcenium etiam meo tempore à Romanis habitata, parvas quasdam ſcintillas ſervant Pelasgici generis; quum olim Siculorum fuerint. In his multa antiqui moris Græcanici longiſſimo tempore perdurarunt. Sed & Campanorum hi agrorum partem quamdam haud exiguam tenuerunt, adſpectu amœniſſimorum, & aptiſſimorum paſcuis; pulſis inde Auruncis, gente barbarâ. ubi inter cæteras urbeis condidère Lariſſam, Peloponneſiacæ illi cognominem: quæ quomdam patria eorum fuerat. Alia quoque multa loca, tum maritima, tum mediterranea, tenuerunt capta de Siculis. Hinc illa apud Plinium, lib. III, cap. V: *Patet ora Liguriæ inter amneis Varum & Macram* CCXI *millia paſſuum. Adnectitur ſeptima, in quâ Hetruria eſt, ab amne Macrâ; ipſa mutatis ſæpè nominibus. Vmbros inde exegère antiquitus Pelasgi. hos Lydi: à quorum rege Tyrrheni, mox à ſacrifico ritu linguâ Græcorum Tuſci ſunt cognominati.* Mox: *Cære, Agylla à Pelasgis conditoribus dictum.* Et poſteà: *Latium antiquum à Tiberi Circeios* [usque] *ſervatum eſt, millia paſſuum quinquaginta longitudine. tam tenues primordio imperii fuère radices. Colonis ſæpè mutatis, tenuère alii aliis temporibus; Aborigines, Pelasgi, Arcades, Siculi, Aurunci, Rutuli.* Et infrà: *A Silaro, regio tertia & ager Lucanus Brutiusque incipit, nec ibi rarâ incolarum mutatione. tenuerunt eam Pelasgi, Oenotri, Itali, Morgetes, Siculi, Græciæ maximè populi: noviſſimè Lucani.* TEMPVS, quo Pelasgi primùm in Italiam advenerint, neque Dionyſius, neque quisquam alius ſcriptor adnotavit. ſatis tamen diu ante Troianum bellum eos huc transgreſſos, ex eiusdem Dionyſii diſertè patet verbis, quæ poſteà ſequuntur huiusmodi: ὁ δὲ χρόνος, ἐν ᾧ τὸ Πελασγικὸν κακοῦσθαι ἤρξατο, δευτέρα γενεὰ σχεδὸν πρὸ τῶν Τρωϊκῶν ἐγένετο. διέμεινε δὲ σχεδὸν καὶ μετὰ τὰ Τρωϊκά, ἕως εἰς ἐλάχιστον συνεστάλη τὸ ἔθνος. ἔξω γὰρ Κρότωνος, τῆς ἐν Ὀμβρικοῖς πόλεως ἀξιολόγου, καὶ εἰ δή τι ἄλλο Ἀβοριγίνων οἰκισθὲν ἐτύγχανε, τὰ λοιπὰ τῶν Πελασγῶν διεφθάρη πολίσματα. ἡ δὲ Κρότων ἄχρι πολλοῦ διαφυλάξασα τὸ παλαιὸν σχῆμα, χρόνος οὐ πολὺς, ἐξ οὗ τήν τε ὀνομασίαν καὶ τοὺς οἰκήτορας ἤλλαξε, καὶ νῦν ἐστι Ῥωμαίων ἀποικία, καλεῖται δὲ Κορθωνία. οἱ δὲ τῶν ἐκλιπόντων τὴν χώραν Πελασγῶν κατασχόντες τὰς πόλεις, ἄλλοι τε πολλοὶ ἦσαν, ὡς ἕκαστοί τισιν ἔτυχον ὁμοτέρμονας τὰς οἰκήσεις ἔχοντες, καὶ ἐν τοῖς μάλιστα πλείστας τε καὶ ἀρίστας Τυῤῥηνοί. Hoc eſt: *Tempus, quo res Pelasgorum cœperunt deficere. incidit in alteram fere ante bellum Troianum ætatem. Duraverunt tamen penè ultra eius belli tempora; donec contractæ ſunt in gentem minimam. nam præter Crotonem, Vmbriæ urbem memorabilem, & ſi quod aliud tenuerunt Aborigines domicilium, perierunt reliqua Pelasgorum opida. Croton verò, quum diu retinuiſſet veterem formam, haud multò ante noſtram ætatem & civeis mutavit & nomen; Cortona vocata, & facta Romanorum colonia. Derelictas autem à Pelasgis urbeis occuparunt cùm alii multi, ut quique erant contermini; tum maximè Tuſci plurimas atque optimas.* Reliquias Pelasgorum, unà cum Aboriginibus atque Arcadum manu, quæ, Euandro duce, poſt Pelaſgos in Italiam venit, circa Romam habuiſſe ſedem, idem poſteà eodem libro narrat Dionyſius. Τὸ δ᾽ οὖν Πελασγικὸν, inquit, φῦλον, ὅσον μὴ διεφθάρη τε, καὶ κατὰ τὰς ἀποικίας διεσπάσθη, διέμεινε δὲ ὀλίγον ἀπὸ πολλοῦ, μετὰ τῶν Ἀβοριγίνων πολιτευόμενον ἐν τούτοις ὑπελείφθη τοῖς χωρίοις, ὅπου σὺν χρόνῳ τὴν Ῥώμην οἱ ἔκγονοι αὐτῶν σὺν τοῖς ἄλλοις ἐπολίσαντο. Μετὰ δὲ οὐ πολὺν χρόνον στόλος ἄλλος Ἑλληνικὸς εἰς ταῦτα τὰ χωρία Ἰταλίας κατάγεται, ἑξηκοστῷ μάλιστα

ἔτει

ἔτη πρότερον τῶν Τρωϊκῶν, ὡς αὐτοὶ Ῥωμαῖοι λέγουσιν, ἐκ Παλλαντίου, πόλεως Ἀρκαδικῆς, ἀναστάς. ἡγεῖτο δὲ τῆς ἀποικίας Εὔανδρος, Ἑρμοῦ γενόμενος καὶ νύμφης τινὸς Ἀρκάσιν ἐπιχωρίας, ἣν οἱ μὲν Ἕλληνες Θέμιν εἶναι λέγουσι, καὶ θεοφόρητον ἀποφαίνουσιν. οἱ δὲ τὰς Ῥωμαϊκὰς συγγράψαντες ἀρχαιολογίας, τῇ πατρῴᾳ γλώσσῃ Καρμένταν ὀνομάζουσιν. τοῦτο δεύτερον ἔθνος Ἑλληνικὸν, μετὰ Πελασγοὺς ἀφικόμενον εἰς Ἰταλίαν, κοινὴν ἔσχε μετὰ τῶν Ἀβοριγίνων οἴκησιν, ἐν τῷ κρατίστῳ τῆς Ῥώμης ἱδρυσάμενον χωρίῳ. Ὀλίγοις δ' ὕστερον ἔτεσι μετὰ τοὺς Ἀρκάδας, ἄλλος εἰς Ἰταλίαν ἀφικνεῖται στόλος Ἑλληνικὸς, ἄγοντος Ἡρακλέους, ὃς Ἰβηρίαν καὶ τὰ μέχρι δυσμῶν ἡλίου χειρωσάμενος ἦν. Hoc eſt: *Pelasgica igitur natio, quantum eius cladibus ſuperfuit, nec in colonias diſtractum eſt, (id quod ex magno ad modicum redactum eſt numerum,) inter Aborigines degens, in his reſedit locis; ubi poſteà Romam eorum poſteri unà cum aliis condidère. Non multò pòſt, alia claſſis Græcorum in eamdem Italiæ partem adpulit,* LX *fermè annis ante bellum Troianum; ut ipſi Romani auctores ſunt; profecta à Palantio, urbe Arcadicâ. Eam coloniam deduxit Euander, Mercurii filius & nymphæ cuiusdam Arcadicæ; quam Græci Themin fuiſſe dicunt, & divino adflatu inſtinctam: Romanarum antiquitatum ſcriptores Carmentam patriâ linguâ vocant. Hæc ſecunda gens Græca, poſt Pelasgos delata in Italiam, communeis cum Aboriginibus ſedeis habuit; easque in præcipuo Romæ loco conſtitutas. Poſt Arcadum adventum paucis aliquot annis elapſis, alia manus Græcorum in Italiam venit, ductu Herculis; qui tum Hiſpaniam, & quidquid terrarum usque ad occidentem ſolem protenditur, domuerat.* De hoc Hercule, quamvìs pervulgatâ illâ de bobus Geryonis fabulâ repudiatâ, veriorem hiſtoriam è nonnullis auctoribus tradere conetur eodem libro Dionyſius; tamen Livius, lib. V, ubi de Gallorum in Italiam tranſitu ſcribit, omnem de eo narrationem pro fabulis habet. *Alpes*, inquit, *inde oppoſitæ erant. quas inſuperabileis viſas, haud equidem miror, nullâ dum viâ (quod quidem continens memoria ſit. niſi de Hercule fabulis credere libet) ſuperatas.* Tandem poſt bellum Troianum coloniæ Græcorum aliæ in Italiam deductæ ſunt.

CAP. XVII.

De mari quod ITALIAM *circumluit; & de variis, prout varias regiones alluit, eius adpellationibus.*

MAre univerſum, quod Italiæ litora ambit, haud dubiè uno nomine dictum inde fuit Italicum. hinc quidpe illud Iuſtini, lib. XX: *Dionyſius è Siciliâ Carthaginienſibus pulſis, occupatoque totius inſulæ imperio, gravem etiam regno ſuo periculoſamque deſidiam tanti exercitûs ratus; copias in Italiam trajecit. Prima illi militia adversùs Græcos, qui proxima Italici maris litora tenebant, fuit.* Lycophron hoc Italicum mare adpellat *Auſonium*, de mari apud Scyllam loquens. Idem mare in complureis diviſum eſt parteis, variaque, prout varias Italiæ alluebat regiones, partium vocabula. Primò omne id, quod meridionale eius latus alluebat, dicebatur MARE INFERVM; quod ſeptemtrionale latus, MARE SVPERVM. Dein ſuperum, ab Adriâ, Tuſcorum in Venetis coloniâ, dictum eſt ADRIATICVM; inferum ab eâdem potentiſſimâ gente adcolâ, TVSCVM, ſive HETRVSCVM, & Græcè Τυῤῥηνὸν, TYRRHENVM. Paulus Diaconus, rer. Longobard. lib. II, cap. XIX, falſò adſerit, ab Adriâ Piceni Adriatico pelago nomen eſſe datum. Livius, lib. V: *Tuſcorum ante Romanum imperium latè terrâ marique opes patuère. Mari ſupero inferoque, quibus Italia inſulæ modo cingitur, quantum potuerint, nomina ſunt argumento: quòd alterum Tuſcum, communi vocabulo gentis, alterum Adriaticum mare, ab Adriâ Tuſcorum coloniâ, vocavère Italiæ gentes. Græci eadem Tyrrhenum atque Adriaticum* [fortè *Adriam*] *vocant.* Mela, lib. II, cap. IV: *Italia inter Adriaticum & Tuſcum, ſive ut aliter eadem adpellantur, inter Superum mare & Inferum excurrit.*

MARE INFERVM, TVSCVM, HETRVSCVM, *vel* TYRRHENVM, & NOTIVM.

Diſcrimen Inferi Superique maris Polybius (ut videre eſt infrà hoc capite) haud dubiè poſuit ad ipſum Cocintum promontorium. At Martianus Capella, lib. VI, de ſecundo Europæ ſinu, ſic ait: *In mare Italia plurimum pergens, in Hydruntem urbem venit, ubi Superum Inferumque mare decem & quatuor millibus disparatur.* Philoſtratus verò, in Apollonii vitâ, lib. V, cap. III, ſic: Παρέπλευσαν δὲ ἐπὶ Μεσσήνην τε καὶ πορθμὸν, ἔνθα ὁ Τυῤῥηνὸς Ἀδρίᾳ ξυμβάλλων, χαλεπὸν ἐργάζονται τὴν Χάρυβδιν. Id eſt:

Meſſanam navigarunt ad fretum, ubi commiſta maria Tuſcum & Adriaticum difficilem navigantibus efficiunt charybdim. Tum Procopius, Vandal. rer. lib. I, hunc in modum ſcribit; ubi è Siciliâ in Africam navigat Beliſarius: Ἀράμενοί τε κατὰ τάχος τὰ ἱστία, Γαύλῳ τε καὶ Μελίτῃ ταῖς νήσοις προσέσχον, αἳ τό, τε Ἀδριατικὸν καὶ Τυῤῥηνικὸν ἐς πᾶσαν χρείαν τοῖς ἀνθρώποις καὶ τοῖς ἄλλοις ζώοις ἐπήρκεσε. Id eſt: *Sublatisque repentè malis, Gaulum & Melitam inſulas velociter contingunt, quæ Adriaticum à Tyrrheno dividunt pelagus.*

Mare Svperum, *vel* Adriaticvm.

Adriaticvm mare pleriſque Græcorum dictum eſt ὁ Ἀδρίας κόλπος, ſeu ſimpliciter ὁ Ἀδρίας; Latinis etiam nonnumquam eodem modo, Adria, & cum adſpiratione, Hadria. Exempla apud Græcos & Latinos auctores paſſim. Idem mare Horatio, carm. lib. I, od. XVI; & Senecæ, ep. LXXXIX, vocatur Hadrianvm: Floro item, lib. II, cap. V, Adrianvm. Sic Marciano Heracleenſi, Ἀδριανὴ θάλαττα. Apud Ciceronem in oratione in Piſonem ſcriptâ, & ad Atticum lib. X, epiſt. VI, variis in exemplaribus variè ſcriptum eſt, modò *Adrianum mare*, modò *Adriaticum*. Ptolemæus, in deſcriptione Italiæ, aliàs τὸ Ἀδριατικὸν adpellat πέλαγος, *Adriaticum mare*, aliàs τὸν Ἀδρίαν κόλπον, *Adriam ſinum*. Lucano, lib. II, & lib. V; Silio, lib. I; Horatio, carm. lib. I, od. III; dicitur Adriacvm, ſive Hadriacvm mare. Virgilius, Aeneid. lib. XI, ſic canit:

Annis & Adriacas retrò fugit Aufidus undas.

Et Ovidius in Halieutico:

Paſſer, & Adriaco mirandus litore rhombus.

Idem mare anteà adpellabatur Atriaticvm; quia ipſa urbs Adria erat primùm *Atria*; ut ſuo loco oſtenſum eſt. Plinius, lib. III, cap. XVI: *Atrianorum paludes; quæ ſeptem maria adpellantur; nobili portu oppidi Tuſcorum Atriæ: à quo Atriaticum mare antè adpellabatur; quod nunc Adriaticum.*

Mare Ligvsticvm.

Inferi ſeu Tuſci maris pars, quâ Ligurum adcoluit gens, dicebatur Λιγυστικὸν πέλαγος, Ligvsticvm mare. Plinius, libro III, cap. V: *Gallicum mare, ante Narbonenſem provinciam. hinc Liguſticum. ab eo ad Siciliam inſulam Tuſcum. quod ex Græcis alii* Notivm, *alii Tyrrhenum, è noſtris plurimi Inferum vocant.* Strabo lib. II: τὸ μὲν Ἰβηρικὸν πέλαγος, τὸ δὲ Λιγυστικόν, τὸ δὲ Σαρδόνιον, τελευταῖον μέχρι τῆς Σικελίας τὸ Τυῤῥηνικόν. Id eſt: *Hiſpanicum mare, Liguſticum, Sardoum, ac denique Tyrrhenum ad Siciliam usque.* Ptolemæus: Ἡ Ἰταλία περιορίζεται ἀπὸ μεσημβρίας τῇ τοῦ Λιγυστικοῦ καὶ τοῦ Τυῤῥηνικοῦ παραλίᾳ. Id eſt: *Italia terminatur à meridie Liguſtici ac Tyrrheni maris orâ.* Fines itaque Liguſtici maris fuêre, ab occaſu, Varus amnis, Italiæ terminus; ab ortu, Arnus fluvius, antiquus Ligures inter & Tuſcos limes. Hinc Tuſcum mare ad Siciliam usque protenſum fuit; teſtibus Strabone atque Plinio. Thucydides & epigrammata vetera Tyrrheni & Siculi maris terminum ponunt fretum Siculum. Mela, dicto lib. II, cap. IV; impropriè Tuſcum mare ad Siciliam usque ſimulque Italiæ latus inferum ad Metaurum amnem finit. *In Brutio*, inquit, *ſunt, Columna Rhegina, Rhegium, Scylla, Taurianum, & Metaurum. hinc in Tuſcum mare deflexus eſt, & eiusdem terræ latus alterum.* Verùm diſcrimen hoc ſatis leve; quoniam à Metauri oſtio ad Siculum fretum millia haud ampliùs paſſuum ſunt .... Dionyſius Afer, Euſtathius, Avienus, & Priſcianus, Tyrrhenum mare ad Africam etiam habent.

Adriatici maris *limites.*

Super Adriatici maris limitibus longè maior graviorque inter auctores diſcrepantia eſt. Ptolemæus nomen id non tantùm ſupero Italiæ lateri & eiusdem terræ fronti, quæ eſt inter duo promontoria, Lacinium & Leucopetram, ſed & Siciliæ orientali lateri affundit. Vt inferiùs ex ipſius verbis videre eſt. Longè aliter alii auctores. Strabo, lib. II: Ποιεῖ δὲ τὴν Ἰταλίαν χεῤῥόνησον τό τε Τυῤῥηνικὸν πέλαγος, ἀρξάμενον ἀπὸ τοῦ Λιγυστικοῦ, καὶ τὸ Αὐσόνιον, καὶ ὁ Ἀδρίας. Id eſt: *Italiam in peninſulam redigunt, mare Tuſcum, à Liguſtico incipiens, tum Auſonium & Adria.*

Mare Avsonivm.

Negligentem heic fuiſſe Plinium, jam antè, cap. XV, ad *Italiæ frontem*, ex libro illius III, cap. X & XI, oſtenſum, ſæpiusque monitum eſt. ubi etiam hoc oſtenſum, millia iſta LXXXII, ſive LXXII, de quibus Plinius, à Locris ſeu Leucopetrâ ad Lacinium usque eſſe numeranda. Ex quâ ibidem Auſonii maris deſcriptione patet, Adriæ ſive Adriatici maris terminum fuiſſe ad Iapygium ſive Salentinum promontorium. Variat tamen paullo ipſe Plinius, dicto capite XI poſteà: *In orâ, Senonum Gallipolis, quæ nunc eſt Anxa. Inde XXXII millia promontorium, quod Acram Iapygiam vocant; quo longiſſimè in maria excurrit Italia. Ab eo Baſta opidum, & Hydrûs, decem ac novem millia paſſuum, ad diſcrimen*

crimen Ionii & Adriatici maris, quâ in Græciam breviſſimus tranſitus, ex adverſo Apolloniæ opidi, latitudine intercurrentis freti L *millia non ampliùs*. Ibidem: *A Lacinio promontorio ſecundus Europæ ſinus incipit, magno ambitu flexus, & Acroceraunio Epiri finitur promontorio; à quo abeſt* LXXV *millia paſſuum*. [Ergo à Lacinio promontorio ad Salentinum, intelligit Auſonium mare idem Inferum.] Et eiuſdem libri, cap. XXVI: *Illyrici latitudo, quà maxima eſt*, CCCXXV *millia paſſuum colligit. longitudo à flumine Arſiâ ad flumen Drinium* DCCC *millia. à Drinio ad promontorium Acroceraunium* CLXXII. *M. Agrippa prodidit univerſum hunc ſinum Italiæ & Illyrici ambitu* XIII *millium*. [Parmenenſe exemplar vetuſtum habet XIIII millium.] *in eo duo maria, quo diſtinximus fine. Inferum, ſive Ionium, in primâ parte: interiùs Adriaticum: quod Superum vocant*. [Ergo Inferum mare ad Iapygium usque ſive Salentinum pertinet promontorium. hinc Superum, ad Acroceraunium usque.] *Inſulæ in Auſonio mari præter jam dictas, memoriâ dignæ nullæ. in Ionio paucæ; Calabro litore, ante Brunduſium, quarum objectu portus efficitur. contra Apulum litus Diomedea, conſpicua monimento Diomedis: & altera, eodem nomine, à quibusdam Teutria adpellata. Illyrici ora mille ampliùs inſulis frequentatur*. [Ergo Ionium mare usque ad Brunduſium, imò ad Garganum, pertingit.] Eodem capite, poſteà: *In Ionio autem mari ab Orico* M *millia* [ſic & Parmenſe] *paſſuum, Saſonis, piraticâ ſtatione nota*. Sed & Mela, dicto lib. II, cap. IV, à ſe ipſo discrepat. *In Calabriâ*, inquit, *Brunduſium, Valetium, Lupiæ, Hydruntum; tum & Salentini campi, & Salentina litora, & urbs Graja Callipolis. Hucusque Adria, hucusque Italiæ latus alterum pertinet. Frons eius in duo quidem ſe cornua, ſicut ſuprà diximus, ſcindit: cæterùm, mare, quod inter utraque admiſit, tenuibus promontoriis ſemel iterumque diſtingvens, non uno margine circuit, nec diffuſum patensque, ſed per ſinus recipit. Primus, Tarentinus dicitur, inter promontoria Salentinum & Lacinium*. En, quàm à ſe ipſo diverſus. Primò Adriam & Italiæ litus alterum, id eſt, Superum, in Salentinos campos & Salentina litora, ad urbem usque Callipolin protendit. mox poſteà verò, frontem Italiæ, quam à Superi lateris & Adriæ fine vult incipere, ab ipſo Salentino rectiùs inchoat, unà cum Plinio, promontorio. Fuit igitur AVSONIVM MARE ab Siciliâ ad dictum usque Salentinum ſive Iapygium promontorium: inde ei Adriaticum continuabatur; ut ſatis diſertè teſtantur Strabo atque Mela; neque adeò valdè diſſentit Plinius, ad Hydruntem ponens diſcrimen Ionii & Adriatici maris. quod eò factum, quia illi non tam diſcrimen id quàm breviſſimum ex Italiâ in adverſum litus trajectum oſtendere fuit inſtitutum. SINVS igitur ſive MARE ADRIATICVM, includebatur ab Italiâ Iapygio promontorio, ab Epiro Ceranniis montibus, ſeu Acroceraunio promontorio: quod Plinius principio capitis XI innuit; ſed diſertiùs Mela teſtatur, lib. II, cap. III. *Ceraunii*, inquit, *montes. ab iis flexus in Adriam. Hoc mare, magno ſeceſſu litorum acceptum, & vaſtè quidem in latitudinem patens. quò penetrat tamen vaſtiùs, Illyricis usque Tergeſtum, cætera Gallicis Italicisque gentibus cingitur*. Nempe ad Iapygium usque, ut modò dictum eſt, promontorium. Plinius, ut malè cap. X Italiæ frontem, in treis ſinus Auſonii maris recedentem, LXXXII patere ait millia paſſuum; quod ſpatium erat inter Zephyrium ac Lacinium promontoria, ut ſuprà ſuo loco oſtenſum eſt: ſic ſatis incongruè cap. XI ſecundum Europæ ſinum, quem eumdem & Adriaticum intellexit, à Lacinio promontorio incipere dixit. *A Locris*, inquit, cap. X, *Italiæ frons incipit, Magna Græcia adpellata, in treis ſinus recedens Auſonii maris, quod Auſones tenuêre primi. patet* LXXXII *millia paſſuum; ut auctor eſt Varro. plerique* LXXII *millia fecêre*. Mox, cap. XI: *A Lacinio promontorio ſecundus Europæ ſinus incipit, magno ambitu flexus; & Acroceraunio Epiri finitur promontorio*. Et Plinium ſequutus epitomator ejus Solinus, cap. VIII; *In quo*, inquit, *ambitu, adverſâ Locrenſium fronte, ortus à Gadibus, finitur Europæ ſinus primus. nam ſecundus, à Lacinio auſpicatus, in Acroceranniis metas habet*. Ergo mare, quod inter Locros & Lacinium eſt promontorium, neque ad primum neque ad ſecundum pertinuit ſinum, ſed extra utrumque poſitum fuit. ergo item pars altera Auſonii maris, à Lacinio ſcilicet ad Iapygium promontorium, in ſecundo illo fuit ſinu, altera in neutro. Satis, mehercles, ut antè dixi, incongruè. Sed & frontem Italiæ, rectiùs Mela, lib. II, cap. IV, inter Salentinum & Brutium ſive Leucopetram protendit promontoria, quam Plinius inter Locros & Iapygium. Haud levis igitur hæc in hac orâ deſcribendâ Plinii deprehenditur incuria atque negligentia. Terminum tamen Adriatici maris fuiſſe inter Iapygium &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Acroceraunium promontoria; ſatis apertè atque diſertè ex Plinii ſimul & Melæ Strabonisque verbis inter ſe collatis patet. Idem ſenſiſſe videtur & Cicero, in prædictâ oratione in Piſonem. *Dyrrhachium*, inquit, *ut venit, obſeſſus eſt ab iis ipſis militibus, quos paullo antè Torquato reſpondit beneficii causâ ab ſe eſſe dimiſſos. quibus quum juratus affirmaſſet, ſe, quæ deberentur, poſtero die perſoluturum, domum ſe abdidit. inde nocte intempeſtâ, crepidatus, veſte ſervili, navem conſcendit; Brundiſiumque vitavit: & ultimas Adriani maris oras petivit.* nempe Hydruntinum portum; qui extremus eſt ad Iapygiam promontorium versùs & Hadriani maris fauceis. Italiam autem tum à Dyrrhachio Piſonem petiiſſe; patet ex paullo pòſt ſequentibus: *Occultus adventus, furtivum iter per Italiam, introitus in urbem deſertus amicis.*

Servio, ad Aeneid. lib. XI, etiam Metapontum ad mare Adriaticum eſt. Sic enim inquit: *Metabus fuit dux Græci agminis, qui juxta Adriaticum mare urbem Metapontum condidit.*

Cæterùm Strabo, lib. VI; τοὺς δὲ Σαλεντίνους, inquit, Κρητῶν ἀποίκους φασίν. ἐνταῦθα δ᾽ ἐστὶν ὁ σκόπελος, ὃν καλοῦσιν ἄκραν Ἰαπυγίαν, πολὺς ἐκκείμενος εἰς τὸ πέλαγος, κατὰ τὰς χειμερινὰς ἀνατολάς. ἐπιστρέφων δέ πως ἐπὶ τὸ Λακίνιον, ἀντίκειται ἀπὸ τῆς ἑσπέρας αὐτῷ, καὶ κλείων τὸ στόμα τοῦ Ταραντίνου κόλπου πρὸς αὐτόν· καὶ τὰ Κεραύνια δ᾽ ὁμοίως ὄρη, κλείει πρὸς αὐτὸν τὸ στόμα τοῦ Ἰωνίου κόλπου, καὶ ἔστι τὸ δίαρμα ὅσον ψ σταδίων ἀπ᾽ αὐτοῦ πρός τε τὰ Κεραύνια καὶ πρὸς τὸ Λακίνιον. Id eſt: *Salentinos ajunt Cretenſium eſſe colonos. Apud hos eſt ſcopulus, quem promontorium Iapygium vocant; magnâ ſui parte in altum versùs ortum hybernum procurrens, & ad Lacinium versùs ſeſe inflectens, cui ab occaſu eſt oppoſitum; cuiusque oppoſitu fauces ſinûs Tarentini claudit: ſicut & Ceraunii montes oppoſitu eiusdem promontorii Iapygij fauceis Ionij ſinûs coërcent. Cæterò, trajectus ab Iapygio & ad Lacinium & ad Ceraunios monteis ſtadiorum eſt circiter* IↃCC; id eſt, millium LXXXVII, paſſuum IↃ. Quid autem fuerit Ἰώνιος κόλπος, IONIVS SINVS, ſuprà oſtendit, lib. II. Τὸ δὲ Σικελικὸν, inquit, πέλαγος

Sinus Ionius.

πρὸ τῆς Σικελίας ἐστὶ καὶ τῆς Ἰταλίας, πρὸς ἄρκτους μὲν ἐπί τε ἄκραν Ἰαπυγίαν καὶ τὸ στόμα τοῦ Ἰωνίου κόλπου. ὁ δὲ Ἰώνιος κόλπος μέρος ἐστὶ τοῦ νῦν Ἀδρίου λεγομένου. τούτου δὲ τὴν μὲν ἐν δεξιᾷ πλευρὰν ἡ Ἰλλυρὶς ποιεῖ· τὴν δ᾽ εὐώνυμον ἡ Ἰταλία, μέχρι τοῦ μυχοῦ τοῦ κατὰ τὴν Ἀκυληΐαν. ἔστι δὲ πρὸς ἄρκτον ἅμα καὶ πρὸς τὴν ἑσπέραν ἀνέχων, στενὸς καὶ μακρός· μῆκος μὲν ὅσον ἑξακισχιλίων σταδίων, πλάτος δὲ, τὸ μὲν μέγιστον διακοσίων ἐπὶ τοῖς χιλίοις. Hoc eſt: *Siculum mare eſt ante Siciliam & Italiam, versùs ſeptemtriones quidem ad Iapygium usque promontorium & fauceis Ionii ſinûs porrectum. Ionius autem ſinus pars eſt eius qui nunc Adria vocatur. Huius dextrum latus Illyricum, ſiniſtrum Italia facit, usque ad intimum receſſum, qui eſt ad Aquileiam. Protenditur autem versùs ſeptemtrionem ſimul & occaſum, anguſtus, & longus, ad* VI *millia ſtadiorum, latitudine ſummâ* CIↃCC. Ergo etiam Ionius ſinus, ut pars Adriatici ſinûs, intra fauceis illas inter Iapygium promontorium & Cerauniæ monteis includebatur. Verſûs ſeptemtrionem & occaſum, ſive verſûs occaſum æſtivum, id eſt, verſûs Aquileiam, qui terminus fuerit Ionii ſinûs, ex Dionyſio maximè Afro atque Ptolemæo perſpicitur. quorum ille ita:

Ἑξείης δ᾽ ἐπὶ τοῖσι Καλαβρικὸς ἤθεα γαίης
Φῦλα τ᾽ Ἰηπύγων τετανυσμένα μέσφ᾽ Ὑρίοιο
Παραλίας. Ὑρίου, τόθι σύρεται Ἀδριὰς ἅλμη
Πόντον ἐς ἀγχίπορον Ἀκυλήϊον.

Id eſt:

At deinceps poſt hos Calabriæ ſedes ſunt terræ
Genteſque Iapygum, extentæ usque ad Hyrium
Maritimam: Hyrium, ubi trahitur Adrium ſalum
Mare in finitimum Aquileienſe.

Sed clariùs Ptolemæus: Ἰαπυγία ἄκρα, ἡ καὶ Σαλεντινή. Καλαβρίας δὲ παρὰ τὸ Ἰώνιον πέλαγος, Ὑδροῦς, Λουππίαι, Βρενδέσιον. Ἀπούλων Πευκετίων ἐν Ἰωνίῳ πελάγει, Ἐγνατία, Βάριον, Αὐφιδίου ποταμοῦ ἐκβολαί. Ἀπούλων Δαυνίων ἐν Ἰωνίῳ πελάγει, Σαλαπίαι, Σιποῦς, Ἀπενέσται, Γάργανον ὄρος. καὶ παρὰ τὸν Ἀδρίαν κόλπον, Ὕριον. Hoc eſt: *Iapygium promontorium, quod & Salentinum. Calabriæ ad Ionium mare, Hydrûs, Luppiæ, Brundiſium. Apulorum Peucetiorum ad Ionium mare, Egnatia, Barium, Aufidii amnis oſtium. Apulorum Dauniorum, ad Ionium mare, Salapiæ, Sipûs, Apeneſtæ, Garganus mons; & ad Adriam ſinum, Hyrium.* Terminus igitur Ionii ſinûs ab hac Italiæ parte fuit Garganus mons. Ab adverſo litore Ptolemæus limitem ſtatuit inter Ionium mare & Adriam ſinum, eumdem quem

inter

inter Illyricum & Macedoniam. is autem fuit circa Liſſum opidum in Lodrinenſi, quem hodiè vocant, ſinu, & Dyrrhachium, quod vulgò nunc *Duraccio*. Verba eius in deſcriptione Illyrici hæc ſunt: Ἡ Ἰλλυρὶς περιορίζεται ἀπὸ μεσημβρίας μέρει τε Μακεδονίας, κατὰ γραμμὴν, ἀπὸ τοῦ εἰρημένου πέρατος φθάνουσαν ἐπὶ τὸν Ἀδρίαν, καὶ τῇ ἐντεῦθεν τοῦ Ἀδρίου πλευρᾷ, μέχρι τοῦ εἰρημένου πρὸς τῇ Ἰστρίᾳ πέρατος. Id eſt: *Illyricum terminatur à meridie parte quâdam Macedoniæ, juxta lineam, ab prædicto fine ad Adriam ſinum exſiſtente. tum hinc Adriatici ſinûs latere usque ad Iſtriæ prædictum finem.* In Macedoniæ verò deſcriptione; Ἡ Μακεδονία, inquit, περιορίζεται ἀπὸ δυσμῶν τῷ Ἰωνίῳ πελάγει, τῷ ἀπὸ Δυῤῥαχίου μέχρι Πεπύχνου [lege τοῦ Κελύδνου] ποταμοῦ. Id eſt: *Macedonia terminatur ab occaſu Ionio mari, quod eſt à Dyrrachio ad Celydnum amnem.* Vltra etiam Celydnum protuliſſe eum Ionium mare, patet poſteà; ubi ita ait: Νῆσος δὲ παράκειται τῇ Μακεδονίᾳ ἐν τῷ Ἰωνίῳ πελάγει Σασώ. Id eſt: *Inſula Macedoniæ adjacet in Ionio mari Saſo.* Hæc etiam nunc, intra fauceis Ionii ſinûs ſita, vulgò vocatur *Saſeno*.

In deſcriptione verò Epiri ita tradit: Τῆς Ἠπείρου ἡ ἀπὸ δύσεως πλευρὰ διορίζεται τῇ κατὰ τὰ Ἀκροκεραύνια τοῦ Ἰωνίου πελάγους παραλίᾳ. ἧς ἡ περιγραφὴ ἔχει οὕτως· Χαονίας. Ὤρικον, ἡ ἀκρώρεια τῶν Ἀκροκεραυνίων ὀρέων, Πάνορμος λιμὴν, Ὀγχησμὸς λιμὴν, Κασσιόπη λιμήν. ἡ δὲ ἀπὸ μεσημβρίας πλευρὰ τῷ ἐντεῦθεν μέχρι τοῦ Ἀχελώου ποταμοῦ Ἀδριατικῷ πελάγει. Id eſt: *Epiri occidentale latus finitur juxta Acroceraunia juga, orâ Ionii maris; cuius deſcriptio ſic habet: Chaoniæ; Oricum, ſummitas montium Acrocerauniorum, Panormus portus, Oncheſmus portus, Caſſiope portus. meridionale autem latus mari, quod hinc ad Acheloum protenditur amnem, Adriatico.* Vltra igitur Ceraunios monteis XXXV circiter millia paſſuum ad Corcyram usque inſulam Ionii nomen protulit Ptolemæus. nam Caſſiope fuit ex adverſo ſeptemtrionalis promontorii & opidi Corcyræ; quæ & ipſa utraque Caſſiope dicta, vulgò etiam nunc *Santa Maria di Caſopo*. Adriaticum mare quomodo Ptolemæus eò usque & ad Acheloum flumen extendat, poſteriùs dicetur.

Pauſanias Apolloniam ad Ionium collocat ſinum; in Eliacis ſic ſcribens: Μενεπτόλεμος ἐξ Ἀπολλωνίας, τῆς ἐν τῷ Ἰωνίῳ. *Meneptolemus ex Apolloniâ, quæ ad Ionium eſt ſinum.*

Cæterùm, notandum, quòd Græci de hoc Ionio ſinu loquentes, non rarò ſimpliciter τὸν Ἰώνιον vocant, ſubintelligentes τὸν κόλπον.

Ipſe porrò Ionius ſinus pars habitus eſt veteribus MARIS IONII; quod inter Siciliam, Italiam atque Peloponneſum ad Cretam usque inſulam protendebant. Hinc Plinius, lib. IV, cap. V: *Tot ſinus*, inquit, *Peloponnenſem oram lancinant, tot maria allatrant. ſiquidem à ſeptemtrione Ionium irrumpit; ab occidente, Siculo pulſatur; à meridie, Cretico urgetur.* Sed ampliùs Plinius, lib. IV, cap. XI; *Græci*, inquit, *& Ionium dividunt in Siculum ac Creticum, ab inſulis.* Hinc Strabo, in geographicis ſuis, nullum aliud Ionium mare memorans, præter Ionium illum ſinum, partem Adriatici ſinûs, de Siculo mari ita ſcribit, dicto lib. II: Μετὰ δὲ τὴν Σικελίαν ἄλλα πελάγη συνάπτει, τό τε πρὸ τῆς Σύρτεως καὶ τῆς Κυρηναίας, καὶ αὐταὶ αἱ Σύρτεις, καὶ τὸ Αὐσόνιον μὲν πάλαι, νῦν δὲ καλούμενον Σικελικὸν, σύῤῥουν ἐκείνῳ καὶ συνεχές. τὸ μὲν πρὸ τῆς Σύρτεως καὶ τῆς Κυρηναίας καλεῖται Λιβυκὸν, τελευτᾷ δ᾽ εἰς τὸ Αἰγύπτιον πέλαγος. τὸ δὲ Σικελικὸν πέλαγος πρὸ τῆς Σικελίας ἐστὶ καὶ τῆς Ἰταλίας, ἐπὶ τὸ πρὸς ἕω μέρος· αὔξεται δὲ μέχρι τῶν ἄκρων τῆς Κρήτης, καὶ τὴν Πελοπόννησον δὲ περικλύζει τὴν πλείστην, καὶ πληροῖ τὸν Κορινθιακὸν καλούμενον κόλπον. πρὸς ἄρκτους δ᾽ ἐπί τε ἄκραν Ἰαπυγίαν καὶ τὸ στόμα τοῦ Ἰωνίου κόλπου, καὶ τῆς Ἠπείρου τὰ νότια μέρη, μέχρι τοῦ Ἀμβρακικοῦ κόλπου, καὶ τῆς συνεχοῦς παραλίας τῆς ποιούσης τὸν Κορινθιακὸν κόλπον πρὸς τὴν Πελοπόννησον. Hoc eſt: *Poſt Siciliam alia maria continenter ſequuntur; id ſcilicet, quod ante Syrteis eſt & Cyrenaicam regionem, ipſæque Syrtes, & quod olim Auſonium, nunc verò Siculum vocatur mare, continuum cum illo & confluens. Quod ante Syrteis & Cyrenaicam eſt, Libycum dicitur, in Aegyptium deſinens æquor. Siculum verò mare ante Siciliam atque Italiam eſt; ad ortum versùs, usque ad Cretæ extrema; ad ſeptemtriones autem, usque ad Iapygium promontorium & ſinûs Ionii fauceis, parteisque Epiri meridionales; ad ſinum usque Ambracicum, & continentem oram, quæ cum Peloponneſo ſinum Corinthiacum includit.* Hinc & illud lib. VI: Ἔστι δ᾽ ἡ μὲν Λευκανία μεταξὺ τῆς τε παραλίας τῆς Τυῤῥηνικῆς καὶ τῆς Σικελικῆς, τῆς μὲν ἀπὸ τοῦ Σιλάριδος μέχρι Λάου, τῆς δ᾽ ἀπὸ Μεταποντίου μέχρι Θουρίων. Id eſt: *Lucania inter oram Hetruſci ſimul & Siculi maris ſita eſt; illinc ab Silari ad Laum, hinc ab Metaponto ad Thurios usque.* Verùm Polybius, lib. II, etiam ad Italiam Siculum ab Ionio mari diſtingvit. ipſique Livio etiam, lib. XXIII, ad Italiam mare Ionium habetur. Τῆς δὲ πάσης, inquit Polybius, Ἰταλίας τῷ

MARE IONIVM.

σχήματι τριγωνοειδοῦς ὑπαρχούσης, τὴν μὲν μίαν ὁρίζει πλευρὰν αὐτῆς, τὴν πρὸς ἀνατολὰς κεκλιμένην, ὅ τε Ἰώνιος πόρος, καὶ κατὰ τὸ συνεχὲς ὁ κατὰ τὸν Ἀδρίαν κόλπος· τὴν δὲ πρὸς μεσημβρίαν καὶ δυσμὰς τετραμμένην, τὸ Σικελικὸν καὶ Τυῤῥηνικὸν πέλαγος. αὗται δ' αἱ πλευραὶ, συμπίπτουσαι πρὸς ἀλλήλας, κορυφὴν ποιοῦσι τοῦ τριγώνου, τὸ προκείμενον ἀκρωτήριον τῆς Ἰταλίας εἰς τὴν μεσημβρίαν, ὃ προσαγορεύεται μὲν Κόκυνθος, διαιρεῖ δὲ τὸν Ἰώνιον πόρον καὶ τὸ Σικελικὸν πέλαγος. Id eſt: *Italia omnis quum trigoni formam referat, unum ejus latus, quod orientem ſpectat, Ionium mare & continuus illi ſinus Adriaticus terminant; meridiei verò & occidenti obverſum latus, Siculum Hetruſcumque mare. quâ ſe duo hæc latera conjungunt, triquetræ figuræ vertex efficitur, in promontorio Italiæ, quod in meridiem versùs procurrens, Cocintus vocatur; quo ſeparantur Ionium Siculumque maria.* Parùm congruam hanc Italiæ triquetram figuram, abſurdumque ejus in Cocinto, vel etiam Leucopetrâ, promontorio, verticem, ſatis jam dudum reprehendit antiquus geographus Strabo, ſub initium libri V. Verùm ibidem Strabo oſtendit, ipſum Polybium mare Siculum ad Iapygium usque produxiſſe. Ἡ λοιπὴ δ' ἐστὶν, inquit, ἣν κατέχουσι Βρέττιοι καὶ Λευκανοί. Φησὶ δὲ Πολύβιος, πεζῇ μὲν εἶναι τὴν παραλίαν τὴν ἀπὸ Ἰαπυγίας μέχρι πορθμοῦ . . . . . καὶ τρισχιλίων σταδίων· κλύζεσθαι δ' αὐτὴν τῷ Σικελικῷ πελάγει· πλέοντι δὲ καὶ πεντακοσίων δέουσαν. Id eſt: *Reliquum Italiæ Brutii ac Lucani tenent. Polybius tradit, terreſtre iter à Iapygiâ per oram ad fretum eſſe vel III CIↃ ſtadiorum; eamque oram Siculo mari allui: navigationem verò ne IↃ quidem ſtadia implere.*

Porrò, Thucydides, lib. I, hæc ſcribit: Ἐπίδαμνος ἐστὶ πόλις ἐν δεξιᾷ ἐσπλέοντι τὸν Ἰώνιον κόλπον. *Epidamnus eſt urbs ad dextram ſita intrantibus Ionium ſinum.* Vbi obſervandum, quòd non hunc ſinum ſolum ſic adpellat; ſed etiam quidquid eſt inter Peloponneſum & Siculum mare.

Discrimen IONII SINVS & ADRIATICI MARIS ad huius fauces eſt. Scylax in περίπλῳ. Λιμὴν, inquit, Ἰδροῦς ἐπὶ τῷ τοῦ Ἀδρίου ἢ τοῦ Ἰωνίου κόλπου στόματι. *Hydruntinus portus, ad fauces Adriatici vel Ionii ſinûs.* De eodem ita Plinius, lib. III, cap. XI: *Hydrûs, ad discrimen Ionii & Adriatici maris; quâ in Græciam breviſſimus tranſitus.* Conſentit Ptolemæus in deſcriptione Italiæ, mox infrà. Procopius Gothic. rer. lib. I: Πέλαγος τὸ Ἀδριατικὸν ἐκροὴν ἡνίκα πόῤῥω που τῆς ἠπείρου ἐκβάλλον, ποιεῖται τὸν Ἰώνιον κόλπον, οὐδὲν ὁμοίως τοῖς ἄλλοις χωρίοις. ἐνταῦθα δὴ τελευτῶσα τῆς θαλάσσης ἡ ἐς τὴν ἤπειρον ἀνάβασις ἰσθμὸν ποιεῖται. ὅ, τε γὰρ Χρισαῖος καλούμενος κόλπος, ἀπολήγων ἐς τὸ Λέχαιον, ἵνα δὴ Κορινθίων ἡ πόλις ἐστὶν, ἐν μέτρῳ τεσσαράκοντα σταδίων μάλιστα, ποιεῖται δὲ ταύτῃ ἰσθμόν. ἐκ δὲ Ῥαβέννης πόλεως, οὗ δὴ τελευτᾷ ὁ Ἰώνιος κόλπος, ἐς θάλασσαν τὴν Τυῤῥηνικὴν οὐχ ἧσσον ἢ ὀκτὼ ὁδὸς ἡμερῶν εὐζώνῳ ἀνδρί ἐστιν. τούτου δὲ τοῦ κόλπου ἐντὸς πόλισμα πρῶτον ὁ Δρυοῦς οἰκεῖται. Id eſt: *Adriaticum pelagus à continenti quàm procul Ionicum ſinum exæſtuans facit; haud tamen ut in aliis locis, ubi deſinentis maris in terram utrimque tranſſcenſus iſthmum reddit. Sinus, qui Chryſæus dicitur, in Lecheum deſinens, ubi & Corinthus civitas eſt, quadraginta ad ſummum ſtadiorum ſpatio iſthmum, qui eodem eſt, peragit. A Ravennâ autem urbe, ubi Ionicus deſinit ſinus, ad mare usque Tyrrhenum haud minus dierum octo expedito eſt iter viro. Intra hunc Ionium ſinum imprimis Hydrûs eſt opidum.*

Cæterò, unde dictus ſit IONIVS SINVS, Servius his prodit verbis, ad Virgil. Aeneid. lib. III: *Quidam ſanè Ionium ab Io Inachi filiâ dictum volunt, quòd amata hoc mare tranaverit. Nonnulli Ionium ab Ionio rege, qui in inſulâ, quæ ante Illyricum jacet, regnaverat, dictum tradunt.* Eadem pluribus tradit Iſacius in Lycophronis Alexandrâ.

Verùm de Siculo & Ionio mari, huiusque ſinu, qui pars fuit extrema Hadriatici maris, ſatis hactenus diſſertum eſt. Ipſum equidem MARE HADRIATICVM, freto, quod eſt inter Iapygium & Acroceraunium promontoria, fuiſſe incluſum, quatuor graviſſimorum auctorum, Ciceronis, Strabonis, Melæ ac Plinii teſtimoniis ſuprà demonſtratum eſt. Cæterùm, Ptolemæus nullum agnoſcens Siculum mare, Ionium verò in parte Adriatici ſinûs, cum Strabone ac Dionyſio Afro, & item extra ſuprà ſcriptas fauceis ad Corcyram usque protendens, ipſum maris Adriatici nomen à Siciliæ orientali latere, ad iſthmum Corinthiacum adeoque Cretam usque producit. &, Ptolemæum haud dubiè ſequutus Philoſtratus, idem nomen ad Corinthiacum iſthmum extendit. Verba Ptolemæi hæc ſunt, in deſcriptione Italiæ: Λευκόπετρα ἄκρα· Μεγάλης Ἑλλάδος παρὰ τὸ Ἀδριατικὸν πέλαγος· Ζεφύριον ἄκρον, Λοκροὶ πόλις, Λοκανοῦ ποταμοῦ ἐκβολαί· ἐν δὲ τῷ κατὰ Σκυλάκιον κόλπῳ, πόλις Σκυλάκιον, ὁ μυχὸς τοῦ κόλπου τοῦ Σκυλακίου, Λακίνιον ἄκρον· ἐν δὲ τῷ Ταραντίνῳ κόλπῳ, Κρότων πόλις,

Θούριον,

Θούριον, Μεταπόντιον, Τάρας. Σαλεντίνων· Ἰαπυγία ἄκρα, ἡ καὶ Σαλεντίνη. Καλαβρίας δὲ παρὰ τὸ Ἰώνιον πέλαγος, Ὑδροῦς. Hoc eſt: *Leucopetra, promontorium. Magnæ Græciæ, ad Adriaticum mare; Zephyrium promontorium, Locri urbs, Locani amnis oſtium. in Scylacio autem ſinu, opidum Scylacium, intimus Scylacii ſinûs receſſus, Lacinium promontorium. & in Tarentino ſinu Croto urbs, Thurium, Metapontum, Tarentum. Salentinorum, Iapygium promontorium, quod & Salentinum. Calabriæ verò ad Ionium mare, Hydrûs.* Hinc igitur Ionium mare facit prædictam partem Adriæ ad Corcyram usque inſulam & Caſſiopen Epiri portum. inde rurſus Adriaticum ad Cretam usque. At in deſcriptione Siciliæ; Ἡ Σικελία, inquit, περιέχεται ἀπὸ ἀνατολῶν ὑπὸ τοῦ Ἀδρίου πελάγους. Id eſt: *Sicilia clauditur ab oriente Adriâ mari.* Mox: Ἀνατολικῆς πλευρᾶς περιγραφὴ ἐν Ἀδριατικῷ πελάγει. Id eſt: *Orientalis lateris deſcriptio ad Adriaticum mare.* Sic & Solinus ad Siciliam usque producit Adriaticum mare. Recenſet autem Ptolemæus in hoc latere loca maritima quæ ſunt à Pachyno ad Pelorum usque. At in Epiri deſcriptione; Κασιόπη, inquit, λιμήν. ἡ δὲ ἀπὸ μεσημβρίας πλευρὰ διορίζεται τῷ ἐντεῦθεν μέχρι τοῦ Ἀχελώου ποταμοῦ Ἀδριατικῷ πελάγει. Hoc eſt: *Caſiope portus. meridionale latus terminatur Adriatico mari, quod hinc ad Acheloum flumen protenditur.* Et poſteà: Ἡ Ἀχαΐα ὁρίζεται ἀπὸ μεσημβρίας τῷ τε Ἀδριατικῷ πελάγει, κατὰ τὴν ἀπὸ τοῦ Ἀχελώου ποταμοῦ παραλίαν τοῦ Κορινθιακοῦ κόλπου· καὶ αὐτῷ τῷ ἰσθμῷ. Hoc eſt: *Achaia terminatur à meridie Adriatico mari, juxta oram Corinthiaci ſinûs, quæ eſt ab Acheloo flumine; & inde ipſo iſthmo.* Et in deſcriptione Peloponneſi: Ἡ δὲ Πελοπόννησος ὁρίζεται ἀπὸ δυσμῶν καὶ μεσημβρίας τῷ Ἀδριατικῷ πελάγει. Hoc eſt: *Peloponneſus finitur ab occaſu ac meridie Adriatico mari.* Ac tandem in Cretæ inſulæ deſcriptione: Ἡ Κρήτη περιορίζεται ἀπὸ δυσμῶν ὑπὸ τοῦ Ἀδριατικοῦ πελάγους. Id eſt: *Creta terminatur ab occaſu Adriatico mari.* Hactenus Ptolemæus. cum quo conſentit Philoſtratus; cuius verba ſub principium huius capitis, de diſcrimine Superi Inferique maris, habuimus. Idem, imaginum libro II, in Palæmone, de iſthmo Corinthiaco loquens, ſic ait: Ὁ δὲ ἰσθμὸς γέγραπται μὲν ἐν εἴδει δαίμονος, ἐνυπτιάζων ἑαυτὸν τῇ γῇ· τέτακται δὲ ὑπὸ τῆς φύσεως Αἰγαίου καὶ Ἀδρίου μέσον κεῖσθαι, καθάπερ ἐπεζευγμένος τοῖς πελάγεσιν. ἔστι δὲ αὐτῷ μειράκιον μὲν ἐν δεξιᾷ Λέχαιον δή, κόραι δ' ἐν ἀριστερᾷ. θάλατται δὲ αὗται καλαὶ καὶ ἱκανῶς εὔδιοι, τῇ τὸν ἰσθμὸν ἀποφαινούσῃ γῇ παρακάθηνται. Hoc eſt: *Iſthmus genii facie atque humi ſupinus pictus eſt; inter Aegæum atque Adriam maria, veluti æquoribus cinctus à naturâ, ſitus. cæterùm, ad ejus dextram Lechæus eſt adoleſcentulus; ad ſiniſtram verò puellæ. maria autem ipſa, pulcra ac ſatis tranquilla, telluri iſthmum demonſtranti adſident.* Vulgò an etiam Græcæ gentes idem nomen impropriè ad Siciliam, Peloponneſum & Cretam usque extenderint; quod duo iſti Græci ſcriptores, Ptolemæus & Philoſtratus fecerunt; equidem valdè etiamnunc dubito. imò vehementer ſuſpicor, Ptolemæum huius rei primum atque unum fuiſſe auctorem; quem poſteà ſequutus Philoſtratus. Nam illud ex Ovidio argumentum, opidò quàm ambiguum eſt, quo idem probare nonnulli conantur. Triſtium lib. I, eleg. X, ita canit Poëta:

Litera quæcumque eſt toto tibi lecta libello,
Eſt mihi ſollicito tempore facta viæ.
Aut hæc me, gelido tremerem quum menſe decembri,
Scribentem mediis Adria vidit aquis.
Aut, poſtquàm bimarem curſu ſuperavimus iſthmon,
Alteraque eſt noſtræ ſumpta carina fugæ.
Quòd facerem verſus inter fera murmura ponti,
Cycladas Aegæas obſtupuiſſe puto.

Heic quamvis Poëta videatur unà cum Philoſtrato terminum inter Adriam & Aegæum mare ponere iſthmum Corinthiacum; tamen res ea planè dubia eſt. quidpe ex decem iſtis primi libri elegiis, primam, quartam, ſextam, ſeptimam, nonam, atque decimam, procul ab Italiâ & Adriâ, in mari Aegæo & Pontico eſſe ſcriptas, ſatis clarè diſerteque cuivis legenti patet. ex reliquis, quarta, quinta & octava, quamvis ambiguæ ſint; tamen quia ſolutiore paullò animo & ſine maris metu ſcriptas eſſe apparet; in eodem Aegæo exaratæ videntur. Vnas duas, ſecundam & tertiam, in Adriâ prope Italiam, ubi ingenti tempeſtate fuit jactatus, fuiſſe compoſitas, ex ipſis ſatis manifeſtè perſpicitur. Elegiâ enim ſecundâ, quâ nil niſi horrendam tempeſtatem lamentatur, ita ſcriptum eſt:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Ferte (quid heic facio?) rapidi mea corpora venti.
Auſonias fineis cur mea vela vident?
Noluit hoc Cæſar. quid, quem fugat ille, tenetis?
Adſpiciat vultus Pontica terra meos.

Elegiâ autem tertiâ ita:

Nos tamen Ionium non noſtrâ findimus æquor
Sponte, ſed audaces cogimur eſſe metu.
Me miſerum! quantis nigreſcunt æquora ventis;
Erutaque ex imis fervet arena vadis?
Navita confeſſus gelidum palore timorem,
Iam ſequitur victus, non regit arte ratem.
Quòd niſi mutatas emiſerit Aeolus auras,
In loca jam nobis non adeunda ferar.
Nam procul Illyricis lævâ de parte relictis
Interdicta mihi cernitur Italia.

Certè Adriæ, ſive Adriatico mari, neque à Græcis primùm, neque à Romanis, poſtquam hi totam ſimul Italiam & Græciam ſub imperium ſuum redegerunt, id nominis impoſitum fuit; ſed à Tuſcis & aliis Italicis gentibus; ut diſertè teſtatur Livius lib. v, verbis ſub initium huius capitis perſcriptis. quibus diſertè, ad Italiam tantùm, cùm Italicas genteis, tum ipſos Græcos adpellaſſe mare Adriaticum, teſtatur graviſſimus auctor; id quod alio nomine dicebatur Superum. Tuſcos extra prædictas Adriatici ſinûs fauceis, hinc ad Italiæ frontem & Siciliæ orientale latus, illinc ad Epirum Græciamque & Cretam inſulam, maris obtinuiſſe imperium, nemo umquàm oſtenderit. Quidquid igitur ſub Adriæ nomine intellexerit Ovidius; certum & extra controverſiam eſſe debet, ADRIATICVM MARE propriè intra prædictas fauceis fuiſſe comprehenſum. cuius pars inferior, à Gargano monte ad fauceis usque, IONIVM MARE, ſeu IONIVS SINVS, fuit dicta.

Cæterò, ejusdem maris Adriatici à dextro litore aliæ partes, alia etiam ab adcolis gentibus acceperunt olim vocabula. ſic ab Illyrico, communi regionis vocabulo, dicebatur ILLYRICVM: ad Dalmatiam vocabatur DALMATICVM MARE. Varios Inferi juxtà ac Superi maris ſinus, quos ſuo quoque loco atque ordine ſuprà indicavimus, hoc loco repetere, ſupervacaneum fuerit. Hæc igitur de ITALICO diſſeruiſſe MARI, ipsâque ITALIA, ſufficit.

FINIS.

Errata.

PAg. 62. lin. 29. *vitiata.* 107, 27, *Carraca*, in margine. 1040, 27, *denominata*. 1145, 31, *ab vero*. 1187. 22, *Veſeris*. 1253, 4, 5, *Pandoſia Platæenſium*, ſcilicet colonia. 1307, 44, & inde, quæ de Ogygiâ inſulâ perſcripta ſunt, conferantur cum iis quæ auctor ipſe Siciliæ ſuæ fol. 446. l. 45, & 468, l. 30, edidit plenè recognita. cum quibus quoniam poſteriora hæc pugnant; & verò iſtud ab exſcriptore in tanto difficilique opere tam citò obſervari non potuit: tu, benevole lector, pugnantia hæc poſteriora prætérito. Eodem fol. 1307, l. 46, lege *Aeæam*. 1309, 11, *Circæum*.

INDEX
RERVM ET VERBORVM,
QVAE HOC ITALIAE OPERE CONTINENTVR.

Prior numerus paginam, poſterior lineam denotat.

A.

ABæ, opidum. 515.18.
Abala, portus. 1294.36.1295.1.
Abella, municipium & colonia. 1185.13.
Abellinum, colonia. 1200.10. Marſicum, opidum. 1280.46.
Aborigines, gens. 1328.8. Latini adpellati. 1328.12. unde dicti. 790.30. eorum origo. 791.43. à Sabinis ejecti. 647.56. priùs Oenotri dicti. 649.20.
Aborigines non fuêre antiquiſſimi Italiæ incolæ. 40.29.
Abſoris ſeu Abſorus, inſula. 215.28.
Abſyrtides, inſulæ. 214.39.
Abſyrtis ſeu Abſyrtium, inſula. 215.32.
Abuſtrum, opidum. 1281.15.
Abyſtrum, opidum. 1281.14.
Academia Ciceronis. 1143.17.
Acalandra, opidum. 1280.13.
Acalandrum, flumen. 1277.5.
Acelum, opidum. 163.20.
Acerani, populus. 245.15.
Acerræ, opidum. 244.1. municipium & colonia. 1182.40.
Acerronia. 1281.37.
Acherræ, opidum. 244.2.
Acherontia in Brutiis an aliqua. 1318.54. opidum Apulorum. 1225.5.
Acheruſius lacus, vel palus. 1118.30.
Aciris, amnis. 1276.47.
Acula, opidum. 570.24.
ad Aquas, locus. 742.44.
ad Arnum, locus. 511.41.
ad Bivium, locus. 950.7.
ad Capras, locus. 616.57.& 617.52.
ad Caſas Cæſarianas, locus. 570.39.
ad Caſtra, locus. 188.37.
ad Centeſimum, locus. 742,46.
ad Ceplaſias ſeu ad Cepaſias, locus. 120.28.
ad Compita, locus. 300.23.
ad Confluenteis, locus. 300.20.
ad Decimum, locus. 234.20.& 950.20.
ad Duas Columnas, locus. 233.39.
ad Duodecimum, locus. 92.25.& 162.33.
ad Enſem, locus. 618.10.
ad Fanum Martis, locus. 92.26.
ad Feroniam, fanum & lucus. 547.50.52.& 645.52.
ad Fines, locus. 468.21.& 570.39.& 636.5.
ad Fines, opidum. 92.24.
ad Flexum, locus. 258.48.& 1181.31.
ad Fonticulos ſeu Fontellos, locus. 270.28.
ad Furnulos, locus. 189.25.
ad Gallinas, villa. 527.12.
ad Herculem, portus. 468.1.
ad Interciſa, locus. 618.48.
ad Iuglandem, locus. 571.4.
ad Laminas, locus. 784.38.
ad Malum, locus. 204.40.
ad Martis, opidum. 507.44.
ad Martis, locus. 638.57.742.40.
ad Medias, locus. 233.56. & 288.31. & 1034.30.
ad Menſulas, locus. 569.45.
ad Nonas, locus. 485.54.
ad Nonum, locus. 162.34.& 243.36.& 918.8.& 1178.22.
ad Novas, locus. 299.45.& 485.54.& 524.55.& 694.24.
ad Novas ſtatuas, opidum. 569.18.
ad Octavum, locus. 92.22.& 618.44.& 1178.24.
ad Opulentos, locus. 1155.16.
ad Petras Rubras, opidulum. 526.28.
ad Picta diverſoria. 949.32.
ad Pictas Tabernas. 949.31.
ad Pirum, locus. 189.28.
ad Pirum Philumeni, locus. 611.31.
ad Piſtores, opidum. 507.37.
ad Pontem Sontii, locus. 188.26.
ad Quercum, opidum. 118.16.
ad Quintanas, locus. 949.27.
ad Rotas, locus. 236.53.
ad Salinas, locus. 751.3.
ad Saxa Rubra, ſeu ad Rubras, opidulum. 526.27.
ad Sextum Lapidem, locus. 524.51.& 570.4.
ad Sextias, locus. 611.51.
ad Silanos, locus. 204.7.
ad Solaria, locus. 509.5.
ad Sponſas, locus. 1034.28.
ad Statuas, locus. 950.4.
ad Tarum, locus. 270.27.
ad Titulos, locus. 56.
ad Triceſimum, locus. 291.4.
ad Turum, locus. 270.25.
ad Turres, locus. 498.11
ad Turreis albas, locus. 992.43.
ad Viceſimum, locus. 527.50.
ad Viceſimum, locus. 1276.57.
ad Victoriolas. 288.35.
ad Vineas, locus. 785.19.

ad Vndecimum, locus. 189.22.
ad Vrbanas, locus. 1178.16.
Addua, fluvius. 410.38.
Adria, mare. 1332.8. ſinus. 1332.15.
Adriacum mare. 1332.16.
Adrianum mare. 1332.11.
Adriaticum mare. 1331.42. unde dictum. 1331.42. & 1338.15. huius & Ionii ſinus diſcrimen. 1336.24. illius fauces. ibidem. circa eius terminos error Ptolemæi & Philoſtrati. 1336.49.53. & 1337.24.
Adula, mons. 344.57.
Aeæa, inſula. 995.54. falſo pro Ogygiâ. 1307.46.
Aecæ. 1202.46.
Aeculanum, opidum. 1203.43.
Aedis publica. 151.41.
Aegida, opidum. 210.35.
Aegidis, inſula. 211.13.
Aegila ſeu Aegilum, inſula. 505.17.
Aegilium, inſula. 502.24.
Aemilia foſſa. 271.2.
Aemilia, regio. 31.38.
Aenaria, inſula. 1164.34.
Aequani, populi. 538.12. & 773.14.
Aequi, populi. 538.11. & 773.8. & 1061.41.
Aequi Faliſci. 537.57.
Aequicolani, gens. 773.39. Aequicoli. 17. Aequiculani. 37. & 774.33. Aequiculi. 773.17.
Aequum Faliſcum, opidum. 538.33.
Aeſarus, amnis. 1311.9. & portus. 22.
Aeſculapii templum. 987.15. & 990.5.
Aeſer, fluvius. 462.24.
Aeſernia, colonia. 1195.5.
Aeſis, amnis. 611.56.
Aeſis, vel Aeſium, colonia. 612.37.
Aeſola, opidum. 967.55. Aeſula. 54.
Aethalia, inſula. 502.33.
Agaſus, portus. 1212.30.
Agones, populus. 100.26.
Agrippinæ tumulus. 1126, 8. villa. 1123.40.
Agylla, opidum. 489.29.
Agyllani ſeu Agyllini, populus. 490.18.
Alatrium, municipium & colonia. 983.5.
Alba Docilia, opidum. 70.20.
Alba Fucentis, colonia. 767.17. unde cognominata. 768.51.
Alba Longa, urbs. 900.44.
Albæ Longæ jugum. 906.17.
Alba Pompeia, municipium. 85.28.
Alba, opidum. 1242.8.
Albana caſtra. 914.1.
Albana vallis. 912.4.
Albana, vicus. 1175.27.
Albanum Clodii, villa. 909.2.
Albanum imperatorum prætorium. 914.1.
Albanum, nemus. 908.45.
Albanum, opidum. 914.36.
Albanum, Cn. Pompeii Magni villa. 908.56.
Albanum Prætorium. 913.57.
Albanus, mons. 355.12.
Albanus mons. 906.17.
Albia juga. 319.5.
Albingaunum, opidum. 67.32.
Albinia, fluvius. 478.19.
Albini villa. 469.12.
Albintemelium, ſeu Albium Intemelium, urbs. 65.1.21.
Albius, mons. 355.7.
Albula, vel Albulæ aquæ. 714.57.
Albula, Tiberis amnis nomen. 694.44.
Albulates, amnis. 735.20.
Albuneæ fons. 717.24. nemus. 35.
Alburnus, mons. 1254.35. portus. 45.
Aletium, opidum. 1251.11.
Aletrium, municipium & colonia. 983.5.
Alex, amnis. 1302.53.
Algæ, locus. 483.36.
Algidus, mons & opidum. 776.49.
Aliternus, amnis. 1094.34.
Allia, amnis. 708.25.
Allieni forum, opidum. 155.13.
Alliſæ, opidum. 1195.20.
Alma, opidum. 475.11.
Almo, amnis. 718.14.
Alor, nomen corruptum. 1199.54.
Alpes Carnicæ. 347.1. Coctianæ, ſeu Cottiæ. 337.21,27. Graiæ. 94.5. & 338.28. Noricæ. 346.14. Iuliæ. 347.22. Maritimæ. 335.53. Pannonicæ. 351.25. Penninæ, Pœnæ ſeu Pœninæ. 28.24. & 339.31.34. illarum fauces. 340.54. Rheticæ. 343.35. Tridentinæ. 343.43. Venetæ. 351.19.
Alpes alio nomine Tauri montes. 319.15.
Alpes Græcis etiam per errorem Riphæi montes. 319.30.
Alpes qui mortalium primi transſcenderint. 358.28. unde dictæ. 316,24
Alpium initium. 323.15. finis. 327.15. longitudo. 328.56. earum latitudo. 329.34. earum altitudo. 332.1.
Alpia juga. 319.5.
Alpis Cottia, mons. 93.11.
Alpis Graia, mons. 98.12.
Alpius, mons. 172.57. & 353.23.
Alſa, fluvius & portus. 179.4.
Alſietinus lacus. 524.47.
Alſium, opidum. 497.9.
Alſuga, caſtellum. 120.45.
Alternus, amnis. 1094.35.
Althurnus, amnis. 1094.42.
Altinum, municipium. 161.18. & 1320.38.
Aternum, opidum. 1281.7.
Amaſenus, fluvius. 1007.57.
Ambra, fluvius. 570.41.
Ambrones, Ligures. 47.20.
Ambuleius, ager. 263.55.
Amelia, opidum. 551.47.
Ameria, municipium & colonia. 634.25. opidum. 551.47.
Ameriola, opidum. 665.22.
Amerinum, caſtellum. 551.48.
Aminei populus. 1172.47.
Amiternum, urbs. 685.11.
Ampſanctus, lacus. 1201.31.
Amyclæ, opidum. 645.12. & 1063.31.
Amyclanum mare. 1064.14.
Amyclanus lacus. 1064.12. ſinus. 1064.14. & 1065.52. & 1066.9.
Anagnia ſeu Anagni, opidum. 106.43. & 981.55.

Anagninum, compitum. 982.46.
Anamanes, ſeu Anamares, gens. 265.26.
Aanes, gens. 264.30.
Anaſſus, amnis & portus. 178.43.
Anaunium, opidum. 106.37.
Ancæ, opidum. 1279.47.
Ancona, colonia. 728.1.
Andes, vicus. 257.45.
Anemo, fluvius. 418.26.
Aneſica, opidum. 204.35.
Angitiæ, lucus vel nemus, opidum. 770.29.
Angulus, opidum. 751.7.
Anicianæ lapicidinæ. 518.8.
Anidus, mons. 76.49.
Animo, fluvius. 418.26.
Anio, amnis. 711.44.
Annæ Perannæ ſeu Perennæ nemus. 869.52.
Annecianum, opidum. 155.1.
Annibalis caſtra, portus. 1179.34. & 1306.22.
Anonium, opidum. 106.37.
Antemnæ, opidum. 663.49.
Antenorea, terra. 153.52.
Antenoridæ, gens. 129.1.
Antiatium navale. 987.50.
Antienſe templum. 987.15.
Antium, opidum. 986.27.
Anxantia, opidum. 770.17.
Anxanum, opidum. 1207.31.
Anxia, opidum. 1279.48.
Anxur, urbs. 1010.7.
Apeneſte, opidum. 1212.35.
Apennini, montes. 35.18.
Apenninus, mons. 28.7.
Aphrodiſium, templum. 977.50.
Apicilia, locus. 186.56.
Apina, opidum. 1220.4.
Apollinares aquæ. 493.38.
Apollinis nemus & fanum. 232.42. templum. 1112. 20. lucus ac templum Soractis. 545.35.
Apollinis Alæi templum. 1313.30.
Apona, tellus. 153.51.
Aponi, fontes. 148.45.
Aponus, amnis, & vicus, & Deus. 153.26.48.55.
Appianum, caſtellum. 121.14.
Appii forum. 1032.57.
Aprilis, lacus. 474.40.
Apruſa, amnis. 605.3.
Apruſtum, opidum. 1281.13.
Apua, opidum. 75.16.
Apuani, Ligures. 74.25.
Apuliæ fines. 1210.20.
Aquæ Ferentinæ caput. 719.40. & 720. 51. lucus. 719.41.
Aqua viva, locus. 527.50.
Aquæ, urbs. 82.44.
Aquæ calidæ. 116.33. & 195.33. & 742.44.
Aquæ calidæ Piſanæ. 465.51.
Aquæ Ferentinæ, opidum. 915.50.
Aquæ Iunonis. 116.35.
Aquæ Statiellæ ſeu Statiellorum. 81.56.
Aquæ Tauri, opidum. 486.26.
Aquæ Volaterranæ. 513.28.
Aquenſes, populus. 82.1.
Aquenſes Taurini. 486.28.
Aquila, opidum. 570.32.
Aquileia ſeu Aquilegia, colonia. 179.29.
Aquileienſes ſeu Aquilegienſes, populus. 179.42.
Aquileienſis portus. 185.56.
Aquileienſis ſinus. 198.29.
Aquilis, fluvius. 1205.40.
Aquilonia, opidum. 1204.16.
Aquinum, opidum. 278.53. colonia & municipium. 1038.47.
Arcanum, locus. 1046.9.
Archippe, opidum. 771.9.
Arciades, an opidi nomen. 1298.22.
Ardea, opidum. 974.42.
Ardeatinus ager. 976.46.
Ardeatinæ aquæ. 977.41.
Ardelica. 258.26.
Ardona, opidum. 1220.9. Ardoneæ. ibid.
Arebrigium, opidum. 98.17.
Aretium, colonia & municipium. 571.9.
Argeades, opidum. 1298.23.
Argentani, populus. 156.17.
Argentanum, opidum. 1317.10.
Argentarius, mons. 479.7.
Argentia, locus. 245.57.
Argentini, populus. 156.17.
Argentinum ſtagnum. 156.13.
Argentum, ſeu Argenta, opidum. 156.16.
Argeſſa, regio. 1.18.
Argos Hippium, opidum. 1213.55.
Argous, portus. 504.22.
Argyrippa, opidum. 1213.55.
Aricini, populus. 420.16.
Aricinus clivus. 931.9.
Arigia, opidum. 920.11.
Ariminus, amnis. 603.31.
Ariminum, colonia. 603.8.
Ariolica, opidum. 98.25. & 258.26.
Armenia, flumen. 485.19.
Arna, opidum. 626.40.
Arnienſis tribus. 550.28.
Arnus, amnis. 461.27. ad Arnum portus. 511.31.
Arocha, amnis. 1306.42.
Arpi, opidum. 1213.56.
Arpinum, municipium & præfectura. 1043.34.
Arretium, colonia & municipium. 571.7.
Arretinum ſtagnum. 156.9.
Arſia, amnis, 213.50. ſilva. 868.20.
Attelica, opidum. 258.26.
Artemiſia ſeu Artemita, inſula. 502.27.
Artena, opidum. 522.39. & 1032.36.
Artenia, caſtellum. 201.18.
Artolica, opidum. 98.25.
Arx, opidum. 1046.23.
Arx & Arces pro montium jugis. 1304.47.
Aſconis foſſa. 398.54.
Aſculum Apulum. 1220.23. Picenum, colonia & municipium. 740.35.
Aternus, amnis. 752.1.
Aſia, opidum. 1320.45.
Aſiſium, municipium. 627.29.
Aſpia, fluvius. 731.38.
Aſta, colonia. 86.8.
Aſtura, flumen & inſula. 992.46.
Atagis, amnis. 124.14. & 140.56.
Atella, municipium & colonia. 1184.32.
Aternum, opidum. 751.26.

Aternus, amnis. 752,1.
Ateſte, colonia. 154.31.
Atheſis, amnis. 139,14.
Athurnus, amnis. 1094,39.
Atina, urbs. 1042,50.
Atinum, opidum. 1254.17.
Atiſo, fluvius. 139.22.
Atrani, opidani. 1281, 7.
Atria, opidum. 135.22.1332.22.
Atrianus, fluvius. 137.38.
Atriaticum mare. 1332.21.
Attidium, opidum. 614.49.
Audena, flumen. 76.3.
Aveia, opidum. 750.24.
Avella, municipium & colonia. 1186.16.
Avens, fluvius. 693.38.
Aventia, flumen. 460.51.
Avernus, antrum & lacus. 152.13. & 1121.44. & 1126.56.
Aveſica, vicus. 204,36.
Aufens, fluvius. 1007.47.
Aufidena, opidum. 1193.46.
Aufidus, fluvius. 1211.29.
Aufina, opidum. 750.29.
Auginus, mons. 76.39.
Auguſta foſſa. 139.3.399.8.
Auguſta Prætoria colonia. 96.38.
Auguſta Taurinorum, opidum. 89.29.
Auguſta Vagiennorum, opidum. 86.56.
Auguſti portus. 500.40.
Auguſti, portus Oſtienſis. 877.14.
Avia, opidum. 750.4.
Auletta, opidum. 1254.20.
Aulon, mons. 1239.5.
Aulonia, opidum. 1304.12.
Aureliani forum. 882.36.
Aurelii forum, opidum. 485.34.
Aurinia, opidum. 515.48.
Aurunci, gens. 1059.35.
Auſar ſeu Auſer, fluvius. 461.32.
Auſones, gens. 1048.9.1059.35. Opici. 41.50.
Auſonium mare. 1298.28. & 1332.49. & 1333.28.
pro Italico. 1331.38.
Auſugum, caſtellum. 120.44.
Auxer, fluvius. 462.24.
Auximum, colonia & municipium. 737.8.
Axia, caſtellum. 521.11.
Axii Appii villa, ad Velinum lacum. 679.23.
in Roſeâ. 679.27.
Axima, opidum. 98.8.

B.

BAcanæ, vel Baccanæ, opidum. 554.29.
Badies, vicus. 742.48.
Bagienni ſeu Bagitenni, Ligures. 87.19.
Bajæ, opidum. 1119.8. portus. 48.
Bajanus lacus. 1124. 1. ſinus. 1126.23.
Balarus, portus. 1294.36.
Bale, nomen corruptum. 1289.3.
Baletium. 1244.36. nomen corruptum. 1250.47.
Baliſta, mons. 77.1.
Balneum regis, opidum. 554.14.
Balzanum, opidum. 121,53.
Bantia, opidum. 1225.37.
Barderate, opidum. 86.27.
Bardo, mons. 77.46.
Bardonis, mons. 294.10.
Barduli, opidum. 1211.25.
Baris, opidum. 1240.29.
Barium, opidum. 1210.41.
Baſta, opidum. 1242.27.
Baſterbini, opidani. 1242.30.
Batia. 684.27.
Batinus, amnis. 736.21.
Batulum, opidum. 1200.33.
Batum, corruptum nomen. 1285.51.
Bauli, villa. 1124.47.
Bavota, opidum. 1251.8.
Bauzanum, caſtellum. 121.52.
Bebius, mons. 1158.4.
Bebiana, villa. 522.27.
Bebriacus vicus. 259.56.
Bedeſis, amnis. 300.57.
Bedriacus vicus. 259.48.
Belunum, opidum. 118.31.
Benacus lacus. 413.44.
Benacenſes, populus. 107.48.
Beneventum, colonia. 258.50. & 1195.40.
Bercetum, opidum. 294.6.
Beregra, opidum. 746.44.
Berga, municipium. 248.18.
Bergamum, municipium. 247.29.
Bergintrum, opidum. 98.10.
Bergomates, gens. 247.17.248.11.
Bergomum, municipium. 247.26.
Bervenees, populus. 118.28.
Beruenſes ſeu Berunenſes populus. 120.1.2.
Berunum, opidum. 119.57.
Beſidiæ, opidum. 1317.4.
Beſidianum, opidum. 1317.6.
Betellus, locus. 258.47.
Betriacum, opidulum. 260.12.
Betriacus, vicus. 259.48.
Bevona, navale Hipponii. 1291.35.
Biligo, caſtellum. 201.33.
Biltio, opidum. 101.32.
Bintimilium, urbs. 65.43.
Biracelum, opidum. 75.52.
Biturgia, opidum. 570,7.
Bituritia, nomen corruptum. 570.23.
Bivona, navale Hipponii. 1291.34.
Blanda, opidum. 1263.3.
Blanduſia, fons. 670.42. & 671.56.
Blera, opidum. 522.47.
Boaceus ſeu Boœceus, fluvius. 173.32.
Boactes, fluvius. 73,29.
Bobium, caſtrum. 293.4.
Bobonia, colonia, & municipium. 283.17.
Bodencus, amnis. 386.50.
Bodincomagum, opidum. 86.35.
Bodincus, amnis. 386.47.
Bœnacus lacus. 414.29.
Bolæ, opidum. 782.35.
Bondelia, opidum. 507.21.
Bononia, colonia & municipium. 283.12.
Bononienſis agri miranda quædam. 278.4.
Boron, fluvius. 73.32.
Bovianum, colonia. 1194.9.
Bovilla, opidum. 917.33.
Bojicus ager, regio. 273.15.

Bra.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Bradanus, fluvius. 1279.6.
Brennus, mons. 412.52.
Brentii, id eſt, Brutii. 1282.11.
Brentonicum, opidum. 107.16.
Bretina, opidum. 107.12.
Brettii, id eſt, Brutii. 1282.10.
Brexillus, colonia. 281.14.
Brigantium ſeu Brigantio, opidum. 93.31.
Brixellum, colonia. 281.4.
Brixentes ſeu Brixente, populus. 115.13.
Brixia, colonia & municipium. 252.33.
Brixianum, caſtellum. 121.13.
Brixientes, populus. 123.9.
Brixillum, colonia. 281.10.
Briximo, opidum. 123.6.
Brinium ſeu Brina, opidum. 76.30.
Broxæ, caſtellum. 201.43.
Brundiſium, Brunduſium, urbs. 1245.1. ſitus eius. 54. conditores. 1246.6. portus. 17. colonia. 29.
Brundulus, portus. 146.42.
Bruſtacia, opidum. 1316.57.
Brutii, populus. 1061.51. horum origo. 1282.10. nomen. 1283.22. fines. 42.
Brutius ager, olim in Magnâ Græciâ. 1322.6.
Brutius ſinus. 1298.42.
Brygeides, inſulæ. 215.25.
Buca, opidum. 1206.55.
Burgium, vicus. 120.26.
Buſta Gallorum, locus. 615.42. & 616.27.
Buthrotus, amnis. 1303.16.
Butrium, opidum. 291.47.
Buxentum, opidum cum portu, flumine & promontorio. 1261.18.
Buxeta, caſtrum. 293.11.
Byrrus, amnis. 141.1.

C.

CÆcina, fluvius. 469.33.
Cæcinum, promontorium. 1301.3. opidum. 1305.16. flumen. 1302.53. & 1305.17.
Cæcubus ager. 1084.2.
Cæditiæ tabernæ. 1083.47.
Cæditius campus. 1083.45.
Cælianum, opidum. 1280.31.
Cælina, opidum & flumen. 166.32.
Cænina, opidum. 664 42.
Cænomani, gens. 250.53.
Cænys, promontorium. 1294.18.
Cære, municipium. 489.23.
Cæretanus, amnis. 494,18.
Cærites ſeu Cæretanæ aquæ. 493.34.
Cæritis, amnis. 494 18.
Cæſaris turris, locus. 1211.6.
Cæſarum villa. 527.11.
Cæſena, opidum. 295.19.
Cæſii forum, opidum. 561 32.
Cæſtus, locus. 234.19.
Cæteronianum, opidum. 75.48.
Caieta, ſinus. 1064.16. promontorium, opidum & portus. 20. villa Ciceronis. 1067.38.
Cajetanus ſinus. 1065.52. & 1066.8.
Calabria, regio. 1227.38. nominis uſurpatio. 45. ſitus. 56.
Calamatius, mons. 1256.54.
Calanicum, opidum. 83.10.
Calaſarna, opidum. 1280.12.
Calatia, colonia. 1180.34.
Cales, colonia. 617.45. 1179.46.
Caletra opidum. 515.46.
Caligulæ pons. 1139.21.
Callicula, mons. 1172.56.
Calliſæ, opidum. 1200.17.
Callipolis, urbs. 1239.13.
Calor, amnis. 1199.52. & 1254.25.
Calpurnii Piſonis villa. 1125.54.
Calucones, populus. 105.30.
Calypſus ſedes. 1307.44. & inſula, falſo circa Lacinium promontorium ſtatuitur. 1309.31.38.53.
Camare, ager. 1272.5.
Camaria, colonia. 613.26.
Camarinum, colonia. 613.10.
Cameliomagus, opidum. 80.52.
Camellaria, opidum. 630.44.
Camera, ager. 1272.5.
Cameria, colonia. 613.26. & 665.22.
Camerinum, colonio. 613.7.
Camers, opidum. 567.19.
Cameſene, Italiæ nomen. 1.18.
Camillomagus, opidum. 80.53.
Cammunii ſeu Camuni, populus. 104.22.
Camœnara nemus. 717.37.
Campani, opidani. 1174.51.
Campaniæ regio & gens. 36. 43. & 1061. 47. & 1087.8. olim in Magnâ Græciâ. 1322.7. illius fines. 1090.6. fertilitas. 45.
Campanus pons. 1178.9. ſinus. 1163.46.
Camuli, populus. 104.31.
Canalicum, opidum. 83,10.
Candianus, fluvius. 306.36.
Canens, locus. 941.2.
Canini campi. 101.48.
Cannæ, vicus. 1220.36.
Cannetum, opidum. 274.25.
Canterius, mons. 22.
Canuſium, opidum. 1221.17. eius emporium. 1222.1.
Capena, opidum. 547.50.
Capraria, inſula. 505.16.
Caprariæ, vicus. 616.57. & 617.52.
Capraſia, inſula. 505.16.
Capraſia, opidum. 1317.40.
Capraſiæ, Padi oſtium. 402.56.
Capraſiarum alveus. 403.57.
Capreæ, inſula. 1168.9.
Capinna, opidum. 549.48.
Capua, urbs, colonia & municipium. 1174.25.
Capulana ſilva. 167.4.
Capulanus ſaltus. 167.4.
Carantiæ, vicus. 233.53.
Carbonaria foſſa, Padi oſtium. 405.32.
Carcantiæ, vicus. 233.52.
Carcinum, promontorium. 1301.3. flumen. 1302.53. & 1305.39. opidum. 1305.40.
Careæ, ſeu Careiæ, opidum. 524.25.
Carfilianum, opidum. 75.50.
Caricium, caſtellum. 1194.2.
Carillæ. 1285.16.
Cariſtum, opidum. 82.55.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Carni, inalpina gens. 169,5.
Carnorum fines. 170, 34.
Carraca, opidum. 107, 27.
Carrea Potentia, opidum. 86,27.
Carſeoli, colonia. 783,48.
Carſula, opidum. 683, 17.
Carſulæ, opidum. 638, 7.
Caruanca, mons. 354,31.
Caſilinum, colonia. 1177,13.
Caſilinus, fluvius. 1177, 42.
Caſinum, colonia & municipium. 1040, 52.
Caſperia, opidum. 676, 1.
Caſperula, opidum. 676,4.
Caſſianum. 1281, 55.
Caſſinum, colonia & municipium. 1040,53.
Caſtellum, opidum. 291, 45.
Caſtrorum inſula. 1307, 38. templum. 1303,28.
Caſtra Prætoria. 913,57.
Caſtrum Inui, opidum. 978, 3.
Caſtrum Novum, opidum. 488, 27. & 736,23.
Caſtrum vetus. 1304, 30.
Caſuentum, flumen. 1277,5.
Caſuentum, opidum. 641, 12.
Caudinæ furcæ. 1196, 7.
Caudium, opidum. 1196, 7.
Caudius Campus. 235, 47.
Caulon, & Caulonia. 1305, 11.
Ceba, opidum. 83,13.
Celeia, opidum. 19, 54.
Celenna, opidum. 1200, 33.
Celina, opidum & flumen. 166,33.
Celtæ, gens. 320, 9.
Cemela, opidum. 67, 12.
Cemenæum ſeu Cemenelio, urbs. 66,16.
Cemenus, mons. 66, 45.
Cenina, opidum. 664,49.
Cenomani, gens. 250, 50. eorum fines. 251,32.
Ceno, navale Antiatium. 987, 51.
Ceneta ſeu Cenitæ, opidum. 164, 13.
Centumcellæ, opidum cum portu. 482, 1.
Cerbalus, amnis. 1211,57.
Cerdonia, opidum. 1202,50.
Cerellæ. 1285,18.
Ceresius, lacus & amnis. 102,8. & 410,7.
Cerfennia, opidum. 770, 6.
Cerilli. 1285, 16.
Cetia, opidum. 1028,54.
Cethæi, populi. 38,10.
Cethim vocabulum in ſacris libris ſignificat Macedonum regnum. 40,10.
Charonea ſcrobs. 1081,50. & 1152,31.
Chinea ſpecula, arx. 253,16.
Chœrades inſulæ, 1325, 26.
Chone, opidum. 1313, 24, 28.
Chone ſeu Chonia, regio. 5,42.
Chones, pars Oenotrorum. 1327,36.
Chonum gens & regio. 1323,44.
Ciceronis villa, Puteolanum, ſeu Academia. 1143, 16.
Cilina, opidum & flumen. 116,33.
Cimbra, caſtellum. 121, 9.
Ciminus, mons. 560, 1. lacus & palus, 560, 1. & 704, 19.
Cincomagus, vicus. 93, 18.
Cingilia, opidum. 752,23.
Cingulum. 735, 45.
Circæum, & Circæa, & Circeii, promontorium, & opidum. 992,45.
Circumpadana regio. 218,9
Cirfennia, opidum. 770,6.
Cirræato, vicus. 1045, 25.
Ciſſa, inſula. 214, 37.
Civitas vetus, pars urbis Ravennæ. 305, 12.
Clampetia, opidum. 1285, 35.
Claſius, fluvius. 701, 15.
Claſſis, pars urbis Ravennæ. 305, 9.
Claſtidium, opidum. 79, 2.
Claterna, opidum. 288, 54.
Claudii forum, opidum. 98, 4. & 525, 1.
Claudius Campus. 235, 50.
Clavenna, opidum. 110, 35.
Clanis, amnis. 703, 34. & 1075, 40. & 1076, 9. & 1098, 32.
Clelia foſſa. 917, 21.
Cleuſis, amnis. 413, 2.
Clibanus, mons. 30, 23. & 1315, 12.
Cliterna, vel Cliternia, opidum. 289, 21. & 1207, 56.
Cliternum, opidum. 785, 51.
Clitumnus, amnis. 701, 20.
Clivus Vrbii. 931, 9.
Clodia foſſa, opidum. 147, 26.
Clodii forum. 291, 6. & 507, 18. & 524, 57. & 525, 1.
Cloſtra Romana, locus. 992, 14.
Cluana, opidum. 733, 35.
Clunia, opidum. 125, 1.
Cluſium, opidum. 566, 1. novum, opidum. 589, 34.
Cluſius, amnis. 413, 8.
Cluſinus lacus. 568, 35.
Cocintum promontorium. 1300, 55.
Cocintum, pro Cæcino opido. 1305, 16.
Colicaria, opidum ſeu vicus, 281, 47.
Collatia, opidum, 662, 12.
Colonia urbana Syllana. 1178, 14.
Coloſſus Tarenti. 1235, 45. Rodis. 46, 50.
Columbaria, inſula. 505, 52.
Columes, collis. 779, 18, 39.
Comacina inſula. 411, 48.
Comacinus ſeu Comacenus lacus. 411, 44.
Comacium, opidum. 155, 54.
Combulterium, opidum. 1198, 52.
Comeliomagus, opidum. 80, 52.
Compſa, colonia. 1198, 53. & 1204, 30.
Comum, colonia, & municipium. 247, 19. 248, 21
novum. 248, 44.
Conche, locus. 965, 13.
Concordia, colonia. 167, 29.
Concordienſis civitas. 168, 9.
Conſentia, urbs. 1317, 54.
Conſilinum. 1304, 31, caſtrum. 1305, 1.
Conſtantia. 1187, 2.
Contenebra, opidum. 521, 16.
Copiæ, urbs Sybaris. 1263, 30. & 1270, 27, 36.
Cora, opidum. 1017, 25.
Corbio, opidum. 780, 14.
Corfinium, opidum. 757, 16.
Coriola, Corioli, opidum. 1027, 7.
Corithus, opidum & mons. 590, 48.
Cormones, caſtellum. 202. 16.
Corne, collis. 779, 17. 27, 49.
Cornelii forum, opidum. 290, 3.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Corniculanum, locus. 406,8.
Corniculi, montes. 661,45.
Corniculum, opidum. 661,52.
Cortona, colonia. 573,5.
Cortuoſa, opidum. 521,15.
Coſa, amnis. 1076,36.
Coſa, colonia. 478,11.
Coſanum promontorium. 479,7.
Coſanus portus. 481,8.
Coſilianum. 1281,54.
Coſta Balenæ, locus. 68,7.
Cottii regnum. 90,9.
Cotuantii, populus. 115,9.
Cotyle, opidum. 687,20.
Cotylia, opidum. 684,28.29. & 687,19.
Crabra aqua. 719,10.
Crater, ſinus. 1163,47.
Crathæis, fluvius. 1294,13.
Cremera flumen. 534,56. & 711,41.
Cremera Caſtellum. 536,52.
Cremona, colonia & municipium. 253,18.
Cremonis jugum. 339,28.
Crepſa, opidum. 216,26.
Crexa, opidum. 216,29.
Crimiſa, promontorium. 1313,15. opidum. 25.
Crimiſus, amnis. 1313,33.
Crixia, urbs. 83,10.
Crotalus, amnis. 1306,47.
Crathis, amnis. 1265,28. unde dictus. 35. natura illius. 55.
Croto, vel Croton, colonia. 573,11. & 1310,48.
Crotonis promontorium. 1307,26.
Cruſtumeria, opidum. 550,8.
Cruſtumerium, opidum. 657,15.
Cruſtumia, opidum. 550,4.
Cruſtumina tribus. 550,4.
Cruſtumio, opidum. 550,4.
Cruſtumium, opidum. 657,48.
Cruſtumius, amnis. 605,48.
Cuculum, opidum. 771,14.
Cultenna, amnis. 417,42.
Cumæ, urbs. 248,27. & 1102,13.
Cumanæ aquæ. 1121,38.
Cumanum Ciceronis. 1143,17.
Cumanus ſinus. 1106,27. & 1163,47,54.
Cumerium, promontorium. 729,47.
Cuneus aureus, mons. 125,30.
Cunarus, mons. 74?,43.
Cupo, ſinus. 1270,38.
Cupra maritima, opidum. 734,10. montana, opidum. 741,33.
Curatiorum trium ſepulcra. 9?6,44.
Cures, urbs. 672,41.
Curia, opidum. 124,35.
Curſena, vicus. 75,41.
Curſula, opidum. 683,1212.
Curſius lacus. 410,8.
Cutiæ ſeu Cuttiæ, opidum. 233,44.
Cutilia, vel Cutiliæ, opidum. 687,17.23. lacus. 688,50.
Cutina, opidum. 752,22.
Cygnus, Ligurum fabuloſus auctor. 47,28.
Cyliſtarnus, amnis. 1273,1.
Cymæ, urbs. 1102,14.
Cyrtonium, colonia. 573,16.

D.

Dalmaticum mare. 1338,28.
Dampetia, nomen corruptum. 1285,44.
Darantaſia, opidum. 98,5.
Dardi, pop. 1220,4.
Daunia, regio. 1208,52.
Decaſtadium, opidum. 1320,37.
Decennovii palus. 1007,13. & fluvius. 33.
Decii forum. 690,10.
Dehebris, Tiberis nomen. 698,53.
De Loriaco vicus. 261,43.
Delphini portus, locus. 71,54.
Dertona, urbs. 81,5.
Dicarchia, opidum. 1137,27.
Dianæ Aricinæ lacus. 921,49.
Dianæ lucus. 139,12. & 982,57. templum. 215,51. & 1179,24. & 1298,6. nemus & templum. 778,42.
Dianæ inſulæ. 215,3.
Dianium, inſula. 502,27.
Dicæarchia, opidum. 1137,26.
Digentia rivus. 671,26. 29.56.
Diomedeæ inſulæ. 1212,43.
Diomedis campi. 1222,49.
Diomedis nemus & templum. 195,20.
Dioscorûm templum. 1303,28. inſula. 1307,37.
Diuguntorum forum, opidum. 248,45.
Dioscurias, promontorium. 1307,38.
Domitianus portus. 481,22.
Domus Conſulum in Albano monte. 908,40.
Donni Regnum. 94,7.
Draconis antrum, locus. 938,1. ſacellum. 1262,50.
Drinium, fluvius. 1206,53.
Druentinorum forum. 295,37.
Duæ fortunæ. 1181,20.
Duplavilis ſeu Duplavelis, vicus. 163,37.
Duriæ, amnes duo, maior & minor. 407,57.
Duriæ, ſeu Durii locus. 233,41.

E.

Ebro partus. 146,42.
Eburi, opidum. 1191,14.
Echetra, urbs. 1031,10.
Edrinus ſeu Edranus, fluvius. 413,20.
Edro, portus. 146,41.
Edrum, opidum. 108,41.
Egeriæ Nimphæ fons. 922,4. 931,53.
Egnatia, opidum. 1210,50.
Elba, inſula. 502,36.
Elea, urbs. 1259,11.
Eleates ſinus. 1260,34.
Electris, inſula. 1282,1.
Elees, amnis. 1260,4.
Eleporus, amnis. 1304,53.
Elpenoris tumulus. 1000,43.
Elorus, amnis. 1304,56.
Emporium, navale Medamæ. 1292,38.
Emporium Piſarum. 466,1. Placentinorum. 267,51.
Empulum, & Empulium, opidum. 962,1.
Entella, amnis. 72,80.

Epopeus, mons. 1166.12.
Eporedia, colonia. 96.50.
Equus Tuticus, opidum. 1202. 13. Magnus. 14.
Eretenus, fluvius. 141,18. 402.6.
Eretum, opidum ſeu vicus. 667.54.
Eridanum, Padi oſtium. 400.48.
Eridanus, fluvius. 386.51.
Eſopis, ſupercilium montis. 1301.30.
Ecetræ. 1031.10.
Etruria, regio. 419.34.44.
Etruriæ Circumpadanæ fines. 433.20.
Etruriæ in XII populos atque principatus diviſio. 434.20.
Etruriæ poſterioris fines. 451.28.
Etruſci, gens. 419.44.
Etruſci, ſummi artifices. 449.9.
Etruſcorum luxuries. 445.30.
Etruſcorum potentia. 438.18.
Eudracinum, opidum. 97.46.
Euganei, gens Alpina. 102.19.
Eupilis, lacus. 410.33.
Euploea, inſula. 1167.54.
Eurotas, fluvius. 1238.29.

F.

FAbaris, amnis. 707.43.
Fabrateria, colonia. 1038.1.
Fæſulæ, colonia & municipium. 509.9.
Fagitana, caſtellum ſeu vicus. 221.17.
Falacrinus vicus. 689.49.
Falaria, opidum. 739.42.
Faleria, portus. 475.35.
Faleria, opidum. 739,38,42.
Faleriona, opidum. 739,38.42.
Falerii, colonia & coloni. 537,20.24.& 542.25.
Falernus, mons. 1172. 8. ager. 14.
Faleſia portus. 475.35.
Faliſcum, colonia. 537.29.
Fanus, colonia. 606.14.
Fanum Martis. 92.26.
Fanum Martis, opidum. 507.44.
Farfarus, amnis. 707.43.
Faſcenium, opidum. 550.36.
Fauces Adriatici maris. 1336.24. Pœninarum Alpium. 340.54.
Faventia, opidum. 289.38.
Faveria, opidum. 213.45.
Fauni oraculum. 717.35.
Favonia, opidum. 631.3.
Fauſtianus ager. 1172.36.
Febra, inſula. 1282.1.
Felſina, opidum. 283.50.
Feltria, opidum. 116,37.
Feratrus, mons. 622.31.
Feratus, mons. 622.31.
Ferentia, municipium. 562.48.
Ferentinum, vel Ferentium, opidum & municipium. 562.48. & 949.21. & 720.50. & 983.32. & 1225.25.
Feretrus, mons. 622.27.
Feriæ Latinæ in Albano monte. 906.22.
Feritor, fluvius. 72.3.
Feronia, opidum. 460.7. & 547.50. eius lucus, fons & templum. 1011.33.
Feſcennia, opidum. 550.34.
Fibrenus, amnis. 1045.46. & 1076.37.
Ficeliæ, opidum. 661.5.
Ficoclæ, locus. 308.30.
Ficolea, opidum. 660.14.
Ficana, opidum. 940.13.
Ficulea, opidum. 660.14.
Ficuclæ, locus. 380.30.
Fidenæ, urbs. 654.17.
Fidentia ſeu Fidentiola. 268.57.
Iulia. 269.21.
Figlinæ, locus. 70.33.
Fiſcellus, mons. 692.29.
Firmanorum caſtellum, navale. 733.20.
Firmum Picenum, colonia. 733.3.
Flaminii forum, opidum. 631.11.
Flamonia, opidum. 167.22.
Flanaticus ſinus. 216.53.
Flanonenſis inſula. 217.5.
Flavinium, opidum. 551.29.
Florentia, municipium. 507.55.
Fluentia, urbs. 508.20.
Fluſor, amnis. 733.30.
Fons mirandæ naturæ. 249.33. & 546.1.
Forenſes, populus. 908.24.
Forentum, opidum. 1225.33.
Formiæ, municipium. 1068.11.
Formiani colles. 1074.20.
Formianum, villa *Ciceronis*. 1067.38.
Formio, amnis. 198.31.
Foronianum ſeu Foronovanum caſtrum. 293. 19.
Fortuna equeſtris. 989.32.
Fortunæ fanum, colonia. 606.8.
Fortunæ fanum. 780.11.
Fortunæ Muliebris templum. 946. 19. Primigeniæ. 953.45.
Fortunæ, ſorores. 989.43.
Fortunæ, ſeu Fortunarum templum & ſortes. 989. 27.
Foruli, vicus. 691.5.
Fregdiacus, vicus. 260.4.
Fregella, Fregellæ, opidum. 1035, 33.34.
Fregellanum, locus. 1035.31.
Fregenæ, colonia. 498.13.
Frentani, gens. 1061.45. & 1205.41.
Frento, fluvius. 1207.22. & 1213.16.
Freſilia, opidum. 771.26.
Frigidus, fluvius. 19.56. & 188.33. & 246.3.
Friniates, Ligures. 77.51.
Fruſino, opidum. 1034.35.
Fruſtemæ, locus. 690.55.
Fuinus, lacus. 762.38.
Fugitivum fanum, opidum. 636.6.
Fulcinium, vel Fulginium, opidum. 628. 34. 40.
Fulſulæ, opidum. 1198.53.
Fulvium forum, opidum. 86.17.
Fulvius Frigidus, amnis. 410.30.
Fundanus, lacus. 1084.3.
Fundi, municipium & colonia. 1084.2.
Furconia, opidum. 686.35.
Furcus, lacus. 762.43.

G.

GAbii, opidum. 954.34.
Gadao, vicus. 93.31.
Galæſus, fluvius. 1238, 27.
Galbæ imperatoris villa, 1011. 6.
Galeſus, fluvius. 1238.27.
Galigata, vicus. 301.28. & 623.51.
Gallia Ciſalpina, ſeu Citerior. 21. 4. & 217.33. illius fines. 220.50. Circumpadana. 218.8. Ciſpadana. 219.1. Italica. 21.4. Gallica Circumpadana. ibid. Togata, 218.21.
Gallicus ager. 315.3.
Gallicus Romanus, ager. 315.36.
Gallinaria, inſula. 73.44. ſilva. 1101. 42.
Gallorum forum. 284.31.
Gallorum ex Transalpinâ Galliâ in Italiam quæ gentes transierint. 223.30.
Gallorum in Italiâ quales fuerint primæ habitationes. 229.26.
Gallorum, opidum. 198.52.
Gallus, torrens. 1223.26.
Garantiæ, vicus. 233.53.
Garda, opidum. 107.7.
Garganus, mons. 1212.18.
Gargani lacus. 1213.15.
Garnæ, portus. 1212.33.
Garuli, Ligures. 77.43.
Gaumellum, opidum. 233.23.
Gaurus, mons. 1142.9.
Gedao, vicus. 93.31.
Gellus, vel Gelus, torrens. 1223 26.27.
Genua, urbs. 70.50.
Gerio, opidum. 1213.19.
Geronium, opidum. 1213.20.
Gerræ, gens. 114.18.
Gerunium, opidum. 1213.19.
Gergonis templum cum oraculo. 151.48.
Gorgon, inſula. 505.42.
Gortynia, regio. 999 50.
Glanis, vel Glanius amnis. 703.37. & 1075.40. & 1076.9. & 1098, 32.33.
Glemona, caſtellum. 201.18.
Gradus, opidum. 185.56.
Græci in Italiâ primi, qui. 1323.39. Oenotri. 1327. 40. à quo deducti. 42.
Græcia Magna, pro fronte Italiæ. 1298. 25. Græciæ ora, pro eâdem. 26.
Græciæ Magnæ nomine tota Italia comprehenſa. 1322.55. & 1323.9.
Græciæ Magnæ termini. 1321.13.
Græcos, locus. 571.4.
Graii, populus. 94.9.
Graius, mons. 339.16.
Graviſcæ, colonia. 483.46.
Grumentum, opidum. 1279.30.
Gurgures, montes. 693.16.

H.

HAdra, fluvius. 416.27.
Hadria, fluvius. 137.38. opidum. 135.22. colonia. 746.54. mare. 1332.9.
Hadriacum mare. 1332.17.
Hadriani imperatoris villa. 965.5.
Hadriani, populus. 743.33.
Hadrianum, opidum. 139.6.
Hadrianus ager. 743.34. vicus, 405.57.
Hadrianum mare. 1332.10.
Hales, amnis. 1260.3.
Halex, amnis. 1302.53.
Hannibal quo itinere Alpes transierit. 363.24.
Hannibalis caſtra. 1179.34. & 1306.22.
Haſdrubal, frater Hannibalis, quo itinere Alpeis transſcenderit. 383.11.
Haſta, opidum. 70.24. & 478.1.
Hedriacus, vicus. 260.3.
Hela, urbs. 1259.11.
Helees, amnis. 1260 3.
Helia, urbs. 1259.10.
Helvillum, opidum. 617.43.
Helvinum, flumen. 736.16.
Hemona, opidum. 19.30.
Heneti, gens. 125.48.
Herbanum, opidum. 553.27.
Heraclea, opidum. 1273. 25. eius antiqua nomina. 40.
Heracleenſium navale, Siris. 1273, 9.30.
Heraclium, id eſt, Siris, opidum. 1273.10.
Hercates, Ligures. 77.44.
Herculanea via. 152.22. & 1122.23.
Herculanenſes ſalinæ. 1155.56.
Herculaneum, ſeu Herculanium, opidum. 1154. 16. opidum aliud. 1198.48.
Herculea via. 1122.23.
Herculis fanum, opidum. 461.17. portus. 478. 19. & 1292.7. promontorium. 1300.37.
Herculis Labronis ſeu Liburni portus & fanum. 468.15. Monœci, portus. 62.42. Tiburtini templum, & lacus. 962.20. & 963.21. & 964.19.
Herdonia, opidum. 1202.49.
Hernici, populus. 979.7. & 1061.41.
Heſperia. 2.41.
Hetriculum, opidum. 1317.10.
Hetruria, regio. 419 46.
Hetruſci, gens. 419.46.
Hetruſcum mare. 1331.43.
Himella, flumen. 707.31.
Hipponiates ſinus. 1291.52.
Hipponium, colonia, & municipium. 1290. 48.
Hipporum, nomen corruptum. 1320.43.
Hirpii, populus. 546.51. & 547.13.
Hirpini, gens. 1061.49. & 1199.21.
Hiſpellum, colonia. 627.55.
Hiſtonium, opidum. 1206.39.
Hiſtria, regio. 204.52. unde dicta. 205.8.
Hiſtri, gens. 204.51. illorum origo. 209.7.
Horatiorum campus. 910.5. duorum ſepulcra, 916.44.
Horta, opidum. 553.16.
Hortanum, opidum. 553.8.
Hortenſii villa. 1125.20.
Hortona, opidum. 968.29.
Hoſtia, urbs. 874.7.
Hoſtilia, vicus. 116.42. & 254, 49. & 257.53.
Hudrentum, opidum. 1242.50.
Humatia, fluvius. 412.21.

Hurium,

Hurium, opidum. 1212.40.
Hydrûs, Hydruntum, opidum & portus. 1242. 35.
Hyela, urbs. 1259.11. Oenotriæ terræ. 1327.51.
Hylia, fluvius. 1313.55.
Hyporum. 1320.41.
Hypporum, nomen corruptum. 1320.39.
Hyria, opidum. 1246.47.

I.

IAbonia amnis. 72.34.
Iapidia, regio. 175.27.
Ianiculum, pars urbis Romæ antiquiſſima. 847. 50.
Ianua, urbs. 70.55.
Iapygia, regio. 1208. 20. illius & veteris Italiæ terminus. 1325.17.
Iapygium, promontorium. 24. 45. & 1239. 40.
Iapygum promontoria. 1306.50.
Ibiligo, vel Ibligo, caſtellum. 201.32.
Ietimulorum vicus. 232.34.
Idex, fluvius. 418.11.
Ideonni Regnum. 93.42.
Igilium, inſula. 502.1.
Iginium, inſula. 502.25.
Iguvium, opidum. 624.40.
Ilba, inſula. 502.32.
Ilionenſes, opidani. 899.54.
Illyricum mare. 1338.27.
Ilva, inſula. 502.32.
Ilvates, populus. 78.21.
Imæus, vel Imeus, mons, opidum. 769.57.
In Alpe ſumma ſeu maritima, locus. 66.39.
Inarime, inſula. 1164.35.
Incitaria ſtatio ſeu portus. 481.20.
Indigetis Patris, id eſt, Iovis, lucus. 895.15.
Induſtria, opidum. 86.34.
Inferum mare. 1331. 41. illius limites. 1332.34.
Ingaunum, opidum. 67.34.
In Portu, locus. 511.31.
Inſubres, gens. 237.8. eorum fines. 238.10.
Inſulæ Etruſci litoris. 501.21.
Inſula fluctuans. 278.41.
Inſula Rheni Bononienſis, in qua Triumviratus inter Octavium & Antonium Lepidumque conſtitutus. 286.53.
Inſula Sacra. 879.21.
Interamna vel Interamnia, & Interamnum vel Interamnium, ad Larem, municipium. 635.3. Præputianum, opidum. 745.57. & 746.16. aliud. 1317.36. Lirinas. 1039.26. Succuſanum. 1040.10.
Interocrea. 686.50.
Interocrium, vicus. 686.50.
Inter Promium, vicus. 754.22.
Ionii maris termini. 1333.31. & 1335.1. & 1338.23.
Ionius ſinus. 1334.25. huius & Adriatici maris diſcrimen. 1336. 24. & 1338.34. unde dictus. 1336.41.
Iovis Apennini templum. 626.17. Clitumni templum & nemus. 632.32. & 701.49. Indigetis lucus. 895. 18. Latialis templum. 907.32. Paleni. 759. 10. Tifatini. 1179.33.
Iovis villa. 1169.5. Coloſſus, Tarenti, 1235.45. Rhodis. 1235.46.50.
Iovis mons. 28.20. & 341.41.
Ira, vel Iria, opidum & flumen. 80.9. & 416.3.
Is, amnis. 1259.7.
Iſapis, fluvius. 300.39.
Iſcia, inſula. 1260.20.
Iſſa, inſula. 683.5.
Iſtri, gens. 204.54.
Iſtria, regio. 204.55.
Itali imperium, quouſque extenſum. 1327.32.
Italia. 10. 42. & 790. 40. quando Oenotria vocata. 1327.38. tota ſub Magnæ Græciæ nomine. 1322.55. & 1323.9. Italia Subalpina. 217. 54. Gallica. 218. 17. Transpadana. 219.2.
Italiæ varia nomina. 1. 12. fines. 16. 17. magnitudo, figura ac ſitus. 21. 50. longitudo. 24. 57. latitudo. 25. 48. ambitus. 26. 39. medium. 27. 11. ſitus univerſus. 27. 21. umbilicus. 689.42. frons. 1298,15.26. incolæ, an Cethim adpellentur in ſacris libris. 37. 55. Antiquiſſimæ gentes quæ. 41. 20. Tres populi indigenæ. 41. 50. gentium varius ſermo. 42.1. univerſæ in varia Gentium nomina diſtributio. 43. 50. populorum alii dicebantur Itali, alii Italici. 45. 6. univerſæ populi Apennino diſtincti in Supernates, & Infernates. 45.45.
Italiæ veteris & Iapygiæ terminus. 1325.17.
Italicum mare. 1331.34.
Ithaceſiæ inſulæ. 1291.56.
Iuguntorum forum, opidum. 243.45.
Iulia concordia, opidum. 168.7.
Iulia Dertona, urbs. 81.26.
Iulia Fidentia, opidum. 269.21.
Iuliana turris, locus. 1211.6.11.
Iulii Cæſaris & Cn. Pompeii Magni villa. 1126. 3.
Iulii ſeu Iulium forum. 201.46.
Iulium Carnicum, opidum. 200.48.
Iulius portus. 1136.9.
Iunonis aquæ & fontes. 117.34.35.
Iunonis Argivæ lucus & templum. 139.11. & 1191. 7. & 1254. 51.
Iunonis Faliſcæ fanum. 545.27.6.
Iunonis Laciniæ templum. 1309.57.
Iunonis Monetæ ædes. 908. 11.
Iunonis Soſpitæ lucus & templum. 937.1.
Iuſtinopolis, urbs. 210.57.
Iutuntorum forum, opidum. 243.45.
Iuturnæ fons, lacus & amnis. 721.5.

L.

LAbanæ aquæ. 667.44.
Labici. 948.12.
Labicum, opidum. 947.40.
Labonia, amnis. 72.34.
Labro, portus. 468.18.

Labu-

Labula. 1314.42.
Labyrinthus Perſenæ regis apud Cluſium. 567. 43.
Lacinium promontorium. 23.20. & 1307. 3.
Lacinii ſinus, pro Tarentino. 1307.33.
Lactarius mons. 1160.43.
Lævi, gens. 231,9.235,52.
Lagaria, opidum & caſtellum. 1272.10.
Lai, gens. 231.8.
Lamber, fluvius. 246.5.& 410.11.
Lambula. 1314.40.
Lametia, opidum. 1289.9.
Lametinus ſinus. 1290.8.
Lametus, opidum. 1289.9.& amnis.28.
Lampe, opidum. 1215.55.
Lampetes, promontorium. 1289.45.
Lampetia, opidum. 1289.8.
Lana Canuſina, Pollentina, Tarentina. 56.54. & 85.16,18.
Langaria, opidum & caſtellum. 1272.10.
Lanuvium, colonia & municipium. 935.25.
Lapicini, Ligures. 77.44.
Lapidaria, locus. 125.15.
Larinum, opidum. 1207.41.
Latis, amnis. 1259.7.
Larius, lacus. 411.1.
Laſtrigonia, urbs. 1073.10.
Latina lingva origine Græca. 811.20.
Latini, gens. 797.52. Aboriginum novum nomen. 1328.12.
Latium, regio. 14.30. & 797.8. Vetus & Novum. 816.48.
Latymnus, mons. 1312.33.
Laudenſes Pompeiani, opidani. 243.32.
Lavicani, opidani. 948.13.
Lavinium flumen. 287.19. opidum. 882,45. 889,12.
Lavinienſes, vel Lavinii Ilionenſes, opidani. 899.54.
Laumellum, opidum. 233.20.
Laum, opidum & flumen. 1262.18. & ſinus. 48.
Laurens ager. 882.42.
Laurentia palus. 886.41.
Laurentum, opidum. 882.41.
Lauretanus, portus. 476.31.
Lauretina ſilva. 884.55.
Laurolavinium, opidum. 887.28.
Laus, urbs. 243.6.
Laus Nova, municipium. 243.23.
Laus Pompeia municipium. 242.13.
Lautulæ, locus. 1012.50.
Labecii, Lebici, Levici, gens. 231.13.
Leboriæ, ſive Leborinus campus. 1145.11.17.
Lepidi forum. 276.2.
Lepinus, mons. 1020 33.
Lepontii, gens. 98.34.
Letus, mons. 77.40.
Leuca, opidum & portus. 1241.55.
Leucogæi colles atque fontes. 1146.33.
Leucopetra, promontorium. 23.21. & 1299.32.
Leucoſiæ promontorium, inſula, ſeu petra. 1258. 8. & 1259.3.
Levi, gens. 231.11.
Leuternia, id eſt, Siris, opidum. 1273, 9.52. & 1275.26.
Libanus Almæ Veneris. 879.22.
Libarna, ſeu Libarnum, opidum. 81.44. & 234. 39.
Libero, opidum. 234.36.
Libitii, Libicii, Libici, gens. 231.13. fines. 232. 11.
Liburni à Sabinis ejecti. 647.58. antiquiſſimi coloni. 648.23. in Piceno quondam. 727. 10.
Liburnum, portus. 468.16.
Liciniforum, vel Licinii forum, opidum. 249. 44.& 250.1. locus. 291.6.
Ligea, inſula. 1287.49. & 1288.34.
Ligures, populus. 46.8. unde dicti. 46.22. eorum nomen Ambrones. 47.20. Cygnus, eorum fabuloſus auctor & origo. 47.28. eorum quæ vera origo. 49.5. eorum ingenium ac mores. 52.15.
Ligurus in varia genera ac civitates diſtincti. 59.4.
Liguriæ univerſæ fines. 54.8. & 58.18.
Liguſticum mare. 1332.26.
illius fines. 32.
Limon, inſula. 1167.57.
Lingones, gens. 271.20.
Liquentia, amnis & portus. 165,29.34.
Liquentiæ pons, locus. 166.54.
Liris, amnis. 1075.40.
Liſſa, opidum. 684,28.35.
Litacum, opidum. 123.41.
Litana ſilva. 294.16.
Literninæ paludes. 1101.16.
Liternum, opidum. 1097.55.
Littamum, opidum. 1.3.40.
Lituates, populus. 78.23.
Litubium, opidum. 78.43.
Litus Venetum. 144.33.
Livii forum, opidum. 295.3.
Locanus, fluvius. 1304.1.
Locrenſis ſinus. 1298.41.
Locri Epizephyrii, urbs. 1301.6.
Locrius fons. 1301.29.
Locrorum portus. 1301.33.
Longula, opidum. 1028.7.
Loracina, fluvius. 987.56.
Loretanus portus. 476.31.
Lorium, ſeu Lorii, villa. 521.48.
Lothronus, amnis. 1094,22.28.
Luca, colonia & municipium. 506.15.
Lucani, gens. 1061.46. & 1251.40. huius genus & origo. 46. termini. 1252.23, nominis origo. 1253.23.
Lucania, regio. 1251.42. olim in Magnâ Græciâ. 1322.6.
Lucenſes, populus. 506.45.
Luceria, opidum. 281.29. Apula. 1213.19.
Luceferonia, opidum. 460.32.
Lucretilis, vel Lucretius, mons. 671. 4.17.40.
Lucrinus lacus. 152.20. & 1121.44.
Lucullanum caſtellum. 1151.57.
Luculli villa, & piſcina. 1118.12. & 1126.11. & 1151.24.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Lucus, opidum. 770.21.
Lucus, fluvius. 72.46.
Lucus Bormanni. 68.7.
Lucus Egeriæ. 931.23.
Lumo, locus. 67.20.
Luna, opidum cum portu. 56.1. & 455.46.
Lunæ promontorium. 456.44.
Lupia, vel Luppia, ſtatio. 1243.57. & 1244.1.

M.

MAcra, fluvius. 73.2.
Macri Campi, regio & opidum. 280.13.
Mænaria, inſula. 505.49.
Mæſia ſilva. 537.4.
Magia, opidum. 125.4.
Magnus Padus. 400.43.
Maletum, opidum. 107.10.
Maleventum. 1195.40.
Malitioſa ſilva. 669.35.
Mamertium, urbs. 1320.18.
Man, primus conditor Auſonum. 4.22.
Mandela, pagus. 671.56.
Manduriæ, opidum. 1250.18.
Manliana, opidum. 476.439. & 569.38.
Manlii Vopiſci villa Tiburtina. 963.23.
Mantua, colonia. 254.42.
Marcalla, amnis. 73.9.
Marci fanum. 1244.56.
Marcina, opidum. 1190.45.
Marcius, collis. 1026.22.
Mariæ Virginis fanum. 1242.9.
Marianum, opidum. 178.56.
Maricæ lucus ſive nemus. & templum. 1076.40. & 1077.22.
Marici, gens. 236.1.
Marii villa. 1117.52.
Marmor Lunenſe; quod & Liguſticum. 459.29.
Marrubium, opidum. 769.31.
Marrucini, populus. 752.16. & 1061.40.
Marruvium, opidum. 769.31.
Marſi, populus. 759.43. & 1061.41.
Marta, fluvius. 483.38. & 559.25.
Martanum vicus ſeu locus. 483.40.
Martis fanum, locus. 92.26.
Martis lucus. 658.50.
Martius campus. 864.51. in eo navalia. 866.46.
Maruvium, opidum. 683.5.
Mas, primus conditor Auſonum. 4.22.
Maſſa Veternenſis, opidum. 513.41.
Maſſicus mons. 1171.21.
Mataurum, flumen. 607.36.
Maternum, opidum. 107.54. & 517.9.
Matilica, municipium. 613.1.
Matreium, opidum. 122.41.
Matrinium, opidum. 735.54.
Matrinus, amnis. 735.48.
Matrini vicus. 559.50.
Matrona, mons. 93.9.
Mauricii, portus. 67.29.
Medama, opidum. 1292.22.
Media Provincia. 219.35.
Medicia, opidum. 246.9.
Mediolanum ſeu Mediolanium, municipium. 240.29.
Mediolanenſes, populus. 240.59.
Medma, & corruptè Medna, opidum. 1292.22.24.
Medoaci vel Meduaci duo, minor & maior, amnes. 144.3. & 145.52.
Meduacus, portus. 146.25.
Medullia, opidum. 665.22.
Meſula, opidum. 684.12.
Megales, Sabinorum primus haruſpicinæ doctor, ſecundùm Solinum, an Tages vel Tarchon Etruſcorum. 642.1.
Megalia, inſula. 1167.47.
Megaris, inſula. 1167.43.
Mela, fluvius. 412.34.
Melfes, amnis. 1076.37. & 1261.14.
Men, primus conditor Auſonum. 4.22.
Menaria, inſula. 505.49.
Mendicolcus, vicus. 1281.46.
Menturna, colonia. 1074.45.
Mephitis, templum. 1202.3.
Merula, amnis. 67.47.
Meſa, amnis. 100.14.
Meſiates, populus. 100.13.
Meſma, opidum. 1292.23.
Meſſanica foſſa. 400.8.
Meſſanicus Padus. 400.23.
Meſſapi, Salentini dicti. 1228.36.
Meſſapia, regio. 1208.53. & 1227.36. Meſſapia unde adpellata. 1209.19. & 1228, 16.32.
Meſſapia, Calabria dicta. 1227.38.
Metabum, vel Metapontum, urbs. 1277.28.29.
Metaurus, amnis & opidum. 607.10. & 1292.17.
Mevania, opidum. 628.56.
Mevaniola, opidum. 623.45. & 630.21.
Milonia, opidum. 771.24. & 772, 10.19.
Miivius, pons. 525.49.
Mincius, amnis. 413.22.
Minervæ promontorium. 1162.33. & templum, 1163.2. templum vel caſtrum. 1240.52.
Minervium, opidum. 1240.53.
Minio, amnis. 483.14.
Minturnæ, colonia. 1074.29.
Minturnenſes paludes. 1076.38.
Mirandula, opidum. 283.7.
Miſeo, amnis. 731.33.
Miſenum, opidum. 1117.27.
Miſenum promontorium. 1115.20.
Miſenus portus. 1116.50.
Miſio, amnis. 731.33.
Miſtia, opidum. 1305.4.
Miſus, fluvius. 611.19.
Mœla, fluvius. 412.34.
Moguntiacum, opidum. 246.24.
Monadi, populus. 1220.4.
Monilia ſeu Monelia, locus. 72.6.
Mons Carbonarius, locus. 785.19.
Mons Grani, locus. 785.19.
Mons Iovis. 341.41.

Mons

Mons Pellius, caſtrum. 293.18.
Mons Silicis, opidum. 156.19.
Mucia prata. 866.51.
Mucialla vallis. 511.7.
Mucræ, opidum. 1200.31.
Mugiella vallis. 510.50.
Mulvius, pons. 525.49.
Munio, amnis. 483.16.
Muranum, opidum. 1317.15.
Murus, caſtellum. 110.46.
Muſarum nemus. 717.37.
Mutela, mons. 693.28.
Mutila, opidum. 213.45.
Mutilum, caſtellum. 266.54.279.42.
Mutina, colonia. 277.28.
Mutinenſis agri miranda quædam. 278.4.
Myſtia, opidum. 1305.4.

N.

NAr, amnis. 704.51.
Narnia, colonia. 636.10.
Natiolum, opidum. 1211.28.
Natiſo, amnis. 183.44.
Natiſonis pons. 183.50. portus. 183.5.
Navalia, opidum. 70.36.
Navaria, municipium. 236.16.
Naulum, opidum. 70.37.
Navo, portus. 64.7.
Neæthum, fluvius. 1210.5.& 1312.39.
Neapolis, urbs. 1146. 49. illius portus. 1150. 10.
Neapolitana crypta. 1150.51.
Nedinates, populus. 202.32.
Nemaſum, caſtellum. 201.25.
Neminia, fons. 685.11.
Nemus, opidum. 923.15.
Nemus Annæ Perannæ ſeu Perennæ. 869.52. Aricinum, opidum. 921.47. Dianæ Tauricæ, opidum. 921.46. Egeriæ. 931.23.
Nepa, Nepe, Nepet, Nepeta, Nepete, Nepetus, Nepi, vel Nepis, vel Nepita, opidum. 529. 7. 8. 14.15.16.25.
Neptuniæ aquæ. 1012.36.
Neptunia, opidum. 1255.11.
Neptunius fons. 1012.33.
Neptunium, columna. 1295.5.
Nequinum, opidum. 636.15.
Neretum, vel Neritum, opidum. 1250.12.
Neroniana vel Neronis foſſa. 406. 4. & 1086. 25. piſcina. 151. 40. & 1118.26.
Nerveſia, vicus. 786.9.
Neſactium, opidum. 213.22.
Neſis, inſula. 1167.25.
Neſpetus, corruptum nomen opidi. 529.25.
Nicæa, amnis. 61.24.
Nicia, vel Nigella, fluvius. 416.48.49.
Ningum, opidum. 211.12.
Nodinus, fluvius. 719.5.
Nola, municipium & colonia. 1185.34.
Nomentum, opidum. 666.23.
Norba, opidum. 1018.54.
Noreia, opidum. 203.35.
Norici dicti à Noreiâ. 205. 52.
Notium mare. 1331.43. & 1332.28.
Novæ Athenæ, municipium. 242. 3.
Novana, opidum. 741. 43.
Novaria, municipium. 236. 12. flumen. 409. 45.
Novem pagi præfecturæ Claudiæ. 525. 31.
Novum Comum, municipium. 248. 44.
Novum forum. 293. 22. & 693. 56. & 1202. 35.
Novus vicus. 694. 24.
Nuceria, opidum. 281. 24. Alfaterna. 1186. 16.
Numana, municipium. 730.32.
Numentum, opidum. 667. 52.
Numeſtrum. 1319. 2.
Numicius, amnis. 893. 41.
Numiſtro. 1319. 3.
Nurſæ, opidum. 785.56.
Nurſia, opidum. 691. 55.
Nymphæus, amnis. 992. 6.

O.

OBſci, gens. 1059. 36.
Ocelum, opidum. 92. 40.
Ocinarus, amnis. 1288. 37.
Ocra, mons. 173. 18. & 353.29.
Ocriculum, municipium. 639.42.
Odruntum, opidum. 1243. 25.
Oecubaria, caſtellum. 284. 19.
Oenotri, Aborigines dicti. 649. 20. ipſorum gens. 1325. 30. regum regia. 1327. 39. 44. fines. 1327. 51.
Oenotria, regio. 5.8.& 796.42.
Oenotrides, inſulæ. 1260.15.
Oeteſia, opidum. 283. 4.
Oglaſa, inſula. 505. 14.
Ogygiæ inſulæ falſa poſt Lacinium promontorium deſcriptio. 1307. 44. & 1309. 31. 38. 53.
Olanæ, fluvius & Padi oſtium. 402. 54.
Olivula, portus. 64.6.
Olliculum, opidum. 970. 4.
Ollius, fluvius. 412.25.
Opici, gens. 1059. 35. Auſones. 41. 50.
Opitergium, opidum. 164.35.
Opinum, opidum. 1279.51. & 1280.34.
Opſci, gens. 1059. 36.
Orbitanium. 1198. 53.
Orcus, fluvius. 409. 13.
Oreſtis portus. 1293. 38.
Orgus, fluvius. 409. 10.
Orobij, gens. 246.35.
Ortona, opidum. 1206.23.
Orvinium. 684. 12.
Oſa, amnis. 478.3.
Oſci, gens. 1059. 36.
Oſcela, opidum. 100.36.
Oſopum, ſeu Oſopium, caſtellum. 201.14.
Oſtia, colonia. 870. 53.
Oſtia, & Oſtia Aterni, opidum. 751. 45. & 51.
Oſtienſis lacus. 882. 19.
Oſtra, opidum. 620.26.
Oſupum, caſtellum. 281. 14.
Oteſia, opidum. 282. 35.

Oufens, & Oufentina, fluvius. 1007. 39.41.
Ovidii horti. 525.33.
Ovidii pagi. 525.35.

P.

PActium flumen. 1244.46.
Padinates, populus. 282.30.
Padinum, opidum. 282 29.
Paduſa, Padi oſtium. 400.22.
Padus, amnis. 62. 29. & 386. 44. illius oſtia. 395. 51.
Padus, rex fluviorum. 406.28.
Pæſtanus ſinus. 1257.46.& 1258.9.
Pæſtum, opidum. 1255.11.
Pagi & vici differentia. 672.1.
Palæpolis, opidum. 1152.48.
Palantium, pars urbis Romæ antiquiſſima. 847.49.
Palatium, locus. 123.19. & 151.50.
Palenus, mons. 759.14.
Palinurum, promontorium. 1260. 38. opidulum, & portus. 1261.10.
Pallantium, opidum. 680.22.
Pallia, amnis. 704.40.
Palmaria, inſula. 1014.56.
Palmenſis ager. 745.27.
Palumbinum, opidum. 1198.48.
Pandoſia, opidum. 1318. 1. Lucanorum urbs cur à Theopompo dicta. 1318.51.
Pandoſia Oenotriæ regum regia. 1327. 39. 44.
Pannonicæ Alpes. 381.25.
Papia, municipium. 236.21.
Papinus, mons. 281.2.
Papirianæ foſſæ, opidum. 460.56.
Parentium, opidum cum portu. 211.4.
Parma, colonia. 273.32.
Parma, fluvius. 416.44.
Parmenſes, ſeu Parmani, populi. 273.36.
Partheniæ, vel Partheniatæ. 1229. 37. & 1230.33. & 1231.4. Parthenidæ. 1237. 40.
Pathenius portus. 1292.1.
Parthenope, Neapolis nomen. 1146.49.
Paſſaris vel Paſſeris aquæ. 561.50.
Patavinæ aquæ. 148.42.
Patavini fontes. 148.43.
Patavini, populus. 145.52.
Patavium, urbs. 142.40.
Paternum. 1315.8.
Patris Indigetis, hoc eſt, Iovis, lucus. 895.15.
Paulo, fluvius. 62.17.
Pauſilypum, villa Vedii Pollionis. 1150.32.
Pauſula, opidum. 741.20.
Peda, Pedum, opidum. 965.15.16.
Pelaſgi, gens. 1328. 17. quo tempore in Italiam venerint. 1330.34.
Peligni, gens. 754.34. & 1061.40.
Peltuinum, opidum. 750.33.
Pennina vallis. 343. 16.
Perga. 999.49.
Pergamum, municipium. 247.30.
Peripolium, opidum. 1303.19.
Perſiceta, caſtrum. 293.13.
Peruſia, colonia & municipium. 575.57.
Peruſinus lacus. 568.43. & 578.41. & 588.34.
Petelini montes. 1317.54.
Petellia. 1315.45.49.
Petra pertuſa, locus. 618.48.
Petra ſangvinis. 1314.40.
Petrinus, mons. 1082. 32.
Petronia, amnis. 718. 1.
Peucetia, regio. 1208.54.
Peucetiorum gens. 1325.30.
Phalacrinæ, vicus. 690. 4.
Phalerum, Neapolis nomen. 1146. 50.
Phari, portus. 878. 5.
Pharos, inſula. 1169.13.
Pharos, Puteolanus portus. 1139. 15.
Pharus ad portum Ravennatium. 307.6.
Philiſtina foſſa, ſeu Philiſtinæ foſſiones, Padi oſtium. 405. 8.10.
Phlegræus campus. 152. 16. & 1144. 47.
Phlygadia, mons. 353. 28.
Phorcus, lacus. 762. 43.
Phyſcus, mons. 1312. 33.
Picentes, gens. 648. 23. & 722. 40. & 1061. 39. origo gentis. 724.10. fines. 725. 50.
Picentia, opidum. 1189.47.
Picentini, gens. 1188. 15.
Picenum, Picenus ager. 315.37. & 722. 40. eius fertilitas. 727. 30.
Picis, mons. 204. 24.
Picuentum, opidum. 213.53.
Pietas Iulia, colonia. 213. 2.
Pinetum. 307.31. & 1008.57.
Pinna, opidum. 750. 47.
Pinum, locus. 1227. 23.
Piquentum, opidum. 213. 53.
Piſa, colonia & municipium. 462. 47.
Piſanæ piſcinæ. 467.55.
Piſanus ſinus. 465.57.
Piſaurum, colonia. 605. 14.
Piſaurus, amnis. 605.26.
Piſcinæ Piſanæ. 467. 55.
Piſonis villa. 1125. 54.
Piſſa, colonia & municipium. 462. 47.
Piſtoria, opidum. 507. 35.
Piſtorienſes, populus. 507. 39.
Piſuertes, populi. 614.30.
Pithecuſæ, inſula. 1164. 25.
Pitinum, opidum, & municipium. 621.17. & 742. 50. & 743.14.
Pitonius, amnis. 764. 2.
Pitulum, opidum. 614.28.
Placentia, colonia & municipium. 267.11.
Planaria ſeu Planaſia, inſula. 504. 24.
Plavis, amnis. 163. 29.
Plenina, opidum. 742.19.
Pleſſinus lacus. 586. 43.
Pliſtia, nomen corruptum. 772.17.
Plium, id eſt, Heraclea. 1273.50.
Pœdiculi, populus. 1209.36.
Pola, urbs. 211. 19.
Polaticum, promontorium. 213. 9.
Polaticus ſinus. 216. 51.
Polieum, id eſt, Siris, opidum. 1273.9. & 1274.37. & 1275.1.13.15.
Polimartium, opidum. 553.30.

Polla, diverſorium. 1254.19.
Pollentia. 56.54, & 83. 21.40. & 741. 47.
Pollentinus ſaltus. 85.4.
Pollentus, id eſt, Pollentia, urbs. 83.40.
Politæ ſacellum. 1286.44.
Politorium, opidum. 940. 51.
Pollij villa. 1163.19.
Pollupices locus. 70.40.
Polluſtia, opidum. 1028.52.
Poluſca, vel Poluſtia, opidum. 1028.7, 51, 52.
Pomentia, urbs. 1024. 2.
Pomentinus campus. 1024. 1.
Pometia, urbs. 1023.55.
Pometini campi. 645.51.
Pompejana palus. 1155. 56.
Pompejanum Ciceronis. 1156.7.
Pompeji Magni & C. Iul. Cæſaris villa. 1126.3.
Pompeji, opidum. 1154.16.
Pomptia, urbs. 1024.10.
Pomptinæ paludes. 1003.52. & 1024.11.
Pomptinus ager. 1024. 10.
Pons, locus. 1095. 8. Druſi, locus. 123. 10. Natiſonis. 185. 50. ſanguinarius, locus. 631. 54.
Pontia, & Pontiæ, inſulæ. 1015. 1. & 1260.19.
Popilij ſeu Popili forum, opidum. 295. 11. & 1281. 38.
Populi forum. 908. 22.
Populonia, opidum. 469.51. illius navale. 471.25.
Populoniæ aquæ. 472. 23.
Populonij, populus. 469.55.
Populonium, opidum. 469.45.
Populonium promontorium. 471.46.
Porcifera, flumen. 70. 33.
Portæ præcipuæ urbis Romæ. 865.33.
Portus ad Arnum. 511. 31. Auguſti. 500.40. Delphini 71. 54. Herculis. 478. 19. Herculis Liburin, ſive Clabronis. 468. 16. novus, pars urbis Ravennæ. 305.12.
Portus, ſeu portus Auguſti, ſeu Romæ, ſeu Romanus, ſeu Romanorum, ſeu Vrbis, ſeu Vrbis Romæ. 876. 13. Vadorum Sabatiorum. 69. 36. *V*atreni. 401. 16. *V*enetus. 146, 19.
Poſidium promontorium. 1258.11.
Poſidonia, opidum. 1255.11.
Poſidoniates ſinus. 1257. 46. & 1258. 9.
Poſidonium, columna. 1295.5.
Poſtumia via. 262. 19.
Potentia, colonia. 730.42. & 1280.20.
Præneſte, colonia & municipium. 950. 28.
Præneſtini montes. 954. 29.
Præputianus ager. 743. 33. regio. 745.7.
Præputij, gens. 726.48. & 743.32.
Prætorium, forum, 882.36. villa. 1062.51.
Prelius, vel Prilis ſeu Prillis, lacus. 474.49.50.
Privernum, opidum. 1022.57.
Prochyta, inſula. 1103.56. & 1164.36.
Prolaqueum, opidum. 614. 12.
Promium, vicus. 754.22.
Proſerpinæ nemus & templum. 1136.3.
Provincia, Italia Mediterranea. 219. 36.
Pucinum, caſtellum. 196.18.
Puilia ſaxa, locus. 940. 28.
Pullariæ, inſulæ. 214. 31.
Pullopices, locus. 70. 41.
Punicum, locus. 496.57.
Pupinia tribus. 966.47.
Pupinia, vicus. 966.45.
Pupinienſis ager. 966.44.
Pupinius ager. 966.44.
Puteolani, opidani. 1137.49.
Puteolani portus, *Pharos*. 1139.15.
Puteolanum, Ciceronis villa. 1143.16.
Puteolanus ſinus. 1141.30.
Puteolani, opidum. 1137.25.
Pyræ, opidum. 1079.
Pyrgenſes, populus. 495.28.
Pyrgi, colonia. 495.23.
Pyxis, flumen. 1291.26.
Pyxis, promontorium. 1291. 29.

Q.

QVadrata, opidum. 234.8.
Quætus, fluvius. 214.13.
Querquani, populus. 118.19.
Quintia prata. 866.29.
Quintiniana, locus. 485.26.
Quirites, opidani. 673.15. & 853.46.

R.

RAma, vicus. 93.37.
Ravenna, colonia. 301.39. ejus partes. 305.9.
Raſenæ, gens. 431.4.
Raudius campus. 234.47.
Reate municipium. 676.53.
Reatina tempe. 679.21. lacus & paludes. 677. 42. & 678. 38.
Regiæ villæ. 485.27.
Regillum, opidum. 669.47.
Regillus, lacus. 945.11.
Regis villa. 485.31.
Regium, colonia. 1296.37.
Regium Lepidi ſeu Lepidum. 276.2.
Retenus, fluvius. 142.14.402.6.
Reti, gens. 114.17.
Retobium ſeu Retovium, opidum. 78.55.
Reunia, caſtellum. 201.7.
Rhætia, regio. 111.43.
Rheti, gens. 114.14.
Rhegina columna. 1295. 4. ſtatua. 1296.
Rhegini ſaltus. 1320.13.
Rhegium, opidum. 276.11. & 1296.20.
Rhegium, promontorum. 1300. 4.
Rhenus, amnis. 416.52.
Rhodæ, & Rhodiæ, opidum. 1248.29.
Rhodanus, fluvius. 393.37.
Rhudia, opidum. 1248. 27.
Ricina, locus. 72. 51. colonia. 739.24.
Rigomagum, ſeu Rigomagus, opidum. 1234.3.
Riguſci, populus. 105.16.
Riphæi, montes. 319.30.
Ritubium, opidum. 78.42.
Roboraria, locus. 950.24.
Roma, urbs. 821. 11. ejus portæ præcipuæ. 864. 32.
Romatina flumina, majus minuſque. 168.40.
Romatinus, portus. 168.28.

Romula, ſeu Romulea, opidum. 1204.4.11.
Roſcia, Thuriorum navale. 1271.44.
Roſcianum, caſtellum, & opidum. 1271. 49. & 1314. 31.
Roſea, campus. 679.42.
Rofellæ, colonia. 514.11.
Roſſanum, caſtellum, & opidum. 1271. 50. & 1314. 31.
Rotalianus campus. 107.1.
Rubico, amnis. 296.28.
Rucantij, populus. 115.8.
Rudiæ, opidum. 1248.28.
Rufæ, Rufræ, & Rufrium, opidum. 1200.20.
Ruguſci, populus. 105.16.
Rumon, Tiberis cognomen. 699.33.
Ruſcia, Thuriorum navale. 1271.44.
Ruſcianum, caſtellum & opidum. 1271. 49. & 1314. 31.
Ruſellæ, colonia. 514,9.
Rutuba, fluvius. 65. 57.
Rutuli, gens. 970.34.

S.

SAbata, urbs. 68.16.
Sabate, opidum & lacus. 521311.
Sabatinus lacus. 523.37.
Sabatium, opidum. 1199.49.
Sabatius lacus. 523.37.
Sabatus, amnis. 1199.44. & 1288. 38. & 1289. 1.
Sabelli, populus. 648. 40. & 1061. 15. & 1191.27.
Sabini agri fines. 649.31.
Sabini, populus. 108. 14. & 641. 36. & 1061. 6. 11,38. origo ipſis non Græca. 644. 21. Vmbricæ ſtirpi qui eas adſerat? 645. 44. Opicæ vel Oſcæ gentis. 646. 22. Aborigines & Liburnos ejecerunt. 647.56.58.
Sabinites, populus. 1061.13.
Sabio, opidum. 122.45.
Sabis, fluvius. 300.37.
Sabium, opidum. 107.57.
Sabnites, populus. 1061.13.
Sacellum Bonæ Deæ. 910,24.
Sacellum Politæ. 1286.44.
Sacer mons. 659.48.
Sacis, Padi oſtium. 402.56.
Sacrani, gens. 810.40.
Sacraria, locus. 632.31. ad Clitumni fonteis; 702.27.
Sacrata, locus. 733.25.
Sacriportus, locus. 1020.42.
Sæpinum, municipium & colonia. 1198.34.
Sagis, Padi oſtium. 402.56.
Sagra, amnis. 1303.26.
Sagrus, amnis. 1206.32.
Salantum, opidum. 1251.2.
Salapia, opidum. 1211.40.
Salapina palus. 1211.42.
Salaſſi, gens Celtica. 94.26.
Salebro, amnis. 474.36.
Salentini, gens. 1227. 39. Meſſapi dicti. 1228. 37. ipſorum ager. 1209.47.
Salentinum promontorium. 1239.40. & 1240. 22.
Salerbo, opidum. 475.7.
Salernum, colonia. 1189.10.
Salinæ. 1211.55. ſolis ſtagnum. 500.45.
Salinæ Oſtienſes. 882.30. Volaterranæ. 469.12.
Sallentia, opidum. 1250.56.
Salpinum, opidum. 557.33.
Salſum flumen & ſtagnum. 1256.2.
Saltus Gallianus, opidum. 278.51.
Salurnum, caſtellum. 121.5.6.
Samnium, regio. 1191.7.
Samnites, populus. 1061. 14. & 1191. 27. eorum nomen. 648.30.
Sanctus, unde dictus? 643.43.
Sancus, Dei apud Sabinos nomen. 644.4.
Sangus, Dei apud Sabinos nomen. 644.4.
Sapina tribus. 623.36.
Sapis, fluvius. 300.35.
Savo ſeu Savona, urbs. 68.10.
Saponara, id eſt, Grumentum. 1279.36.
Sarca, fluvius. 414.10.
Sarne, locus. 123.19.
Sarnus, fluvius. 1156.9.
Sarraca, fluvius. 414.12.
Sarſina, municipium. 622.50.
Sarunetes, populus. 115.9.
Saſina, portus. 1239.8.
Saſſina, municipium. 612.50.
Saſſula, opidum. 962.4.
Saternus, amnis. 418.18.
Saticula, colonia. 1183.54.
Satricum, opidum. 1029.9.
Satrenus, fluvius. 401.17.
Satura, palus. 1003.44.
Saturius, ager, regio. 1237.30.
Saturnia, colonia. 515.25.
Saturnia pars urbis Romæ antiquiſſima. 847.49.
Saturnia, regio. 11. 8. & 794. 36.
Saturnij, populus. 13. 42. 796. 40.
Saturnini, populus. 515. 22.
Satyrius ager, regio. 1237.30.
Savio, opidum. 122.46.
Saunites, populus. 1061. 13.
Savo, amnis. 1097.41.
Saura, opidum. 1046.50.
Sauractes, id eſt, Soractes, mons. 545. 35.
Saxa interciſa, locus. 618. 48.
Scapris, portus. 475. 21.
Scaptia, opidum. 966.29.
Scatebra, fluvius. 1042.25.
Scincomagus. 93.24.
Scipionis Africani villa. 1100.56.
Scultenna, amnis. 417.26.
Scylacæum, vel Scylaceum, & Scylacium, opidum. 1305.49. & 1306. 6.
Scylaceus, vel Scylacius ſinus. 1298.36.
Scylacium, flumen. 1306.47.
Scylla, ſcopulus. 1293.44.
Scyllæum, opidum. 1293. 44. promont. 1294. 16.
Scyllatium, opidum. 1306. 8.
Scylleticus ſinus. 1298,37.
Scylletium, opidum. 1305.50.
Sebatum, opidum. 123,42.
Sebethus, amnis. 1150. 14.
Sebinus lacus. 108.57. & 412.29.
Sebum, opidum. 108. 50.
Secia, amnis. 417.6.
Secuſium, opidum. 92. 2.

Segeſta

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Segeſta Orientalis & Occidentalis, opida. 70. 27.
Segeſta Tiguliorum, opidum. 72.18.
Seguſiani ſeu Seguſini, populus. 90. 8.
Seguſio ſeu Seguſium, opidum, 91.54.
Selene, opidum. 456.40.
Semiana, caſtellum. 121.15.
Semirus, amnis. 1306.40.
Semo, apud Sabinos Dei nomen. 644.5.
Sempronii forum, opidum. 618.31.
Sena Gallica, colonia. 607.45.& 608.2.
Sena Iulia, opidum. 569.1.
Seno, amnis. 610.55.
Senogallia, colonia. 607.45.
Senones Galli. 309.13. eorum fines. 309.56. ijdem quando ſedibus excifi. 312.41.
Sentinum, opidum. 614.34.
Seplaſia, vicus. 1175.28.
Sepomana ſeu Sepomaca, inſula. 214.25.
Septem aquæ, lacus. 682.54.
Septem maria. 44.43.
Septem pagi, regionis tractus. 531.47.
Septempagium, opidum. 532.23.
Septempeda, municipium. 758.3.
Sepulcra duorum Horatiorum, ac trium Curatiorum. 916.44.
Serminus, vicus. 282.21.
Seſtertio, fluvius. 416.31.
Serra, Tiberis cognomen. 699.33.
Servilii Vatiæ villa. 1118.53.
Seſſis ſeu Seſſites, fluvius. 409.15.
Seſtinum, opidum. 622.10.
Setia, Setium, colonia. 1021.21.
Setinus Clivus. 1022.6.
Setini montes. 1022.7.
Severus, mons. 692.54.
Sevum, opidum. 108.56.
Sevinus lacus. 108.57.
Siberena, urbs. 1315.16.
Sibyllæ antrum. 1107.34.
Sicilia, regio, quæ & Latium dicta. 788.31.
Sicilia ſub nomine Magnæ Græciæ comprehenſa. 1323.15.
Siciliæ nomine pars Italiæ adpellata. 1311.48.
Sicilium, opidum. 961.15.
Sicimina, mons. 281.2.
Siculi, primi Latij incolæ. 787.35.
Sidicini, gens. 1059.48.
Sigium, id eſt, Heraclea. 1273.51.
Signia, opidum. 1019.40.
Sila, ſilva. 1319.39.
Silarus, amnis. 418.15. & 1253.27.
Silis, amnis. 162.38.
Silva Ciminia. 560.1.
Silvani lucus. 495.20.
Silvium, opidum. 214.21.
Simari, opidum.. 1306.42.
Simbrivini colles. 714.15.
Simbrivius lacus. 713.52.
Simbruina ſtagna. 713.57. aquæ.714.1.
Simbruini colles. 714.15.
Simbruvii, lacus. 713.52. ſtagna. 713.57.
Sinnum, flumen. 418.23.
Sinonia, inſula. 1014.57.
Sinope, colonia. 1079.9.
Sinueſſa, colonia. 1079.9.
Sinueſſanæ aquæ. 1081.26.
Sinus Piſanus. 465.56.
Sipontum, opidum. 1212.6.
Sipuntum, opidum. 1212.4.
Sirenum templum. 1163.9. ſcopuli ſive ſaxa, vel inſulæ. 1169.40.
Sirenuſarum promontorium. 1142.44.48.
Siris, amnis. 1273.5. & opidum.8.
Sirmio, peninſula. 258.56.
Sirpium, opidum. 1198.44.
Siſterrio, fluvius. 416.32.
Siverina, urbs. 1315.19.
Solaria, locus. 72.55.
Soletum, opidum. 1250.48.
Solona, opidum. 291.9.
Solonis campus ſeu ager. 939.37.
Solonium, villa. 940.9.
Sontia, opidum. 1181.25.
Sontius, fluvius. 19.56. & 187.1.
Sora, opidum. 1046.48.
Soracte & Soractes, mons. 545.31.
Soractis fons mirandæ naturæ. 546.1.
Soractos, mons. 545.31.
Spelunca, villa. 1062.44.
Spina, urbs. 133.33.
Spines, fluvius. 400.35.
Spineticus Padus, fluvius. 400.34.
Spino, fluvius. 719.5.
Spoletium, colonia & municipium. 632.42.28.
Stabiæ, opidum. 1159.48.
Stagnum marinum. 479.12.
Stagnum Nemorale Dianæ. 923.31.
Stalia, urbs. 71.3.
Statielli, gens. 82.26.
Stationenſes, populus. 517.23.
Statonia, opidum. 517.22.
Statonienſis lacus. 517.48.
Statua, pro columnâ Rheginâ. 1296.4.
Statuæ, locus. 759.34.
Stellatinus ager. 550.16.
Stellatis ager ſeu campus. 1172.57.
Stomalimnon, oſtium. 1312.37.
Stoeni ſeu Stoni, populus. 105.34.
Stura, colonia & flumen. 991.34.& 409.7.
Storni, opidum. 1251.31.45.
Suana, opidum. 105.25.& 516.4.
Suanenſes, populus. 516.5.
Suanetes, populi. 104.15.
Suaſa, municipium. 620.5.
Sub Coſa, locus. 485.50.
Sub Labione, locus. 122.42.
Sub Sabione ſeu ſub Savione, locus. 123.1.
Sub Laqueum ſive Sublacenſis villa Neronis. 784.40.
Succeianum. 1320.38.
Succinum, opidum. 661.30.
Succoſa, locus. 485.50.
Succuſana tribus. 1040.26.27.
Succuſani, cognomentum inter amnatium Litinatum. 1039.30.
Succuſanus pagus. 1040.21.
Sudernum& Sudertum, opidum. 516.55.

Sueſſa Aurunca, colonia & municipium. 1181.33.
Sueſſa Pometia, urbs. 1023.53.
Sueſſula, colonia. 1183. 5.
Suillum, opidum. 617.41.
Suinus, fluvius. 736.10.
Suiſmontium, mons. 77.1.
Sulfurati fontes. 977.42.
Sulmo, opidum. 755.46. & 1022.36.
Summa Alpis Graia, mons. 98.13.
Summæ Alpes. 340.54.
Summus lacus. 110.55. & 412.3.
Summus vertex, ſeu ſummus Pœninus mons. 340. 50.52.
Suna, opidum. 684,12.
Sundrium, opidum. 109.23
Super Equum, opidum. 758,46.
Superum mare. 1331,41. 1332. 7. illius limites. 1332,43.53. & 1333, 29.33.57. & 1334. 11. & 1338.23.
Surpicanum, locus. 742.40.
Surrentini colles. 1162.14.
Surrentinum promontorium. 1162, 33. & 1163, 7.
Surrentum, opidum. 1161.29.
Surrentum, urbs. 83.44.
Sutrium colonia & municipium. 554.33.
Sybaris, pro Lupia. 1244.22.
Sybaris, amnis. 1265. 30. unde dictus. 51. natura ejus. 55.
Sybaris, urbs, 1263, 28. ſitus ejus. 1265. 20. & 1266, 15. & 1269,27. conditores. 27. tempus. 43. & 1268, 50. limites. 1270,3. colonia. 25. municipium. 43.
Sybaritarum luxus & mollities. 1270.46.
Sypheum, opidum. 1317.10.

T.

TAbellaria, locus. 486.4.
Taberna frigida, locus. 460.45.
Taburnus, mons. 1197.56.
Tacina, amnis. 1306.47.
Tages, Etruſcorum haruſpicinæ primus doctor, an idem Megales Solini? 642.1.
Taginæ, vicus. 617.21.
Tamarus, amnis. 1198.18.
Tameſa, colonia. 1286.3.
Tanager, fluvius. 1253.54.
Tanarus, amnis. 415.38.
Tannetani, populus. 274.12.
Tannetum, opidum. 274.9.
Taras, fluvius. 1234.6.
Tarchon, Etruſcorum haruſpicinæ primus doctor, an idem Megales Solini? 642,1.
Tarchonia, ſeu Tarconia urbs. 518.39.
Tardinum, opidum. 639.39.
Tarentinus lacus. 1238,4. ſinus. 1238, 5. & 1298, 33. litus. 1238,6. portus. 1234.36. & 1238. 18. & 1243, 54.
Tarentum, vel Tarentus. 1234, 12. urbis origo. 1229. 9. ejus ſitus. 1234. 36. incolarum luxus & potentia. 1236. 9. colonia deducta. 51.
Targines, amnis. 1306,45.
Tarinum, opidum. 694,14.
Tarquinienſes, populus. 518.20.
Tarquinienſis lacus. 559.36.
Tarquinij, urbs. 518.9.
Tarpe, quæ aliàs Saturnia. 849.42.
Tarracina, urbs. 1009.25.
Tarracinenſes aquæ. 1012.25.
Tartarum, Padi oſtium. 405.1.
Tartarus, fluvius. 138.14.
Tarum, flumen. 416.25.
Tarveſedum, opidum. 125.29.
Tarveſedus, vicus. 110.9.
Tarviſani ſeu Tarviſini, populus. 163,11.15.
Tarviſium ſeu Tarviſio. 162,46.49.
Taſinemetum, locus. 204.4.
Taurania, opidum. 89.21.
Tauraſia, opidum. 89.15.
Tauraſini campi. 1201,14.27.
Tauraſium, colonia. 1200.35.
Tauri, montes. 319.15.
Tauriana regio. 1271.53.
Taurianum, opidum. 1293.4.
Taurianus pagus. 1271.53.
Taurinates ſeu Taurinenſes. 89,41.42.
Taurini ſeu Tauriſci, gens. 87,41. 89.3.
Tauriſa, montes. 319.21.
Taxgætium, opidum. 125.36.
Teanum Apulum. 1213.10.
Teanum Sidicinum, colonia. 1180.56.
Teate, opidum. 753.32.
Tegianum, opidum. 1187.5.
Tegolata, locus. 72.9.
Telamon ſeu Telamo, opidum. 476,46. promontorium. 477. 12.
Teleſia, colonia. 1195.35.
Telium, opidum. 109.27.
Tellena, opidum. 940.12.
Telonius, fluvius. 706.25.
Temeſe, colonia. 1285.56.
Temeſſa, colonia. 1286.2.
Templum Nemorale Dianæ. 923.33.
Tempſa, vel Temſa, colonia. 1285,55.56.
Tenea, amnis. 700.43.
Tenna. 732.30.
Terentij villa. 1042.12.
Tergeſte, colonia. 196.41.
Tergeſtinus ſinus. 196,51.198,26.
Tergeſtini, populus. 196.51.
Tergeſtrum, opidum. 197.52.
Tergilum, opidum. 1281.23.
Tergiſtum, opidum. 198.3.
Terina, inſula, & urbs. 1287, 15. 33. 49. & 1288. 24.34. an flumen. 1289.6.
Terinæus ſcopulus & petra. 1288. 34. ſinus. 1287. 39.
Terioli, opidum. 124.24.
Terracena, vel Terracina, urbs. 1009.26.29.
Teſana, caſtellum. 121.10.
Teſtrina, vicus. 690.21.
Teſtruna, vicus. 690.28.
Tetellus, locus. 250,23.258.43.
Tetricus, mons. 692.47.
Teutiſci olim adpellati omnes Celtici populi, id eſt, Hiſpani, Galli, Britanni, Germani, Illyrii, & in his Ligures. 52.8.

Thebæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Thebæ Lucanæ. 1281.29.
Theramnæ, opidum. 645.12.
Thraſymenus lacus. 578.42.
Thurij, urbs Sybaris. 1263, 29. & opidani. 31.
Thurina regio & pagus. 1272.1.
Thuſci, gens. 416.52.
Thymeris, flumen. 699.1.
Tiberis, amnis. 694.40. Tiberinus dictus. 696.29.
ejus epitheta. 698.8. unde dictus. 698.53.
deſcriptio illius. 699.44.
Tiberij arx. 1169.12.
Tiberinus campus. 866.3.
Tibur, opidum. 958.30.
Ticenum, municipium. 236.33.
Ticinenſes, municipes. 236.34.
Ticinum, opidum. 233.20.236.20.
Ticinus, amnis. 409.17.
Tifata, mons. 1178.26.
Tifernus, amnis. 1207.15.
Tifernum, opidum. 1194.34. an mons. 50.
Tifernum Metaurenſe, opidum. 621.8.
Tiburinum, municipium. 624.14.
Tigtilia, fluvius. 72.43.
Tigulia, opidum & fluvius. 72.10.44.
Tilavemptus, amnis & portus. 177.8.
Timavi fontes & flumen. 189.30.
Timavi lacus. 193.23
Timavi portus. 195.12.
Timovus, flumen. 1254.23.
Tinia, amnis. 700.42.
Tinna, amnis. 732.30.
Tinnetio, vicus. 124.42.
Tiora Matiena, opidum. 684.28.40.
Tiſia, opidum. 1320.45.
Togiſonus, fluvius. 142.25.
Tolegatæ, vicus. 250.22.
Toleria, Tolerium, opidum. 969.10.
Tollentinum, opidum. 739.13.
Topium, urbs. 167.28.
Trachas, vel Tracinne, urbs. 1009.34.
Traeis, fluvius. 1313.38.
Traia, municipium. 738.47.
Traianus portus. 482.18.
Traiani portus. 877.28.
Tranſpadana regio. 219.30.
Tranſpadani, populus. 219.34.
Trea, municipium. 738.35.
Treba, opidum. 683.47. & 785.27.
Trebia, amnis. 416.4. opidum. 632.5. & 683.36.44.
Trebula, opidum. 632.36. Balinienſium. 1183.21.50.
Trebula Mutuſca, opidum. 683.27.
Trebula Suffena, opidum. 684.5.
Trebulæ, opidum. 785.40.
Trebulanum, villa Ciceronis. 1183.48.
Treia, municipium. 738.35.
Trerus, amnis. 1076.36.
Tres Tabernæ, locus. 236.52. & 636.7. & 1033.8.
Treventinum, opidum. 1194.6.
Tribula, opidum. 683.2[illegible].41.
Trica, opidum. 1220.4.
Tridentum ſeu Tridente, opidum. 115.16.
Trifanum, locus. 1081.55.
Trigabali, locus. 155.48.
Trinius, fluvius. 1206.53.
Triturrita, villa. 466.2.
Trivicum, opidum. 1202.38.
Triumpilini ſeu Triumplini, populus. 104.14.
Troia, locus. 148.21.
Troia Nova, urbs. 879.57.
Troianus, pagus. 148.22.
Trophæa Auguſti. 64.31.
Troſſilum, vel Troſſulum, opidum. 562.10.
Truentum, flumen & opidum. 732.7.
Truentinorum forum, opidum. 295.37.
Tuder, colonia. 633.42.
Tudernum, opidum. 506.57.
Tudertum, colonia. 634.8.
Tuficum, opidulum. 626.31.
Tullus, mons. 353.28.
Turenum, opidum. 1211.27.
Turia, amnis. 709.54.
Turni, lacus. 977.47.
Turni, opidum. 1251.30.
Turrita, villa. 466.2.
Turrus, amnis. 183.45.
Turſena, vicus. 75.39.
Tuſcania, opidum. 516.52.
Tuſcanienſes, populus. 516.51.
Tuſci, gens. 416.48. ipſorum imperium maris. 1338.19.
Tuſci, villa. 589.37.
Tuſcia, regio. 416.56.
Tuſculani colles. 942.17.
Tuſculani, populus. 941.38.
Tuſculanum, opidum. 107.30. villa Ciceronis. 944.33.
Tuſculum, opidum. 941.26.
Tuſcum mare. 1331.43.
Tuticum, opidum. 1202.15.
Tybris, amnis Tyberis nomen. 694.43. unde ortum? 699.21.
Tyrrheni, gens. 416.40.
Tyrrhenia, regio. 15.23. & 416.43.
Tyrrhenum mare. 1331.44.
Tyrſeni, gens. 416.40.
Tyrſenia, regio. 416.44.
Tyrus urbs. 551.42.

V.

VAcunæ nemus. 672.30.
Vacunæ fanum. 672.30.
Vacunæ opidum. 676.23.
Vada Volaterrana, opidum. 488.28.
Vadimonis lucus. 551.52.
Vadum Sabatium, portus. 69.36.
Vagienni ſeu Vagenni, Ligures. 87.1.23.
Valentia. 838.3. & 1290.48.
Valentinum forum, opidum. 86.17.
Valeria, opidum. 787.31.
Valetium, opidum. 1244.36.
Valla Sabatia, ſeu Sabatiorum urbs. 68.16.
Valiates, populus. 78.26.
Vallis Clavennenſis. 110.17.
Vallis Pennina. 343.16.

Vallis Telina. 109.22.
Valvata, opidum. 511.42.
Vannia, opidum. 109.3.
Vannia, urbs. 167.24.
Varamani, populus. 178.27.
Varamus, fluvius. 178.14.
Varia, opidum. 783.36.& 787.31.
Varramus, fluvius. 178.7.
Varunum, locus. 204.5.
Varus, amnis. 61.21.
Varuſa, amnis. 416.25.
Vaternus, amnis. 418.20.
Vatia, opidum. 684.28.
Vaticanus campus. 866. 7. mons ſeu collis. 866. 10.
Vatreni portus. 401. 10. & 401.14.
Vatrenus, fluvius. 418 20.
Vbartus, fluvius. 412.21.
Vedij Pollionis villa. 1150.32.
Vedinum, opidum. 202.33.
Vegia, locus. 291.6.
Vejentes, opidani. 534. 40. Vejentani. 516. 41.
Veji colonia. 529.57.
Veleia, ſeu Veleiacum, opidum. 78. 1.
Veldidana, ſeu Veldidena ſeu Veldidina, opidum. 122. 31.
Velia, ager. 677. 44.
Velia, pars urbis Romæ antiquiſſima. 847. 49.
Velia, urbs. 1259. 10. Oenotriæ terræ. 1327. 50,
Velitræ, opidum. 1015.56.
Velinia, lucus & fanum. 679. 13.
Velinus, amnis & lacus. 677. 5. 6. & 706. 10. portus. 1260. 29. ſinus. 1260. 45.
Venafrum, colonia. 1182. 12.
Venaria, inſula. 505. 53.
Veneris ædes, ſeu templum. 730. 14. & 977. 50. & 1123. 21. portus. 459. 7. & 1241. 46.
Veneris Almæ Libanus. 879. 22.
Venetia ſeu Venetiæ, urbs. 157. 51. univerſæ fines. 130. 18. agri fecunditas. 132. 30.
Veneti, gens. 125.48.
Venetium litus. 144.34.
Venetus portus. 146.19,
Vennum, locus. 123. 19.
Venones ſeu Vennones. 104. 37.
Venuſia, colonia. 1223, 29.
Verbanus, lacus. 409. 42.
Vercellæ ſeu Vercellum, municipium. 232. 16.
Verentum, opidum. 516.41.
Vereſis, amnis. 714. 50.
Veretum, opidum. 1240.29.
Vergæ, opidum. 1317. 10. 52.
Vergamum, municipium. 247. 41.
Vergellus, torrens. 1223.24.
Vero ſeu Verona. 115. 32. & 257. 47. & 293. 40.
Verruca, caſtellum & opidum. 121. 20. & 1031. 5.
Verrugo, opidum. 1030. 32.
Vertinæ, opidum. 1280, 10.
Verulæ, colonia. 983. 26.
Verunum, opidum. 118. 31.
Veſbius, mons. 1157. 50.
Veſbula, opidum. 684. 12.
Veſcia, opidum. 1082. 37.
Veſcinus ager. 1082. 37.
Veſentium, opidum. 516. 8.
Veſeris, opidum & caſtellum. 1187. 21.
Veſidia, fluvius. 460.54.
Veſionica, opidum. 627.24.
Veſpaſiæ, locus. 692. 25.
Veſtæ templum. 903. 24.
Veſtini, gens. 748.20. & 1061.40.
Veſvius, mons. 1157. 50.
Veſulus, mons. 336. 51.
Veſuvius, mons. 1157.21.
Vetriacus, vicus. 60.6.
Vettona, municipium. 627. 37.
Vetuloniæ aquæ. 472. 24.
Vetulonijs, urbs. 472.12.
Vfens, fluvius. 1007.33.
Vffugum. 1317. 10.
Via Cæſaris ſeu Cæſarea, pars urbis Ravennæ. 306. 6.
Vibiforum, ſeu Vibij forum. 89.43.& 46.
Vibona Valentia, colonia & municipium. 1290. 47.
Vibonenſis ſinus. 1291.54.
Viberi, populus. 100.13.
Vicentia, & Vicetia, municipium, & colonia. 156. 32, 37.
Vici & pagi differentia. 672. 1.
Vicumniæ ſeu Vicumviæ, caſtellum. 268.13.
Vicus virginis, urbs. 70.12.
Vigiſonus, fluvius. 142.26.
Villa L. veri imperatoris. 526. 5.
Vindinum, opidum. 641. 13.
Vinium flumen. 1042. 34.
Vinnones, populus. 104. 36.
Vintimilium, urbs. 65.46.
Vipitenum, opidum. 122.37.
Viracelum, urbs. 75. 52.
Virgantium, opidum. 93. 36.
Virgilij Maronis monimentum. 1153.30.
Virgium, urbs. 70.14.
Virunum, opidum. 118. 31.
Viſentium, opidum. 516.10.
Vitellia, colonia. 781.24.
Viterbium, caſtrum. 565. 46.
Vitianum, caſtellum. 121. 12.
Vitricium, opidum. 97.37.
Vivaria Fulvij Lippini. 521.25.
Vivianum, caſtellum. 121. 11.
Vlyſſes an in Magno Oceano errarit. 1309. 8.
Vmatia, fluvius. 412. 21.
Vmber, amnis. 474. 24.
Vmbranum, locus. 291.6.
Vmbria, regio. 593. 8. fines illius. 601. 19.
Vmbro, amnis cum portu. 474.21.
Voberna, opidum. 108. 22.
Vogiſonus, fluvius. 142. 26.
Volæ, opidum. 782. 36.
Volanæ, fluvius, & Padi oſtium. 402. 54.
Volana, opidum. 1198.48.
Volaterræ, colonia & municipium. 511.46.
Volcentum, opidum. 1319.2.
*V*olci, opidum. 514.55.

*V*ole-

Volenum, caſtellum & vicus. 121. 17. locus. 123. 21.
Volſci, gens. 985. 10.
Volſinienſis lacus. 559. 1.
Volſinij, urbs. 556. 17.
Voltumnæ fanum, opidum. 563. 46.
Volturnæ fanum, opidum. 565. 40.
Volturnus, amnis. 1094. 13. 42.
Vomanum, flumen. 735. 37.
Voragium, urbs. 70. 14.
Vpinum. 279. 51. & 1280. 34.
Vrbinum, opidum. 293. 40. Hortenſe, municipium. 620. 31. Metaurenſe, opidum. 620. 50.
Vrbiventus, opidum. 553. 29.
Vrbs, fluvius & ſilva. 84. 43. & 415. 50.
Vrbs Salvia, opidum. 738. 52.
Vrbs vetus, opidum. 554. 8.
Vretum, opidum. 1246. 48.
Vrgo, inſula. 505. 40.
Vria, opidum. 1212. 11. alia. 1246. 47.
Vrias ſinus. 1212. 16.
Vritanus ager. 308. 56.
Vrſæ, opidum. 1317. 52.
Vrſaria, inſula. 214. 22.
Vſtica, villa Horatij. 671. 12. & 672. 3.
Vtis, fluvius. 30. 2.
Vulcani forum. 152. 17. & 1144. 23.
Vulcientes, populus. 515. 1.
Vulſinij, urbs. 556. 17.
Vulſinius, vel Vulſinus, lacus. 559. 27.
Vultur, mons. 29. 44. & 1225. 54.
Vulturia, ſeu Vulturnia, ſeu Vulturnina, caſtrum. 263. 26.
Vulturnina vallis. 109. 36.
Vulturnum, colonia. 1097. 3.
Vulturnus, amnis. 1093. 56. & 1094. 43. & 1177. 41.
Vxentum, opidum. 1250. 41.
Vxintum, opidum. 1250. 43.

Y.

Ydrus, Ydruntum. 1243. 22.

Z.

ZEnobia, locus & poſſeſſio. 965. 12.
Zephyrium promontorium. 1300. 47.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 3